Cap. 1. 5. *Qui eſt teſtis fidelis primogenitus mortuorum.* 54.n.5.

Cap. 5. 13. *Et omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes.* 61.n.17.

Cap. 6. 9. *Et cum aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei & propter teſtimonium, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes, Vſquequo Domine Sanctus, & verus non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra.* 281.n.5.

Cap. 12. 12. *Lætamini cæli, & qui habitatis in eis, væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.* 271.n.8.

Cap. 14. 9. *Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne, & ſulphure.* 265.n.2.272.n.12.

12. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* 3. n. 7. 32.n.10.40.n.11.276.n.4.

Cap. 20. 13. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant.* 118.12.

FINIS.

R. P. D. CHRYSANTHI SOLARII PLACENTINI CLE.ci REG.ris

PENTATEVCHVS MORTVORVM.

LIBER PRIMVS.

De Triumphantis Eccleſiæ in Mortuos præcellenti pietate.

TENEBRICOSO carceri æthereum thalamum ipſo in operis limine annecto, infernis ergaſtulis ſupernas copulo aulas, & miſeriæ mœrentium in Purgatorio beatitatem iungo exultantium in Cœlo.

Ratio, cur placeat ab Eccleſiæ triumphãtis pietate opus ordiri.

Nec immeritò à Cœlo exordior, qui Cœlo animas inuehere ſtudeo, à triumphis iugiter viuentium, triumphos auſpicans, quos ſpiritibus inſtruo defunctorum. Addo, quòd cœleſtia hi petunt, licet inferna incolant, & quamuis in tenebris ſedentes, ęternę tamen ſunt lucis conſortio addicti. Cum igitur à triplici triumphantium, militantium, & purgantium Eccleſiâ ea ducere ſit animus, quę ad pietatem in mortuos excitandam ducunt, à triumphantium ſtatu initium duco, & naturæ, atque dignitatis ordine ſeruato, à ſuperioribus incipiens, ad inferiora, & ima gradatim deſcendo.

CAPVT I.

Eccleſiæ Triumphantis ſedes per Eccleſiæ Purgantis ædes adiri probatur.

Hæretici negantes Purgatorium.

1 PVrgatotia loca, maledicis linguis catholicam veritatem ex more proſcindentes, totis viribus explodere ſunt auſi Apoſtoliei apud D. Bernardum ſer. 66. in Cant. Albanenſes apud D. Antoninum 4. parte ſummæ tit. 11. c. 7. §. 5. Petrobruſiani apud Petrum Cluniacenſem contrà Petrobruſianos in Epiſtolâ ad omnes Epiſcopos, & nouiſſimè Lutherani, Caluiniſtæ, Zuingliani, & alij eiuſdem farinæ nebulones apud Bellarminum lib. prim. de Purgatorio cap. 2. Nec paucas, at omnes futiles, ac inſulſas verum, ac germanum ſenſum dilaniantes, ex ſacrâ ſcripturâ, & San. Patrib. cõgerunt argumentationes, in quibus diluendis, quia paſſim à Theologis ſcholaſticis nullo negotio diluuntur, piget immorari. Blaterent igitur callidis, quantùm ſapiunt, mendacijs doloſi iſti tenebriones, tenebris namque ſuis Euang. veritatis luci calìginē offundere incaſſum moliuntur. Omnia clamant temporalis pęnę reatibus temporalium dolorum locum deberi, vbi catholici, & electi poſt hanc vitam igne purgentur tranſitorio, licet hæretici, & reprobi alibi crementur æterno.

Eorum argumenta inſulſa, & facilè à ſcholaſticis diluta.

Eccleſia preces pro his, qui ſunt in Purgatorio.

2 Pia in primis Mater Eccleſia pro Fidelium defunctorum animabus tùm in Miſſæ peragendo ſacrificio, tùm in diuinis modulandis laudibus, preces quamplurimas, eaſque quotidianas fundit. Quolibet in ſacro, *Memento*, inquit, *etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis*. In offertorio item Deum rogat, vt incruentam hoſtiam benignè ſuſcipiat, quæ offertur *pro omnibus fidelibus Chriſtianis, viuis, atque defunctis.* Miſſas etiam, quas appellat defunctorum, in quibus ęternam requiem mortuorum animabus deprecatur, inſtituit. In fine quoque omnium ferè Horarum requiem, & pacem defunctis exoptans, *Fidelium*, inquit, *animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace*. At pro quibus, quæſo, defunctis tam ſolerti frequentiâ preces iſtæ funduntur? An pro ijs, qui diuinas adepti repromiſſiones, in cœleſti curiâ fœlicitate perfruuntur æternâ? at Beatitudine donati, noſtris non egent precibus, nec orationibus Eccleſia eis patrocinatur, quorum ſe petit patrocinio ſubleuari. An pro ijs qui Baptiſmatis aquâ non perfuſi cum originalis tantùm culpæ reatu deceſſerunt? Verùm

Digitized by Google

viſione diuinâ æternùm cariuris Eccleſiaſtice nequeunt proficere preces. An pro ijs, qui omnipotentis contractâ Indignatione Tartara incolunt Inferorum? Sed non poſſunt humanæ ſoluere orationes, quos *a* diuina *vinculis æternis ſub caligine reſeruauit*, ſentētia. Quibus igitur preces proderunt tam crebræ, ſi Purgatorium, in quo poſſint noſtris precibus defunctorum animæ iuuari, tollatur? Audiendus in hac re D. Antoninus 3. parte ſummæ tit. 32 cap. 1. *Suffragia facit* (Eccleſia) *continuè pro Defunctis, non pro his, qui ſunt in inferno, quia ibi nulla eſt redemptio, vel diminutio pœnæ, vel refrigeratio, nec pro his, qui ſunt in gloriâ, quia non egent; ergo pro ijs, qui ſunt in* PVRGATORIO. Aſſerendum prorſus Purgatorium, vndè ad cœleſtia regna defunctorū animabus pateat aditus, ne inutiles aſſerantur, & caſſæ, quæ pro mortuis funduntur Eccleſiaſticæ preces.

a In Epiſtola Iuda cap. vnico.

D. Antonin.

In Purgatorij carcere nouiſſimus quadrās ſolutus.

3 Ex hoc do lucem verbis Chriſti Domini apud Matt. cap. 5. 25. *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in viâ cum eo, ne fortè tradat te aduerſarius Iudici, & Iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Non vtique carceres hîc deſcribuntur huius ſæculi, qui cùm tantummodo corpus torquere, animā autem nullatenus lædere valeant, non ſunt pertimeſcendi. Sed neque carceres indicantur Lymbi, aut inferni vndè nullus vnquam, nouiſſimo reddito quadrante, patet egreſſus. Quis ergo alius hîc innuitur carcer, præter Purgatorium, cui Defunctorum animæ pœnarum debitis obſtrictæ, vſque ad nouiſſimi quadrantis ſolutionem mancipantur? Opportunus adeſt in hunc ſenſum hæc verba explicans D. Bernard. Senenſ. tom. 2. ſerm. 62. art. 2. cap. 3. iuxta nouiſſimam impreſſionem. *Hoc quidem de carcere huius mundi non poteſt intelligi, eo quòd nec ibi ponuntur omnes tales, nec de carcere infernali, quia ibi nunquam ſoluitur nouiſsimus quadrans debitæ pœnæ,* SED DE CARCERE PVRGATORII *intelligi habet, quia ab illo exibit quis, quando ſoluerit nouiſsimum quadrantem.* Cœleſtes aulas non adeunt defuncti pœnarum temporalium, ſeu culparum leuium reatibus deuincti, quin antè, quæ cum diuinâ contraxerunt iuſtitia, in Purgatorio carcere, vſque ad nouiſſimum quadrantem, delictorum debita perſoluant.

D. Bern. Ser.

Purgatorij carcer viſitatus.

4 Hûc alius quoque carcer aduocandus, quē regibus terræ minitans Iſaias c. 24. 22. *Et congregabuntur*, inquit, *in congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere.* Quæ verba ad Infernum, & damnatos, authores non pauci detorquent. Sed quæ ad hæc immediatè ſequuntur, *Et poſt multos dies viſitabuntur*, eorum obſtant expoſitioni, nec enim vnquam degentes in Inferno poſt quoſcunque dies viſitabuntur, in æternùm perituri. Rectius ergò in Purgatorium hæc quadrare videntur, vbi defunctorum animæ tanquam in lacum, & carcerem, in congregatione vnius faſcis ad comburendum igne tranſitorio detruſæ, poſt multos tandem dies, peccatorum debitis ſolutis, ab Angelis viſitantur, & ad Cœleſtia regna cum gaudio euehuntur. Acutè in hunc locum id notauit Oleaſter. *Videtur melius hæc intelligere* DE PVRGATORIO, *in quo multi mali reges congregabuntur, quaſi* IN CARCERE, *& viſitabuntur, ac liberabuntur indè poſt multos dies, qui ſi licet pœnitentes vitâ exceſſerunt.* Cum pœnitentia excedentes in Purgatorium pœnitentium carcerem truduntur, vt quod defuit ſalutaris pœnitentiæ ſoluentes, indè poſt multos dies liberentur, à temporalibus cruciatibus ad æterna præmia tranſituri.

Oleaſter.

Carcere Pharaonis Purgatorij carcer deſignatus.

5 Sed quandò hîc de carceribus incidit ſermo, non poſſum, quin illum attingam, in quo Rex Pharao Magiſtrum aſſeruauit Pincernarū. Cùm enim tertiâ diè natalis ſui eius inter epulas recordaretur, illum à vinculis abſoluit, atq; à carcere reuocatum in priſtinum locum reſtituit: *Recordatus eſt inter epulas magiſtri Pincernarum, & Piſtorum Principis, reſtituitque alterū in locum ſuum, vt porrigeret ei poculum.* Geneſ. 40. 20. Hic carcer, ſi myſticè, ac ſpiritualiter explicetur, vtique Purgatorium indicat, vndè animæ flammarum vinculis alligatæ, purgationis tempore tranſacto, liberantur, & à cœleſti Rege ad Cœlorum gaudia traducuntur. Egregiè Guillelmus Pepinus ſermone in die defunctorum. *Iſte carcer* (Purgatorij) *fuit præfiguratus* PER ILLVM CARCEREM *in quo fuit poſitus magiſter Pincernarum Pharaonis, de quo ſubditur, quòd poſt tres dies recordatus eſt Pharao miniſterij illius, & reſtituit illum in gradum priſtinum, per quod deſignatur, quòd poſtquam aliqua anima aliquanto tempore ſtetit in* PVRGATORIO, *tandem indè liberatur, recordatur enim Rex Pharao, ideſt Deus omnipotens miniſterij illius, ideſt bonorum operum, quæ fecit in præſenti, & reſtituit eam in gradum priſtinum, ideſt reddit ipſam capacē ad percipiendum æternum præmiū pro præcedentibus meritis.* Pulchra verba, & ad Purgatorij carceris veritatem explicandam aptiſſima.

Guill. Pepin.

De Purg. carcere clamant defuncti vt educantur.

6 Quibus addo, quæ regius pſaltes habet Pſal. 141. *Educ de cuſtodia animam meam.* Quo loco legunt Auguſt. & Caſſiod. *Educ de carcere animam meam.* Quis enim hic eſt carcer, niſi Purgatorium, & cuius iſta ſunt verba, niſi defuncti purgatrices flammas incolentis, & indè ad eterna gaudia educi percupientis? Audi Guillelmū Pepinum vbi ſuprà id monentē. *Quilibet in Purgatorio exiſtens loquitur ad Dominum, dicens, De profundis clamaui ad te Pater Sācte. Quòd ſi quæreret Dominus ab eo, cur clamat, & quid ab eo petit, vtiq; illi reſpondere poſſet illud Pſalmi, Educ* DE CARCERE *animā meam, ideſt de* PVRGATORIO, *quod eſt quaſi carcer Dei, in quo detinentur rei, et captiui illius.* In Purgatorio Dei carcere detinc-

Aug. ſimul Caſſiodor.

Guil. Pepin.

Digitized by Google

tinentur, qui tēporalium pœnarum rei vitâ funguntur, donec eos Dominus igne purgatos de carcere captiuorū ad libertatem filiorū educat.

Mortui beatitudine post Purg. donati.

Dionyſius Carthuſian⁹.

7 Audiuit Ioannes in Apocal. c. 14. *Vocem ſibi de cælo dicentem. Beati Mortui, qui in Domino moriuntur.* Quam vocem explicans Dionyſius Carthuſianus. *Beati*, inquit, *mortui, ideſt, fœlices ſunt illi defuncti, qui in Domino moriuntur, ideſt in Domino obierunt, putà in ſtatu ſalutis, in charitate, in diuini nominis confeſſione, in mentis ad Deum conuerſione. Tales enim ſecuri ſunt, quòd nunquam auertentur à Deo.* At quomodo beatitudine donantur, qui in charitate, & diuini nominis confeſſione decedentes, leuium culparum reatibus moriuntur adſtricti? Beati ſunt ipſi quoque, nam licet ad cœleſtem patriam non ſtatim poſt mortem euolent, ad eam tamen flammis exuſti per Purgatorium pertingūt. *Et ſi veniale quid*, ſubdit idem Carthuſianus, *deferant ſecum*, Per Pvrgatorivm *pertingunt ad Patriam.* Flammis purgantur, quæ poſt mortem maculæ deferuntur, & defuncti leuioribus peccatis inquinati, per Purgatorium pertingunt ad Cœlum.

Defuncti, qui ſunt in Purgatorij Aegypto, reponentur in Promiſſionis Paradiſo.

8 Quod populo Iſrael in figurâ contigiſſe aduertit Hugo Cardinalis in cap. 14. Apocal. dum nullius eorum, qui perierunt in deſerto, multorum verò ex illis, qui mortui ſunt in Aegypto, corpora in terram promiſſionis allata, ſacræ nobis literæ tradiderunt. Qui perierunt in deſerto eos figurant, qui ſunt in Inferno, ad terram promiſſionis nunquam redituri; Qui verò mortui ſunt in Aegypto, illos indicant, qui morantur in Purgatorio, in Cœleſti tandem promiſſionis Patriâ expletâ purgatione reponendi. *Nullius eorum* (verba ſunt Hugonis) *qui mortui fuerunt in deſerto de populo Iſrael oſſa fuerunt portata in terram promiſſionis, in ſignū, quòd nullus redit de Inferno. Sed de illis, qui mortui ſunt in Aegypto, ſicut oſſa Ioſeph, & duodecim Patriarcharum fuerunt aſportata, & in terrâ promiſſionis ſepulta, ſicut in hiſtorijs legitur, & in ſine Geneſis in ſignum, quòd illi, qui ſunt in* Pvrgatorio, *peractâ pœnitentiâ reponentur in Paradiſo.* Morentur licet defunctorum animæ in Purgatorij Aegypto, indè tamen poſt purgationem eruuntur, & in promiſſionis terrâ cum gaudio reponuntur.

Hugo Cardinalis.

Quædam in Purgatorio remittuntur peccata.

9 Pergo, & Matth. locum cap. 12. 32. expendo, vbi Chriſtus in Blaſphemos vehementer inuectus, ait blaſphemiam in Spiritum Sanctum, neque in hoc ſęculo remitti, neque in futuro. *Qui autem dixerit contrà Spiritum Sanctum, non remittetur ei, nequè in hoc ſæculo, nequè in futuro.* Grauitatem delicti, in quod inuehitur oſtendit, cuius ea eſt enormitas, vt neque futuri ſæculi pœnis eluatur. Hanc autem quomodo conuinceret hac ratione maiorem grauitatem, ſi nulla in futuro ſæculo remitterentur delicta? Certè ſi grauius hoc peccatum, quia nec in hoc ſæculo remittitur, nec in futuro, leuiora reperientur peccata, quæ, & in hoc ſæculo remittantur, & in futuro. Hæc autem cùm in Inferno, vbi nulla eſt redemptio, non remittantur, vtique remittentur in Purgatorio. Audiamus Sanctum Iſidorum Hiſpalenſem lib. 1. de Officijs Eccleſiaſticis cap. 18. ad hanc mentem ita loquentem. *Cùm Dominus dicit. Qui peccauerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, demonſtrat quibuſdam illic dimittenda peccata,* Et Qvodam Pvrgatorio Igne *purganda.* Remittuntur in Purgatorio quo ad pœnam crimina in hoc ſæculo remiſſa quo ad culpam, & leuiorum culparum maculæ igne illo examinatæ absterguntur.

D. Iſidor. Hiſpal.

Animas apud Inferos purgari Hebræi agnoſcunt. Rabbi Scamai.

10 Id, quod inter Hebręos quoque Scamai congreſſus approbanit, dum tria mortuorum genera diſtinxit. Aliquos enim docuit ſummè iuſtos ad æthera ſtatim euolare, aliquos ſummè iniuſtos ad gehennam ſine morâ deſcendere, & alios intermedios deſcendere quidem, ſed poſt cruciatus ad Cœlum aſcenſuros. En eorum verba in libro Hen Iſrael in arbaha raſce ſanim cap. 1. quæ latinitati donata hæc ſunt. *Aliud eſt genus mortuorum ſummè iuſtorum, aliud mediorum, tertium verò ſummè impiorum. Summè iuſti ſcribuntur, & ſigyllantur ſtatim ad vitam æternam, ſummè impij ſcribuntur, & ſigyllantur ſtatim ad gehennam. Medij verò deſcendunt ad gehennam, & clamant, & aſcendunt.* Iuſtorum quidem animas perfectè à culpa mundatas ad Empyreum aſcendere, & peruerſorum ſpiritus in peccatis decedentium ad gehennam perpetuò cremandos deſcendere agnouerunt Hebræi, ſed inſuper alias quoque mortuorum animas crediderunt, quæ veluti intermediæ, nec prorſus purgatæ, nec omninò immundæ ad inferos deſcenderent, ſed mox ad ſuperos, cùm ab omni culparum labe, flammis cruciantibus, perfectè mundatæ fuerint, aſcenſuræ.

Platonis de Purgatorio ſententia.

11 Quin etiam ex Gentilibus diſertis verbis id aſſeruit Plato in Gorgia, duplicis generis crimina ſapienter diſtinguens, quorum alia ſine remedio apud inferos inſanabilia perſeuerent, alia ſanabilia per cruciatus, & dolores ibidem expurgentur. Sed præſtat eius verba ore facundo prolata exaudire. *Qui apud Deos, & homines, ita dant pœnas, vt vtilitatem indè aliquando referant, hi ſunt, qui peccata ſanabilia commiſerunt, quibus dolor, cruciatuſque prodeſt, & apud homines, & apud Inferos, non enim aliter quis poteſt ab iniuſtitiâ liberari. Qui autem extremâ iniuſtitiâ detinentur, ac propter huiuſmodi delicta ſunt inſanabiles, ex his exempla ſumuntur, ipſique nullam amplius vtilitatem indè reportant, vt pote; qui ſanari non poſſint.* Quid poterat, amabò aut clarius, aut elegantius pro purgatorij veritate apponi? Pudeat Chriſtianos ex Baptiſmatis aqua renatos, Purgatorios cruciatus inſi-

Plato.

pienter negare, quos ſolius naturæ lumini innixi tàm ſapienter, ac diſertè Philoſophi aſſeruere gentiles.

Virgilius trã ſitorias pœnas ad ſtruens.

12 Sed placet Platoni addere Virgilium, Philoſophi ſententijs, Poëtæ carminibus adiunctis. Hic ergo fingens Aeneam ad inferos per Auerni fauces duce Sibylla deductum, plures animas recenſet, quæ igne poſt corporei vinculi ſolutionem exuſtæ ad Elyſia perueniunt, harumque vnã inter cętera talia inducit affantem lib. 6. Aeneid.

Virgilius.

Quiſque ſuos patimur Manes, ex indè per amplũ Mittimur Aelyſium.

Iodocus Aſcẽſius.

Quæ verba explicans Iodocus Aſcenſius inquit. *Nos patimur manes, id eſt* PVRGAMVR *apud manes, hoc eſt inferos quiſque ſuos, ſecundùm quod meruit, aut plus, aut minus, deindè, ſcilicet, poſtquàm* PVRGATI *ſumus mittimur per Elyſium.* Hæc ſi proteruus expendat Hæreticus, non nè erubeſcet ſe in pœnarum purgantium fide infidelibus Ethnicorum Poëtis inferiorem agnoſcens? Quâ fronte in poſterum animarum tranſitum à Purgatorij pœnis ad regni cœleſtis Elyſium negabit, hæc legens apud prophanum, & fidei lumine deſtitutum authorem?

Alij gentiles animarum purgationem admittentes Seruius.

13 Virgilium ſecutus eſt etiam eius commentator Seruius in eodem libro, dum animas à corporibus recedentes, antè purgationem quidem ſordidiores, poſtquàm vero purgatæ fuerint, pulchriores affirmauit eſſe, atque clariores. *Prudentiores dicunt, animas recedentes à corporibus ſordidiores eſſe, donec* PVRGENTVR, *quæ* PVRGATAE *incipiunt eſſe clariores.* Nouerant quippè animas culparum maculis inquinatas à Sordibus ad munditiem, & a tenebris per purgationem tranſire ad claritatem. Id ipſum quoque non obſcuris verbis ex Sapientum ſententiâ protulit Quintilianus declamatione 10.

Qintilianus.

Animam, inquiens, *flammei vigoris impetum perennitatemque, non ex noſtro igne ſumentem, ſed quò ſydera volant, & quò ſacri torquentur axes indè venire, vndè rerum omnium authorem, parentemque ſpiritum ducimus, nec interire, nec reſolui, nec vllo mortalitatis affici fato, ſed quoties humani corporis carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus* LEVI SE IGNE LVSTRAVERIT, *petere ſedes inter aſtra.* En animæ igne, ac flammis luſtratæ, antequam Aetheras valeant conſcendere ſedes. Verùm non eſt, cur amplius colligendis Ethnicorum authoritatibus immorer, dum conſtat, omnes ferè Gentiles, aliquorum defunctorum animas ab inferorum pœnis per ſacrificia, quæ iccircò Plutoni, cæteriſque inferis numinibus pro eis crebra offerebant, ad ſupernam fœlicitatem crediſiſſe tranſituras.

Purgatorium Baptiſmus ignis.

14 Ad Sacra redeo, & Iordanis ripas adeo, vbi Ioannes Baptiſta pęnitentiæ Baptiſmo Iudæorum progeniem abluebat. Alloquens ergò Chriſti Præcurſor Ieroſolymorum turbas, quæ frequentes eum, & adibant, & audiebant, ſe, ſuumque Baptiſmum Chriſto, eiuſque Baptiſmo his verbis ſubiecit. Matth. 3. 11. *Ego autem baptizo vos in aquà in Pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Baptizat Chriſtus in Spiritu Sancto, dum in nomine, nedùm ſuo, & Patris, ſed etiam Spiritus Sancti Baptizat. *Euntes ergò docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Matth. 28. 19. At in igne quonam pacto baptizat, qui aquam baptiſmo pro materiâ aſſignat? an per duplex, & oppoſitum elementum, baptiſmi conficitur Sacramentum? Non equidem, ſed aquæ Sacramento in hoc ſæculo, & igne Purgatorio nos baptizat Chriſtus in alio. Accinit in Bibliotheca veterum Patrum, ſcribens in hunc locum Chriſtianus Druthmarus. *In futuro, ſecundum Apoſtoli dicta* BAPTIZABIMVR *igne quia tranſibimus per ignem, cùm ex hoc corpore migrauerimus, & ſi cuius opus exarſerit, detrimentum patietur, ſi cuius opus manſerit, ipſe ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Culparum maculas, quas in hac vita baptiſmatis, & pęnitentiæ aquâ perfectè non abluimus, igne in alia purgamus; & qui Sacramentali aquâ hic mundamur, Purgatorio igne, illic Baptizamur.

Chriſtianus Druthmarus.

Flammeo gladio baptizantur animæ in Purgatorio.

15 Hoc ignis Baptiſma nobis innuebat flãmeus ille gladius, atquè verſatilis, quem antè paradiſum voluptatis Geneſis 3. 28. Dominus collocauit. *Et collocauit antè Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem.* Nullus antè hominis peccatum flammeus gladius; nulla præ Paradiſi foribus tunc extabat verſatilis romphæa. Peccat homo, & ſtatim pœnas crimini debitas luens de voluptatis loco infœlix eijcitur, flammeâ peccatum ſubſequente romphæâ. Quid ſibi hęc volunt? Quid myſterii nobis innuit flammeus iſte, verſatiliſque gladius? An interclusum Paradiſi aditum homini poſt peccatum per ignem purgatorium patere? An baptizatos aquâ in hoc ſæculo, adhuc igne baptizandos eſſe in alio, vt iurè Paradiſum ingreſſi dicere poſſint, a *Tranſiuimus per ignem, & aquam, et eduxiſti nos in refrigerium?* Ita cenſet D. Ambroſius in Pſalm. 118. *Eſt etiam* BAPTISMVM *in Paradiſi veſtibulo, quod anteâ non erat, ſed poſtea quam peccator excluſus eſt, cæpit eſſe romphæa ignea, quam poſuit Deus, quæ anteà non erat, quando peccatum non erat. Culpa cæpit, &* BAPTISMVM CAEPIT, QVO PVRIFICENTVR, *qui in Paradiſum redire cupiebant, vt regreſſi dicerent, tranſiuimus per ignem, & aquam: hic per aquam, illic per ignem: per aquam, vt abluantur peccata, per ignem, vt exurantur.* Quemadmodum baptiſmate aquę abluuntur, ita baptiſmate ignis peccata exurũtur, vt qui ad ętherea properant Paradiſi gaudia, per aquam in hoc mundo, & per ignem ad ea tranſeant in Purgatorio.

a Pſalm. 65.

D. Ambroſius

16 Tranſitus ille per fluuium illum igneũ, figura-

Tranſitus ad Cælum per

Digitized by Google

igneum Purgatorij fluuium.

gurabatur, quẽ vidit Daniel cap. 7. 10. rapidè à facie Domini egredientẽ. *Fluuius igneus, rapiduſque egrediebatur à facie eius.* Non poſſunt quippè aqueo baptiſmatis fluuio abluti ad Dei faciem fęliciter in Cœlis videndã pertingere, niſi rapido, igneoq; Purgatorij fluuio exuſti, quas ſecum è vitâ decedentes tulerunt, leuiorum culparum maculas abſtergant. Id calamo debemus Euſebij Gallicani in Bibliotheca veterum Patrum ſermon. 3. de Epiphania ita loquentis. *Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ad quos ſermo Dei dirigitur, quòd non exeunt indè donec reddant nouiſſimum quadrantem, per fluuium igneum, de quo Propheticus ſermo commemorat, & fluuius rapidus, qui currebat ante eum, per uada feruentibus globis horrenda tranſibunt.* Tranſibunt quidem ad Cœlum, vt Dei viſione perfruantur, qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ſed non niſi per Purgatorij fluuium igneum, non niſi per vada feruentibus globis horrenda eò tranſibunt. *b* Non niſi per currum igneum aſcendit Elias in turbine ad cœlum, nec vnquam dixit B. Laurentius, *Gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui* niſi quandò ſuppoſitis prunis *in craticulâ ſuperpoſitus vrebatur.* Vrit ignis, quos cęlum expectat, operiunt flammæ, quos æthera opperiuntur, quique pęnarum vinculis detenti vitâ funguntur, migrantes ex hoc ſæculo, flammarum pęnis detinentur, antequam ad Empyreum trãſmigrent in alio. a *Omne, quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur. De his autem,* inquit D. Bernardin. Senenſis. tom. 2. ſerm. 62. initio iuxta nouam impreſſionem, *qui poſt hanc vitam* PVRGANTVR, *ſumi poteſt locus prædictus Scripturæ.* Qui enim delictorum maculas igne non exurunt viuentes tribulationis, eas igne abſtergunt defuncti purgationis.

b 4. Reg. 2.

a Numer. 31

D. Bernard. Sen.

Lapides viui in Purgator. dolati.

17 Hùc alluſit Salomon domum ædificans Domino b *de lapidibus dolatis, atque perfectis.* Nullæ in templo, aut mallei tunſiones, aut ſecuris ſectiones audiebantur, nec aliquis cuiuſcumque ferramenti ſtrepitus auribus obſtrepebat adorantium. Lapides quippè antè quadrabantur, dolabantur, & poliebantur in Libano, quàm collocarentur in templo. *Malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur.* 3. Reg. 6. Ad quid vero non in templo, ſed in Libano tundebantur lapides, & poliebantur, niſi ad innuendum, non in gloriæ templo, ſed in huius ſęculi, aut Purgatorij Libano, fideliũ electorum viuos lapides dolandos, atque poliendos. Præiuit id notans D. Bonauentura ſerm. de animabus. *Quadrabantur, & dolabantur lapides, & ligna in Libano, & poſteà collocabantur in templo. Sic lapides viui neceſſariò in hac vitâ quadrantur, & poliuntur merito, vel poſt hanc vitam igne* PVRGATORIO, *antequam ſuperædificentur in Cœlo.* Non ſuperædificatur in ſupremo diuinitatis tẽplo lapis decidens impolitus ab hoc mundo, niſi anteà tundatur, doletur, & expoliatur in Purgatorio.

b 3. Reg. 6.

D. Bonauent.

18 Illud peculiare habet cęleſte animarum ædificium, vt non niſi terrenis vitiorum cupiditatibus funditùs deſolatis, conſtruatur. *Sagittæ quidem potentis acutæ*, quæ diuinâ charitate hominum corda transfigentes, vulnus in eis generant, non liuoris, ſed amoris; Verùm id nõ præſtant, niſi *cũ carbonibus deſolatorijs. Carbones verò* inquit Auguſtinus apud Gloſſam in Pſal. 119. *ſunt exempla iniquorum conuerſorum ad Deum.* Cæterùm quare dicuntur hæc exempla carbones, & carbones deſolatorij. Quia *hæc exempla*, ſubdit idem Auguſtinus, *vaſtando ad deſolationem ducunt carnales cogitationes, & ſæculares amores, vt ſit purus locus ædificio Dei.* Non eſt locus ædificio Dei, vbi ſuppetunt opera diaboli: carnales à carbonibus deſolatorijs deuaſtandæ cogitationes, vt ſpirituales à ſagittis diuinis infundantur conſolationes. At ſi quis carbonibus iſtis deſolatorijs non adhibitis, pœnitentiæ tamen ſacramento munitus vitâ fungatur, quomodo locum dabit ædificio Dei, quo in æternæ fęlicitatis templo perpetuò duraturus aſtruatur? Præſtabunt carbones Purgatorij, quod non potuerunt carbones deſolatorij, & pęnalibus deuaſtabitur incendijs, quod ſalutaribus non fuerit deſolatum exemplis. Scitê Guarricus Abbas in Bibl. vet. Patrum ſerm. 4. de Purificatione B. Mariæ. *Cadent ſuper eos carbones pænaliter* PVRGATORII, *quibus modò non adhibentur carbones ſalubriter deſolatorij.* Ignis ardore purificantur in terris, qui ædificio Dei coaptantur in cœlis, quoſque viuentes non inflammant deſolatorij, mortuos exurunt carbones Purgatorij. Sileant igitur impij Purgatorij euerſores, & ori digito impoſito reſipiſcẽtes, Triumphantium ſedes, per purgantium ædes adiri agnoſcant.

Carbonibus Purgat. culpa deſolata.

D. Auguſt.

Guarricus Abbas.

CAPVT II.

Diuina ergà Defunctos pietas in Eccleſia Triumphante Triumphans.

1 MIrum fortaſsè videbitur, quòd aſſeram Deum ergà defunctos pium, atque miſericordem, quem conſtat defunctorum animas ad inferos deducere purgatorijs cruciatibus plectendas. Ergò pius, a qui *ſedens purgat filios Leui*, vt impietatis maculas abſtergat? Miſericors, qui, vt iuſtitię ſatisfaciat, iuſtos quoq; ſi quos detulerint culparũ reatus, ad ignem adducit, b *ſicut examinatur argentum*, examinandos? Pius vtiq;, ac miſericors, quandoquidẽ ad Inferos defunctos deducit temporaliter cruciandos, vt ad ſuperos exindè reducat æternùm beandos. *Dominus*, inquit Ezechias prim. Reg. ſec. *deducit ad inferos, & reducit.* Deducit quidem ad carceres tormen-

Dominus deducit purgandos ad inferos, & reducit purgatos ad ſuperos.

a Malach. 3.

b Pſalm. 65.

Digitized by Google

pienter negare, quos ſolius naturæ lumini innixi tàm ſapienter, ac diſertè Philoſophi aſſeruere gentiles.

Virgilius tranſitorias pœnas adſtruens.

12 Sed placet Platoni addere Virgilium, Philoſophi ſententijs, Poëtæ carminibus adiunctis. Hic ergo fingens Aeneam ad inferos per Auerni fauces duce Sibylla deductum, plures animas recenſet, quæ igne poſt corporei vinculi ſolutionem exuſtæ ad Elyſia perueniunt, harumque vnã inter cętera talia inducit affantem lib. 6. Aeneid.

Virgilius.

Quiſque ſuos patimur Manes, ex indè per amplũ
Mittimur Aelyſium.

Iodocus Aſcẽſius.

Quæ verba explicans Iodocus Aſcenſius inquit. *Nos patimur manes, ideſt* PVRGAMVR *apud manes, hoc eſt inferos quiſque ſuos, ſecundùm quod meruit, aut plus, aut minus, deindè, ſcilicet, poſtquàm* PVRGATI *ſumus mittimur per Elyſium.* Hæc ſi proteruus expendat Hæreticus, non ne erubeſcet ſe in pœnarum purgantium fide infidelibus Ethnicorum Poëtis inferiorem agnoſcens? Quâ fronte in poſterum animarum tranſitum à Purgatorij pœnis ad regni cœleſtis Elyſium negabit, hæc legens apud prophanum, & fidei lumine deſtitutum authorem?

Alij gentiles animarum purgationem admittentes Seruius.

13 Virgilium ſecutus eſt etiam eius commentator Seruius in eodem libro, dum animas à corporibus recedentes, antè purgationem quidem fœdidiores, poſtquàm vero purgatæ fuerint, pulchriores affirmauit eſſe, atque clariores. *Prudentiores dicunt, animas recedentes à corporibus ſordidiores eſſe, donec* PVRGENTVR, *quæ* PVRGATAE *incipiunt eſſe clariores.* Nouerant quippè animas culparum maculis inquinatas à Sordibus ad munditiem, & à tenebris per purgationem tranſire ad claritatem. Id ipſum quoque non obſcuris verbis ex Sapientum ſententiâ protulit Quintilianus declamatione 10.

Qintilianus.

Animam, inquiens, *flammei vigoris impetum perennitatemque, non ex noſtro igne ſumentem, ſed quò ſydera volant, & quò ſacri torquentur axes indè venire, vndè rerum omnium authorem, parentemque ſpiritum ducimus, nec interire, nec reſolui, nec vllo mortalitatis affici fato, ſed quoties humani corporis carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus* LEVI SE IGNE LVSTRAVERIT, *petere ſedes inter aſtra.* En animæ igne, ac flammis luſtratæ, antequam Aetheras valeant conſcendere ſedes. Verùm non eſt, cur amplius colligendis Ethnicorum authoritatibus immorer, dum conſtat, omnes ferè Gentiles, aliquorum defunctorum animas ab inferorum pœnis per ſacrificia, quæ iccircò Plutoni, cæteriſque inferis numinibus pro eis crebra offerebant, ad ſupernam fœlicitatem credidiſſe tranſituras.

Purgatorium Baptiſmus ignis.

14 Ad Sacra redeo, & Iordanis ripas adeo, vbi Ioannes Baptiſta pęnitentiæ Baptiſmo Iudæorum progeniem abluebat. Alloquens ergò Chriſti Præcurſor Ierosolymorum turbas, quæ frequentes eum, & adibant, & audiebant, ſe, ſuumque Baptiſmum Chriſto, eiuſque Baptiſmo his verbis ſubiecit. Matth. 3. 11. *Ego autem baptizo vos in aquâ in Pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Baptizat Chriſtus in Spiritu Sancto, dum in nomine, nedùm ſuo, & Patris, ſed etiam Spiritus Sancti Baptizat. *Euntes ergò docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Matth. 28. 19. At in igne quonam pacto baptizat, qui aquam baptiſmo pro materiâ aſſignat? an per duplex, & oppoſitum elementum, baptiſmi conficitur Sacramentum? Non equidem, ſed aquæ Sacramento in hoc ſæculo, & igne Purgatorio nos baptizat Chriſtus in alio. Accinit in Bibliotheca veterum Patrum, ſcribens in hunc locum Chriſtianus Druthmarus. *In futuro, ſecundum Apoſtoli dicta* BAPTIZABIMVR *igne quia tranſibimus per ignem, cùm ex hoc corpore migrauerimus, & ſi cuius opus exarſerit, detrimentum patietur, ſi cuius opus manſerit, ipſe ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Culparum maculas, quas in hac vita baptiſmatis, & pęnitentiæ aquâ perfectè non abluimus, igne in alia purgamus; & qui Sacramentali aquâ hic mundamur, Purgatorio igne, illic Baptizamur.

Chriſtianus Druthmarus.

Flammeo gladio baptizantur animæ in Purgatorio.

15 Hoc ignis Baptiſma nobis innuebat flãmeus ille gladius, atquè verſatilis, quem antè paradiſum voluptatis Geneſis 3. 28. Dominus collocauit. *Et collocauit antè Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem.* Nullus antè hominis peccatum flammeus gladius; nulla præ Paradiſi foribus tunc extabat verſatilis romphæa. Peccat homo, & ſtatim pœnas crimini debitas luens de voluptatis loco infœlix eijcitur, flammeâ peccatum ſubſequente romphæâ. Quid ſibi hęc volunt? Quid myſterii nobis innuit flammeus iſte, verſatiliſque gladius? An interclulum Paradiſi aditum homini poſt peccatum per ignem purgatorium patere? An baptizatos aquâ in hoc ſæculo, adhuc igne baptizandos eſſe in alio, vt iurè Paradiſum ingreſſi dicere poſſint, a *Tranſiuimus per ignem, & aquam, et eduxiſti nos in refrigerium?* Ita cenſet D. Ambroſius in Pſalm. 118. *Eſt etiam* BAPTISMVM *in Paradiſi veſtibulo, quod anteâ non erat, ſed poſteaquam peccator excluſus eſt, cæpit eſſe romphæa ignea, quam poſuit Deus, quæ anteà non erat, quando peccatum non erat. Culpa cæpit, &* BAPTISMVM CAEPIT, QVO PVRIFICENTVR, *qui in Paradiſum redire cupiebant, vt regreſſi dicerent, tranſiuimus per ignem, & aquam: hic per aquam, illic per ignem: per aquam, vt abluantur peccata, per ignem, vt exurantur.* Quemadmodum baptiſmate aquę abluuntur, ita baptiſmate ignis peccata exurũtur, vt qui ad ętherea properant Paradiſi gaudia, per aquam in hoc mundo, & per ignem ad ea tranſeant in Purgatorio.

a Pſalm. 65.

D. Ambroſius

16 Tranſitus iſte per fluuium illum igneũ, figura-

Tranſitus ad Cœlum per

igneum Purgatorij fluuium.

gurabatur, quē vidit Daniel cap. 7. 10. rapidè à facie Domini egrediētē. *Fluuius igneus, rapiduſque egrediebatur à facie eius.* Non poſſunt quippè aqueo baptiſmatis fluuio abluti ad Dei faciem fęliciter in Cœlis videndā pertingere, niſi rapido, igneoq; Purgatorij fluuio exuſti, quas ſecum è vitā decedentes tulerunt, leuiorum culparum maculas abſtergant. Id calamo debemus Euſebij Gallicani in Bibliotheca veterum Patrum ſermon. 3. de Epiphania ita loquentis. *Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ad quos ſermo Dei dirigitur, quòd non exeunt indè donec reddant nouiſſimum quadrantem, per fluuium igneum, de quo Propheticus ſermo commemorat, & fluuius rapidus, qui currebat ante eum, per uada feruentibus globis horrenda tranſibunt.* Tranſibunt quidem ad Cœlum, vt Dei viſione perfruantur, qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ſed non niſi per Purgatorij fluuium igneum, non niſi per vada feruentibus globis

b 4. Reg. 2.

horrenda eò tranſibunt. b Non niſi per currum igneum aſcendit Elias in turbine ad cœlum, nec vnquam dixit B. Laurentius, *Gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui* niſi quandò ſuppoſitis prunis *in craticulâ ſuperpoſitus vrebatur.* Vrit ignis, quos cęlum expectat, operiunt flammæ, quos æthera oppetiuntur, quique pęnarum vinculis detenti vitâ funguntur, migrantes ex hoc ſæculo, flammarum pęnis detinentur, antequam ad Empyreum trāſ-

a Numer. 31

migrent in alio. a *Omne, quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur. De his autem,* in-

D. Bernard. Sen.

quit D. Bernardin. Senenſis. tom. 2. ſerm. 61. initio iuxta nouam impreſſionem, *qui poſt hanc vitam* PVRGANTVR, *ſumi poteſt locus prædictus Scripturæ.* Qui enim delictorum maculas

Lapides viui in Purgator. dolati.

igne non exurunt viuentes tribulationis, eas igne abſtergunt defuncti purgationis.

17 Hùc alluſit Salomon domum ædificans

b 3. Reg. 6.

Domino b *de lapidibus dolatis, atque perfectis.* Nullæ in templo, aut mallei tunſiones, aut ſecuris ſectiones audiebantur, nec aliquis cuiuſcumque ferramenti ſtrepitus auribus obſtrepebat adorantium. Lapides quippè antè quadrabantur, dolabantur, & poliebantur in Libano, quàm collocarentur in templo. *Malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur.* 3. Reg. 6. Ad quid vero non in templo, ſed in Libano tundebantur lapides, & poliebantur, niſi ad innuendum, non in gloriæ templo, ſed in huius ſęculi, aut Purgatorij Libano, fideliū electorum viuos lapides dolandos, atque poliendos. Præiuit

D. Bonauent.

id notans D. Bonauentura ſerm. de animabus. *Quadrabantur, & dolabantur lapides, & ligna in Libano, & poſteà collocabantur in templo. Sic lapides viui neceſſariò in hac vitâ quadrantur, & poliuntur merito, vel poſt hanc vitam igne* PVRGATORIO, *antequam ſuperædificentur in Cœlo.* Non ſuperædificatur in ſupremo diuinitatis templo lapis decidens impolitus ab hoc mundo, niſi anteà tundatur, doletur, & expoliatur in Purgatorio.

18 Illud peculiare habet cęleſte animarum ædificium, vt non niſi terrenis vitiorum cupiditatibus funditùs deſolatis, conſtruatur. *Sagittæ* quidem *potentis acutæ*, quæ diuinâ charitate hominum corda transfigentes, vulnus in eis generant, non liuoris, ſed amoris; Verùm id nō præſtant, niſi *cū carbonibus deſolatorijs. Carbones* verò inquit Auguſtinus apud Gloſſam in Pſal. 119. *ſunt exempla iniquorum conuerſorum ad Deum.* Cæterùm quare dicuntur hæc exempla carbones, & carbones deſolatorij. Quia *hæc exempla*, ſubdit idem Auguſtinus, *vaſtando ad deſolationem ducunt carnales cogitationes, & ſæculares amores, vt ſit purus locus ædificio Dei.* Non eſt locus ædificio Dei, vbi ſuppetunt opera diaboli: carnales à carbonibus deſolatorijs deuaſtandæ cogitationes, vt ſpirituales à ſagittis diuinis infundantur conſolationes. At ſi quis carbonibus iſtis deſolatorijs non adhibitis, pœnitentiæ tamen ſacramento munitus vitâ fungatur, quomodo locum dabit ædificio Dei, quo in æternæ fęlicitatis templo perpetuò duraturus aſtruatur? Præſtabunt carbones Purgatorij, quod non potuerunt carbones deſolatorij, & pęnalibus deuaſtabitur incendijs, quod ſalutaribus non fuerit deſolatum exemplis. Scitè Guarricus Abbas in Bibl. vet. Patrum ſerm. 4. de Purificatione B. Mariæ. *Cadent ſuper eos carbones pœnaliter* PVRGATORII, *quibus modò non adhibentur carbones ſalubriter deſolatorij.* Ignis ardore purificantur in terris, qui ædificio Dei coaptantur in cœlis, quoſque viuentes non inflammant deſolatorij, mortuos exurunt carbones Purgatorij. Sileant igitur impij Purgatorij euerſores, & ori digito impoſito reſipiſcētes, Triumphantium ſedes, per purgantium ædes aditi agnoſcant.

Carbonibus Purgat. culpa deſolata.

D. Auguſt.

Guarricus Abbas.

CAPVT II.

Diuina ergà Defunctos pietas in Eccleſia Triumphante Triumphans.

1 MIrum fortaſsè videbitur, quòd aſſeram Deum ergà defunctos pium, atque miſericordem, quem conſtat defunctorum animas ad inferos deducere purgatorijs cruciatibus plectendas. Ergò pius, a qui *ſedens purgat filios Leui*, vt impietatis maculas abſtergat? Miſericors, qui, vt iuſtitię ſatisfaciat, iuſtos quoq; ſi quos detulerint culparū reatus, ad ignem adducit, b *ſicut examinatur argentum*, examinandos? Pius vtiq; ac miſericors, quandoquidē ad Inferos defunctos deducit temporaliter cruciandos, vt ad ſuperos exindè reducat æternùm beandos. *Dominus*, inquit Ezechias prim. Reg. ſec. *deducit ad inferos, & reducit.* Deducit quidem ad carceres tormen-

Dominus deducit purgandos ad inferos, & reducit purgatos ad ſuperos.

a Malach. 3.

b Pſalm. 65.

pienter negare, quos ſolius naturæ lumini innixi tàm ſapienter, ac diſertè Philoſophi aſſeruere gentiles.

Virgilius trãſitorias pœnas adſtruens.

12 Sed placet Platoni addere Virgilium, Philoſophi ſententijs, Poëtæ carminibus adiunctis. Hic ergo fingens Aeneam ad inferos per Auerni fauces duce Sibylla deductum, plures animas recenſet, quæ igne poſt corporei vinculi ſolutionem exuſtæ ad Elyſia perueniunt, harumque vnã inter cętera talia inducit affantem lib. 6. Aeneid.

Virgilius.

Quiſque ſuos patimur Manes, ex indè per amplũ
Mittimur Aelyſium.

Iodocus Aſcẽſius.

Quæ verba explicans Iodocus Aſcenſius inquit. *Nos patimur manes, id eſt* PVRGAMVR *apud manes, hoc eſt inferos quiſque ſuos, ſecundùm quod meruit, aut plus, aut minus, deindè, ſcilicet, poſtquàm* PVRGATI *ſumus mittimur per Elyſium.* Hæc ſi proteruus expendat Hæreticus, non nè erubeſcet ſe in pœnarum purgantium fide infidelibus Ethnicorum Poëtis inferiorem agnoſcens? Quâ fronte in poſterum animarum tranſitum à Purgatorij pœnis ad regni cœleſtis Elyſium negabit, hæc legens apud prophanum, & fidei lumine deſtitutum authorem?

Alij gentiles animarum purgationem admittentes Seruius.

13 Virgilium ſecutus eſt etiam eius commentator Seruius in eodem libro, dum animas à corporibus recedentes, antè purgationem quidem ſordidiores, poſtquàm vero purgatæ fuerint, pulchriores affirmauit eſſe, atque clariores. *Prudentiores dicunt, animas recedentes à corporibus ſordidiores eſſe, donec* PVRGENTVR, *quæ* PVRGATAE *incipiunt eſſe clariores.* Nouerant quippè animas culparum maculis inquinatas à Sordibus ad munditiem, & à tenebris per purgationem tranſire ad claritatem. Id ipſum quoque non obſcuris verbis ex Sapientum ſententiâ protulit Quintilianus declamatione 10.

Qintilianus.

Animam, inquiens *flammei vigoris impetum perennitatemque, non ex noſtro igne ſumentem, ſed quò ſydera volant, & quò ſacri torquentur axes indè venire, vndè rerum omnium authorem, parentemque ſpiritum ducimus, nec interire, nec reſolui, nec vllo mortalitatis affici fato, ſed quoties humani corporis carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus* LEVI SE IGNE LVSTRAVERIT, *petere ſedes inter aſtra.* En animæ igne, ac flammis luſtratæ, antequam Aetheras valeant conſcendere ſedes. Verùm non eſt, cur amplius colligendis Ethnicorum authoritatibus immorer, dum conſtat, omnes ferè Gentiles, aliquorum defunctorum animas ab inferorum pœnis per ſacrificia, quæ iccircò Plutoni, cæteriſque inferis numinibus pro eis crebra offerebant, ad ſupernam fœlicitatem crediſiſſe tranſituras.

Purgatorium Baptiſmus ignis.

14 Ad Sacra redeo, & Iordanis ripas adeo, vbi Ioannes Baptiſta pęnitentiæ Baptiſmo Iudæorum progeniem abluebat. Alloquens ergò Chriſti Præcurſor Ieroſolymorum turbas, quæ frequentes eum, & adibant, & audiebant, ſe, ſuumque Baptiſmum Chriſto, eiuſque Baptiſmo his verbis ſubiecit. Matth. 3. 11. *Ego autem baptizo vos in aquâ in Pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Baptizat Chriſtus in Spiritu Sancto, dum in nomine, nedùm ſuo, & Patris, ſed etiam Spiritus Sancti Baptizat. *Euntes ergò docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Matth. 28. 19. At in igne quonam pacto baptizat, qui aquam baptiſmo pro materiâ aſſignat? an per duplex, & oppoſitum elementum, baptiſmi conficitur Sacramentum? Non equidem, ſed aquæ Sacramento in hoc ſæculo, & igne Purgatorio nos baptizat Chriſtus in alio. Accinit in Bibliotheca veterum Patrum, ſcribens in hunc locum Chriſtianus Druthmarus. *In futuro, ſecundum Apoſtoli dicta* BAPTIZABIMVR *igne quia tranſibimus per ignem, cùm ex hoc corpore migrauerimus, & ſi cuius opus exarſerit, detrimentum patietur, ſi cuius opus manſerit, ipſe ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Culparum maculas, quas in hac vita baptiſmatis, & pęnitentiæ aquâ perfectè non abluimus, igne in alia purgamus; & qui Sacramentali aquâ hic mundamur, Purgatorio igne, illic Baptizamur.

Chriſtianus Druthmarus.

Flammeo gladio baptizantur animæ in Purgatorio.

15 Hoc ignis Baptiſma nobis innuebat flãmeus ille gladius, atquè verſatilis, quem antè paradiſum voluptatis Geneſis 3. 28. Dominus collocauit. *Et collocauit antè Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem.* Nullus antè hominis peccatum flammeus gladius; nulla præ Paradiſi foribus tunc extabat verſatilis romphæa. Peccat homo, & ſtatim pœnas crimini debitas luens de voluptatis loco infœlix eijcitur, flammeâ peccatum ſubſequente romphæâ. Quid ſibi hęc volunt? Quid myſterii nobis innuit flammeus iſte, verſatiliſque gladius? An interclusum Paradiſi aditum homini poſt peccatum per ignem purgatorium patere? An baptizatos aquâ in hoc ſæculo, adhuc igne baptizandos eſſe in alio, vt intrè Paradiſum ingreſſi dicere poſſint, *a Tranſiuimus per ignem, & aquam, et eduxiſti nos in refrigerium?* Ita cenſet D. Ambroſius in Pſalm. 118. *Eſt etiam* BAPTISMVM *in Paradiſi veſtibulo, quod anteâ non erat, ſed poſtea quam peccator excluſus eſt, cæpit eſſe romphæa ignea, quam poſuit Deus, quæ anteà non erat, quando peccatum non erat. Culpa cæpit, &* BAPTISMVM CAEPIT, QVO PVRIFICENTVR, *qui in Paradiſum redire cupiebant, vt regreſſi dicerent, tranſiuimus per ignem, & aquam: hic per aquam, illîc per ignem: per aquam, vt abluantur peccata, per ignem, vt exurantur.* Quemadmodum baptiſmate aquę abluuntur, ita baptiſmate ignis peccata exurũtur, vt qui ad ętherea properant Paradiſi gaudia, per aquam in hoc mundo, & per ignem ad ea tranſeant in Purgatorio.

a Pſalm. 65.

D. Ambroſius

Tranſitus ad Cælum per

16 Tranſitus iſte per fluuium illum igneũ, figura-

igneum Purgatorij fluuium. gurabatur, quẽ vidit Daniel cap. 7. 10. rapidè à facie Domini egrediẽtẽ. *Fluuius igneus, rapiduſque egrediebatur à facie eius.* Non poſſunt quippè aqueo baptiſmatis fluuio abluti ad Dei faciem feliciter in Cœlis videndã pertingere, niſi rapido, igneoq; Purgatorij fluuio exuſti, quas ſecum è vitã decedentes tulerunt, leuiorum culparum maculas abſtergant. Id calamo debemus Euſebij Gallicani in Bibliotheca veterum Patrum ſermon. 3. de Epiphania ita loquentis. *Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ad quos ſermo Dei dirigitur, quòd non exeunt indè donec reddant nouiſſimum quadrantem, per fluuium igneum, de quo Propheticus ſermo commemorat, & fluuius rapidus, qui currebat ante eum, per uada feruentibus globis horrenda tranſibunt.* Tranſibunt quidem ad Cœlum, vt Dei viſione perfruantur, qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ſed non niſi per Purgatorij fluuium igneum, non niſi per vada feruentibus globis horrenda eò tranſibunt. b Non niſi per currum igneum aſcendit Elias in turbine ad cœlum, nec vnquam dixit B. Laurentius, *Gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui* niſi quandò ſuppoſitis prunis *in craticulã ſuperpoſitus vrebatur.* Vrit ignis, quos cœlum expectat, operiunt flammæ, quos æthera opperiuntur, quique pœnarum vinculis detenti vitã funguntur, migrantes ex hoc ſæculo, flammarum pœnis detinentur, antequam ad Empyreum trãſmigrent in alio. a *Omne, quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur. De his autem,* inquit D. Bernardin. Senenſis. tom. 2. ſerm. 62. initio iuxta nouam impreſſionem, *qui poſt hanc vitam* PVRGANTVR, *ſumi poteſt locus prædictus Scripturæ.* Qui enim delictorum maculas igne non exurunt viuentes tribulationis, eas igne abſtergunt defuncti purgationis.

b 4. Reg. 2. — *a Numer. 31* — *D. Bernard. Sen.* — *Lapides viui in Purgator. dolati.*

17 Hùc alluſit Salomon domum ædificans Domino b *de lapidibus dolatis, atque perfectis.* Nullæ in templo, aut mallei tunſiones, aut ſecuris ſectiones audiebantur, nec aliquis cuiuſcumque ferramenti ſtrepitus auribus obſtrepebat adorantium. Lapides quippè antè quadrabantur, dolabantur, & poliebantur in Libano, quàm collocarentur in templo. *Malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur.* 3. Reg. 6. Ad quid vero non in templo, ſed in Libano tundebantur lapides, & poliebantur, niſi ad innuendum, non in gloriæ templo, ſed in huius ſæculi, aut Purgatorij Libano, fideliũ electorum viuos lapides dolandos, atque poliendos. Præiuit id notans D. Bonauentura ſerm. de animabus. *Quadrabantur, & dolabantur lapides, & ligna in Libano, & poſteà collocabantur in templo. Sic lapides viui neceſſariò in hac vitã quadrantur, & poliuntur merito, vel poſt hanc vitam igne* PVRGATORIO, *antequam ſuperædificentur in Cælo.* Non ſuperædificatur in ſupremo diuinitatis templo lapis decidens impolitus ab hoc mundo, niſi anteà tundatur, doletur, & expoliatur in Purgatorio.

b 3. Reg. 6. — *D. Bonauent.*

18 Illud peculiare habet cœleſte animarum ædificium, vt non niſi terrenis vitiorum cupiditatibus funditùs deſolatis, conſtruatur. *Sagittæ* quidem *potentis acutæ*, quæ diuinã charitate hominum corda transfigentes, vulnus in eis generant, non liuoris, ſed amoris; Verùm id nõ præſtant, niſi cũ *carbonibus deſolatorijs. Carbones* verò inquit Auguſtinus apud Gloſſam in Pſal. 119. *ſunt exempla iniquorum conuerſorum ad Deum.* Cæterùm quare dicuntur hæc exempla carbones, & carbones deſolatorij. Quia *hæc exempla*, ſubdit idem Auguſtinus, *vaſtando ad deſolationem ducunt carnales cogitationes, & ſeculares amores, vt ſit purus locus ædificio Dei.* Non eſt locus ædificio Dei, vbi ſuppetunt opera diaboli: carnales à carbonibus deſolatorijs deuaſtandæ cogitationes, vt ſpirituales à ſagittis diuinis infundantur conſolationes. At ſi quis carbonibus iſtis deſolatorijs non adhibitis, pœnitentiæ tamen ſacramento munitus vitã fungatur, quomodo locum dabit ædificio Dei, quo in æternæ felicitatis templo perpetuò duraturus aſtruatur? Præſtabunt carbones Purgatorij, quod non potuerunt carbones deſolatorij, & pœnalibus deuaſtabitur incendijs, quod ſalutaribus non fuerit deſolatum exemplis. Scitè Guarricus Abbas in Bibl. vet. Patrum ſerm. 4. de Purificatione B. Mariæ. *Cadent ſuper eos carbones pœnaliter* PVRGATORII, *quibus modò non adhibentur carbones ſalubriter deſolatorij.* Ignis ardore purificantur in terris, qui ædificio Dei coaptantur in cœlis, quoſque viuentes non inflammant deſolatorij, mortuos exurunt carbones Purgatorij. Sileant igitur impij Purgatorij euerſores, & ori digito impoſito reſipiſcẽtes, Triumphantium ſedes, per purgantium ædes adiri agnoſcant.

Carbonibus Purgat. culpæ deſolata. — *D. Auguſt.* — *Guarricus Abbas.*

CAPVT II.

Diuina ergà Defunctos pietas in Eccleſia Triumphante Triumphans.

1 MIrum fortaſsè videbitur, quòd aſſeram Deum ergà defunctos pium, atque miſericordem, quem conſtat defunctorum animas ad inferos deducere purgatorijs cruciatibus plectendas. Ergò pius, a qui *ſedens purgat filios Leui*, vt impietatis maculas abſtergat? Miſericors, qui, vt iuſtitiæ ſatisfaciat, iuſtos quoq; ſi quos detulerint culparũ reatus, ad ignem adducit, b *ſicut examinatur argentum*, examinandos? Pius vtiq; ac miſericors, quandoquidẽ ad Inferos defunctos deducit temporaliter cruciandos, vt ad ſuperos exindè reducat æternùm beandos. *Dominus*, inquit Ezechias prim. Reg. ſec. *deducit ad inferos, & reducit.* Deducit quidem ad carceres tormen-

Dominus deducit purgandos ad inferos, & reducit purgatos ad ſuperos. — *a Malach. 3.* — *b Pſalm. 65.*

pienter negare, quos ſolius naturæ luminí innixi tàm ſapienter, ac diſertè Philoſophi aſſeruere gentiles.

Virgilius trãſitorias pœnas adſtruens.

12 Sed placet Platoni addere Virgilium, Philoſophi ſententijs, Poëtæ carminibus adiunctis. Hic ergo fingens Aeneam ad inferos per Auerni fauces duce Sibylla deductum, plures animas recenſet, quæ igne poſt corporei vinculi ſolutionem exuſtæ ad Elyſia perueniunt, harumque vnã inter cętera talia inducit affantem lib. 6. Aeneid.

Virgilius.

Quiſque ſuos patimur Manes, ex indè per amplũ Mittimur Aelyſium.

Iodocus Aſcẽſius.

Quæ verba explicans Iodocus Aſcenſius inquit. *Nos patimur manes, id eſt* PVRGAMVR *apud manes, hoc eſt inferos quiſque ſuos, ſecundùm quod meruit, aut plus, aut minus, deindè, ſcilicet, poſtquàm* PVRGATI *ſumus mittimur per Elyſium.* Hæc ſi proteruus expendat Hæreticus, non nè erubeſcet ſe in pœnarum purgantium fide infidelibus Ethnicorum Poëtis inferiorem agnoſcens? Quâ fronte in poſterum animarum tranſitum à Purgatorij pœnis ad regni cœleſtis Elyſium negabit, hæc legens apud prophanum, & fidei lumine deſtitutum authorem?

Alij gentiles animarum purgationem admittentes Seruius.

13 Virgilium ſecutus eſt etiam eius commentator Seruius in eodem libro, dum animas à corporibus recedentes, antè purgationem quidem ſordidiores, poſtquàm verò purgatæ fuerint, pulchriores affirmauit eſſe, atque clariores. *Prudentiores dicunt, animas recedentes à corporibus ſordidiores eſſe, donec* PVRGENTVR, *quæ* PVRGATAE *incipiunt eſſe clariores.* Nouerant quippè animas culparum maculis inquinatas à Sordibus ad munditiem, & à tenebris per purgationem tranſire ad claritatem. Id ipſum quoque non obſcuris verbis ex Sapientum ſententiâ protulit Quintilianus declamatione 10.

Qintilianus.

Animam, inquiens, *flammei vigoris impetum perennitatemque, non ex noſtro igne ſumentem, ſed quò ſydera volant, & quò ſacri torquentur axes indè venire, vndè rerum omnium authorem, parentemque ſpiritum ducimus, nec interire, nec reſolui, nec vllo mortalitatis affici ſato, ſed quoties humani corporis carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus* LEVI SE IGNE LVSTRAVERIT, *petere ſedes inter aſtra.* En animæ igne, ac flammis luſtratæ, antequam Aetheras valeant conſcendere ſedes. Verùm non eſt, cur amplius colligendis Ethnicorum authoritatibus immorer, dum conſtat, omnes ferè Gentiles, aliquorum defunctorum animas ab inferorum pœnis per ſacrificia, quæ iccircò Plutoni, cæteriſque inferis numinibus pro eis crebra offerebant, ad ſupernam fœlicitatem credidiſse tranſituras.

Purgatorium Baptiſmus ignis.

14 Ad Sacra redeo, & Iordanis ripas adeo, vbi Ioannes Baptiſta pęnitentiæ Baptiſmo Iudæorum progeniem abluebat. Alloquens ergò Chriſti Præcurſor Ieroſolymorum turbas, quæ frequentes eum, & adibant, & audiebant, ſe, ſuumque Baptiſmum Chriſto, eiuſque Baptiſmo his verbis ſubiecit. Matth. 3. 11. *Ego autem baptizo vos in aquâ in Pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Baptizat Chriſtus in Spiritu Sancto, dum in nomine, nedùm ſuo, & Patris, ſed etiam Spiritus Sancti Baptizat. *Euntes ergò docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Matth. 28. 19. At in igne quonam pacto baptizat, qui aquam baptiſmo pro materiâ aſſignat? an per duplex, & oppoſitum elementum, baptiſmi conficitur Sacramentum? Non equidem, ſed aquæ Sacramento in hoc ſæculo, & igne Purgatorio nos baptizat Chriſtus in alio. Accinit in Bibliotheca veterum Patrum, ſcribens in hunc locum Chriſtianus Druthmarus. *In futuro, ſecundum Apoſtoli dicta* BAPTIZABIMVR *igne quia tranſibimus per ignem, cùm ex hoc corpore migrauerimus, & ſi cuius opus exarſerit, detrimentum patietur, ſi cuius opus manſerit, ipſe ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Culparum maculas, quas in hac vita baptiſmatis, & pęnitentiæ aquâ perfectè non abluimus, igne in alia purgamus; & qui Sacramentali aquâ hic mundamur, Purgatorio igne, illic Baptizamur.

Chriſtianus Druthmarus.

Flammeo gladio baptizantur animæ in Purgatorio.

15 Hoc ignis Baptiſma nobis innuebat flãmeus ille gladius, atquè verſatilis, quem antè paradiſum voluptatis Geneſis 3. 18. Dominus collocauit. *Et collocauit antè Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem.* Nullus antè hominis peccatum flammeus gladius; nulla præ Paradiſi foribus tunc extabat verſatilis romphæa. Peccat homo, & ſtatim pœnas crimini debitas luens de voluptatis loco infœlix eijcitur, flammeâ peccatum ſubſequente romphæâ. Quid ſibi hęc volunt? Quid myſterii nobis innuit flammeus iſte, verſatiliſque gladius? An interclusum Paradiſi aditum homini poſt peccatum per ignem purgatorium patere? An baptizatos aquâ in hoc ſæculo, adhuc igne baptizandos eſſe in alio, vt iurè Paradiſum ingreſſi dicere poſſint, a *Tranſiuimus per ignem, & aquam, et eduxiſti nos in refrigerium?* Ita cenſet D. Ambroſius in Pſalm. 118. *Eſt etiam* BAPTISMVM *in Paradiſi veſtibulo, quod anteâ non erat, ſed poſteaquam peccator excluſus eſt, cæpit eſſe romphæa ignea, quam poſuit Deus, quæ anteà non erat, quando peccatum non erat. Culpa cæpit, &* BAPTISMVM CAEPIT, QVO PVRIFICENTVR, *qui in Paradiſum redire cupiebant, vt regreſſi dicerent, tranſiuimus per ignem, & aquam: hîc per aquam, illic per ignem: per aquam, vt abluantur peccata, per ignem, vt exurantur.* Quemadmodum baptiſmate aquę abluuntur, ita baptiſmate ignis peccata exurũtur, vt qui ad ętherea properant Paradiſi gaudia, per aquam in hoc mundo, & per ignem ad ea tranſeant in Purgatorio.

a Pſalm. 65.

D. Ambroſius

Tranſitus ad Cœlum per

16 Tranſitus iſte per fluuium illum igneũ, fi-

gura-

igneum Purgatorij fluuiſimo.

gurabatur, quē vidit Daniel cap. 7. 10. rapidè à facie Domini egredientē. *Fluuius igneus, rapiduſque egrediebatur à facie eius.* Non poſſunt quippè aqueo baptiſmatis fluuio abluti ad Dei faciem fęliciter in Cœlis videndā pertingere, niſi rapido, igneoq; Purgatorij fluuio exuſti, quas ſecum è vitâ decedentes tulerunt, leuiorum culparum maculas abſtergant. Id calamo debemus Euſebij Gallicani in Bibliotheca veterum Patrum ſermon. 3. de Epiphania ita loquentis. *Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ad quos ſermo Dei dirigitur, quòd non exeunt indè donec reddant nouiſſimum quadrantem, per fluuium igneum, de quo Propheticus ſermo commemorat, & fluuius rapidus, qui currebat ante eum, per uada feruentibus globis horrenda tranſibunt.* Tranſibunt quidem ad Cœlum, vt Dei viſione perfruantur, qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ſed non niſi per Purgatorij fluuium igneum, non niſi per vada feruentibus globis

b *4. Reg. 2.*

horrenda eò tranſibunt. *b* Non niſi per currum igneum aſcendit Elias in turbine ad cœlum, nec vnquam dixit B. Laurentius, *Gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui* niſi quandò ſuppoſitis prunis *in craticulâ ſuperpoſitus vrebatur.* Vrit ignis, quos cęlum expectat, operiunt flammæ, quos æthera opperiuntur, quique pęnarum vinculis detenti vitâ funguntur, migrantes ex hoc ſæculo, flammarum pęnis detinentur, antequam ad Empyreum trāſ-

a *Numer. 31*

migrent in alio. a *Omne, quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur. De his autem,* inquit D. Bernardin. Senenſis. tom. 2. ſerm. 62. initio iuxta nouam impreſſionem, *qui poſt hanc vitam* PVRGANTVR, *ſumi poteſt locus prædictus Scripturæ.* Qui enim delictorum maculas igne non exurunt viuentes tribulationis, eas igne abſtergunt defuncti purgationis.

D. Bernard. Sen.

Lapides viui in Purgator. dolati.

17 Hùc alluſit Salomon domum ædificans

b *3. Reg. 6.*

Domino b *de lapidibus dolatis, atque perfectis.* Nullæ in templo, aut mallei tunſiones, aut ſecuris ſectiones audiebantur, nec aliquis cuiuſcumque ferramenti ſtrepitus auribus obſtrepebat adorantium. Lapides quippè antè quadrabantur, dolabantur, & poliebantur in Libano, quàm collocarentur in templo. *Malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur.* 3. Reg. 6. Ad quid vero non in templo, ſed in Libano tundebantur lapides, & poliebantur, niſi ad innuendum, non in gloriæ templo, ſed in huius ſęculi, aut Purgatorij Libano, fideliū electorum viuos lapides dolandos, atque poliendos. Præiuit id notans D. Bonauentura ſerm. de animabus, *Quadrabantur, & dolabantur lapides, & ligna in Libano, & poſteà collocabantur in templo. Sic lapides viui neceſſariò in hac vitâ quadrantur, & poliuntur merito, vel poſt hanc vitam igne* PVRGATORIO, *antequam ſuperædificentur in Cœlo.* Non ſuperædificatur in ſupremo diuinitatis tē-

D. Bonauent.

plo lapis decidens impolitus ab hoc mundo, niſi anteà tundatur, doletur, & eſpoliatur in Purgatorio.

18 Illud peculiare habet cęleſte animarum ædificium, vt non niſi terrenis vitiorum cupiditatibus funditùs deſolatis, conſtruatur. *Sagittæ* quidem *potentis acutæ*, quæ diuinâ charitate hominum corda transfigentes, vulnus in eis generant, non liuoris, ſed amoris; Verùm id nō præſtant, niſi *cū carbonibus deſolatorijs. Carbones verò* inquit Auguſtinus apud Gloſſam in Pſal. 119. *ſunt exempla iniquorum conuerſorum ad Deum.* Cæterùm quare dicuntur hæc exempla carbones, & carbones deſolatorij. Quia *hæc exempla*, ſubdit idem Auguſtinus, *vaſtando ad deſolationem ducunt carnales cogitationes, & ſæculares amores, vt ſit purus locus ædificio Dei.* Non eſt locus ædificio Dei, vbi ſuppetunt opera diaboli: carnales à carbonibus deſolatorijs deuaſtandæ cogitationes, vt ſpirituales à ſagittis diuinis infundantur conſolationes. At ſi quis carbonibus iſtis deſolatorijs non adhibitis, pœnitentiæ tamen ſacramento munitus vitâ fungatur, quomodo locum dabit ædificio Dei, quo in æternæ fęlicitatis templo perpetuò duraturus aſtruatur? Præſtabunt carbones Purgatorij, quod non potuerunt carbones deſolatorij, & pęnalibus deuaſtabitur incendijs, quod ſalutaribus non fuerit deſolatum exemplis. Scitē Guarricus Abbas in Bibl. vet. Patrum ſerm. 4. de Purificatione B. Mariæ. *Cadent ſuper eos carbones pænaliter* PVRGATORII, *quibus modò non adhibentur carbones ſalubriter deſolatorij.* Ignis ardore purificantur in terris, qui ædificio Dei coaptantur in cœlis, quoſque viuentes non inflammant deſolatorij, mortuos exurunt carbones Purgatorij. Sileant igitur impij Purgatorij euerſores, & ori digito impoſito reſipiſcētes, Triumphantium ſedes, per purgantium ædes adiri agnoſcant.

Carbonibus Purgat. culpa deſolata.

D. August.

Guarricus Abbas.

CAPVT II.

Diuina ergà Defunctos pietas in Eccleſia Triumphante Triumphans.

1 MIrum fortaſsè videbitur, quòd aſſeram Deum ergà defunctos pium, atque miſericordem, quem conſtat defunctorum animas ad inferos deducere purgatorijs cruciatibus plectendas. Ergò pius, a qui *ſedens purgat filios Leui*, vt impietatis maculas abſtergat? Miſericors, qui, vt iuſtitię ſatisfaciat, iuſtos quoq; ſi quos detulerint culparū reatus, ad ignem adducit, *b ſicut examinatur argentum*, examinandos? Pius vtiq;, ac miſericors, quandoquidē ad Inferos defunctos deducit temporaliter cruciandos, vt ad ſuperos exindè reducat æternùm beandos. *Dominus*, inquit Ezechias prim. Reg. ſec. *deducit ad inferos, & reducit.* Deducit quidem ad carceres tormen-

Dominus deducit purgandos ad inferos, & reducit purgatos ad ſuperos.

a *Malach. 3.*

b *Pſalm. 65.*

INDEX LOCORVM

Ex 1. Corinthiorum.

Cap. 3. 15. *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* 258.n.1.

Cap. 7. 40. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit, quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt, cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium.* 370.n.8.

Cap. 12. 11. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus.* 31.2.

27. *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* 417.n.1.

Cap. 13. 8. *Charitas nunquam excidit.* 99.1.

Cap. 15. 16. *Si mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit.* 53.3.

Ex 2. Corinthiorum.

Cap. 11. 29. *Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* 259.n.9.

Ex Epiſtola ad Epheſios.

Cap. 5. 30. *Quia membra ſumus corporis eius, & de oſſibus eius.* 103.n.3.

Ex Epiſtola ad Philippenſes.

Cap. 1. 23. *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* 248.n.11.

Cap. 2. 7. *Cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominũ factus, & habitu inuentus vt homo.* 42.3.

Ex Epiſtola ad Theſſalonicenſes.

Cap. 3. 12. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem veſtram in inuicem, & in omnes.* 100.2.

Cap. 4. 13. *Nolumus autem vas ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* 212.n.1.341.n.1.

Ex Epiſtola 1. ad Timotheum.

Cap. 4. 8. *Pietas autem ad omnia vtilis eſt.* 120.n.2.

Ex Epiſtola ad Hebræos.

Cap. 10. 5. *Ideo ingrediens mundum dixit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, holocautomata, & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam, Deus voluntatem tuam.* 42.n.2.

Cap. 11. 4. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus, teſtimonium perhibẽte muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur.* 281.n.4.

21. *Fide Iacob moriens, ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium virgæ eius.* 164.n.21.

33. *Per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis.* 67.n.6.

Cap. 13. 3. *Mementote vinctorum, tanquam ſimul vincti.* 275.n.3.

Ex Epiſtola 1. Petri.

Cap. 3. 19. *In quo, & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicauit.* 51.n.6.203.n.1.445.n.3.

Ex Epiſtola 2. Petri.

Cap. 2. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* 262.n.6.

Ex Epiſtola Iudæ.

Num. 9. *Cum Michael Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ.* 60.n.3.64.nu.9.110.n.5.227.n.9.

13. *Quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* 264.n.6.

Ex Apocalypſi.

Cap. 1. 5. *Qui eſt teſtis fidelis primogenitus mortuorum.* 54.n.5.

Cap. 5. 13. *Et omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes.* 61.n.17.

Cap. 6. 9. *Et cum aperuiſſet ſi[illegible]lum quintum, vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei & propter teſtimonium, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes, Vſquequo Domine Sanctus, & v[illegible]us non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra.* 281.n.5.

Cap. 12. 12. *Lætamini cæli, & qui habitatis in eis, væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.* 271.n.8.

Cap. 14. 9. *Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne, & ſulphure.* 265.n.2.272.n.12.

12. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* 3.n.7.32.n.10.40.n.11.276.n.4.

Cap. 20. 13. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant.* 118.12.

FINIS.

R. P.
D. CHRYSANTHI SOLARII PLACENTINI CLE.ci REG.ris

PENTATEVCHVS MORTVORVM.
LIBER PRIMVS.
De Triumphantis Eccleſiæ in Mortuos præcellenti pietate.

TENEBRICOSO carceri æthereum thalamum ipſo in operis limine annecto, infernis ergaſtulis ſupernas copulo aulas, & miſeriæ mœrentium in Purgatorio beatitatem iungo exultantium in Cœlo.

Ratio, cur placeat ab Eccleſia triumphãtis pietate opus ordiri.

Nec immeritò à Cœlo exordior, qui Cœlo animas inuehere ſtudeo, à triumphis iugiter viuentium, triumphos auſpicans, quos ſpiritibus inſtruo defunctorum. Addo, quòd cœleſtia hi petunt, licet inferna incolant, & quamuis in tenebris ſedentes, ęternę tamen ſunt lucis conſortio addicti. Cum igitur à triplici triumphantium, militantium, & purgantium Eccleſiā ea ducere ſit animus, quę ad pietatem in mortuos excitandam ducunt, à triumphantium ſtatu initium duco, & naturæ, atque dignitatis ordine ſeruato, à ſuperioribus incipiens, ad inferiora, & ima gradatim deſcendo.

CAPVT I.

Eccleſiæ Triumphantis ſedes per Eccleſiæ Purgantis ædes adiri probatur.

Hæretici negantes Purgatorium.

1 PVrgatoria loca, maledicis linguis catholicam veritatem ex more proſcindentes, totis viribus explodere ſunt auſi Apoſtolici apud D. Bernardum ſer. 66. in Cant. Albanenſes apud D. Antoninum 4. parte ſummæ tit. 11. c. 7. §. 5. Petrobruſiani apud Petrum Cluniacenſem contrà Petrobruſianos in Epiſtolâ ad omnes Epiſcopos, & nouiſſimè Lutherani, Caluiniſtæ, Zuuingliani, & alij eiuſdem farinæ nebulones apud Bellarminum lib. prim. de Purgatorio cap. 2. Nec paucas, at omnes futiles, ac inſulſas verum, ac germanum ſenſum dilaniantes, ex ſacrâ ſcripturâ, & San. Patrib. cõgerunt argumentationes, in quibus diluendis, quia paſſim à Theologis ſcholaſticis nullo negotio diluuntur, piget immorari. Blaterent igitur callidis, quantùm ſapiunt, mendacijs doloſi iſti tenebriones, tenebris namque ſuis Euang. veritatis luci caligine offundere incaſſum moliuntur. Omnia clamant temporalis pęnę reatibus temporalium dolorum locum deberi, vbi catholici, & electi poſt hanc vitam igne purgentur tranſitorio, licet hæretici, & reprobi alibi crementur æterno.

Eorum argumenta inſulſa, & facilè à ſcholaſticis diluta.

Eccleſiæ preces pro his, qui ſunt in Purgatorio.

2 Pia in primis Mater Eccleſia pro Fidelium defunctorum animabus tùm in Miſſæ per agendo ſacrificio, tùm in diuinis modulandis laudibus, preces quamplurimas, eaſque quotidianas fundit. Quolibet in ſacro, *Memento*, inquit, *etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis*. In offertorio item Deum rogat, vt incruentam hoſtiam benignè ſuſcipiat, quæ offertur *pro omnibus fidelibus Chriſtianis, viuis, atque defunctis.* Miſſas etiam, quas appellat defunctorum, in quibus ęternam requiem mortuorum animabus deprecatur, inſtituit. In fine quoque omnium ferè Horarum requiem, & pacem defunctis exoptans, *Fidelium*, inquit, *animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace*. At pro quibus, quæſo, defunctis tam ſolerti frequentiâ preces iſtæ funduntur? An pro ijs, qui diuinas adepti repromiſſiones, in cœleſti curiâ fœlicitate perfruuntur æternâ? at Beatitudine donati, noſtris non egent precibus, nec orationibus Eccleſia eis patrocinatur, quorum ſe petit patrocinio ſubleuari. An pro ijs qui Baptiſmatis aquâ non perfuſi cum originalis tantùm culpæ reatu deceſſerunt? Verùm

viſione diuinâ æternùm carituris Eccleſiaſtice nequeunt proficere preces. An pro ijs, qui omnipotentis contractâ Indignatione Tartara incolunt Inferorum? Sed non poſſunt humanæ ſoluere orationes, quos *a* diuina *vinculis æternis ſub caligine reſeruauit*, ſentẽtia. Quibus igitur preces proderunt tam crebræ, ſi Purgatorium, in quo poſſint noſtris precibus defunctorum animæ iuuari, tollatur? Audiendus in hac re D. Antoninus 3. parte ſummæ tit. 32 cap. 1. *Suffragia facit* (Eccleſia) *continuè pro Defunctis, non pro his, qui ſunt in inferno, quia ibi nulla eſt redemptio, vel diminutio pœnæ, vel refrigeratio, nec pro his, qui ſunt in gloriâ, quia non egent; ergo pro ijs, qui ſunt in* PVRGATORIO. Aſſerendum prorſus Purgatorium, vndè ad cœleſtia regna defunctorũ animabus pateat aditus, ne inutiles aſſerantur, & caſſæ, quæ pro mortuis funduntur Eccleſiaſticæ preces.

a In Epiſtola Iudæ cap. vnico.

D. Antonin.

3 Ex hoc do lucem verbis Chriſti Domini apud Matt. cap. 5. 25. *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in viâ cum eo, ne fortè tradat te aduerſarius Iudici, & Iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Non vtique carceres hîc deſcribuntur huius ſæculi, qui cùm tantummodo corpus torquere, animã autem nullatenus lædere valeant, non ſunt pertimeſcendi. Sed neque carceres indicantur Lymbi, aut inferni vndè nullus vnquam, nouiſſimo reddito quadrante, patet egreſſus. Quis ergo alius hîc innuitur carcer, præter Purgatorium, cui Defunctorum animæ pœnarum debitis obſtrictæ, vſque ad nouiſſimi quadrantis ſolutionem mancipantur? Opportunus adeſt in hunc ſenſum hæc verba explicans D. Bernard. Senenſ. tom. 2. ſerm. 62. art. 2. cap. 3. iuxta nouiſſimam impreſſionem. *Hoc quidem de carcere huius mundi non poteſt intelligi, eo quòd nec ibi ponuntur omnes tales, nec de carcere infernali, quia ibi nunquam ſoluitur nouiſſimus quadrans debitæ pœnæ,* SED DE CARCERE PVRGATORII *intelligi habet, quia ab illo exibit quis, quando ſoluerit nouiſſimum quadrantem.* Cœleſtes aulas non adeunt defuncti pœnarum temporalium, ſeu culparum leuium reatibus deuincti, quin antè, quæ cum diuinâ contraxerunt iuſtitia, in Purgatorio carcere, vſque ad nouiſſimum quadrantem, delictorum debita perſoluant.

In Purgatorij carcere nouiſſimus quadrãs ſolutus.

D. Bern. Ser.

4 Hûc alius quoque carcer aduocandus, quẽ regibus terræ minitans Iſaias c. 24. 22. *Et congregabuntur*, inquit, *in congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere.* Quæ verba ad Infernum, & damnatos, authores non pauci detorquent. Sed quæ ad hæc immediatè ſequuntur, *Et poſt multos dies viſitabuntur*, eorum obſtant expoſitioni, nec enim vnquam degentes in Inferno poſt quoſcunque dies viſitabuntur, in æternùm perituri. Rectius ergò in Purgatorium hæc quadrare videntur, vbi defunctorum animæ tanquam in lacum, & carcerem, in congregatione vnius faſcis ad comburendum igne tranſitorio detruſæ, poſt multos tandem dies, peccatorum debitis ſolutis, ab Angelis viſitantur, & ad cœleſtia regna cum gaudio euehuntur. Acutè in hunc locum id notauit Oleaſter. *Videtur melius hæc intelligere* DE PVRGATORIO, *in quo multi mali reges congregabuntur, quaſi* IN CARCERE, *& viſitabuntur, ac liberabuntur indè poſt multos dies, qui ſe licet penitentes vitâ exceſſerunt.* Cum pœnitentia excedentes in Purgatorium pœnitentium carcerem truduntur, vt quod defuit ſalutaris pœnitentiæ ſoluentes, indè poſt multos dies liberentur, a temporalibus cruciatibus ad æterna præmia tranſituri.

Purgatorij carcer viſitatus.

Oleaſter.

5 Sed quandò hîc de carceribus incidit ſermo, non poſſum, quin illum attingam, in quo Rex Pharao Magiſtrum aſſeruauit Pincernarũ. Cùm enim tertiâ diè natalis ſui eius inter epulas recordaretur, illum à vinculis abſoluit, atq; à carcere reuocatum in priſtinum locum reſtituit: *Recordatus eſt inter epulas magiſtri Pincernarum, & Piſtorum Principis, reſti ui tque alterũ in locum ſuum, vt porrigeret ei poculum.* Geneſ. 40. 20. Hic carcer, ſi myſticè, ac ſpiritualiter explicetur, vtique Purgatorium indicat, vndè animæ flammarum vinculis alligatæ, purgationis tempore tranſacto, liberantur, & à cœleſti Rege ad Cęlorum gaudia traducuntur. Egregiè Guillelmus Pepinus ſermone in die defunctorum. *Iſte carcer* (Purgatorij) *fuit præfiguratus* PER ILLVM CARCEREM *in quo fuit poſitus magiſter Pincernarum Pharaonis, de quo ſubditur, quòd poſt tres dies recordatus eſt Pharao miniſterij illius, & reſtituit illum in gradum priſtinum, per quod deſignatur, quòd poſtquam aliqua anima aliquanto tempore ſtetit in* PVRGATORIO, *tandem indè liberatur, recordatur enim Rex Pharao, ideſt Deus omnipotens miniſterij illius, ideſt bonorum operum, quæ fecit in præſenti, & reſtituit eam in gradum priſtinum, ideſt reddit ipſam capacẽ ad percipiendum æternum præmiũ pro præcedentibus meritis.* Pulchra verba, & ad Purgatorij carceris veritatem explicandam aptiſſima.

Carcere Pharaonis Purgatorij carcer deſignatus.

Guill. Pepin⁹.

6 Quibus addo, quæ regius pſaltes habet Pſal. 141. *Educ de cuſtodia animam meam.* Quo loco legunt Auguſt. & Caſſiod. *Educ de carcere animam meam.* Quis enim hic eſt carcer, niſi Purgatorium, & cuius iſta ſunt verba, niſi defuncti purgatrices flammas incolentis, & indè ad eterna gaudia educi percupientis? Audi Guillelmũ Pepinum vbi ſuprà id monentẽ. *Quilibet in Purgatorio exiſtens loquitur ad Dominum, dicens, De profundis clamaui ad te Pater Sãcte. Quòd ſi quæreret Dominus ab eo, cur clamat, & quid ab eo petit, vtiq; illi reſpondere poſſet illud Pſalmi, Educ* DE CARCERE *animã meam, ideſt de* PVRGATORIO, *quod eſt quaſi carcer Dei, in quo detinentur rei, et captiui illius.* In Purgatorio Dei carcere detine-

De Purg. carcere clamant defuncti vt educantur.

Auguſtinus Caſſianus.

Guill. Pepin⁹.

tine-

tinentur, qui tēporalium pœnarum rei vitâ funguntur, donec eos Dominus igne purgatos de carcere captiuorū ad libertatem filiorū educat.

Mortui beatitudine poſt Purg. donati.

Dionyſius Carthuſian⁹.

7 Audiuit Ioannes in Apocal. c. 14. *Vocem ſibi de cœlo dicentem. Beati Mortui, qui in Domino moriuntur.* Quam vocem explicans Dionyſius Carthuſianus. *Beati*, inquit, *mortui, ideſt, fœlices ſunt illi defuncti, qui in Domino moriuntur, ideſt in Domino obierunt, putà in ſtatu ſalutis, in charitate, in diuini nominis confeſſione, in mentis ad Deum conuerſione. Tales enim ſecuri ſunt, quòd nunquam auertentur à Deo.* At quomodo beatitudine donantur, qui in charitate, & diuini nominis confeſſione decedentes, leuium culparum reatibus moriuntur adſtricti? Beati ſunt ipſi quoque, nam licet ad cœleſtem patriam non ſtatim poſt mortem euolent, ad eam tamen flammis exuſti per Purgatorium pertingūt. *Et ſi veniale quid*, ſubdit idem Carthuſianus, *deferant ſecum*, PER PVRGATORIVM *pertingunt ad Patriam.* Flammis purgantur, quæ poſt mortem maculæ deferuntur, & defuncti leuioribus peccatis inquinati, per Purgatorium pertingunt ad Cœlum.

Defuncti, qui ſunt in Purgatorij Aegypto, reponentur in Promiſſionis Paradiſo.

8 Quod populo Iſrael in figurâ contigiſſe aduertit Hugo Cardinalis in cap. 14. Apocal. dum nullius eorum, qui perierunt in deſerto, multorum verò ex illis, qui mortui ſunt in Aegypto, corpora in terram promiſſionis allata, ſacræ nobis literæ tradiderunt. Qui perierunt in deſerto eos figurant, qui ſunt in Inferno, ad terram promiſſionis nunquam redituri; Qui verò mortui ſunt in Aegypto, illos indicant, qui morantur in Purgatorio, in Cœleſti tandem promiſſionis Patriâ expletâ purgatione reponendi. *Nullius eorum* (verba ſunt Hugonis) *qui mortui fuerunt in deſerto de populo Iſrael oſſa fuerunt portata in terram promiſſionis, in ſignū, quòd nullus redit de Inferno. Sed de illis, qui mortui ſunt in Aegypto, ſicut oſſa Ioſeph, & duodecim Patriarcharum fuerunt aſportata, & in terrâ promiſſionis ſepulta, ſicut in hiſtorijs legitur, & in ſine Geneſis in ſignum, quòd illi, qui ſunt in* PVRGATORIO, *peractâ pœnitentiâ reponentur in Paradiſo.* Morentur licet defunctorum animæ in Purgatorij Aegypto, indè tamen poſt purgationem eruuntur, & in promiſſionis terrâ cum gaudio reponuntur.

Hugo Cardinalis.

Quædam in Purgatorio remittuntur peccata.

9 Pergo, & Matth. locum cap. 12. 32. expendo, vbi Chriſtus in Blaſphemos vehementer inuectus, ait blaſphemiam in Spiritum Sanctum, neque in hoc ſęculo remitti, neque in futuro. *Qui autem dixerit contrà Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Grauitatem delicti, in quod inuehitur oſtendit, cuius ea eſt enormitas, vt neque futuri ſæculi pœnis eluatur. Hanc autem quomodo conuinceret hac ratione maiorem grauitatem, ſi nulla in futuro ſæculo remitterentur delicta? Certè ſi grauius hoc peccatum, quia nec in hoc ſæculo remittitur, nec in futuro, leuiora reperientur peccata, quæ, & in hoc ſæculo remittantur, & in futuro. Hæc autem cùm in Inferno, vbi nulla eſt redemptio, non remittantur, vtique remittentur in Purgatorio. Audiamus Sanctum Iſidorum Hiſpalenſem lib. 1. de Officijs Eccleſiaſticis cap. 18. ad hanc mentem ita loquentem. *Cùm Dominus dicit. Qui peccauerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, demonſtrat quibuſdam illic dimittenda peccata*, ET QVODAM PVRGATORIO IGNE *purganda.* Remittuntur in Purgatorio quo ad pœnam crimina in hoc ſæculo remiſſa quo ad culpam, & leuiorum culparum maculæ igne illo examinatæ abſterguntur.

D. Iſidor. Hiſpal.

Animas apud Inferos purgari Hebræi agnoſcunt.

Rabbi Scamai.

10 Id, quod inter Hebręos quoque Scamai congreſſus approbauit, dum tria mortuorum genera diſtinxit. Aliquos enim docuit ſummè iuſtos ad æthera ſtatim euolare, aliquos ſummè iniuſtos ad gehennam ſine morâ deſcendere, & alios intermedios deſcendere quidem, ſed poſt cruciatus ad Cœlum aſcenſuros. En eorum verba in libro Hen Iſrael in arbaha raſce ſanim cap. 1. quæ latinitati donata hæc ſunt. *Aliud eſt genus mortuorum ſummè iuſtorum, aliud mediorum, tertium verò ſummè impiorum. Summè iuſti ſcribuntur, & ſigyllantur ſtatim ad vitam æternam, ſummè impij ſcribuntur, & ſigyllantur ſtatim ad gehennam. Medij verò deſcendunt ad gehennam, & clamant, & aſcendunt.* Iuſtorum quidem animas perfectè à culpa mundatas ad Empyreum aſcendere, & peruerſorum ſpiritus in peccatis decedentium ad gehennam perpetuò cremandos deſcendere agnouerunt Hebræi, ſed inſuper alias quoque mortuorum animas crediderunt, quæ veluti intermediæ, nec prorſus purgatæ, nec omninò immundæ ad inferos deſcenderent, ſed mox ad ſuperos, cùm ab omni culparum labe, flammis cruciantibus, perfectè mundatæ fuerint, aſcenſuræ.

Platonis de Purgatorio ſententia.

Plato.

11 Quin etiam ex Gentilibus diſertis verbis id aſſeruit Plato in Gorgia, duplicis generis crimina ſapienter diſtinguens, quorum alia ſine remedio apud inferos inſanabilia perſeuerent, alia ſanabilia per cruciatus, & dolores ibidem expurgentur. Sed præſtat eius verba ore facundo prolata exaudire. *Qui apud Deos, & homines, ita dant pœnas, vt vtilitatem indè aliquando referant, hi ſunt, qui peccata ſanabilia commiſerunt, quibus dolor, cruciatuſque prodeſt, & apud homines, & apud Inferos, non enim aliter quit poteſt ab iniuſtitiâ liberari. Qui autem extrema iniuſtitiâ detinentur, ac propter huiuſmodi delicta ſunt inſanabiles, ex his exempla ſumuntur, ipſique nullam amplius vtilitatem indè reportant, vt pote, qui ſanari non poſſint.* Quid poterat, amabò te, aut clarius, aut elegantius pro purgatorij veritate apponi? Pudeat Chriſtianos ex Baptiſmatis aqua renatos, Purgatorios cruciatus inſi-

pienter negare, quos ſolius naturæ lumini innixi tàm ſapienter, ac diſertè Philoſophi aſſeruere gentiles.

Virgilius trāſitorias pœnas adſtruens.

12 Sed placet Platoni addere Virgilium, Philoſophi ſententijs, Poëtæ carminibus adiunctis. Hic ergo fingens Aeneam ad inferos per Auerni fauces duce Sibylla deductum, plures animas recenſet, quæ igne poſt corporei vinculi ſolutionem exuſtæ ad Elyſia perueniunt, harumque vnā inter cętera talia inducit affantem lib. 6. Aeneid.

Virgilius.

Quiſque ſuos patimur Manes, ex indè per amplū
Mittimur Aelyſium.

Iodocus Aſcēſius.

Quæ verba explicans Iodecus Aſcenſius inquit. *Nos patimur manes, idest* PVRGAMVR *apud manes, hoc eſt inferos quiſque ſuos, ſecundùm quod meruit, aut plus, aut minus, deindè, ſcilicet, poſtquàm* PVRGATI *ſumus mittimur per Elyſium.* Hæc ſi proteruus expendat Hæreticus, non nè erubeſcet ſe in pœnarum purgantium fide infidelibus Ethnicorum Poëtis inferiorem agnoſcens? Quâ fronte in poſterum animarum tranſitum à Purgatorij pœnis ad regni cœleſtis Elyſium negabit, hæc legens apud prophanum, & fidei lumine deſtitutum authorem?

Alij gentiles animarum purgationem admittentes Seruius.

13 Virgilium ſecutus eſt etiam eius commentator Seruius in eodem libro, dum animas à corporibus recedentes, antè purgationem quidem ſordidiores, poſtquàm vero purgatæ fuerint, pulchriores affirmauit eſſe, atque clariores. *Prudentiores dicunt, animas recedentes à corporibus ſordidiores eſſe, donec* PVRGENTVR, *quæ* PVRGATAE *incipiunt eſſe clariores.* Nouerant quippè animas culparum maculis inquinatas à Sordibus ad munditiem, & a tenebris per purgationem tranſire ad claritatem. Id ipſum quoque non obſcuris verbis ex Sapientum ſententiâ protulit Quintilianus declamatione 10.

Qintilianus.

Animam, inquiens, *flammei vigoris impetum perennitatemque, non ex noſtro igne ſumentem, ſed quò ſydera volant, & quò ſacri torquentur axes indè venire, vndè rerum omnium authorem, parentemque ſpiritum ducimus, nec interire, nec reſolui, nec vllo mortalitatis affici fato, ſed quoties humani corporis carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus* LEVI SE IGNE LVSTRAVERIT, *petere ſedes inter aſtra.* En animæ igne, ac flammis luſtratæ, antequam Aetheras valeant conſcendere ſedes. Verùm non eſt, cur amplius colligendis Ethnicorum authoritatibus immorer, dum conſtat, omnes ferè Gentiles, aliquorum defunctorum animas ab inferorum pœnis per ſacrificia, quæ iccircò Plutoni, cæteriſque inferis numinibus pro eis crebra offerebant, ad ſupernam fœlicitatem crediſiſſe tranſituras.

Purgatorium Baptiſmus ignis.

14 Ad Sacra redeo, & Iordanis ripas adeo, vbi Ioannes Baptiſta pęnitentiæ Baptiſmo Iudæorum progeniem abluebat. Alloquens ergò Chriſti Præcurſor Ieroſolymorum turbas, quæ frequentes eum, & adibant, & audiebant, ſe, ſuumque Baptiſmum Chriſto, eiuſque Baptiſmo his verbis ſubiecit. Matth. 3. 11. *Ego autem baptizo vos in aquâ in Pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Baptizat Chriſtus in Spiritu Sancto, dum in nomine, nedùm ſuo, & Patris, ſed etiam Spiritus Sancti Baptizat. *Euntes ergò docete omnes gentes, baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Matth. 28. 19. At in igne quonam pacto baptizat, qui aquam baptiſmo pro materiâ aſſignat? an per duplex, & oppoſitum elementum, baptiſmi conficitur Sacramentum? Non equidem, ſed aquæ Sacramento in hoc ſæculo, & igne Purgatorio nos baptizat Chriſtus in alio. Accinit in Bibliotheca veterum Patrum, ſcribens in hunc locum Chriſtianus Druthmarus. *In futuro, ſecundum Apoſtoli dicta* BAPTIZABIMVR *igne quia tranſibimus per ignem, cùm ex hoc corpore migrauerimus, & ſi cuius opus exarſerit, detrimentum patietur, ſi cuius opus manſerit, ipſe ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Culparum maculas, quas in hac vita baptiſmatis, & pęnitentiæ aquâ perfectè non abluimus, igne in alia purgamus; & qui Sacramentali aquâ hic mundamur, Purgatorio igne, illic Baptizamur.

Chriſtianus Druthmarus.

Flammeo gladio baptizantur animæ in Purgatorio.

15 Hoc ignis Baptiſma nobis innuebat flāmeus ille gladius, atquè verſatilis, quem antè paradiſum voluptatis Geneſis 3. 28. Dominus collocauit. *Et collocauit antè Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem.* Nullus antè hominis peccatum flammeus gladius; nulla præ Paradiſi foribus tunc extabat verſatilis romphæa. Peccat homo, & ſtatim pœnas crimini debitas luens de voluptatis loco infœlix eijcitur, flammeâ peccatum ſubſequente romphæâ. Quid ſibi hęc volunt? Quid myſterii nobis innuit flammeus iſte, verſatiliſque gladius? An interclusum Paradiſi aditum homini poſt peccatum per ignem purgatorium patere? An baptizatos aquâ in hoc ſæculo, adhuc igne baptizandos eſſe in alio, vt iurè Paradiſum ingreſſi dicere poſſint, *a Tranſiuimus per ignem, & aquam, et eduxiſti nos in refrigerium?* Ita cenſet D. Ambroſius in Pſalm. 118. *Eſt etiam* BAPTISMVM *in Paradiſi veſtibulo, quod anteâ non erat, ſed poſtea quam peccator excluſus eſt, cæpit eſſe romphæa ignea, quam poſuit Deus, quæ anteà non erat, quando peccatum non erat. Culpa cæpit, &* BAPTISMVM CAEPIT, QVO PVRIFICENTVR, *qui in Paradiſum redire cupiebant, vt regreſſi dicerent, tranſiuimus per ignem, & aquam: hic per aquam, illic per ignem; per aquam, vt abluantur peccata, per ignem, vt exurantur.* Quemadmodum baptiſmate aquę abluuntur, ita baptiſmate ignis peccata exurūtur, vt qui ad ętherea properant Paradiſi gaudia, per aquam in hoc mundo, & per ignem ad ea tranſeant in Purgatorio.

a Pſalm. 65.

D. Ambroſius

Tranſitus ad Cælum per

16 Tranſitus iſte per fluuium illum igneū, figura-

igneum Purgatorij fluuium.

gurabatur, quē vidit Daniel cap. 7. 10. rapidè à faeie Domini egrediente. *Fluuius igneus, rapiduſque egrediebatur à facie eius.* Non poſſunt quippè aqueo baptiſmatis fluuio abluti ad Dei faciem fęliciter in Cœlis videndā pertingere, niſi rapido, igneoq; Purgatorij fluuio exuſti, quas ſecum è vitā decedentes tulerunt, leuiorum culparum maculas abſtergant. Id calamo debemus Euſebij Gallicani in Bibliotheca veterum Patrum ſermon. 3. de Epiphania ita loquentis. *Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ad quos ſermo Dei dirigitur, quòd non exeunt indè donec reddant nouiſſimum quadrantem, per fluuium igneum, de quo Prophetieus ſermo commemorat, & fluuius rapidus, qui currebat ante eum, per uada feruentibus globis horrenda tranſibunt.* Tranſibunt quidem ad Cœlum, vt Dei viſione perfruantur, qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ſed non niſi per Purgatorij fluuium igneum, non niſi per vada feruentibus globis horrenda eō tranſibunt. b Non niſi per currum igneum aſcendit Elias in turbine ad cœlum, nec vnquam dixit B. Laurentius, *Gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui* niſi quandò ſuppoſitis prunis *in craticulā ſuperpoſitus vrebatur.* Vrit ignis, quos cęlum expectat, operiunt flammæ, quos æthera opperiuntur, quique pęnarum vinculis detenti vitā funguntur, migrantes ex hoc ſæculo, flammarum pęnis detinentur, antequam ad Empyreum trāſmigrent in alio. a *Omne, quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur. De his autem,* inquit D. Bernardin. Senenſis. tom. 2. ſerm. 61. initio iuxta nouam impreſſionem, *qui poſt hanc vitam* PVRGANTVR, *ſumi poteſt locus prædictus Scripturæ.* Qui enim delictorum maculas igne non exurunt viuentes tribulationis, eas igne abſtergunt defuncti purgationis.

b 4. Reg. 2. — a Numer. 31 — D. Bernard. Sen. — *Lapides viui in Purgator. dolati.*

17 Huc alluſit Salomon domum ædificans Domino b *de lapidibus dolatis, atque perfectis.* Nulla in templo, aut mallei tunſiones, aut ſecuris ſectiones audiebantur, nec aliquis euiuſcumqne ferramenti ſtrepitus auribus obſtrepebat adorantium. Lapides quippè antè quadrabantur, dolabantur, & poliebantur in Libano, quàm collocarentur in templo. *Malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur.* 3. Reg. 6. Ad quid verò non in templo, ſed in Libano tundebantur lapides, & poliebantur, niſi ad innuendum, non in gloriæ templo, ſed in huius ſęculi, aut Purgatorij Libano, fideliū electorum viuos lapides dolandos, atque poliendos. Præiuit id notans D. Bonauentura ſerm. de animabus. *Quadrabantur, & dolabantur lapides, & ligna in Libano, & poſteà collocabantur in templo. Sic lapides viui neceſſariò in hac vitā quadrantur, & poliuntur merito, vel poſt hanc vitam igne* PVRGATORIO, *antequam ſuperædificentur in Cælo.* Non ſuperædificatur in ſupremo diuinitatis templo lapis decidens impolitus ab hoc mundo, niſi anteà tundatur, doletur, & expoliatur in Purgatorio.

b 3. Reg. 6. — D. Bonauent.

18 Illud peculiare habet cęleſte animarum ædificium, vt non niſi terrenis vitiorum cupiditatibus funditùs deſolatis, conſtruatur. *Sagittæ* quidem *potentis acutæ*, quæ diuinā charitate hominum corda transfigentes, vulnus in eis generant, non liuoris, ſed amoris; Verùm id nō præſtant, niſi cū *carbonibus deſolatorijs. Carbones* verò inquit Auguſtinus apud Gloſſam in Pſal. 119. *ſunt exempla iniquorum conuerſorum ad Deum.* Cæterùm quare dicuntur hæc exempla carbones, & carbones deſolatorij. Quia *hæc exempla*, ſubdit idem Auguſtinus, *vaſtando ad deſolationem ducunt carnales cogitationes, & ſeculares amores, vt ſit purus locus ædificio Dei.* Non eſt locus ædificio Dei, vbi ſuppetunt opera diaboli: carnales à carbonibus deſolatorijs deuaſtandæ cogitationes, vt ſpirituales à ſagittis diuinis infundantur conſolationes. At ſi quis carbonibus iſtis deſolatorijs non adhibitis, pœnitentiæ tamen ſacramento munitus vitā fungatur, quomodo locum dabit ædificio Dei, quo in æternæ fęlicitatis templo perpetuò duraturus aſtruatur? Præſtabunt carbones Purgatorij, quod non potuerunt carbones deſolatorij, & pęnalibus deuaſtabitur incendijs, quod ſalutaribus non fuerit deſolatum exemplis. Seitè Guarricus Abbas in Bibl. vet. Patrum ſerm. 4. de Purificatione B. Mariæ. *Cadent ſuper eos carbones pœnaliter* PVRGATORII, *quibus modò non adhibentur carbones ſalubriter deſolatorij.* Ignis ardore purificantur in terris, qui ædificio Dei coaptantur in cœlis, quoſque viuentes non inflammant deſolatorij, mortuos exurunt carbones Purgatorij. Sileant igitur impij Purgatorij euerſores, & ori digito impoſito reſipiſcētes, Triumphantium ſedes, per purgantium ædes adiri agnoſcant.

Carbonibus Purgat. culpa deſolata. — *D. Auguſt.* — *Guarricus Abbas.*

CAPVT II.

Diuina ergà Defunctos pietas in Eccleſia Triumphante Triumphans.

1 MIrum fortaſsè videbitur, quòd aſſeram Deum ergà defunctos pium, atque miſericordem, quem conſtat defunctorum animas ad inferos deducere purgatorijs cruciatibus plectendas. Ergò pius, a qui *ſedens purgat filios Leui*, vt impietatis maculas abſtergat? Miſericors, qui, vt iuſtitię ſatisfaciat, iuſtos quoq; ſi quos detulerint culparū reatus, ad ignem adducit, b *ſicut examinatur argentum*, examinandos? Pius vtiq;, ac miſericors, quandoquidē ad Inferos defunctos deducit temporaliter cruciandos, vt ad ſuperos exindè reducat æternùm beandos. *Dominus*, inquit Ezechias prim. Reg. ſec. *deducit ad inferos, & reducit.* Deducit quidem ad carceres tormen-

Dominus deducit purgandos ad inferos, & reducit purgatos ad ſuperos. — a Malach. 3. — b Pſalm. 65.

torum, ſed reducit ad thalamos cœlorum, deducit, vt cruciatibus tradat, ſed reducit, vt fęlicitatibus donet. Hùc reſpicit explicans hunc locum doctiſſimus Abulenſis. *Poteſt accipi Infernus pro loco gehennali, quia etiam Deus ad locum illum hominem ducit, & indè reducit, omnes enim, qui deſcendunt ad Inferos, ſcilicet ad* PVRGATORIAS SEDES, *vel ad Lymbum Sanctorum,* REDVCVNTVR *indè.* Iuſtitiæ rigori pietatis dulcedinem Deus admiſcet, quoſque rigidè ad inferos purgandos deducit, miſericorditer ad ſuperos purgatos reducit.

Abulenſis.

Lætitia perfunditur, dum animas ad cęlum reducit.

2 Quò ſpectabat Chriſtus Luc. 15. 6. Paſtori comparans Deum, qui amiſſâ ouē ſuper humeros ſuos impoſitâ, *gaudens, & veniens domū conuocat amicos, & vicinos, dicens illis; Congratulamini mihi, quia inueni ouem, qua perierat.* Congratulandum potiùs videtur oui, quòd poſt errorum pericula ſuper paſtoris humeros ad cœleſtes aulas perpetuâ gloriâ paſcenda reducatur. Cur ergò *conuocans* Deus *amicos & vicinos*, nō *congratulamini*, inquit, oui, ſed *mihi?* Congratulandum cenſet Deus ſibi, quia tunc ſolemnitatem lætitiæ ſuę implet, cùm ſuper humeros ſuos inuentas animarum oues ab inferis ad ſuperos reducit. *Notandum*, verba ſunt D. Gregorij homil. 34. in Euang. *quid non dicit congratulamini inuentæ oui, ſed mihi, quia videlicet eius gaudium eſt vita noſtra, & cùm nos, ad* COELVM REDVCIMVR, *ſolemnitatem lętitia eius implemus.* Deducit nos Dominus ad inferos, & ad Cœlum reducit, dumque ad cęlum reducimur, tanto perfunditur gaudio, vt tunc ſolemnitas lætitiæ ipſius impleatur.

D. Gregorius.

Ira in Purgatorio miſericordiam aſſociat.

3 Id prænotauit igneus ille gladius in Paradiſi veſtibulo collocatus, quo purgatorium ignem indicari cum Ambroſio iam memorauimus: Flammeus quippe, atque verſatilis erat. Flammeus quidem, vt diuinæ iuſtitiæ iram, ac rigorem, verſatilis verò, vt paternæ pietatis in defunctos dulcedinem oſtenderet, ac benignitatem. Argutè Rupertus Abbas lib. 3. in Geneſ. cap. 32. *Hic ira grandis neceſſariæ nobis miſericordia ſocietatem non relinquit. Ira namque iuſti Dei eſt, quòd antè paradiſum Flammeum gladium collocauit, miſericordia verò, quòd eundem gladium verſatilem eſſe voluit.* Iraſcitur Deus, Flammeo gladio defunctorum animas exurens, verùm *non continet in irâ ſuâ miſericordias ſuas*, dum gladium iſtum verſatilem reddens, quas purgandas ſubiecerat pœnæ, animas iam purgatas aſſociat gloriæ.

Rupertus Abbas.

A diuina pietate mortui ſuſcitantur.

4 Hanc in defunctos Dei miſericordiam inuenit Elias Theſbites, dum mulieri, apud quam frequens hoſpitabatur, defunctum puerulum deploranti, inquit; *Da mihi filium tuum.* Tertio Reg. 17. 19. Excitaturus mortuum, de ſinu parentis ad lectulum tranſtulit cubantis, & ſibi popoſcit ſuis precibus vitæ reſtituendum, quem mater deflebat nimis immaturâ morte ablatum. At vndè ſpes tam firma Eliæ, vt fideret ſe poſſe ab Orci faucibus ereptum, rurſum vitali ſpiritu animare defunctum? vndè illi tanta fides, vt crederet à mortuis ſe deprecante reuocandum, quem conſtabat ad inferos ægritudinè opprimente reiectum? A diuinâ in defunctos pietate. Nouerat quippè Elias tam pium, tam miſericordem in mortuos Deum, vt eius pietate confideret ſuſcitandum, quem orationum ſuffragijs adiuuabat iam mortuum. Accipe Abulenſem hunc locum ità verſantem. *Confidens Elias, quòd filius mulieris* PIETATE DEI *ſuſcitari poſſet, & compaſſus mulieri, à qua tantam pietatem ſuſceperat, petiit, vt daret eum ſibi, ſcilicet, vt oraret pro eo, & ſuſcitaretur* Elię petitio Dei erga mortuos pietati innitebatur, cui referendum acceptum, quicquid orātes in gratiam conſequuntur defunctorum.

Abulenſis.

5 Et quidem ea eſt, ac tam familiaris Deo in Defunctos pietas, vt propterea, quæcunque in eos quoquo modo exercetur, Dei Miſericordia nuncupetur. Cæſis cruento prælio Philiſtæorum agminibus, dum victor ad propria Dauid in pace rediret, nùm quis de Domo Saul ſupereſſet, vt cum eo miſericordiam faceret, his verbis interrogauit. 2. Reg. c. 9. *Numquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei?* Hæc expendens Abulenſis ſciſcitatur, quare miſericordia, quam Dauid parabat filijs Ionathæ de Domo Saul, miſericordia Dei appelletur. Quicquid ab homine procedit, vtique humanum eſt. Si ergo Dauid homo fuit, vt quid non hominis, ſed Dei miſericordiam nuncupauit, quam Ionathę poſteris præſtare intendit? An tanti ſe faciebat Dauid, vt diuinitatem aucupans, diuinitatis titulo proprios affectus inſignire præſumeret? Abſit à viro tam pio adeò facinoroſum piaculum. Non diuinitatem Dauid appetijt, ſed pietatem expreſſit, quam non alicuius vtilitatis gratiâ, ſed vt defuncto Ionathæ gratiam haberet, exercebat. Pietas quippe, quæ defunctorum gratiâ exercetur adeò eſt Dei peculiaris, vt licet ab hominibus exhibeatur, Dei pietas, & miſericordia iure vocetur. *Quia Dauid miſereri volebat filijs Ionathæ, non propter aliquam vtilitatem, quam ſperabat ab eis, ſed ſola pietate motus, dicebatur facere* MISERICORDIAM DOMINI. Hactenus Abulenſis. Adeò eſt prona in mortuos Dei miſericordia, vt propterea Dauid miſericordiam Dei facere diceretur, quia ſola pietate in mortuum Ionatham ductus, eius poſterorum miſerebatur.

Miſericordia in Defunctos, Dei miſericordia nuncupatur.

Abulenſis.

6 Hic, quadrare videntur ea, quæ reſponderunt Filij Heth Abrahæ vxorem Saram plāgenti, & ius ſepeliendi mortuum ſuum ab eis depoſcenti. *Reſponderunt filij Heth dicentes; Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum.* Geneſ. 23. 6. Non eſt myſterio viduum, quod

Sermones pro defunctis diuinitate præſciſcuntur.

He-

Hethæi peregrinum Abraham tanto proſequerentur honore ſed idcircò Principem Dei eum appellarunt, quia dum mortuo ſuo gratiam ſepulchri ſuppliciter quærebat, humana tranſcẽdens, diuinitatem quamdam præſeferebat in verbis. Egregiè Philo Hebræus lib. de Nobilit. *Honorabant eum, quaſi ſuum Principem, ſuſpicientes ingenium auguſtius humano faſtigio, nec enim ſermonibus vtebatur vulgaribus, ſed* DIVINITATEM QVAMDAM *præſeferentibus*. Vides tam familiarem Deo in Defunctos pietatẽ, vt ſermones hanc pietatem redolentes, diuinitatem quamdam præſeferre videantur?

Philo Hebr.

7 Hoc idem firmat turbarum clamor poſt Reſurretionem adoleſcentuli, qui, matre ſequente, efferebatur, exortus. *Magnificabant* enim *Deum, dicentes, quia Propheta magnus ſurrexit in nobis*. Luc. 7. 16. Nondùm turbæ Chriſtum, vt Deum venerabantur, nondùm ſupra humanitatem euectum agnoſcebant. Quomodo ergo Deum magnificabant, quem Deum eſſe ignorabant? An diuinæ virtuti ſignum adſcribebant, licet diuinæ naturæ conſortium in Chriſto denegarent? Ita cenſet B. Dionyſius Carthuſianus. *Quamuis nondùm putarent Ieſum eſſe Deum, non tamen dubitabant, quin* DIVINA VIRTVTE *feciſſet hoc ſignum, ideò Deum principaliter collaudabant*. Deo principaliter tribuenda, quæ in mortuos exercetur pietas, ideòque pro collatâ mortuo adoleſcentulo vitâ, Deum præcipuè turbæ collaudant:

Dei principaliter adſcribenda pietas in defunctos.

B. Dionyſius Carthus.

8 Id optimè nouerat Iacob, qui morte imminente aduocans filium Ioſeph, miſericordiá ſibi defuncto implorauit, vt cum Patribus ſuis in ſepulchro conderetur maiorũ. Quam eùm à iurante filio ſe conſecuturum didiciſset, pronus, & ſupplex Deũ ad lectuli caput conuerſus adorauit. *Quo iurante adorauit Iſrael Dominũ conuerſus ad lectuli caput*. Geneſ. 47. 31. Miraberis fortè, quòd miſericordiam à filio conſecutus, non ad filij oſcula, ſed ad lectuli caput ſe conuertat. Cur qui filium deprecatur aduenientem, filium non amplexatur exaudientem? Nonnè id eius obedientiæ, promptitudini, ac pietati à Parente iam mortuo debebatur? Vt quid ergò filium relinquens ad lectulum flectitur, & à genito auerſus ad ceruical ſe cõuertit? Vt debitas Deo propietate iam obtẽtâ gratias referret; pietas quippe defuncto exhibẽda, ſemper eſt Deo, tanquam præcipuo eius authori adſcribenda. Rem pręclarè vrget verſans hunc locum Oleaſter. *Crediderim ſenem incuruaſſe ſe ſuper ceruical, quod erat ad caput lectuli, & gratias* DOMINO *egiſſe, quòd nactus eſſet, quod cupiebat, nempè vt in terrâ, & ſepulchro Patrum ſepeliretur*. Nouerat ſenex quam cumque in defunctos pietatem Deo principaliter tribuendã, atque adeò miſericordiâ ſibi defuncto præuenientibus precibus impetratâ, non filio, à quo implorauerat, ſed Deo, à quo præcipuè obtinuerat, gratias ſuper ceruical incuruatus agit.

Deus præcip. author Pietatis defunctis exhibendæ.

Oleaſter.

9 Hanc eamdem facit veritatem Propheta ille, qui 3. Reg. 13. Dum Diuinis renuit obtemperare mandatis, debitas leonis dentibus contuſus, luit inobedientiæ pœnas. Occidit quidem Leo virum ad propria remeantem, ſed proiectum in itinere cadauer, nec vnguibus dilaniauit, nec faucibus abſumpſit, nec ore vorauit. Mirum ſanè, quòd Leo cadauer ſeruaret quod eſuriebat, carnes cuſtodiret, quas appetebat, & Prophetam, quem interfecerat viuũ, tueretur defunctum; Mirum quoque, quòd Aſinum Prophetæ baiulum non læderet, quin potius veluti ſocium ad ſeruãdas inſepultas defuncti reliquias ſe illi manſuetus adiungeret. Vnde quæſo tanta Leoni pietas, vt naturalis feritatis oblitus manſueſcere in defunctum, & miteſcere diſceret in iumentum? Quis ferinæ humanitatem inſeruit naturæ, vt manſuetudine immanitatem, & pietate commutaret crudelitatem? Diuina in defunctos pietas humanam indidit leoni manſuetudinem, quâ & iumentum geſtamini, & cadauer ſeruaret ſepulchro. Adſtipulatur, hunc locum explicans, Lyranus. *Leo ſtabat iuxtà cadauer* INSTINCTV DIVINO *cuſtodiens vtrumque, ſcilicet cadauer ad ſepeliendum, & Aſinum, vt cadauer portaret ad ſepulturæ locum*. Diuinus inſtinctus humanum reddidit in iumentum, & cadauer Leonem, quò pateret Deo adſcribendam, quæ mortuis impenditur, pietatem.

Diuino inſtinctu Leo defunctũ cuſtodit.

Lyranus.

10 Hæc cogitans ſeductor Propheta, qui cibum appoſuerat Dei mandatum tranſgredienti, ſtrato Aſino ad locum properauit proiecti cadaueris, vt illud ſupremi muneris donans officio, ſuo plangens inferret ſepulchro. Leonis feritatem non timuit, & quãuis inobedientiæ author, inobedientis haud pauit occiſorem. Illud verò hîc diſcutiendum, cur Propheta iſte locum non horruerit, vbi diuinæ miniſter adſtabat vindictæ. Quomodo ſcelerum ſibi conſcius eò impauidus pergit, vbi ſcelera diſtrictè puniuntur? Cur ſe deceptorem non veretur occidendum, qui deceptum agnoſcit occiſum? Quia nouerat Leonem nutu Dei iuxtà cadauer adſtare, non ad perdendum, ſed ad ſepeliendum. *Non timuit Leonem*, verba sũt eiuſdem Lyrani ibid; *quem iam audierat ſtare iuxta cadauer, & Aſinum abſque læſione eorum, per hoc enim perpendit, quòd* NVTV DEI *hoc fiebat, vt vir Dei ſepeliretur*. En ex Leonis in defunctum pietate Dei nutum, quo cadaueris intenderet ſepulturam, colligit ſenex Propheta. Dei nimirum pietati accepta præcipuè referri debet, quæcunque mortuis impenditur miſeratio.

Dei nutu Leo defuncto pietatem impendit.

Lyranus.

11 Quæ pietas ex eo etiam magis illuceſcit, quòd gratiá defunctorum miſeretur Deus non rarò viuentium. Hoc ea probant, quæ Dominus per Iſaiam Ezechiæ dixit Aſſyriorum ca-

Propter defũctos pietatem Deus exercet viuos.

ſtra

ſtra metuenti. *Protegam Vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.* 4. Reg. 19.34. Intuitu Dauidis iam defuncti protectionem, & ſalutem vrbi promittit, ac Regi. Adeò nempè ſe pium Deus exhibet in mortuos, vt propter eos, pietatem etiã exerceat in viuos.

Chryſoſtom⁹. Subſignat D. Ioannes Chryſoſtomus homil. 42. in Geneſ. *Propter defunctorum virtutem viuentium miſeretur, vndè clamat dicens, Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum.* Defunctis accepta refertur miſericordia, quæ à Deo viuentibus impenditur, & pietas quâ miſeretur in hoc ſæculo degentium à pietate oritur, quá curam habet aliud incolentium.

Pietate in defunctos ſuam diuinitatem Deus oſtēdit.

12 Hæc adeò eſt ei familiaris, vt ipsâ diuinitatis ſuæ veritatem euidenter oſtendat. Bethaniam Chriſtus petierat, vt Lazarum, quatuor dies iam in monumento habentem à morte reuocaret ad vitam. Cui Martha occurrens intempeſtiuis ploratibus, & imbecillibus verbis infidelitatis ſe ream oſtendit. Hanc tamen Chriſtus non obiurgauit, ſed benignè accipiens, ad ſpem fraternæ reſurrectionis erexit. Hæc mihi ſcrutanti dubium inſurgit, cur Martham Chriſtus non reprehenderit, quam vidit infirmam in fide, ac titubantem. Nonnè infidelitatis delictum reprehēſionis acerbitate eſt puniendum? an non fidei defectus correctionis medicamine eſt curandus? Quare ergo Chriſtus de infidelitate, Martham non redarguit, diuinitatis ſuæ veritatem ei per correctionem oſtendens? Quià dum dixit. *Reſurget frater tuus.* Io. 11.23. Hoc ſufficiebat abundè ad deitatis ſuæ veritatem efficaciter comprobandã, tunc enim ſe verum Deum Chriſtus oſtendit, cùm ſuam in mortuos pietatem patefecit.

Cyrillus Alexand. Nequeo hic ſupprimere verba Cyrilli Alexandrini. lib. 7. in Io. cap. 18. ſic effantis. *Non redarguit hanc ſibi dilectam hoſpitam de fidei ſuæ infirmitate, ſed ſuâ reſponſione tollit hanc debilitatem, & conſolidat dubiam mentem. Cùm enim dicit illi, Reſurget frater tuus, hoc verbo* SE VERVM OSTENDIT DEVM. Eſt ità Dei peculiaris pietas in mortuos, vt ad eius diuinitatem ſufficiat demonſtrandam, ita vt ſe Deum tunc oſtendat, cùm ſe pium in Defunctos manifeſtat.

Euthymius. Quod confirmans, & Ethymius addidit? *Tanquam homo, & interrogat, & lacbrymatur, aliaque facit quæcumque hominem eſſe ipſum confirmant, tanquam* DEVS *verò quatriduanum, ac olidum iam mortuum ſuſcitat, cæteraque operatur, quæcumque teſtantur eum eſſe Deum.* Pulchrè dictum, & ad id, quod intendimus valdè accommodatum.

Nefas apud gentiles Deum facere impiũ in defunctos.

13 Huius pietatis teſtimonia Gentiles quoquè nobis ſuppeditant non pauca. Scribit namque. Herodotus lib. 3. in Thaliâ apud Perſas nefas duci ſuppoſito igne defuncti comburere cadauer. Cuius moris cauſa nequaquam omnibus eſt obuia, nam ſolemne veteribus erat rogos in funere conſtruere, & flammis mortuorũ cadauera cremare. Sic Virgilius in funere Pallantis milites deſcribit circà mœſtum ignem decurrentes lib. 11. Æneid.

Virgilius,

Ter circùm accenſos cincti fulgentibus armis,
Decurrere ROGOS, *ter* MOESTVM FVNERIS IGNEM,
Luſtrauere in Equis, vlulatuſque ore dedere.

Sic innumeras à Latinis ibidem memorat conſtructas cadaueribus pyras.

Nec minus, & miſeri diuerſa in parte Latini.
Innumeras ſtruxere PYRAS.

Sic demum, & combuſtorum cinerem, & oſſa focis ruentia inducit.

Mærentes altum cinerem, & confuſa ruebant
Oſſa FOCIS, *tepidoque onerabant aggere terræ.*

Propertius.

Propertius quoque lib. 2. Elegiâ 1. ad combuſtionem reſpiciens ſepulchrum Buſtum, & cadauer mutam vocat fauillam.

Si te fortè meo ducet via proxima BVSTO.
Eſſeda cælatis ſiſte Britanna iugis,
Taliaque illacbrymans mutæ iace verba FAVILLAE,
Huic miſero Fatum dura puella fuit.

Et lib. 3. Elegiâ de auaritiâ puellarum, Indorũ morem refert, quo vxor magis dilecta cum defuncto marito vrebatur.

Fælix Eois lex funeris vna maritis
Quos aurora ſuis rubra colorat Equis
Namque vbi mortifero iacta eſt fax vltima lecto
Vxorum fuſis ſtat pia turba comis.
Et certamen habent lethi, quæ viua ſequatur
Coniugium. Pudor eſt non licuiſſe mori.
Ardēt victrices, ET FLAMMAE *pectora præbēt,*
Imponuntque ſuis ora peruſta viris

Ouidius,

Nec non Ouidius lib. 3. Metamorph. à ſororibus lugentibus rogum narrat defuncto paratum Narciſſo.

Planxerunt Dryades; Plangētibus aſſonat Echo.
Iamque ROGVM, *faces, Pheretrumque parabat.*

Suetonius.

Suetonius etiam in Iulio Cęſare, rogum pro Cęſare in Martio campo narrat extructum. *Funere indicto* ROGVS, *extructus eſt in Martio cãpo iuxtà Iuliæ tumulum;* Et in Tiberio eiuſdem Tiberij corpus publicè funere ait crematum. *Romam per milites* (corpus) *deportatum eſt,* CREMATVMQVE *publico funere.*

Beroaldus.

Beroaldus item in Suetonij Neronem ſcribens, tuniearum meminit ex lino asbeſtino, quibus, quippè quæ igne non abſumuntur, à lignorum cineribus cadaueris fauilla ſeparabatur. *Indè fiunt tunicæ Regum funebres, quæ corporis fauillam ab reliquo ſeparant cinere.* Nihil tandem apud probatos authores frequentius occurrit cadauerum crematione ab omnibus ferè populis vſu recepta. Vt quid ergò Perſæ à communi conſuetudine recedentes cadauera ſuorum cremare abhorrebant? Quia cùm Deũ in Defunctos pium agnoſcerent, ignẽ, quem Deum arbitrabantur, mortuorum crematorem, & conſumptorem facere, impium,

ac

ac diuinitate indignum putabant. *Nefas*, inquit Herodotus, *eſſe aiunt* DEO *depaſci cadauere hominis*. Tantâ pollet Deus in mortuos pietate, vt neque Gentiles, quem falsò Deum cenſebant, impium facere in defunctos auderent.

Dy luctui & ieiunio circà defunctos occupati.

14 Hinc fabulati ſunt Græci à ſummo Ioue in Deorum cócilio legem latam, vt Memnonis, & Sarpedonis eiuſdem Iouis natorum funera, quotannis luctu, ac ieiunio ſolemniter celebrarentur. Agnoſcebant nimirùm Ioui, quem tanquam Deorum Deum pręcipuè venerabantur, præcipuam in funera, & defunctos pietatem deberi. Quod Cœlius Rhodiginus teſtatur lib. 22. antiqu. cap. 1. his verbis. *Illud ſuperpondium fuerit, quod à Græcorum Grammaticis exaratum ſubſcribemus. Memnona, & Sarpedona Iouis filios ad Troiam interijſſe. Tanto autem*, A' DIIS *honore affectos, vt ferente legem Patre funeris diem luctu, & ieiunio celebrarent*. Apollinem quoque obducto vultu defunctum luxiſſe Phaëtontem refert Ouidius lib. 2. Metamor.

Cœlius Rhodiginus.

Ouidius.

At Pater obductos luctu miſerabilis ægro
Condiderat vultus.

En igitur apud Ethnicos quoq; defuncti à Dijs honore affecti, & luctu, ac ieiunio piè honorati. Nempè nedùm Sacra Sanctorum Patrum, verùm etiam prophana Gentilium authorum eloquia, Dei ergà defunctos pietatem dilucidè nobis teſtatam relinquunt.

CAPVT III.

Diuinum eſt opus, quod in gratiam exercetur Mortuorum.

Chriſtus diuinè ſe operarè profitetur, cū in fauorem mortuorum operatur.

1 EX hoc quoque diuina in defunctos pietas eluceſcit, quòd quamdam ſapiunt diuinitatem, ea, quæ fiunt ad teſtandam in mortuos pietatem. Lazarus obierat, & Chriſtus, quamuis, dum ille adhuc ægrotaret, vocatus, in eodem loco remanens, nec viſitauit amicum, neque curauit ægrotum. Quinimò corruptionem expectans cadaueris, non antè Bethaniam venit, quam Lazarus tartaro exceptus, & putredini obnoxius quatriduanus fęteret, ita vt Martha diceret *Domine iam fætet quatriduanus eſt enim* Io. 11. 39. Hic autem eſt quęrendum, quare Chriſtus præſtolanti auxiliū ferre diſtulerit amico. Cur qui mortem poſteà expulit, morbum anteà non eiecit? Cur non curare viuum, ſed eum voluit ſuſcitare defunctum? Cur potius quatriduano ſuppetias tulit, quam ægroto? Vt oſtenderet ſe, dum pietatem exhibebat mortuo, non humanum, ſed opus prorſus exercere diuinum. Patronum in hoc mihi aſumo D. Petrum Chryſologum ſerm. 63.

Petrus Chryſologus.

Videtis, quemadmodum dat locum morti, licentiam dat ſepulchro, corruptioni poſſe permittit, negat nil putredini, nil fætori, atque, vt tartarus rapiat, trahat, habeat, admittit, atque agit, vt humana ſpes tota periat, & tota vis mundana deſperationis accedat, quatenus quod facturus eſt, DIVINVM IT, *non humanum*. Adeò Dei eſt mortuis impendere pietatem, vt nō humanè, ſed diuinè ſe operari, cùm in fauorem mortuorum operabatur, Chriſtus declararet.

Dei opus eſt, quo defunctis pietas impenditur.

2 Huc voco celeritatem, quam Eliſæus Giezi præcepit, quem miſit, vt filium mulieris Sunamitidis excitaret defunctum. Iuſſit enim illi, vt lumbos accingeret, baculum arriperet, occurrentem non ſalutaret, & ſalutanti non reſponderet. *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tuâ, & vade. Si occurrerit tibi homo, nō ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi*. 4. Reg. 4. 29. Numquid non eſt charitatis obſequium occurrenti precari ſalutem amico? An non debet morigeratus homo ſalutem ſibi dicenti mutuâ ſalutatione reſpondere? Quomodo igitur Eliſæus Giezi, quem ad mortuum mittebat, & ſalutandi, & reſalutandi prohibet obſequium? Placet D. Ambroſius, dum lib. de 42 manſionibus filiorum Iſrael manſ. 46. ait præproperam opera Dei requirere ſolicitudinem, quare cùm opus quod Giezi aggrediebatur, opus eſſet Dei, tantam exigebat celeritatem, vt ad illud feſtinans, nec dicere, nec reddere occurrentibus deberet ſalutem. *Eliſæum*, inquit Ambroſius; *In Regnorum lib. Giezi iniunxiſſe legitur, accinge inquit, lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tuâ, & vade, & ſi inueneris aliquem, non benedicas ei, & ſi benedixerit tibi quiſpiam, non reſpondeas ei*, NAM OPVS DEI PRAEPROPERAM ETIAM FESTINATIONEM EXIGIT. Dei eſt opus, quo quis defunctis pietatem impendit, quare cùm ad ſuſcitandum mortuum Giezi properaret, Dei opus exercebat, ac propterea omnes, quæ poterant ei occurrere, tenebatur intercludere moras.

D. Ambroſi⁹.

Defunctorum corpora ſepelire Deus non dedignatur.

3 Nec mirum Dei opus eſſe pietatem defunctis exhibitam, dum illam per ſeipſum interdū exercere non dedignatur. Caſtra mouentibus ad montem Hor Hebræis, pęnas ſuæ incredulitatis, Deo annuente, ſoluens, in eodem monte fatis Aaron, ignorante multitudine, conceſſit. At quod ſcrutandum occurrit, eſt, quòd ſacer textus, qui eum per Moyſen ad montis ſupercilium deductum, ſacerdotali veſte exutum, & ad Patres ſuos collectum deſcribit, eius tamen ſepulturam omittat. Quare Moyſes, qui, vt filium indueret, Patrem nudauit, filio adiuuante Patrem non humauit? Nùm inſepultus, auibuſque diſcerpendus iacere debebat, quē ſacris infulis inſigniendum Deus elegerat? Nequaquam, ſed Deus Moyſen præueniens, Eleazarum ſacerdotij ſucceſſorem induentem, terram aperuit, ac per ſe ipſum defunctum Aaron ſepulturæ mandauit. Hæc Oleaſtro debemus in cap. 20. Numeror. *Aperuit* DOMINVS *terram, quæ eum accepit, & ſtatim coniuncta eſt, ita ut neque veſtigium ſepulturæ ibidem amplius videretur*. O Dei in defunctos inſignem pietatem, quâ terram ad funus aperi-

Oleaſter.

re

Digitized by Google

re, ac mortuum ſeruulum, cùm ſit omniũ Dominus, non dedignatur ſepelire. Hoc & Moyſi præſtitit ſuper montem Nebo, terram lacte, ac melle manentem oculis luſtranti: *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & ſepeliuit eum.* Deuter 34. 5. Quod admirans idem Oleaſter. *Sunt multi*, inquit, *Principes, qui dedignantur exequijs intereſſe ſuorum, DOMINVS verò, vt vides, ſeruum ſepelire dignatur.* Agnoſce Deum adeò in defunctos pium, vt extrema eis perſoluens, quod homines dedignantur, ipſe per ſe officium exequi ſepulturæ dignetur.

Qui defũctos ſepelit, Dei mores imitatur. Rabbi Chamà.

4 Neque ab hoc aberrat, Rabbi Chama illud Deuter. 13. explicans, *Dominum Deum veſtrum ſequimini*; in lib. enim Hen Iſrael in Sutà cap. 1. ità loquitur. *Et quomodo poteſt homo ſequi Deum? nonnè ſcriptum eſt Deuter. 4. Etenim Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt, Deus Zelator? Verùm ſequitur mores eius.* Deum ſequuntur, qui eum imitantur, & ad morum illius normam vitam ſuam componunt. Verùm quos Dei mores, vt exequantur, imitari homines debent? Multos, inter quos non infimum obtinet locum ſepultura mortuorum. Accipe eumdem Doctorem paulò infrà ità loquentem. *Quid facit Deus Sanctus, & Benedictus? ſepelit mortuos: quare ſcriptum eſt Deuter. 34. Et ſepeliuit eum in valle. Tu quoque igitur ſepeli defunctos.* Tam pius in mortuos eſt Deus, vt eos etiã ſepelire non abhorreat, quapropter, vt eum imitemur, & ſequamur, mortuis nos quoque religioſum ſepulturæ officium præſtare debemus.

Dei lex ab indumento incipit viuorum & in ſepulturam deſinit mortuorum.

5 His addere non grauabor, quæ ibidem Rabbi Samlai acute notauit, Dei videlicet legem ab operibus pietatis initium ſortitam eſſe, ac finem. Initium quidem, quia Deus in principio Geneſ. protoparẽtes nudos tunicis induit, finem verò, quia in fine Deuter. Moyſen defunctum in valle humauit. Sicque factum eſt, vt qui viuis pietatem exhibuerat, legem inci piens, mortuo miſericordiam impenderet, eam perficiens. Sed iam verba Doctoris afferamus.

Rabbi Samlai.

Initium legis opus pietatis, & finis legis opus pietatis. Initium quidem eſt opus pietatis, quia ſcriptũ eſt Geneſ. 3. & fecit Dominus Deus homini, et vxori eius tunicas pelliceas, & induere fecit eos. Finis verò eſt opus pietatis, cùm ſcriptum ſic Deuter. 34. et ſepeliuit eum in valle. Operibus pietatis legẽ ſuam Deus concluſit, & mortuorum non minùs miſertus, quàm viuorum, qui in principio ſe viuos induentem, in fine ſe oſtendit defunctos ſepelientem.

Mortuorum corpora Deos humaſſe Gentiles fabulantur. Plutarchus.

6 Quin, & Plutarchus quoque in Phocione hanc indicat ergà defunctos Dei pietatem, dũ Megaricam mulierem narrat priuato funere oſſa Phocionis in ſinu collecta, & domum deportata, his verbis Deos Penates allocutam, humaſſe. *Apud vos optimi Penates has boni viri reliquias depono. Eas vos, cùm Athenienſes ad mentem redierint, patrio reddite ſcepulchro.* Deos ergà defunctos adeò clementes agnouit, vt eis veluti mortuorum humatoribus Phocionis ab Athenienſibus contempti humationem in patrio ſepulchro commendauerit. Homerus etiam filios Niobe refert Iliad. 24. Deorum curà, hominibus deficientibus, piè ſepultos.

Homerus.

Qui quidem nouem dies iacebant in cęde, neque quis erat
Qui ſepeliret, populos enim lapides fecerat Saturnius:
Hos verò decimâ die ſepelierunt Dij cælites.

En à ſuperis Gentilium Dijs ex Homero humati, quos mortuos gladius interfectoris tranſmiſerat ad inferos, tàm enim peculiaris eſt Dei pietas in mortuos, vt non poſſent Idolorum cultores hanc non tribuere pietatẽ, quibus tribuebant ſuperſtitioſâ veneratione diuinitatem.

Iunonẽ cum Iride corpora defunctorum fouiſſe ydem tradiderunt. Statius.

7 Sed non minùs diſertè hanc Dei pietatem Statius Papinius deſcribit, cùm lib. 12. Thebaidũ Iunonem inducit duces in prælio defunctos curantem, eorum cadauera fouentem, atque Iridi, vt mortuorum membra ſuccis Ambroſijs ad corruptionem arcendam perfundat, mandantem.

Ipſa per aduerſos ducit Saturnia Colles,
Occultaſque vias, ne plebs congreſſa ſuorum
Ire vetet, pereatque ingentis gloria cœſi.
Nec non functa Ducum fouendi corpora curam
Iris habet, putreſque arcanis roribus artus,
Ambroſiæque rigat ſuccis, ve longius obſtent.

Lactantius.

Ad quæ carmina Lactantius hæc ad rem noſtrã exarauit. *Ipſa Iuno, et auia monſtrat itinera, et refouet corpora mortuorum; Mandat ſimul curam Iridi, quæ Ambroſijs ſuccis perfundens, ea debere ſolui vetabat.* Vide Gentiles eam, quam fecere Dearum Principem, feciſſe quoque in mortuos clementem, vt non minùs verâ, quam eĩ tribuebant, pietate, quàm falsâ, quam in eâ fabulabãtur, eſſet diuinitate inſignis.

Pro defunctis luctum quemdam Deus agit.

8 Quòd ſi ſepulturæ officium luctus comitatur propinquorum, nedùm ſepelire, verùm etiã viſus eſt quandoq; Deus defunctos quodãmodo lugere. Conſurrexerat Cain aduersùs Abel in agro, immani parricidio innoxium fratris ſanguinem effundens. Inuidiæ liuorè adhuc tabeſcentem, ac recentis cruoris effuſione immundum adijt Deus, dixitque ad eum. *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me ad terrâ; Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, et ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tuâ. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus tuos* Geneſ. 4. 12. Hæc perpendens Chryſoſtomus hom. 13. in Epiſt. ad Roman. & cum eis conferens, quæ lugentes faciunt, & quæ Dauid montibus Gelboe, Saul Regem plangens, eſt imprecatus, Deum agnoſcit verbis illis pro Abel defuncto luctum quemdam agentem. *Imitatus eos, qui ſuorum caſus, et calamitates deplorant, id quod et Dauid ad caſum Saulis faciebat,*

nem

Chryſoſtomus.

ſ..m, & ille malum imprecabatur montibus, qui occiſionem illius ſuſceperant, dicens, Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia cadant ſuper vos, quoniam in vobis protecti ſunt Scuta fortium. *Ita & Deus* Luctum quemdam agens, *dicebat; vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* Quid clarius ad rem noſtram poterat exarari? Nimirùm ea eſt in defunctos Dei pietas, vt quamuis gaudij author, & letitiæ origo, pro eis luctum agere videatur.

Gētiles Deos pro mortuis fabulati ſunt lugere.

9 Hîc reticere non poſſumus carmina Græca, quæ ad tumulum ſororis Eugeniæ Agathias poſuit Poeta lib. 3. Anthologiæ cap. 12. in quibus refert tres Deas, Muſam, Venerem, & Themin, Eugeniam luxiſſe, & ad maioris luctûs indiciū comam ſecaſſe, & crines totondiſſe.

Agathias.

Εὐγενίας κρύπτει χθὼν ...... αἱ δ' ἐπὶ τύμβῳ
Κείραντο ...... Μοῦσα, Θέμις, Παφίη.

Eugenie iacet hîc, ad cuius buſta ſecarunt
Cæſariem Muſæ, & cum Themide alma Venus.

Senſerunt Gentiles Deum in defunctos adeò eſſe pium, vt pro eis quodammodo luctum agat, ideòque ad tumulos mortuorum deas lugentes, in luctu comam, & crinem induxerunt abſcindentes, quatenus nobis conſtaret diuina eſſe, quæ in defunctos pietatis opera, exercentur.

CAPVT IV.

Singularis in Defunctos Dei prouidentia explicatur.

Dei prouidentiâ defunctorum corpora ſepeliuntur.

1 LIcet ſe totum in Defunctos pium miris modis Deus oſtendat, iure tamen potiori eius Prouidentiæ videtur hęc pietas adſcribenda. Cuius rei primum nobis exhibet Argumentum D. Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap 3. Qui ea expendens, quibus religioſa officia in cadauera defunctorū à Deo in Sacro Volumine commendantur, hæc non tam mortuorum corporibus neceſſaria, quàm Dei prouidentiæ conſentanea eſſe teſtatur. Quis enim cadaueribus ſenſus, vt gaudeant ſe, vel aromatibus condiri, vel terræ mandati, vel igne cremari? Quæ mortuorum corporum ſolatia funeris elatio, turbarum ploratus, pompa exequiarum? non mortuorum indigentiam, ſed Dei præſeferunt iſta Prouidentiam.

Auguſt.

Verùm iam audiamus Auguſtinū diſertis verbis id affirmantem. *Iſtæ authoritates non hoc admonent, quòd inſit vllus cadaueribus ſenſus,* Sed ad Dei Prouidentiam, *cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere ſignificant.* Diuinam redolent ſepulturæ officia prouidentiam, quæ nedum animarū, ſed etiam corporum curam gerit defunctorum.

Defunctorum probra Dei prouidentiâ vitantur.

2 Quod mirificè in Palęſtina patuit, dū à Barbaris D. Io: Baptiſtæ oſſa diſpergerentur, & igne cremanda pulueri ſordido immiſcerentur. Inferni furijs agitati ſacrum veſana mente inuaſerunt ſepulchrū, & defuncti corporis reliquias manu tractantes crudeli, diſperſas iactabant, iactatas colligebant, & collectas flammis donare, ac earum cineres per agros, & rura diſſipare contendebant. At diuina defuncto corpori non defuit prouidentia: Ieroſolymitani enim monachi, qui orationis causâ illùc receſſerant, mortis periculo prorſus contemnentes, oſſa legerunt ad ſepeliendum, quæ barbari quęrebant ad exurendum. Hæc omnia Euſebius Cæſarienſis lib. 11. cap. 38. adamuſſim recenſet *Accidit, vt apud Sebaſtem Palæſtinæ vrbem ſepulchrum Ioannis Baptiſtæ mente rabidâ, & ſanctis manibus inuaderent, oſſa diſpergerent, atque ea rurſum collecta igne cremarent, & ſanctos cineres pulueri immixtos per agros, & rura diſpergerent.* *Sed* Dei Prouidentia *factum eſt quaſdam de Ieroſolymis ex monaſterio Philippi hominis Dei orationis illuc causâ per idem tempus veniſſe, qui cùm tantum nefas humanis quidem manibus, ſed ferinâ mente fieri viderent, mori gratius habentes, quàm huiuſcemodi piaculo funeſtari, inter eos, qui oſſa ad exurendum legebant, mixti, diligentiùs, in quantum res patiebatur, ac religioſiùs congregantes, furtim ſe, vel ſtupentibus, vel inſanientibus ſubtraxere.* En diuinâ factum prouidentiâ, vt Barbaros in defunctum immaniter ſæuientes imperterriti perturbarent monachi, eò in mortuum corpus religioſiores, quò illi fuerunt in idem immaniores.

Euſebij Cæſarienſis.

Mortuorum contumelias Dei prouidentia propulſat.

3 Aliud, & magis illuſtre huius rei teſtimonium apud Ioan: cap. 19. habemus, vbi cùm Iudæi Pilatum rogaſſent, vt crucifixorum crura frangerentur, non tamen milites Chriſti crura fregerunt. Mirabitur, qui militum perpendet in Chriſtum ſæuitiem, & petulantiam, quòd crura non fregerint pendentis, qui tam immaniter membra torſerant viuentis: Quæ perditorum corda, pietas emolliuit, vt latronum crura frangentes, à Chriſti crurifragio abſtinerent? Id non militaris pietatis, ſed diuinæ fuit opus prouidentiæ, quæ in Corpus Chriſti iam defunctum probra non ſuſtinuit irriſorum. Benè Simon Caſſianus lib. 13. cap. 124 *Quòd Chriſto crura fracta non ſunt* Diuina Prouidentia *factum eſt, cuius rei figuram Agnus præceſſit, de quo dictum eſt, os non comminuetis ex eo.* Defunctorum ignominias Dei prouidentia propulſat, quâ factum eſt, vt Chriſti iam defuncti crurifragium ab inſolentiâ militari ſit auerſū. *Primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum non fregerunt eius crura.* A cadauere quippè defuncto, quas fieri corporibus adhuc viuentibus permiſerat, Dei prouidentia contumelias arcebat.

Simon Caſſianus.

Veneris prouidentię adſcriptū, quòd adoleſcentis funus à puellâ non irrideretur.

4 Hanc eamdem veritatem Ouidius lib. 15. metam. lepidâ oſtendit fabellâ. Iphis Cyprius Anaxaretes puellæ amore captus, cùm ſe contemni aduerteret, ne diutiùs doleret, noctū ante fores dilectæ ſuſpendio ſe necauit. Cui cùm funus omnium mœrore ſolemne duceretur

Digitized by Google

cerct ur ſola Anaxarætes nimiâ crudelitate veſana, vt cadaueris conſpectu delectaretur, ad ſuperiorem domûs partem acceſſit, contempti adoleſcentis reliquias cum riſu proſpectura. Verùm id non tulit Veneris in defunctum miſeratio, quæ ſaxi duritie animi duritiem puniēs, puellam iam riſum parantem cohibuit, & ſaxo rigidiorem in ſaxi rigorem conuertit.

Ouidius.

Videamus, ait, miſerabile funus,
Et patulis iniit tectum ſublime feneſtris,
Vixque benè impoſitum lecto proſpexerat Iphim,
Diriguere oculi, calidusque è corpore ſanguis
Inducto pallore fugit, conataque retrò
Ferre pedes, haſit, conataque auertere vultus,
Hoc quoq; non potuit, paulatim q; occupat artus,
Quod fuit in duro iam pridem corpore ſaxum.

Hunc Deæ rigorem Salamini proſpicientes, vt facti memoriam æternitate donarent, Veneri proſpicienti templum ædificarunt, quapropter ſubdit Poëta.

Nèue ea ficta putes, Dominæ ſub imagine ſignū
Seruat adhuc Salamis. Veneris quoque nomine templum
Proſpicientis habet.

Raphael Volaterr.

Huius cognominis rationem ſcrutanti aptior nulla occurrit, eâ, quam Raphael Volaterranus affert hunc locum dilucidans, Venerem nimirum dictam eſſe proſpicientem, ideſt prouidentem, prouiderat enim, ne defunctus amator à ſuperbâ contemneretur puellâ. *Venus proſpiciens dicta videtur, Quòd virginum ſuperbiam amatores contemnentium proſpiceret, atque* PROVIDERET. Veneris prouidentiæ adſcripſerunt Salamini, quòd Anaxarætes in ſaxum conuerſa defuncti adoleſcentis funus haud irrideret. Nouerant quippè Gentiles diuinâ Prouidentiâ defunctorum probra caueri.

Dei prouidētiâ crucifixorum cadauera humātur.

5 Addo quod ſolerti acumine diſcuſſit Rupertus Abbas in Ioan. c. 20. acceleratam Chriſti Domini ſepulturam perpendens. Vix afflictū in paternas manus commendauerat ſpiritum, cùm Iudæi Pilatum rogauerunt, vt crucifixorum corpora fractis cruribus humarētur. *Iudæi ergo quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora ſabbato, erat enim magnus ille dies ſabbati, rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Io. 19. 31. Ecquæ tanta erat ſabbati religio, vt irreligioſum crederent cadauera eâ die pendere cruci affixorū? Cur quos mortis pęnâ mulctauerant, ſepulchri quoque mulctare non licuit priuatione? Quare in patibulo appenſum, in patibulo prohibentur omittere inſepultum? Id diuinæ tribuendum prouidentiæ, acceleratam crucifixorum præcipienti ſepulturam, ne Chriſti corpori defuncto extrema pietatis officia deeſſent. Pulchrè Rupertus Abbas. *Hoc erat præceptum, vt in patibulo appenſus eodem die ſepeliretur,* PROVIDENTE *in corpore ſuo ſepulturæ libertatem ipſo Dei Verbo, quod per Moyſen loquebatur.* Crucifixorum cadaueribus Dei Verbum ſepulturæ prouiderat officium, vt qui viuentes vltione damnati fuerant iuſtitiæ, mortui pietate potirentur prouidentiæ.

Rupert⁹. Abb.

Chriſto defūcto nouum & lapideū Dei prouid. parauit ſepulchr.

6 Nec minùs hanc admirabimur prouidentiam, ſi ſepulchri genus, quo Chriſti corpus cōditum fuit, expendemus. Erat quippè monumētum nouum, lapideum, & in quo nulla defunctorum cadauera fuerant humata. *Erat autem in loco vbi crucifixus eſt Hortus, & in horto monumētū nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat.* Io. 19. 41. Mirum, quòd qui viuens eâ premebatur paupertate, vt non haberet, vbi caput reclinaret, mortuus tantâ conderetur ſolemnitate, vt & lapideum, & nouum ei pararetur ſepulchrum. Quomodo Ioſeph ab Arithmathia *diſcipulus* quidē Ieſu, *Occultus autē propter metum Iudæorū* tantâ polluit fortitudine, vt Iudæis vidētibus, & præ inuidiâ, & rabie frementibus, diræ ignominiam mortis lapidei compenſaret gloriâ monumenti? Nùm tanti celebritas ſepulchri non tā Ioſephi diligentiæ, quàm Dei eſt adſcribenda prouidentiæ? Id quoque attigit eodem in loco idem Rupertus. *Hoc ſibi* PROVIDERAT *ipſe, qui ſepeliebatur, vt ſicut naſciturus vterum ſibi virginalem præparauit, ad quem vir non acceſſerat, ita reſurrecturus, nouo, & lapideo monumento recōderetur, in quo nondùm quiſquā poſitus fuerat.* Quēadmodum Deiparæ Virginis Sanctitatem, ita lapidei ſepulchri Dei prouidentia parauit nobilitatem, vt qui incarnatus, ac naſciturus inacceſſum repererat vterum, defunctus, ac reſurrecturus nouum ingrederetur monumentum.

Rupertus.

Iudæorum in Chriſt. defun. ſuſpicioni Dei prou. occurrit.

7 Quòd ſi cum Victore Antiocheno in Gloſsâ Marc. 15. Nouum, ac lapideum monumentū ad abolendam reſurrectionis ſuſpicionem, Chriſto defuncto paratum aſſeramus, nec id citrà peculiarem Dei prouidentiam contigiſſe fatendum. Prouidit quippè Deus nouum monumentum, quò nouæ obiuaret in defunctum maledicentiæ, & lapideum, quò lapidea Iudæorum corda tenerentur, ne Chriſtum dicere poſſent, non ad vitam glorioſè reuocatū, ſed à ſepulchro furtim ſublatum. Præclarè rem vrget Victor Antiochenus. *Quòd Chriſtus Dominus non in veteri, ſed in nouo monumento conditur, illud non citrà peculiarem* PROVIDENTIAM, *& ſapientiam accidit, ſiquidem per hoc vnum præcautum eſt, ne vlla prorſus ſuſpicio oboriri poſſit, alium pro alio inde reſurexiſſe.* Facile Iudæi cunctis eius actionibus infenſi, Chriſti ſuſpectam reddidiſſent reſurrectionem, Redemptoris, licetiam defuncti, famam probris, & mendacijs lacerantes, cui malo vt occurreret, nouum & lapideum, quò tolleretur omnis in defunctum ſuſpicio Dei prouidentia parauit monumentum.

Victor Antio.

Nobilem diſcipulum pro Chriſti ſepulturâ Dei prouidentia elegit.

8 Illud verò circa Domini ſepulchrum item adnotandum occurrit, quòd Ioſeph Arithmathæus impauidus acceſſit ad Pilatum, & defuncti magiſtri diuino cadaueri officium impetrauit

Digitized by Google

uit ſepulturæ Matth. 26. *Diſcipuli omnes*, Chriſti paſſione iminēte, *relicto eo fugerunt*, & Ioſeph Pilatum adit, corpus petit, & extrema defuncto perſoluit pietatis officia? Timent Apoſtoli, qui ei palā miniſtrabāt, & nō metuit Ioſeph, qui eū occultè ſequebatur. Quomodo tanta huic viro fuit audacia, vt Aulam ingredi Pilati, & corpus poſtulare nō metueret Defuncti? Dignitas, quā prçditus erat, metū excluſit, qui ſuboriri poterat: ad hoc quippè diuina prouidentia tantæ nobilitatis virum Chriſti diſcipulū fecerat, vt eius cadauer faciliùs à Pilato impetrare poſſet, ac ſepulturç mandare. Subſignat Paſch. c. 24. Matth. explicans. *Intelligendum fiduciâ dignitatis ſuæ hoc feciſſe, quâ præditus poterat familiariter intrare ad Pilatū, eò quòd honorabilis eſſet omnibus, ac liberalius impetrare: ad hoc quippè ex* PROVIDENTIA *Dei olim electus erat diſcipulus*. Chriſti ſepulturam diuina prçordinans prouidētia Ioſeph Arimathçū inſignis nobilitatis virum ad diſcipulatum elegit, quò poſſet, omni remotâ difficultate, defuncti corpus à Præſide obtinere.

Paſchaſius.

Diuitem Ioſ. vt corpus Chriſti poſſet impetrare Dei prouidentia effecit.

9 Imò nedum nobilem, verùm ètiam diuitē fuiſſe virum iſtum Sacræ paginæ tradiderunt. *Cùm autem ſero factum eſset, venit quidam homo diues ab Arimathæa. Nomine Ioſeph* Matth 27. 57. Ita nè cum Piſcatoribus, ac Telonearijs diuitē quoq; ſectator paupertatis Chriſtus elegit? Quamobrem inter inopes, & pannoſos, diteſcentem permiſit diſcipulum, et opulentum? Cur nō iuſſit omnia vendere, & dare pauperibus, vt expeditiùs, diuitiarum onere depoſito, viam mandatorum Dei percurreret? At diuitem diuina prouidentia ſeruauit, quia non niſi diues ad Pilatū accedere, & Chriſti cadaueri ſepulturæ officium poterat obtinere? Eleganter id attigit Beda in catenâ in Io. 19. his verbis. *Cælitus* PROVISVM EST *vt eſſet diues, vt ad Præſidem poſſet accedere, & vt eſſet iuſtus, vt corpus Domini mereretur accipere*. Non pauperes, ſed diuites facilem habent ad Magnates acceſſum, Vndè diuinâ factū eſt prouidentiâ, vt Ioſeph diues eſſet, quò facilè ad Pilatum accedens, defuncti Magiſtri cadauer vnguentis piè obliniendum, & ſepulturç acciperet religioſè mandandum.

Beda.

Defuncto Chriſto celebritatem, & vitam Dei prouidentia conculit.

10 Vix autem diuinum cadauer Ioſeph Arimathæus humauit, cùm Iudæi Pilatū adeuntes, ad ſupprimendam nominis Chriſti celebritatē, milites petierunt, nocturnos monumenti cuſtodes. Nec enim eorum crudelitati ſatis erat ſæuijſſe in viuum, niſi etiam immaniter ſe gererēt in mortuum. Quid verò moliebātur tam ſoliciti de ſepulchri cuſtodiri doloſi iſti nebulones? Diuinam ſatagebant impedire prouidentiam, quæ defuncto Chriſto, & nominis celebritatem, & corporis parabat reſurrectionem. Luculenter id expreſſit Gloſ. in Matth. 27. *Notandum, quòd volentes impedire* DIVINAM PROVIDENTIAM, *cōtrà ſuam intentionem promouent illam, ſicut Fratres Ioſeph vendiderunt ipſum, ne adorarent eum, & per hoc compulſi ſunt eum adorare, ſecundùm ordinem* PROVIDENTIAE DIVINAE. *Sic Principes Iudæorum volētes impedire celebritatem nominis Chriſti, fuerunt valdè diligentes de cuſtodiâ ſepulchri, & per hoc celebrata eſt fama de veritate ſuæ reſurrectionis, & per conſequens ſui nominis.* Aſſiduâ monumenti cuſtodiâ Dei prouidentiæ inſipienter occurrere conabantur Iudæi, quæ defuncto Chriſti corpori, & gloriam collatuura erat, & vitam.

Gloſſa.

Rachelis in gratiam mortuorum ploratus, Deo prouidente, fuit editus.

11 Hanc ſingularē Dei ergà defunctos prouidentiam Rachelis quoque ploratus oſtendit, quē in cæde Bethleemiticorū puerorū eam ediſſe Matth. cōmemorat. c. 2. 17. *Tunc adimpletū eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam; Vox in Rhama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos*. Hunc nimirùm ploratum, non niſi diuinâ exigente prouidentiâ in defunctorum infantulorum gratiam editū fuiſſe diſertis verbis affirmat in hunc locum Euthymius. *Quando dicit, tunc completum eſt quod dictum eſt per Ieremiā Prophetam, ſignificat hoc* PROVIDENTE DEO *factum eſſe, ac per Prophetam prædicente, & ita fieri permittente ſecundùm ſuam gubernationem*. Deo prouidente mortem paruulorum lachrymis Rachel plorauit obortis; quçcumque enim pietatis officia mortuis exhibentur, diuinâ ſuauiter diſponente prouidentiâ, impenduntur.

Euthymius.

Iudæi ad Lazari properāt tumulum, diuinâ id agente, prouidētiâ.

12 Defuncto Lazaro multi ex Iudæis eius ſorores Bethaniæ commorantes, vt eas conſolarentur, adierunt. Qui cùm Mariam Magdalenam ad Domini aduentum citò ſurgentem, & exeuntem conſpexiſſent, putantes, quòd fratris monumentum adiret, ſunt eam ſecuti. *Iudæi ergo, qui erant cum eâ in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit & exijt, ſecuti ſunt eam, dicentes, quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.* Io. 11. 31. Quam verò ob cauſam exeuntem Magd. Iudæi ſunt comitati? Quid illis cum monumento, qui iam in domo ploranti ſolatia præſtauerant verborum? Numquid opus erat proſequi ſurgentem, quam conſolati erant ſedentem? Nequaquam: ſed diuinâ id factum eſt diſponente prouidentiâ, quā obſecundantes Iudæi, ad defuncti tumulum piè cum Maria ploraturi acceſſerunt. Profectò huc alludere videtur Cyrillus Alexand. lib. 7. in Io. c. 19. *Putantes Iudæi, qui ad ipſam conſolandam venerant, quòd ad Fratris tumulum properaret, lachrymis ſolatiū quæſitura, & ſuo dolori fletibus ſatisfactura, ſecuti ſunt eā* DIVINA ID AGENTE PROVIDENTIA. Audis Dei geſtum prouidentiâ, quòd Iudæi ad tumulum properarent defuncti? opera quippe miſericordiç, quç circà tumulos mortuorum gratiâ geruntur, diuinâ id agente prouidentiâ, exercentur.

Cyrill. Alex.

Diuinâ prouidentiâ pretiū ſang. Chriſti in ſep. effunditur defunctorum.

13 Quod dicimus tumulus ille confirmat, quem in ſepulturam peregrinorū ex pretio ſanguinis Chriſti Principes erexere ſacerdotū. *Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorū.* Matth. 27. 7. Monſtrum vi-

detur, quòd hac pietate arderent in mortuos, qui tantâ impietate graſſabantur in Chriſtum. Ecquæ lapidea corda penetrauit miſeratio, vt quos in Chriſti necem contulerāt, in peregrinorum ſepulturam argenteos conferrent? Quæ illis religio, vt mortuorum ſepulchrum extruere cogitarent, dum inſontium vitam deſtruere ſatagebant? Non vtique Iudaica pietas, ſed diuina ex pretio Chriſti monumentum mortuis ędificauit prouidentia. Quod aduertit S. Auguſtinus in catenâ in cap. 27. Matth. PROVIDENTIA DEI *factum puto, vt pretium ſaluatoris, non peccatoribus ſumptū præbeat, ſed peregrinis requiē ſubminiſtret, vt iam exindè Chriſtus, & viuos ſanguinis ſui paſsione redimat, & mortuos pretioſá paſſione ſuſcipiat*. Diuina in mortuos hoc effecit prouidentia, vt pretium ſanguinis Chriſti in Peregrinorum ſepulturam effunderetur, quò nedū viui, ſed etiā Chriſti paſſione gauderēt defuncti.

S. Auguſtinus

Dei prouidētiâ Chriſtus poſt mortem mortuos viſitauit.

14 Hùc ſpectat, quòd Chriſto in Cruce defuncto, eius corpus ad ſepulchrū, cum cadaueribus manſurum, anima verò ad inferos deſcēdit, cum ſpiritibus mortuorum commoratura. At quid lucis authori cum tenebris, vt ad tenebras monumenti deſcenderet, ac Lymbi? Quid ſuperorum Dño cum inferorum ergaſtulo, vt centrū terræ incoleret, qui cęli faſtigia regebat? Quæ conuentio Chriſti ad Belial, vt carceres diaboli filius viſitaret altiſſimi? Planè id diuina exigebat prouidentia, vt ſicut viuens habitauerat cū viuentibus, ita mortuus cum mortuis in eorum ſubſidium commoraretur Dei filius. Eadē fuit Rup. Abb. mens, cùm explicans c. 5. Cant. Chriſtum hęc induxit effantem. *Sicut viuentibus vobis pro modo veſtro, ita, & defunctis illis pro modo ipſorum ſapientia Dei* PROVIDIT, *eam ſemq; menſā parauit; ſiquidem diſſipati ſunt illi, quoniam animæ quidē apud inferos ſunt in requie ſpei, corpora verò requieſcunt in ſepulchris, diſſipabor & ego panis viuus, qui de cœlo deſcendi, & anima quidem ad animas illorum, corpus verò deſcendet ad corpora ipſorum, ſcilicet in eius terræ ventrem, quo illa recepti ſunt*. En Dei prouidēte ſapientiâ factum, vt corpora, & animæ defunctorū, corporis, & animę Chriſti pręſētiâ in tenebris illuminatę, gauderēt.

Rupert. Abb.

Diuinâ prouidentiâ Chriſto funerea ſunt exhibita vnctiones.

15 Accedunt ad comprobandam peculiarē in mortuos Dei prouidentiam Magd. vnguenta, quæ ſuper caput Chriſti recumbentis opulenter effudit. Sanè paupertatis Magiſtrum dedecere videbatur tam pretioſa mulieris vnctio, vt propterea non ſit mirandum, quòd videntes diſcipuli, contra mulierē ſint indignati. Cur pecunias in pauperū ſubſidium ad peccata delenda erogandas, ſuperflua fundens vnguēta profundit? Quare terrenas abhorrentem delicias, delicatis vngit aromatum ſtructuris? An diuina id egit prouidentia, vt anticipata Chriſto iā morituro exequiarum officia præſtaret? Ad rem Remigius in catenâ in c. 26. Matth. *Conſuetudo erat illius populi, vt corpora mortuorum diuerſis aromatibus condirentur, quatenus diutius illæſa conſeruarentur, & quia futurum erat, vt hæc mulier corpus Domini mortuum vellet perungere, & tamen non poſſet, quia reſurrectione anticiparetur, ideò* DIVINA PROVIDENTIA *actū eſt, vt viuum Domini corpus perungeret*. Ita eſt in defunctos Dei prouidentia, vt quæ defuncto debebantur, ſed exhiberi non poterant, viuenti anticipata ſolutione præſtari diſpoſuerit, funereas aromatum vnctiones.

Remigius.

Dei prouidentiâ Lazarus, ex morte reuocatur.

16 Vt viderunt Chriſtū in morte Lazari deplorantem, eius impotentiæ adſcripſerunt Iudęi, quòd vitā dilecti non præſeruaſſet ægroti. *Quidam autē ex ipſis dixerunt, Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur?* Io. 11. 37. Hos iurè meritò redarguit Cyrillus Alexand. lib. 7. in Io. c. 21. oſtendens non Chriſti impotentiæ, ſed Dei Lazari mortem adſcribēdam prouidentiæ, qua maiori miraculo excitaretur mortuus, quam ſi à morte ſeruatus eſſet illæſus. *Adſcribunt*, verba ſunt Cyrilli, *impotentiæ Chriſti, quòd Lazarus mortuus fuerit, quaſi eum non valuerit à morte præſeruare, cùm hoc quidem potuerit Dominus, ſed permiſit vt Lazarus moreretur, quatenus maiore miraculo ſuſcitaretur, quemadmodum Domino in Crucem acto blaſphemātes dicebant, alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Itaque vtrumque horum, & quòd Lazarum mori ſit paſſus, & ipſe in Cruce permanſerit, admiranda eius* PROVIDENTIAE, *& diuinæ diſpenſationi eſt attribuendum*. Profectò diuinæ prouidentiæ diſpenſationi tribuendum, quòd Lazari mortem permitteret, vt in mortuum plus, viuum ab inferis eum reſuſcitaret.

Cyrill. Alex.

Diuinâ prou. Elias filium ſuſcitat mulieris Sarepthana.

17 Quò etiam tendiſſe videtur, cùm mulieris Sarepthanæ filio ægrotanti mortem immiſit, quamuis enim ex naturali causâ potuerit mors illa contingere, diuinæ tamen potiùs tribuenda videtur prouidentiæ, quæ pandens Eliæ ſanctitatem, defuncto parabat ſuſcitationem. Audiamus B. Dionyſium Carthuſ. in 3. Reg. 17. id monentem. *Potuit infirmitas illa ex naturali accedere causâ, potiùs tamen* EX DIVINA PROVIDENTIA, *vt per pueri ſuſcitationem Deus omnipotentiā ſuam inter Gentiles oſtenderet, ac ſui Prophetæ panderet ſanctitatem*. Quæ ſigna in defunctorum gratiam ſiunt, Deo prouidente patrātur, & ideò Diuinæ fuit opus prouidentię ſignum, quo Elias Thesbites Sarepthano vitā eſt largitus defūcto.

Dion. Carth.

Signa pro defunctis, Dei prouidentiâ eduntur.

18 Apprimè ad rem præſentem quadrat, quod Cōſtantino contigit Monomacho in obitu Imperatricis vxoris. Cùm enim ex eius monumento fungus germinaſſet, cœleſte prodigium putans, quod naturaliter ob loci humiditatem acciderat, ſignum exiſtimauit diuinâ prouidētiâ editum, quò Angelorū cœtui defuncta Imperatrix aggregata noſceretur. Signa quippè, quæ in defunctorum gratiam eduntur, non aliundè, quàm à Diuina prouidentia ortum habere ſapienter putabat. Egregiè Ioannes Zonaras tomo 3. Annalium rem deſcripſit. *Imperatrice Zoe prouecta ætate mortuâ, ſeptuageſimum*

Ioann. Zona.

enim

cuius annum exceſſerat, obitum eius, non, vt viro dignum eſt tulit, ſed muliebriter luxit, eamque Angelis æquiparaſſe fertur, cùm ob loci humiditatem ex eius monumento fungus germinaſſet, quem ſignũ Divina Providentia *editum vocauit, vt ne ignoraretur Imperatricem in cœtum intelligentium poteſtatum eſſe acceptam.* Nouerat Imperator ſigna pietatem in defunctos redolentia diuinâ operante prouidentiâ patrari, quare, quod falsò credebat ſignum, ad defunctæ vxoris oſtendendam ſanitatem partatum, non niſi diuinâ prouidentiâ editum putauit. Maneat igitur Dei prouidentiæ peculiariter deberi, quæcunq; in defunctos quoquo modo pietatis opera exercentur.

CAPVT V.

Deo gratiſſima oſtenduntur, quæ defunctis à viuentibus pietatis obſequia exhibentur.

Dei voluntas eſt, vt mortuorũ onera portemus.

1 HOc etiam titulo fideles ad pietatem defunctis exhibendam ſunt excitandi, quòd Deo gratiſſimum opus exercent, dum in id ſtudium toto pectore incũbunt. Primam huius instituti probationẽ Paulus mihi ſuppeditat Apoſtolus, qui ad Galat. ſcribens cap. 6 *alter*, inquit, *alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Quæ enim, & quorum onera portare hortatur, vt diuinæ legis præcepta impleantur? An viuentes defunctorum in Purgatorio commorantium onera precibus, & ſuffragijs portare, Dei lege, ac voluntate iubentur? Vtique in Biblioth. vet. Patrum Hugo id attigit Etherianus lib. de regreſſu Animar. cap. 15. apud quem mortuorum Purgatrices flammas incolentium animæ, Dei voluntatis interpretes, ita viuentes alloquuntur. *Vult vtique miſericors Deus, vt noſtrûm qui mortui ſumus onera vos, qui viuitis portetis, ſi tamen antè, vel etiam dum vocabamur pignus Eccleſiæ ſuſcepimus, ſi ſacramentis ipſis fidem pleno corde præſtitimus, & ſi carnem, & ſanguinem Ieſu Chriſti, non ſpecie, ſed fide, non exteriori viſu, ſed interiori affectu ſpiritaliter manducauimus. Vult plenus miſericordiâ Deus, vt in adiutorium noſtrum, & proximorum intendatis*. Pulchrè dictum. Vſque eò nimirum grata eſt Deo pietas defunctis exhibita, vt hæc ſit eius voluntas, vt mortuorum onera portemus, & in eorum adiutorium totis viribus incumbamus.

Hugo Etherianus.

Viuentes ad pietatem in defunctos à Deo excitantur.

2 Progredior, & cum Procopio vallem perpendo, in quâ oſſa Moyſis, Deo ſepeliente quieuerunt. Erat enim in terrâ Moab contrà phanũ, vbi Sacrificijs venerabantur Phogor Idolorum cultores. *Et ſepeliuit eum in valle terræ Moab contrà Phogor*. Deuter. 34. 6. Quæ, rogo, extitit cauſa, vt propè Idolum acerrimus humaretur hoſtis idolorum? Vt quid ibi erectus eſt tumulus viro Dei, vndè ludentes conſpiciebantur cultores diaboli? Vt Iſraëlitæ, qui tunc temporis Vallem illã incolebant, Moyſis tumulum inſpicientes, ad pietatẽ in defunctum mouerentur, Doceat Procopium apud Gloſſã in hunc locũ ita diſſerentem. *Sepeliuit eum propè domũ Phogor, vt cùm propè eſſet imposturam dæmonum diſſolueret, item Iſraëlis accolæ legiſlatorem inſpiciendo ad pietatem conuerterentur.* Gratiſſima eſt Deo pietas in defunctos, quamobrem Moyſen in valle contrà Phogor ſepeliuit, vt Iſraelitas ad pietatem in defunctum, conſpectu ſepulchri excitaret.

Procopius.

Pectoribus viuentium inſerit Deus amorem defunctorum.

3 Hinc ſi quandò aliquẽ in defunctos minùs pium conſpicit, à tali cum impietate prorſus remouere conatur. Iam Fraternum ſanguinẽ primus omniũ humanâ cęde ſe contaminans, mundo adhuc pubeſcente, Cain effuderat, cùm Deus patrati ſceleris parricidam arguens, timore correptum, vagum ſuper terram, & profugum iuſſit abire. *Vagus, & profugus eris ſuper terram.* Gen. 4. 12. Sicciné fratris nece pollutus, mortis pauore tantùm punitur? Solâ fugâ corripitur, qui Abelis animam ad Inferos vſque fugarat? Nonnè cruentâ morte perire debebat, qui cruentâ morte alium necauerat? Vtique; ſed noluit Deus parricidæ ſtatim mortem inferre, ne defuncto fratri adhuc irâ ebulliente inimicus moreretur. Disertè D. Io. Chryſoſtomus Homil. 13. in Epiſt. ad Rom. *Non occidit illum, ſed timore conſtringit ad exuendum culpam, vt vel ſic ad illius amorem reuerſus, ad amandum etiam ſublatum fratrem induceretur. Neque enim volebat illum* Mortvo Fratri Adhvc Inimicvm *ex hoc ſæculo migrare.* Viuentium pectoribus defunctorum amorẽ Deus inſerere ſatagit, quapropter vt ad fratris defuncti amorẽ Cain reuocaret, nõ cæde, ſed fugâ, nõ morte, ſed ſolo mortis pauore illũ mulctauit.

D. Io. Chryſoſtomus.

Inimica eſt Deo inimicitia in defunctos.

4 Quò item ſpectauit, dum eidem Cain, vbi eſſet frater ſuus ſe ſcire proteruè negãti. *Vox*, inquit, *sãguinis fratris tui clamat ad me de terrâ*. Hęc nimirum dixit, vt fraterni ſanguinis voce ad pietatem emollitus iracundiam miſeratione ſopiret, & quem viuum occiderat, diligeret defunctum. Aptè ad rem noſtram idem Chryſoſtomus vbi ſupra. *Hæc verò dicebat, vt viuidam adhuc illius iram ſedaret, perſuaderetque ad diligendum fratrem, etiam iam morte ſublatum. Vitam, inquit, fratris extinxiſti, vt quid non inimicitiam quoque iam demceps extinguis?* Quàm amica pietas, tam inimica eſt Deo in defunctos inimicitia, quam propterea totis viribus extinguere, ac de viuentium pectoribus abolere conatur.

Chryſoſtomus.

A Dijs ex Homero mortalium contumelia in defunctos prohibentur.

5 Hùc ſpectauit Homerus, cùm Apollinẽ Hectoris cadauer Aegide induxit operientem, ne à furibundo Achille circa Patrocli ſepulchrum contumelioſè raptaretur. Deorum nimirùm munus cenſebat à viuentibus cõtumelias in defunctos arcere.

Homerus.

Huius autem Apollo
Omnẽ cõtumeliã ſemouit à corpore, viũ miſeratus
Etiam mortuũ, circumque Aegide totum operuit
Aureâ, vt non ipſum laniaret trahens

Sic ille Iliad. 24. & infrà non Apollinem tantùm, ſed, & Iouem, & cęteros omnes Deos refert hanc impietatem ab Achille remouiſſe, dum Theti-

dẽ introducit hęc Iouis nomine Achilli dicentẽ.

Iouis enim tibi nuntia ſum
Iraſci tibi ait Deos, ſeque maximè omnium
Immortaliũ iratũ eſſe, quòd mentibus furibundis
Hectorẽ tenes apud naues roſtratas, neq; dimiſiſti:
Sed age iam dimitte, cadaueriſque accipe præmia.

Hactenus Pcëta. Porrò tam grata eſt Deo pietas in defunctos, vt Gentiles quoque, ſuos Deos hanc pietatẽ mortalibus ſuadere, & eorũ contumelias, & odia in mortuos reſecare autumarint.

Deo grata ſepulchrorum ædificatio.

6 Verùm huc vſque dictis fortè opponet quis ea, quæ Chriſtus Dominus Matth. 23.29. Scribis comminatur, & Phariſæis. *Væ vobis ſcribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia ædificatis Sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum.* Quonam pacto defunctorum cura Deo grata erit, dum à Deo velut ingrata damnatur? Nùm in ſacris paginis minæ iis intentantur, qui opera Deo accepta exercẽt? Nonnè potius abominabilis ei erit ſolicitudo mortuorum, qui ædificationem reprehendit ſepulchrorum? Abſit: nec enim pietatem, quâ defunctis monumenta ędificabant, ſed hypocriſim Chriſtus arguit, quâ viuentibus inſidias parabant. Non omittam verba, quibus hunc locum illuſtrat Theophylactus.

Theophylac.

Miſeros dicit illos, non quòd ſepulchra ædificant Prophetarum (HOC ENIM DEO GRATVM) *ſed quia ita ſimulabant, & Patres ſuos condemnabant, deteriores illis exiſtentes.* Deo gratiſſimum opus Phariſæi exercebant, dum Prophetarum tumulos reſtaurabant, vndè non ob tumulorum reſtaurationem, ſed ob hypocryſis arguebantur ſimulationem.

Pietates in defũctos Deo placuit Tobias.

7 Septem miſericordiæ opera, quibus, vt legem Chriſti adimpleant, alter alterius onera portant fideles, enumerat D. Vincentius Ferrerius ſerm. 3. Dominicæ 4 poſt Trinit. De ſepulturâ verò agens defunctorum, Tobiæ meminit viri in cõdendis interfectorum cadaueribus pietate inſignis. Quem, cùm Deo fuiſſe valdè acceptum ſacræ literæ teſtentur. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.* Tob. 12. 13. non aliam ob cauſam, quàm ob defunctorum curam id eũ promeruiſſe affirmat. Vſq; adeò quippe Deo grata eſt pietas in defunctos, vt eâ homines, nedùm mortuis benefici, verùm etiam Deo valdè fiant accepti. En verba tanti authoris ità diſſerentis. *Septimum opus miſericordiæ eſt ſepelire mortuos, & iſto opere Tobias* MVLTVM PLACVIT DEO Non poterat nempè Deo non placere, qui defunctorum curam ſolerti animo agens, Deo gratiſſimam pietatem, ſepulturæ officio eis exhibebat.

D. Vincentius Ferrer.

Pietas in mortuos, vt opus Deo placitum nobis iniũgitur.

8 Hanc veritatem arguit etiam D. Paulinus in Epiſt. ad Pammachium ex præcepto, quo nobis iniungitur, vt pias in mortuum lachrymas produeamus, eiuſque corpus honorifico in ſepulchro cõdamus. *Fili in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecundùm iudicium contege corpus illius, & nõ deſpicias ſepulturam illius.* Eccl. 38. 16. Profectò non præcipit Deus, niſi ea, quæ ſibi ſunt placita, & grata, quare, cùm pietatem in mortuos nobis præcipiat, hanc ſibi valdè placitam, & gratiſſimam fore declarat. *Itaque*, verba ſunt D. Paulini, *iſtius pietatis in te opus antè laudabo. Nam id quoque* DEO PLACITVM *monſtrat ſcriptura, cùm dicit, Fili produc lachrymas in mortuum, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & non deſpicias ſepulturã illius.* Gratiſſima eſt, quæ in mortuorum exequijs pietas exhibetur, ideòque vt talis præcipuè nobis præcipitur, & in ſacris paginis egregiè cõmẽdatur.

D. Paulinus.

Diluuiũ Deus mũdo prorogauit, ne Mathuſalem exequiæ turbarẽt.

9 Et quidem quàm ſibi grata ſit hæc pietas, Deus ipſe oſtendit, cùm poſt ingreſſum Noë, ac eius familiæ in arcam, non niſi ſeptem tranſactis diebus, hominum genus inundantibus diluuij aquis deleuit. *Cùmque tranſiſſent ſeptem dies, aquæ diluuij inundauerunt ſuper terram* Geneſ. 7. 10. Cur non ſtatim ab ingreſſu Noë cœli cataractas aperuit. Quorſum hæc præſtolatio, vt in ſeptimum diem vniuerſalem, quæ iam imminebat, differret vltionem? Ne Mathuſalem, qui tunc temporis è viuis exceſſerat, vltrices aquæ turbarent exequias. Id ex Hebræorum ſententiâ refert in hunc locum Abulenſis.

Abulenſis.

Iſti ſeptem dies computantur à die, quo Noë, & cuncta animantia introierunt in arcam, vt quidam volunt, & immediatè Deus pluuiam ſuper terram miſſurus erat, tamen diſtulit propter exequias Mathuſalem viri iuſti, aut Noè, vt perfectè fierent, vt dicunt Iudæi. Adeò grata ſunt Deo pietatis officia, quæ defunctis impenduntur, vt vſque ad ſeptimum diem pęnam prorogauerit Vniuerſi, quò poſſent mortuo Mathuſalem debita funerũ officia, ſuperſtite adhuc mũdo, perfectè preſtari.

Diuinorum voluminum faſcias corroſas mortuorũ cadaueribus obuoluendis adhibent Hebræi.

10 Pergo, & eorumdem Hebręorum ritu hãc veritatem confirmo. Faſcias enim, quibus diuinę legis volumen in ſynagogis obuoluunt, etiã vetuſtate corroſas, in alios vſus conuertere nefas ducunt. Inuolucris quippè diuino mancipatis obſequio, non niſi diuina obtegenda eſſe affirmant. Si tamen mortuum cadauer his obuoluatur, id nedùm licitè, ſed etiam laudabiliter fieri decernunt. Tam gratam nimirùm Deo pietatem in defunctos agnoſcunt, vt nec vereantur in defunctorum vſus ea conuertere, à quibus tãquã Deo peculiariter dicatis, in omnibus prorſus abſtinendum eſſe ſtatuerunt. Accipe Rabbi Moyſen Maymonidem tract. de lib. legis cap. 10. hæc ſcribentem. *Faſcia librorum legis, quæ factæ ſunt vetuſtæ, inuolucra fiant mortuorum, & hæc eſt repoſitio earũ.* En qui faſcias librorum legis in alios vſus conuertere impium putant, in cadaueribus obuoluendis adhibere, nedùm cenſent iuſtum, verùm etiam tanquam opus Deo percarum præcipiunt.

Rabbi Moyſes Maymonides.

Excitat Deus viuentes ad pietatem defunctis exhibendam.

11 Nec mirum: Deo enim tam cara eſt, quę defunctis exhibetur pietas, vt non raro ad eam exercendã ſe sẽtiant viuentes ab eius inſpirationibus excitari. Fracto pretioſi vnguenti alabaſtro, ſuper caput Chriſti Magdalena illud fundebat, cùm obmurmurantes cũ Iuda Iſcariote

diſci-

Digitized by Google

diſcipulos idem Chriſtus increpauit, dicens. *Quod habuit hæc, fecit: præuenit vngere corpus meum in ſepulturã* Marci 14.8. Vbi Theophylactus hæc habet. *Perſtringit proditorem dicendo, in ſepulturam meam hoc fecit, & planè conſcientiæ expertem arguit, quaſi ita diceret ei. Tu quidem in mortem me tradidiſti, & non reprehendis temetipſum: iſta autem in ſepulturam meam vnguentum afferens, tanquam* A' DEO MOTA, *digna nè eſt, quæ à te reprehendatur?* Vides a Deo motam Magdalenam, vt in defuncti ſepulturam pretioſa funderet ex alabaſtro vnguenta? Mouentur quippe à Deo viuentes, vt in defunctos miſericordes, religioſa eis exhibeant pietatis officia.

Theophylactus.

Gentiles ſe à Dijs excitari ad pietatẽ in defunctos putabant.

Virgilius.

12 Quod Gentilibus quoque notum fuiſſe teſtatur Virgilius, apud quẽ lib. 5. Aeneid. Aeneas 5. longâ tempeſtate ad Patris ſepulchum iactatus ait.

Nunc vltrò ad cineres ipſius, & oſſa Parentis,
Haud equidẽ ſine mẽte reor, ſine numine DIVVM
Adſumus, & portus delati intramus amicos.

Aſcenſius.

Quę verba commẽtans Aſcenſius, *Haud*, inquit, *ſine numine, hoc eſt* CVM DEORVM VOLVNTATE, *& præordinatione adſumus*. A Dijs quippe ad Patris ſepulchrum, vt ei parentaret ſe iactatum Aeneas putauit. Nec diſſimile eſt, quod lib. 6. Sibylla Palinurum alloquens, ait.

Nam tua finitimi longè, latèque per Vrbes
Prodigijs acti cœleſtibus oſſa piabunt,
Et ſtatuent tumulũ, & tumulo ſolemnia mittẽt,
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.

Prodigijs namque cœleſtibus diuinitùs Lucani ſunt excitati ad pietatem defuncto Palinuro, tumulo extructo, & muneribus miſſis, exhibendam. Quod ampliùs declarans Seruius ait. *De Hiſtoriâ hoc traxit: Lucanis enim peſtilentiâ laborantibus reſpondit Oraculum, Manes Palinuri eſſe placandos, ob quam rem non longè à Velia, & lucum ei, & cenotaphion dederunt.* Nimirum Gentilium quoque Dijs tam grata credebatur pietas in defunctos, vt eis præordinantibus, & cœleſtibus prodigijs impellentibus, ſe ad illam excitari autumarent.

Seruius.

Deam funerũ præſidem conſtituerunt.

Plutarchus.

13 Ab hoc non multùm abit, quod idem Plutarchus docet in Numa. Libitinam Romanis fuiſſe Deam, quæ funeribus præeſſet mortuorum. Vſque adeò enim Dijs grata putabant obſequia pietatis mortuis exhibita, vt non niſi Deam eorum Præſidem, ac veluti procuratricẽ conſtituere voluerint. *Appellant Libitinam*, inquit Plutarchus, *Deam præſidem eorum, quæ defunctis ſunt feralia peragenda*

Deorum prodigijs defunctos adiuuari ijdem credebant.

14 Religio eſſet ea hic ſupprimere, quibus hoc idem Plutarchus in Theſeo confirmat. Præceperat Athenienſibus oraculum, vt oſſa Theſei ſepulchro effoſſo eruerent, ac apud ſe debitis honoribus tumulata retinerent. Verùm cum nulla eis eſſent cum Barbaris tunc Syriam inhabitantibus commercia, dificile opus videbatur, ac penè impoſſibilis inuentio ſepulchri. Vicit tamen Cimonis diligẽtia operis difficultatem, cùm enim magno ſtudio cadauer inquireret, loculum inuenit, & domum deferens, illuſtri funeris pompâ, & ſumptuoſo Athenienſiũ luctu in mediâ Vrbis regione humauit. At non ſinè deorum beneficio hæc eum perfeciſſe Plutarchus ſubdit: Aquila enim collem quemdam roſtro, ac vnguibus recludens ibi quæſita oſſa reperiri oſtendit. *Cimon*, verba ſunt Plutarchi, *cùm Inſulam eam cepiſſet, ac magno ea ſtudio inquireret, videns Aquilam roſtro quemdam collem recludere, ac vnguibus moliri, Deûm beneficio coniectatus ibi eſſe ea, effodit.* Deorum beneficio pietatem in defunctos exerceri Gentiles cenſebant, vndè Theſei cadauer, Dijs annuentibus, ac cœleſti prodigio ſepulchrum oſtendentibus, honorificè Athenis tumulatum crediderunt.

Plutarchus.

15 Hæc verò, quæ de Idolis dicebant ſi vero Deo tribuiſsent, nil verius, & eius pietati congruentius vnquam dixiſsent. Sancto Epiſcopo Melanio defuncto, cùm eius corpus ad ſepulchrum deferretur, narrat Petrus de Natalibus lib. 2. Catalog. cap. 49. Duodecim viros vinculis in turri cõſtrictos, incolumes ſciſsâ per medium turri exijſſe, & Sancti defunctum corpus à compedibus ſolutos ad ſepulchrum aſsociaſſe. Sanè hos Deus ad pietatem defuncto cadaueri exhibendam prodigioſâ turris ſciſſione, & expeditâ vinculorum ſolutione excitauit. Sed audiamus Petrum rem geſtam ita exarantem. *Cùm Sancti Albinus, Victor, Lautorius, & Marſus corpus eius deferrent per viceunam Rhodonenſem ſepeliendum, duodecim vinculati in turri detenti, ſciſſâ turri per medium, ſoluti, & incolumes exierunt; ſanctum corpus ad tumulum comitantes.* Scilicet adeò delectatur Deus pietatis obſequijs quæ defunctis exhibentur, vt ad ea miraculis, & prodigijs conſuetum naturæ curſum immutans, viuentes impellat.

Prodigijs impellit Deus ad pietatem defunctis exhibendam.

Petrus de Natalibus.

16 Hoc etiam ex itinere clarè deducitur, quo à Pharaone dimiſsi, Aegypto relicto, promiſſionis terram petierunt Hebræi. Antequam enim proficiſcerentur, oſsa Ioſeph ſecùm aſportanda, vt ei, qui moriens de hoc iam filios adiurauerat, morem gererent, exhumarunt. *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecùm; eo quòd adiuraſſet filios Iſrael dicens, viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum.* Exod. 13. 19. Verùm quomodo adhuc Nilo terram, in quâ Ioſephi cadauer ſeruabatur, inundante, viri ſepulchrum, quod effoderent, inuenire potuerunt? Quo pacto è tumulo erumpentibus aquis vndique circũſepto magni parentis oſſa extraxerunt? Diuina refulſit prouidentia, vbi humana defuit induſtria, & aureâ laminâ, in qua Dei nomẽ inciſũ erat, aquis à Moyſe immiſsâ, dũ ſupernatans ſuprà ſepulchrum ſubſtitit, locum Patriarchę oſſa claudentem prodigioſè oſtendit. Hæc Petro Comeſtori Eccleſiaſticæ hiſtoriæ magiſtro

Auream Laminam ſupernatantem ſiſtit, vt defuncti Ioſeph ſepulchrum oſtentat.

Petrus Comeſtor.

lib. de Exod. cap. 27. debemus. *Factum e[ſ]t autem vt Nilus præter ſolitum adhuc inundaret t rram, in quâ erat ſepulchrum Ioſeph: tenebantur autem iuramento aſportare oſſa eius; Tunc Moyſes ſcripſit in laminâ aureâ n men Domini Tetragrammaton, quæ ſuppoſita aquæ ſupernatauit, vſque dum veniens ſtaret ſupra, vbi erat ſepulchrum, & effodientes ſuſtulerunt oſſa.* Naturæ ordinem Deus mutauit, vt defuncti Patriarchæ oſſa ex alieno ad paternum eueherentur ſepulchrum, cùmque aureæ laminę grauitatem ſuſpendit, ac motum repreſſit, ſe pietatem in defunctos etiam miraculis fouere mirabiliter declarauit.

Ouem in gratiam defuncti loquentem facit.

17 Pergit adhuc idem Petrus, & aliam inuenti ſepulchri ex Hebrçorum ſententiâ rationē reddens, ouem, inquit, iuxta Iſraelitas repentè aſtitiſſe, ac locum ſepulchri humanâ voce prolatâ manifeſtaſſe. Quod ex pſalm. 79. confirmant *Qui deducis velut ouem Ioſeph*, ouem nimirum illam ouem Ioſeph appellatam, & per Deſertum in memoriam patrati miraculi diù deductam fuiſse aſſeruerunt. Sed audiamus verba Petri Comeſtoris, hanc ſententiam loco vbi ſuprà referentis; *Hebræi ibidem tradunt, quòd ouis ex improuiſo adſtitit iuxtà eos, quæ locuta eſt ad eos, ob quam rem duxerunt eam ſecum multo tempore per deſertum, & dixerunt eam ouem Ioſeph, de quâ ibi, qui deducis velut ouem Ioſeph.* Itaque Deo tam grata eſt pietas in defunctos, vt ad eam homines miraculis prouocās, & graui laminæ leuitatem, & mutæ oui fandi tribuerit facultatem.

Petrus Comeſtor.

Leoni, vt defunctum cuſtodiret manſuetudinem tribuit.

18 Sed præſtat pęnam recolere illius Prophetæ, qui ori Dei non obtemperans, dum comedens, & bibens cœleſtia neglexit mandata, Leonem in viâ inuenit ſæuum ſceleris patrati vltorem. Hic reum virum quidem occidit, ſed mortuum velut abſoluens, nec vnguibus diſcerpſit, nec dentibus laniauit. *Et ecce viri tranſeuntes viderunt cadauer proiectum in viâ, & Leonem ſtantem iuxtà cadauer.* 3. Reg 13. Quid verò hæc innuit Leonis abſtinentia, niſi Deum in mortuos ita eſſe procliuem, vt miraculis quoq; pietatem in eos propagare conſueſcat? Placet Abulenſis id expendens, & ad noſtram mentem ita diſſerens. *Deus oſtendit miraculum pro iſto viro occiſo à Leone, ſcilicet quòd non laceraret eum, nec comederet quicquam de eo, ſed cuſtodiret cadauer, ne laceraretur à beſtijs.* Sinit Deus naturæ ordinem mutare, ne pietas nutet in defunctos, vndè, vt cadauer cuſtodiretur Defuncti, Leoni, & tribuit manſuetudinem, & abſtulit prodigioſè feritatem.

Abulēſis ibidem 9. 31.

Leges ſuas ad pietatem defūctis exhibēdum Deus ſoluit.

19 Nec tantùm naturæ, verùm etiam legū ſuarum ordinem quandoque Deus inuertit, vt debita defunctis pietas vndecumque augeſcat. Pręceperat Dominus Deuter. 25. 5. vt ille qui ſupereſſet, fratris ſine liberis defuncti vxorem duceret, & ad ſemen eius ſuſcitandum primogenitum ex eâ illius nomine appellaret. *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſrael.* At quomodo hæc lex cum aliâ cohæret, quâ Leuit. 18. 16. ſtatuerat ne fratris vxorem quis ducere auderet? *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui eſt.* Nùm poteſt quis ſimul fratris vxorem ducere, & non ducere vt oppoſitis præceptis ad vtrumque præſtandum Deo iubente cogatur? Nequaquam, ſed in gratiam defunctorum ſuam legem Deus ſoluit, & qui viuentis vxorē ducere prohibuerat, defūcti ſine liberis fratris coniugē ducere, nè illius nomen deleretur, præcepit. Audiamus Caietanum in Deuter. 25. hęc illuſtrantem. *Illicitum erat in lege Moyſis connubium inter Leuirum, & Fratriam, abſolutè loquendo, licitum verò, imò præceptum in euentu, quo frater defunctus fuiſſet ſine filio, quia Leuir ad exercendum officium fratris ſui defuncti, tanquam vices eius gerens iungebatur fratriæ, ac per hoc non ſolùm ceſſabat ratio legis promulgatæ in Leuitico, iniuria videlicet defuncti fratris, ſed officium præſtabatur fratri defuncto.* Ceſſant diuinitatis iura, vbi defunctis debentur humanitatis obſequia, nec ſuas leges dedignatur Deus ſoluere, ne pietatē mortuis exhibendam diſſoluat.

Caietanus.

Eleazaro permiſit, vt Aaron mortuum non obſtante lege ſepeliret.

20 Aaron ad verticem montis Hor, Deo iubente, profectum mors aggreſſa eſt, cùm enim filium Eleazarum ſuis indutum veſtibus, & in ſummum ſacerdotem conſecratum conſpexiſſet, ad patres ſuos pergens, in pace quieuit. *Cùmq; Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in montis ſupercilio, deſcēdit cum Eleazaro.* Num. 20. 28. Hunc locum expendens B. Dionyſius Carthuſianus ſciscitatur, quis ſummi ſacerdotis defuncti exequias celebrauerit, eique extremum ſepulturæ officium exhibuerit. Reſpondet verò ex D. Auguſtini ſententiâ filium ſummo ſacerdotio nouiter initiatum pijs manibus mortuum humaſſe genitorem. *Auguſtinus verò dicit, quòd Eleazarus ſepeliuit Aaron patrem ſuum, vt pontifex nouus præberet officium ſepulturæ defuncto.* Statim verò dubium inſurgit, quomodo ſummus Pontifex, cui prohibebatur cuiuſquam funeribus intereſſe, funus curare potuerit defuncti. *Sed quæritur, quomodo iſtud licuerit, cùm Dominus in Leuitico iuſſerit, pontificem nō intereſſe morti, aut ſepulturæ cuiuſquam, imò nec proprij patris.* Nonnè ſcriptum eſt. *Ad omnem mortuum non ingredietur omnino: ſuper patre quoque ſuo, & matre non contaminabitur?* Leuit 21. 11. Quomodo ergò ſacris infulis vix Initiatus hanc legem præuaricatur, & ſtatim veſtibus pontificijs indutus, quod Pontificem non decebat, mortui ſepulturâ ſe contaminat? Non eſt legis præuaricatio, vbi diuina eſt legis diſpenſatio: Deus autem in ſuâ cum Eleazaro

Dionyſ. Carthuſ.

tunc

tunc diſpenſauit, vndè potuit ſine illius præuaricatione patrem ſepelire defunctum. Quapropter ſubdit idem Carthuſianus. *Reſpondetur, quòd Dominus* IN LEGE SVA POTVIT DISPENSARE. Deo ita eſt grata pietas in defunctos, vt in ſuâ lege diſpenſare voluerit, ne ſummus Pontifex, qui obierat, abiectus remaneret, ac inſepultus.

Aliquam legem Deus abiecit, vt mortuis pietas impenderetur.

21 Quid? quòd nedùm diſpenſauit, verùm etiam, vt mortuis pietas impenderetur, legem aliquam Deus abiecit? Vendiderat Ananias agrum, vt eius pretium ante pedes Apoſtolorum pauperibus erogandum afferret. At parte illius iniuſtè ſibi retentâ, morte ad Petri vocem percuſſus interijt. Quapropter quidam iuuenes illius cadauer efferentes ſepelierunt. Ignorans autem, quod contigerat Sapphira eius vxor, ipſa quoque introiuit, & à Petro interrogata, nùm pretij ex agro diuendito collecti ſibi partem retinuiſſet, dũ id negauit decidit ad pedes Petri, & expirauit, quod cernentes iuuenes, qui extulerant maritum, ſepelierunt etiam vxorem. *Intrantes autem iuuenes inuenerunt illam mortuam, & extulerunt, & ſepelierunt ad virum ſuum.* Act. 5. 10. Illud verò hîc diſcutiendum occurrit, quomodo iuuenes iſti, qui ob contactum primi cadaueris polluti erant, ac immundi, iterum ad Apoſtolos intrarent, cum cęteris conuenirent, & ſecundum mortuum ad ſepulturam efferrent. Quo pacto videntes adeò ſeuerâ pœnâ miſeros illos mulctatos, auſi ſunt contrà legis præſcriptum ſecundum ſepelire defunctum? Abiectam cæremonialem legem cognouerunt, & ideò ſine timore ambo illa cadauera extulerunt. Hæc Oecumenio debemus hunc locum ita elucidanti: *Hic verò conſiderandum eſt ex ablatione funerum Ananiæ, & vxoris eius per eos, qui mortuos efferebant,* LEGEM ESSE ABIECTAM. *Neque enim qui mortuum texerant Ananiam immundi permanſerunt vſque ad veſperam, ſed ipſi etiam ad funus vxoris eius præſtiterunt miniſterium.* O' Deo dilectiſſimam pietatem, quam vt homines liberius ergà mortuos exercerent, cæremonialem de pollutione ſuper mortuos, quam ipſe inſtituerat, legem abiecit.

Oecumenius.

Grata ſunt Deo ſuffrag., etiam pro defunctis, quib' non proſunt oblata.

22 Quinimò hanc pietatem adeò diligit, vt gratam tunc quoque habeat, cùm defunctis noſtra non proſunt pietatis ſuffragia. Diues ille purpurâ, & biſſo, dum viueret circumamictus, ſed in Inferno poſt mortem ſepultus, cùm in tormentis eleuans oculos, Patrem Abraham à longè vidiſſet, rogauit, vt aquæ refrigerio linguæ ſuæ temperaret ardorem. Quod cùm ille renuiſſet, orauit, vt ſaltem defunctum Lazarum ad domum Patris ſuis mitteret, ne fratres eumdem adirent locum tormentorum. Sed nec iſtas Abraham preces exaudiuit, reſpondens. *Habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos.* Luc. 16. 29. Hanc eluonis petitionem expendens D. Antonius Patauinus ſerm. feriæ 5. Hebdomadæ 2. iuxtà nouiſſimam impreſſionem, quærit, cur Deus non ſinat viuentibus apparere defunctos. Nonnè mortuorum verba peccatoribus ad reſipiſcendum, & iuſtis prodeſsent ad proficiendum? Nonnè vel pœnis, quas patiuntur, vel delicijs, quibus fruuntur explicatis ad pęnitentiæ audientes excitarent rigorem? Quare igitur non vult Deus à mortuis frequenter adiri adhuc in hac vitâ degentes? Ne ſtatum eorum agnoſcentes ceſſarent ſuffragijs adiuuare, quos vel præmia beant cœlorum, vel tartara claudunt inferorum. Diſertè D. Antonius Patauinus. *Cauſa, quare mortui non appareant viuis, eſt, quia nunc fiunt ſuffragia pro defunctis, quæ fortè, ſi apparerent, ceſſarent, putà ſi eſſent in ſtatu, quòd eis talia non prodeſſent.* Quid quæſo luculentius, & ad rem noſtram accomodatius poterat apponi? Adeò accepta ſunt Deo Suffragia, quæ defunctis impenduntur, vt ea, quamuis illis non proſint, renuat impedire, ſibi gratiſſima declarans, quæcunque à viuentibus pietatis obſequia mortuis exhibentur.

D. Ant. Patauinus.

CAPVT VI.

Pietate in defunctos Dei gloria, laus, & honor propagantur.

Pietas in defunctos Dei gloria nuncupatur.

1 ISTud etiam pietatem in defunctos promouere ſingulariter eſt aptum, quòd hæc pietas ad maiorem Dei redundat gloriam, laudem, & honorem. Lamentabatur Martha Lazarum mortis aculeo è viuis ſublatum, & Chriſto fratris reſurrectionem meditanti mortis quatriduum, & cadaueris opponebat fętorem. Cui ille, modicam mulieris fidem obiurgans, *Nonnè*, inquit, *dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei.* Io: 11. 40. Quid verò viſura erat Martha, niſi Chriſti pietatem, defunctum, & quatriduanum Lazarum à mortuis excitantem? Ergò pietate in defunctos ita propagatur Dei gloria, vt pietas iſta Dei gloriæ nomine nuncupetur. Annuit D. Thomas in cap. 11. Io: *Videbis gloriam Dei, id eſt ſuſcitationem fratris tui, per quam* DEVS GLORIFICABITVR. Quatriduanum viuificans, patrẽ Chriſtus glorificauit, dumq; defunctum piè reſuſcitauit, Dei gloriam religiosè ampliauit.

D. Thomas.

Lazarum nõ curauit viuũ, vt ad Dei gloriam eum ſuſcitaret mortuum.

D. Petrus Chryſologus.

2 Hincque Iudæis Chriſtum ex more calumniantibus, quòd qui oculos aperuerat cæci, vitam retinere non poſſet ægroti. *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati facere, vt hic non moreretur.* Io. 11. 37. facilè reſpondet Petrus Chryſologus, id quidem eum, diuinâ operante virtute, potuiſse, ſed ſapienti prouidente diſpoſitione, noluiſse. Mori nimirùm amicum ægrotum voluit, quem ad ſuam gloriam defunctum ſuſcitare diſpoſuit. *Potuit facere*, inquit Chryſologus, *vt non moreretur, ſed mori permiſit is, qui mortuum ad ſuam* GLORIAM *voluit ſuſcitare.*

Per defuncti reſurrectiouem Chriſtus Dei gloriam propagandam præcognouit, & adeò noluit, viſitans recumbentem, Lazarum ſanare infirmum, vt ad Dei gloriam eum reſuſcitare poſſet iam mortuum.

Signa illa maximè Dei gloriam manifeſtant, quæ fiũt in gratiã defunctorum.

3 Quò item ſpectauit, cùm Lazari morbo audito, *Infirmitas*, inquit, *hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloriâ Dei*. Ioan. 11. 4 Quæ Deo ex Lazari morbo gloria reſultabat? Numquid hominum infirmitas gloria eſt Dei? Abſit; ſed pro Dei gloriâ infirmitatem illam eſſe affirmauit, quia Lazarum vitæ reddens expertem, Mortuũ reddebat Chriſti pietatis obiectum. Glorificat Deum, qui pius eſt in mortuum, quare cùm occaſione infirmitatis Lazari Chriſtus pietatem oſtenſurus eſſet in mortuum, talem infirmitatẽ pro Dei gloriâ eſſe iurè prædixit. Clarum id ex Simone Caſſiano lib. 5. in Euang. cap. 15. *De nullo ſigno, ſiue prodigio ſic* GLORIAM SVAM *Chriſtus manifeſtari aſſeruit, quàm de iſto*. Pietas exhibita defuncto eſt gloria reddita Deo, ac proindè nullis ſignis adeò Dei gloria manifeſtatur, vt illis, quæ in gratiam exhibentur Defunctorum.

Simon Caſſianus.

Publicè Lazarum ſuſcitauit Chriſtus, vt magis Dei gloria manifeſtaretur.

4 Quapropter non ſecretò, ſed publicè, multiſque ex Iudæis ſpectantibus, qui ad ſorores conſolationis gratiâ venerant, Lazarum excitauit. Non humanæ captator laudis, aut popularis aucupator plausûs, ſed paternæ buccinator potentiæ, ac diuinæ ampliator gloriæ teſtes quærebat defuncti reſurrectionem oculis comprobantes. Eadem namque pietate, quâ defuncti vitam renouabat, Dei gloriam ampliabat. Rem probè verſat Lyranus in cap. 5. Marci. *Quia in operibus miraculoſis manifeſtatur* DEI GLORIA, *ideò aliquandò faciebat miracula valdè publicè, ſicut patet in Lazari ſuſcitatione*. Pietati, quâ Lazarum ſuſcitabat, Deum Chriſtus glorificabat, ac propterea, vt multos ad Dei gloriam excitaret, coram multis, à morte defunctum excitare decreuit.

Dei gloriæ derogat, qui pietatem defunctis exhibitã occultat.

5 Nec obſtat, quòd Archiſynagogi duodennem filiam ſuſcitans, eius parentibus præceperit, vt defunctæ reſurrectionem cœteris occultarent. *Et præcepit illis vehementer, vt nemo id ſciret*. Marci. 5. 43. Hoc enim non perpetuũ fuit, ſed temporale, ad Iudæorum inuidiam vitandam, præceptum, vſque ad tempus tantummodo prolatum, quo viduæ Naim defunctum adoleſcentem matri decreuerat reddere ploranti. Ex quo tempore tenebantur puellæ parentes Chriſti pietatem prædicare, ac tunc malè egiſſent, ſi defunctæ reſurrectionem cęteris tacuiſſent. Gloriam quippè Deo debitam ſuppreſſiſſent, ſi vitã defunctæ collatam occultaſſent. Hęc omnia doctiſſimè, vt ſolet, notauit Abulenſis in Matth. cap. 9. cuius inter alia multa, hæc sũt verba. *Tunc malè facerent parentes puellæ, ſi non annuntiarent publicè, dantes* GLORIAM DEO *de beneficio ſibi collato*. Deo gloria datur pietate, quæ in defunctos exercetur, cui vtique parentes derogaſſent, ſi publicè defunctæ filiæ vitam à Chriſto redditam non annuntiaſſent.

Abulenſis.

Pietate in defunctos Deus in Elia glorificatur.

6 Pertinet ad hanc rem id, quod Viduæ Sarepthanæ contigit, cùm Eliam Theſbiten in ſuis ædibus hoſpitio excepit. Ægrotauit nãmq; filius eius, & languore corporis vires auferente, ſpiritum puer emiſit. Hic iuuat ſciſcitari, cur Deus mulierem hoſpitam Prophetæ acerbo nati funere affligere decreuerit. Hæccine eſt merces, quæ viduæ debetur, hoſpitalitatis virtutem exercenti? Ergò filij torquetur morte, quæ vitã ſeruat Prophetæ? Quæ charitatis operibus vacat, pœnam luit, quâ non debuerat pro patratò ſcelere ſoluere ſeueriorem? Nodum ſoluit Hugo Cardinalis in 3. Reg. cap. 17. non ob mulieris afflictionem, ſed ob Dei gloriam puerum antè annos ſuos occubuiſſe affirmans. In Dei quippè redundauit gloriam pietas, quam Elias, vitæ reſtitutione, defuncto impendit. *Non ideò*, verba ſunt Hugonis, *mortuus erat puer, vt affligeretur mulier, ſed vt Propheta Domini, et Dominus in Propheta* GLORIFICARETVR. Cui Auguſt. in Gloſsâ ibidem ſubſcripſit. *Dominus Eliam ad viduam miſerat gratiâ exhibendi miraculi ad* GLORIAM NOMINIS SVI. Glorificatur Dominus, cùm defunctis pietas exhibetur, & propterea pueri Sarepthani obitum voluit, vt ei exhibenda Eliæ pietas, gloriam ſuam apud Iſraëlitas magis augeret.

Hugo Card.

Auguſt.

Achaz, ne Deum glorificaret mortui reſurrectionẽ videre recuſauit.

7 Nec minùs ad rem firmandam aptum eſt, quod Domino Rex Achaz reſpondit ſibi ſigna, ſiuè in Cœlo, ſiuè in inferno exhibenti: *Non petam, & non tentabo Dominum*. Iſaiæ. 7. 12. Cur autem renuit Achaz ſignum petere, quod eſt ei à Domino ſpontè oblatum? Quid hominum curioſitati gratius poteſt cõtingere, quàm ſigna naturæ ordinem peruertentia ſpectare? Nonnè Iudæi ſępè à Chriſto ſigna petierunt? *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Io. 2. *Volumus à te ſignum videre*. Math. 12. Quare ergo, & Rex eorum Achaz ſignum nõ petit, ſed quod ei offertur, prætextu non tentandi Deum recuſat? Signum, quod Deus exhibuit Regi Achaz, erat reſuſcitatio defuncti (Sceol enim nedùm infernum, verùm etiam ſepulchrum ſignificat apud Hebræos) Rex autem impius, Idolorum tantùm, & non veri Dei gloriam quærens, quia nouerat pietate in mortuos Deum glorificari, ne gloriam daret Deo, renuit vitam largiri defuncto. Adſtipulatur, ex Rabbi Salomonis ſententiâ hunc locum verſans, Lyranus. *Secundùm Rabbi Salomonem hic accipitur Infernus pro foſsâ, ſiue ſepulchro, ideſt pete tibi ſignum per reſuſcitationem alicuius mortui. Cùm autem eſſet Idolatra peſſimus ſignum renuit, nolens, quòd aliquid ad* DEI GLORIAM *monſtraretur*. Pietate defunctis exhibitã Dei gloria monſtratur, quare, vt diuinæ gloriæ oſtenſionem impediret, defuncti reſurrectionem ſibi ablatum recuſans, Achaz impediuit.

Lyranus.

8 Quòd ſi gloriam laus comitatur, cum glo

Eandem pie-

tia

Digitized by Google

ſate Dei laudes excitantur,

ria laus quoque Deo pietate in defunctos offertur. Ingrediente Domino Ieroſolymorum vrbem, turba, quæ ad feſtum conuenerat, cum ramis palmarum laudis præconia reſonans, ei obuiauit. *Acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, & clamabant: Hoſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini.* Io. 12. 13. Quæ ergo extitit cauſa, quòd plebs Hebręa Deo enconia cecinit, cùm Chriſto ſupplicio parabat? Quid clamabant: Hoſanna in excelſis, dum iam iam clamare ſtatuerant: *Crucifige, crucifige eum?* Cur laudabant patrem, cuius filium vituperijs laceſſebant? *Turba*, inquit Hugo Cardinalis, *occurrit ei de Ieroſolymis acclamans, &* LAVDANS, *ſed quare? Quia*, ſibi ipſi reſpondet, *teſtimonium perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & ſuſcitauit eum à mortuis.* Lazari reſurrectio turbam reddidit acclamantem, ac laudantem: pietas namque defunctis exhibita ad Dei laudes, ac præconia excitat ora viuentium.

Hugo Card.

In laudibus Dei quieſcũt, qui defunctorum animab' exhibere ſuffragia decernunt,

9 Id manifeſtè patuit in prælijs, quibus Machabæorum agmina cum Dei hoſtibus ſtrenuè certabant. Incuſsâ enim à Iuda Gorgiæ militibus fugâ, & exercitu, ſeptimâ die superueniente, collecto, in Ciuitate Odalla iuxta legis ritum ſe purificantes, Sabbatum egerunt, preces, & ſacrificia pro mortuorum militum animabus poſtridie oblaturi; *Et cùm ſeptimo dies ſuperueniret, ſecundùm conſuetudinem purificati, in eodem loco Sabbatum egerunt.* 2. Machabęorum 12. 38. Quæ verò fuerit hæc purificatio, quâ ſe purificarunt, & quod hoc ſabbatum, quod egerunt, his verbis explicat B. Dionyſ. Carthuſianus. *Secundùm conſuetudinem legis purificati propter contactum mortuorum in prælijs, Sabbatum egerunt, quieſcendo deuotè in* LAVDIBVS DEI. Inter contactum mortuorum, qui deceſſerant in prælijs, & ſuffragia, quæ animabus eorum, de reſurrectione religioſè cogitantes, exhibuerunt, Sabbatum egerunt, hoc eſt in laudibus Dei deuotè quieuerunt. In laudibus quippè Dei deuotè quieſcunt, quicumque poſt cadauerum ſepulturam, de ſuffragijs cogitant, defunctorũ animabus, vt à peccatis ſoluantur, ſanctâ, & ſalubri pietate impendendis.

Dionyſius Carthuſ.

Cõmendatur Deus, dum adiuuatur mortuus.

10 Hùc etiam facere poteſt quod 4. Reg. cap. 13. dicitur, quoſdam videlicet mortuum cadauer ſepelientes, viſis latrunculis, illud in ſepulchro proieciſſe Eliſæi, vndè factum eſt, vt ex tactu oſſium Prophetæ reſurgens, priſtina vitæ munera ſit homo ille aſſecutus. *Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſæi, quod cum tetigiſſet oſſa Eliſæi, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.* Verùm cur in ſepulchro Eliſæi cadauer proiecerunt homines iſti? Quare potius, dum latrunculos aduenientes timebant, defunctum inhomatum relinquentes in via, fugæ ſe ſe non dederunt? Nonnè tutius fuiſſet ſtatim abire, quàm ſepulchrum aperire, mortuum inijcere, & lapidem rurſum foſſæ apponere? Vtiquè, ſed Deus eos ad cadauer humandum inclinauit, vt defuncti ſuſcitatione ſecutâ, ſuæ commendaretur potentia diuinitatis. Appoſitè Abulenſis. *Volebat Deus, quòd ſuſcitaretur iſte mortuus* AD COMMENDATIONEM *potentiæ ſuæ, & oſtenſionem ſanctitatis Eliſæi, ideò inclinauit iſtos ſepelientes, vt potiùs cadauer ponerent in ſepulchro Eliſæi, quàm in aliquo alio, & ſic ſuſcitaretur.* Commendatur Deus, dum adiuuatur mortuus, vndè ad commendationem ſui, ſuſcitationem elegit defuncti.

Abulenſis.

Ab inuitis quoque pietate in defunctos Deus laudatur.

11 Addo eatenus pietate in defunctos Deũ laudari, vt ab inuitis quoque, hac poſitâ pietate, laudis præconia Deo canantur. Cùm Dominus Lazarũ ab inferis deuictâ morte ſuſcitauit, quidam ex Iudæis, qui reſurrectionem animaduerterant defuncti, Phariſæis quæcumque viderant, retulerunt. *Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis, quæ fecit Ieſus.* Io. 11. 46. Iure meritò hic admirabitur quis, quòd Iudæi Chriſti gloriæ ſummo liuore inuidentes, eius magnalia Phariſæis enarrarent. Nonnè inuidorũ lingua eius eſt conditionis, vt aliorum bona profari nullatenùs poſſit? Nonnè inuidi, quæ poſſunt carpunt, quæ verò non poſſunt, alto ſilentio bonorum geſta ſupprimũt? Cur ergo Iudæi Phariſæos adeunt, eiſque ſignũ, quo Chriſtus Lazarum ſuſcitauerat, pandunt? Nodum ſoluit Albertus Magnus, dicens reſurrectione Lazari adeò Iudæos fuiſſe confuſos, vt etiam inuiti Dei laudes, & præconia prædicarent. *In hoc tam magnifico facto*, inquit ille, *multùm confuſi fuerunt, & ſic* INVITI MAGNALIA CHRISTI PRAEDICAVERVNT. Adeò igitur pietate in defunctos Dei laudes, & magnalia panduntur, vt etiam ab inuitis huius pietatis ſpectatoribus celebrentur.

Albert. Mag.

Deo honor tribuitur, cũ defunctis pietas exhibetur

12 Nec tantùm gloria, & laus, verùm etiã honor hac pietate Deo defertur. Quod ex anniuerſario fletu ſatis probatur, quo Iſraëlitæ filiam Iephte quotannis quatuor diebus plangebant. *Exinde mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniant in vnum filij Iſrael, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Iud. 11. 40. Cuius conſuetudinis cauſam dum ſciſcitatur Abulenſis, ob Dei honorem anniuerſariam defunctæ memoriam celebratã fuiſſe appoſitis verbis teſtatur. PROPTER HONOREM DEI, *cui ipſa oblata fuerat, faciebant ei memoriam anniuerſariã.* In Dei honorẽ redundabat, qui in defunctæ gratiam fiebat anniuerſarius fletus: ſemper enim Deo honor tribuitur, quotieſcumque defunctis pietas exhibetur.

Abulenſis.

Turba in mortui reſurrectione Deum honorant.

13 Hoc item mihi probant turbæ, quę, Domino adoleſcentulum Viduæ Naim ſuſcitante, Deum magnificabant. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum.* Luc. 7. 16.

Quid

Digitized by Google

Quid verò Deum magnificantes præſtabant? Honorem ei ob defuncti reſurrectionem tribue-
Dion. Carth.
bant. Rem probè verſat B. Dionyſius Carthuſianus. *Magnificabant Deum, ideſt magnum, glorioſum, potentem Deum eſſe profitebantur, quia ex effectu tam miraculoſo, ſupernaturali, & inclyto omnipotentiam Dei penſabãt,* LAVDABANT, ET HONORABANT. Animaduertis Deum ob Chriſti pietatem, quâ defunctũ ſuſcitauit, laudatum à turbis, atque honoratum?

Pontificijs exequijs Deus honoratur.

14 In funebri pompâ, quâ Romano Pontifici vitâ functo, iuſta perſoluuntur, tot cereæ faces, ac rutilantia funalia viſuntur, vt longè millenarium numerum tedæ ferales excedant. Fulget vndique Eccleſia, quæ tanti Præſulis cadauer excipit, funeſto lumine atrata, nec tot ſyderibus nocturnum cœlum elucet, quot flammis Vaticanum templum coruſcat. In Patris exequijs micantes ſtellas ardentibus faculis filij æmulantur, & multiplicato lumine, præcipuum militantis Eccleſiæ lumen extinctum deplorãt. Quem tandem gloriæ luce cupiunt fulgentem, viuidâ luce decorant defunctum, vt lux æterna viuenti luceat in cœlis, cui lux cerea defuncto reſplendet in terris. At quam ob cauſam tot facibus exequiæ iſtæ illuſtrantur, niſi vt diuinus amplietur honor, dum pontificium honoratur funus? Subſignat Ioannes Echius hom. 5. in die
Io. Echius.
animarum. *Exequiæ Pontificis Romani aliquot millibus librarum ceræ peraguntur. Quæ res, &* DIVINVM TESTANTVR HONOREM, *& homines ad gratiam animæ defuncti commouet.* Deum veneramur, dum mortuis ſuffragamur, & diuinum teſtamur honorem, dum noſtram in eos teſtamur pietatem.

Deos cẽſebãt Gentiles coli, dum mortuis iuſta ſoluebãtur.
Virgilius.

15 Id innuebat Virgilius, dum Æneam in Patris Anchiſæ funere anniuerſario, myrto induxit redimitum lib. 5. Aeneid.

Sic fatus velat maternâ tempora myrto

Maternam quippe myrtum vocauit, eo quòd, dum capita coronabat parentãtium defunctis, in Veneris honorem redũdabat Aeneæ genitri-
Iodocus Aſcẽſius.
cis. Scitè Iodocus Aſcenſius. *Velat tempora ſua myrto maternâ, ideſt, quæ eſt* IN HONORE, *& ſub tutelâ Veneris matris ſuæ.* Agnoſcebant & Gentiles pietate in defunctos Dei honorem propagari, vndè myrto, quæ defunctis in funeribus ſacrabatur, Deam Venerem honorari cenſebant.

Non abſtinet à diuinis honoribus, qui defunctum honorat.
Plutarchus.

16 Quò item ſpectat Numæ ſententia, qui, vt refert Plutarchus in Numa, ſapienter cẽſuit. *Manes, qui præcipuam noſtri partem accipiunt ſuis religionibus* COLENDOS, *præſertim verò Libitinam, quæ Dea mortuorum iuſta procuret, ſiue ea Proſerpina eſt, ſiue Venus.* Vides Deos Numæ præcepto religioſis honoribus cultos, dum decedentium animas excipiunt, & mortuorum iuſta procurant? Deus quippè colitur, dum defunctis parentatur, & diuinos procurant honores, qui mortuorum iuſta procurant. Nec aliorſum tẽ-
dit, quòd narrat Titus Liuius lib. 39. de Philo-
Titus Liuius.
pæmenis cadauere ab hoſtibus in prælio interẽpti. Ait namque quòd Achæi, quibus reddita ſunt eius oſſa, diuinis non abſtinuerunt honoribus, dum ſuam in defunctum humanitatẽ oſtendentes, illuſtri funere, ac vniuerſali luctu ſtrenuum ducem tumularunt. *Oſſa*, inquit, *reddita Philopæmenis ſunt, & ſepultus ab vniuerſo Achaico eſt concilio, adeò omnibus humanis congeſtis* HONORIBVS, VT NE DIVINIS *quidem abſtineretur.* Non abſtinet à Dei cultu, qui defunctos colit: nam diuini amplianturr, dum humani mortuis præſtantur honores. In confeſſo igitur eſt, apud homines pietate in defunctos Dei gloriam, laudem, & honorem, quod erat probandum, propagari.

CAPVT VII.

Mortuis clementiorem ſe Deus oſtendit, quàm viuis.

Prophetã, quẽ Deus, per Leonem occidit, mortuum lædi non permiſit.

1 DIuina quidem omnibus patet clementia, & miſericordiæ ſuæ luce Deus *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* Ioan. 1. At vberiorem defunctis pietatem impendit, & mortuorum libẽtiùs miſeretur, quàm viuorum. Diſcerpſerat Leo virum Dei à ciuitate Bethel, vbi, Deo prohibente, comederat, ad propria remeantem. Sed ab epulis, quas ſibi parauerat, abſtinens, nec ſanguinem linxit, nec oſſa comminuit, nec cadauer vorauit. Quinimò poſt cædem cuſtos effectus, ab auibus, & beſtijs tutatus eſt mortuũ, quem vnguibus, ac dentibus necauerat viuum. Cęterùm quo pacto Leo innatâ feritate domitâ, & eius, quem laniauerat, miſertus, interfectũ renuit manducare cadauer? Quomodo qui ſyluas primâ Petri 5. *rugiens circuit quærens, quem deuoret*, ſibi ieiunio indicto, gratam non deuorat eſcam, & præſentem? Cur qui cędit, vt comedat, iam cęſi corporis reliquias comedere non feſtinat? Quia Deus, quem ſeuerus punierat viuum, miſericors cuſtodiuit defunctum. Præiuit hunc locum ad mentem noſtram ver-
ſans Gloſſa ordinaria in 3. Reg. 13. *Idem Leo,*
Gloſſa ordin.
qui viuentem præſumpſit occidere, auſus non eſt contingere occiſum, qui enim occidendi habuit poteſtatem, de occiſi cadauere comedendi licentiam non accepit. Clementior apparet Deus in mortuos, quàm in viuos, vndè licet Leoni facultatem feciſſet viuum Dei virum occidendi, non tamen poteſtatem tribuit mortuum comedendi.

Iniuriam ſibi cenſet Deus illatam, nõ ſi viuus, ſed ſi mortuus homo pẽdeat in ligno.

2 Illuſtratur hæc veritas lege, quâ Deus populo ſuo præſcripſit, nè cadauer hominis morti adiudicati, & in patibulo ſuſpenſi permaneret inſepultum in ligno. *Quandò peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur.* Deut. 27. 22.

21. 22. Cuius legis rationem afferens ſubdit. *Quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno*. Vbi ex Hebræo legitur, Ki Kileladh Elohim talui. *Quia maledictio Dei eſt, qui pendet in ligno*. Quod explicans Abulenſis, inquit. *In Hebræo habetur, quia maledictio Dei eſt, ideſt iniuria Dei eſt, quòd aliquis pendeat in ligno, homo enim ad imaginem, & ſimilitudinem factus eſt Dei*. Iniuriam ſibi illatam Deus cenſet, quòd homo ad imaginem ſui factus à ſole torreatur, & ab auibus in ligno pendens diſcerpatur. Verùm, arguit Abulenſis, ſi per id, quòd homo ſuſpenditur in ligno, iniuria fit Deo, cuius imago in homine deturpatur, quomodo contumaces, ac protervos appendere licebit in patibulo morte plectendos? *Arguet aliquis, quia ſi imago Dei in hoc deturpatur, & Deo iniuria eſt, non deberet aliquis ſuſpendi*. Argumentum tamen oppoſita diluit reſponſione, aſſerens iniuriam Dei eſſe, non quòd viuus crucifixus, ſed quòd mortuus pendeat in ligno inſepultus. *Reſpondendum eſt, quòd maledictio Dei eſt, quòd homo pendeat in ligno, & deturpatio imaginis eius, & hoc quidem, non quòd homo occidatur in ligno, ſed quòd pendeat in ligno, nam propriè accipitur hic pendere in ligno pro eo, quod eſt manere cadauer pendens in ligno poſt mortem*. Pietatem ſuam in mortuos vberiùs Deus effundit, quàm in viuos, quapropter iniuriam ſibi cenſet illatam, non quidem ſi viuus, ſed ſi homo pendeat in ligno defunctus.

Abulenſis.

3 Nec minùs aptè ad rem noſtram hunc locum expendit Lyranus, aduertens hîc Deum, vt pacis, & charitatis amatorem, odij, & diſcordiarum effectus prohibere. Quamobrem cùm homines non tantùm viuos, ſed etiam odio proſequantur defunctos, ſæuitiam in vtroſque legis rigore vetauit. Quod autem hîc animaduertendum occurrit eſt, quòd Deus priùs ſæuitiam execratur in mortuos, & deindè odium deteſtatur in viuos. Eâ quippè in defunctos pietate pollet, vt mortuorum potior ſit illi cura, quàm viuorum. Audio Lyranum, & hoc aſſerenti ſub ſigno. *Hîc conſequenter excluditur effectus odij in perſonis non coniunctis*. Et Primò In Mortvis, Secvndò In Vivis. Mortuorum magis miſeretur Deus, quàm viuentium, quare neminem odio haberi præcipiens, priùs odium excludit, quod euomitur in mortuos, quàm quod exercetur in viuos.

Priùs odium Deus excludit in mort., & deindè in viuos.

Lyranus.

4 Fallor, ſi hùc non alluſit diuinum oraculum, cùm Dauidi poſt mortem Saul petenti, nùm, & ad quam de ciuitatibus Iuda regnandi cauſâ aſcenderet, *Reſpondit ei in Hebron*. 2 Reg. 2. Cur enim in Hebron potiùs, quàm in aliam vrbem præcipitur aſcendere, niſi quia ibi cadauera condita erant præcipuorum Iſraëlis Patriarcharum? Do Theodoretum in Gloſsâ diſertis verbis id aſſerentem. *Deus iuſſit Dauid*, Vt Primvs *aſcenderet in Hebron, proptereà quòd Patriarchæ in illâ ciuitate, & viui habitauerint, & mortui fuerint ſepulti*. Non vrbem Deus elegit, in quâ fortes degerent, aut quam viri celebres incolerent, ſed Hebron, vbi defuncti colebantur Patriarchæ cæteris alijs prætulit, & primam Dauidicæ Regni ſedē effecit, vt re ipsâ oſtenderet ſe in vitâ functos diuina pietate procliuem, plus mortuis fauere, quàm viuis.

Vrbē in quâ Patriar. defuncti condebantur, alijs ciuitatib. Iuda Deus prætulit.

5 Profectò eòdem reſpicere videntur preces, quibus Chriſtus Dauidis ore Deum orauit dicēs, *Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt ſaluum me facias*. Pſal. 30. Orauit Chriſtus Deum, vt ſe de manibus Iudæorum eriperet eius vitam ignominioſâ morte delere totis viribus molientium. Quæ tamen preces non exauditæ videntur, cùm Chriſtus ipſe Pilato dixerit. *Non haberes poteſtatem aduerſùm me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper*. a Si ergo Deus deſuper Pilato poteſtatem dedit Chriſtum ad Iudæorum petitionem condemnandi, quandoè manibus illorum eum ſaluauit? Quid quæſo contra Chriſtum moliti ſunt, quod promptè ad ſatietatem non exequerentur Iudæi? Nonnè illū, & funibus conſtrinxerunt, & alapis ceciderunt, & ſentibus pupugerunt, & blaſphemijs irriſerunt, & clauis crucifixerunt? Quando ergò Deus clamantem, vt ſe ſaluum faceret, Chriſtum exaudiuit, qui ait. *Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis*? b Saluum fecit eum, non viuum, ſed mortuum, non animatum, ſed occiſum. Perſecuti ſunt Iudæi Chriſtum, ne dùm viuentem, verùm etiam ſepultum, nam, vt inquit D. Hieronymus in Cat. in cap. 28. Matth. *Non ſuffecerat principibus ſacerdotum crucifixiſſe dominum ſaluatorem, niſi ſepulchrum cuſtodirent, & quantum in illis eſt, manus imponerent reſurgenti*. Hinc Deus qui è manibus Iudæorum non eripuit Chriſtum viuentem, ab eorum inſidijs eum ſaluum fecit defunctum. Scitè Hugo Cardin. in Pſalm. 30. *Saluum fecit eum Dominus ab inimicis Iudæis, qui eum iam occiſum adhuc perſequebantur, & detinere volebant in morte, vnde poſuerunt cuſtodes ad ſepulchrum*. Adeò maiori pietate mortuos Deus proſequitur, quàm viuos, vt ſuum etiam filium à Iudæorum manibus potiùs ſaluare voluerit defunctum, quàm viuum.

Chriſtū Deus à Iudæis poſtquā ſaluauit mortuum, quàm viuum.

a *Io. 19. 11.*

b *Io. 11. 42.*

Hugo Card.

6 Imò licet viuum permiſerit contemni, ac probris, & contumelijs affici, mortuum tamē voluit honorari, & in nouo, ac lapideo ſepulchro humari. Quod præuidens Iſaias cap. 11. 10. *Et erit*, inquit, *ſepulchrum eius glorioſum*. Glorioſum quidem, nam, & à nobilibus, & diuitibus tumulatum, & linteaminibus, ac ſudariolis obuolutum, & vnguentis fuit Chriſti corpus, ac aromatibus delibutum. Sicque factum eſt, vt quem viuum nebulones crucifixerant, mortuum decuriones ſepelirent, quem viuum ſputis conſpurcauerant, mortuum vnctionibus delinirent, quem viuum in ligno ſuſpenderant, mortuum in Mauſoleo reconderent. Feſtinè ad hunc locum Lyranus; *Licet mors Chriſti fuerit*

Chriſto viuo mortem Deus permiſit contemptibilem, mortuo verò ſepulturam parauit honorabilem.

Lyranus.

rit

Digitized by Google

rit contemptibilis, ſepultura tamen eius fuit honorabilis, quia in ſepulchro nouo, lapideo, & cum linteaminibus, & aromatibus pretioſis. Perpende Deum ergà defunctos clementiorem, quàm ergà viuentes, Chriſti quidem viuentis mortem permiſiſſe contemptibilem, ſed defuncti ſepulturam voluiſſe honorabilem.

Lazarum Chriſtus non curauit viuũ, vt ſuſcitaret mortuum.

7 Miſerant Lazari ſorores ad Dominum, qui ei ægroti fratris infirmitatem nuntiaret, vt ad Bethaniæ Caſtellum properans, ab amico vi omnipotentiæ ſuæ morbum expelleret graſſantem. Nec tamen eorum preces exaudiens, decumbentem viſitauit infirmum, ſed quatuor diebus trans Iordanẽ moratus, cùm tandẽ in Iudæam eſt profectus, mortuum reperit, ac ſepultum. Mirum eſt, quòd Chriſtus amici haud miſertus, Lazarum curare negligeret ægrotantem? Vt quid cœleſtis Medicus afferre medicinam renuit egenti? Siccinè contemnit Deus amicos, vt neque dum ęgrotant eos viſitare dignetur? Non contemnit Deus viuos, ſed magis amicos diligit defunctos, & propterea Lazarũ noluit ſanare viuũ, vt poſſet ſuſcitare defunctũ.

D. Auguſt.

Feſtiuè D. Aug. Tract. 49. in Io. *Miſerunt ad Dominum nuntiantes, quòd ægrotaret frater eorum, vt ſi dignaretur, veniret, & eum ab ægritudine liberaret. Ille diſtulit ſanare, vt poſſet reſuſcitare.* Non Lazarum curauit ægrotum, ſed excitauit defunctum, quia copioſior in mortuos diuina pietas effunditur, quàm in viuos.

Gauiſus eſt ſe non viſitaſſe illum, vt poſt mortem ei pietatem exhiberet.

8 Ex quo factum eſt etiam, vt ægritudine Lazari ſibi nuntiatâ cùm mortuum cognouit, quem nuntiauerāt ægrotum, gauiſus ſit ſe amico non adfuiſſe morienti. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi.* Io. 11. 15. Quale vero iſtud erat gaudium, quo lætabatur, ſe non leniſſe ſuâ pręſentià mortis angores? Nonnè *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere,* tunc gaudet, cùm miſeretur, & ex pietatis ſuæ promptuario bona egentibus exhibet quamplura. Nonnè humanâ oblectatur conuerſatione, qui *Ludens in orbe terrarum, deliciæ meæ,* ait, *eſſe cum filijs hominum.* Prouerb. 8. 31. Vt quid ergò Lazarum, nec viſitat ægrotum, nec ſolatur morientem, ſed gaudet potiùs, eum ex hac vita, ſe abſente, migraſſe? Nùm gauiſus eſt Chriſtus, ſe abſente id contigiſſe, quia potiùs Lazarum mortuum gliſcebat adiuuare, quàm viuum? Egregiè id notauit B. Dionyſius Carthuſianus.

Dionyſius Carthuſianus

Gaudeo, quia non eram ibi, ideſt Lazaro corporaliter non adfui, dum infirmaretur, quia ſi ibi fuiſſem, curaſſem eum, antequàm mortem incurriſſet, propter inſtantiam ſuarum ſororum. Non ſuſcitaſſet defunctum, ſi Chriſtus ægroto præſens fuiſſet, ſed curaſſet, ſororibus orantibus, morientem, & ideò gauiſus eſt ſe non adfuiſſe morienti, quia magis mortuis pietatem ſuam gaudet impendere, quàm viuis.

Archiſynagogi filiam potius ſuſcitare voluit mortuam, quàm ſanare viuã.

9 Subnectam id, quod egit idem Chriſtus Archiſynagogum ſequens, morientis filiæ vitam humiliter expoſcentem. Auditis namque ſupplicantis precibus, non ſtatim puellam inuiſit decumbentem, ſed priùs mulierem curauit ſanguinis fluxu laborantem. Imò curatam alloquens, & lento greſſu incedens, adeò eſt moratus, vt morte præuentam repererit, cuius vitam pius pater magiſtri aduentu ſiſtere diſponebat. Nec vacat myſterio diuturna Chriſti hæc mora, ſed innuit, eum in mortuos clementiorem, quàm in viuos, mortuam potiùs ſuſcitare, quàm viuentem voluiſſe curare puellam. Hac mente Chryſoſtomus præſentem locum verſat hom. 32. in Matth.

Chryſoſtomus.

Datâ operâ commorabatur, vt poſt mortem puellæ veniret, & hinc reſurrectionis myſterium patefaceret, Ideircò tardius incedit, & mulierem pluribus alloquitur, & vt puella moriatur, vt diximus, & peruenirent, qui dicerent, Noli negotium faceſſere Magiſtro. Quid clarius, & ad rem præſentem comprobandam aptius poterat apponi? Mortem Chriſtus expectauit, vt mortuæ pietatem impenderet, & quam ferè neglexit curare viuentem, feſtinauit poſteà ſuſcitare defunctam.

Viuenti puero, nõ niſi rogatus, mortuo verò adoleſcenti, etiam non vocatus occurrit.

10 Tertius adhuc ſupereſt Mortuus a Chriſto, dum ibat in Ciuitatem Naim, Viduæ, ac plorantis matris miſeratione percuſſo, excitatus, cui non rogatus acceſſit, ac ſpontè, nullo interueniente, priſtinæ vitæ munera conceſſit. Centurionis puerum curaturus Ieſus, ibat quidem cum illis, ſed tunc, cùm Herus a *miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & ſanaret ſeruũ eius.* At adoleſcentulum iſtũ ſuſcitaturus b *ibat in Ciuitatem, quæ vocatur Naim,* nullo abſentem accerſente, nemine defuncti vitam flagitante.

a *Luc.* 7. 8.

b *Luc.* 7. 11.

Cyrillus.

Mira, inquit Cyrillus in catenâ, *Dominus miris annectit, & ſuprà quidem accerſitus occurrit, hic verò non vocatus accedit, vndè dicitur, Et factum eſt deinceps, Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim.* Vides Dei pietatem mortuis promptiùs exhibitam, quàm viuis? Qui enim ad viuentem puerum, non niſi rogatus acceſſit, mortuo adoleſcentulo, etiam non vocatus occurrit.

Viuũ ſuſlentationem, non mortuũ parẽtis prohibuit Chriſtus humationem.

11 Aliud, nec minùs appoſitum affero eiuſdem Cyrilli teſtimonium, filij euentum, cui Dominus paternam vetuit ſepulturam, expendentis, Non renuit Chriſtum ſequi vocantem, ſed tantiſper morari cupiebat, donec extrema genitori perſolueret pietatis officia. *Ille autem dixit, Domine permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum* Luc. 9. 59. Hunc tamen Chriſtus obiurgans, *Sine,* inquit, *vt mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Sed quid reprehenſione dignum patrauerat, qui potiùs ob pietatem laudari debebat? quis defuncto Patri, niſi filius exequiarum pompam ſtruere, & ſepulturæ officium præſtare tenetur. An nõ ſenex Tobias adoleſcentulo nato ſui corporis ſepulturam mandauit? *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli.* Tob. 4. 3. An non Iſaach, & Iſmael defunctum genitorem in ſpeluncâ duplici ſitâ in agro Ephron plorando

do ſepelierunt? *Et ſepelierunt eum Iſaacb, & Iſmael filij ſui in ſpeluncâ duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron* Gen. 28. 9. An non tandem ſapiens defuncti corpus contegere, & ſepulturam illius non deſpicere nobis præcepit? *Contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius* Eccleſ. 38. 16. Quomodo ergo Chriſtus filium reprehendit pro genitoris ſepulturâ ſolicitum? Non defuncti ſepulturã, ſed viuentis ſuſtẽtationem Chriſtus probibuit adoleſcenti, qui non tunc defunctum volebat ſepelire patrem, ſed viuum ſuſtentare vſquè ad mortem. Mortuis clementiorem ſe Deus exhibet, quàm viuis, vndè qui filium remouit à ſuſtentatione viuentis, numquàm remouiſſet à ſepulturâ defuncti. Sed audiamus verba D. Cyrilli in catenâ. Luc. 9. cui hæc omnia debemus. *Quærebat inducias, quæ ſufficere poſſent ad decrepiti patris ſuſtentationem, dicens, Permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum, non quòd defunctum patrem ſepelire rogaret*, NEQVE ENIM CHRISTVS HOC AGERE VOLENTEM IMPEDIVISSET, *ſed dixit ſepelire, ideſt conſeruare in ſenectute vſq; ad mortem*. Non ſepelire mortuum, ſed ſuſtentare quærebat adoleſcẽs decrepitum; nec enim qui parentem prohibebat conſeruare viuum, prohibuiſſet inhumare defunctum.

Cyrillus.

Pretium ſui ſanguinis magis in mortuos voluit Chriſtus impẽdi, quàm in viuos.

12 Caput obſigno, & triginta expendo argenteos, quos pro Chriſti ſanguine à Iudæis proditor Iudas accepit. Hos cùm patrati facinoris pœnitens in templum deſperatus proieciſſet, emerunt ex illis Phariſæi agrum figuli, in quo defunctorum peregrinorum cadauera piè, ac religiosè humarentur. *Conſilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.* Matth. 27. 7. Quid cauſæ eſt, quòd hanc pecuniam potiùs in mortuorum ſepulturam, quàm in viuorum ſubſidium expenderunt? Cur non magis, vel famelicos pauperes, vel mœrentes Viduas, vel torpentes ægrotos numis iſtis ſubleuare ſunt aggreſſi? Quia cùm diuini ſanguinis pretium eſſent, in mortuos potiùs congruebat expendi, quàm in viuos. Qui enim potiorem curam habet mortuorum, quàm viuorum, pretium ſui ſanguinis in ſepulturam magis defunctorum voluit erogari, quàm in ſuſtentationem viuentium. Adeſt Origenes in catenâ Matth. 27. hùc alludens. *Videbant autem, quoniam* CIRCA MORTVOS MAGIS *eam pecuniam conueniebat expendi*, QVIA PRETIVM SANGVINIS ERAT. Diuini pretium ſanguinis circa mortuos magis inſumendum erat, quam circa viuos, vt nobis liquidò cõſtaret, mortuis clementiorem ſe Deum oſtendere, quàm viuis.

Origenes.

CAPVT VIII.

Præmia diuinitus exhibentur pietatem defunctis exhibenti.

Qui mortuis gratiam implorant, gratiæ dona conſequuntur.

1 CVm maximè præmijs allieiatur humana cupiditas, vt hominum mentes ad pietatem in defunctos allieiam, præmia, quibus eam opulenter Deus remunerat, proponere aggredior. Et quidem, vt hinc exordiar, viro Dauid nuntiatum eſt viros Iabes Galaad in fortitudine ſurrexiſſe, ac totâ nocte ambulantes cadauera Saul, & filiorum eius de muro Bethſan, vbi ad Iſraëlitarum ignominiam pendebant, ſuſtuliſſe, cùm nuntios miſit, qui eis dicerent, *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cũ Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eũ.* 2. Reg. 25. Quid verò hæc benedictio innuit, niſi gratiæ dona, quę Deus illis contulit, pietatem remunerans, qui pro defunctis totâ nocte ſolerter vigilauerãt, & ſeptem diebus religiosè ieiunauerant? ſtatim ſcilicet, ac ſe defunctis clementes exhibuerunt, Deum ſibi prĕmia diſtribuentem ſenſerunt. Rectè Dionyſius Carthuſianus. *Benedicti vos à Domino, hoc eſt, benedicti, &* DONA GRATIAE CONSECVTI ESTIS A' DEO. A' Domino benedicuntur, qui defunctis benefaciunt, quiq; mortuis gratiã implorant, gratiam pro gratiâ accipientes, gratiæ dona conſequuntur.

Dionyſius Carth.

Munera defunctis collata Deus irremunerata nõ relinquit.

2 Idipſum arguit, eumdem locum verſans, ex ſequentibus itidem Dauidis verbis Abulenſis. *Et nunc retribuet vobis quidem Dominus.* Retribuendi namq; verbo vſus eſt Dauid, ne arbitrarentur viri illi tantam in defunctos pietatem ſine mercede neglectam, & ſine præmij retributione iri à Deo irremuneratam. *Retribuet quidem*, eius hæc ſunt verba, *vobis Dominus, ideſt non putetis, quòd bonũ opus veſtrum remanebit* IRREMVNERATVM, *nam Dominus vobis retribuet*. Retribuit Dominus eis, qui ſuam defunctis operam tribuunt, nec irremunerata relinquit pietatis munera, quibus in eos adiuuandos totis viribus incumbunt.

Abulenſis.

Plus retribuit defunctorum amatoribus, quàm merentur.

3 Pergit idem Dauid, addens, quid Viris Iabes Galaad Dominus retribuet. *Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam.* In quibus verbis aliud meritò ponderandum occurrit, cur videlicet miſericordiæ nomine appellet præmium periculis, laboribus, ac vigilijs a Deo impetratũ? Nonnè ieiunantibus, vigilantibus, & mortis pericula pro defunctorũ ſepulturâ ſubeuntibus, prĕmium iſtud debebatur? Potiùs ergo mercedis appellationem mereri videbatur, quàm miſericordię, quæ non niſi gratis, & nullâ meritorum proportione ſeruatâ exhibetur. Adhuc tamen Miſericordia rectè præmium iſtud nuncupatur, Iabitarum namq; merita longè ſuperabat, Deo plus eis miſericorditer retribuente, quàm mortuorum meruiſſent humatione. Paucis, ſed accuratè id attingit Hugo Cardinalis. *Retribuet vobis Dominus miſericordiam, quia* PLVS RETRIBVET, QVAM MERVISTIS. Adeò pietatem defunctis exhibitam Deus remunerat, vt remuneratione merita, & la-

Hugo Cardinalis.

Digitized by Google

bores excedēte, non tam remunerare, quàm miſereri, non tam pręmia conferre, quàm miſericordiam retribuere dicatur.

Præmia, quibus hanc pietatem remunerat, munera ſunt miſericordiæ.

4 Cuius rei egregium nobis exhibet argumentum Maria Magdalena, quæ pretioſi vnguenti alabaſtrum ſuper Chriſti recumbentis caput effundens, eius corpus in ſepulturam vngere præuenit. Cui diſcipuli moleſtè, indignati, ægrè ferētes pluſquam trecentorum denariorum, quod putabant, diſpendium, aromatum ei perditionem frementes exprobrabant. At Ieſus Mulieris pietatem indignantium linguis pręponens, & detractorū ora condignà reprehenſione obturans, Magdalenæ, & nominis celebritatem, & perpetuam eius pietatis in toto mundo promiſit commemorationē. *Amen dico vobis, vbicumq; prædicatum fuerit hoc Euangelium, in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius* Matth. 26. 13. Sed vndè tot Magdalenæ præmia, tanta nominis celebritas, tam diuturna piæ vnctionis memoria? A' Dei miſericordiā, mulierem pro pietate, quâ defuncti ſepulturam honorare præuenit, magnis donis remunerāte. Præclarè in hunc locum Theophylactus. *Vide autem* DEI MISERICORDIAM, *quomodo mulierem magnis donis remunerat, fecit enim eam memorabilem vbiquè, quamdiu ſuum Euangelium duraturum ſit.* Remunerat Deus defunctorum memoriam recolentes, & ijs præmijs remunerat, vt potiùs donorum à miſericordiā deriuantium, quàm pręmiorum à iuſtitiā prouenientium rationem habere videantur.

Theophylactus.

Mulieribus antè omnes in mercedem pietatis defuncto ſibi exhibitæ Chriſtus occurrit.

5 Nequè verò tantùm ſola, verùm etiam cæteris aſſociata mulieribus, retulit à Deo Magdalena præmia exhibitæ defuncto pietatis. Venerant Veſpere Sabbati pię iſtę Mulieres ad Chriſti monumentum, portantes, quæ parauerant, aromata, quibus defuncti cadauer Iudæorū more delinirent. Sed vacuum nactæ ſepulchrum, dum hilares, quòd Chriſtus reſurrexiſſet, abibant, quē defunctum quæſierant, rediuiuum in viā ſibi occurrentem viderunt. *Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens; Auete; Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eū.* Matth. 28. 9. Vbi dignum inueſtigatione mihi videtur, quare Chriſtus mortis vincula rumpens, anteà mulieribus occurrere voluerit, quàm Apoſtolis? Nùm viris erant mulieres in fidei myſterijs agnoſcendis præferendæ? Nùm ante Apoſtolos fidei Chriſtianæ in vniuerſo mundo propagatores, Chriſtum reſurgentem eas videre congruebat? Nùm demum Apoſtolorum diſcipulæ ſuprà Magiſtros euectæ reſurrectionis arcana priores intelligere merebantur? Vtiquè, inquit Euthymius in hunc locum, Quæ enim ante omnes defuncto pietatē parauerant, ante omnes Deum ſuæ pietatis remuneratorem conſpicere debebant. *Quæ ante omnes diluculo ſurrexerant, ante omnes vident Dominum, & hoc* IN MERCEDEM *ſui ſtudij, ſuæq; feſtinationis referūt.* Mulieribus ante omnes, vt defuncto pietatē impenderent, feſtinantibus, ante omnes Chriſtus occurrens mercedē rependit, vt eis occurrere feſtinaret rediuiuus, quæ ſibi occurrere feſtinauerant defuncto.

Euthymius.

Bino Chriſti, & Angelorū occurſu mulieres Deus remunerat pro pietate in defunctos.

6 Neq; hìc prætereundum puto, quod Auguſtinus in catenâ Matth. 28. aduertit, bis videlicet has mulieres, dum ad Chriſti monumentū venerunt, Angelorum allocutione, & bis itē ipſius Domini apparitione fuiſſe dignatas. Vnicū enim Angelū eas alloquentem Matthæus, & Marcus, & item duos Angelos illas interrogantes referūt Lucas, & Ioannes. Dominū quoq; cùm Magdalena hortulanum putauit, viderunt, & rurſus in viā ſibi occurrentē cōſpexerunt. Pietatē quippè, quā cum aromatibus ad monumentū venerant, Deus liberaliter remunerans, bino ſui filij, & Angelorū occurſu eas conſolari, ac recreare decreuit. *Colligimus*, verba ſunt S. Aug. *& Angelorum allocutionē bis numero eas habuiſſe venientes ad monumentum, ſcilicet, cùm viderunt vnum Angelum, de quâ narrat Matthæus, & Marcus, & cùm poſteà viderunt duos, vt narrat Lucas, & Ioannes. Et ſimiliter ipſius Domini bis, ſemel ſcilicet illic, quandò Maria hortulanum putauit, & nunc iterum cùm eis occurrit in viâ, vt eas ipſâ repetitione firmaret, atq; à timore recrearet.* Aduerte Deum iterato Chriſti, & Angelorū occurſu mulieres recreantē, & pietatē, quā defuncto cadaueri exhibere ſatagebant, egregiè remunerantē.

Auguſtinus.

Eaſdem perſeuerantes iuxtà ſepulchrū nuntias fecit Apoſtolorum.

7 Sed hic mihi in mentem venit, quòd his ipſis mulieribus Chriſtus præcepit, vt ſuam reſurrectionem diſcipulis in cęnaculo commorantibus nuntiarent. *Ite nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilaam, ibi me videbunt.* Matth. 28. 10. Res mira. Euangelicæ legis nuntijs, nuntiæ mittuntur mulieres, quę reſurrectionis myſteriū eos doceāt, à quibus totus eſt mundus edocendus. Quodnam eſt quæſo Apoſtolorum munus, niſi quod, & nuntiorum, ita vt, qui Ἀπόστολος Græcè, nuntius Latinè dicatur? Quam igitur ob cauſam non Apoſtoli mulieribus, ſed mulieres Apoſtolis Chriſtum reſurgentem nuntiaſſe perhibentur? Quia mulieres in Chriſti cadauer Apoſtolis clemētiores, iuxtà monumentū, eis fugientibus, remanſerunt. Accinit in Bibliothecâ veterum Patrum Chriſtianus Druthmarus in paſſionem Domini. *Quia diſcipuli fugerunt, & vos ſemper ſtetiſtis, & hîc eum frequēter requiſiſtis, vos* ESTOTE NVNTII ILLORVM. Nūquam Deus ſine præmio ſinit pietatem defunctis exhibitam, quapropter mulieres ab eo præmium ſuæ circà monumentum perſeuerantiæ, nuntię Apoſtolorum effectæ, receperunt.

Chriſtianus Druthmar.

Ad Caluariū Chriſtus progrediens mulieres tantùm aſpicit, quæ venerantur, vt ſe mortuum plorarent.

8 Arguunt idipſum filiæ Ieruſalem, quæ plangentes, & lamentantes, Chriſtū crucem baiulantē ſequebātur. Ad quas benignè oculos, & ora Chriſtus conuertit. *Conuerſus autem ad illas Ieſus, dixit, Nolite flere ſuper me* Luc. 23. 28. Turba populi ſequebatur, filiæ Ieruſalē ſequebantur. *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierū.* Adhuc tamen nō ad turbam, ſed ſolū ad mulieres ſe Chriſtus conuertit. Vt quid, dū omnes ſequebantur, ad omnes nō ſe conuertit, ſed turbâ dimiſsâ, ſolas eſt intuitus mulieres lamētantes? Turba quidē tantū, vt aſpiceret morientē, mulieres verò eum ſequebantur,

bantur, vt morientem plorarent, ac mortuum, ac proindè qui pietatem in mortuos remunerat, non venientes, vt ſe viderent morientem, ſed accedentes, vt ſe plorarent etiam mortuum, ſuorum illuſtrare voluit oculorum obtutu. Peritè id Gloſſa in hunc locum aduertit. *Mali ſequuntur, vt morientem læti aſpiciant, mulieres, vt quem viuum deſiderabant, moriturum, morientem, & mortuum plorarent. Quia verò nouit Dominus, qui ſunt eius, prætermiſſâ furentis populi turbâ, ad amantes, & plangentes ſe fœminas oculos, & ora conuertit.* Nota eas tantùm diuino remuneratas aſpectu, quæ Chriſtum ploraturæ acceſſerant moriturum, morientem, ac mortuum; nec enim ſine præmio abire debebant, quæ mortuo pietatis lachrymas exhibere parabant.

Gloſſa.

9 Hæc præmia, quibus Deus pietatem remunerat in defunctos, cæcutientes quoq; Iudæi viderũt, quare Rabbi Iacob filius Chauiu in libro qui inſcribitur Hen Iſraël in Berachodh cap. 3. hæc habet. Amar Rachaua amar: rau Iehuda; haroe edh hamedh, veenò malnehu houer miſcum lohez charaf hoſceu *Dixit Rachaua, dixiſſe Rau Iehuda, quòd mortuum videns, & eum non aſſocians præuaricatur, propterea quòd ſcriptum eſt Prouerb. 17. Subſannans pauperem probris afficit factorem eius.* At ſi præuaricatur, qui minùs pius in defunctum, precibus, & ſuffragijs vſque ad monumentum ſepeliendum non aſſociat, quodnã erit præmiũ aſſocianti? vmáh loheu máh ſciero *Eius verò, qui eũ aſſociat quodnam erit præmiũ?* Amar Rabbi Aſe. Malue haſcem chonen dal *reſpõdit Rabbi Aſe, Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis* Prou. 19. 17. A' Deo, cui fœneratur præmiũ expectat, qui miſeretur defuncti, ſunt enim mortui omnium pauperum in hoc ſæculo degentium pauperrimi, & ideò ex Hebræorũ ſententiâ pauperum nomine in ſacris literis appellati. Vides ergò Hebræos quoque, Dei verbis innixos, Dei præmia, quibus pietatem defunctis exhibitam remunerat, agnouiſſe?

A Deo, cui fœneratur præmium expectat, qui miſeretur defuncti.
Rabbi Iacob filius Chauiu
Rau Iehuda
Rabbi Aſe.

10 Pergamus, & diſcipulos, qui ad Caſtellum ierant Emaus, poſt agnitum Chriſtum in Ieruſalem regreſſos, adeamus. Hi ergo congregatos inuenerunt cæteros, qui eis, Chriſtum reſurrexiſſe, ac Petro apparuiſſe ſunt teſtati. *Inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant, dicentes, quòd ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni* Luc. 24. 33. Cæterùm vbi, & quando Simoni Chriſtus reſurgens apparuit? An tunc, cùm ad monumentum ſurgens cucurrit, & procumbens cum Ioanne introiuit? Ita cenſet, ac meritò Albertus Magnus, nam diligentiam, quâ Petrus monumento adhærebat, ac defunctum quærebat, ſine præmio neglectam ſineret Deus nolebat. Sed iam tanti Doctoris verba proferamus. *Inclinauit ſe diſcipulus ille, & introſpexit in monumentũ, non tamen introiuit, Petrus autem tunc etiam procubuit, ſicut hic dicitur & non introiuit, poſt à ſuo introiuit Petrus, & tunc etiam introiuit Ioannes, & in illâ diligentiâ Petri creditur ei apparuiſſe Dominus.* Tunc Dominum Petrus vidit, cùm in monumentum ſolicitus introiuit, ſuę præmium diligentiæ, diuinæ referens gaudia præſentiæ.

Petro in monumento introeunti Chriſtus apparuit
Albertus Magnus.

11 Religio eſſet Ioſephum hic prętenire Arimathæũ, qui dominici cadaueris ſepulturæ intentus, aromatibus defunctum condiuit, linteis delibutum obuoluit, ac tumulo ploratum mandauit. An putamus tantam in defunctum pietatem nullo præmio affectam Deum neglexiſſe? Abſit; ſed carceri à Iudæis in odium Chriſti mancipato, prius quàm cæteris, reſurgens Dominus apparuit, eiuſq; pietati mercedē rependēs, vincula, & compedes, quibus inhumanè tenebatur, dirupit. Hoc totũ ex Nazaræorum Euangelio Hugo refert Cardinalis in c. 28. Matth. *Dicitur in Euangelio Nazaræorum, quòd Iudæi iſtum Ioſeph in Carcere poſuerũt, alligantes eum ad columnam, eo quòd ita honorificè ſepeliſſet Chriſtum, & quòd priùs poſt reſurrectionem apparuit ei in carcere, quàm Mariæ Magdalenæ, & liberauit eum de carcere.* O' miram Dei ergà defuncti humatorem beneuolentiam, quâ in carcere poſitum properè viſitauit, & vinculis compeditum illæſum abire permiſit.

Ioſephum Arimathæum viſitans de carcere liberauit.
Hugo Cardinalis.

12 Saul defuncto, Dauid mox ad Regni ſoliũ eius loco euehendus Dominũ conſuluit, ad quam de ciuitatibus Iuda, vt in Regē vngeretur, aſcenderet. Cui diuinum reſpondit oraculũ: *In Hebron* 1. Reg. c. 2. Ad quem locum ſciſcitari quis poteſt, cur in Hebron maluerit Dominus Dauidem aſcendere, quàm in aliam vrbem. Porrò aliæ vrbes æquè celebres, ac nobiles contigerãt tribui Iuda, quas poterat regnaturus intrare. Quamobrem igitur ſola Hebron eligitur, & cæteris alijs, regni Metropolis effecta, præfertur? In Hebron ſepulti erant Hebræorum Patriarchæ, ac propterea Vrbem, quæ mortuis hoſpitium præbebat, Deus remunerans, cunctis alijs prætulit, ac Dauidici regni iam incipientis Metropolim effecit. Audio hùc alludentem Lyranum, cuius ad hunc locum hæc ſunt verba. *Quia in illâ ciuitate ſunt ſepulti quatuor principales Patriarchæ, propter quod Caleb illic iuit ad orandum Dominum ex deuotione, Dominus voluit, quòd ibi inciperet regnum Dauid.* Non alibi Deum Dauidem regnare voluit, quàm vbi Patriarchæ defuncti condebantur, vt illa vrbs exultans Regis præſentiâ gauderet, quæ pia mortuorum monumenta ſeruabat.

Hebron vbi Patriarchæ defuncti ſeruabantur, regni Metropol. effecit.
Lyranus.

13 Caput concludam illud expendens Pſalmi 146. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Vbi notandum, quòd non dixit Propheta, *coruis*, ſed *pullis coruorum*; nec enim corui, qui in defunctos crudeles ad deuoranda cadauera incumbunt. Sed pulli coruorum, qui in eos clementes, paternas eſcas ignorant, peculiari prouidentiâ nutriuntur, & cœleſti rore à Deo ſuſtentantur. Non omittam verba quibus id innuere videtur Caſſiodorus in hunc Pſalmum. *Pulli*

Pullos coruorum cadaueribus non veſcentes cœleſti rore ſuſtentat.
Caſſiodorus.

cornorum, *vt Phyſiologi volunt, cœleſti rore veſcuntur, & adhuc paternas eſcas, ideſt cadauerum fœtores beneficio ætatis ignorant.* Quia defunctorum carnes pulli coruorum non deuorant, ideò cœleſti rore à Deo paſcuntur, & veluti pro ſuâ in cadauera pietate ſingulari prouidentiâ ſuſtentantur, quò tandem in mortuis quoque animantibus liquidum fiat, præmia diuinitùs exhiberi pietatem defunctis exhibenti.

CAPVT IX.

Deo impietatis pœnas expendunt, qui mortuis pietatis obſequia non impendunt.

Impios in mortuos Deus vituperat.

1 POſtea quam de præmijs egi, quibus Deus pietatem remunerat defunctis exhibitâ, ſequitur, vt pœnas explicem, quibus è conuerſo impietatem in eoſdem mulctare conſueuit. Et primò quidem illud occurrit, de quo Chriſtum in templum venientem principes interrogauerunt ſacerdotum. Cùm enim miracula conſpicerent, quibus ſuam comprobabat diuinitatem, ad eum acceſſerunt, dicentes. *In quâ poteſtate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc poteſtatem?* Matthęi 21, 23. Quibus *Reſpondens Ieſus, dixit eis, interrogabo vos, & ego vnum ſermonem, quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam, in quâ poteſtate hæc facio. Baptiſmus Ioannis vndè erat, è cœlo, an ex hominibus?* Hoc reſponſo interrogantium ora obtudit, qui nec turbam irritare, nec Ioannem laudare volentes, dixerunt; *Neſcimus.* His peractis, parabolicè illos alloquens, publicanis, ac meretricibus poſthabuit, & à regno Dei abijciendos prædicens, pluribus reprehendit, ac ſibi moleſtos iniurijs affecit. Quamobrem verò tam acriter modò Chriſtus increpat, quos tam blandè alias eſt allocutus? Cur quos ſæpè patienter tolerauerat, duris verbis vituperat, ac rigidâ ſententiâ damnat? Quia teſtimonium dare Ioanni renuentes, defuncto debita laudum encomia tribuere negabant. Ita in Bibliothecâ veterum Patrum ad rem Chriſtianus Druthmarus locum iſtum commentatur. *Dominus ipſe laudat Ioannem & eos qui eum audierunt, & VITVPERAT, qui præſentem non audierunt, nec MORTVO da e teſtimonium voluerunt.* Mortuorum iniurias ſeuerus Deus vlciſcitur pœnis, quare tunc Iudeos nedùm increpauit, ſed etiam vituperauit, cùm mortuum laudare, ac ei teſtimonium dare abnuerunt.

Chriſtianus Druthmarus

In eum, qui mortuis pietatẽ non exhibet, contumelias ſtatuit.

2 Ab hoc non multùm diſcrepat, quod Deus ſtatuit, vt vxor ſine liberis defuncti, fratrem ſe ducere ad ſuſcitandum ſemen mortui renuentem, diſcalcearet, & in faciem illius opprobrij cauſâ expueret. *Si reſponderit, nolo eam vxorem accipere, accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius, ſpuetque in faciem illius* Deut 25.8. Vt quid his probris defuncti germanum ab vxore ſuperſtite agitari præcepit? Cur qui eos docuit nullas iniurijs cõtumelias reddere, defunctorum agnatos contumelijs ſcripſit afficiendos. Vt probris, & contumelijs eos puniret, qui defunctis ſemen ſuſcitare, ac pietatem exhibere nolebant. Opportunus ad hanc mentem locum iſtum verſat B. Dionyſius Carthuſianus *In faciem eius ſpuet, & hoc in confuſionem ipſius, quia ſecundùm legem noluit facere, nec fratri ſuo defuncto charitatem, pietatemque exhibere, procreando ei prolem in ipſius memoriam.* Pœnas Deus exigit ab eis, qui pietatem defunctis negant, ideoque contumelijs, ac probris mortui germanum tunc ſtatuit afficiendum, cùm fratri ſuo defuncto charitatem, pietatemque exhibere abnuebat.

Dionyſius Carthuſ.

Eumdem totũ ignominioſũ, ac turpem haberi voluit.

3 Imò adeò rigidè illum puniuit, vt totũ ignominioſum, ac turpem haberi voluerit. Quam enim ob cauſam in pede, ac vultu ignominiæ ſigna ſtatuit, hunc iubens conſpui, & illum diſcalceari? Vtique, vt in duabus extremis partibus ignominiâ homo affectus, totus ignominioſus, ac turpis haberetur. Audiamus Caietanum in hunc locum id notantem. *In duabus extremis partibus, pede ſcilicet, & facie ignominiæ ſigna ſtatuit lex,* VT TOTVS HOMO TVRPIS HABERETVR. Totum Deus puniuit, qui ſe totum pietati erga mortuum nõ mancipauit, vt ſibi vndequaque turpitudinem acquiſitam haberet, qui fratris defuncti nõ miſertus, illi prolem acquirere nolebat. Quam inſuper pœnam, non momentaneam, ſed perpetuam fuiſſe idem Caietanus aduertit, cùm non ſolùm ille diſcalcearetur, ſed etiam illius domus, ab eo domus eſſet appellanda diſcalceati. *Et vocabitur nomen illius in Iſrael, domus diſcalceati.* Deut 25. 10. Ad quę verba inquit Caietanus. *Non ſat eſt legi momentanea pœna,* SED PERPETVVM ADIICIT, *vt vel ad hoc, quòd careant tot ignominijs fraternæ pietatis officium exerceant.* Non qualibet, nec momentaneâ, ſed perpetuâ ignominiæ pœnâ voluit Deus impium in fratrem defunctũ punire, quare domũ illius, domũ diſcalceati perpetuò vocari præcepit.

Caietanus.

Non momentanea, ſed perpetua hæc ignominia erat.

Idem.

Onam in defunctum impius ſine liberis à Deo percuſſus interijt

4 Quin etiam alijs pœnis nolentes mortuorum memoriã prolis procreatione ſeruare Deus mulctauit. Filium ſuũ Onam, vt fratris Her ſine liberis defuncti ſemen ſuſcitaret, cum Thamar mortui vxore Iudas copulauerat. Sed ille ne liberi defuncti nomine naſcerentur, in fratrem impius, & in Deũ iniuſtus rem deteſtabilẽ patrans, in terram ſemẽ fundebat. Quapropter à Deo percuſſus, qui defuncto filios procreare noluerat, ſine filijs immaturâ, & violentâ morte interijt. *Et idcircò percuſſit eum dominus, eo quòd rem deteſtabilẽ faceret.* Gen. 38 10. Hęc expendens in hunc locũ Oleaſter, aduertit Onam ideò liberis periſſe deſtitutum, quia liberos defuncto fratri gignere impiè neglexit. *Quia, inquit, iſte noluit fratri filium gignere, proprijs deſtitutus eſt.* Dei eſt ab impijs in defunctos pœnas repetere, vndè Onam defuncto fratri prolem procreare abnuentem rigidè puniens, acerbâ morte percuſſit, ac filijs deſtitutum interfecit.

Oleaſter.

Dauidem defuncti Ionathæ immemorem regni diuiſione puniuit.

5 Cùm mortuo Salomone, filius eius Roboam populum Iſrael malè accepiſſet, ab eo deſtitutus, ſuper ſolam tribum Iudà regnauit. Ieroboã enim ſeruum Salomonis in Regem Iſrael vngens, à domo Dauid reliqua plebs declinauit *Cùm audiſſet omnis Iſrael, quod reuerſus eſſet Ieroboam, miſerunt & vocauerunt eum congregato cętu, & conſtituerunt eum regem ſuper omnem Iſrael, nec ſecutus eſt quiſpiã domum Dauid, præter tribum Iudà ſolam* 3. Reg. 12. 20. Cùmq; congregatis bellatoribus, Roboam regnum reducere diſponeret, bellum ei Semeia vir Dei prohibuit, regni diuiſionẽ à Domino factã eſſe oſtendens. *Hæc dicit Dominus, Non aſcendetis, neq; bellabitis contrà fratres veſtros filios Iſrael: reuertatur vir in domum ſuã, à me enim factum eſt verbum hoc.* Sed cur à Dauidis domo regnum Deus alienauit? An quia Bethabeam alienam vxorem turpiter cognouerat? An quia Vriam contumeliâ priùs irrogatâ interfecerat? An quia populũ vtroque ſcelere ſcandalizauerat? Nequaquã; ſed quia immemor iuramenti cum Ionathâ habiti, defunctum negligens, eius filium Miphiboſeth poſſeſſionibus, quæ illi contigerant, earum dimidium Sibæ communicans, iniuſtè priuauerat. Hæc Petro debemus Comeſtori lib 2. Reg. cap. 18. ita loquenti. *Ait Rex. Fixum eſt, quod locutus ſum. Tu, & Siba diuidite poſſeſſiones, quaſi diceret. Vtriq; veſtrum dederam, ſed quia vterq; habere non poteſt, inter vos diuidatur. Dicitur, quòd Dauid immemor iuramenti cũ Ionathâ, iniuſtè iudicauit, & ideò Roboam, & Ieroboam diuiſerunt eius regnum, mortuo enim Salomone, Roboam filius eius, & Ieroboam armiger ipſius diuiſerunt regnum, quod habuerat Dauid.* Dauidem defuncti Ionathæ immemorẽ Deus regni diuiſione puniuit, quia ſemper à Deo ſeuerè puniuntur, qui mortuorum iniuſtè obliuiſcuntur.

Petrus Comeſtor.

Ezechiam defunctorum ſepulchra contaminantem diuitijs, & liberis orbauit.

6 Afferam adbuc eiuſdem Petri acumen, quo libro 4. Reg. cap. 31. pœnam expendit, quã Deus Ezechiam propter domûs ſuæ theſauros Regis Babyl. legatis oſtenſos, mulctauit. Illi enim prædixit Iſaias, cuncta, quæ erant in eius domo, auferẽda, & inſuper filios eius in aulâ Regi Babyl. captiuãdos. *Auferentur omnia, quæ ſunt in domo tuâ, & quæ cõdiderunt patres tui vſq; in diem hãc in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus, ſed, & de filijs tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis* 4. Reg. 20. 17. Tam immane ſcilicet erat ſcelus, regni theſauros Babylonijs legatis oſtendere, vt propterea facultatibus, & (quod calamitatem auget) filijs Ezechias orbari mereretur? Ita profectò, inquit Comeſtor, nam Regum, Pontificũ, & Prophetarum ſepulchra, quæ in domo regiâ erant, Gentibus denudauerat, & oſſa paterna profanorum præſentiâ Ezechias contaminauerat. *In eâ domo poſt ſepulchra Regum erant ſepulchra Pontificum, & poſtremò ſepulchra Prophetarum, Hoc ſecretum Dauid, & Salomonis Ezechias Gentibus denudauit, & oſſa paterna contaminauit ex præſentiâ profanorum. Et ab ipſo die ſterilis factus eſt. Porrò cum abiiſſent legati, venit Iſaias ad Regem, & ait, &c.* Ideò Iſaias Dei nomine diuitiarum, & liberorum amiſſionem Ezechiæ prædixit, quia defunctorum ſepulchra, Gentilium, & profanorum præſentiâ contaminauit.

Comeſtor.

Pagani cadauera inſepulta relinquẽtes à Deo mulctati.

7 Scholaſticæ Magiſtro, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ authorem ſubnecto, qui peſtileotiam ingenti hominum clade Alexandriæ, graſſantem deſcribens, Chriſtianos quidem ægrorum curam, & mortuorum ſepulturam curantes, paucos, paganos verò ſemiuiuos eijcientes, & inſepultos omittẽtes, innumeros morbo ſublatos, & morte, quam effugere credebant, proſtratos affirmat. Sed verba ipſius Euſebij Cæſarienſis lib. 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 19. proferamus. *In plateas ſemineces eijciebant, ibique inſepulta eorũ cadauera relinquentes, vim morbi, quã per hæc ſe effugere opinabantur, dupliciter incurrebant, dũ ad peſtilentiæ rabiem etiam fætor inſepultorum cadauerum iungeretur.* Vides Dei iuſtitiam in paganos defunctorum corporibus extrema ſepulturæ obſequia negantes procedere, & cadauerum ipſorum, quæ inſepulta relinquebant, fætore illos necare.

Euſebius Cæſarienſis.

Herodias defuncto inſultans diuino nutu expirat.

8 Aliud, nec minùs rigidum diuinæ vltionis in mortuorum contemptores affert exemplum B. Vincentius Ferrerius ſer. de decollatione S. Io: Baptiſtæ. Caput Ioannis Baptiſtæ apud ſe in aulæ pariete aſtutè humatum Herodias frequenter effodiebat, eiq;, defunctum, ac ſi viueret alloquens, tripudians inſultabat. Obijciebat vitam regio gladio illi ereptam, caputque irridebat ſecuri ſeparatum à corpore, quod mulierem concione ſeparare contenderat ab adultero. Lætabatur capitali ſententiâ ſuæ hoſtẽ libidinis peremptum, & puellam, quòd ſaltu Præcurſoris mortem inter epulas comparaſſet, ferali cruore ſaturata laudabat. Denique ſpiculatoris manu cæſum contumeliarum ſpiculis cædebat, & quem enſe interfecerat viuũ, probris exagitabat defunctum. Verùm, quæ humanum exuerat ſenſum, diuinã ſenſit vltionem, caput enim Ioannis, quod dexterâ tenens irridebat, in eius faciem inſufflauit, & adhuc ignominiæ verba proferentem interfecit. Audi D. Vincentium Ferrerium ſacram hiſtoriam, ſimplicibus quidem, ſed pijs verbis referentem. *Præſentato ſibi capite à filiâ, timens, ne propheta reſurgeret, ſi eum corpore caput ſepultum fuiſſet, ideò cautè in pariete palatij fodit, & ibi caput poſuit, & ſæpè caput volebat videre, timens, ne reſurgeret, ergò bene fuit perſoluta. Vnde cùm ſemel caput Ioannis in manibus teneret, & eidem gaudens plurimùm inſultaret, dicens. Hem Ioannes vos voluiſti me ſeparare ab Herode, ſed ego abſtuli vobis vitam, & caput à corpore. Et diuino nutu caput ipſũ in eius faciem inſufflauit, & illa miſera protinùs expirauit, & dæmones eius animã ad infernum duxerunt.* Diuino nutu mulctata mulier in defunctum impia, corruit, & ad infernum ducenda, dum ore contumelias emittebat, è corpore ſpiritum infęlix emiſit.

D. Vincentius Ferrerius.

Latrones defunctorum à Deo damnati.

9 Has pęnas, quibus Deus impios ergà mortuos mulctare conſueuit, Paulus explicauit, cùm

Digitized by Google

ait fures, & raptores cùm cæteris reprobis à regno Dei exeludendos. *Nequè fures, nequè ebrioſi, nequè auari, nequè maledici, nequè rapaces regnũ Dei poſsidebunt.* 1. Corinth. 6. Nam ſi tantâ ſeueritate à Deo plectuntur, qui facultates furantur viuorum, quàm rigidè ab eodem punientur, qui bona rapiunt defunctorum? Nonnè ſunt latrones cęteris peiores, qui ſæuientes in mortuos, bona, quæ illis adiuuandis adhibere deberent, dilapidant, eoſque eccleſiaſticis ſuffragijs, quæ in Purgatorijs flammis opperiuntur, defraudant? ſi ergò Deus latrones damnat viuorum, quid latronibus faciet mortuorum? *Si ſic*, inquit, Ioannes Bromyardus in ſummâ prædicantium. 1. p. cap. 8. Verbo executor, *damnabit Deus fures, qui bona furantur viuorum, vbi ponet, qui bona furantur defunctorum, de quibus suprà oſtenſum, eſt quòd sunt* LATRONES, ET PRODITORES OMNIBVS ALIIS CRVDELIORES, ET PEIORES? Vtique cùm rigidiori pœna peiores, & crudeliores plectantur latrones, rigidiùs latrones plectet Deus mortuorum, quàm eos, qui bona diripiunt viuorum.

Ioannes Bromyardus.

Impios in Purgatorij anim. tortorib⁹ Deus tradit.

10 Hùc flectere poſſumus, quod Chriſtus ait Matth. 18. regnum cœlorum homini regi aſſimilans, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Hic, cum eſſet ei ſeruus oblatus, qui decem millia talenta debebat, & procidens, ne cum familia venundaretur, patientiam rogabat, miſertus illius totum debitum ei dimiſit. Sed cùm ſeruus ex Domini miſericordiâ nequior effectus, conſeruum, qui debebat ei centum denarios penè ſuffocaſſet, ac patientiam rogantem in carcerem, donec redderet debitum, miſiſſet, iratus Dominus, vocatum, & duris verbis increpatum tortoribus tradidit vſque ad ſolutionem vniuerſi debiti cruciandum. *Iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.* Hunc expendens rigorem Ioannes Cluniacenſis, & ex pœnâ, quâ Dominus conſerui non miſertũ mulctauit, pœnam inferens, quâ Deus eos plectet, qui parentum, ac propinquorum in Purgatorio exiſtentium non miſeretur. *Si Dominus*, inquit Ser. 1. de defunctis, *profert sententiam in illum, qui non eſt misertus conserui sui, quomodo iudicabit in eum, qui non miseretur Patris, & Matris in Purgatorio exiſtentium?* Si Deus crudelem in conſeruũ adeò torquet, quomodo crudeles in propinquos, & cognatos Purgatorium incolentes torquebit? Sæuiori proculdubio crudelitate affectos ſeueriori pœnâ iratus mulctabit.

Io. Cluniacenſis.

Iuppiter vltor crudelitatis in defunctos.

11 Sed nec antiquos Gentiles ſupplicia, quibus crudeles in defunctos à Deo plectuntur, latuerunt. Ouidius namque Lycaonem ſæuum in mortuum, cuius carnes non ſepulchro condiderat, ſed menſæ appoſuerat, à Ioue Deorum ſummo incendio correptum, in ſyluas eiectum, & in lupum narrat, in pœnam ſuæ feritatis, commutatum. Hinc ipſum Iouem cæteros Deos ita inducit lib. 1. Metamorph. affantem.

Ouidius.

Nec contentus eo eſt, miſsi de gente Moloſsâ
Obſidis vnius iugulum mucrone reſoluit,
Atquè ita ſemineces partim feruentibus artus
Molliit aquis, partim ſubiecto torruit igni
Quos ſimul impoſuit menſis, Ego vindice flammâ
In Dominum dignos euerti tecta penates.
Territus ipſe fugit, nactusque ſilentia ruris
Exululat, fruſtràque loqui conatur.

Quæ verba explicans Raphael Volaterranus, hæc ad rem noſtram apponit. *Poſtquam*, ait, *humanæ illæ carnes mihi appoſitæ fuerunt, ego ſtatim ædes Lycaonis incendio corripui, dignas, quæ in tàm crudelem Dominum euerterentur. Ceterùm ipſe territus in ſyluas aufugit, & in lupum feritati ſuæ maximè conueniens animal, fuit commutatus.* Adeò verum eſt à Deo crudelitatem in mortuos mulctari, vt Gentiles quoque Iouem dixerint acerrimum huius crudelitatis vltorem, & ſeuerum Lycaonis, qui mortui carnes inſepultas ei appoſuerat, punitorem.

Raphael Volater.

Dij Teronem impium in defunctũ letho corripiunt.

12 Nec minùs dignum, vt hìc afferatur, cenſeo, Teronis ſupplicium, qui dum cæſæ Hasbytis caput haſtâ inſepultum figiſſet, & ante agmina hoſtium crudeliter ſpectandum proponeret, Deorum abeunte fauore, morte acerbâ correptus, & hoſtili mucrone interfectus interijt. Do verba Silij Italici eius, & flagitium, & ſupplicium ita lib. 2. Punicorum enarrantis.

Silius Italic.

Nec dum iræ poſitæ celsâ nam figitur haſtâ
Spectandum caput, id geſtent ante agmina Pœnum
Imperat, & properè curſus ad mœnia vertant.
Hæc cæcus fati, DIVVMQ; ABEVNTE FAVORE,
Vicino Teron edebat prœlia letho.

Animaduerte à ſæuo in mortuum Deorum abire fauorem, & vicino correptum letho, qui ſepulturam inhibuit defuncto.

Dij manes vrentes Romanos propter parẽtalia pro mortuis intermiſſa.

13 Quid, quòd & Ouidius retulit, Romanos parentalia pro mortuis omittentes à Dijs Manibus combuſtione mulctatos, & flammis immiſſis pro pietate in mortuos intermiſsâ punitos? Sanè lib. 2. Faſtorum hæc habet.

Ouidius.

At quondã dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, parentales deſeruere dies.
Non impunè fuit: nam dicitur omine ab iſto,
Roma ſuburbanis incaluiſſe rogis.

Ad quæ Antonius Conſtantius. *Cùm multi*, inquit, *interirent, qui non longè ab vrbis mœnibus vrebantur, creditum eſt, iratos manes, parentalibus intermiſsis, Romanos eâ calamitate mulctaſſe. Et hoc eſt, quod auctor ait, Non impunè fuit.* Falſos etiam Deos Ethnici crediderunt deteſtari crudelitatem in defunctos; quare illos dixerunt, & pœnis mulctare ſeueris, & flammis cremare vltricibus eos, qui ergà mortuos debitæ pietatis obſequia omittunt.

Ant. Conſt.

Sæuitiâ in mortuos ira Dei prouocatur.

14 Quin etiam Phocylides inter Græcos Pœta celeberrimus in parænesi, ſæuitiâ in mortuos diuinam iram dixit à viuentibus prouocari. Nam ſupplicia Dei experitur irati, qui ſęuus hominis non miſeretur defuncti

Phocylides.

Γαῖαν ἐπιμοιρᾶσθαι ἀταρχύτοις νεκύεσσι
Μὴ τύμβον φθιμένων ἀνορύξῃς μηδ᾽ ἀθέατα
Δείξῃς ἠελίῳ, καὶ δαιμόνιον χόλον ὄρσῃς.

Digitized by Google

Terram impartire inſepultis cadaueribus.
Ne tumulũ mortuorũ refodias, neq; non aſpectanda Soli monſtres, DIVINAMQVE IRAM PROVOCES.

Dei pœnis torquetur, qui ſe mortuis crudelem exhibet, vndè tumulorum effoſſores, & mortuorum turbatores Deorum iram tantâ crudelitate in ſe prouocare ſenſerunt Gentiles. Dum igitur eos quoque, quos Deos inſana Gentilitas putabat, crudelitatis in mortuos vltores fuiſſe conſtat, iam liquet, Deo impietatis pœnas expendere, qui mortuis pietatis obſequia non impendunt

CAPVT X.

Eximia Sanctiſſimæ Trinitatis ergà defunctos pietas declaratur.

Iudas Machabæus Trinit. ſymbolo mortuorum animabus ſuffragatur.

1 A Dei vnitate ad eiuſdem Trinitatem tranſeo, & qui hucuſq; Deum, vt vnum, pium in defunctos probaui, deinceps etiam vt trinum in eos clementem oſtendam. Quam quidem clementiam Iudas Dux Machabæorum ſtrenuus declarauit, cùm ſub tunicis interfectorũ militum inuentis idolorum donarijs, vt mortuorum animabus oblatione ſacrificij ſuffragaretur, *factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium.* 2. Mach. 12. 43. Cur enim nec plures, nec pauciores miſit, ſed cũ duodenario millenarium numerum elegit? An vt per millenarium actionis perfectio innueretur, per duodenarium verò, qui ex tribus quater ductis conflatur, Sanctiſſimæ Trinitatis fides per quatuor mundi partes propaganda ſignificaretur? Certè id voluit in Bibliothecâ veterum Patrum Hugo Etherianus de regreſſu animarum cap. 15. *Collationem argenti fecit, ſed non elegit numerum quemuis, nam duodecimum, & milleſimum ſolùm aſſumpſit, vt per duodecimum* SANCTISSIMAE TRINITATIS FIDES, QVAE PER QVATVOR MVNDI PARTES PRAEDICANDA ERAT *inſinuaretur, per milleſimum verò eius integritas, & perfectio commendaretur.* Diuinæ Trinitatis in defunctorum animas pietatem, pius Machabæorum dux cognouit, quare in drachmis pro interfectorum animabus in ſacrificium collatis, non quemlibet, ſed numerum elegit Sanctiſſimam Trinitatem vbique terrarum prædicandam exprimentem.

Hugo Etherianus.

Trinitati viuificatio debetur mortuorũ

2 Hoc voluit Chriſtus, cùm mortuorum reſurrectionem, ſicut patri, ſic, & filio tribuendam eſſe declarauit. *Sicut enim pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic, & filius, quos vult viuificat.* Io. 5. 21. Cùm enim dicat inſuper Apoſtolus. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus* 1. Corinth. 12. 11. Totius Trinitatis pietate mortuos reſurgere Chriſtus indicauit. Aptè Carthuſianus in hunc locum *Filius, quos vult viuificat, non vtiq; alios, aut pauciores, quàm pater, ſed eoſdem, & æquè multos, quoniam operatio patris, & filij ad extrà eſt penitùs indiuiſa, & idem dicendum eſt de Spiritu Sancto, de quo fatur Apoſtolus. Hæc omnia operatur vnus, atquè idem ſpiritus.* Nedùm Pater, verùm etiam Filius, & Spiritus Sanctus mortuos viuificat, vt indè liquidò appareat, defunctos in tenebris, & in vmbrâ mortis ſedentes totius Trinitatis miſeratione gaudere.

Dionyſius Carthuſ.

Defunctum in virtute Trinitatis Elias ſuſcitauit.

3 Id quod Elias quoque oſtendit Propheta, cùm ſuper Viduæ Sarepthanæ filium è viuis languore ſublatum, tribus vicibus clamans ad Dominum ſe expandit. *Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum* 3. Reg. 17. vt quid Propheta defuncto vitam impartiri cupiens, ter ſe ſuper cadauer expandit? Nùm Deus ad ſuſcitandum puerum calore indigebat membrorum? An non frigidos quoque animare poterat cadaueris artus? Numquid non niſi ab Elia calefactum valebat ſuſcitare defunctum? Abſit; ſed ter Elias ſe ſuper mortuum expandit, vt Beatiſſimæ Trinitatis Myſterium, cuius pietate cadaueri vitam obtinere ſatagebat, inſinuaret. Annuit Theodoretus in Gloſsâ 3. Reg. cap. 17. *Cùm Propheta poſt preces ter inſufflaſſet in adoleſcentem, eum reduxit ad vitam. Significat autẽ numerus* ADORANDAM TRINITATEM. Tunc mortuum Propheta ſuſcitauit, cùm ter in eum inſufflauit, ſignificans adorandæ Trinitatis virtute ſe vitam reſtituere defuncto. Quod clariùs Dionyſius Carthuſianus eumdem locum explicans expreſſit. *Expandit ſe ter ad inſinuandum* SVPER BEATISSIMAE TRINITATIS MYSTERIVM, *cuius virtute, & fide poſtulauit obtinere ſupernaturalem illum effectum.* Virtute Trinitatis defuncto vitam Elias largiebatur, & ideò numerum adhibens Trinitati congruum, ter ſe ſuper cadauer expandit, terque in illud, clamans ad Dominum, inſufflauit.

Theodoretus.

Dionyſius Carthuſianus

Tres mortuos in virtute Trinitatis Martinus excitauit.

Eccleſia.

4 Hæc D. Martinus glorioſus Turonenſium Antiſtes firmauit, qui tribus defunctis deperditã vitam pius reſtituit. Cur enim tres ſuſcitauit, niſi, vt ſe Trinitatis virtute mortuos viuificare profiteretur? Accinit Eccleſia, in reſponſorio diei eius feſtiuitati dicatæ verba iſta concinens. *Hic eſt Martinus electus Dei Pontifex, cui Dominus poſt Apoſtolos tantam gratiam conferre dignatus eſt, vt* IN VIRTVTE TRINITATIS DEIFICAE *mereretur fieri trium mortuorum ſuſcitator magnificus.* O' ſummam Diuinæ Trinitatis in mortuos pietatem, cuius virtute ab inferis rediuiui, ſanctis exorantibus, reſurgebant defuncti.

Eiuſdem virtute Archiſynagogi filiam Chriſtus reſuſcitauit.

5 Sed, & Chriſtus, quotieſcumque mortuos ſuſcitabat, in virtute Sanctiſſimę Trinitatis eos viuificabat. Archiſynagogi domum flentibus, & eiulantibus pro defunctâ puellâ repletam ingreſſus erat, cùm tibicines deridentes, & turbam tumultuantem repellens, quin, & reliquos diſcipulos recedere iubens, ſolos permiſit ſecum intrare Petrum, Iacobum, & Ioannem. *Et cùm veniſſet domũ, nõ permiſit ſecum intrare quemquã, niſi Petrũ, & Iacobũ, & Ioannẽ, & patrem, & matrẽ puellæ.* Luc. 8. 51. Cur verò tres iſti tantùm ex diſcipulis aſſumuntur, cæteri verò ab Archiſynagogi

domo,

domo, donec puella reſurgat, expelluntur. Nōnè ſatius erat cunctos inducere, vt reſurrectionis miraculo conſpecto, magis in fide roborarentur? Quid fortius, & ad ſibi deuincendos Apoſtolorū animos poterat Chriſtus exhibere vehementius, quàm vitam defunctæ puellæ denuò, & ſtatim ſolo manus contactu adhibito reſtitutam. Cur ergò, dum puella eſt ſuſcitanda, eos reijcit, & à miraculi conſpectu, tribus exceptis, omnes expellit? Vt trino Apoſtolorum numero trinum diuinarum perſonam numerum, quarum virtute vitam defunctæ largiebatur inſinuaret. Aureo D. Io. Chryſoſt. calamo hom. 7. in Matth. hæc debentur. *Quare iſti ſemper aſſumuntur, & cæteri dimittuntur? In iſto numero* MYSTERIVM TRINITATIS EST, *qui numerus per ſe ſanctus eſt*. Sanctum numerum, in quo Trinitatis myſterium eſſet, in reſurrectione defunctæ Chriſtus adhibuit, & ideò ex Apoſtolis non niſi tres, vbi puella iacebat intrare permiſit.

Chryſoſtomus

Trinit. virtute ſuum corp. ſuſcitauit, & noſtra quoq; ſurrectura indicauit.

6 Idem innuere voluit, cùm Iudæis dixit. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud* Io. 2. 19. Explicat autem Euangeliſta, Chriſtum de templo corporis ſui locutum fuiſſe. *Ille autem dicebat de templo corporis ſui*. Quid cauſæ eſt, quòd corporis ſui templum crucis morte dirutum, non niſi poſt triduum excitauit? Vtique mirabiliùs, & ad fidem acquirēdam, quam promulgare intēdebat, aptiùs egiſſet, ſi ſtatim poſt mortem coram ſui nominis hoſtibus illud reuocaſſet ad vitam. Profectò magis Iudæi feſtinaſſent ad credendum, ſi magis Chriſtus feſtinaſſet ad reſurgendum, & fortè dormientes teſtes falsò non adhibuiſſent, ſi vigilantibus, & conſpicientibus ipſis, ſuæ reſurrectionis veritatem comprobaſſet. Quam igitur ob cauſam non ſtatim, ſed tribus tranſactis diebus templum ſui corporis à mortuis excitauit? Numquid hoc egit vt ſe in virtute Sanctiſſimæ Trinitatis illud excitare ſignificaret? Hæc fuit mens Gloſſæ Interlinearis locum iſtum ita dilucidantis. *Soluite templū hoc, et in tribus diebus excitabo illud, ſcilicet* IN VIRTVTE TRINITATIS. Trinitatis virtute vitā Chriſtus largiebatur defunctis, vndè & ſui corporis mortui reſurrectionem poſt triduum diſtulit, vt Trinitatis virtute ſe illud ſuſcitare declararet. Imò triduanus etiam reſurrexit, vt nobis oſtenderet Trinitatis beneficio cæterorum quoque reſurrectionem futuram mortuorum. Quod expendens D. Petrus Chryſologus ſer. 62. inquit, *Tertiâ die reſurrexit, vt eſſet noſtri corporis reſurrectio, virtus, gratia*, BENEFICIVM TRINITATIS. Nedùm Chriſti, ſed etiam reliquorum omnium defunctorum reſurrectio, beneficium fuit diuiniùs à totius Trinitatis pietate receptum, quapropter cū reſurgens noſtram reſurrectionem cauſauit, non niſi poſt triduum Chriſtus reſurrexit.

Gloſſa Interl.

D. Pet. Chryſ.

In virt. Trinitatis reparauit Christus à morte defūctos.

7 Quin, & tribus diebus apud inferos commorari voluit, mortuorum vincula ſoluēs, & habitantes in regione vmbræ mortis æternæ vitæ primordijs exhilarans. Nimirùm triduum illud in figurá contigit, quâ oſtendebat Beatiſſimam Trinitatem, quæ, mundo exoriente, hominem creauerat viuum, ſe moriente, eumdem reparare defunctum. Fallor, ſi hùc non alluſit D. Auguſt. in catenâ in cap 27. Matth. hæc ſcribens. *Triduum legitur in figurâ, quâ* TRINITAS. QVAE IN PRINCIPIO FECERAT HOMINEM, IPSA IN FINE HOMINEM PER CHRISTI REPARAT PASSIONEM. Tribus diebus Chriſtus apud inferos mortuis pietatem impendit, quia in virtute Trinitatis eos à morte ſuâ paſſione reparauit.

D. Auguſtin.

Tota Trinitas Lazarum à mortuis excitauit.

8 Verùm hìc aliud eiuſdem Auguſtini acumen præterire non debeo, quo Chriſtum in reſurrectione Lazari contemplatur orantem. Vt quid Chriſtus Lazarum reſuſcitaturus orationem adhibet, dum in cæteris miraculis imperio vtebatur? Quid patrem precatur, qui diuinitati vnitus vitam ſine precibus poterat impartiri defuncto? Non orat, quia oratione ad mortuum viuificandum indigeat, ſed patrem inuocat, vt oſtendat totam Trinitatem, Patrem videlicet, ac filium in gratiâ Spiritus Sancti Lazaro denuò vitam largiri defuncto. Perbellè S. Auguſt. tract. 21. in Io. *Patrem inuocat, vt reſurgat Lazarus. Sicut homo inuocat patrem, ſicut Deus facit cū Patre. Ergò, & Lazarus, quòd reſurrexit, & à Patre, & à Filio ſuſcitatus eſt, in dono, & gratiâ Spiritus Sancti, & illud mirabile opus* TRINITAS FECIT. Poterat ne Trinitatis pietas ergà defunctos aptioribus exprimi, atque luculentioribus verbis?

S. Auguſtin.

Totius Trinitatis conſenſu Tartarus Christo iubente mortuos reddidit.

9 Sed feſtiuè D. Petrus Chryſologus ſerm. 65. Chriſtum inducit Tartaro, vt Lazari ſpiritū redderet, præcipientem, cui cùm Tartarus, veluti ignoto obtemperare renueret, ac propterea ad Cęlum, nè ſua clauſtra violarentur, recurreret, Chriſtus Patrem, vt ſibi Lazari vitam concederet, exorauit. Quapropter totius Beatiſſimæ Trinitatis conſenſu Lazarus vitam recepit, & Tartarus iuſſus eſt, quoſcumque Chriſtus vellet, mortuos reſtituere vitę. Non affero cuncta Sancti Patris verba, quippè quæ ſunt plura, ſed extrema tantùm exſcribo. *Adhæc* TOTIVS TRINITATIS *conſenſus, & Lazarum præcepit exire, & Tartarus ad reddendos omnes mortuos, Chriſto iuſſus eſt obedire: hinc eſt quòd filius clamat: Pater gratias tibi ago, quia audiſti me*. Gratias Deo Chriſtus egit, quia totius Trinitatis iuſſu reſuſcitationem obtinuit mortuorum.

Pet. Chryſol.

Trinitas ſpiritus eſt, mortuorum labores auferens.

10 Beatos appellat Ioannes mortuos, qui charitatis dono præditi, & diuinæ conſortes effecti naturæ, Dei gratiam habentes, in Domino moriuntur, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Apoc. 14. Rationem verò eorum beatitudinis afferens. *Amodo*, ſubdit, *iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis*. Mortuorum labores, qui in Domino moriuntur, ſpiritus aufert, ad æternæ vitæ beatam requiem illos ducens perpetuò beandos. Cæterùm quis eſt iſte ſpiritus in mortuos adeò pius, qui eorum labores ſolatur, & perpetuæ felicitatis præmia ei largitur? Sanctiſſimæ

Tri-

Trinitatis Perſonæ, quæ cuiuſcumque materiæ prorſus expertes, iurè meritò ſpiritus nomen ſibi vſurpant, iuxtà illud Chriſti Domini apud Io. c. 3. *Spiritus eſt Deus.* Adſtipulatur B. Dionyſius Carthuſianus, qui hunc locum ita commentatur. *Quia* TOTA SVPERBENEDICTA TRINITAS SPIRITVS EST, *dicente Apoſtolo, Dominus ſpiritus eſt, & apud Ioannem ipſomet Chriſto, ſpiritus eſt Deus, poteſt iam per ſpiritum Deus* TRINITAS *accipi.* Trinitas ſanctiſſima ſpiritus eſt in defunctos clementiſſimus, qui longos eorum beatæ viſionis perenni felicitate ſolatur labores, & ad cœleſtē patriam illos ab omni pęna ducit immunes.

Dion. Carth.

In Trinitatis fide defunctis fideles pietatem impēdūt.

11 Pergo, & mulieres tranſacto ſabbato, vt Chriſti cadauer vngerent ad ſepulchrum vnguēta ferentes expendo. Tres enim iſtas fuiſſe Marcus commemorat cap. 16. 1. *Et cùm tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſū. Et valdè manè vnâ ſabbatorum veniunt ad monumētum orto iam ſole.* Quid autem per ternarium iſtarum mulierum monumentum defuncti adeūtium numerum innuitur, niſi fideles Sanctiſſimæ Trinitatis fide illuſtres mortuis pietatem impendere, & circà monumenta perſeuerantes pro eis orare? Hùc reſpexiſſe videtur Hugo Cardinalis, cùm locum iſtum explicans hæc protulit. *Per tres mulieres ſignificantur omnes fideles* FIDE SANCTAE TRINITATIS *inſignes monumentum intrantes.* In Trinitatis fide circà monumenta, vt defunctis pietatem impendant, fideles verſantur, quapropter vt ternario numero Trinitatem exprimerent, tres ad Chriſti monumentum, defunctum cadauer aromatibus vncturæ mulieres properarunt.

Hugo Card.

Tertiâ die ob Trinit. pietatem pro defūctis ſuffragia fiunt.

12 Hùc facere videtur eorumdem fidelium mos, quo tertiâ die ab obitu defunctorum animas peculiaribus adiuuare ſuffragijs conſueuerunt. Quem morem Gentiles imitatos eſſe teſtatur Virgilius lib. 2. Æneidum, cùm tertiâ die Latinos corpora ſuorum ignibus cremata gemētes, & eiulantes terræ mandaſſe affirmat

Virgilius.

Tertia lux gelidam Coelo dimouerat vmbram
Mœrentes altum cinerem, & confuſa ruebant
Oſſa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.

Nimirùm ſicut nos defunctorum animabus precibus, & ſacrificijs ſuffragamur, ita, & ipſi cadaueribus fletibus, & ſepulturâ extrema pietatis officia tertiâ die perſoluebant. Sed quamobrem defunctorum animabus in Purgatorij flammis commorantibus tertiâ die ſuffragamur, niſi vt hæc ſuffragia eis Trinitatis virtute prodeſſe teſtemur. Audiamus Guillelmum Durandum in rationali diuinorum officiorum lib. 7. cap. 35. id aſſerentem. *Nota, quòd quidam faciunt memoriam pro defunctis die tertiâ, ſeu per tres dies repræſentantes triduanam Domini ſepulturam, ſeu reſpectum habentes ad reſurrectionem Chriſti, qui tertiâ die reſurrexit, reſurrectionem cum Chriſto mortuis percptantes, ſeu ad* TRINITATEM. Trinitatis ergà defunctos pietatem fideles norunt, ideòque ad Trinitatem reſpiciunt, cùm tertiâ die ſacrificijs, & eccleſiaſticis precibus illis ſuffragantur.

Guill. Durandus.

13 Nec aliorum tendunt, qui vel trigeſimâ die, vel triginta dierum circulo incruenta ſacrificia Omnipotenti Deo per ſacerdotum manus pro animabus offerunt defunctorum. Nam cùm ex decem ter ductis, numerus conſurgat trigeſimus, innuunt defunctis Trinitatis pietate per illa ſacrificia benignè dimittendum, quidquid in Decalogum humanâ fragilitate deliquerunt. Hoc item eidem Guillelmo debemus ibidem hęc ſubdenti. *Alij celebrari faciunt pro defunctis triginta dies, vel trigeſimâ die, quia ter decem faciunt triginta, per ter enim* TRINITATEM, *per decem Decalogum intelligimus.* Trinitatis pietate defuncti fruuntur, & ideo ſemper Trinitatis mentio habetur, cùm eorum animabus Eccleſiæ ſuffragia exhibentur.

Eadem ratione triginta diebus pro eis celebratur.

Idem.

14 Huius veritatis figuram Deus nobis tradidit, cùm iuſſit mulieri captiuæ, vt antequam cū Hebræo coniugium iniret, ſuos per menſem lugeret parentes. *Deponet veſtem, in quâ capta eſt, ſedenſque in domo tuâ flebit patrem, & matrem ſuā vno menſe, & poſteà intrabis ad eam.* Deut. 21. 13. Huius menſtrui luctûs expendit Gloſſa myſteriū, & cùm Menſis triginta dies contineat; ter autem decem trigeſimum numerum componant, agnoſcit in his diebus luctui dicatis fidem adumbratā Sanctiſſimæ Trinitatis. *Flebit patrem, & matrē ſuam vno menſe, ideſt triginta diebus, vt poſt* FIDEM TRINITATIS, *& Decalogi mereatur Eccleſiæ ſociari: ter enim decem triginta efficiunt.* In luctu, quem captiua pro mortuis parentibus agebat, numerum dierum voluit Deus ſeruari, quo Trinitatis perſonæ innuerentur, vt nobis conſtaret Trinitatis pietate ſuffragia exhiberi defunctis.

Trinitatis pietate lugeatur defuncti.

Gloſſa Ordin.

15 Hinc eſt, quòd Animæ defunctorum Purgatorij vinculis alligatæ Sanctiſſimam Trinitatem inuocant, & ad eam in pœnis, quibus affliguntur aſſiduè clamant. Nauem Ionas conſcenderat, vt fugeret in Tharſis à facie Domini, cū tempeſtate ortâ, & naui periclitante cecidit ſors ſuper eum, quem in mare proiectum piſcis à Deo miſſus deglutiuit. Ille verò de ventre piſcis orās clamauit ad Dominum, vndè in aridam eiectus imminentem mortem vitauit. *Orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis, & dixit, Clamaui de tribulatione meâ ad Dominum, & exaudiuit me.* Ionæ 2. Animam in Purgatorio detentam Ionas in ceti ventre clauſus ſignificat, vndè Ionas ipſe ipſius ventrem, ventrem inferi appellauit, *de ventre inferi clamaui, & exaudiſti vocem meam;* Sicut ergò de ventre ceti, vt eriperetur à morte Ionas clamabat, ſic de ventre inferi, vt à pœnis, quas patiuntur, eripiantur animæ purgatorio mancipatæ ad Dominum clamant. Sed quid clamant? Guillelmus id nos docebit Pepinus ſer. in die defunctorum. *Ionas in ventre ceti clamans ad Dominum pro ſuâ liberatione, eſt Anima in Purgatorio exiſtens, quæ clamat ad Dominum, vt*

Animæ Purgatorij Trinitatis pietatē implorant.

Guill. Pepin.

liberet

liberet eam de omnibus anguſtijs ſuis, vndè quotquot Animæ ibi ſunt, videntur ſe mutuò hortari dicentes illud Machabæorum 4. Nunc clamemus in Cælum, & miſerebitur noſtri Deus noſter. Sed quid clamando dicunt ad Dominum? Certè dicunt Pater de Coelis Deus, miſerere nobis. Fili Redemptor mundi Deus miſerere nobis, Spiritus ſancte Deus miſerere nobis. SANCTA TRINITAS VNVS DEVS MISERERE NOBIS. Ad Dominum trinum clamant; Patrē, Filium, & Spiritum Sanctum inuocant; totam denique Trinitatem, vt eius pietate liberentur à pœnis Purgatorij, deprecantur. O' ſummam igitur Sanctiſſimæ Trinitatis in Purgatorij animas clementiam, quam, & ipſæ agnoſcentes, vt à pœnis eruantur implorant.

Gentiles Trinitatis in defunctos pietatem numero ternario adūbrarunt.

16 Hanc diuinæ Trinitatis in defunctos pietatem Gentiles quoque Deus figurare permiſit. Quare in iuſtis, quæ defunctorum manibus perſoluebant, ſemper ternarium numerum, vt ſacrum adhibebant. Hinc Virgilius lib. 6. Aeneidum Deiphobi manes ter in litore magnâ voce refert vocatos.

Virgilius.

Tunc egomet tumulum Rhoeteo in littore manem
Conſtitui, & magnâ manes TER VOCE VOCAVI.

Et in funere Teucrorum in prælio cum latinis interfectorum milites narrat lib. 11. ter circa rogos accenſos decurriſſe, terquè in equis funeris ignem luſtraſſe.

Idem.

TER *circùm accenſos cincti fulgentibus armis*
Decurrere rogos, ter mæſtum funeris ignem
Luſtrauere in equis, vlulatuſque ore dedere.

Silius quoque Italicus lib. 2. Punicorum ter circà cineres defunctę Hasbytis Nomadum cohortem ait luſtraſſe.

Silius Italic.

At Nomadū furibunda cohors miſerabile humādi
Deproperat munus, tumulique adiungit honorem,
Et rapto cineres TER *circùm corpore luſtrat.*

Horatius etiam lib. 1. Ode 28. meminit moris, quo ter inſepultis cadaueribus terram inijciebant.

Horatius.

Quamquam feſtinas, non eſt mora longa, licebit
INIECTO TER PVLVERE *curras.*

Vbi Acron addit. *In ſacris hoc genus ſepulturæ tradebatur, vt & ſi non obrueretur, manu plenâ* TER IACTA TERRA *cadaueri pro ſepulturâ eſſet.* Imò, & Heliodorus lib. 3. Aethiopicorum cap. 8. circà ſepulchrum Neoptolemi tertiò Ephebos dixit circumuectos. Τὸ μνῆμα τῶ Νεοπτολέμου περιεχόρευσατο ἡ πομπὴ, ϗ τρίτον οἱ ἔφηβοι τὸν ἵππον περιήλασαν. Quæ verba latinè reddita hæc ſunt. *Sepulchrum Neoptolemi pompa circuiuit, &* TERTIO' *Ephebi equis ſunt circumuecti.* Tandem T. Liuius Ludos funebres memorat per triduum factos lib. 39. *P. Licinij funeris cauſâ viſceratio data, & gladiatores CXX pugnauerūt, & ludi funebres* PER TRIDVVM *facti.* Ea ſcilicet eſt in defunctos Trinitatis pietas, vt Gentiles quoque in exequijs mortuorum peragendis, quid facerent ignorantes, eam numero ternario adumbraſſe videantur. Quibus omnibus iam ſatis, quàm ſit eximia Sanctiſſimæ Trinitatis erga defunctos pietas, declaratur.

Heliodorus.

T. Liuius.

CAPVT XI.

Paternâ æterni Patris Pietate Defuncti fruuntur.

Viuificatio mortuorum maxima pars operationis Patris.

1 VEnio ad ſingulas Diuinæ Trinitatis Perſonas, & vniuſcuiuſq; ex illis pietatem ergà defunctos ſigillatim oſtē do. A' Patre igitur, qui eſt Prima Sacræ Triadis perſona, exordiēs, adeò pium ergà defunctos illum reperio, vt maximam, & præcipuam ſuæ operationis partem, viuificationem ipſemet cenſeat mortuorum. Aeterno Patri ſe Dei filium in hoc Christus comparauit, quòd ſicut Pater vitā habet in ſemetipſo, ita & filius item in ſemetipſo vitam habet, ſed ab eo ſibi communicatam. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo.* Io. 5. 26. Sed quid magnum eſt vitam habere in ſemetipſo, vt in hoc ęterno Patri ſe comparet Dei filius? Nonnè plurimæ Creaturæ, nedùm intellectuales, verùm etiam ratione, imò, & ſenſu prorſus carentes, vitam habent in ſemetipſis? Nonnè Angeli, Homines, Bruta, & Plantæ vitā ſibi à Deo communicatā fruuntur? Vt quid ergò de vitâ, quam habet in ſemetipſo, tanquā de peculiari Dei proprietate Chriſtus gloriatur? Vitam in ſemetipſo operationem intelligit, quâ mortuos in ſemetipſo viuificat, quam paternæ operationis maximam partem, ſibi dixit, vt vnigenito collatam. Sed Ruperti Abbatis hunc locum ad rem noſtram elucidantis verba proferamus. *Dedit & filio vitā habere in ſemetipſo, ideſt partem maximam operationis eiuſdem illi impoſuit, vt & ipſe mortuos viuificaret in ſemetipſo.* Adeò familiaris Aeterno Patri eſt pietas in mortuos, vt maximam partem ſuæ operationis vnigenito Filio collatam, viuificationem cenſeat mortuorum.

Rupertus Abbas.

Mortuorum viuificatione Patris potentia declaratur.

2 Addo, quod Euthymius aduertit ad eumdē locum, Patris potentiam vitâ defunctis benignē collatâ ſingulariter declarari. Quapropter Chriſtus, vt ſe æqualem potentiam cum Patre habere comprobaret, ſe poſſe non minùs Patre mortuos viuificare declarauit. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius, quos vult viuificat.* Ad quem locum hæc habet Euthymius. *Sicut ille, ita & hic quos vult viuificat. Aequalis vtique potentiæ filius eſt cum Patre.* VIVIFICARE ITAQVE SICVT PATER, POTENTIÆ DOCET ÆQVALITATEM. In mortuis viuificandis Aeterni Patris potentia præcipuè occupatur, vndè vt ſuæ potentiæ cum paternâ æqualitatem Dei filius declaret, ſe mortuos viuificare, ſicut viuificat Pater, oſtendit.

Euthymius.

Pater Aeternus Chriſti animam corpori vniuis, & [illegible] ſpiritui [illegible] nitate liberauit.

3 Alloquens apud Dauidem Pſalmo 15. 10. Chriſtus Dominus Aeternum Patrem, hæc habet. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionē.* Cognouit fore, vt anima ſua poſt mortem ex inferni faucibus eriperetur, & corpori in monu-

mento

mento iacenti rurſus à Patre vniretur, quò per eam cæterorum mortuorum in lymbo degentiũ animæ a captiuitate liberatæ ad æternæ fœlicitatis gaudia euolarent. Pater quippè in defunctos pius, & defuncti filij reſurrectionem, & reliquorum mortuorum in Lymbi tenebris ſedentium exoptabat liberationem. Præiuit id notans in hunc locum Hugo Cardinalis. *Non derelinques ò tu* PATER *animam meam vnitam diuinitati à Carne depoſitam in inferno, ſcilicet in Lymbo, dormiente Corpore in ſepulchro, imò eam vnies corpori, & per eam animas ſanctorum ibi captiuatas liberabis.* Nouerat Christus Aeternum Patrem in defunctorum animas clementiſſimum, à quo proindè, & animam ſuam corpori denuò vniẽdam, & ſpiritus Sanctorum à captiuitate citò liberandos prędixit.

Hugo Card.

4 Ex quo factum eſt vt Pſal. 85. 17. Deum Patrem exoraret, vt ſecum faceret ſignum in bonũ, quo viſo ſui nominis hoſtes confunderentur. *Fac mecum ſignum in bonum, vt videant, qui oderunt me, & confundantur.* Quod enim eſt hoc ſignum, quod ab Aeterno Patre Chriſtus petijt, niſi ſignũ Ionæ Prophetæ, qui tertiâ die de ventre piſcis exiuit, quandoquidem ipſemet dixerat. *Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ?* Matt. 12. 39. Aptè B. Dionyſius Carthuſianus. *Hoc ſignum, quod Chriſtus hìc petit, eſt ſignum Ionæ Prophetæ; quemadmodum in Euãgelio dicit de Iudæis Dominus Ieſus, generatio adultera, & peruerſa ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ, qui tertio die exiuit de piſcis ventre.* Hoc igitur ſignum reſurrectionis, paternam ſciens in defunctos pietatem, ab Aeterno Patre ſibi defuncto petijt Chriſtus exhiberi. Quare allata Pſaltis verba clariùs explicans idem Carthuſianus inquit. *Fac mecum* O' DOMINE DEVS PATER *ſignum in bonum, ideſt ſignum reſurrectionis oſtende in me ad Clarificationem nominis mei per mundum, vt videãt qui oderunt me, ideſt Iudæi, ſeu Cuſtodes Sepulchri, qui angelo viſo, territi ceciderunt, & facti ſunt veluti mortui.* Dei Patris Clementiam in defunctos indicare Chriſtus voluit, ideòque ſignum reſurrectionis à Domino Deo Patre ſibi mortuo exhibendum poſtulauit.

Patrem Chriſtus orat, vt ſecũ pro ſuâ in defunctos clementiâ ſignum reſurrectionis faciat

Dion. Carth.

5 Idipſum innuit Pſal. 29. 4. dicens. *Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.* Ad quem locum Hugo Cardinalis. *Animam eius eduxit ab inferis, vnde dicit, domine eduxiſti ab inferno animam meam,* & paulò infrà verba illa. *Saluaſti me à deſcendentibus in lacum* explicat idem ſignificare, ac *extraxiſti à Lymbo.* Verba quippè ſunt Chriſti, Aeterni Patris pietatem, cùm fuit defunctus, experti: Quapropter, & ſimilem pietatem iubens ſanctos ſperare, ad diuinas laudes ſtatim illos inuitat. *Pſallite Domino Sancti eius, & confitemini memoriæ Sanctitatis eius.* Hæc Hugo idem expendens, vt Patris Aeterni pietatem ergà mortuos magis commendaret, ſubdidit. *Quia tot, & tanta tribuit ei* DEVS PATER, *ideò hortatur Sanctos, qui hoc ſe habituros ſperent, vt Deum laudent, ideò ſubiungit, Pſallite Domino Sancti eius.* Paternam pietatem Deus Pater exhibet defunctis, à quâ cùm ſe ab inferis eductum, & à Lymbo extractum Chriſtus agnoſceret, ideò iuſſit ſanctos eandem pietatem experturos patris Laudes concinere, ac memoriæ ſanctitatis pſallendo confiteri.

Ad Patris laudes pro pietate ĩn defunctos inuitantur ſancti.

Hugo Card.

6 Expreſſum id vult Rupertus Abbas lib. 4. in Geneſim cap. 22. per Diuinam pietatem, quâ Deus Iuſti Noè poſt aquarum alluuiem recordatus, ſpiritum ſuper terram, vt paulatim diluuij aquæ imminuerentur, adduxit. *Recordatus autem Deus Noè, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in Arcâ, adduxit ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ.* Geneſis. 8. 1. Quid ſi myſticum ſenſum ſpectemus hæc innuunt, niſi Deum Patrem Chriſti Domini tunc recordatum, cùm diluuij aquæ, hoc eſt mortis tribulationes animam ipſius pertranſierant, ſpiritum ſuper terram adduxiſſe, ideſt terreno corpori priſtinam vitam per reſurrectionem reſtituiſſe. Feſtiuè id monuit his verbis Rupertus. *Magnum quidem, & pulchrum eſt pietatis opus, ſed maximum, & pulcherrimum, quod in eo myſticè deſignatur. Recordatus eſt enim* DEVS PATER *Chriſti filij ſui, poſtquam intrauerunt aquæ ad animam eius, poſtquam tribulationes mortis pertranſierunt animam eius, cùm teneretur in ſepulchro concluſus; & adduxit ſpiritum ſuper terram, ſpiritum, inquam, reducem vitam adduxit ſuper terram exanimi corporis, ſuſcitauit enim illum à mortuis.* Animaduerte Dei Patris eximiã in Chriſtum defunctum pietatem, qui aquas ab eo repellens tribulationum, ſuper terram corporis eius, cùm adhuc ſepulchro teneretur, vitæ ſpiritum reduxit.

Spiritum vitæ ſuper terram corporis Chriſti defuncti Pater adduxit.

Rupert. Abb.

7 Pergit idem Rupertus, & huc etiam flectit, quod Iacob liberis ſuis, vt eius dolorem lenirent, congregatis, mortuum exiſtimans filium ſuum Ioſeph, dixit. *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum* Gen. 37. 35. Deſcendit nimirùm Aeternus Pater ad animam filij ſui apud inferos poſt mortem commorantem, lugentes Iudæos, qui eum occiderant, faciens. Sed ad quid ad inferos Deus Pater deſcendit, niſi vt mortuos, qui vocem filij ſui audierant, vitâ æternâ donaret? Adſtipulatur idem Rupertus Abbas lib. 8. in Gen. cap. 26. *Deſcendam, inquit, ad filium meum lugens in infernum; lugens, inquam, ideſt gemitibus inenarrabilibus lugentes faciens, ad eos deſcendam, qui cùm in inferno, ſiuè in monumentis ſint, audiunt vocem filij mei, & in hoc deſcendam, vt quicunque audierint, viuent.* O' æterni Patris egregiam in defunctorum animas pietatem, qui vt eas à pœnis eriperet, ad inferos deſcendit, & cum filio ſuo in corde terræ fuit, vt mortuos, qui eum audierant, ad Cœli faſtigia eueberet.

Deſcendit Pater ad Filiũ ſuum ab inferis mortuos liberaturus.

Idem.

8 His & hoc addendum inſtituto noſtro apprimè ſeruiens, quòd Ioſeph in Carcerem, vbi vincti Regis cuſtodiebantur, tradito, eam dedit Deus gratiam apud Principem carceris, vt in

In carcerem inferorũ Pater filium ſuũ demiſit, vt mortuorũ animabus miſericordiam impetraret.

manu

manu eius vniuerſi traditi ſint, qui iuſſu regio ibi ſeruabantur. *Dedit ei gratiam in conſpectu principis Carceris, qui tradidit in manu illius vniuerſos vinctos, qui in Cuſtodiâ tenebantur*. Gen. 39. 21. Quis eſt iſte Ioſeph in Carcerem traditus, niſi Chriſtus poſt mortem ad inferorum Carcerem demiſſus? Quis verò Princeps Carceris, niſi Aeternus Pater, apud quem eam gratiam Chriſtus inuenit, vt mortuis captiuis miſericordiam, & fidelibus vinctis impetrauerit libertatem? Ideò nempè ad inferorũ carcerem filium ſuum diuinus Pater demiſit, vt defunctorum ſpiritibus ibi detentis, opportunæ pietatis gratiam impetraret. Hæc idem Rupertus ſubnectit lib. 8. in Geneſim cap. 26. *Igitur in conſpectu Principis Carceris, id eſt in conſpectu ſuo* Devs pater *homini Ieſu Chriſto gratiam dedit, nam iccircò in Carcerem eumdẽ* Praecepto patris *ille deſcendit, vt gratiam inueniret, & miſericordiam opportunam captiuis impetraret, diceretq; iuxtà Prophetam, his qui vincti erant, exite, & his, qui in tenebris, releuamini, vndè protinus ſubditur, qui tradidit in manu ipſius vniuerſos vinctos, qui in cuſtodiâ tenebantur*. Ecce quàm pius ergà mortuorum animas Aeterni Patris affectus, quippè qui & filium ſuum ad inferos demiſerit, & ei vniuerſos iuſtos ibidem captiuos inauditâ pietate liberandos tradiderit. *Idem.*

Miſit Pater Angelica miniſteria defũcto filio ab inferis reuerſẽti. 9 Chriſto reſurgente Angelus de Cœlo deſcẽdit, & monumenti lapidem reuoluens, ſuper eum candidâ veſte amictus ſedit. *Angelus enim Domini deſcendit de Coelo, & accedens reuoluit lapidẽ, & ſedebat ſuper eum*. Matth. 28. 12. Quam ob cauſam Angelus iſte de Cœlo deſcendit, & lapidem reuoluens, Chriſti monumento aſtitit? Nũquid lapis ille Angelieis tantùm manibus reuolui poterat, vt propterea deſcendere Angelum oporteret? Nũm qui ad oſtium monumenti ſaxum ad uoluerant, ab oſtio monumenti ſaxum remouere nequibant? Vtique id poterant, neque Angelus in hoc tantùm deſcendit, vt lapidem reuoluens oſtio monumẽti adeſſet, ſed vt Chriſto miniſtrãs, Aeterni Patris ergà defunctum ab inferis redeuntem, pietatem oſtenderet. Diſertè Hilarius Pictauienſis Canone vltimo in Matthæum. *Angelus autem Domini de Coelo deſcendens, & lapidem reuoluens, & ſepulchro aſſidens, miſericordiæ* Dei patris *inſigne eſt, reſurgenti filio ab inferis virtutũ Coeleſtium miniſteria mittentis*. Defuncti filij animæ ab inferis ad monumentum, in quo corpus iacebat exanime, reuertenti, miſericors in defunctorum animas Pater Angelica miniſteria miſit. *Hilarius.*

Orationes pro defunctis, antequam fundantur, Pater exaudit. 10 Afferam vltimo loco Origenis hãc Aeterni Patris pietatem laudantis acumen. Poſtquam Iudæi cum defuncti ſororibus ad monumentum acceſſerant, & lapidem illud obſtruentem, remouerant, eleuans Ieſus ad Cœlum oculos, pro reſurrectione Lazari Aeterno Patri gratias egit, *Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis, dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me*. Io 11. 41. At quomodo Pater filium audierat, qui deprecatus nondùm fuerat? Quo pacto legimus Patrem exaudientem, dum Chriſtum non aduertimus orantẽ? Nonnè ipſemet Chriſtus ait; *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis?* Luc. 11. 9. Quomodo igitur Chriſtus abſque petitione accipit, & ſine inquiſitione Lazari vitam inuenit, vndè & pro hac inuentione Patri gratias agit? Orationem Chriſtus parabat, ſed oraturum Pater præueniens, antequam deprecaretur exaudiuit, & Lazari vitam ei donauit. Eâ namque pietate fertur Diuinus Pater in defunctos, vt orationes non dùm pro eis effuſas, antequam fundantur, exaudiat. Scitè Origenes in Catenâ. *Erat oraturus pro reſurrectione Lazari, ſed præueniens illius orationẽ,* QVI SOLVS BONVS PATER EST, *exaudiuit dicenda. Pro impletione igitur Orationis ſubdit gratiarum actiones dicens; Pater gratias ago tibi quia exaudiſti me*. Antequam Chriſtus pro Lazari vitâ oraret, cum Pater exaudiuit, nedùm enim orantes, verùm etiam oraturi pro mortuis, antequam orent, ab eo exaudiuntur, vt planum fiat, quòd paternâ Aeterni Patris pietate defuncti fruantur. *Origenes.*

CAPVT XII.

Filij Dei viui pietatem, filij hominum mortui experiuntur.

Nõ minùs Filij, quàm Patris pietate defuncti fruuntur. 1 POſt Patris pietatem in defunctos declaratam, ordo poſtulat, vt filij miſericordiam in eoſdem oſtendam. Quam quidem ipſemet innuit, dum ait Ioannis 5. 25. *Amen, Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent*. Signatè dixit *Filij Dei*, non *Dei*, vt Sanctiſſimæ Trinitatis perſonas diſtinguens, oſtenderet non minùs à Filij miſericordiâ, quàm à Patris pietate viuificationem pendere mortuorum. Audio Rupertum Abbatem, & hoc afferenti libenter ſubſigno. *Ad hanc eius propoſitionem illi Auditores, imò aduerſatores inſanire poterant, cur non dixiſſet, mortui audient vocem Dei, ſed eum diligenti diſtinctione perſonarum, audient, inquit, vocem filij Dei. At ille in hoc ſtabat vt* VITAM MORTVORVM NON MINVS DE FILIO, QVAM DE PATRE PENDERE, *comprobaret*. Nedùm Patris, verùm etiam Filij pietate defuncti fruuntur. Quapropter voce filij Dei auditâ, priſtinæ vitæ munera, mortuis reſtituuntur. *Rupert. Abb.*

Mortuos, quos Pater ſuſcitat, viuificat, & Filius 2 Id ſuperiùs quoque docuerat, dicens. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & Filius quos vult, viuificat*, Ioan. 5. 21. Eoſdem nimirum mortuos, quos Pater viuificat, ſuſcitat filius, vt qui eamdem cum Patre habet potentiam, eamdem quoque cum ipſo declaret ſe habere in mortuos clementiam. Præclarè Auguſtinus in catenâ in cap. 5. Ioann. rem hanc expreſſit. *Nõ autem ſic hoc intelligamus, vt alios à patre ſuſcitari, alios à filio, æſtimemus, ſed eoſdem, quos Pater ſuſcitat, & viuificat, ipſos,* Et Filivs Svscitat, Et Vivificat. Aequè pius in mortuos eſt filius, ac *Auguſtinus.*

Pater,

Pater, & ideò æqualiter à Patre, & Filio viuificati amiſſam vitam recuperant defuncti.

Vnius eſt Filius cum Patre in defunctos clementia.

3 Quod item confirmauit, cùm Iudæis ſignũ à ſe poſtulantibus, *Reſpondit Ieſus, & dixit eis ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ioannis. 2. 19. Subdit verò Euangeliſta. *Ille autem dicebat de templo Corporis ſui.* At nonnè Pater fuit, qui Chriſti corpori terræ mandato vitam eſt largitus immortalem? Nonnè dicitur ad Galatas 4. 1. *Per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis*, & ad Epheſios 1. 20. *Suſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in Cæleſtibus?* Nonnè Chriſtus ipſe pro ſui reſurrectione Patrem inuocauit. *Tu autem miſerere mei, & reſuſcita me, & retribuam eis?* Pſalmo 40. 11. Quomodo ergò Chriſtus ſibi ſui corporis tribuit reſurrectionem, *in tribus*, inquiens, *diebus excitabo illud*? Filius Dei Chriſtus erat, & ideò viuificans ipſe quoque corpus aſſumptum, ſimul cum Patre poſt tres dies hominem ſuſcitauit defunctum.

Auguſtinus.

Reſuſcitauit (Verba ſunt eiuſdem Auguſtini in Catenâ in cap. 2. Ioannis) *eum quidem, & Pater, cui dicit in Pſalmis, excita me, & reddam illis. Sed quid fecit Pater ſine Verbo? Quomodo ergò eum Pater reſuſcitat,* SIC ET FILIVS RESVSCITAVIT. QVIA FILIVS *dixit, Ego & Pater vnum ſumus.* Vnius cum Patre eſſentiæ, vnius eſt etiam filius cum Patre clementiæ, ac proindè non ſine Verbo, ſed ſimul cum ipſo ergà defunctos propitius vitam eis Aeternus Pater largitur. Quandoquidem, vt inquit Diuus Leo ſermone 12. de Paſſione Domini, *Sine Verbi potentiâ non fieret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum.* A' verbi nempè non minùs, quàm à Patris potentiâ corpora viuificãtur mortuorum.

D. Leo.

Filij Dei voce mortui ſuſcitantur.

4 Extremum Iudicij diem, cùm vniuerſorum hominum ſcrutabitur opera, Chriſtus deſcribens ait Ioannis 5. 25. *Venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem Iudicij*: Ad quem locum ſciſcitatur Beatus Albertus Magnus, cur dixerit mortuos audituros vocem filij Dei, dum eos iudicaturus apparebit filius hominis? Quamobrem voce filij Dei ſuſcitabuntur, qui ſententiâ filij hominis iudicabuntur? Nonnè magis congruum fuiſſet, defunctos filium hominis audire viuificantem, qui filium hominis audituri erant iudicantem? Minimè; nec enim filij Dei pietatem ergà defunctos declaraſſet, ſi filius hominis eos viuificaſſet. Hùc alluſit Albertus Magnus. *Quamuis filius hominis in formâ hominis exequatur miniſterium iudicij, tamen* A' FILIO DEI PER NATVRAM DIVINAM EST VIRTVS SVSCITATIONIS MORTVORVM, *& ideò dicit, audient vocem filij Dei.* Filius Dei eſt, qui ergà mortuos pius, eos ad vitam die Iudicij reuocabit, & ideò non dicitur, quòd filij hominis, ſed quòd filij Dei vocem tunc audient defuncti.

Alb. Magnus.

Filius Dei

5 Quò etiam reſpexit Ezechiel cap. 37. n. 1. cùm ait, factam ſuper ſe manum Domini, quâ eductus eſt ad arida oſſa viuificanda cadauerum in planitie campi proiectorum. *Facta eſt ſuper me manus Domini, & eduxit me in ſpiritu Domini, & dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus.* Quę fuit iſta manus Domini adeò in mortuos pia, vt ad cadauerum arida oſſa excitanda, Prophetam eduxerit admirantem? An per manum Domini filius intelligitur Dei, per quem Pater omnia operatur, ſicut per manum omnia homines exequuntur? An manus Domini ad cadauera Prophetam educens, filius fuit Dei mortuorum ſuſcitationem ei præcipiens? Stat Gloſſa interlinearis, hunc locum his verbis elucidans. *Facta eſt ſuper me manus Domini, id eſt* FILIVS, PER QVEM PATER OPERATVR. *Omnia enim per ipſũ facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* O' Dei filium verè in mortuos clementem, verè pium, qui nedùm à ſe ipſo, verùm etiam hominum miniſterio cadaueribus vitam impetrauit defunctorum.

manus fuit Domini Ezechieli ad ſuſcitãdos mortuos educens.

Gloſſa Interl.

6 Et quidem adeò familiaris eſt filio Dei pietas in defunctos, vt tunc filius Dei Chriſtus apparuerit, cùm ſe in defunctos pium oſtendit. Miſerunt ſorores Lazari ad Chriſtum, qui ei nuntiaret amici ægritudinem in lectulo decumbentis ad mortem, vt eum viſitare, atque diuinitatis ſuæ virtute ſanare dignaretur; at ille non ad mortem, ſed ad gloriam filij Dei tendere morbum reſpondit amici. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloriâ Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.* Ioann. 11. 4. Quæ autem gloria ex morbo Lazari, filio reſultare poterat Dei? Num ab ægritudine filiorum hominum gloria dependet filij Dei? Nùm tunc, cùm homo infirmatur, Dei filius glorificatur? Lazarum ob ægritudinem illam defunctum Chriſtus erat ſua pietate à mortuis excitaturus, quâ cum filium Dei ſe declararet, ideò dixit ex infirmitate Lazari gloriã eſſe prouenturam filij Dei. Appoſitè ad rem noſtram locum iſtum commentatur D. Dionyſius Carthuſianus. *Deus, qui per Ieſum eam ſuſcitationem Lazari effecit, oſtendit veram eſſe doctrinam Ieſu, & per conſequens, quòd eſſet Meſſias, &* FILIVS DEI NATVRALIS, *Patri conſubſtantialis, ſicut perſonaliter docuit.* Adeò propria eſt filij Dei pietas in defunctos, vt tunc ſe Patris vnigenitum, eique conſubſtantialem Chriſtus declarauerit, cùm in defunctum pius Lazarum à morte ſuſcitauit.

Tunc filius Dei Chriſtus apparuit, cũ ſe defunctis benignum exhibuit.

Dion. Carth.

7 Hinc cùm ad Lazari monumentum acceſſiſſet, ac quatriduanum, & fœtentem conſpexiſſet, ſubleuatis in Cœlum oculis, æternum Patrẽ pro eius reſurrectione orauit: *Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis, dixit; Pater gratias ago tibi, quoniã audiſti me*, Ioann. 11. 41. Vt quid Patrem voluit Chriſtus orare, qui ſolo nutu Lazarum poterat excitare? Quid oratione opus habebat, qui vitę, ac mortis dominus, vtramque ſibi perfectè ſubiectam habebat? Quid preces adhibuit, quæ hominì conueniunt indigenti, non Deo congruunt omnipotenti? Non vt egens orauit, ſed vt filius

Ne Dei Filius ignoraretur, pro Defuncto exorauit.

Dei ſuam in defunctum pietatem declarauit. Pietate quippè, quam, pro defuncto preces effundens, oſtendit, ſe verum Dei filium eſſe clarè manifeſtauit. Hic verba ſiſtenda ſunt Cyrilli Alexandrini lib. 7. in Ioann. cap. 22. *Non precibus eguit, ſed nobis orauit,* NE FILIVS IGNORARETVR. Paucis, ſed accuratè rem expreſſit: nec enim filius Dei poterat ignorari, qui feruenti oratione pro defuncto exorans, tam euidentia miſericordiæ ſigna in eum oſtendebat.

Cyrill. Alex.

Pietate in defunctos Filiũ Dei ſe declarauit.

8 Hoc quoque Apoſtolus Paulus ad Romanos ſcribens indicauit, cùm de filio Dei loquens cap. 1. 4. dixit. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum*, vbi Græcus textus habet, τοῦ ὁρισθέντος, qui definitus eſt, quia ὁρίζεσθαι propriè ſignificat definire, ac rei eſſentiam declarare, Vndè Ariſtoteles lib. 3. Ethicorum. cap. 6. ait τὸν φόβον ὁρίζονται προσδοκίαν κακοῦ *metum definiunt expectationem mali*; Quia verò rem definire eſt eius quidditatem, vt aiunt Philoſophi, declarare, hinc eſt quòd D. Ioann. Chryſoſtomus, Oecumenius, & alij, participium ὁρισθέντος interpretati ſunt, *qui declaratus eſt*, quapropter legerunt, *qui declaratus eſt filius Dei in virtute, ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum,* Tũc namque Chriſtus filium Dei ſe declarauit, cùm ergà mortuos pius, reſurrectionis beneficium eis impendit. Audi Hugonem Cardinalem ad hanc mentem locum, quem præ manibus habemus, explicantem. *Quòd Chriſtus homo ſit* FILIVS DEI IN VIRTVTE, APPARET EX RESVRRECTIONE MORTVORVM, *ideſt ex hoc, quòd fecit mortuos ſecum reſurgere*. Tunc filius Dei Chriſtus apparuit, cùm ſe benignum mortuis exhibuit; adeò enim Dei filio pietas in defunctos eſt familiaris, vt non niſi per illam ſe filiationem Dei habere probauerit.

Ariſtoteles.

Chryſoſtom. Oecumenius.

Opera pietatē in defunctos redolentia Chriſtũ Dei filium oſtendebant. Cyrillus.

9 Quapropter aduerſùm Iudęos iraſcitur Cyrillus in Ioann. 19. qui Chriſtum apud Pilatum criminantes, dixerunt quidem, ipſum ſe feciſſe filium Dei: *Quia filium Dei ſe fecit*, ſed opera tacuerunt, quibus filium Dei ſe eſſe probabat. *Oportebat ſanè*, inquit Cyrillus, *quando Pilato dixiſtis, quia filium Dei ſe ipſum fecit, tunc opera quoque ipſius in medium afferre*. Quænam verò iſta erant opera Chriſti, quæ volebat Cyrillus à Iudæis in fauorem Dei filiationis afferri? Ea, quibus ergà mortuos clementem ſe oſtenderat, atque benignum. Hinc ſubdit. *Oportebat quatriduo iam mortuum voce ſolâ in vitam reſtitutum narrare. Oportebat vnigenitum viduæ filium non relinquere. Oportebat Synagogæ principis puellam nequaquã omittere*. Profectò ſi hæc opera, quibus defunctis pietatem impendit, protuliſſent, Chriſtum nedum ſe feciſſe, verùm etiam ſe probaſſe filium Dei, oſtendiſſent.

Pietate in mortuos æquali honore cum Patre ſe proſequendum probauit.

10 Hùc Chriſtus ipſe tendebat, cùm poſt languidum triginta, & octo annos ægritudinis habentem ſanatum, ſuſurrantes Iudæos, quòd ſabbato id feciſſet, reprehendens, dixit. *Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & maiora demonſtrabit ei opera, vt vos miremini*. Ioan. 5. 20. Quænamque hæc opera maiora erant, quibus ſe Dei filium Patri æqualem oſtenſurus erat, niſi ea, quibus mortuorum vitam reparare parabat? Placet Auguſtinus apud Gloſſam hunc locum ita expendens. *Hæc ſunt maiora, quæ operatur* PER FILIVM, *ſcilicet reſurrectio mortuorum, vndè honorandus* PROBATVR FILIVS, SICVT, ET PATER. Tunc probatum eſt Chriſtum, tanquam verum Dei filium, eodem honore cum Patre proſequendum, cùm homines viderunt mortuos ad eius imperium reſurgere, & ad priſtinam vitam illius pietate redire.

Auguſtinus.

Dei filij fuit ad prædam aſcendere animarum apud Inferos captiuarum

11 Hanc filij Dei ergà defunctos pietatem innuit Iacob, cùm decumbens in lectulo, filijs ſuis, antequam moreretur, benedixit, qui cùm ad benedictionem Iuda perueniſſet. *Iuda*, inquit, *te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij Patris tui. Catulus Leonis Iuda ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens occubuiſti, vt Leo*. Gen. 49. 8. Horum verborum myſticam intelligentiam proponens Rupertus Abbas lib. 9. in Gen. cap. 28. dixit Catulũ Leonis fuiſſe Dei filium, qui tunc ad prædam aſcendit, cùm infernum ſpoliauit: vndè & meritò homines, filij Patris eius adoptiui, eum ratione infernalis prædæ, veluti Dei filium naturalẽ, adorauerunt. Non omittam verba quibus hunc ſtatuit ſenſum Rupertus. *Quia Catulus Leonis tu es, ideſt* FILIVS DEI *fortiſſimi, cunctarumque fortitudinum, vel virtutum Principis, iccircò adorabunt te filij Patris tui, & quia tu ad prædam fili mi aſcendiſti, & infernum debellaſti, iccircò iurè te laudabunt fratres tui, vel filij Patris tui, non tamen vt tu Catulus, ſic, & ipſi dici, vel eſſe poſſunt Catuli Leonis: non enim naturâ, ſed adoptione ſunt filij Dei Patris tui, vndè & præter te fili mi nullus ad prædam aſcendere, nullus infernum ſpoliare potuit*. Proprium fuit filij Dei, ad prædam veluti Catulum Leonis aſcendere, & inferno debellato, mortuorum animas indè liberare captiuas, vndè ſolus Iuda, qui Dei filium ſignificabat, Catuli Leonis appellatione fuit à Iacob honoratus. Diſce ergo ſecundæ Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ in defunctos clementiam, & crede filios hominum mortuos filij Dei viui pietatem experiri.

Rupertus Ab.

CAPVT XIII.

Defunctorum Spiritus Spiritûs Sancti Patrocinio ſubleuantur.

Suffragia quæ fiunt pro animabus Purgatorij Spiritus Sanctus diſpoſuit.

1 VLtima non conſpicitur in pietate defũctis exhibenda, vltima Sanctiſſ. Trinitatis perſona, ſed non minùs, quàm Pater, & filius, ſpiritibus mortuorum adiuuandis, Spiritus Sanctus incũbit. Hugo Ether lib. de Regreſſ. anim. c. 15. cunctos viuentes ex D. Athanaſij doctrinâ hortatur, vt in fideles defunctos pij, pro eis orationes effundãt, ſacrificia offerant Eleemoſynas erogent, & alia ſuffragia impendant.

Hugo Ether. D. Athanaſ.

dant. *Oratio pro fidelibus defunctis non eſt omittenda, vbicumque morte præoccupati fuerint, offerenda eſt ſalutaris hoſtia, offerendum eſt oleum, offerendi ſunt, quaſi pro ſepeliendo Ceres, Chriſtum Dominum vocando in adiutorium.* At quis horum oblationẽ ſuffragiorũ inſtituit? Quis viuentes mortuorum præcepit eſſe adiutores? Spiritus Sanctus, qui ergà Spiritus defunctorum clemens, clementiam eis exhibendam Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus inſpirauit. *Talia*, ſubdit Hugo, *docti* A SPIRITV SANCTO *Apoſtoli inſtituerunt. Talia ſucceſſores Apoſtolorum confirmauerunt* IN SPIRITV DEI. Spiritu Dei aguntur, qui fidelium defunctorum miſerentur, nec aliundè, quàm à Spiritu Sancto edocti ſuffragia mortuis impendenda cõſtituerunt Apoſtoli. Quod & docuit Diuus Ioannes Chryſoſtomus Hom. 21. in Actus Apoſtolorum his verbis. *Non fruſtrà oblationes pro defunctis fiunt, non fruſtrà preces, non fruſtrà Eleemoſynæ. Hæc omnia* SPIRITVS *diſpoſuit, volens, vt nos mutuùm iuuemus.* Oblationes, Preces, Eleemoſynas, & alia ſuffragia, quibus animas Purgatorij iuuamus, omnia Spiritus Sanctus in eas clementiſſimus, ſuis inſpirationibus diſpoſuit.

D. Io. Chryſ.

2 Quapropter apud Priſcos Monachos mos inualuit offerendi alterâ die poſt Pentecoſten crebra Deo pro ſpiritibus defunctorum ſacrificia. Agnoſcentes quippè miram diuini ſpiritûs ergà mortuos pietatem, quò magis Eccleſiaſticis ſuffragijs eis prodeſſent, & eiuſdem ſpiritûs diſpoſitione hæc fieri ſignificarent, intrà Octauam Pentecoſtes, quæ illius eſt feſtiuitas, pro eis ſacrificare ſolebant. Hunc morem habemus apud D. Iſidorum Hiſpalenſem in regulâ Monachorũ cap.24. *Pro ſpiritibus defunctorum* ALTERA DIE POST PENTECOSTEN *ſacrificium domino offeratur, vt beatæ vitæ participes facti, purgatiores corpora ſua in die reſurrectionis accipiant.* Tempore, quo flammis Spiritus Sanctus mundum purgauit, pro ſpiritibus, qui flammis in Purgatorio cruciabantur, ſacrificabant, vt diuini ſpiritûs pietate ſuffragia fieri innuerent, quibus animæ Purgatorij purgatiores effectæ, citiùs beatæ vitæ participes eſſe mererentur.

Alterâ die poſt Pent. pro animab⁹ Purgatorij Monachi ſacrificabant.

3 Hanc Spiritûs Sancti pietatem Ezechiel Propheta declarauit, cùm ſe ad campum defunctorum cadaueribus plenum, vt ea voce, ac precibus viuificaret, in ſpiritu Domini eductum narrauit. *Et adduxit me in ſpiritu Domini, & deduxit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus.* Ezechiel. 37. 1. Quis iſte fuit ſpiritus Domini, à quo ad arida mortuorum oſſa, quibus vitæ beneficiũ reſtitueret, fuit Propheta eductus? Vtique ſpiritus ille, de quo dicitur ſapien. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia ſcientiam habet vocis.* Spiritus enim Sanctus in defunctos clementiſſimus, ad pietatis obſequia eis exhibenda, ſuis inſpirationibus homines deducit. Appoſitè in hunc locum Dionyſius Carthuſianus. *Eduxit me in ſpiritu Domini, id eſt de loco, quo fui, ſeu manſi, abſtraxit me* PER OPERATIONEM SPIRITVS SANCTI. Per Spiritum Sanctum ad animanda mortuorum cadauera fuit Ezechiel eductus; per operationem namque Spiritûs Sancti exercentur, quæcumque pietatis opera mortuis exhibentur.

Spiritus Sanctus ad viuificandos mortuos Ezechielem eduxit.

Dion. Carth.

4 Vndè factum eſt, vt ſpiritûs inuocationem eidem Prophetæ ad campum deducto Dominus præceperit. *Et dixit ad me; vaticinare ad ſpiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad ſpiritum. Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſufflà ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant.* Ezechiel. 37. 9. Spiritus à quatuor ventis, vt mortui reſurgerent, inuocandus erat, quò liquidò conſtaret, Spiritûs Sancti pietate, qui quatuor mundi partibus dominatur, viuificandos eos eſſe, atque animandos. Accipe Hugonem Cardinalem hunc locum egregiè ad rem noſtrã explicantem. *Per hoc, quòd à quatuor ventis venit ſpiritus, qui eos viuificauit, ſignificatur quòd* SPIRITVS SANCTVS, QVI OMNIBVS PARTIBVS MVNDI DOMINATVR, *eos animauit, & viuificauit.* Ad Spiritûs Sancti inuocationem Prophetam Deus excitauit, quia Spiritûs Sancti miſericordiâ erant cadauera illa mortuorum ſuſcitanda.

Propheta Spiritum Sanctũ pro mortuorũ ſuſcitatione inuocat.

Hugo Card.

5 Id quod egregiè quoque comprobat adiuratio, quà fratres ſuos Ioſeph exorauit, vt ſuum cadauer de terra Ægyptiorum ad regionem trãſferrent Chananæorum. *Cùmq; adiuraſſet eos, atque dixiſſet, Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea de loco iſto, mortuus eſt.* Geneſ. 50. 24. Hoc enim ideò Ioſephum feciſſe affirmat Lyranus, quia ſperabat, per Chriſti reſurrectionẽ reſurgere, ſi in terrâ, in quâ ille reſurrecturus erat, humaretur. *Veriſimile erat, quòd ſperabat reſurgere cum Chriſto reſurgente.* At verò quis Ioſepho reuelauerat Chriſtum moriturum, & in Chananæorum terrà ſurrecturum? Audi. *Piè creditur, quòd* PER SPIRITVM SANCTVM PRAEVIDIT, *Chriſtum moriturũ, & reſurrecturum in terrâ illâ; & per conſequens multa corpora Sanctorum cum eo reſurrectura.* Spiritûs Sancti pietate nouit Ioſeph terram illam, in quâ, Chriſto reſurgente, multi ex defunctis reſurrecturi erant, vt ſepulturæ locum ſibi prouideret, in quo defunctus facilè reſurgere poſſet.

Spiritûs Sancti gratiâ Ioſeph locum ſepulturæ reſurrectioni aptum ſibi prouidit.

Lyranus.

6 Et hæc etiam cauſa eſt, cur filius mulieris Sunamitidis ab Eliſæo ad vitam reuocatus, aperiens oculos, ſepties oſcitauerit. *Et oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos.* 4. Reg. 4. 35. Cur potiùs defunctus iſte vitæ ſe reſtitutum agnoſcens precibus Eliſæi, debitas ei non refert gratiarum actiones? Cur Solis lucem poſt mortis tenebras denuò reſpiciens, præ gaudio mentis, è lectulo conſurgens non exultat? Cur demùm cætera omittens, & cum oculis os tantùm aperiens, vix à mortuis excitatus oſcitat, & ſepties oſcitat? O nouum, ac admirabile Spiritûs Sancti inuentum, quod ſeptenariâ oſcitatione Septenario ſuorum donorum numero mortuum illum reuixiſſe declarauit! Arguté B Dionyſius Carthuſianus ad hunc locum. *Oſcitauit ſepties in ſignum,*

Defunctus Eliſæi ſepties oſcitauit, quia ſeptem donis Spiritûs Sancti fuit viuificatus.

Dion. Carth.

quòd verè reuixit, & ſpiritualiter SEPTEM DONIS SPIRITVS SANCTI ESSET VIVIFICATVS. Spiritûs Sancti pietate defunctus ille eeuixit, & ideò ſepties, eeſurgens oſcitauit, vt ſeptem eius donis, vitam ſibi eeſtitui propalaret.

Septenarius numerus in mortuorũ exequijs adhibitus.

7 Quò item reſpicere videtur ſeptenarius numerus tam frequenter in mortuorum exequijs adhibitus. Nam, & Eccleſiaſt. 21. 13. dicitur. *Luctus mortui* SEPTEM DIES, & Geneſ. 50. 10. *Celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi impleuerunt* SEPTEM DIES, & Iudith. 16. 29. *Defuncta eſt, ac ſepulta cum viro ſuo in Bethulia, luxitque illam omnis populus* DIEBVS SEPTEM. Imò, & Seruius meminit huius ritûs, cũ in libro 5. Aeneidum ait, *Sciendum, quia apud maiores, vbi quis fuiſſet extinctus, ad domum ſuam referebatur, vndè iſt: ſedibus hunc referante ſuis: Et illic erat* SEPTEM DIEBVS. Quæ omnia ſacrum Spiritûs Sancti ſeptenarium, quo defuncti adiuuantur, indicabant.

Seruius.

Chriſtum Spiritus Sanctus ad inferos miſit, vt mortuis prædicaret indulgentiam.

8 Progredior, & Iſaiæ verba expendo, dum Chriſti Saluatoris humanum genus eeparantis officium explicans, hæc eius nomine fatur. *Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit Dominus me: Ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis Corde, & prædicarem captiuis indulgentiam.* Iſai 67. 1. Quæ iſta eſt indulgentia captiuis à Chriſto, ſpiritu Domini iubente, prædicanda, niſi ea, quam defunctorum animabus pee Spiritum Sanctum poſt mortem Cheiſtus conceſſit? Eâ nimirum viget in mortuos pietate Spiritus Sanctus, vt quæcumque pro animabus apud inferos captiuis Chriſtus geſſit, non niſi Spieitu Sancto aſſlante, ac ſuadente geſta perhibeantur. Clarum id ex D. Vincentio Ferrerio ſeemone in Sabbato Sancto *Spiritus Domini, ſcilicet Sanctus ſuper me, Loquitur Chriſtus in quantùm homo, quia in quantum Deus, Spiritus Sanctus non eſt ſuper eum, ſed eſt æqualis. & vnus Deus. Ad annuntiandum manſuetis miſit me, ſcilicet in hoc mundo ad prædicandum, & poſt mortem dicit, vt prædicarem captiuis indulgentiam.* Singulari pietate mortuorum animas proſequitur Spiritus Sanctus, quare Chriſtum poſt mortem ad inferos miſit, vt animabus ibi captiuis indulgentiam, & veniam prædicaret.

D. Vincentius Ferrerius.

Spiritus Sanctus eſt ros, quo irrorâte mortui germinant ad gloriam.

9 Nec minùs inſtituto præſenti accommodatum videtur, quod idem Iſaias habet cap. 26. 19. *Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus.* Lucis rore moetuos à monumentis expergefactos, & interfectos à puluere ad vitam docet eeuocatos. Quis verò hic eſt ros lucis, qui ab interfectis mortem expellit, ac vitam mortuis infundit? Nùm eam habet ros virtutem, vt eo perfuſa moetuorum corpora reſurgant? Nùm ros exoriente luce deſcendens, tenebras valet propulſare defunctorum? Non equidem; ſed roris nomine Sancti Spieitûs munera intelliguntur, quibus diuinitùs ieroratæ in æternam gloriam cum ſuis corporibus defunctorum fidelium animæ germinabunt. Apeetè ſanè Diuus Auguſtinus id teſtatur libro ſecundo de Conſolatione mortuorum. *Exurgent mortui, & reſurgent qui in monumentis ſunt, & lætabuntur, qui ſunt in terrâ; ros enim qui abs te eſt, ſanitas eſt illis: Verè enim ſicut rore madefacta ſemina germinant, & exurgunt,* SIC RORE SANCTI SPIRITVS *oſſa fidelium viſitata, cum ſuo corpore in æternam gloriam germinabunt.* Rori Spiritum Sanctum Propheta ſapientee comparauit, vt innueret, eius pietate defunctos germinare ad gloriam, ſicut eore ſemina germinant ad vitam.

D. Auguſtin.

Spiritus Sanctus digitus eſt Dei inferorum flammas extinguens.

10 Roris huius expetebat virtutem diues ille, qui purpurâ, & byſſo, dum viueret, indutus, in flammis omni refrigerio deſtitutus cruciabatur defunctus. Eleuans namque oculos ſuos ad Abraham, quem a longè in tormentis conſtitutus Lazarum in ſinu habentem, intuebatur. *Clamans dixit; Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flammâ.* Lucæ 16. 24. Quodnam quæſo refrigerium excruciantibus flammis circumuallato digitus poteeat afferre madefactus? Cur non inundantes expoſcit aquarum torrentes, quæ ignem extinguerent vndequàque torquentem? Quomodo aqua fluens à digito flammas temperare poterat ſurgentes ab inferno? Aqua fluens à digito, conſolatio eſt proueniens à Spiritu Sancto, quam iccircò miſee in flammis optabat quia noueeat mortuorum in flammis degentium cruciatus, & pœnas hac tempeeaei, *Extremum autem digiti*, inquit Albertus Magnus, *aliquid eſt munerum, & conſolationis* SPIRITVS SANCTI, *quia* SPIRITVS SANCTVS *eſt Dei digitus, vndè* Lucæ 11. *Si in digito Dei eijcio Dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Spiritus Sanctus eſt Dei digitus rore ſuo inferorum flammas extinguens, quem proindè in flammis diues cruciatus expetebat; decipiebatur tamen, nam digitus hic mortuorum quidem in domino morientium, ſed nõ defunctorum ſine charitate decedentiũ flãmas extinguit.

Alb. Magnus.

Spiritûs Sancti munere à laborib' mortui requieſcunt.

11 Quod planum eſt ex Ioanne Cauſam referente, cur beati ſint mortui, qui in domino moriuntue. *Amodò, inquit, iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* Apocalypſis 14. 13. Quæ verba exponens Lyranus, à Spiritu Sancto beatitudinem, & quietem agnoſcit pendere defunctorum. *Amodò*, ait, *iam dicit ſpiritus ſcilicet ſanctus, qui cum Patre, & Filio eſt vnus Deus. exprimitur tamen hic ſpecialiter, nam opera ſunt meritoria per Charitatem, per quam* SPIRITVS SANCTVS *habitat in nobis, & ſic retributio meritorum quodam modo ſpeciali attribuitur ei.* Vſque eò in defunctos, qui in Domino moriuntur, pius, & clemens eſt Spiritus Sanctus, vt ei ſpecialiter atteibuantue, quæ præmia illis in Cœlo poſt mortem conferuntur, ita vt, dum à laboribus quieſcunt, non niſi Spi-

Lyranus.

eitûs

ritûs Sancti munere quieſcere dicantur.

Propter inhabitantem Spiritum Sanctũ reſurgũt mortui ad gloriã.

12 Id ipſum docuit, & Paulus Apoſtolus, dum ad Romanos ſcribens, ait. *Quòd ſi Spiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis.* Ad Rom. 8. 11. Verùm quomodo propter inhabitantem ſpiritum corpora viuificabuntur defunctorum? Nonnè reprobi quoque in die reſurrectionis exurgent iudicandi? Nùm Spiritus Sanctus cordibus inſidet æterna morte peremptorum? Abſit; quonam igitur pacto propter inhabitantem ſpiritum extremâ die reſurgent defuncti? Reſurgent propter inhabitantem Spiritum Sanctum electi ad gloriam, ſed non reſurgent propter eum inhabitantem reprobi ad pœnam. Mortuis quippè non officit Spiritus Sanctus inhabitans ad damnationem, ſed proficit incolens ad ſalutem. Audiamus Hugonem Cardinalem hunc locum ita elucidantẽ.

Hugo Card.

Nonnè & mali reſurgent, & conſtat, quòd non propter inhabitantem ſpiritum? Verum eſt, ſed loquitur hîc Apoſtolus de reſurrectione bonorum, quæ erit in præmium, non de reſurrectione malorum, quæ erit in pœnam. Oſtendit Apoſtolus Spiritûs Sancti pietatem in defunctos, qui in domino moriuntur, ideòque non reſurrectionem ad pœnam, ſed viuificationem ei tribuit ad gloriam.

Animas mortuorum attrahit Spiritus Sanctus ad Cœlum.
D. Vincẽtius Ferrerius.

13 Quod congruâ ſimilitudine magis declarans D. Vincentius Ferrerius ſermone Feriæ 3. poſt Pentecoſten, dixit, mortuorum animas calore Spiritûs Sancti informatas ad Cœlum euchi, ſicut calore Solis agitati ſurſum trahuntur vapores. *Vita Cœleſtis appropriatè eſt* A' SPIRITV SANCTO. *Ratio, quia ſicut vapor, qui de manè egreditur à terrâ, per intromiſſum calorem Solis ſurſum trahitur, ſic anima non poßet Cœlum aſcendere,* NISI CALORE SPIRITVS SANCTI INFORMARETVR; *qui ipſam ſurſum trahit.* Non poſſent defunctorũ animæ in terræ centro incluſæ Cœlorum faſtigia petere, niſi Spiritus Sanctus in eas clementiſſimus igne ſuo ſuccenſas eas attraheret, ſicut Sol ſuis radijs calefactos terræ ad Cœlum attrahit vapores.

Magdalena à Spiritu Sãcto edocta corpus Chriſti præuenit vngere ad ſepulturã.

14 Illud quoq; inſignem oſtendit Sancti Spiritûs in defunctos pietatem, quòd Magdalena Chriſti Corpus adhuc viuẽs funereis vnctionibus delinire voluerit ad ſepulturam. Cuius rei teſtimonium Chriſtus ipſe perhibuit, dicens: *Mittens enim hæc vnguentum hoc in Corpus meum, ad ſepeliẽdum me fecit.* Matt. 26. 12. Quis Magdalenam docuit Magiſtri corpus inter viuos degentis vnguẽtis perfundere, quæ non conſueuerant exhiberi niſi defunctis? Apud quas vnquam gentes mos fuit membra viuorũ aromatibus aſpergere mortuorum? Quæ conſueuit natio inter epulas conuiuales vnctiones afferre ſepulchrales? A' quo didicerat hæc mulier recumbentem in cõuiuio non aliter vngere, ac iacentem in ſepulchro? A' Deo didicit, quod ab hominibus non apprehendit, & à Spiritu Sancto edocta nouit, quæ reſurrectione præuenta non potuiſſet defuncto, ſepulchralia pietatis officia Chriſto exhibere viuenti. Aptè Lyranus in hunc locum: *Credendum eſt, quòd hæc mulier hoc fecit* EDOCTA A SPIRITV SANCTO. Qui mortuos pietate proſequuntur, Spiritum Sãctum habẽt doctorem, quapropter à Spiritu Sancto Magdalena edocta, defuncti corpus, quod non poterat poſt mortem, antequam moreretur, in ſepulturam vngere præuenit.

Lyranus.

Tunc quis cẽſetur Spiritu Sancto plen⁹, cùm apparet in defunctos pius.

15 Caput obſigno, & aio, adeò ſpiritui Sancto peculiarem eſſe pietatem in defunctos, vt quis tunc cenſeatur Spiritu Sancto plenus, cùm in defunctos clemens apparet, ac pius. Spiritum duplicem ab Elia, priuſquam tolleretur à ſe, poſtulauit Eliſæus, quem ſe illi daturum promiſit Elias, dummodo in curru, ac turbine aſcendentem videret ad Cœlum. Vidit Eliſæus, & raptum à ſe Magiſtrum deplorans, curru igneo aduectum inclamauit. *Eliſæus autem videbat, & clamabat: Pater mi, Pater mi, Currus Iſrael, & auriga eius,* 4. Reg. 2. 12. In quo autem apparet Eliæ promiſſionem eſſe impletam, & duplicem illius ſpiritũ eo aſcendente obtinuiſſe Eliſæum? In hoc, quòd cùm Elias vnicum mortuum excitauerit, Eliſæus duobus defunctis vitam impertiuit. Quò enim maiorem in defunctos pietatem quis habet, eò etiam maiorem Spiritûs Sancti abundantiam ſe habere declarat. Appoſitè in Bibliothecâ veterum Patrum in Quæſtionibus à Gent. Chriſtianis poſitis quæſt. 84. Iuſtinus. *Quòd mortuos duos excitauit, vnum, cùm in vitâ maneret, alterum cùm iam migraſſet, id declarat duplam vim, & copiam in ipſo fuiſſe, in cæteris quoque miraculis ſi voluiſſet* DIVINI SPIRITVS MVNERIS, QVO ERAT PRAEDITVS. Iuxtà copiam pietatis defunctis exhibitæ, copia menſuratur Spiritûs Sancti viuentibus infuſi, hincque duplò maiorem, quàm Elias Spiritûs Sancti copiam habuiſſe probatur Eliſæus, quia duplo maiorem, quàm Elias defunctis pietatem impendit. Hæc cùm ita ſe habeant, quis vnquam Spiritûs Sancti clementiam in defunctos iure poterit infìciari? Rectè igitur eſt monitum, defunctorum ſpiritus Spiritûs Sancti patrocinio ſubleuari.

Iuſtinus.

CAPVT XIV.

Chriſti nondùm nati Pietatem defuncti ſenſerunt.

Sui prædeſtinatione mortuis Chriſtus pietatem impendit.

1 POſt Dei, Diuinarũq; Sanctiſſimæ Triadis Perſonarum pietatem declaratam, reliquum eſt, vt Chriſti quoque miſericordiam in defunctos oſtendam. Quam, quoniam omni tempore copioſam exhibuit, ideò primò, quam nondùm natus eis impendit, mihi probandam aſſumo. Et ab eius prædeſtinatione capitis initium ducens, Paulum affero ad Romanos ſcribentem, qui Chriſtum affirmat fuiſſe Prædeſtinatum Dei filium in virtute ex reſurrectione

Digitized by Google

mortuorum: *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum Sanctificationis ex Reſurrectione mortuorum*. Ad Romanos cap. 14. Quid eſt autem Chriſtum fuiſſe prędeſtinatum in virtute ex reſurrectione mortuorum, niſi eius prædeſtinationem ab initio, & antè ſæcula eò ſpectaſſe, vt mortuis pietatem, & vitam impertiret? Rectè Hugo Cardinalis hæc verba expendit. *Prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ex reſurrectione mortuorum, ideſt, quæ virtus eſt ad hoc, vt poſſit homines facere reſurgere*. Antequam naſceretur, fuit Chriſtus in mortuos clementiſſimus, & ideò ab æterno eſt prædeſtinatus, non in quacunque virtute, ſed in eâ, per quam reſurrectio poſſet haberi mortuorum.

Hugo Card.

Vix cõceptus pro animabus defunctorum mortem acceptauit.

2 Nec Prædeſtinationi fuit difformis conceptio, quam ad animas Lymbi, & Purgatorij Liberandas tetendiſſe Apoſtolus innuit Paulus. *Ideò ingrediens mundum, dixit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, holorautomata, & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, Ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam*. Ad Hebræos. cap. 10. 5. Quæ fuit iſta Dei voluntas, quam eiectis antiquæ legis hoſtijs, & oblationibus, aptato ſibi corpore in vtero Virginis, Mundum ingrediens Chriſtus impleuit? Vtique voluntas liberandi animas defunctorum in Lymbo, & Purgatorio inter tenebras, ac tormenta commorantium. Hanc voluntatem nondùm natus, imò vix conceptus, vix Mundũ in vtero Virginis primò ingrediens, ſtatim Chriſtus implere curauit, & pro Lymbi, & Purgatorij animabus paſſionem ſuſtinere, ac mortem ſubire diſpoſuit. Valdè luculenter totam rem exponit D. Vincentius Ferrerius Ser. de S. Thomâ Cantuarienſe. *In puncto Conceptionis Deus Pater aperuit ſibi librũ prædeſtinationis dicens, fili ecce quot Sancti in Lymbo, & quot animę IN PURGATORIO, & nunquam poterunt Cælum intrare, niſi per tuam Paſſionem, & mortem doloroſam. Vis eam ſuſtinere? Reſpondit; placet mihi.* Nondùm natus defunctorum animabus clementiſſimum ſe Chriſtus exhibuit, vndè pro earum glorificatione vix conceptus paſſionis ignominiam elegit, & Crucis mortem à Patre ſibi propoſitam acceptauit.

D. Vincentius Ferrerius.

Vt mori poſſet pro mortuis, noſtrâ induit mortalitatem

3 Atque hæc præcipua fuit Cauſa, cur materiã de noſtrâ mortalitate ſuſcipiens, *cùm in formâ Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit, in ſimilitudinem hominũ factus, & habitu inuentus vt homo*. Ad Philip. 27. Hominem Deus aſſumpſit, vt homines ad Deum adduceret; de Cœlo ad terram dominus deſcendit, vt de terrâ ad Cœlum ſerui aſcenderent noſtram denique mortalitatem in Virginis vtero Rex immortalis ſuſcepit, vt veram immortalitatẽ in Empyrei faſtigio mortuorũ animæ acciperent. Do Euſebium Emiſſenum Homiliâ de Paſchâ ita loquentem. *Materiam de noſtrâ mortalitate ſuſcepit, vt de ſuo immortalitate collatâ mori poſſet vita pro mortuis*. Vides Chriſtum etiam ante ſuam natiuitatem in mortuos pium, in vtero Virgineo noſtræ mortalitatis materiam accepiſſe, vt mortuus pro mortuis, æternæ immortalitatis gloriam eorum animabus impertiret.

Euſebius Emiſſenus.

4 Hùc facit, quòd poſt Adæ Peccatum antè Paradiſi veſtibulum Cherubim collocauit, qui flammeo, & verſatili gladio cunctos à delitiarum loco arceret. *Collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem*. Gen. 24. Hunc flammeum gladium Purgatoriũ ignem, quo Paradiſi aditus intercluditur, innuere, iam ſatis indicauimus ſuprà cap. 1. num. 15. Verùm cur verſatilis quoque gladius iſte eſt nuncupatus? An quia futurum tempus erat, quo à Paradiſi veſtibulo, animabus purgatis, hic ignis erat remouendus? Vtique; ſed quod nam tempus iſtud fuit, niſi illud, quo æthera conſcendit, carnem in vtero Virginis indutus mortalẽ, immortalis æterni Patris Filius? Ad eſt D. Gregorius Magnus in catenâ Luc. 23. *Illa Romphæa flammea Verſatilis dicitur pro eo, quòd ſciſſet quandoque venire tempus, vt etiam remoueri debuiſſet, quando ſcilicet veniret, qui SUÆ INCARNATIONIS MYSTERIO Paradiſi nobis iter aperiret*. Antequam natus ex Virgine, pius in defunctos Chriſtus apparuit, quibus Paradiſi viam aperiens, ne Purgatorij flammea romphæa æternùm eos arceret à gloriâ, poſt Aſcenſionem quidem, ſed tamen Incarnationis Myſterio, quòd antè natiuitatem in vtero Virginis inceperat, effecit.

Ignem Purgatorium Incarnationis myſterio, animabus purgatis, remouit.

D. Gregorius

5 A quâ pietate nõ eſt alienum quòd Chriſtus ex parentibus naſci voluerit, in defunctos clementiſſimis. Genealogiam Chriſti Matthæus in ſui Euangelij exordio referens, ait Ioſeph, qui Chriſti Pater putabatur, Patrem habuiſſe Iacob. *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de quâ natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*. Matth. 1. 16. Lucas aliâ viâ incedens, ait, Ioſeph filium fuiſſe Heli. *Et ipſe Ieſus erat incipiens, quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli*. Luc. 3. 23. Numquid potuit Ioſeph duos habere Patres, vt filius Iacob dicatur, & Heli. Numquid bis genitus duplicem in duplici generatione ſortitus eſt genitorem? Non equidem; ſed vnum habuit generantem, & alterum habuit Patrem legalem. Præcipiebat lex, quòd aliquo ſinè liberis defuncto, frater ſuperſtes eius vxorem duceret, cuius primus filius defuncti filius cenſeretur. Hinc Heli, ſine liberis defuncto, Iacob frater ei ſuperſtes, vt defuncti memoriam ſuſcitaret, illius vxorem duxit, ex quâ genuit Ioſeph ſecundùm generationẽ quidem filium Iacob, ſecundùm legis autem pręſcriptum filium Heli. Ex quibus apparet Chriſtũ antè ſuam natiuitatem in defunctos pium, Iacob in parentem elegiſſe, qui fratri defuncto pietatẽ, ſeminis ſuſcitatione, ac prolis procreatione impendit. *Iacob*, verba ſunt Euſebij Cęſarienſis lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 7. *fratris Heli ſinè liberis defuncti vxorẽ ex mandato legis accipiens, genuit Ioſeph, naturâ quidem germinis ſuum filium, propter quod & ſcribitur: Iacob autem genuit Ioſeph, ſecundùm autem legis præceptum Heli efficitur filius*

Iacob in fratrem mortuũ pium ad ſuã Genealogiam aggregauit.

Euſebius Cęſarienſis.

lius

Digitized by Google

lius, cuius Iacob quia frater erat, vxorē ad ſuſcitandū f·.t·is ſemen acceperat, & per hoc rata inuenitur, atque integra generatio. Animaduerte Chriſti nondùm nati ergà defunctos pietatem, quâ Virum in mortuum fratrem iuxtà legis præſcriptum pium adeò dilexit, vt in numerum eorum, qui ſuam conſtituebant genealogiam, aggregare voluerit.

Elias Chriſt. incarnandū præſignās mortuum excitauit.

6 Res eſt obſeruatu digna, quòd Elias Viduç Sarepthanæ filium morte ſublatum de ſinu illius tulit, & ſuper lectulum ſuum, vbi manebat, deferens, vt mortuum ſuſcitaret, ſe ſuper eum ter expandit. *Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus* 3. Reg. 17. 21. Qui Deum, vt gratiam conſequantur exorant, ſolent ſe ſuper humum expandere, & ante faciem Domini procidere, vt terram humilitate tenentes, Cœlum deprecatione commoueant. Quare igitur Propheta, vt ad Dominum pro pueri vitâ clamet, non ſuper terram procidit, ſed ſuper defunctum ſe expandit? An quia, cùm defunctus terra ſit, *Puluis es, & in puluerem reuerteris* Gen. 3. 19. ſuper terram procidebat, dum ſe ſuper defunctū expandebat? Rectè, ſed rectiùs Lyranus, Eliæ ſuper puerum extenſionem diuini verbi ait præfiguraſſe incarnationem, cuius virtute à morte culpæ vniuerſum hominū genus erat excitandū. *Ratio figuralis eſt, quia per iſtam extenſionem Prophetæ ſuper puerum mortuum figurabatur, quòd genus humanum à morte culpæ ſiet ſuſcitandum per Incarnationis myſterium*. Longè antè natiuitatem, dum per prophetas adhuc figurabatur, Chriſtus mortuis pietatem impendit, vnde ſe ſuper mortuum Eliam expandens, dum Chriſtum incarnādum præſignauit, cum ad vitam reuocauit.

Lyranus.

Eliſæus tunc mortuum ſuſcitauit, cùm Chriſti ſymbolum apparuit.

7 Idipſum contigit Eliæ, qui ſuper puerum mulieris Sunamitidis incubuit, vt viuum redderet matri eius mortem amarè ploranti, *Et orauit ad Dominum, & aſcendit, & incubuit ſuper puerum* 4. Reg. 4. 33. Eliſęus quippè ſuper mortuum, quò eum viuificaret, incumbens, Chriſtum nobis commorientem, vt nos à morte repararet expreſſit. Pulchrè D. Ambroſius apud Gloſſam in hunc locum. *In Eliſæo figura Domini præceſſit, qui proiecit ſe, vt mortuum erigeret, in quo ſymbolum eſt, quòd nobis Chriſtus commortuus ſit, vt nobis reſurgeret*. Tunc Eliſæus mortuum ſuſcitauit, cùm Chriſti incarnandi, & nobis commorituri ſymbolum apparuit, ſicque factum eſt, vt Chriſti nōdùm nati ſymbolum mortuis mirabiliter proficeret ad vitam.

D. Ambroſ.

Chriſtus in Eliſæo puero incumbente figurat⁹ mortuum ad vitā reuocauit.

8 Et quandò hic in Eliſæi mentionem incidimus, illud quoque meritò ponderandum occurrit, quòd cùm præcepiſſet Giezi, vt baculum ſuū tollens in manu, ſuper faciem pueri poneret, eūque vitæ reſtitueret, non tamen defunctus reuixit. *Giezi autem præceſſerat antè eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus, reuerſusque eſt in occurſum eius, & nuntiauit ei, dicens non ſurrexit puer*. 4. Reg. 4. 31. Vt quid Eliſæo id per ſeruum pręcipiente, defunctus non reuixit? Cur baculo Prophetæ ſibi appoſito ad priſtina vitæ munera non eſt reuerſus? Baculus Moſaicæ rigoris legem ſignificabat, Eliſęus verò puero incumbens Chriſtum per incarnationem homini condeſcendentem innuebat. Mortuum igitur ſuſcitauit, non baculus appoſitus, qui Moyſis legem, ſed Eliſæus incumbens, qui Chriſti exprimebat Incarnationem. Porrò non poterat Propheta, niſi in Chriſti, quem præfigurabat virtute puerum ad vitam reuocare defunctum. Non ſunt hìc B. Dionyſij Carthuſiani verba, quibus hunc locum illuſtrat ſupprimenda. *Per baculum Eliſæi tenor, & rigor legis Moſaicæ exprimitur, per ipſum autem Eliſæum puero incumbentem Dei filius incarnatus humano generi condeſcendens. Non reſuſcitatus eſt Puer per ſuppoſitum ſibi baculum, ſed per incumbentem ſuper ſe Eliſæum*. O' miram Chriſti nondùm nati ergà defunctos pietatem, qui per Prophetam puero incumbentem figuratus, mortuum ſtatim excitauit ad vitam.

Dion. Carth.

Eliſæus ſepultus, dum Chriſtum præfigurauit, mortuum ſuſcitauit.

9 Ne verò quid in hac materiâ indiſcuſſum omittam, hoc inſuper addo, quòd Eliſæo mortuo, eiuſque cadauere ſepulto, cùm ob latrunculorū aduenientium timorem, defuncti alterius corpus in eius ſepulchro quidam proieciſſent, vix corpus Eliſæi oſſa tetigit, & ſtatim reuixit. *Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſæi, quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſæi, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos*. 4. Reg. 13. 21. Hæc expendens Euſebius Emiſſenus, aduertit Eliſæum de ſepulchro vitam defuncto reddentem Chriſtum præfiguraſſe de morte reſurrectionem largientem, & vitam poſt ſepulturam operantem. Nec enim Eliſæus, niſi Chriſtum præfigurans, tactu ſui corporis corpus excitaſſet extincti. *Legimus*, inquit Euſeb. Homil. 2 de Paſchâ. *Beatum Eliſæum ſepulchro conditum, ingeſto à latrunculis cadauere intrà tumulum ſuum, corpus extincti tactu ſacri corporis ſuſcitaſſe. Quis hìc alius præfigurabatur, niſi Dominus Noſter Ieſus Chriſtus, qui reſurrectionem de morte largitur, & Vitam ſepultus operatur?* Cùm Eliſęus defunctis vitam largiebatur, ſemper Chriſtum præfigurabat, cuius licet nondùm nati virtute illos ad vitam reuocabat.

Euſeb. Emiſſ.

Antequā viueret crucifixis profuit Chriſtus defunctis.

10 Alius ſupereſt ſcripturæ locus inſtituto præſenti acommodatus, qui cadauer hominis morti adiudicati, & in patibulo appenſi præcipit eadem die terræ mandari. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur*. Deut. 21. 22. Cur acceleratā ſepulturā vetuit Deus in ligno Crucis pendere cadauer? Cur qui cunctis cernentibus pependerat viuus, de Cruce deponi ſtatim debebat occiſus? Hoc Chriſtus effecit, qui ſepulturæ ſui corporis curam gerens, omnibus voluit Crucifixorum cadaueribus, antequam naſceretur, hoc legis mandato pro ſe tantummodo lato prodeſſe. Quare hac exclamatione iurè locum

illu

Digitized by Google

illuſtrat Rupertus Abbas in Ioan. 20. *O igitur mirabile, & antiquū Crucifixi huius conſilium, qui tanto* ANTEQVAM VENIRET *tempore ita de ſepeliendo corpore ſuo dedit præceptum, vt profuerit omnibus Crucifixis ſcriptum pro ſe vno legis mandatum*. Antequam veniret, ſuæ pietatis radios, vt defunctis prodeſſet, Chriſtus emittebat, quapropter pręceptum pro ſe vno impoſitum omnibus prodeſſe voluit cadaueribus in Cruce defunctorum. Ex quibus iam ſatis fit planum, Chriſti nondùm nati pietatem ſenſiſſe defunctos.

CAPVT XV.

Chriſti pietas ergà defunctos, dum in hac vitâ degeret, oſtenditur.

Animas Lymbi, & Purgatorij Chriſtus in totâ vitâ ſuâ dilexit.

1 SEd iam Chriſtum natum, & cum hominibus in terras commorantem intueamur, ex eius namque actionibus mirabilem in defunctos pietatē promanare cōſpiciemus. Cùm ante diem feſtum Paſchæ, cęnâ cum Diſcipulis ſuis factâ, ſurgens Chriſtus veſtimenta ſua poſuiſſet, linteoq; præcinctus aquam in peluim miſiſſet, vt eorum pedes lauaret, hoc propterea dixit Ioannes eum feciſſe, quia *cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Ioannis 13. 1. Expende ilud, *qui erant in mundo*: nec enim in Galilææ dixit, aut in Iudææ, ſed in mundo, vt hoc nomine defunctos comprehenderet Lymbi, & Purgatorij, quos in totâ vitâ ſuâ veræ charitatis dilectione ſemper fuerat proſecutus. Diſces id ex his, quæ habet Cardinalis Caietanus in hunc locum. *Non qui erant in Iudæâ, aut Galilaâ ſed in Mundo; Imò non qui erant in hoc tranſitorij ſtatus mundo, ſed in mundo, vt comprehendantur etiam ſui exiſtentes in Lymbo, ſeu* PVRGATORIO, *eſt enim ſenſus; Cùm dilexiſſet in totâ Vitâ ſuâ continuâ veræ charitatis dilectione ſuos electos exiſtentes per diuerſas mundi partes*. Non coërcuit Chriſtus pietatis ſuę limites ad viuos, ſed extendit quoque ad mortuos, quibus cùm totius Vitæ ſuæ curſu pietatem impēdiſſet, rectè dictum eſt. *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, vt comprehendantur etiam ſui exiſtentes in Lymbo, ſeu Purgatorio*.

Caietanus.

Vix natus oblationem pro mortuis fieri curauit.

2 Et quidem ſi ab eius natiuitate ordiamur, vix natum in defunctos clementiſſimum videre licebit. Statim ac in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis enixa eſt puerpera Regem, Magi ab Oriente, vt eum adorarent, Stellâ duce venerunt, & procidentes *apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrhā*. Matthæi 2. 11. Sexcenta his in muneribus contēplati ſunt ſancti Patres myſteria, inter quæ valdè mihi arridet, quod profert Euthymius, qui cùm retuliſſet Regnum Babyloniorum, qui templum ſpoliauerant, hoſtias abſtulerant, & Populum interfecerant, ad Perſas fuiſſe deuolutum, ſubdidit, Magos, qui erant Perſæ, ac Babyloniorum hæredes, Chriſto vero templi Domino pro ſublatis theſauris aurum, pro reiectis hoſtijs thus, & pro iugulatis defunctis myrrham, procidentes obtuliſſe. Ex quibus elucet Chriſti vix nati pietas ergà defunctos, qui ſtatim inter alias oblationes, oblationem quoq; pro defunctis ſibi fieri curauit. *Quia Reges Babylonis Ieruſalem quondā expugnauerant, ac diuos Theſauros deprædati fuerant, & hoſtias ceſſare fecerant, Populumque iugulauerant, Regnum autem Babylonis vnà cum ſuis theſauris ad Perſas deuolutum erat, ideò afferunt Perſæ Babyloniorum hæredes Domino templi, quod tunc contumeliâ affectum fuerat, aurum quidem pro ſublatis auri Theſauris, thus autem pro hoſtijs, myrrham autem pro iugulatis*. Hactenus Euthymius in prædictum locum Matth. Simul ac viuere Chriſtus cępit, mortuorum Tutelam accepit, pro quibus proindè à Magis myrrham ſtatim à natiuitate ſibi offerri curauit.

Euthymius.

Terram atterens mortuis pietatem exhibuit.

3 Quòd ſi eum iam adultum, & Chananæorū Terram frequenti ambulatione luſtrantem contemplemur, non minorem defunctorum curam eum habuiſſe comperiemus. Quærit Diuus Petrus Damianus Sermone de tranſlatione Sancti Hilarij; Cur Abraham, Iacob, & Ioſeph tantoperè ſtuduerint in Chananęorū Terrâ ſuis prouidere ſepulchra corporibus. Porrò Abraham quadringentis argenti ſiclis locum ſepulturæ ſibi ab Hethæis ibi comparauit, ad quem etiam totum animi deſiderium Iacob, & Ioſeph cùm in Aegypto morerentur tetenderunt. *Quid ergo eſt*, inquit, *quòd Sancti Patriarchæ qui ſe cinerem, & puluerem eſſe perſpicuè perhibent, qui certè corpora, & corporalia quæque Cæleſtium contemplatione deſpiciunt, in Chananæorum Terrâ corpora ſua quieſcere tanto deſiderio, concupiſcunt?* Et paulò infrà nodum, quem ſibi propoſuerat diſſoluens, reſpondet illum ſibi hos Patriarchas præ cæteris Mundi partibus elegiſſe locum, quem Chriſti veſtigijs in ſpiritu nouerant atterendum. *Illis igitur Terræ finibus Beati Viri iam medullitùs aggliſcebant, quam per ſpiritum iam cernebant ſaluatoris Veſtigijs atteri*. Chriſtum Veſtigijs terram atterentem in mortuos pijſſimum fore Sancti illi Viri præuiderunt, ideòque ſua cadauera Chananęorū Terræ mandari voluerunt, quæ Chriſti Veſtigijs erat atterenda.

Petrus Damianus.

Loquens mortuos defendit

4 Pergo, & Chriſtum loquentem conſiderans, cerno eius voce maxima defunctis beneficia exhiberi. Quoſdam Galilæorum à Pilato in ſuis ſacrificijs interemptos nonnulli Chriſto nunciauerant, eorum peruerſitatem exaggerantes, & meritò iugulatos eſſe pluribus contendentes. Quos Chriſtus redarguens, *dixit illis: putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non dico vobis, ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis* Lucæ 13. 2. De alijs item decem, & octo quos turris Siloè cadens oppreſſerat, cùm eos audiſſet murmurantes, ſubdidit; *ſicut illi decem, & octo, ſuprà quos cecidit turris in Siloè, & occidit eos, putatis, quòd & ipſi debitores fuerint, præter omnes homines habitantes in Ieruſalem? Non dico vobis ſed*

ſi pœ-

ſi pænitentiam non habueritis omnes ſimiliter peribitis. Quid ſibi hæc volunt? Cur tam longo Sermone Galilæos defendit occiſos, & Nuntios redarguit obloquentes? Paucis, ſed appoſitis verbis hunc locum verſans, reſpondet D. Vincentius Ferrerius Sermone 3. infrà octauam Sancti Dominici, *Chriſtus defendebat Mortuos*. Mortuos, dum loquebatur Chriſtus tuebatur; quare audiens Iudæos hominibus interemptis obloquentes, eos rigidè obiurgauit, & mortuos clementer defendit.

D. Vincentius Ferrerius.

Sermone, defuncto Naim vitam largitur.

5 Nec tantùm Mortuos, & mortuorum cauſas loquens defendit, ſed etiam vitæ beneficium eis ſermone impertiuit. Diſco id ex defuncti reſurrectione, qui extra Ciuitatem Naim efferebatur, magnâ cum matre illum comitãte Cateruâ. Cuius ad loculũ Chriſtus accedens, ait, *Adoleſcens tibi dico ſurge* Lucæ 7. 14. ſtatimque Vitæ authori mortuus obtemperans reuixit, & turbas alloquens amiſsam matri lætitiam reſtituit. Hæc expendens D. Bonauentura obſeruat duplicem cauſam tantæ in defunctũ pietatis hìc notari, cordis videlicet affectum, & oris ſermonem: ſermone quippè ſuo Chriſtus Mortuis vitam largiri conſueuerat. Audi Sanctum hoc explicatu allata verba donantem. *Hìc tangitur cauſa efficiens reſpectu miraculi in fieri, quæ quidẽ fuit duplex, ſcilicet affectus pietatis in corde inclinans ad miſerendum, & virtus maieſtatis in ſermone imperans ad reſurgendum*. Quid venuſtius poterat dici, & elegantius? Sermonis Maieſtas Chriſti loquentis defuncto reſurrectionem imperauit, eique priſtinam vitam impertiuit.

D. Bonauentura.

Voce Archiſynagogi ſuſcitat puellam.

6 Id, quod ſeruauit quoque, cùm turbis eiectis eum irridentibus, Archiſynagogi filiæ Vitam reſtituit defunctæ. Aedem namq; ingrediens, in quâ Puella iacebat, *ait illi Tabitha cumi, quod eſt interpretatũ; Puella tibi dico ſurge*. Marci 5.41. Vides hic quoque Chriſtum loquentem animam, quæ diſceſſerat, ſermone ad corpus reuocaſſe puellæ? Optimè in hunc locum Euthymius. *Apprehendit manum eius, & vocauit, vt vox animam, quæ diſcedebat reuocaret*. Defunctos vocabat, cùm eorum animas ad corpus reuocabat, quò innueret ſui Sermonis Virtute ad Vitam homines redire iam mortuos.

Lazarum clamans ad vitã reuocat.

7 Quapropter, & in Lazari ſuſcitatione poſt lachrymas ab oculis effuſas, poſt fremitum à ſpiritu exortum, poſt lapidem à monumento ſublatum, poſt oculos ad Cœlum eleuatos, & poſt gratias patri actas, *voce magnâ clamauit; Lazare veni foras, & ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus*. Ioannis 11.43. Prodijt, qui fuerat mortuus, ſed Chriſti voce vocatus, vt qui obierat ictu mortis ferientis, virtute reſurgeret Chriſti loquentis. Quod ex his Abulenſis verbis in Matth. 9. quæſt. 127. habes. *Clamauit Chriſtus, vt innueretur, quòd per fortitudinẽ huius vocis anima cogebatur redire ad corpus. Sic fuit in ſuſcitatione Lazari. Hæc cum dixiſſet, voce magnâ clamauit; Lazare veni foras, & ſtatim prodijt qui fuerat mortuus*. O ineffabilem igitur Chriſti loquentis pietatem, quâ dum mortuos nominatim vocabat, eorum vitam oris ſui ſermone reſtaurabat.

Abulenſis.

In mortuorũ cauſis ſe aduocatũ Chriſtus loquens oſtendit.

8 Quid, quòd in mortuorum cauſis Chriſtus loquens aduocatum ſe interdum exhibuit? Super Corpus Chriſti cum Apoſtolis antè Paſcham Bethaniæ recumbentis aromata ſepeliendis cadaueribus idonea Magdalena fundebat. Iudas verò eam iniquè oblatrans, & iracundis verbis proclans, vngentis deuotionem vngueati appellauit perditionem. *Vt quid perditio hæc? Potuit enim vnguentum iſtud venundari multò, & dari pauperibus*. Matth. 26. 9. Cui tamen Mulier nihil reſpondit, ſed irrogatam proditoris cõtumeliam, ac ſi prementis verba non audiſſet, alto ſilentio preſſit. Cur iniquia obloquentis os non obſtruxit, ſe pro magiſtri ſepulturâ vnguenta illa fudiſſe affirmans? Cur ſe iniuſtè obiurgatam ſentiens, pietatis ſenſu aromatum iacturam non excuſauit? Cur demum non dixit ſe vnguenta non profudiſſe ad perditionem, ſed corpus obliniuiſſe ad humationem. His Mulier non egebat, quæ Chriſtum in piâ ſepulturæ cauſâ aduocatum habebat. *Sciens autem Ieſus, ait illis; quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonũ operata eſt in me* Matth. 26. 10. Porrò quæ vnguenta pro defuncti ſepulturâ fundebat, Chriſtum loquentem pro aduocato, ac defenſore habebat. Rem egregiè verſat Gerardus Laodicenſis lib. 1. de doctrinã cordis apud Nouarinũ in opuſculis epiſtolâ 89. *Contrà ſororem conquerentem non reſpondit, ſed* ADVOCATVS EIVS DEFENDENS CAVSAM SVAM *iterum intulit; Martha ſolicita es, & turbaris ergà plurima. Item contrà Iudam detrahentem de vnguento effuſo non reſpondit ipſa, ſed ſtatim* DEFENSOR CAVSAE CHRISTVS *reſpondit*. Vides Chriſtũ loquentem, & mortuos, & mortuorum cauſas aduocatum tueri, ac defenſorem?

Gerardus Laodicenſis.

Chriſti audientis pietas in defunctos.

9 Sed non minùs audiens, quàm loquens defunctis Chriſtus Pietatem impendit. Vix enim archiſynagogus filiam ſuam defunctam eſse illi nuntiauit, ac ſtatim ſurgens, vt defunctæ vitam redderet, cum ſuis diſcipulis ſecutus eſt eum. *Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum* Matth 9. 19. Simul, ac loquentem audiuit, precantem exaudiuit, & præeuntis patris veſtigia celeriter ſequens, defunctæ filiæ vitam clementer reparauit. Ea quippè eſt Chriſti pietas in defunctos, vt eorũ calamitatibus auditis, illas cõfeſtim propulſare feſtinet. Id verba euincunt, quæ habet Angelicus Doctor D. Thomas in hunc locum. *Hìc habetur documentum miſericordiæ* CHRISTI *quia ad petitionem illius ſtatim iuit*. Vix Pater petijt, & ſtatim obtinuit; Vix Chriſtus audiuit & ſtatim iuit; Vix Puella obijt, & ſtatim ſurrexit. Diſce igitur Chriſtum defunctis pietatem impendere, nedùm verbis loquentem, ſed etiam verba audientem.

D. Thomas.

Euſdem aſpicientis clemẽtia in mortuos.

10 Venio nunc ad oculos, & Chriſtum etiam aſpicientem in mortuos inſpicio clementem. Bethaniam Chriſtus venerat, vbi Lazarũ quatuor diebus iam mortuum, quin, & intra ſepulchrum

falci,s

faſcijs obuolutum, & fętentem reperit, ac multa cum Marthâ, & Magdalenâ defuncti ſuroribus præfatus, ab eis tandem quæſiuit, vbi fratris humauerant cadauer. *Ex dixit, vbi poſuiſtis eum?* Ioannis 11. 34. At illę non locum, vbi iacebat, deſcripſerunt, ſed vt iret, ac videret, ei reſponderunt. *Dicunt ei, Domine, veni & vide.* Quid opus erat, Dominum monumentum adire, ac remoto lapide cadauer intueri defuncti? Nonnè poterat remotus à ſepulchro mortem remouere ab amico? Cur venientem volunt, ac videntem, quē fratris ſuſcitatorem habere poterant etiam abſentem? Rationem affert Magnus Albertus his verbis locũ iſtum explanans. *Dicũt ei; Domine veni, & vide, vt* LVMINOSOS OCVLOS DIRIGERET AD MORTVVM, *et ſic ſuſcitaret eum.* Nouerant pię iſtæ mulieres ab oculis Chriſti pietatem in defunctos effundi, ac propterà vt fratrem viderent à morte reſurgentem, Chriſtum vulebant videre mortuum intuentem.

Albertus Magnus.

Chriſtus plorans in defūctos pius.

11 Relinquamus intuentem, & eum intueamur plorantem, lachrymis namq; ſuis pietatem defunctis illum exhibere cognoſcemus. Vix lapidem a monumento, in quo Lazarus fætebat amouerant, cùm Chriſtus, oculis ad Cœlum elatis, Patri gratias egit, quòd ſe pro defuncti amici vitâ deprecantem celeriter æquè, ac benignè audiuiſſet. *Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis, dixit; Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me.* Ioannis 11. 41. Quî verò contingere potuit, vt à Patre audiretur, cùm nullas ei preces effudiſse legatur? An lachrymæ ab oculis fuſæ preces anteuerterunt ab ore fundendas? An tunc ſe Patri oſtendit orantem, cùm ſe cunctis exhibuit plorantem? An denique lachrymæ illę pondera vocis, iuxta tritum carmen, habuerunt? Ita loquitur D. Thomas, cùm lachrymas pro Lazari morte fuſas vicem Orationis, quam Pater exaudire præuenit habuiſſe teſtatur. *Expedit arbitrari de domino Saluatore, quòd Deus Pater præueniens eius Orationem exaudierit; nam* LACHRYMAE, QVAS CHRISTVS PRO MORTE LAZARI FVDERAT, *vicem Orationis habuerunt.* En habes Chriſti lachrymas fuiſſe preces pro defunctis effuſas, vt eũ animaduertas etiam plorantem ſibi ſemper conſuetam mortuis impendiſſe pietatem.

D. Thomas.

Chriſti tangentis pietas in mortuos.

12 Ab oculis tranſeo ad manus, & qui Chriſtum oſtendi ergà mortuos pium videntem, & plorantem, eumdem miſericordem in ipſos probo tangentem, & palpantem. Hanc me docuit Archiſynagogus illuſtribus verbis veritatē, cùm Chriſtum ſuppliciter adorans, eique filię mortem lachrymis obortis nuntians, vt ſuam ſuper ipſam manum imponere dignaretur, enixè rogauit. *Ecce Princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens; domine filia mea modò defuncta eſt, veni impone manum tuam ſuper eam, & viuet.* Matth 9. 18 Vt quid princeps iſte ſynagogæ, manum ſuæ defunctæ à Chriſto poſtulauit imponi? Cur non potiùs, vel Sermonis Imperium, vel Orationis ſuffragiũ, vel oculorum propoſuit obtutum? Cur non leproſi verbis; *ſi vis potes*, Matth. 8. vel Chananææ verbis, *Miſerere mei.* Matt. 15. 22. vel Marthæ, ac Magdalenæ ſermonibus eſt vſus. *Domine veni, & vide?* Ioan. 11. 34. Vt Chriſtus manum ſuam vitæ inopi aperiret, & palmas ſuas ad pauperem extenderet, atque defunctam. Nota quippè Archiſynagogo erat Chriſti manuum pietas, ac virtus, quibus tangentibus, ad Vitam cadauera denuò reuocabantur mortuorum. Beatus Dionyſius Carthuſianus hunc locum tangens, de tactu Chriſti ſic loquitur. *Tantam virtutem, ac Sanctitatem credidit Archiſynagogus ineſſe animæ Chriſti, vt* CORPORALI TACTV SVÆ MANVS *filia reſuſcitaretur.* Chriſti manuum Virtutem, ac pietatem nouerat Princeps iſte; vndè vt illum experiretur in ſuam defunctam clementem, manibus videre cupiebat eam tangentem.

Dionyſius Carthuſianus

13 Nec certè illum ſpes iſta feſellit, vt enim manum tenuit Chriſtus Puellæ cōfeſtim cunctis obſtupentibus defuncta ſurrexit. *Et tenens manum Puellæ, ait illi; Talitha cumi, quod eſt interpretatũ, Puella tibi dico ſurge, & confeſtim ſurrexit Puella* Marci 5. 41. Ad quem locum Magnus Albertus hæc ſcribit. *Manum tenens Puellæ, vt* TACTV VIVIFICAE SVAE MANVS *Vita rediret ad mortuam.* Chriſti tangentis virtutem Puella ſenſit defuncta, quæ illius tactu viuificata, ac ſi à morte fuiſſet intacta, ſurrexit. Quam itidem pietatem adoleſcentulus ille fuit expertus, quem extrà mænia Naim, viduâ matre cũ turbâ multâ comitante, ad ſepulturam efferebant. Statim enim ac Chriſtus obuians defuncto, loculum tetigit, in quo iacebat, mortem manu fugauit, & Vitam tactu reduxit. *Acceſſit, & tetigit loculum; hi autem, qui portabant, ſteterunt, & ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge, & reſedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui.* Lucæ 7. 14. Quæ verba verbis iſtis illuſtrat idem Albertus. *Ecce Saluatoris ad mortuum* VIVIFICVS TACTVS, *quia ſicut* TACTV SVAE VIVIFICÆ CARNIS *vim regeneratiuam, & viuificatiuam contulit aquis,* ITA TACTV *curat leproſos, &* SVSCITAT MORTVOS. Tactu Chriſtus Vitam hominibus largiebatur defunctis, quò nobis conſtaret, Pietatis ſuæ munera Chriſtum mortuis exhibere tangentem.

Chriſti tactu ad vitam reuocantur defuncti.

Albertus Magnus.

Idem.

14 Claudo, & Chriſtum ſuam virtutem exercentem expendo, quem ergà mortuos quoque Clementiſſimum reperio. Poſt claudum à matris vtero ſanatum, & plantis conſolidatis, exilientem, Chriſti nominis Virtutem, & potentiam ſtupenti Iudæorum Populo Petrus, & Ioannes prædicabant. Quibus loquentibus templi Magiſtratus venerunt, & iniectis in eos manibus in cuſtodiâ recluſos carceri manciparunt. Cur verò id egerint ſacer textus his verbis indicat. *Loquentibus autem illis ad Populum, ſuperuenerunt ſacerdotes, & Magiſtratus templi, & ſadducæi, dolentes, quòd docerent Populum, & annuntiarent in in Ieſu reſurrectionem ex mortuis.* Act. 4. 1. Dolebant quòd in Ieſu reſurrectionem mortuorum prædicarent, ac propterea vt timore correpti ab

Chriſti ſuam virtutē exercentis pietate ſuſcitantur defuncti.

eâ

Digitized by Google

eâ doctrinâ in poſterum deſiſterent, eos per lictores apprehenſos in carcerem coniecerunt. Quid verò innuere Apoſtoli volebant, cùm in Ieſu reſurrectionem ex mortuis perdicabant? Nùm mortuos omnes Chriſti ſuam virtutẽ exercentis pietate ſuſcitandos? Profectò iſtud offerunt hæc in præfatum locum B. Dionyſij Carthuſiani verba. *Dolentes, quòd docerent Populum, & annunciarent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis, ideſt per* CHRISTI VIRTVTEM OMNES MORTVOS SVSCITANDOS. Pietatem Chriſtus in defunctos exercet, dum ſuam exercet virtutem, per quam nedùm viui gratiã, ſed etiã mortui ſuſcipiũt vitã.

Dionyſius Carthuſ.

15 Nec mirum ſuâ virtute pietatem Chriſtũ exercuiſſe in defunctos: ad hoc enim venit, vt eam exercens, vitæ ſubſidium cadaueribus afferret mortuorum. Quò ſpectabat Sidonius Apollinaris, qui in carmine Euchariſtico ad Fauſtum Chriſtum alloquens, hæc cecinit.

Ad hoc venit Chriſtus, vt ſuâ virtute mortui reſurgerent.

Sidonius Apollinaris.

Ad hoc etiam veniſti, vt mortua membra
Lecto, ſandapilâ, tumulo conſurgere poſſent:

Adeò pius totius vitæ ſuæ curſu in mortuos Chriſtus fuit, vt iurè meritò, eum ad hoc veniſſe, vt mortuos adiuuaret, poſſit affirmari. Dum igitur Chriſtum totius vitæ ſuæ tempore, & natum, & adultum, & loquentem, & audientem, & aſpicientem, & plorantem, & tangentem, & virtutem exercentem in mortuos pium oſtendimus, iam ſatis eſt Chriſti pietas ergà defunctos, dum in hac vitâ degeret, oſtenſa.

CAPVT XVI.

Chriſti ante mortem patientis pietas in mortuos declaratur.

1 Libet nonnulla ex Chriſti Paſſione pro defunctis libare, quæ illum iam moriturũ mortuis profuiſſe teſtentur. Atque vt à feritate proditoris Diſcipuli exordiar, iam vendito Magiſtro ſe damnatũ Iudas agnoſcens, deſperatione magis, quam pœnitentiâ adductus, proiectis in templo argenteis, quos à ſacerdotũ Principibus pro ſcelere acceperat, abiens laqueo collum iniecit, & ſuſpenſus vitam ſine fine moriturus finiuit. Conſilium igitur templi Magiſtratus confeſtim inierunt, ſciſcitantes, quò eſſent numi, quos Iudas retulerat, referendi, & eis agrum emendum eſſe, in quo mortui conderentur peregrini, concorditer ſtatuerunt. *Conſilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.* Matth. 27. 7. Quid Sanguinis pretio cum mortuorum ſepulchro, vt argenteorum relatio, peregrinorum euaderet humatio? quid Iudæ cũ defunctis? quid Phariſæis cum peregrinis, vt Iudæ numis Phariſæis relatis, defunctis ager emeretur peregrinis? Nùm quia mortis pretium, in mortuorum debebant conferri ſubſidium? Sic voluit in Euangelicâ Hiſtoriâ cap. 162. Petrus Comeſtor. *Quia fuerunt pretium mortis in vſum mortuorum tradiderunt eos.* Chriſti morituri pretium in mortuorum contulerunt ſepulchrum, quatenus nobis innoteſceret, Chriſtum patientem, ac moriturum, nedùm viuorum, ſed etiam curam geſſiſſe defunctorum.

Chriſti mortui pretiũ in mortuorum confertur ſepulchrum.

Petrus Comeſtor.

2 Antequam verò propriâ damnatus ſententiâ Dominici mercedem ſanguinis Iudas reportaret, à Sacerdotum Principibus, & populi Senioribus ad Ieſum cum Turbâ multâ miſſus, eumque virulentis labijs oſculatus, cohorti, & tribuno, & miniſtris comprehendendum tradidit, atque ligandum. *Cohors ergò, & Tribunus, & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum* Ioan. 18. 12. Sed cur ligauerunt ad mortẽ eum, qui ad mortem ſponte currebat? Cur quem Charitatis vincula ſtrinxerant, adhuc funium vinculis ſtrinxerunt? Cur demùm eius manus retrorſum vinxerunt, qui ab eo victi retrorſũ ceciderunt? Id Chriſtus permiſit, vt ligatus mortuos ſolueret, & vinculis conſtrictus in Lymbo vinctos liberaret. Stilo Ludolphi Carthuſiani Verba lib. de Vitâ Chriſti parte 2. cap. 59. Ita loquentis. *Quia Chriſtus nos peccatis ligatos, & in Lymbo vinculatos ſoluere debebat, ideò ipſum pro nobis* LIGARI OPORTEBAT. Vides Chriſtum propter defunctos ligatum, & propter lymbi animas vinculis conſtrictas vinculis conſtrictum.

Chriſtus ligatus mortuorũ animas ſoluit.

Ludolphus Carthuſ.

3 Nec omittendum puto, milites iſtos nedùm armis, & laternis, verùm etiam facibus inſtructos Chriſtum comprehendiſſe, atque comprehenſum vinculis funium ligaſſe. *Iudas ergò cùm accepiſſet Cohortem, & à Pontificibus, & Phariſæis Miniſtros, venit illùc cum laternis, & facibus, & armis.* Ioannis 18. 3. Arma quidem ad propulſandos defenſorum conatus, & laternas ad repellendas noctis vmbras deferre oportebat: faces verò vt quid deferunt, qui flammam, & ignem intrà laternas occultant? nũquid non ſufficiebat ad necem Chriſto moliendam, laternas portare abditè lumen celantes, vt faces inſuper requirerentur palam flammas eructantes? Faces in funeribus adhibebantur mortuorum; vndè Cornelius Tacitus lib. 3. annalium. *Dies, quos reliquiæ tumulo Auguſti inferebantur, modò per ſilentium vaſtus, modò ploratibus inquies, plena Vrbis itinera, collucentes per campum Martis* FACES, & Virgilius lib. 6. Aeneidum.

Chriſtum pro mortuis comprehendi, & ligari facetes ſtantur.

Faces in funeribus adhibitæ.

Cornelius Tacitus.

Et ſubiectam more Parentum
Auerſi tenuere FACEM

Et lib. 7. faces propterea funereas appellauit,

Virgilius.

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odijs verſare Domos, tu verbera tectis,
FVNEREASQVE *inferre* FACES

Quod repetens lib. 11. ait.

Arcades ad portas ruere, & de more vetuſto
FVNEREAS *rapuere* FACES.

Eadem quoque ratione Ouidius Epiſtolâ 2. faces dixit ſepulchrales.

Sunique SEPVLCHRALI *lumina mota* FACE

Ad quæ verba Raphael Volaterranus, SEPVLCHRALES, inquit, *dicuntur* FACES, *quæ accẽduntur in funere.* Quamobrem etiam apud Apuleiũ lib. 4. Florid. Aſclepiades reperiens hominem, qui efferebatur

Faces ſepulchrales quanam eſſent.

Ouidius.

Raphael Volaterranus.

fere-

Digitized by Google

ferebatur vt mortuus, iuſſit multitudini, quæ ad exequias venerat, vt procul faces abigeret. *Confeſtim exclamauit viuere hominem, procul igitur* FACES *abigerent*. Cùm ergo in mortuorum funeribus faces accenderentur; vt ſe comprehendi, & ligari pro mortuis inſinuaret, faces in ſui comprehenſione Chriſtus accendi permiſit. Hùc alluſiſſe videtur D. Ambroſius in Pſalm. 37. *Venit ergò perſecutorum Turba cum laternis, & ideò incluſam in eis lucē videre eorum oculi nequiuerunt. Venit cum facibus, quæ plus habent in fumo caliginis, quàm ſplendoris in lumine. Denique* FACIBVS MORTVORVM CADAVERA ARDERE CONSVEVERVNT. Non laternæ tantùm, ſed, & faces in Chriſti comprehenſione accenduntur, quia facibus cadauera cremabantur mortuorum. Porrò vt conſtaret ſe pro mortuis comprehendi, ac ligari, faces, quæ in mortuorum beneficium ardere conſueuerant, dum comprehendebatur, ac ligabatur ardere oportebat.

Apuleius.

4 Sed propter mortuos itidem ſpineâ coronâ eum cerno redimitum. Inter probra, quibus Chriſto morituro ſæui milites exprobauerunt, nō infimum obtinet locum, quo ſupremam eius capitis partem circumdederunt, ſpinarum diadema. Vt enim apprehenſum, varijſque modis excruciatum flagellauerunt, ſpineam tiaram maximo dolorum Pontifici de more coronando attulerunt. *Et milites plectentes coronam de Spinis, impoſuerunt capiti eius*. Ioann. 19. 2. Itanè pro auro, & gemmis nouit ſpinas intexere artifex crudelitas? Itanè coronarijs rhamnis regio sāguine purpurantibus diuina tempora coronantur? Itanè delira capita increatæ ſapientiæ caput, quò ei regium decus extorqueant, dedecorare conantur? O' ſummam erga Purgatorij animas Chriſti patientis miſericordiam, quas vt gloriâ redimiret in Cęlis, paſſus eſt ſentibus redimiri in terris. Hùc ſpectauit Regis morituri ſpinarum diadema, vt regiam mortuorum animabus deliciarum pareret coronam. Audiamus D. Vincentium Ferrerium ſermone in Sabbato Sancto, hæc ad rem noſtram ſcribentem. *Poſſumus dicere, quòd omnes* PVRGATORII ANIMAS *liberauit, & ad hoc dabo vobis duas ſimilitudines. Prima de Rege nouitio coronato intrante Ciuitatem, qui liberat omnes captos niſi ſint capti pro intereſſe partis. Sic Rex Gloriæ Chriſtus nouiter* CORONATVS CORONA SPINARVM INTRANS PVRGATORIVM. Spineo Diademate nouiter voluit Chriſtus coronari, vt mortuorum animas in Purgatorio captas ad inſtar Regis nouiter coronati gloriæ libertate donaret.

Vt Purgatorij animas liberet, Spinis coronatur.

D. Vinc. Ferr.

5 Verùm cùm Chriſti opprobrijs non exſaturarentur Iudæorum animi, ſanguinis conſpectu Elephantum more truculentiores effecti, quem probris, ac flagellis cruciauerant viuentem clauis, & cruce petebant cruciare morientem. Repetitis igitur clamoribus auribus obſtrepebant Pilati, ſibi vitæ parentem dari poſcentes crucis morte occidendum. Quibus tamen Pilati vxor contradicens ne iuſtum iniuſtè damnaret, maritum orauit, eique, dum iudicaturus pro tribunali ſedebat, ſe propter Chriſtum multa paſſam per viſum nuntiauit. *Sedente autem illo pro tribunali miſit ad eum vxor eius, dicens; nihil tibi, & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſū propter eum*. Matth. 27. 19. Quo autem agente mulier iſta hæc ſit paſſa, explicat his verbis D. Dionyſius Carthuſianus. *Diabolus nempè, qui ab exordio conatus eſt hominum impedire ſalutem, nunc quoque vxorem Pilati inſtigauit per ſuggeſtiones cōminatorias factas in ſomno, vt probabilius dicitur, vt virum ſuum induceret ad Chriſti liberationem adijciens minas, niſi hoc faceret*. Diabolus Chriſti liberationem expetens vxorem afflixit, ne illum maritus affligeret, ac mulieri, niſi vir eum à morte eriperet, comminatus eſt mortem. At quid Diabolo cum Chriſto, vt eius vitæ curam gereret, ac per mortis minas illum à morte liberare contenderet? Cur qui miſerat in cor Iudæ, vt traderet Ieſum, miſit in cor mulieris vt liberaret eum? Numquid Iudæ ſuaſerat proditionē eius, quem credebat hominem, mulieri verò ſuaſir liberationem eius, quem putabat Deum? Ita profectò. Sed vndè conijciebat dæmon Deum eſſe, qui totus cruore conſperſus apparebat *Vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*? Pſal. 21. 7. A' conſolatione, quàm Defunctorum Animæ in Lymbo, Chriſto patiente, perceperunt. Diſce hoc ex eodem Beato Diony. Carthuſiano, *Videns quoque, vt creditur, conſolationem ſanctorū in Lymbo, cæpit vehementer conijcere, quòd eſſet verus meſſias, timenſque vinci, ac ſpoliari ab eo, incitauit mulierem ad ea, quæ dicta ſunt*. Paſſione ſuâ defunctorum Animabus conſolationem Chriſtus afferebat, quapropter Deum illum exiſtimans, per mulierē Diabolus eam impedire ſatagebat.

Paſſione ſuâ defunctorum animabus cōſolationem attulit.

Dion. Carth.

6 Hinc Iudæi etiam Chriſtum aſpicientes in Cruce pendentem, vt ad ſuam diuinitatem oſtendendam deſcenderet, magnis vocibus clamabát. *Si Filius Dei es, deſcende de Cruce*. Matth. 27. 40. Cur qui tot clamoribus Pilatū adierant, vt Chriſtum crucifigeret, cupiunt modo illum de cruce videre deſcendentem? Quomodo voces iſtæ, *Deſcende de cruce*, cum alijs cohęrent, *Crucifigatur*? Quam tandem ob cauſam, quem vt implacabilē hoſtem odio habebant, vt diuinitatis ſuæ virtute paſſionem effugeret, exorabant? Non Iudæi, ſed Iudæorū verbis Diabolus id quærebat, quippè qui mortuorum dominiū, Chriſto in cruce patiente, amittebat. Potiùs ergò Chriſtum viuere, quàm eo moriente, mortuos captiuitate redimi, volebat, & ideò Iudæis author fuit, vt eum ad deſcendendum de cruce, ſpecie diuinitatis declarandæ, inuitaret. Peritè D. Athanaſius de paſſione, & cruce Domini. *Magnæ curæ fuit Diabolo, vt Dominus iſtiuſmodi vituperijs pulſaretur, optabatque eum de cruce deſcendere, ne inter mortuos verſaretur, vt ille ſic illæſus abiret, & ipſe* MORTVORVM DOMINIVM RETINERET. Metuebat Diabolus, ne per Chriſti paſſionem mortui redimerē-

Optabat Diabolus Chriſtū de cruce deſcendere, ne per eius paſſionē mortui redimerentur.

D. Athanaſ.

tur

Digitized by Google

tur captiui, quam redemptionem, vt impediret, eum de cruce deſcendere optabat.

Eadem paſſione ab inferorum tenebris ad gloriæ lumen defunctos euexit.

7 Hùc reſpexit Zacharias, qui dudū mutus prophetauit, & Spiritu Sancto repletus, quæ mox futura erant, linguæ vinculo ſoluto, eſt vaticinatus. Dixit igitur Dei miſericordiam hominum genus adeò extuliſſe, vt Chriſtum miſerit eos, qui in tenebris, & in vmbrâ mortis ſedebant, gratiæ ſuæ lumine illuſtraturum. *Viſitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris, & in vmbrâ mortis ſedēt.* Lucæ 1. 78. Quos verò in tenebris, & in vmbrâ mortis ſedentes Chriſtus illuſtrauit, niſi mortuos lymbum lucis Gloriæ Carentiâ tenebroſum incolentes? Hos per paſſionem ſuam, redemptionis pretio ſoluto, abſoluit, & mortis tenebris fugatis, gloriæ luce illuminauit. Hoc ſenſu ad productū locum hæc loquebatur Lyranus. *Illuminare his, qui in tenebris, id eſt Patribus in lymbo exiſtentibus, quos Chriſtus illuminauit, quando* Post Passionem Svam *ad illos deſcendit.* Paſſione ſuâ defunctorum paſſiones Chriſtus abſtulit, eoſque ab inferorum tenebris ad gloriæ lumen euexit.

Lyranus.

Eius paſſionis beneficio ad vitam ſunt reuocati defuncti.

8 Apoſtolos ad ſe vocatos mittens Chriſtus ad Euangelizandum Iudæis, illis præcepit, vt Regnū Cœlorum prędicantes, ægrotos curarent, ac mortuos ſuſcitarent. *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate* Matth. 10 8. At verò Chriſto viuente mortuos ſuſcitaſſe nunquam leguntur. Quare autē dum ægrotos curabant, dum Dæmonia eijciebant, dumque alia ſigna, quibus Chriſti nomen magnificaretur, mirabiliter patrabant, mortuos etiam, vt eius parerent imperio, non excitabant? An nō niſi Chriſto patiente id egerunt, quò innuerent eius paſſionis beneficio beneficia conferenda fore defunctis? Id voluiſſe videtur his Verbis Dionyſius Carthuſianus. *Non leguntur Apoſtoli* Ante Passionem Mortvos Svscitasse, *ſed poſteà.* Poſt paſſionem tantùm vitam Apoſtoli mortuis impenderunt, vt nobis conſtaret, Chriſti patientis Virtute ad vitam reuocatos fuiſſe defunctos.

Dionyſius Carthuſ.

Ibi voluit Chriſtus pati vbi cadauera iacebat mortuorum.

9 Hanc eamdem Chriſti patientis in Defunctos miſericordiam locus euincit, in quo pati voluit, & cruci affigi. *Et poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum* Luc. 23. 33. Quinā verò eſſent huius loci incolæ D. Thomas docet 3. part quæſt. 46. Art. 5. dū ait *In loco fętido cadauerum mortuorum, qui dicitur Caluariæ appenſus patibulo.* O' verè miram, ac prorſus ineffabilem Chriſti patientis in mortuos pietatē, qui, vt ſui efficaciùs in eos magnitudinem amoris exprimeret, ac omnimodè Paſſione ſuâ eos adiuuare fatageret, ibi appendi, vbi condita, ibi crucifigi, vbi humata, ibi deniq; mori voluit, vbi mortua iacebant cadauera defunctorum.

D. Thomas.

Paſſus eſt in Caluaria loco, vt Adam ibi ſepultus Cœlū adiret.

10 Quòd ſi nominis, quo locus iſte appellabatur ęthymologiā expendamus, nō ſinè myſterio golgotha dictū fuiſſe cognoſcemus, A' גלל enim, quod eſt voluтare, fit גלגלת, quod ſignificat caput, vel cranium hominis, eò quòd hùc illùc voluatur: ſyriacè autem per additionē vnius litteræ א dicitur cranium גלגלתא, corrupto autem vocabulo גלגתא. Ideò autē locū illum Golgotha, ſiuè caluariā, ſeu cranium appellatū fuiſſe, quia ibi Adami caput erat humatum, Antiqua fuit traditio, nobilium ſcriptorum authoritate firmata. Ibi ergo pati, & crucifigi Chriſtus voluit, vbi Adam condebatur, vt ſuâ paſſione illum à morte liberaret, & ad cœlum eueheret. Id pluribus Verbis, ſed dignis, quæ hic tranſcribantur, teſtatur D. Athanaſius Serm. de paſsione, & cruce Domini. *Non alibi patitur, neque in alio loco crucifigitur, quàm in Caluariæ loco, quem magiſter Hebręorum dixit ſedē eſſe ſepulchri Adæ. Ibi etiam poſt maledictionem eum humatum eſſe aſſeuerat. Quòd ſi ita ſe res habet, miror eius loci genium, & proprietatem. Congruū enim erat Dominum, cùm vellet renouare primum Adam, in eo loco pati, vt illius abolito peccato, ab vniuerſo eius genere illud profligaret. Iam verò quia audierat Adā, terra es, & in terram reuerteris, ideò illic denuò poſitus eſt, vt Adamum mihi inueniem à maledictione liberaret, & pro iſtis verbis, terra es, & in terram reuerteris, eidem diceret, excitare qui dormis, & ſurge ex mortuis, & illuminabit te Chriſtus, & rurſus ſurge age, & ſequere me, vt non vlteriùs in terrâ conſiſtas, ſed ad Cœlos aſcendas.* Quid elegantius poterat ad rem noſtrā excogitari? Paſſus eſt Chriſtus, vbi mortuus iacebat Adam, quò ille, qui per mortem in terram defunctus abierat, per paſſionem ſuam cœlum æternum victurus adiret.

D. Athanaſius.

Cum puluere defuncti Adæ ſuum patiens commiſcuit Chriſtus ſanguinem.

11 Ab Athanaſio non diſcrepat Tertullianus, qui rationem afferens, cur hunc locum Adami ſepulturâ inſignem ſuę paſſioni ſpecialiter Chriſtus deſtinauerit, id eum voluiſſe affirmat, vt diuino liquore madefacta defuncti oſſa reſurrectionis certam ſpem cōciperent, ac virtute ſtillantis cruoris vitam cū animâ ſuâ immortalē ſibi promitterent. Affero eius carmina a Sherlogo in Cantica Anteloquio 6. Sectione 18. Allata.

Golgotha locus eſt capitis caluaria quondam
Hic patitur Chriſtus, pia ſanguine terra madeſit,
Puluis Adæ vt poſſit veteris cum ſanguine Chriſti
Commixtus ſtillantis Aquæ virtute leuari.

Tertullianus

In Caluariæ loco pati Chriſtus voluit, vt cum Adę puluere ſuum cōmiſceret ſanguinem, cuius virtute à morte leuaretur, & ad cœleſtem vitam duceretur.

Chriſti patientis cruore aſperſus Purgatorij flammas latro non ſenſit.

12 Sed quandò hìc ſumus, nō debeo Latronē præterire, qui vix morte peremptus vitam obtinuit, & nullis Purgatorij flāmis exuſtus ad ęterna gaudia properauit. Vt Os aperuit, ſibi apertum paradiſum audiuit, vixque Chriſtum exorans illi ait; *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum* Lucæ 23. 42. & ſtatim *dixit illi Ieſus; hodie mecum eris in Paradiſo.* O fęlicem latronis ſortem, cuius preces Chriſtus adeò celeriter, & viuens audiuit, & moriens exaudiuit. O' Beatum Chriſti Collateralem in vltimo peccati puncto ab eo non neglectum, cùm morti propinquus animam haberet faucibus hærentem. Quàm verum eſt nullas habere metas diuinam Clementiam, quæ nulli expectatione affligit, nullâ dilatione torſit, ſed ſtatim in regnum Cœlorū, Chriſto aperiente, hominem per vetiſſimum in-

E uexit

Digitized by Google

Arnolaus Curnotenſis.

uexit. *Non ad* LOCA PVRGATORIA, inquit Arnoldus Carnotenſis tractatu de ſeptem verbis domini in Bibliothecâ veterum Patrum, *flammaſq; Peccatorum vltrices conſitens deſtinatur, non ad loca tenebroſa, & tormenta deducitur, nullam pars aduerſa gratiæ Dei præſumit inferre calumniam.* Cur autẽ latro tot ſceleribus patratis famoſus, tot flagitijs præteritis irretitus, tot homicidijs commiſſis inquinatus, nullas experitur Purgatorij flammas? Cur qui nulla omiſerat culparum flagitia, nulla admittit pœnarũ incendia? Pretioſiſſimo Chriſti patientis cruore aſperſus purgatorij flammas extinxit, & nullâ interpoſitâ morâ Paradiſum diuino ſanguine perfuſus intrauit. Sub ſcribit in Bibliothecâ veterum Patrum Hugo Etherianus libro de regreſſu animarum capite 12. *Sacratiſſimo Sanguine ille aſperſus eſt, ipſis Angelis velocior factus eſt, ideòque in ictu oculi cum ipſo Saluatore Paradiſum intrauit.* Ideò defunctus Latro nulla Purgatorij tormenta ſenſit, ſed in ictu oculi cum Chriſto Saluatore Paradiſum intrauit, quia Chriſti Patientis præterfluente cruore fuerat in Caluariæ loco aſperſus.

Hugo Etherianus.

Aquam è latere, vt purgatory flammas extingueret, effudit.

13 Dignum etiam recenſitu eſt, quòd ſimul cũ ſanguine in eodem Caluariæ loco aqua de Chriſti latere aperto exundans effluxit. *Vnus Militum lanceâ latus eius aperuit, & cõtinuò exiuit ſanguis, & aqua* Ioan. 19. 34. Quo loco ſciſcitari iuuat; Cur Chriſtus de latere ſuo, nedum ſanguinem, ſed etiam aquam effundere voluerit. Nonnè latere ſibi diducto, Paradiſi nobis aditum, ſolum ſanguinem fundens, reſeraſſet? Nonnè vulnus emittens cruorem, accipiens noſtra vulnera; ſine aquæ fuſu curaſſet? Cui ergo rei aquam cum ſangnine impetuoſo fluxu ſcaturientem profundit? An vt qui Sanguine viuos abluebat, aquâ lauaret defunctos? An vt Animarum Purgatorij flammas extingueret, eiſq; Paradiſi viã aperiret? Ita cenſet D. Petrus Chryſologus. ſer. 123. de diuite, & Lazaro. *De latere fundit aquam, vt Paradiſi viam temperet, ignem ex parte Sanctorum extinguat inferni.* Infernas Purgatorij flammas, quibus animæ ſanctorum cruciabantur, paſſione ſuâ Chriſtus extinxit, & ad eas extinguendas in Caluariȩ loco ſimul cum ſanguine aquam effudit.

Moriens clamauit, vt mortuos excitaret.

14 Prius autem, quàm illã effunderet, magnâ emiſsâ voce ſpiritum quoq; in Patris manus commendatũ emiſit *Ieſus autem iterum clamans voce magnâ emiſit ſpiritum,* Matth. 27. 10. Vt quid clamans expirauit, qui *tanquã Agnus corã tondente ſe* omni pȩnarum genere afflictus *obmutuit?* Cur qui viuens, Pilato interpellãte, nõ reſpondit, moriens, nemine interrogante, clamauit? vt Vox quam in cruce ſuſpenſus emittebat, mortuos è monumẽtis emitteret, eiſque moriens immortalis vitȩ gaudia cõmunicaret. Opportunus adeſt in hunc locũ D. Ioan. Chryſ. *Virtutis eis demonſtratio vox illa fuit, quòd corpore in Cruce ſuſpenſo, mortuos excitarit* Chriſti patientis pietatem in defunctos vox illa oſtendit, quã os aperiens, monumenta reſerauit, & vt mortuos excitaret, moriens clamauit.

D. Ioannes Chryſ.

Chriſtus patiens flos eſt.

15 Coronidẽ capiti huic impono, dum titulũ Chriſti capiti ſuper poſitum expendo, quẽ ſcribens Pilatus in Crucis vertice iuſſit affigi. Erat autem IESVS NAZARENVS REX IVDEORVM Io. 19. 19. Expende illud NAZARENVS, quod D. Hieronymus florẽ interpretatur נצר *netzer*. enim Hebraicè, flos eſt latinè, quare vbi legimus *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Ierem. 11. 1. ipſe legit ex Hebræo *Exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius conſcendet* commentario in cap. 2. Matth. Flos igitur voluit Chriſtus crucifixus appellari, ſed quare, niſi, vt innueret ad ſuȩ pietatis odorẽ homines viuificari defũctos? Quod ex his D. Bernardi verbis ſerm. 2. in aduentu domini habes. *Flos itaq; filius Virginis, flos cãdidus, & rubicundus, electus ex millib⁹. Flos, in quẽ proſpicere deſiderant Angeli,* AD CVIVS ODOREM REVIVISCVNT MORTVI. In ſuâ paſſione diuinȩ pietatis odore mortuos Chriſtus, & recreabat, & viuificabat, ideoq; titulũ Cruci voluit affigi, qui Nazaræum ſe declararet, ſeu florem. Ex his pietatẽ in mortuos Chriſti antè mortem patientis iam manifeſtè arbitror declaratam.

ad cuius odorem reuiuiſcunt mortui.

D. Hieron.

D. Bernardus

CAPVT XVII.

Defunctorum Animas ad Cœlum erigit, dum Chriſtus ad Lymbum deſcendit.

Poſt mortem Chriſtus non ſtatim reſurrexit, vt mortuis remedia conferret.

1 NEquaquã cum Chriſto mortuo eius pietas in defunctos mortua fuit, ſed etiam in abeunte amor vixit, quo incẽdebatur in mortuos. Quem vt nobis patefaceret, non ſtatim poſt mortem ad Vitã reſurgere, ſed inferos viſitare, ac lymbum per triduũ inhabitare decreuit. Vt quid enim ad lymbũ anima eius deſcendit, niſi vt mortuorũ animabus vitæ remedia conferret? vt quid inferos adijt, niſi vt ſuperos defuncti adirent? Vt quid ad terræ centrũ deſcendit, niſi vt illi ad Cȩli thronũ aſcẽderent? Ab Euſebij Emiſſeni calamo homil 1. de ſymbolo id habes. *Ideò nõ ſtatim, ſed poſt diẽ tertiã reſurrexit, vt intelligeremus illum verè guſtaſſe mortem, &* INFEROS VISITASSE, ET MORTVIS REMEDIA CONTVLISSE. Ad viuos ſtatim rediuiuus non redijt, vt ad mortuos ſtatim mortuus deſcenderet, eoſque viſitans ad vitam æternam transferret.

Euſebius Emiſſenus.

Ad Lymbum deſcendit, vt animas ibi captiuas inde eriperet.

2 Videri etiã poſſit Deus eodẽ reſpexiſse, cum poſt ſemen longæuum Abrahæ promiſsũ, poſtq; peregrinationẽ Iſraëlitarũ eidem prædictã, dixit illi. *Tu autẽ ibis ad Patres tuos in pace.* Gen. 15. 15. Quæ verba Chriſti humanitati à Sanctiis. Trinitate dicta vult Carth. eaq; myſticè interpretans, illius nomine ita loquitur. *Tu autem ibis ad Patres tuos in Pace, deſcendendo in lymbum Patrũ.* Sed quò deſcenſus iſte tẽdebat? Protinus ſubdit: *vt eos indè educas.* Iuit Chriſtus ad Patres ſuos, cùm ad Patrũ lymbum deſcẽdit, vt ſanctorum defũctorum animas ibi captiuas è tenebris eriperet, atq; ad ȩternæ lucis conſortium adduceret.

Dion. Carth.

Chriſtus mortuus mortuorũ liberator.

3 Quò itẽ ſpectat eccleſia, dũ in incruẽto miſſ. ſacrificio pro animarũ Purgatorij liberatione orans, ad Chriſtũ preces dirigit ſuas dicens. *Domine Ieſu Chriſte libera animas omniũ fideliũ defunctorũ de pȩnis inferni, & de profundo lacu.* Cũ alias orationes

pro

Digitized by Google

pro mortuis fundit, eas ad Deũ Eccleſia dirigit. *Requiem æternam dona eis* DOMINE. *Fidelium animæ per miſericordiam* DEI *requieſcant in pace. Abſolue* DOMINE *animas omnium fidelium defunctorũ ab omni vinculo delictorum. Memento etiam* DOMINE *famulorum, famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.* Cùm verò de illis liberandis agit, Ieſum Chriſtum interpellat, eique preces pro purgatorij animarum liberatione offert. Quamobrem quæ pro memoriâ, pro requie, ac pro ſolutione defunctorum Deum rogat, pro eorumdem liberatione Chriſtum exorat? Nùm vt Chriſtum, ex quo inter mortuos apparuit, & inferna viſitauit, defunctorum liberatorem eſſe teſtetur? Feſtiuè Sanctus Athanaſius homil de ſemente. *Ieſus propter nos mortuus eſt, & deſcendit ad inferna in medio mortuorum, & inter mortuos incedens, non ſolùm liber, ſed &* LIBERATOR MORTVORVM ERAT, *atque vt diſcas eum eſſe* MORTVORVM LIBERATOREM, *Audi Euangelij verba. Et multa corpora ſanctorum, qui dormierant ſurrexerunt.* Dum Chriſtus mortuus ad inferos deſcendit; mortuos ab inferis liberauit; atque iccircò ad eum tanquam ad mortuorum liberatorem diriguntur, quæ pro mortuis liberandis Eccleſiæ preces funduntur.

D. Athanaſius.

4 Egregiè quoque Regius pſaltes hanc fulcit veritatem, dum Chriſtum vinctorum appellat eductorem. *Qui educit vinctos in fortitudine.* Pſal. 67. 7. Quando enim vinctos in fortitudine Chriſtus eduxit, niſi cùm ad Lymbum deſcendens, defunctorum animas tenebrarum vinculis ibi detentas diuinâ fortitudine liberauit? Vinctos eduxit, qui vinciri non potuit, & ad tenebras veniens, in tenebris, & in vmbrâ mortis ſedentibus æternæ vitæ lucem donauit. Placet Dionyſius Carthuſianus locum prænotatũ ſic verſans. *Qui, ſcilicet Chriſtus educit Vinctos, id eſt Patres, & iuſtos omnes antiqui temporis in lymbo olim detentos, in fortitudine propriâ diuinâ.* Diuinâ fortitudine mors mortis Chriſtus effectus, mortuos mortuus adiuuit, & mortis vinculis ſolutos ad gloriæ vitã eduxit.

Defunctos in lymbo vinctos in fortitudine ſuâ eduxit.

Dionyſius Carthuſianus

5 Et hæc cauſa eſt, cur, qui, diabolo vrgente, de pinnaculo templi ad ſolum deſcendere renuit, nemine cogente, de faſtigio Cęli ad inferos iactare ſe voluit; non ſe dedit de pinnâ ad terram, vt ſuam oſtenderet diuinitatem, ſed ſe demiſit de terrâ ad Infernum, vt ſuam manifeſtaret pietatem. Vt diabolum confunderet deorſum non cecidit, vt mortuos adiuuaret inferna penetrauit. Sicque factum eſt, vt qui præcipitando forma noluit videri cadentium, deſcendendo, reſurrectio fuerit defunctorum. Disertè, vt ſolet, ac appoſitè D. Petrus Chryſologus ſerm. 12. *Non de pinnâ templi tantùm ſe dedit ad terram, ſed de cœlis ſe ad inferos vſque iactauit,* VT NON CADENTIVM FORMA, SED ESSET RESVRRECTIO MORTVORVM. Magis Chriſtus gliſcebat ſe in mortuos pium, quam Deum oſtendere, vndè qui noluit, vt Deus videretur, ad terram ſe de mittere, voluit vt defunctis pietatem impẽderet, ad eos vſq; ad terræ centrũ deſcẽdere,

Magis, quàm ſuam diuinitatem, ſuam oſtendere voluit in mortuos pietatem

D. Petrus Chryſologus.

6 Nec immeritò quidẽ, neq; enim miſericordiæ plenitudinem Chriſtus oſtendiſſet, niſi mortuorum animas liberaturus, ad inferos deſcendiſſet. Chriſtum iniuſtè pro iniuſtis damnatum, & piè pro impijs mortuum, ſpiritus, qui in inferorum carceribus claudebantur prædicaſſe docet D. Petrus his verbis. *In quo, & his, qui in carcere erant, ſpiritibus, veniens prædicauit.* 1. Petri 3. 19. At quid animabus mortuorum à corporibus iam egreſſis, & à ſtatu merendi alienis Chriſtus prædicauit? Ad morum compoſitionem, vitęque tendit prędicatio emendationem; qui autem mores componere, aut vitam poterant defunctorum ſpiritus emendare? Nunquid poteſt homo poſt mortem ſe corrigere, & ad normã rationis præteritos actus dirigere? nequaquam, nec defunctorũ ſpiritibus prædicauit Chriſtus emendationem, ſed dimiſſionem, quam niſi mortuis quoque deſcendens ad Inferos prædicaſſet, pietatem ſuam vndequaque plenam non declaraſſet. Præclarè D. Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Io. cap. 3. *Triduum reuixit, cùm etiam ſpiritibus prædicaſſet:* SIC ENIM PLENA MISERICORDIA OSTENDITVR, *ſi non ſolùm viuis in hoc mundo, verùm etiam morte oppreſſis, & in tenebroſis receſſibus abyſſi ſedentibus dimiſſionem prædicauerit.* Tunc ſuæ plenitudinem miſericordiæ Chriſtus oſtendit, cùm viuorum miſertus, ad inferos poſt mortem deſcendit, mortuorum quoque animas à tenebrarum carceribus dimiſſurus.

Plenam miſericordiam oſtendit, cùm apud Inferos mortuis dimiſſionem prædicauit.

D. Cyrillus Alex.

7 Totum id explicauit D. Maximus Taurinẽſis homil 2. de Pentecoſte, cùm Chriſtum Aquilæ, cuius innouata legitur iuuentus cõparauit. *Renouabitur, vt Aquilæ iuuentus tua* pſal. 102. *Meminit, inquit, ſanctitas veſtra, quòd Aquilæ illi de Pſalterio, cuius innouatam iuuentutẽ legimus, comparauerim ſaluatorem: eſt enim ſimilitudo nõ parua. Sicut enim Aquila humilia deſerit, alta petit, Cœlorũ vicina cõſcendit, ita & ſaluator humilia inferni deſeruit, paradiſi altiora petijt, cęlorum faſtigia penetrauit, & ſicut aquila relictis terrenis ſordibus ſublime volans purioris aëris ſalubritate perfruitur, ita & Dominus terrenorũ fæcẽ deſerens peccatorum in ſanctis ſuis volitans, purioris vitæ ſimplicitate lætatur.* Appoſita quidem, & eleganter expoſita cõparatio, ita vt iurè ſubdere poſſit. *Per omnia igitur Aquilæ cõparatio conuenit Saluatori.* Vnum ſupereſt, in quo Aquilæ diſſimilis Chriſtus apparet, in prędę videlicet direptione, ac rei alienę occupatione. Nunquid prædam diripuit, qui ſe Iudæorum eius vitæ laqueos tendẽtiũ prædam effecit? Nũquid abſtulit aliena, qui proptereà venit, vt largiretur propria? Verùm neque in hoc Aquilæ diſſimilis Chriſtus fuit, prædam enim ipſe quoq; ſuſtulit, cũ defunctorũ animas ab inferis ereptas ad cœlũ portauit. *Sed quid ſicimus, verba ſunt eiuſdẽ Patris, quòd Aquila prædam frequenter diripit, tollit frequenter alienũ? nec in hoc tamẽ diſſimilis eſt ſaluator; prædam enim quodammodo ſuſtulit, cùm hominem, quẽ ſuſcepit, inferni raptum faucibus portauit ad cęlũ.* In eo quoque Aquilæ ſimilis Chriſtus fuit, quòd prædã deſcendens diripuit, dũ videlicet inferiores terrę partes poſt mortẽ pene-

Prædam inſtar Aquilæ ad inferos deſcendens diripuit.

D. Maximus

trās, mortuorū añas ab inferis rapias ad ſuperos tráſtulit,&ė tenebris erutas ad cęleſtē lucē euexit.

Alter Ioſeph ſecum in inferorum carcere cõcluſos liberauit.

8 Conducit ad pręſens inſtitutum quod Patriarchæ Ioſeph contigit, dum venditus á fratribus, accuſatus á muliere, moleſtatus ab hero in regium carcerem pudicitiæ cauſá innocens coniectus fuit. Cuſtodis namque gratiam nactus, vniuerſos vinctos, qui in cuſtodiá clauſi tenebantur in poteſtate habuit, ac nonnullos ex ipſis è carcere Pharaonis mandato eductus indè ſuá interceſſione liberauit. *Dedit ei gratiam in conſpectu Principis carceris, qui tradidit in manu illius vinctos, qui in cuſtodiâ tenebantur, & quidquid fiebat, ſub ipſo erat.* Geneſ. 39. 21. Quem verò alium iſte Ioſeph præfigurat, niſi Chriſtum,qui è carcere inferni, quo poſt mortem concluſus fuerat, eductus,defunctorum animas ibidem vinctas mortis victor liberauit. Hoc voluit Euſebius Emiſſenus homil. 7. de Paſchâ. *Legimus Beatum Ioſeph carcerem, in quem ipſe miſſus fuerat, in poteſtatem habuiſſe, ex eo etiam alios liberaſſe. Ecce Ioſeph noſter non ſolū illo inferni carcere, quo concluſus fuerat, nō tenetur,ſed etiā alijs per eū mortis clauſtra laxantur* Ad carcerem Inferorū Chriſtus deſcendit,vt in regnum Cœlorū animas inueheret, ac mortis clauſtra moriens adijt, vt vitę gaudia mortui adirent.

Euſebius Emiſſenus.

Tranſiens per Infernorum Aegyptū ſanguinis ſui fide ſignatos liberauit.

9 Quod idem innuit Angelus ille, qui per Aegyptum tranſiens,cęſis Ægyptiorum primogenitis Iſraëlitas, qui domorum ſuperliminaria ſanguine Agni obliniuerant, à captiuitate, non percuſſor, ſed ſaluator eduxit. *Tranſibit enim Dominus percutiens Aegyptios, cùmque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in vtroque poſte tranſcendet oſtium Domûs, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.* Exod. 12. 23. Audiamus quæſo Rupertum Abbatem, lib. 2. in Exod. cap. 14. hæc myſticè interpretantem, & Chriſto ad Inferos deſcendenti eleganter tribuentem. *Tranſiuit ille de hoc mundo quidem, qui, & ipſe quodammodo dicitur Aegyptus, tranſiuit per Aegyptum inferiorem, ideſt infernum, qui ſecundùm nomen Aegypti verè iam tenebroſus eſt, & locus horridus, & quoſcunque illic inuenit dignos filios Iſrael ſignatos fide Sanguinis ſui, à Iuſto Abel, qui primum in typum illius obtulit agnum, vſque ad latronem, quem ſanguine hoc ſignauit in ipsâ horâ tranſitus ſui, cunctos liberauit, percutiendo primogenitum Pharaonis, ideſt peccatum primæ prænaricationis, quod originale dicitur, quod perſuaſio Diaboli generauit.* Hactenus Rupertus, qui ad rem noſtram, nec luculentiùs loqui poterat, nec elegantiùs. Tranſiuit quidem Chriſtus, dum ex hoc mundo moriens tranſiuit, per tenebroſam Inferni Aegyptum, ſed vt quoſcunque in tenebris illis captiuos reperiret verâ libertate donaret,ac ad cœleſtem Ieroſolymam veram pacis viſionem æternùm beandos transferret.

Rupertus Ab.

In omni terrâ fletit quia non dum in terrâ viuorum, ſed etiā fletit in terrâ mortuorum.

10 Hinc rectè intelligemus cur Chriſtus de ſe ipſo dixerit Eccleſiaſtici 14.8. *In omni terrâ fleti:* indicare nimirùm voluit, ſe habitaturū in mundo, & in inferno, in terrâ viuorum, & in terrâ mortuorum. Adeſt Hugo Cardinalis in hunc locum. *In omni terrâ fleti, ideſt in terrâ viuentium, & in terrâ morientium, & in terrâ mortuorum, & in cælo, & in inferno, & in mundo.* Verùm ad quid Rex viuentium ad terram deſcendit mortuorum? Vt ſicut omnipotentiæ ſuæ miraculis illuxerat viuis, ita pietatis ſuæ radijs illuceret, & mortuis. Præclarè D. Damaſcenus. *Deſcendit in infernum anima deificata vt quemadmodum his, qui in terrâ verſabantur, iuſtitiæ ſol ortus erat, ita etiam ijs, qui ſub terrâ in tenebris, & in vmbrâ mortis ſedebant, illuceret.* Hactenus ille lib. 3. de fide Ortod. cap. 29. Nedū in terrâ,ſed etiam ſub terrâ diuinæ iuſtitiæ ſol ſuæ radijs pietatis illuxit, vt nō tātùm viuos, ſed etiam ſuâ preſentiâ liberaret defunctos.

Hugo Card.

Damaſcenus.

Omnes purgatorij animas ex dulcedine ſua miſericordia liberauit.

11 Ex quo patet, quàm verè dixerit D. Vincentius Ferrerius Sermone in Sabbato Sancto Chriſtum ad inferos deſcendentem, nedum lymbi animas, verùm etiam omnes purgatorij ſpiritus liberaſſe: omnes enim tùm lymbi, tùm purgatorij animas fide ſanguinis ſui reperit ſignatas. Quamuis enim, ſi rigorem ſpectemus iuſtitiæ,non omnes protinus liberaſſe videatur, id tamen concedere congruentius apparet, ſi ad dulcedinem attendamus miſericordiæ. *Quaſtionem faciunt*, inquit D. Vincent. *Doctores, & Beatus Thomas in 3. parte queſt. 52. a 8. Vtrum Chriſtus liberauit omnes animas, quæ erant tunc in Purgatorio? Ad quaſtionem illam oportet reſpondere per diſtinctionem, ſecùndùm quod de iſtâ materiâ poſſumus loqui dupliciter, vel per rigorē iuſtitiæ, vel per dulcedinem miſericordiæ; ſi loquamur primo modo, non liberauit, niſi illos ſolùm, qui compleuerunt tempus pænitentiæ, & iſtam viam ſequitur B. Thomas in 3. part. Si autem loquamur de dulcedine miſericordiæ, poſſumus dicere, quòd omnes liberauit.* Tā pius ergà purgatorij animas extitit, dū ad inferos Chriſtus deſcēdit,vt omnes licet liberari nō poſsēt ex rigore iuſtitię,ſuę liberauerit dulcedine miſericordię.

Omnes mortuos in ſe ſperantes ad lymbum deſcendēs illuminauit.

12 Huc referri poteſt, quod ſapiens Chriſti nomine dixit Eccl 24.45. *Penetrabo inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Quæ verba eodem loco ad id probandum, quod docuerat, afferens Diuus Vincentius Ferrerius ita commentatur. *Authoritas ſapientis in perſonâ Chriſti. Penetrabo inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormiētes,ideſt omnes mortuos,& illuminabo omnes ſperātes in Dñ) lumine gloriæ diuinæ.* Omnes mortuos quoſcunque reperit ſperantes in Dño, penetrans Chriſtus inferiores partes terrę, ſuę miſericordię benignitate reſpexit, ac diuinæ glorię lumine illuſtrauit.

Idem.

Omnia traxit, cū neminē ex electis apud Inferos reliquit.

13 Pro capitis coronide adijciam, quod ipſe Chriſtus turbæ dixit Patris vocem de cœlo delapſam admirāti. *Et ego,ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipſum*, Io. 12 32. Quid Chriſtus traxit, cùm exaltatus à terrâ in cruce pependit? An omnia traxit,qui omnia indumenta ſua inter milites diuiſa conſpexit? An omnia traxit, qui nulla pro nobis pœnarum opprobia ſuſtinere omi-

omiſit? Omnia traxit quia omnes electorum ſuorum animas, quas ad inferos deſcendens captiuas reperit, ad ſe benignus traxit, & ad cœlum exultans portauit. Audiendus D. Auguſtinus ſermone 2. in die Paſchę prçclarè id confirmans. *Omnia traxit, qui de electis ſuis apud inferos nullum reliquit. Omnia abſtulit vtique electa. Neque enim infideles quoque, & pro ſuis criminibus æternis ſupplicijs deditos ad veniam Dominus reſurgendo reparauit, ſed illos ex inferni clauſtris rapuit, quos ſuos in fide, & actibus recognouit.* Quoſcumque apud inferos electos, & ſuos inuenit, omnes ſiue in Lymbo, ſiue in Purgatorio exiſtentes ad ſe traxit, & ab inferni Clauſtris ad Paradiſi amęna perduxit; ita vt conſtet Chriſtum ad Lymbum deſcendentem animas ad Cœlum erexiſſe defunctorum.

D. Auguſt.

CAPVT XVIII.

Pium ſe mortuis Chriſtus exibuit, cùm poſt mortem immortalis reſurrexit.

Reſurgens Chriſtus, non tantùm ſuâ, ſed etiam aliorum mortuorum reſurrectionem procurauit.

1 ORrdinem noſtrum continuate pergo, & Chriſti poſt mortem reſurgentis pietatem in defunctos declaro. Scribens ad Romanos Paulus, Chriſtum, quem ſemper in mẽte ſcriptum habebat, prædeſtinatum ait filium Dei, ex reſurrectione mortuorum his verbis. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ſecundùm ſpiritum Sanctificationis ex reſurrectione mortuorum* ad Rom. 1. 4. Vbi meritò ponderandum occurrit, cur non dixerit Apoſtolus Chriſtũ ex reſurrectione ſuâ prædeſtinatum fuiſſe, ſed ex reſurrectione mortuorũ? Quid Chriſti electioni cum hominum vitâ, vt ex mortuorum reſurrectione illius prædeſtinatio fuiſſe dicatur? An non Chriſti ſufficiebat reſurrectio, ſed aliorũ quoque requirebatur mortuorũ viuificatio? Non id Paulus voloit, ſed nobis demonſtrauit Chriſtum reſurgentem, non ſuam tantùm, ſed aliorum quoque reſurrectionem procuraſſe mortuorum. Siſto hic Haymonis verba, quibus hunc locum doctè æquè, ac opportunè illuſtrat. *Nobis demonſtrauit quia ſicuti reſurrectionem ſuam procurauit, ita quoque multorum corpora, & animas pariter reſuſcitauit ſecum, tam illorum de quibus dicitur. Multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexerrunt, quàm etiam omnium electorũ.* Non ſuum tantùm corpus reſurgens ex mortuis Chriſtus viuificauit, ſed alijs quoque mortuis vitã plus donauit, quapropter non ſolùm ex ſuâ ſed ex mortuorũ reſurrectione prędeſtinatus appellator.

Haymo.

Reſurrectionẽ ſe vocat, quia reſurrectionis mortuorum cauſa fuit.

Dionyſius Carthuſ.

2 Quin & ipſe apud Ioan: cap. 11. 25. ſe reſurrectionem apellauit, ac vitam. *Ego*, inquit, *ſum reſurrectio, & vita. Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet.* Quo pacto autem reſurrectio ſit Chriſtus, ac vita, explicat in hunc locum D. Dionyſius Carthuſianus his verbis. *Secundùm vtramque naturam eſt Chriſtus cauſaliter reſurrectio: ſecundùm diuinam, quoniam virtute diuinâ fiet in die iudicij generaliter, & interim facta eſt particulariter reſurrectio mortuorum. Secundùm humanam quoque naturam, inquantùm reſurrectio Chriſti ponitur cauſa exemplaris noſtræ reſurrectionis.* Adeò in mortuos pius reſurgens ex mortuis Chriſtus fuit, vt eius reſurrectio cunctorum cauſa extiterit reſurrectionis mortuorum.

Tanquam à cauſâ ad effectum, à Chriſti reſurrectione, ad reſurrectionẽ mortuorum arguitur.

3 Alluſum hùc à Paulo, dum à Chriſti reſurrectione ad omnium arguens reſurrectionem defunctorum. *Si mortui*, inquit, *non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit* 1. Corin. 15. 16. Quæ rogo eſt huius vis conſequentiæ, vt ſi à morte mortui non reſurgunt, à mortuis Chriſtus nõ reſurrexerit? nõne poterat ſolus à mortuis reſurgere, qui ſolus mortis vincula tenens, vitæ omnium ſolus author eſt, atq; Creator? Nunquid à mortuorum reſurrectione Chriſti reſurrectio dependebat, adeò, vt ipſe non reſurgeret, niſi mortui quoque reſurrectionis beneficio fruerentur? Cur non poterat, mortuis in mortis tenebris remanentibus, ad immortalis vitę lucem ſolus ex monumento prodire rediuiuus? Poterat vtique, ſed alia, & ab eâ, quæ nunc fuit, longè diuerſa reſurrectio fuiſſet. Chriſti enim reſurrectio, quæ extitit, reſurrectionis defunctorum omnium cauſa fuit. Habet iſtud Hugo Cardinalis in Epiſtolã ad Rom. cap. 8. *Reſurrectio Chriſti eſt cauſa motiua noſtræ reſurrectionis. Ex hoc, enim quòd Deus Pater fecit Filium ſuum reſurgere, mota eſt eius liberalitas, vt nos faceret reſurgere cum illo.* Rectè à Chriſti reſurrectione arguit Paulus ad reſurrectionem mortuorum; per Chriſti namque reſurrectionem, ſuę reſurrectionis arrham cuncti recepere defuncti.

Hugo Cardinalis.

A Chriſto reſurgente vitã habuerunt defuncti.

4 Id prophetico ſpiritù Iacob futurum prædixit, cùm filijs ſuis benedicens, locumque ſuæ ſepulturæ declarans, eis præcepit, vt cadauer ſuum in ſpeluncâ Ephron, in terrâ Chananæorum humarent. *Sepelite me cum patribus meis in ſpeluncâ duplici, quæ eſt in agro Ephron Hethæi contrà Mambre in terrâ Chanaan.* Gen. 49. 29. Cur potiùs in regione Chananęorum Iacob humari voluit, quàm in terrâ Aegyptiorum? Vt quid tanta illi ſui corpuſculi cura fuit, vt non cuilibet fineret, ſed auito iuberet illud mandari ſepulcro? Rationem reddit his elegantibus, & ad rem noſtram accõmodatis verbis D. Petrus Damianus ſerm. de traſlatione Sancti Hilarij. Iacob enim, cæteroſque Patriarcas ibi condi maluiſse ait. *Vt illic eorũ corpora ſuam expectarent Reſurrectionem, vbi reſurrecturum eſſe cognoſcebant ipſum Beatæ reſurrectionis authorem.* Nouerant Sancti Patres Chriſtum reſurgentẽ reſurrectionis mortuorũ futurum authorem, atque adeò ibi ſepeliri volebant, vbi reſurrecturus erat, vt per Chriſti reſurrectiunẽ ſuæ reſurrectionis reciperẽt arrhabonẽ. Quod magis cõfirmans Lyranus in Gen. 47. dixit Iacob fortè præuidiſse, quòd Chriſto reſurgẽte, multa defunctorũ corpora cum eo reſurrectura erãt, de quorum numero etiam ſuum fore ſperabat. *Forſitan* (verba ſunt Lyrani) *videbat in ſpiritu, quòd cum Chriſto reſurgente, reſurgerent multi Sancti iam defuncti, vt habetur Matth. 27. & ſperabat cum eo reſurgere.* Sperabat beatus ſenex cum Chriſto reſurgere, Chriſtum enim reſurgentem, reſurrectionis defunctorum cognoſcebat authorem.

D. Petrus Damianus.

Lyranus.

Chriſtus reſurgẽs primogenitus dicitur Mortuorum.

5 Ex his autem lucem accipiet locus Apocalypſis, in quo Chriſtus mortuorum primogenitus appellatur. *Qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum*. Apoc. 1. 5. Quî fieri potuit, vt eſſet Chriſtus mortuorum primogenitus, dum alij ante ipſum à morte reſurrexerunt defuncti? Nonnè ante ipſum Viduę Sarephtanę filius, Eliâ reuocante, ſurrexit? Nonnè Sunamitidis mulieris natum preces Eliſæi reuocauerunt ad vitam? Nonnè alium eiuſdem Prophetæ oſſa poſt mortem ſuſcitarunt defunctum? Quomodo ergò cùm iſti, & alij ante Chriſtum reſurrexerint mortui, mortuorum primogenitus poteſt ipſe vocari? Nodum ſoluit Magnus Albertus, inquiens Chriſtum primogenitum fuiſſe mortuorum, eò quia eius reſurrectio cæterorum cauſa fuerit reſurrectionis mortuorũ. *Ideò*, inquit Albertus in Ioann. cap. 11. *dicitur primogenitus mortuorum, quoniam* SVA RESVRRECTIO *in fide credita, cauſa eſt reſurrectionis mortuorum*. Primogenitus dicitur Chriſtus mortuorũ, quatenus eius reſurrectionis gratiâ cuncti à mortuis reſurgunt defuncti.

Alb. Magnus.

Defunctorum doloribus ſolutis reſurrexit.

6 Facit ad rem præſentem, quòd Petrus poſt Chriſti aſcenſionem Spiritu Sancto repletus Iudæis variorum idiomatum facundiam in Apoſtolis admirantibus, omni timore depoſito dixit, Deum ſolutis videlicet inferni doloribus à mortuis eum ſuſcitaſſe. *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni*. Actor. 2. 24. Qui nam vero hi fuerunt inferni dolores, quos Chriſtus tunc ſoluit, cùm rediuiuus à morte reſurrexit? Vtiq; dolores, quibus apud inferos cruciabãtur ſanctorum animæ defunctorum. Chriſti namque reſurrectio pœnas mitigauit inferorum, & dolores ſoluit defunctorum. Accinit Beda in Gloſſâ explicans hunc locũ. *Videtur eſſe ſenſus huius ſententiæ, quia* DOMINO AD INFEROS DESCENDENTE, *dolores pœnarum ſoluti ſunt, quia eum tangere non potuerunt, ſed iuxtà Græcum, in quo ſcriptum eſt. Soluẽs per ipſum mortis dolores, iuxtà quod impoſſibile erat teneri illum ab eâ, patet, quia* PER DESCENSVM EIVS LIBERATI SVNT SANCTI A' LOCIS INFERNORVM. Adeò pius erga defunctorum animas Chriſtus reſurgens fuit, vt ſuâ reſurrectione, illos à locis liberauerit inferorum, & ad gaudia tranſtulerit Angelorum.

Beda.

Reſurrectio Chriſti Paſcha dicitur, quia in eâ tranſierũt ab inferis ad ſuperos defũcti.

7 Quare non immeritò diem feſtum Chriſti reſurrectione inſignem Paſchatis nomine inſignimus. Quod nomen tranſitum ſignificat, פסח enim hebraicè, ſignificat latinè tranſitum à פסח, quod eſt tranſire. At cur Paſcha, ſeu tranſitus feſtum Chriſto reſurgenti ſacrum à Chriſti fidelibus nuncupatur? An quia eo reſurgente ab inferis ad ſuperos ſanctorum animę tranſierunt defunctorum? Profectò id voluit Petrus de Natalibus in prologo, in diuiſione operis Catalogi ſanctorum. *Ideò tale feſtum Paſcha, id eſt tranſitus dicitur, quia ſcilicet humana natura de Tartaro erepta ad Cælos aſcenſura tranſiuit*. Iurè dies reſurrectionis tranſitus appellatur, quia tranſeunte Chriſto à mortuis ad viuos, tranſierunt mortui ab inferis ad Cœlos.

Petrus de Natalibus.

Acceleratam petijt Reſurrectionem, vt defunctorum accelerarct liberationem.

8 Ex quo factum eſt, vt alloquens Chriſtus apud regium Pſaltem æternum Patrem, ipſum exorauerit, vt aurem ad ſuas preces benignus inclinans, ad ſe celeriter eruendum feſtinaret. *Inclina ad me aurem tuã, accelera, vt eruas me*. Pſal. 30. 3. Vndè quæſo erui tanto ardore poſcebat, niſi ab inferis, quò deſcenderat morte functus, vt vitam mortuis donaret? At cur erui adeò celeriter indè popoſcit? Vt mortuos ſecum euelleret, & ſanctis inferorum animabus liberationem ſuâ reſurrectione accelerarct? Habeo Hugonem Cardinalem ad hanc mentem Pſalmi locum explicantem. *Accelera, id eſt citò reſuſcita me poſt tres dies, vt euellas me cum meis de lymbo*. Nouerat Chriſtus, ſe reſurgente ſanctas inferorum animas à pœnis eruendas; ideòq; acceleratam à Patre petijt reſurrectionem, vt reſurgens accelerarct defunctis liberationem.

Hugo Card.

Vt ab inferis educerẽt, expectabant defuncti Chriſti reſurrectionẽ.

9 Neque alio explicatu alius Pſalmorum locus eſt donandus, vbi animã ſuam de cuſtodiâ educi poſtulat, ſubditq; ſuã iuſtos expectare retributionem. *Educ de cuſtodiâ animam meam ád cõfitendum nomini tuo, me expectant iuſti donec retribuas mihi*. Pſalm. 141. 8. Ad quem locum Dionyſius Carthuſianus hæc ad rem noſtram habet. *Me expectant iuſti exiſtentes in Lymbo, donec tribuas mihi præmium accidentale, quod patiendo promerui, videlicet reſurrectionem Beatam, non enim educi potuerunt, donec* CHRISTVS A' MORTE RESVRREXIT. Expectabant ſanctæ inferorum animæ Chriſti reſurrectionem, per quam à pœnis educi, & ad patriam Paradiſi poſſent perduci.

Dion. Carth.

Diebus Dominicis reſurrectioni ſacris à ſupplicijs feriãtur animæ defunctorum.

10 Sed quid mirum, quòd tantam, Chriſto reſurgente, defuncti expectarent pietatem, dum nũc quoque quolibet die Dominico animæ defunctorũ à ſupplicijs feriãtur, & pro Dominicę reſurrectionis gloriá refrigerio potiuntur? Hoc debemus D. Petro Damiano lib. 2. epiſtolâ ad Deſideriũ 14. ita loquenti. *Secundùm virorum illuſtrium pias opiniones, atque ſententias, qualibet animæ defunctorũ in diebus dominicis requieſcunt, atq; à ſupplicijs feriãtur*. Adeò pius in defunctos extitit Chriſtus à morte reſurgens, vt voluerit defunctorum animas qualibet die dominicâ ſuæ reſurrectioni dicatâ, in pœnarum ergaſtulis requieſcere, atq; à ſupplicijs, quæ apud inferos patiuntur, feriari.

Pet. Damian.

Poſt reſurrectionem Cæli obſtacula remouet.

11 Caput finiam ſi id adijciam quod aduertit D. Vincentius Ferrerius ſer. de Octauâ Sãn. Stephani. Obſtacula videlicet, quæ animabus defunctorum introitum in Paradiſum impediebãt, Chriſto à mortuis reſurgente, atque ad Cœlum poſt reſurrectionem aſcendente, fuiſſe remota. Quapropter cùm aſcenderet dictum eſt. *Att llite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales*. Pſal. 23. 7. Poſt reſurrectionem enim ſuam Cęli portas defunctis iam pridem occluſas Chriſtus reſerauit, eoſque gaudia æterna cum angelis fruituros ſecum ad paradiſum euexit. Aptè D. Vincentius. *Erant prius obſtacula quædam, quibus obſiſtentibus, animæ defunctorum introire non poterant*

D. Vinc. Ferr.

terant

terant Cœlos. Sed nota, qualiter CHRISTO ASCENDENTE *obſtacula amota ſunt, iuxtà quod tangit propheta Dauid. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales.* Omnia poſt reſurrectionem ſuam aſcēdens ad Cœlum remouit Chriſtus obſtacula, quò defunctis liber in poſterum pateret ingreſſus, nobiſque liquidò conſtaret, piū ſe mortuis Chriſtum exhibuiſſe, cùm poſt mortem immortalis reſurrexit.

CAPVT XIX.

Quæ Chriſtum videntur probare in defunctos minùs pium, diluuntur.

Gauiſus eſt Chriſtus in Lazari morte, quia eum ſuſcitare debeat.

1 QVædam in ſacris codicibus leguntur, quæ Lectoris mentem obnubilare poſſunt, quippè quę Chriſtum non fuiſſe in mortuos adeò pium, vt diximus, ſi haud probè intelligantur, probare videntur. Hæc autem, vt Chriſti pietas magis eluceſcat, in capite hoc elucidabo, eumq; in ijs etiā demonſtraſſe in mortuos miſericordiam, demōſtrare conabor. A'gaudio igitur quo, Lazaro defuncto, eſt affectus, exordior, & verba expendo quibus Apoſtolos allocutus, internam cordis exultationem, externā oris prolatione patefecit. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo* Ioann. 11. 14. Plorandum in amicorū morte, non exultandum; luctu enim defunctis iuſta perſoluimus, non gaudio. Quis vnquam verè amicus, amici vitâ ſublati, de illius morte ſe gaudere teſtatur? An non in hoc ab hoſtibus diſcrepant amici, quòd hoſtes gaudent, amici verò de morte lætantur defuncti? Quomodo igitur Chriſtus, Lazaro mortuo, non dolet, ſed gaudet? Amico extincto, non triſtatur, ſed lætatur? Lætabatur, non quia morte præuentus, ſed quia erat à morte auocandus; gaudium enim Chriſti, pietatis eſt exercitium, quo reſurgunt defuncti. Hæc Sancti Petri Chryſologi verba ſunt de hoc gaudio ita loquentis ſermon. 63. *Gaudebat Chriſtus, quia mæror mortis vertendus mox erat* RESVRRECTIONIS IN GAVDIVM. Non de vitâ per mortem ſublatâ, ſed de vitâ per reſurrectionem reſtituendâ Chriſtus lætabatur, qui ſemper in defunctos clementiſſimus, tunc lætus gaudebat, cùm eis pietatis obſequia impendebat.

D. Petrus Chryſologus.

2 At verò ſi antequam cū diſcipulis Bethaniā proficiſceretur, de mox futura defūcti amici reſurrectione gaudebat, cur ad monumentum accedens, & iam iam defunctum ad vitam reuocaturus, lachrymis obortis deplorat? Audi Euangeliſtam qui ait. *Et Lachrymatus eſt Ieſus*, Ioan. 11. 35. Ergò Chriſtus lachrymatur, cùm ſuâ pietate amicus reſurgit defunctus? Ergò cùm mortuum agnoſcit, lætus gaudet, cùm reſurrecturum videt, triſtis plorat? Hæc potiùs cuiuſdam crudelitatis, quàm veræ in mortuum pietatis ſpeciem habere videntur. Abſit hæc impietas à pijs fidelium mentibus; lachrymæ namque illæ, non mœroris, ſed gaudij lachrymæ fuerunt, oculique Chriſti, non triſtitiæ, ſed lętitię impulſu in eas plorantes eruperūt. Subiicio eiuſdem Pet. Chryſ. verba ſer. 64. *Fratres habet hoc natura corporis humani, vt producat lachrymas vis gaudij, vis mœroris. Quoties enim viſcera, aut lætitia, aut triſtitia nimio arctantur impulſu, oculi in lachrymas mox erumpunt. Hinc eſt quòd Chriſtus, non dolore mortis, ſed illius* LAETITIAE RECORDATIONE LACHRYMATVS EST *qui voce ſuâ, voce vnâ omnes eſt mortuos perpetuā ſuſcitaturus ad vitam.* Lachrymas Chriſti non dolor elicuit, ſed gaudium, quo gaudebat ſe cunctos mortuos ad vitam perpetuam ſuſcitaturum, Lazarumq; tunc ad hanc mortalē ſuſcitare defunctū.

Lachrymæ, quas in Lazari morte fudit, nō triſtitia, ſed lætitia lachrymæ fuerunt.

Idem.

3 Quòd ſi aliâ eiuſdem Petri Chryſ. reſponſione propoſitum nodum enodare velimus, non minorem in defunctos pietatem ex Chriſti lachrymantibus oculis intuebimur erumpentem. Plorauit Chriſtus prę dolore, & nedùm lachrymis obortis, ſed etiam ſemel, atque iterum frem ente ſpiritu, vt dolorem teſtaretur, ſe turbauit. Non tamen id egit quia Lazarum, ſed quia ſolum Lazarum à morte ad vitam reuocabat. Cupiebat cunctis vitam impendere defunctis; quia verò videbat ſolum tunc Lazarum à morte ſuâ voce reſurrecturum, lachrymis erumpentibus, & ſpiritu fremente ſe turbauit. Hæc inſerit eodem loco idem Petrus Chryſologus. *Fremit ſpiritu, & totâ ſe viſcerum commotione conturbat, quia adhuc ſolum Lazarum, & non iam omnes mortuos ſuſcitabat.* Fleuit, non quia Lazarus reſurgebat, ſed quia cæteri non reſurgebant defuncti; voluiſſet enim, ſi expediuiſſet, non vnicum Lazarum, ſed vnà cū illo cūctos reſuſcitare ſuâ voce defunctos.

Lachrymat⁹ eſt, quia non omnes ſuſcitaturus erat defunctos.

Idem.

4 Nè autem quid in hac Lazari ſuſcitatione intactum omittam, obſeruo Chriſtum non ſtatim ac ad Caſtellum peruenit Bethaniæ defunctum reuocaſſe ad vitam. Multa enim, antequam illum reſuſcitaret, cum Marthâ colloquia habuit, quæ non modicùm eius reſurrectionem diſtulerunt. Si Chriſtus tantâ defunctos proſequitur pietate; cur non ſtatim, colloquijs omiſſis, Lazaro vitam impertiuit? Quid verba miſcet cum ſorore viuente, qui vitam cōmunicaturus venerat fratri defuncto? Auferendus erat à monumento lapis, vt Lazarus à morte reuocaretur ad vitam, quem, cùm fętore cadaueris obiecto, remouere Martha renueret; ideò eam opus erat, Chriſtum verbis reprehendere, vt ſine morâ ſuis obtemperaret mandatis. Non igitur Chriſti verbis, ſed Marthæ inobedientiæ, quæ Chriſtum per verba detinuit, dilatio tribuenda eſt reſurrectionis defuncti. Patronum habeo hac in re Angelicum Doctorem D. Thomam in hunc locum. *Tam diù reſuſcitatio fratris dilata eſt, quam diù* CHRISTVM MARTHA PER VERBA DETINVIT, *ſed ſtatim cùm Chriſti mandatum obediendo exequitur frater reſuſcitatur.* Citò Chriſtus Lazarum ſuſcitare volebat, licet Martha ſuâ obſtaret inobedientiâ; quapropter ſtatim ac iſta eius præceptis obediuit, ſtatim quoque ille defuncto Vitam impertiuit.

Dilatio reſurrectionis Lazari, nō Chriſto, ſed Marthæ tribuenda.

D. Thom. i.

5 Ibat Chriſtus cū diſcipulis ſuis, turbâ copioſâ eum ſequente in Ciuitatē Naim: iuxtà portam

Prohibetur Vidua Naim ſletus, quia

autem

ſuſcitaturus erat eius defunctum.

autem Vrbis, defunctum reperit; quem extrà caſtra ſepeliendum efferebant. Cùm ergo vidiſſet inter plorantium turbam Matrem quoque mortui adoleſcentis lachrymantẽ, præcepit illi, ne cũ flentibus amplius fleret. *Dixit illi, noli flere.* Luc. 7. 13. Quis non miretur Chriſtum prohibere fletum viduæ matri vnigeniti mortem plorantiꝰ? An licet ſiccis oculis filium ſpectare defunctum? An ſine luctu exequię celebrandæ ſunt mortuorum? An non exigit pietas in defunctos, vt viuentes pro ſublatis lachrymentur amicis? Vtiquè ſapiens dixit. *Suprà mortuum plora; defecit enim lux eius.* Eccleſ. 22. 10. & iterum ibidem num. 13. *luctus mortui ſeptem dies.* Quare igitur matri vnicum, quem habebat, filium extinctũ lugenti, tamquã intempeſtiuum probibet Chriſtus, quem agebat, luctum? Non vetuit matri flere mortuum, ſed prohibuit filium lugere mox reſurrecturum: gaudium quippè, non luctus reſurrectioni congruebat defuncti. Benè Simon Caſſianus lib. 5. in Euangelia cap. 13. *Prohibet fletum* SVSCITATVRVS MORTVVM. Non modò non prohibuit, ſed præcepit Chriſtus pietatẽ in mortuũ, dum propter eius reſurrectionẽ fletũ amoueri, & gaudiũ iuſſit parari.

Simon Caſſia.

6 Alium adeamus à Chriſto excitatũ Defunctum; puellam videlicet Archiſynagogi filiam acerbâ morte peremptam. Ad iſtam cùm Patre rogante properaſſet, ac tumultum flentiũ, & eiulantium audiſſet, omnibus eiectis, cum Patre, Matre, ac his, qui ſecum erant ingreſſus, vbi defuncta iacebat puella, reddidit ei, quam mors abſtulerat, vitam. *Ipſe verò eiectis omnibus aſſumit Patrem, & Matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingrediuntur, vbi puella erat iacens.* Marci 5. 40. Vbi notandũ, quòd flentes, & eiulantes, tamquã miraculi aſpectu indigni, à domo eijciuntur Iairi. Hæccine eſt merces, quam ex ſuâ in defunctam pietate lugentes iſti reportant? Sicinè remunerat Chriſtus, quos defunctorum mortem præ nimiâ conſpicit pietate plorantes? Ita nè qui mortuam præ alijs fleuerant, reſurgentem cum alijs videre non poterant? Non hoc videtur Chriſti, quam in defunctos profitebatur, congruere pietati. Nodum ſoluit Hugo Purpuratus, inquiens eos, non quia mortuam lugebant expulſos, ſed quia Chriſtum irridebant, eiectos. Cùm enim eum audiſſent dicentem, puellam dormire, ac ſi ipſe ſomniaret, illum irridebant, *& ingreſſus ait illis, Quid turbamini, & ploratis? puella non eſt mortua, ſed dormit, & irridebant eum.* Marci 5. 39. Non ergo Chriſtus, quia lugebant, sed eos expulit quia irridebãt: nec enim irriſoribus reſurrectionis myſteria cõmunicare decebat. *Eos eiecit*, inquit Hugo, quia *irriſoribus non ſunt communicanda myſteria.* Numquam Chriſtus in defunctos clementiſſimus prò defunctâ plorãtes eieciſſet, niſi peruerſâ irriſione ſemetipſos miraculi conſpectu reddidiſsent indignos.

Eiecit plorantes defunctã Archiſynagogi, non quia flebant ſed quia irridebant.

Hugo Card.

7 Verùm poſſet quis nos adhuc vrgere, ſciſcitans, cur qui tantam in defunctos, vt dicimus, exercet pietatem, tres tantùm mortuos toto vitæ ſuæ curriculo ſuſcitaſſe perhibeatur. Si adeò pius fuit in defunctos, quare qui innumerabiles curauit viuos, tres tantùm excitauit mortuos? Nonnè poterat defunctorum monumenta reſerare, mortis clauſtra euacuare, ac mortuos omnes diuinâ virtute ſuſcitare? cur ergò ad nonnullos paucos pietatem coarctans, non niſi tres ad priſtinam vitam reuocauit? Non hoc defectui tribuendum eſt pietatis in ſuſcitante, ſed penuriæ orationis in deprecante; quarti enim mortui non fuit ſuſcitator, quia quartus pro mortuo defuit deprecator. Hac reſponſione apud Hugonem Card. in Matth. 9. difficultatem ſoluit Rabanus, cuius hæc ſunt verba. *Quartum mortuum non reſuſcitauit, quia qui* PRO EIVS SVSCITATIONE DEPRECARENTVR, VIVI DEFVERVNT. Alij non ſurrexerunt mortui, quia alij prò eis non orauerunt viui, quòd ſi pro alijs Chriſtus exoratus fuiſſet, alios quoq; à morte ad vitam reuocaſſet.

Tres tantùm mortuos Chriſtus legitur ſuſcitaſſe, quia pro tribus tantùm exoratꝰ fuit.

Rabanus.

8 Sed hìc prætereundum ſilentio nõ eſt, quòd Chriſtianus Druthmarus in Bib. Vet. Patrum ſe in alijs libris legiſſe teſtatur; Chriſtum ſcilicet plures alios diuinâ virtute ſuſcitaſſe defunctos; quamuis Euangeliſtæ myſterij gratiâ tres tãtùm prænotatas notauerint reſurrectiones. Multa enim Chriſtum feciſſe, quæ facta non ſcripſerunt Euangeliſtæ, meridianâ luce clarius apparet ex verbis Ioan. 21. 25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Sed audiamus verba huius Patris cap. 24. Matt. exponentis. *Legimus in alijs libris*, QVOD PLVRES RESVSCITAVIT, *& credimus quia ita eſt, ſed tamen nõ placuit euangeliſtis de pluribus narrare, ordinante Spiritu Sancto, qui in eis locutus eſt, propter myſterij Sacramentum.* Cui ſententiæ adſtipulatur etiam D. Auguſtinus in catenâ in cap. 11. Ioannis, dum ait, Mariam, & Martham ante Lazari fratris reſurrectionem, vidiſſe Chriſtum mortuos frequenter reſuſcitantem, quod certè non contigiſſet, ſi vnum tantùm, aut alterum mortuũ Chriſtus reſuſcitaſſet. *Iam autem*, verba ſunt D. Auguſtini, *Maria, & Martha ſorores Lazari, quæ* CHRISTVM FREQVENTER MORTVOS RESVSCITASSE *viderant, fratrem ſuum poſſe reſuſcitare penitus non credebant.* Non ad tres tantùm ſuam Chriſtus pietatem in defunctos coarctauit, ſed ad plures alios, quos à morte reuocauit ad vitam, extendit, licet ſacri ſcriptores myſterium reſurgentis à peccatis animæ attendentes, non niſi trium reſurrectionem nobis indicauerint mortuorum.

Alios ſuſcitauit. quorũ reſurrectionẽ Euang. myſterij gratiâ tacuerunt.

Chriſtianus Druthm.

9 Increpans Chriſtus hypocriſim Phariſæorũ, & ſcribarum, monumentis eos comparauit, exteriùs quidem ornatis, ac dealbatis, interiùs autem ſordidis, & ob vermes, ac putredinem immundis. *Væ vobis, quia eſtis vt monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes ſuprà neſciunt.* Luc. 11. 44. ex quo loco impiè arguit Iulianus Apoſtata, non minùs, quàm hypocritarum fraudes, defunctorum monumenta eſſe, Chriſto iubente, vitanda. Sed ignorantiam inſipienter arguentis, ſapientia coarguit Cyrilli reſpondentis. Cu-

A ſepulchris diſceſſum non iuſſit, cum ſepulchris Phariſæos comparauit.

Cyrillus.

ius

Digitized by Google

ius in hunc locum hæc ſunt verba in catenâ relata. *Ait autem hic Apoſtata Iulianus, vitanda eſſe ſepulchra, quæ Chriſtus ipſe ait eſſe immunda, ſed ignorauit vim verborum ſaluatoris; non enim iuſſit à monumentis diſcedere, ſed eis comparauit Phariſæorum fictitium populum.* Digna verba quibus indigni oblatratoris os obſtrueretur, ex quibus cõſtat Chriſtum, non à ſepulchris diſceſſum imperaſſe, ſed ſepulchris Phariſęorum, ac ſcribarum hypocriſim comparaſſe.

Suffragia diſcipulo prohibuit Patri exhibenda, quia non in Purg. torquebatur, ſed in Inferno.

10 Caput obſignabo, ſi priùs explicauero ea, quę Chriſtus diſcipulo paternum cadauer ſepelire cupienti reſpondit. Cùm enim eum ad ſe vocaſſet, ac ille vt patrem ſibi ſepelire liceret poſtulaſſet, non permiſit ei Ieſus, vt defunctum humaret, ſed iuſſit, vt ſineret mortuos ſepelire mortuos ſuos. *Ait autem ad alterum, ſequere me, ille autem dixit: Domine permitte mihi primùm ire, & ſepelire Patrem meum, dixitque ei Ieſus; ſine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Luc. 9. 59. Quo loco iure meritò eſt mirandum, quòd Chriſtus filium arcuerit à iuſtis defuncti Patris cadaueri debitis, ac mox nódum ſepulturæ officio præſtito perſoluendis. Quænam eſt eius pietas in defunctos, dum filium à pietate retrahit, quam defuncto genitori eſequias celebraturus parabat? Is ne pius, qui aliorum pietatem impediens, prohibet viuis ſuffragia impendenda defunctis? Pius vtique, nec enim defuncto, cuius anima torqueretur in Purgatorio, ſed mortuo ſuffragia vetuit exhiberi, qui cruciabatur in Inferno. Nullam merentur pietatem mortui contra Deum impij, è quorum numero cùm eſſet Pater huius diſcipuli, noluit ab eo ſuffragia illius animæ nullo pacto profutura exhiberi. Audi Chriſtianum Druthmarum in Biblioth. Vet. Pat. cap. 18. in Matth. *Duobus modis mortuus dicitur, mortuus corpore, mortuus animâ, ſed væ his, qui vtroque modo mortui ſunt, quia irreparabiles ſunt. Ille ergo, ad quem ſepeliendum diſcipulus ille ire volebat* ANIMA, ET CORPORE MORTVVS ERAT. Mortuis corpore, non mortuis animâ ſuffragia ſunt impendenda eſequiarum, & ideò filium à ſuffragijs Patri animâ, & corpore mortuo eshibendis Chriſtus auertit, alias illum hortaturus ad pietatem ei, ſi ſolo corpore mortuus fuiſſet, eſequijs, & ſuffragijs præſtandam.

Chriſtianus Druthmarus.

Non exequias paternas, ſed profan. ei prohibuit luctus.

11 Vel cū D. Petro Chryſologo ſerm. 19. reſpondendum, Chriſtum diſcipulo non eſequias paternas, ſed luctus prohibuiſſe profanos; non enim ſuperfluis, & mendicatis lachrymis, ſed pijs & religioſis ſuffragijs animæ ſunt adiuuandæ mortuorum. In caſſum lachymæ funduntur quas fuſæ non animant preces: quare has lachrymas non defuncto profututas, non verò ſuffragia eum à pœnis extractura Chriſtus prohibuit. *Mortuum,* ait Petrus Chryſologus, *non artifex fiſtula, ſed ſimplex plangit affectio. Chriſtus ergo diſcipulum ſuū* NON DEESSE VOLVIT EXEQVIIS PATERNIS, SED PROFANIS LVCTIBVS NOLVIT INTERESSE. Non à religioſis piorum ſuffragijs, ſed à profanis Gentilium ploratibus diſcipulum Chriſtus auertit, quem in defunctum quidem volebat pium, ſed non in ſuperfluo fletu ſuperſtitioſum. His igitur conſtitutis, & ijs, quæ Chriſtum probare videbantur in defunctos minùs pium, dilutis, eius pietas, quâ in defunctos afficitur, fixa iam remanet, atque omni errore ſubmoto ſtabilita.

D. Pet. Chryſ.

CAPVT XX.

Virginis Mariæ Pietate defunctorum pœnæ Mitigantur.

Virginem Sāctam decuit ſancta cogitatio quâ pro defunctis exoratur.

1 BEatiſſimæ Virginis Mariæ pietas ergà defunctos iam me vocat, de quâ poſt Chriſti miſericordiam in eoſdem ſatis explicatam nunc dicam. In primis autem placet cū Io. Gerſone arguere ex lib. 2. Machabęor. cap. 12. 46. Vbi ſancta, & ſalubris dicitur cogitatio, pro defunctis, vt à peccatis ſoluantur, exorare. *Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Si enim omnibus ſanctis, & ſalutaribus cogitationibus Mariæ mens abundauit, vtique & hâc tam ſanctam cogitationem, quâ ſuffragia defunctis impenduntur, eam habuiſſe concludere debemus. Quomodo namque Virgini adeò ſanctæ cogitationem adeò ſanctam defuiſſe credemus? Incongruum fuiſſet Sanctam Sanctarum hoc ſanctitatis charactere inſignitam non fuiſſe. Audi Iuann. Gerſonem quartâ parte ſermone 1. de Defunctis. *Poſtquam ergò ita eſt, quòd ſancta, & ſalutaris eſt cogitatio, vt pro mortuis fiat oratio, &* TV VIRGO, ET MATER DIGNISSIMA ES SANCTA SANCTORVM, *in quâ ſunt cogitationes ſanctæ, & ſalutares vltrà omnes alios homines,* CONGRVIT TE PRO MORTVIS EXORARE. Congruit Virginem ſanctiſſimam prò defunctis ſanctè cogitare, illiſque copiuſæ ſuæ pietatis ſuffragia eshibere.

Io. Gerſon.

Sua miſericordia profunditate purgatorium euacuauit.

2 Hoc innuere voluit D. Bernardus ſerm. 4. de Aſſump. B. Mariæ. Cùm Virginis huius miſericordiam extollens, illiuſque longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profunditatem expendens, dixit, quòd ſicut altitudine attollitur ad Cęlum, ita profunditate deſcendit ad Infernum. Infernum quippè hic intelligit purgatorium Inferni nomine ſæpè in ſacris eloquijs appellatum, quod ſuæ miſericordię profunditate Maria penetrauit, vt animabus ibi captiuis precum ſuarum efficaciâ liberationem obtinens, euacuatis ædibus inferorum ruinas inſtauraret cœlorum. Sed iam melle ſuauiora mellifilui doctoris verba exſcribamus. *Quis ergo miſericordiæ tuæ, ô Benedicta, longitudinem, & latitudinem, ſublimitatem, & profundum queat inueſtigare? Nam longitudo eius vſque in diem nouiſſimum inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tuâ quoque miſericordiâ plena ſit omnis terra. Sic & ſublimitas eius ciuitatis ſupernæ inuenit reſtaurationem, & profundum eius* SEDENTIBVS IN TENEBRIS, ET IN VMBRA MORTIS *obtinuit redemptionem.* PER TE ENIM COELVM REPLETVM;

D. Bernard.

IN·

Digitized by Google

INFERNVS EVACVATVS EST, *Inſtauratæ ruinæ Cæleſtis Ieruſalem, expectantibus miſeris vita perdita data.* Neſcio, an ſuauiùs Mariæ Pietas in defunctos deſcribi, an elegantiùs poſſit explicari. Sedentibus in tenebris deſideratam redemptionem, & expectantibus mortuis perditam vitam ſuæ profunditate miſericordiæ Maria obtinuit, quin imò inferis euacuatis ædibus, cęleſtes reparauit ſedes, & ſuperorum lætitiam auxit, dum inferorum tormenta minuit.

Suâ humilitate Animas ab Inferis liberauit.

3 Quæ etiam cauſa eſt, cur Diuus Auguſtinus huius Virginis humilitatem extollens, eâ Paradiſum hominibus reſeratum, illorumque animas ab inferis erutas fuiſſe affirmauit. Nouit nimirùm ipſe quoque Virgineæ humilitatis profunditate animas à cruciatibus liberatas fuiſſe defunctorum. Do eius verba ſerm. 2. de Aſſumpt. B. Mariæ. *O verè beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, coelum innouauit, mundum purificauit, paradiſum aperuit, &* HOMINVM ANIMAS AB INFERIS LIBERAVIT. Adeò pia in defunctos fuit Beata Virgo, vt ſuâ humilitate ad inferos vſque deſcendens, eorum animas indè mirabiliter eruerit, & ad Paradiſi iam per ipſam reſerati gaudia gaudens euexerit.

D. Auguſt.

Maria ſtella fuit, quia ad inferos, vt mortuos adiuuarētur, penetrauit.

4 Quò referendum puto, quod Balaam Propheta dixit, dum cœleſti prophetiæ lumine illuſtratus Virginem præuidit ex ſemine Iacob oriūdam. *Orietur ſtella ex Iacob.* Num. 24. 17. Cur ſtellam Propheta iſte Mariam appellauit? An quia ſine ſui læſione genuit Chriſtum, ſicut ſtella ſine ſui corruptione emittit radium? An quia, ſicut radius non minuit ſtellæ claritatem, ita filius non minuit illius virginitatem? Rectè, ſed tertiam inſuper addit rationem D. Bernardus hom. 2. ſuper Miſſus eſt. Stellam nimirùm eam dicit appellatam, quia ſicut ſtella, & ſuperna illuminat, & terrena illuſtrat, & ea etiam, quæ ſunt ſub terrâ ſuis influxibus fœcundat, ita Maria ſuæ pietatis radijs, & præfulſit in Cœlis, & emicauit in terris, & ad eos etiam penetrauit, qui commorabantur in inferis. *Aptiſſimè ſideri comparatur*, inquit Bernardus, *quia ſicut ſine ſui corruptione ſidus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione virgo parturit filium. Nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini filius ſuam integritatem. Ipſa eſt igitur nobilis illa ſtella ex Iacob orta, cuius radius vniuerſum orbem illuminat, cuius ſplendor, & præfulget in ſupernis, &* INFEROS PENETRAT, *terras etiam perluſtrans.* Rectè ſtellæ comparatur Maria, cuius pietatis radij, nedùm Cœlum, & terram illuſtrauerunt, ſed ad inferos quoque, vt animas defunctorū ſuos reatus purgantes adiuuaret, penetrauerunt.

D. Bernard.

De Purgatorij animabus cum Chriſto ſæpè loquebatur.

5 Ex hac autem pietate factum eſt, vt quas Purgatorij animas, per compaſſionem ferebat in corde, illas etiam, per ſermonem ferre ſoleret in ore. In colloquijs enim, quæ cum Chriſto Virgo Mater habebat, de Purgatorij cruciatibus, & incolis frequenter verba miſcebat. Hæc aſſerere non auderem, niſi Verbis meis pondus afferrent verba D. Vincentij Ferrerij ſerm. 1. de Aſſumptione. *Aliâ die dixit Virgo Maria, fili mi dicas aliquid* DE PVRGATORIO, *& Ieſus. Imò mater mea. Ex quo vniſcite* PVRGATORIVM; *habet tres carceres, ſecundùm tres conditiones perſonarum ibi poenitentiam complentium.* Quarum amore cor Virginis tenebatur, earū cruciatus eius lingua loquebatur, vt illius loquela manifeſtā faceret ſūmam, qua Purgat. animas proſequebatur, pietatē.

D. Vinc. Ferr.

In die Aſſumptionis animas à Purgatorio multas liberauit.

6 Quam non minùs manifeſtam faciunt verba, quæ apud Petrum Damianum lib. 3. Epiſtolâ 10. habuit cum ſacerdote Anima de Purgatorij flammis in die Aſſumptionis eiuſdem Virginis erepta. Quæ cùm pœnas, quas paſſa erat, earumque cauſas disertè narraſſet, ſubdidit, ſe cum multis alijs Mariæ precibus, & interceſſione, die illâ Virgini aſſumptæ Sacrâ, eum gaudijs ſuperorum tormenta commutaſſe inferorum. Subdo B. Petri Damiani verba disertè hiſtoriam enarrantis. *Vſque hodie*, inquit apud ipſum Anima, erat autem illa dies Virginis Aſſumptioni dicata, *non leuis me poena conſtrinxit, quia videlicet, per laſciuiæ petulantis illecebras cum coætaneis me puellis in tenerâ adhuc ætate foedaui. Et hoc ipſum, pròh dolor, obliuioni quodāmodo tradens, ſacerdoti quidem confeſſa fui, ſed iudicium non accepi. Verùm hodie regina mundi pro nobis preces fudit, meque cum multis alijs de locis poenalibus liberauit, tantaque multitudo per interceſſionem eius hodie eſt de tormentis erepta; vt numerum totius Romanæ plebis excedat.* Quid pro Beatæ Virginis in Animas Purgatorij pietate poterat Purgatorij Anima clariùs effari. Ex his enim docemur, Mariam ſuæ ad Cœlum Aſſumptionis comparticipes facere voluiſſe animas in flammis cruciatas; ita vt eadem die illas eripuerit à Purgatorio, quâ ipſa glorificata fuerat in Cœlo.

B. Petr. Dam.

Diem Aſſumpt. pro ſalute Defunct. Placentini celebrant.

7 Hanc verò Aſſumptæ Virginis pietatem nobilium Placentinorum pietas agnouit, quapropter ſanctè in ſuis ſtatutis decreuerunt, vt quotannis in Cathedrali Placentiæ templo feſtū Aſſumptionis Virgineæ pro ſalute defunctorum Placentinorum ſolemniter celebraretur. Nouerant quippè Mariam ſemper in mortuos piam eâ maxime die maiorem eis impendere pietatē. Hæc ſunt verba ſtatuti lib. 1. ſtatutorum Placent. à Nouarino in opuſc. Epiſt. 10. relata. *Ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis Poteſtas teneatur facere fieri ſemel in anno feſtum honorabile maioris Eccleſiæ Placentiæ in Aſſumptione Virginis Mariæ pro ſalute Animarum Placentinorum Ciuium, &* OMNIVM DEFVNCTORVM EORVM. Hactenus Placentini vnico ſtatuto duplicem oſtendentes pietatem, alteram, quâ virginem colunt ad Cœlum aſſumptam, alteram, quâ defunctis ſuffragantur in Purgatorio captiuis.

Statutū Placentinum.

Per Mariam Virg. ab inferis redeūt defuncti.

8 Pergo, & Lazarum in monumento quatriduanum, non antè ab inferis rediuiuum, Chriſto iubente, reſurrexiſſe obſeruo, quàm Maria eius ſoror aduocata veniſſet. *Abijt, Martha, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio dicēs. Ma-*

giſter

giſter adeſt, & vocat te. Ioan. 11. 28. Cur verò non niſi præſente ſorore ad vitam Lazarus reuocatur amiſſam? Cur Chriſtus, qui Mariâ abſente illum repererat mortuum, eumdem Mariâ item abſente reddere nōluit reſurrectionis miraculo viuum? Quid requirebatur Mariæ præſentia, vbi Chriſtus præſens habebatur, qui erat vita? An id contigit in figurâ, vt diſceremus per Mariam Virginem, defunctos redire ab Inferis, & mortuos prodire à ſepulchris. Profectò id eleganter, & feſtiuè nos docuit D. Petrus Chryſologus ſerm. 64. *Mittitur ad Mariam, quia ſine Mariâ, nec fugari mors poterat, nec poterat vita reparari. Veniat Maria, Veniat materni nominis baiula, & videat homo Chriſtum Virginalis Vteri habitaſſe ſecretum, quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de ſepulchris*. Mariæ interceſſione pietas impenditur defunctis, quod vt Chriſtus declararet, non niſi vocatâ Mariæ nominis baiulâ quatriduano vitam impertiuit Defuncto.

D. Pet. Chry.

Ab eâ perſuaſus Ioſeph Arimathæus Chriſti corp' tradit ſepulturæ.

9 Quis vnquam audiuit Ioſephum Arimathæum furentibus adhuc Iudæis, blaſphemantibus adhuc militibus, & purpureo Chriſti cruore adhuc madidis Caluariæ lapidibus ad Pilatum audacter introiſſe, atque ab eo defuncti Magiſtri corpus ad ſepulturam petijſſe, & viri audaciâ non eſt iure meritò admiratus? Ecquę tunc temporis opportunitas meticuloſo ſe ſe obtulit diſcipulo, vt omni metu depoſito Chriſti ſequacem ſe declararet, cùm omnes relicto eo pauidi fugiebant, atque trementes? Vndè tanta illi audacia, qui paulò ante occultus ob Iudæorum metū ſe propalare non audebat? Quis ei tantam indidit, cæteris fugientibus, fortitudinem, qui tantum, cæteris ſequentibus, oſtenderat pauorem? Beata Virgo Ioſephi animum ad ſepulturam defuncti roborauit, & omni ſuis verbis ablato pauore, audaciam ei, vt pio funere Chriſtum humaret, immiſit. Do Simeonem Metaphraſtem oratione de Vitâ, & Aſſumptione B. Mariæ apud Surium die 15. Auguſti hæc loquentem. *Venit ad eum Virgo, & verbis ei ſuadet accōmodatis, vt in ſuo monumento, tanquam in aliquo armario magnam vim opum reponat, & ſic demum cuſtodientem apud ſe vitam habeat*. Et poſt pauca Virginem ita Ioſephum induxit alloquentem.: *Da ergò mihi hanc gratiam, & communi, inquam, huic Magiſtro. Audacter pete illius Corpus, vt deponatur, & mandetur ſepultura*. O' Egregiam Mariæ Virginis pietatem, quâ, dum aptis Verbis audaciam indidit Ioſepho, in monumento nouo ſepulturam obtinuit defuncto.

Simeon Metaphraſtes.

Beatiſſ. Virginem exemplariter imitantur, qui defunctis pietatem impendunt.

10 Hùc reſpexit Magnus Albertus in cap. 1. Matthæi, cùm Ioſepho Iacobi filio Ioſephum cōparans ab Arimathæâ oriundum; Illum enim, dum Iſmaëlitis vendebatur, typum geſſiſſe Saluatoris, hunc verò, dum corpus Chriſti ſepeliebat, Virginem imitatum fuiſſe teſtatur. Imitantur quippè Virginem, quicumque ſe ſe in defunctos pios, clementes, ac beneficos oſtendunt. *Vnus*, Verba ſunt Alberti Magni, *typum geſſit ſaluatoris, alter officium exhibet mortuo pietatis, vnus in venditione ferè cum Ieſu ſimilia patitur, alter autem in ſepeliendi obſequio* VIRGINEM MATREM EXEMPLARITER IMITATVR. Adeò pia eſt in defunctos Beata Virgo, vt qui defunctis pietatem impendunt, eam, tanquam exemplar imitari dicantur.

Alb. Magnus.

11 Nec aliud voluit Guillelmus in c. 1. Canticorum apud Nouarinum in Ioan. 12. relatus, dū Mariam nardum illam habuiſſe dixit piſticam, quam ſuper Chriſtum ob eius ſepulturam altera Maria effudit. De Alabaſtro namque cordis ſui ſuper filium defunctum nardum pietatis effudit. *Nardus illa piſtica fracto alabaſtro effuſa dedit odorē ſuum, quia vt ſcriptum eſt, Domus repleta eſt ex odore vnguenti. At Virgo mater multò plus habuit, et de multò pretioſiore alabaſtro, multò pretioſiorem Nardum in filium iam mortuum, ſepultumque effudit, de alabaſtro ſcilicet materni pectoris nardum maternæ pietatis*: Expende Verba illa *mortuum, ſepultumq; ſeruabat*. Seruabat Virgo in candido pectoris alabaſtro pretioſam pietatis nardum, quā materno affectu ad beneficium abundanter effunderet defunctorum.

Nardum pietatis pro defunctis fundēdam Virgo ſeruabat Guillelmus.

12 Et quidem cur non ſe defunctis clementiſſimam Virgo exhiberet, dum eius quoque imagines defunctos adiuuare nō ſine admiratione videntur. Nonnè inclytus Chriſti martyr B. Ignatius Azebedius ab hoſtibus Catholicæ fidei gladio confoſſus, & cum ſocijs in mare deiectus, ſuper Aquas ab imagine Deiparæ, quam in manibus retinebat, cùm cæteri peſſum iuiſſent, retinebatur. Gaudet nimirum etiam imaginibus ſuis, ſuam in defunctos declarare clementiam Maria. Sed audiamus Franciſcum dela Croix in hortulo Mariano areolâ 1. cap. 4. hæc narrantem. *Cum eadem imagine Virginis Mariæ, quā hæretici fruſtrà extorquere conati ſunt, acceptis tribus in pectore vulneribus, & vno in Capite præceps in mare datus eſt, Et licet aliorum octo, & triginta ſociorum etiam martyrum corpora in mare deiecta peſſum iuerint, corpus tamen B. Ignatij non ſubſidit, ſed brachijs inſtar Crucis expanſis quàm longiſſime oculi ſequi potuere ſuper aquas ferri non ſine admiratione Viſum eſt, quod* SACRAE IMAGINI, *quam in manibus perpetuò retinebat adſcribi meritò debet*. Vides Deiparæ imaginis gratiâ cadauer ſupernatare defuncti, & cæteris maris profunda petentibus, ſolum qui adeò pretioſam ſeruabat figuram, non ſubſidere à piſcibus deuorandum in Aquis?

Ab eius imagine defuncti cadauer, ne in mare peſſū eat detinetur.

Franc. dela Croix.

13 Maius eſt, quod de alia eiuſdem Virginis imagine idem author areolâ 2. cap. 2. producit, quam refert Ioannem Ximenem allocutam, & vt animarum Purgatorij memor eſſet adhortatā. *Cùm in feſto omnium Sanctorum coram Imagine conceptæ Virginis animas in* PVRGATORIO *detentas miſeratus, pro iis Deum oraret, doleretque eas tam parùm à viuis fidelibus adiuuari, audiuit ſibi inclamari, Ximene* MEMOR ESTO ANIMARVM PVRGATORII. Porrò ea eſt in Animas Purgatorij Mariæ pietas, vt illam mutæ quoque eius imagines

Virginis imago Ioannem Ximenē hortatur, vt memor ſit animarum Purgatorij. Idem.

loquantur,

Digitized by Google

loquantur, ita vt dum repręſentant Mariam, Mariæ quoque pietatem in Animas Purgatorij repræſentare, quin, & alijs imitandam proponere cernantur. Hæc dixiſſe ſufficiat, quibus Virginis Mariæ pietate defunctorum pœnas mitigari, ſatis firmis probaui, ni fallor, argumentis.

CAPVT XXI.

Angelica pietas in mortuos commendatur.

Per Angelos in Cœlũ Animæ Purgatorij euehũtur.

1. VEnio nunc ad Angelos, de quorum pietate defunctis frequenter exhibitâ nõ nulla non indigna, vt recenſeantur, occurrunt. Et primò ſciſcitandũ mihi eſt, a quo animæ Purgatorij ſuorum facinorum purgatione completâ, æternâ gloriâ donandæ ab inferis ad ſuperos transferantur. Quis eis viam aperit, vt a Purgatorij tenebris ad Paradiſi lucem, à pœnarum ærumnis ad fęlicitatis aulas, à cruciatuũ angoribus ad Cœlorũ gaudia pertranſeant? Quis eas educit à dolorum, vbi torquebantur, ergaſtulo? Quis eas inducit in deliciarum, vbi æternùm fruentur, empyreum? Non vtique Dæmones, quibus, nec animas liberandi eſt voluntas, nec Cœlos adeundi permittitur facultas. Sed, nec animæ à ſeipſis, nemine duce, Viam carpere norunt profus ignotam. Quis ergò eis viam, per quam ambulent, oſtendit, & ab omni labe purgatas ad Patriam Paradiſi perducit? Angeli eas læti comitantur, & ab inferorum carceribus erutis, vt ad ſuperorum aulas pertingant, viæ ducatum præſtant. Quod non ſemel Eccleſiæ verba teſtantur, dum in Rituali Animæ, cui iuſta perſoluit, ait. *In paradiſum deducant te* ANGELI, & rurſus. CHORVS ANGELORVM *te ſuſcipiat; & cũ Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem*, & iterum Angelos alloquens *Occurrite* ANGELI DOMINI *ſuſcipientes animam eius, offerentes eam in conſpectu Altiſsimi*. Poſt quæ immediatè ſubdit, *ſuſcipiat te Chriſtus, qui vocauit te, & in ſinum Abrahæ* ANGELI *deducant te*. Et tandem cùm omnibus Purgatorij Animabus æternam deprecatur requiem Michaëlem Angelorum ſigniferum inuocat, qui eas in Lucem Sanctam omnibus iuſtis promiſſam repræſentet SIGNIFER SANCTVS MICHAEL *repræſentet eas in lucem ſanctam, quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini eius*. Quibus adhærens D. Vincentius Ferrerius ſerm. 1. in die Animarum, de Purgatorij defunctis hæc habet.

D. Vin. Ferr.

Purificati PER BONVM ANGELVM *indè extrahuntur, & ad Paradiſum deducuntur*. Angelorũ pietatem Animæ Purgatorij experiuntur, quæ per eos & à flammarum incendijs eripiuntur, & ad voluptatum conſortia euehuntur.

Cum Angelorũ honoribus defunctorum ſuffragia connexa.

2. Hinc eſt, quòd in Eccleſiâ multo tempore mos inualuit, vt quæ modo, ad Angelorum honorem Feriâ. 3. hebdomadæ Miſſæ dicuntur, Fer. 2 in quâ item memoria defunctorũ agebatur, celebrarentur. Agnoſcentes enim priſci Chriſti fideles Angelorum pietatem in mortuos, ea die Miſſas celebrabant Angelorum, quâ ſuffragia faciebant defunctorum, quos Angelorum comitatu, ac patrocinio ſecuros ad æternitatis gaudia perduci cupiebant. Huius ritûs, & rationis meminit B. Petrus Damianus lib. 2. Epiſt. 14. *Animæ defunctorum in diebus Dominicis requieſcunt, atque à ſupplicijs feriantur. Secundâ vero feriâ ad ea, quibus aſſignatæ ſunt pœnarum ergaſtula, reuertuntur; Idcircò ipſa potiſſimum die* ANGELIS *Miſſarum honor impenditur, vt & mortuis, & morituris patrocinalis eorum defenſio procuretur*. Angelorum Paradiſi venerationem, cum Animarum Purgatorij ſuffragijs vniebant, dumque Angelis Miſſarum honorem impendebant, Defunctis Angelorum patrocinium implorabant. Porrò adeò pios cenſebant Angelos in defunctos, vt Angelorum in Miſsâ inuocatione, defunctorum à pœnis liberationem procurarent.

Petrus Dam.

Angelorũ eſt defunctorum animas ab Inferis eripere.

3. Archangelum Michaelem de Moyſis corpore cum Diabolo altercaſſe Iudas tradit Apoſtolus. *Cùm Michael Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi Corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ*. Iudæ 9. At quid cum principe Infernalis militiæ ſignifer cœleſtis exercitus altercauit? An aliquid Myſticum, hæc nobis altercatio innuit Angelorum? Profectò per eam ſignificari cerno congreſſionem, quâ hominis Animâ ſeparatâ, cum dęmonibus angeli decertant, vt eam ab Inferorum pœnis ereptam ad Cœleſtes triumphantium aulas deducant. Subdo verba Catenæ Græcæ hũc ſenſum apud Gloſſam in Deuter. 34. laudantia. *Ex Michaelis congreſsione cum Dæmone palam Deus facere voluit, quantoperè conetur hoſtis humani generis, ne animæ à corpore hoc egredientes curſu ſuo ad ſuperiora contendant, contrà quem tempeſtiuè* ANGELI DOMINI OCCVRRENTES, IVSTOS A' FAVCIBVS ORCI ERIPIANT. Angelorum eſt defunctorum animas ab inferis eripere, & cum Diabolo fortiter pro earum ereptione altercare.

Catena Græ.

Angelo Duce ab Inf. Anima filiæ Archiſynagogi reducta.

4. Defunctâ puellâ Iairi ſynagogæ principis filiâ, tibicines plorantes, mulieres lugentes, & turbam in domo, in quâ iacebat, reperit Chriſtus tumultuantem, Omnibus autem eiectis via manum tenens defunctæ, reſurrectionem illi à mortuis imperauit, & ſtatim reuerſo ſpiritu puella rediuiua ſurrexit. *Ipſe autem tenens manum eius, clamauit dicens, puella ſurge, & reuerſus eſt ſpiritus eius, & ſurrexit continuò*. Luc. 8. 54. Quomodo verò ab inferis ad proprium corpus defunctæ ſpiritus eſt reuerſus? Quis eum in mortis vmbrâ, & horroris loco ſedentem de tenebris ad lucem reduxit? An Angelico miniſterio ad corpus derelictum anima eſt reuerſa puellæ? Ita cenſet B. Dionyſius Carthuſianus, cuius in locum iſtum hæc ſunt Verba. *Reuerſus eſt ſpiritus eius, Chriſto iubente, &* ANGELO SANCTO, *vt creditur* REDVCENTE. Adeò in defunctorum Animas pietas viget Angelorum, vt non niſi eis ducibus, cùm ab Inferorum pœnis ſunt eruendæ ad propria reducantur.

Dion. Carth.

5 Qua-

Digitized by Google

Angelico Miniſterio fiet ſuſcitatio mortuorum.

5 Quamobrem extremâ Iudicij die, cùm omnes reſurgent immortales electi, ab Angelis tubæ clangore congregabuntur. *Et mittet Angelos ſuos ſuos cũ tubâ, & Voce Magnâ, et congregabunt electos eius*. Matth. 24. 31. Quid ſibi vult hæc Angelicâ tubâ electorum congregata multitudo, niſi defunctorum ſanctorum ſpiritus, vt cum ſuis corporibus fœlicitate perfruantur æternâ, fore angelico miniſterio ad ſua corpora reuocandos? Adeſt idem Carthuſianus in Matth. 13.

Idem.

MINISTERIO SANCTORVM ANGELORVM, *diſpoſitiuè agentium fiet ſuſcitatio mortuorum*. In mortuos Angeli clementiſſimi eorum reliquias colligent, cineres congregabunt, membra diſponent, & corpora, vt æternùm viuant, veluti omnipotentis Miniſtri ſuſcitabunt.

Animas Purgatorij Angeli Conſolantur.

6 Sed nec minùs eamdem Angelorũ in defunctos pietatem commendat, quod Iud. 2. 1. habetur Angelũ Dñi de Galgalis ad locũ, qui Locus flẽntiũ dicebatur, aſcendiſſe. *Aſcenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentiũ*. Locus quippè flentium Purgatorium dicitur, in quo animæ cruciatæ, ſuarum flent acerbitatem pœnarum, ſeque à Cœleſti Patriâ, donec igne, ac flammis purgentur, plorant alienas. Quare, & illud Dauidicum frequenter ingeminant. *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt* Pſal. 119. 5. Ad hunc igitur locum ſæpe Angeli properant, vt cruciatis gehennalibus pœnis blandiantur ſpiritualibus verbis, & repleant conſolationibus Sanctorum, quos exurunt incendia flammarum. Hunc ſenſum nobis tradidit D. Bernardinus Senenſis ſerm. 65. *Locus Flentium* PVRGATORIVM *dici poteſt, ad quem aſcendunt* ANGELI SANCTI, *vt conſolentur eos, & hæc eſt potiſsima Conſolatio, quam habent* PVRGANDI. Angelorum Conſolationes experiuntur animæ, quæ Purgatorij cruciatibus torquentur, inferorum enim tormenta quæ patiuntur, mitigantur, dum à ſupernis ſpiritibus cœleſti pietate viſitantur.

Bernard. Senenſ.

Sub terrâ Deum laudant Angeli, qui animas Purgatorij conſolantur.

7 Ex hoc non modicam lucem accipiet ſub obſcurus Apocalypſis locus, in quo Agnus occiſus, qui librum ſeptẽ ſigillis munitum aperuerat, laudatus refertur in Cœlo, ſuper terram, & ſub terrâ. *Et omnem Creaturam, quæ in Cælo eſt, & ſuper Terram, & ſub Terrâ, & quæ ſunt in Mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes. Sedenti in Throno, & agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum*. Apoc. 5. 13. Quis debita Deo, & agno ſub terrâ laudum præconia perſoluit? Num dæmones, qui odio immortali correpti, & Inuidiæ tabe conſumpti, ſcelera, quibus Deus lædatur anhelant, & omnia quæ Diuinum perturbare poſſunt honorem, nefaria facinora ſuadent? Num damnati, quorum corda æterno liuore virulenta, quorum ora blaſphemis verbis peruerſa tabeſcunt? Nequaquam, ſed per eos, qui ſub terrâ Deum laudant animæ Purgatorij, & Angeli, qui vt eas conſolentur illuc deſcendunt, deſignãtur: hi enim omnes Dei laudes alacriter prædicant, & Agni encomia indeſinenter enarrant. Hoc ex Beato Dionyſio Carthuſiano in locum hunc decerpſi. *Per eos, qui ſub terrâ ſunt, potiùs deſignari videntur defuncti ſaluandi qui in locis* PVRGATORIIS *ſunt, vel* ANGELI BONI, QVI AD EORVM CONSOLATIONEM DESCENDVNT. Sub terrâ, vt animas Purgatorij conſolentur, Angeli deſcendunt, vbi cum eis debitas Deo Creatori, & agno redemptori laudes perſoluunt.

Dion. Carth.

Chriſti Natiuitatẽ defunctis, vt eos conſolarentur, Angeli annuntiauerunt.

8 Eadem luce alia, quæ de populo ambulante in tenebris, Iſaias habuit, verba illuſtro. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis*. Iſaiæ 9. 2. Populum iſtum in tenebris ambulantem, & in regione Vmbræ Mortis habitantem, populum defunctorum eſſe nemo ignorat: Defuncti enim omnes ad Inferorum tenebras, & vmbras, Cœlo nondùm Chriſti paſſione reſerato, tunc temporis deſcendebant. At quomodo, Chriſto naſcente, lucem hic populus vidit, qui Chriſti Natiuitatem ignorauit? Poterant ne ſub Terrâ in tenebris deliteſcentes, eorum, quæ ſuper terram agebantur, habere notitiam? Poterant ne infernarum Vmbrarum incolæ Cœleſtis lucis in terrâ naſcentis videre fulgorem? Poterant ne demùm in terræ Centro conſtituti Chriſtum è Virgineo Vtero ſuper terræ ſuperficiem agnoſcere prodeuntem? Poterant; nam ſtatim, ac Chriſtus eorum tenebras illuſtraturus eſt editus in mundum, Angeli ad ſubterranea inferorum loca deſcenderunt, & defunctorum Animabus redemptionem expectantibus, vt eas quoque lucis ortæ participes facerent, redemptoris ortum annuntiarunt Aſſero Verba D. Cyrilli Alexandrini lib. 6. in Ioan. cap. 11. id aſſerentis. *Cùm itaque editus eſt in mundum Virgineo partu Dominus noſter, quis addubitauerit* ANGELOS *antiquis illis* PATRIBVS ANNVNTIASSE SALVATORIS ORTVM? *ſicut & in Terris nuntiauerunt paſtoribus*. Sicut in Terrâ viuentibus, ita ſub Terrâ defunctis Chriſti natiuitatem Angeli nuntiauerunt, vt nedum in Mundo viuos, ſed etiam in Lymbo, & Purgatorio conſolarentur Mortuos.

Cyrillus Alex.

Abraham apud inferos, Angelis reuelãtibus, Chriſti diem Vidit.

9 Hùc facit, quòd Chriſtus Iudæis minorem Abraham eum exiſtimantibus reſpondit. *Abraham pater Veſter exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauiſus eſt*. Ioannis 8. 56. Quando autem Chriſti diem Abraham vidit, qui longè ante Chriſti aduentum è vitâ migrauit? Nunquid Chriſti diem vidit, cùm Chriſtum de ſuâ ſtirpe in carne naſciturum cognouit? Nunquid Chriſti Diem vidit cùm filij oblatione Chriſti paſſionem præfigurauit? Non diſplicent hæc ſub figurarum velamine tecta Myſteria, ſed magis placet reſponſio eiuſdem Cyrilli Alexandrini eodem loco dicentis, Abraham Chriſti diem vidiſſe, cùm apud Inferos repoſitus eius Incarnationem ſibi, & cæteris Patribus defunctis ab Angelis reuelatam cognouit. *Abraham vidit diem Domini, quando iam in placi-*

Idem.

Digitized by Google

dâ Sanctorum Patrum requie poſitus cognouit filium Dei eſſe Incarnatum. Erat enim ille dies Domini, quo carnis noſtræ ſubſtantiam pro nobis aſſumpſit. Et id quidem cognouit Abraham completum eſſe per teſtificationem Iuſti Symeonis, qui poſt Dominum ſuſceptum in vlnis requieuit in pace, & intimauit ſanctis Patribus eum Natum, aut per DENVNTIATIONEM ANGELORVM SANCTOS PATRES VISITANTIVM SÆPIVS, *& quæ conſolationem eis afferrent, ſpemque propinquæ liberationis præſtarent, benigniter ipſis ſignificantium.* Poterant ne aut elegantiùs, aut luculentiùs conſolationes, quibus Angeli Defunctorum Animas apud Inferos commorantes viſitant, & confortant explicari? O' ſummam & egregiam Cœleſtium ſpirituum in animas mortuorum clementiam.

Lætum liberationis nuntium animabus mortuorū Angeli detulerunt.

10 Quam item verba illa confirmant, quæ, Chriſto per actâ Mundi redemptione ad demoliendos inferorum carceres deſcendente, imperioſè, ac militariter inſonuerunt. *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex Gloriæ* Pſal. 23. 7. ſi quidem hæc Angelorum verba fuerunt, quibus allocuti ſunt principes tenebrarum, cùm ad Inferos deſcenderunt, vt animabus iuſtis Mortuorum, Chriſto iam mortuo, liberationem annuntiarent; Habeo D. Epiphanium oratione de ſepulturâ Chriſti huius mentis aſſertorem, cuius hæc ſunt Verba apud Baëzam lib. primo in Euangelia cap. 7. § 1. *Poſtquam illuſtris ille coetus vnà cùm Domino ad carceres vndique aditum præbentes, inferniquc tecta deuenit, dux exercitûs Gabriel, quaſi iam læta nuntia hominibus deferre aſſuetus, cæteros anteuertens, vocem contrà aduerſarias poteſtates edidit, tollite portas Principes Veſtras.* Adeò in animas defunctorum procliuia ſunt Angelorum ſtudia, vt ad tenebrarum portas confringendas, ad læta nuntia ferenda, ad captiuos mortuos eripiẽdos, ad cruciatas animas conſolandas, non dedignentur ad loca deſcendere Inferorum.

D. Epiphanius.

Defunctorum figuram aſſumunt, vt eis officium ſepulturæ obtineant.

11 Neque hoc tantùm Angelis ſufficit, quòd mortuis pietatem impendunt, ſed etiam alios ad eamdem pietatem impellere conantur. Multi feruntur mortui apparuiſſe in ſomnis viuentibus, & loca eis demonſtraſſe, in quibus cadauera ſua ſine ſepulturæ honore proiecta iacebant. Has autem viſiones, licet non reprobet. D. Auguſtinus, docet tamen lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 10. non animas mortuorum, quę alibi detinentur, viuis apparere, ſed Angelorum operatione defunctorum curam ijs, quibus talia indicantur, mandari. Quandoquidem Angeli eâ pollent in defunctos clementiâ, vt etiam alijs pietatẽ in eos perſuadere conſueſcant. Subijcio Verba Sancti Patris, ANGELICIS IGITVR OPERATIONIBVS *fieri crediderim, ſiue permutatur deſuper, ſiue iubeatur, vt aliquid dicere de ſepeliendis corporibus ſuis videantur in ſomnis, cùm id penitus neſciant, quorum illa ſunt corpora: id autem aliquando vtiliter fit, ſiue ad Viuorum qualecunque ſolatium, id quos pertinent illi mortui, quorum apparent imagines ſomniantibus; ſiue, vt his admonitionibus generi humano ſepulturæ commendetur humanitas.* Mortuorum Angeli curam gerunt, quibus vt ſepulturę neglectæ officium obtineant, ſepè, ſe, ac ſi defunctorum animæ eſſent, oſtendunt.

D. Auguſt.

12 In Caloe huius Capitis addo quod D. Thomas docuit in 4. ſententiarū diſt. 21. quęſt. 1. art. primo, Animas defunctorum in igne Purgatorio Angelorum miniſterio nequaquam torqueri. Cuius doctrinæ veriſſimæ rationem à pietate, quâ mortuos Angeli proſequũtur deſumens. *Nec purgantur,* inquit, ANGELORVM MINISTERIO, *quia ciues ſuos non tam vehementer affligerent.* Non torquent Angeli animas, quę in Purgatorio torquentur, nec enim poſſent, quas adeo amãt, affligere, quaſque tantâ pietate proſequuntur torquere. His igitur Angelica in defunctos pietas valdè commendatur, & noſtra in eoſdem clementia exemplo Angelorum non modicum excitatur.

Non poſſunt Angeli, quas adeò amant Purgatorij animas, torquere.

CAPVT XXII.

Exequiarum officium Angeli Defunctis impendunt.

1 ILlud quoq; pietatẽ immortaliũ ſpirituũ in ſpiritus mortuorũ cõmendat, quòd eorum cadaueribus pium exequiarum officium præſtare non detrectant. Et quidem, cùm eò tendam, vt probem Angelos nihil eorum omittere, quæ ad exequias pertinent mortuorum, placet ordinatè procedere, atque ab ijs, quæ priùs fieri ſolent, incipere. Primum igitur, quod in mortuorum exequijs ſtatim à morte debetur, pietatis obſequium, eſt luctus oculorum, & fuſio lachrymarum. De quo luctu Petronius Arbiter in ſatyrico, *Recens cadauer matrona* DEFLEBAT. Suetonius in Tit. cap. 11. *Non ſecus, atque* IN DOMESTICO LVCTV *mœrentibus publicè cunctis, Senatus, priuſquam edicto conuocaretur, ad curiam cucurrit.* Virg. lib. 6. Æneidum.

Mortuos Angeli Lugent.

Luctus pro mortuis.

Petronius.

Suetonius.

Nec minus interea Miſenum in littore Teucri
FLEBANT, *& cineri ingrato ſuprema ferebant.*

Ouid. lib 4. Metam.

Ouidius.

Vulnera ſupplent LACHRYMIS FLETVMQ; *cruori*
Miſcuit, & gelidis in vultibus oſcula figens
Pyrame clamauit, quis te caſus ademit.

Et Iuuenalis lib. 5, Satyrâ 13. queritur hoc obſequium feruentiùs pro iacturâ exhiberi numorum, quàm pro funeribus mortuorum.

Iuuenalis.

Et maiore domûs gemitu, maiore tumultu
PLANGVNTVR *nummi, quàm funera.*

Hoc ergò pietatis officium in mortuorum exequijs Angelos præſtitiſſe diſco ex Philone in lib. Biblicarum Antiquitatum. Moyſen ad montis Nebo verticem Dominus deduxerat, vbi mox, vt oculis terrã promiſſionis luſtrauit, vitâ functus, & nemine illius ſepulchrum agnoſcente, ſepultus fuit. *Mortuuſq; ibi Moyſes eſt ſeruus Domini in terrâ Moab iubente Domino, & ſepeliuit eum in Valle terræ Moab contrà Phogor, & non cognouit ho-*

mo

mo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem Deut 34. 6. Miror, quòd tantus Vir in abditâ montis parte ſit humatus! Cur non potius publicè fuit ſepultus, vt in exequijs tanti Ducis congruum luctum populus celebraret Hebræorum? Numquid non decebat adeò religione, ac pietate inſignem lugere Legislatorem? Decebat: Vndè, quem ad vitandum idolatriæ periculum, non niſi poſt ſepulturam, turba plorauit Hebræorum, ad augendâ exequiarum pompam, dum ſepeliebatur, multitudo luxit Angelorum. Digna ſunt, quæ hic afferantur Philonis Verba, *Sepeliuit eum* (Deus) *iuxtà quod promiſerat ei*, ET LVXERVNT ANGELI IN MORTE EIVS. Exequias mortuis facere pietas non detrectat Angelorũ, quapropter, vt Moyſi defuncto ſolemnes celebrarent exequias, eo modo, quo Angeli poſsũt, egregiâ pietate in eius Morte luxerũt.

Philo.

2 Poſt luctum in exequijs, conſtructio ſequitur ſepulchri, cuius meminit Valerius Maximus lib. 4. cap. 6. *Amici, ſicut erat, togatum, & calceatum corpori coniugis iunxerunt, ac deindè ſubiectis facibus vtrumque vnà eremarunt. Quorum ibi* FACTVM SEPVLCRVM *Tarenti etiamnum conſpicitur quod Vocatur* τῶν φιλούντων, & Virgil. lib. 6. Aeneidum.

Sepulchrum eis conſtruunt. Valerius Maximus.

At pius Aeneas ingenti mole SEPVLCRVM
IMPONIT, *ſuaque arma viro, remumque, tubamque,*

Virgilius.

Sepulchra verò Angelos ædificaſſe defunctis ex eo conſtat quòd Martyris Clementis cadaueri in mare impiè proiecto habitaculum parauerunt, & ad modum marmorei templi conſtruxerunt. Teſtatur id Breuiarium Romanum in reſponſorijs Lectionum, quæ in eius feſtiuitate leguntur his verbis. *Dediſti habitaculum Martyri tuo Clementi in mari in modum templi marmorei* ANGELICIS MANIBVS PRAEPARATVM. O' præclaram Angelorum in Mortuos pietatem qui eis, ne peſſum eant, habitacula parare, atque in mari quoque ſepulchra conſtruere non dedignantur.

Breuiarium Romanum.

3 Venio nunc ad cadaueris elationem, quâ nihil apud Authores frequentius Martialis lib. 8. Epigr. 43.

Mortuos interdũ efferre Angeli non renuerunt. Mortuorum elatio.

EFFERT *vxores Fabius Chriſtilla maritos*
Funereamque torris quaſſat vterque facem.

Petronius Arbitrer in Satyrico. *Hæc ergò, cùm virum* EXTVLISSET *non contenta vulgari more funus, paſſis proſequi crinibus, &c.* & alij paſſim. Angeli verò, vt mortuis pietatem impenderent, eos interdum extulerunt. Mortuus eſt Lazarus ille, qui ad ianuam diuitis vlceribus, & fame viuens torquebatur, & antiquam mendicitatem nouâ fælicitate commutauit. At quis eum ad ſepulturam extulit, vt præclaræ mortuo celebrarentur exequiæ? Audi Lucam cap. 16. 22. *Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Cœleſtium ſpirituum agmina defunctum Lazarum extulerunt, & cui turba defuit famulorum, cœtus obſecutus eſt Angelorum. Vndè Auguſtinus lib. de *Curâ pro mortuis gerendâ*, hæc habet. *Præclaras exequias in conſpectu hominum, præclaro illi Diuiti turba exhibuit famulorum, ſed multò præclariores in Conſpectu Domini vlceroſo illi pauperi* MINISTERIVM PRÆBVIT ANGELORVM, *qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ ſinum ſuſtulerunt.* Mortuos efferre Angeli conſueuerunt; vndè, vt mortuo pauperi exequias celebrarent, eum in Abrahæ ſinum extulerunt.

Petronius.

D. Auguſtinus.

4 Elata mortuorum cadauera viuentium plurimi ad ſepulchrum comitabantur, quem ritum obſeruat Cornelius Tacitus lib. 3. Annalium, vbi de funere agens Germanici, cuius reliquias Agrippina ferebat COMITATVM, ait, *Agrippinæ longo mœrore feſſum obuij, & recentes in dolore anteibant* Apuleius lib. 8. metam. *Funus verò toto feralem pompam* PROSEQVENTE POPVLO *deducitur ad ſepulturam*, vbi Beroaldus rationem tangens, cur mortuos proſequamur, inquit. *Ordo pompæ funeralis hic eſt, vt funus præcedat, nos ſequamur, quaſi poſt ipſum defunctum morituri.* Propertius tandem, vt alios omittam, ad Cynthiam ſcribens, quæ ſibi defuncto præbitura eſſet obſequia prædicens, cecinit.

Angeli funera comitãtur. Mortuorum comitatus. Cornelius Tacitus. Apuleius. Beroaldus. Ratio cur viui funera proſequantur.

Tu verò nudum pectus lacerata SEQVERIS,
Nec fueris nomen laſſa vocare meum.

Sed hoc quoque obſequium mortuis Angeli præſtiterunt. Et in primis Beatâ Virgine Chriſti Matre defunctâ, eius feretrum Apoſtolorum manibus geſtatum Angeli præcedebant, ſequebantur, & ſtipabant. Hoc nos docet Nicephorus lib. 2. Eccleſi. Hiſtoriæ cap. 22. *Cereis ardentibus prælatis, & vnguentis, floribuſque ſparſis, atque* ANGELIS COELITVS FERETRVM, VEL PRÆEVNTIBVS, VEL STIPANTIBVS, VEL ETIAM CONSEQVENTIBVS, *diuinis Patribus, & Apoſtolis Mirifica quædam Carmina concinentibus, intellectualis illa, atque ſpiritualis arca ex Sion in Gethſemani Apoſtolicis eam geſtantibus manibus fertur.* Quid? quòd & Virginis Agathæ cadauer pluſquam centũ Angeli armis, & pulchritudine conſpicui, dum ad ſepulchrum deferretur, ſunt comitati? Id ex D. Vincentio Ferrerio ſerm. de Sanctâ Agathâ decerpſi. *Cùm autem corpus ſepeliretur, ecce quidam Iuuenis ſericis indutus, quem* SEQVEBANTVR *plus quã centũ alij armati, & pulchri, quos nemo vnquam viderat.* ANGELI AVTEM ERANT. Quis hîc Angelorum non admiretur in defunctos pietatem, qui adeo illis obſequuntur, vt eorum funera, & comitentur, & præcedant, & ſequantur.

Nicephorus. D Vincentius Ferrerius.

5 Mortuos fuiſſe cum cantu elatos, præterquam, quòd mos idem adhuc viget, multi referũt ex antiquioribus. Hinc ortum habuit carmen quod appellabatur Nænia, de quo Feſtus Grammaticus. NÆNIA *eſt Carmen, quod in funere laudandi gratiâ* CANTATVR *ad tibiam.* Hinc

In Chriſti exequijs Angeli cecinerunt. Cantus pro Mortuis. Feſtus.

Macrobius

Macrobius lib. 2. in ſomnium Scipionis cap. 3. dixit *Mortuos quoque ad ſepulturam proſequi oportere* CVM CANTV *plurimarum gentium, vel regionum inſtituta ſanxerunt.* Hinc demum Ouidius lib. 6. Faſtorum cecinit.

Ouidius.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis
CANTABAT *mæſtis tibia funeribus.*

Cecinerunt ergò in mortuorum funeribus Angeli? Vtique. Quærebat Magdalena in monumento Chriſtum, quem adhuc exiſtimabat morte peremptum. At dum plorans ſe inclinauit, duos Angelos vidit Albis indutos, & intrà ſepulchrũ, vbi fuerat Diuinum Cadauer, ſedentes. *Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos in Albis ſedentes, vnum ad Caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat Corpus Ieſu.* Ioan. 20. 12. Quid intrà monumentorum mortuorum ædem, ſpiritus agebant immortales? Quid Cœleſtium ſedium incolæ in vacuo ſedebant ſepulchro? Angeli erant, qui ad ſepulturam Chriſti conuenientes, eius exequias cũ cæteris decantauerant. Hùc alluſit Ludolphus Carthuſianus de Vitâ Chriſti parte 2. cap. 66. *Illius exequias* ANGELOLVM MILLIA MILLIVM DECANTABANT, QVI OMNES CONVENERVNT AD SEPVLTVRAM DOMINI SVI. Nedùm ad Chriſti ſepulturam conuenerunt, ſed etiam eius exequias angelicâ Voce ſpirituum Cœleſtium agmina cecinerunt;

Ludolphus Carthuſ.

6 Quin, & in Exequijs Diui Martini Angelos ceciniſſe teſtatur Breuiarium Romanum in lectionibus eius feſtiuitatis bis verbis. *Animam Deo reddidit, quam* ANGELORVM CHORVS EXCEPIT, EOSQVE DIVINAS CANENTES LAVDES *multi, inprimiſque ſanctus Seuerinus Colonienſis Epiſcopus audierunt.* Imò D. Antoninus primâ parte tit. 5. cap. 6. obſeruat ad exequias huius ſancti Beatum Ambroſium apparuiſſe tunc Mediolani degentem, & cum cæteris officium ceciniſſe presbyteris. Quo autem pacto poterat Ambroſius, & Mediolani corporaliter remanere, & in Turonenſi diœceſi exequias defuncto Martino celebrare? Non Ambroſius, ſed Angelus formam accipiens Ambroſij exequijs aſtitit, & cum alijs officium pro defuncto cantauit. Accipe D. Antoninum hæc loquentem *Apparitio Beati Ambroſij, & officiatio eius ad exequias Beati Martini* PER ANGELVM FVIT IN FORMA EIVS, *cùm ipſe corporaliter remanſit Mediolani.* Angelus Ambroſij formam gerens exequias Diuo Martino celebrauit, & cum alijs officium pro ipſo in choro cantauit.

Idem in exequijs D. Martini egerunt.
Breuiarium Rom.
D. Antoninus

7 Poſt lugubrem cantum funebres defunctorum laudes recitatas fuiſſe memoriæ prodiderunt Cornelius Tacitus lib. 3. Annalium, qui de funere Germanici loquens ait, *Defletum in foro,* LAVDATVM PRO ROSTRIS, *cunctis à Maioribus reperta, aut quæ poſteri inuenerint cumulata.* Plutarchus in Fabio. ORATIONEM, *quam habent in clarorum virorum funere propinqui, ipſe in foro dixit.* Plinius libro 11. Epiſtolâ primâ LAVDATVS EST *à Conſule Cornelius Tacito, nam hic ſupremis fœlicitati eius cumulo acceſſit* LAVDATOR ELOQVENTISSIMVS. Catanæus ad eamdẽ epiſtolam. *Qualicumque functos vitæ fine* LAVDARI IN FORO *inſtituerunt.* Laudes Verò defunctorum, & Angelos dixiſſe reperio. Moyſen namque mortuum Angelos laudaſſe refert Rabbi Iacob filius Chauiu in primo סוטה his Verbis משה מת ומוטל בכנפי שכינה ומלאכי השרת אומרים צדקת ה׳ עשה ומשפטיו עם ישראל *Moyſes Mortuus eſt, dũq; in diuinitatis brachijs requieſceret,* ANGELI MINISTRANTES, DICEBANT IVSTITIAM DOMINI FECIT, ET IVDICIA EIVS CVM ISRAEL. En Angeli Defunctum laudantes, eiuſq; præconia ore ſuauiſſimo celebrantes. Quòd itẽ eos egiſſe in funere Beatiſſimæ Dei genitricis teſtatur D. Ioannes Damaſcenus Oratione 2. de illius dormitione. ANGELORVM *in primis* LAVDES MORE SVO CANENTIVM, *ſanctorum indè Patrum carmina diuino pulſata ſpiritu dicentium, ordo ſubſequitur.*

Defuncles Angeli laudauerunt.
Laudes funebres.
Cornelius Tacitus.
Plutarchus.
Plinius.
Catanæus.
Rab. Iacob.
D. Ioannes Damaſcenus.

8 Funebri Oratione abſolutâ cadauer ſepeliebatur; vndè Suetonius in Octauio cap. 100. poſtquam dixit Octauium in funere bis laudatum, ſubintulit. *Reliquias legerunt primores equeſtris Ordinis, tunicati, & diſcincti, pedibuſque nudis,* AC IN MAVSOLEO CONDIDERVNT. Verùm neque hoc pro defunctis præſtare Angeli detrectauerunt. Moyſen in Montis Vertice Mortuum, Deum ſepulturæ mandaſſe Diuinæ paginæ tradiderunt. *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terrâ Moab, Iubente Domino, & ſepeliuit eum.* Deut. 34. 5. ſed quod niſi Angelicum Miniſterium in hac Sepulturâ Deus adhibuit? Annuit, hunc locum explicans Dionyſius Carthuſianus ANGELICO MINISTERIO *inter duos Montes ſepultus eſt.* Adeò exactas defunctis Angeli celebrant exequias, vt eorum cadauera ſepelire, ac terræ mandare non abnuant.

Moyſen ſepelierunt.
Suetonius.
Dionyſius Carthuſ.

9 Hinc explicatur cauſa, cur cum Diabolo de Moyſis corpore Michaël altercauerit, de quâ altercatione Iudas diſſerit Apoſtolus in Epiſtolâ num. 9. *Cum Michael Archangelus cum Diabolo Diſputans altercaretur de Moyſi Corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ.* Michaël enim Moyſis cadauer ſepelire, ac Diabolus indignum ſepulturâ eum, qui Aegyptium occiderat, aſſerens, totis viribus id prohibere ſatagebat. In quâ tamen Controuerſiâ Michaël Victor exiſtens, Angelicis Manibus Moyſis reliquias humauit. Do Oecumenium eamdem cauſam hìc reddentem. *Dicitur Michael Archangelus* MINISTERIVM PRÆSTITISSE IN SEPELIENDO MOYSE; *id non ferebat Diabolus, ſed accuſationem afferebat propter cædem Aegyptij, quaſi Moyſes ipſius eſſet, & propterea non permittebat, vt ille honorificam conſequeretur ſepulturam.* Cadauera in exequijs mortuorũ ſepelire Angeli nõ dedignantur,

Huius ſepulturæ cauſâ cũ Diabolo Michael altercauit.
Oecumenius.

Quare

Digitized by Google

Quare Michaël Archangelus cum Diabolo, vt honorificè Moyſis cadauer ſepeliret, altercauit.

Aaron etiam Angeli ſepelierunt. & D. Catharinam.

10 Aſcenderat, Domino iubente, Aaron ad Montem Hor, vbi cùm ſemetipſum indumentis ſacerdotalibus expoliaſſet, eiſque filium induiſſet, placidâ Morte occumbens, vitam finiuit. Vbi verò, aut à quo poſt Mortem eius cadauer humatum fuerit, prorſus ignoratur. Nunquid ſummi ſacerdotis reliquias in montis reliquerunt ſupercilio inſepultas? Nunquid Moyſes, & Eleazarus fratris, & patris oſſa volucribus lanianda, & feris diſcerpenda dimiſerunt? Nunquid extremū Vitæ Diem morte claudenti, quæ mortuis impenduntur, non exhibuerunt pietatis obſequia? Non inſepultum, ſed iam Angelicis manibus in montis cauitate honorificè conditum, defunctum illud corpus reliquerunt. Teſtatur id Oleaſter in cap. 20. Numer. *Non explicat textus, qualiter ſit mortuus, aut ſepultus, & crediderim neminem hoc vidiſſe; & putarem cum poſt denudationem à Moyſe, & filio vtcumque receſſiſſe in loco ſecreto montis; & ibidem* MANIBVS ANGELORVM SEPVLTVM. Manus Angelorum Corpora ſæpe ſepeliunt mortuorum; quamobrem defunctus Aaron non alijs, quàm Angelicis manibus in mōtis vertice humatur. Quod, & in alio monte cadaueri Beatæ Catharinæ Virginis, & Martyris, eos præſtitiſſe docet in oratione illius feſtiuitatis Eccleſia his Verbis. *Deus qui dediſti legem Moyſi in ſummitate Montis Synai, & in eodem loco* PER SANCTOS ANGELOS TVOS CORPVS BEATÆ CATHARINÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS TVAE MIRABILITER COLLOCASTI. O mirabilem Angelorum pietatem in montibus defunctorum corpora mirabiliter ſepelienda collocantem.

Oleaſter.

Eccleſia.

Inſcriptiones pro defunctis fecerunt.
Inſcriptiones defunctorum.
Sidonius.
Prudentius.

11 Sepulto cadauere ſepulchrum inſcriptionibus exornabant. Quod teſtatur ex ſacris authoribus Sidonius Apollinaris lib. 2. Epiſt. 8. *Precatu parentis orbati, næniam funebrem non per elegos, ſed per hendecaſyllabos* MARMORI INCISAM, *planctu propè calente dictaui*, & Prudentius in Paſſione Sancti Hippolyti in Bibliothecâ vet. Pat.

INCISOS TVMVLIS TITVLOS, *tu ſingula quæris*
Nomina: difficile eſt, vt replicare queam.
Tantos iuſtorum populos furor impius hauſit,
Cùm coleret patrios Troia Roma Deos.
Plurima LITTERVLIS SIGNATA SEPVLCHRA *loquuntur,*
Martyris aut nomen, aut Epigramma aliquod.

Lucanus.

Et ex profanis Lucanus lib. 8.

Nautaque ne buſtum religato fune moueret
INSCRIPSIT *ſacrum ſemiuſto ſtipite nomen.*

Virgilius.

Virgilius Eclogâ 5.

Et tumulum facite, & tumulo SVPERADDITE CARMEN.

Propertius.

Propertius lib. 2. Elegiâ ad Cynthiam.

ET DVO SINT VERSVS; *Qui nunc iacet horrida puluis,*
Vnius hic quondam ſeruus amoris erat.

Tibullus.

Tibullus lib. 1. Elegiâ 3.

Quòd ſi fatales iam nunc expleuimus Annos
Fac LAPIS INSCRIPTIS *ſtet ſuper oſſa* NOTIS.

Ouidius.

Ouidius Epiſtolâ Hypermneſtræ Lynceo.

Et ſepeli lachrymis perfuſa fidelibus oſſa,
Sculptaq; ſint TITVLO *noſtra ſepulchra breui.*

Et vt cæteros omittam, Martialis lib. 10. Epigram. 17.

Martialis.

Quiſquis læta tuis, & ſera parentibus optas
Fata, breuē TITVLVM MARMORIS HVIVS *ama.*

Quin, & illud addendum mihi videtur, quòd varijs interdum idiomatibus has inſcriptiones, vt ab omnibus legerentur, inſculpere conſueuerant. Quod diſco ex Iulio Capitolino in vitâ Gordiani. *Gordiano ſepulchrum milites apud Circeium caſtrum fecerunt in finibus Perſidis* TITVLVM HVIVSMODI *addentes, & Græcis, & Latinis, & Perſicis, & Iudaicis, & Aegyptiacis literis*, VT AB OMNIBVS LEGERETVR *Diuo Gordiano Victori*, &c.

Iulius Capitolinus.

At nùm fortè Angeli defunctorum lapidea monumenta Notis exornauerunt Inſcriptis? Profectò cùm Bedę ſepulchrum eius diſcipulus carmine ornare decreuiſſet, atque incipiens; *Hae ſunt in foſſâ*, vocabulum ei non occurriſſet, ad metrum complendum idoneum, proptereaque tædio affectus receſsiſſet, ſequenti die carmen integrum Angelorum manibus reperit inſculptum, quod erat.

Hae ſunt in foſſâ Bedæ Venerabilis oſſa.

Petrus de Natalibus.

Hoc memoriæ prodidit Petrus de Natalibus lib. 5. catalogi cap. 57. *Dum alius diſcipulus eius, ipſo defuncto, titulum ſepulchro facere diſpoſuiſſet, vnico carmine Leonino, ſic incipiens, Hae ſunt in foſſâ, & vellet finire Bedæ Sancti, vel Presbyteri oſſa, nec metrum ſtare poſſet, & nullum aliud vocabulum eidem occurriſſet, attadiatus tandem iuit dormitum, & ecce manè in tumulo* MANIBVS ANGELICIS REPERIT SCVLPTVM. *Hae ſunt in foſſâ Bedæ Venerabilis oſſa.* Scilicet eò vſque pietas, quam in defunctos Angeli habent extenditur, vt eorum monumentis inſcriptiones quoque facere non dedignentur.

Angeli cadauerum Cuſtodes.
Sepulchri cuſtodia.
Petronius.
Iulius Firmicus.
Propertius.

12 Poſtremum, quod in exequijs adhibebatur, erat ſepulchri cuſtodia, cuius meminit Petronius Arbiter in Satyrico. *Græco more* CORPVS CVSTODIRE, *ac flere totis noctibus, diebuſque cæpit*, & Iulius Firmicus lib. 3. cap. 11. *Pollinctores, & Funerarios* MORTVORVM CADAVERVM CVSTODES & Propertius lib. 3. Elegiâ de imperio Amicæ.

Afferet huc vnguenta mihi, ſertiſque ſepulchrum
Ornabit CVSTOS *ad mea buſta ſedens.*

Quin, & ex ſacris libris habemus Reſpham cadauera filiorum cuſtodiuiſſe, ne beſtiæ, aut aues ea lacerarent. *Et non dimiſit aues eos lacerare per diem, neque beſtias per noctem* 2. Reg. 21. 10. Vbi Abulenſis. *Hoc autem fecit Reſpha* AD CVSTODIENDVM *ſuſpenſos*. Et Iacob legimus, ſeptuaginta diebus luctû cuſtoditum ab Aegyptijs, & Hebræis. *Fleuitque eum Aegyptus ſeptuaginta diebus* Gen. 50. 7. Ad quæ Hugo Cardinalis. *Aegyptij ſeruauerunt Iacob mortuum quadraginta diebus, & Hebræi triginta, & ita tranſierunt ſeptuaginta dies ſub amborū* CVSTODIA. Sed nunquid An-

Abulenſis.

Hugo Cardinalis.

geli mortua cadauera cuſtodierunt? Corpus Martyris Vincentij tormentorum immanitate defuncti proiecerant tortores inſepultum, ſed Coruus Sancto cadaueri aſſiſtens, à volucribus, & feris vnguibus, alis, & roſtro illud mirabiliter defendit.

Corui formã, vt cadauer cuſtodirẽt, ſũpſerunt.

Mittò quod ait D. Vincentius Ferrerius ſermone de Sancto Vincentio, Angelũ Corui aſſumpſiſſe figuram, vt à cadauere feras abigeret, ac intactas defũcti carnes cuſtodiret; *Aſſuit Coruus, qui Aues cum feris ab gebat, & creditur fuiſſe* ANGELVS. Nimirum, nec horrent irrationabilium volucrum, vt Defunctos cuſtodiant, Angeli aſſumere formam; Referam, quod habet Petrus de Natalibus lib. 1. Catal. cap. 12. Coruum apud cadauer immotum, & fixum remanſiſſe, quia circà illud ſolicitam Sanctorum Angelorũ cuſtodiã veluti admirans conſpiciebat. *In conſpectu Sancti corporis fixus cernitur, vt pote, qui* IBI ANGELORVM CVSTODIAM *mirabatur*. Vides Angelos in mortuos adeò pios, vt in eorum exequijs cadauera cuſtodire dignentur?

D. Vincentius Ferrer.

Petr. de Natalibus.

13 Conſueuerat etiam interdum ob maiorem Defunctorum honorem translatio fieri Cadauerum, Vndè D. Ambroſius cõcione de obitu Theodoſij. *Sed iam veniamus ad Auguſti corporis* TRANSMISSIONEM, & Auſonius de Sedati Rethoris cadauere ait.

Cadauera trãſtulerunt.

D. Ambroſius

Cadauerum translatio.

Auſonius.

Quamuis externâ tamen à regione REDVCIT
Te Patria, & Ciuem morte obitâ repetit

Et Ouidius lib. 3. triſtium Elegiâ 3.

Ouid.

Oſſa tamen facito paruâ REFERANTVR *in vrnâ*

At verò Angelos cadauera tranſtuliſſe defunctorum docet nos Seuerus Sulpicius, agens de translatione corporis Sancti Martini. *Operę pretium eſt etiam illud inſerere lectioni, qualiter ſanctum eius corpus, in loco, vbi nunc adoratur, fuerit*, ANGELO ANNVENTE, *translatum*. Et Beatus Petrus Damianus ſermone de translatione Sancti Hilarij his verbis. *Conſtituto igitur die in quo ſancta membra transferrent, præcedente nocte, dum Epiſcopus ſimul, & Abbas in vigilijs, & orationibus ſimul pernoctarent, repentè conſpiciunt, quòd* BEATI ANGELI DE TVMVLO, *qui iam terebratus fuerat* SANCTVM CORPVS EDVCVNT, *& in locum, qui ſibi pręparatus erat*, PROPRIIS MANIBVS INEERVNT. Quid ad rem noſtram poterat accommodatius exarari? Quis amplius de pietate dubitabit Angelorum, dum cadauera proprijs manibus tranſtulere defunctorum? Abſoluamus igitur verbis, quæ idem Pater ſubdit, caput. *In translatione ſacri corporis meritò gaudeat plebs deuota fidelium, cui* DEFENDIT EXERCITVS ANGELORVM, & concludamus, egregiâ pietate defunctis omnia exequiarum officia ab Angelis impendi.

Seuerus Sulpicius.

B. Petr. Dam.

CAPVT XXIII.

Sanctorum auxilia defunctis collata explicantur.

1 SAnctorum quoque pietas ergà defunctos in Eccleſiâ triumphãte mirabiliter effulget, poſt quorum feſtum iccircò feſtum celebratur Defunctorum, vt fidelium preces pro mortuis effuſę ad illos è Purgatorio extrahendos, fiant interceſſione Sanctorum efficaciores. Aptè D. Vincentius Ferrerius ſermone 2. in die animarum. *Sicut heri fecimus memoriam, & ſolemnitatẽ omnium Sanctorum, ita hodie fit officium de animabus, quæ ſunt* IN PVRGATORIO, *& conuenit multùm benè; quia nos non ſumus ſufficientes extrahere animas de* PVRGATORIO, IVNGIMVS NOBIS OMNES SANCTOS. Sanctorum interceſſione de Purgatorij cruciatibus animæ defunctorum eripiuntur, quarum liberationi vt meliùs conſuleret Eccleſia, feſtum omnium mortuorum feſto vniuit omnium Sanctorum.

Feſtum Sanctorum feſto vnitur Mortuorũ, vt per illos iſti adiuuentur.

D. Vinc. Ferr.

2 Idque hic cõtingere video, quod accidit, dũ feſtum celebratur, ad quod ſanctificandum Nobiles, ac Diuites concurrere frequentes conſueuerunt. Videmus enim pauperes quoque ibi multos congregari, vt eleemoſynã ſuppliciter deprecantes, Diuitum facultatibus ſuam poſsint ſubleuare indigentiam. Sic igitur dum omnes Nobiles, ac Diuites in Paradiſi aulâ reſidentes ad feſtum concurrunt omnium Sanctorum, intrà eiuſdem feſtiuitatis octauam congregantur, & pauperes in Purgatorij Carceribus cruciati, vt per Sanctorum pietatem ſuam valeant propulſare neceſſitatem. Audiamus Ioannem Bromyardũ ad hanc mentem ita loquentem. *Diuitibus congregatis ad feſtum, congregantur, & Pauperes, vt petant eleemoſynam, ita Eccleſia Pauperes illos congregauit, vt* POST FESTVM OMNIVM SANCTORVM MISERICORDIAM AB EIS RECIPIANT. Ita ille in ſummâ M. 11. 137. Diuitijs Sanctorum paupertas ſubleuatur Mortuorum, quapropter dum ſanctitatis eorum diuitiæ inuocantur, paupertatis mortuorum miſeriæ commemorantur.

Pauperes mortui ad feſtum conueniunt, ad quod congregantur Diuites Sancti.

Io. Bromyardus.

3 Hinc ortum habuit conſuetudo, quæ adhuc apud Chriſtianos obtinet, ſepeliendi cadauera, non in agris, aut ſuburbijs, ſed intrà vrbes, & in templis. Vt videlicet Sancti, quorum cultui tẽpla dicantur, ſuis interceſſionibus mortuorum animas adiuuent, qui eiſdem in templis humantur. Quam rationem tangens D. Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 4. hæc habet *Non video, quæ ſint adiumenta mortuorum, niſi ad hoc, vt dum recolunt, vbi ſint poſita eorum, quos diligunt, corpora*, EISDEM SANCTIS ILLOS, TANQVAM PATRONIS SVSCEPTOS *apud Dominum adiuuandos orando commendent*. In Eccleſijs Sanctorum cadauera ſepeliuntur mortuorum, vt vitâ functi ab æternæ vitæ conſortibus adiuuentur,

Cadauera mortuorum ſepeliuntur in tẽplis, vt ſanctos, quibus dicantur, habeant patronos.

D. Auguſtinus.

eoſque

Digitized by Google

eoſque patronos habeant in cœlis, in quorum tẽplis oſſa ſua requieſcunt in terris.

Sancti pro animabus Purgatorij exorant.

4 Huc reſpexit Hugo Cardinalis in cap. 14. Apocal. expendens illud ſecundi Machab. primo 1. *Fratribus, qui ſunt per Aegyptum Iudæis ſalutem dicunt fratres, qui ſunt in Ieroſolymis Iudæi, & qui in regione Iudæâ;* fratres enim, qui in Ieroſolymis ſunt, Sanctos in Paradiſo iam degentes; qui vero in Iudæâ, fideles intelligit adhuc in Mundo viuentes, qui omnes fratribus, qui ſunt per Aegyptum, hoc eſt Purgatorij animabus ſalutem deprecantur Cœleſtem, & à pœnis, quas patiuntur, liberationem. *Fratres, qui ſunt Ieroſolymis, ſunt Sancti iam cæleſtis Patriæ viſione recepti. Fratres, qui in regione Iudæâ, ſunt Sancti in mundo, adhuc viuentes in confeſſione verâ. Fratres per Aegyptum ſunt electi, qui ſunt in* PVRGATORIO. *His, & ſancti, qui ſunt in Mundo, &* QVI SVNT IN COELO *dicunt ſalutem, & pacem, quia pro eis orare non deſiſtunt, donec ſibi impetrent ſalutem æternam, & pacem, ideſt ſuarum pœnarum ſolutionem.* Nedum fideles huius Mundi, ſed etiam ſancti incolæ Paradiſi pro animabus Purgatorij exorant; eiſque pœnarum abſolutionem à Deo impetrant.

Hugo Card.

Per interceſſionem Sanctorum Eccleſia petit liberationem mortuorum.

5 Quod Eccleſia confirmat, dum animabus Purgatorij æternæ Beatitudinis conſortium poſtulans, id petit à Deo intercedentibus cum Beatâ Virgine Mariâ omnium Sanctorum agminibus. *Beatâ Mariâ ſemper Virgine intercedente* CVM OMNIBVS SANCTIS TVIS *ad perpetuæ Beatitudinis conſortium peruenire concedas.* Cur enim omnium Sanctorum interceſſionem deprecatur, niſi quia eos nouit, ſicut pro nobis, ita & pro Purgatorij defunctis crebras, & feruentes apud Deum effundere preces? Aſſentior Iodoco Clichtoueo id aſſerenti ſermone 3. pro Defunctis. SANCTI, QVI IN COELO FOELICES REGNANT, *ſicut ex ſincerâ charitate orant pro nobis adhuc viuentibus, vt tandem eis coniungamur in Beatitudine æternâ, ita etiam aſſiduè orant per eamdem charitatem* PRO DEFVNCTIS IN PVRGATORIO EXISTENTIBVS, *vt indè citò educantur, ſicut teſtatur Eccleſia in oratione, Deus veniæ largitor, cùm dicit ibidem: Beatâ Mariâ ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sãctis.* Non pro nobis tantùm, ſed etiam pro ijs, qui ſunt in Purgatorio Sancti deprecantur; quamobrem ad eorum imitationem idem author nos prouocat, ſubdens. *Debemus igitur* IPSOS SANCTOS *in illo pro officio diligenter imitari, & ſedulò pro mortuis orare.* Adeò quippè crebras pro mortuis preces effundũt, vt eorũ pietas, quò pro defunctis feruentius oremus, nobis imitanda proponatur.

Iodocus Clichtoueus.

Ignem Purgatorium Sancti extinguunt.

6 Loquens D. Paulus Apoſtolus de Sanctis, dixit eos, & regna viciſſe, & ignis impetum extinxiſſe. *Per fidem deuicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora Leonum, extinxerunt impetum ignis.* Ad Hebræos 11. 33. Quænam autem regna deuicerunt, & quem ignem Sancti extinxerunt? num regna deuicerunt Inferorum, & ignem Purgatorium extinxerunt defunctorum? Sanè id voluit Ioannes Cluniacenſis ſermone 5. de defunctis. *Vicerunt Regna, ſcilicet Dæmonum, extinxerunt impetum ignis,* SCILICET PVRGATORII. Tantam Sancti pietatem Defunctis impendunt, vt & Regna, in quibus torquentur, deuincant, & flammas, quibus purgantur, ſuis precibus miſericorditer extinguant.

Ioannes Cluniacenſis.

Ioſeph Præpoſitum Pincernarum orans eſt animæ Purgatorij Sãctos pro ſuâ liberatione deprecans.

7 Hanc innuebant pietatem preces, quas Ioſeph in Regio Pharaonis carcere clauſus apud Præpoſitum Pincernarum fundebat. *Memento mei, cùm tibi benè fuerit, & facias mecum miſericordiam, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere*, Gen. 40. 14. Ioſeph carceri addictus defunctos Purgatorio carceri mancipatos ſignificat: Præpoſitus autem Pincernarum, cui benè erat, Sanctos, quibus in Cœlo benè eſt, indicat. Ioſeph ergo Præpoſitum Pincernarum orat, vt Pharaoni ſuam ſuggerat liberationem, quia defunctorum animæ in Purgatorio cruciatæ Sanctos, qui ſunt in Cœlo deprecantur, vt ſuis apud Cœleſtem Regem interceſſionibus ſe ab illo flammarum carcere quamtocyus eripiant. Hæc debemus Guillelmo Pepino in pſal. 65. pœnit. *Ioſeph quemlibet exiſtentem* IN PVRGATORIO *ſignificat, Præpoſitus Pincernarum* QVEM LIBET BEATVM, AD QVEM PORRIGIT PRECEM, ET ORATIONEM IN PVRGATORIO DETENTVS, *vt faciat eum eo miſericordiam, maximè cùm illi benè ſit in Cœlo, vt ſuggerat Pharaoni, ideſt æterno Regi, vt educat eum de illo carcere* PVRGATORII. Sanctos animæ Defunctorum exorant, vt à Purgatorio carcere liberentur, eorum namque pietatem agnoſcentes, ſe ſperant, illis intercedentibus, citò à flammis eripiendos. Nec enim Præpoſitum imitantur Pincernarum, qui Ioſephi oblitus eſt in carcere clauſi, ſed cœleſtem Regem pro exiſtentibus in Purgatorio carcere aſſiduè precantur. Quod probans præcitatus author, ſubdit. SANCTI *magis feruent charitate, quàm cùm eſſent in viâ, ſed quando erant adhuc in viâ frequenter orabant pro exiſtentibus in* PVRGATORIO; *ergò multò magis in Cœlo.* Feruentiùs in Cœlo Purgatorij animas diligunt Sancti, quàm diligerẽt in terrâ, quare ſi in terrâ conſtituti pro eis orabant, multò feruentiores in Cœlo repoſiti pro illis preces effundent.

Guillelmus Pepinus.

Nedùm pro viuis, ſed etiam pro defunctis Sancti deprecantur.

8 Quod dicimus firmat apparitio, quâ noſtur no tempore Iudæ Machabæorum Principi ſe Onias, & Ieremias manifeſtarunt, quandoquidem Onias dixit Iudæ, *Hic eſt Fratrum amator, & Populi Iſrael: hic eſt, qui multùm orat pro Populo, & vniuerſâ Ciuitate, Ieremias Propheta Dei* 2. Machabæorum 15. 14. ex quo loco arguit in Bibliothecâ Vet. Pat. lib. 1. cap. 18. Lucas Tudenſis quòd ſi Sancti veteris teſtamenti pro alijs orabant, licet in lymbo incluſi, multò potiori iure pro viuis, & defunctis orabunt vtriuſque teſtamenti Sancti, non apud Inferos poſiti, ſed ad Cœlos euecti. *Cùm igitur*, hæc ſunt eius verba, *Veteris teſtamenti Sancti, qui ante Paſſionẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti erant in inferno, hoc eſt in ſinu Abrahæ, pro populo Dei orare credantur, multò magis dum liberati ab omni*

Lucas Tudenſis.

corru-

corruptione modò tam illi, quàm Sancti nouæ gratiæ regnant cum Chriſto, pro fidelibus orare viuis, atque defunctis credendi ſunt. Orant defuncti, quos Cęlum beat pro defunctis, quos Purgatorium torquet, & animæ illæ, quæ, vt purgentur, cruciantur, Sanctos æternæ Beatitudinis Patriæ incolas anteà interceſſores experiuntur, quàm ſocios.

A Sanctis pietas in defunctos Sancta nuncupatur.

9 Cùm ergo adeò ad Sanctos pertineat orare pro mortuis, rectè dicitur ſancta, & ſalubris illa cogitatio, quâ pro defunctis exorare viri pietate præditi decernunt. SANCTA *ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*. 2. Machab. 12.46. Quin & Auſonius in prętatione ad Parentalia nihil ſanctius dixit haberi eâ pietate, quâ viui recordantur mortuorum. *Nec quicquam* SANCTIVS *habet reuerentia ſuperſtitum, quàm, vt amiſſos venerabiliter recordetur*. Tantâ quippè in mortuos pietate afficiuntur Sancti, vt ab eis pietas in defunctos Sancta nuncupetur.

Nihil hac pietate ſanctius. Auſonius.

Pietate in Defunctos Sanctitas manifeſtatur.

10 Quapropter cùm tam Sancta, & Sanctorum propria ſit hæc pietas, nil mirum, ſi ad hominum ſanctitatē manifeſtandam apprimè conducat. Sepeliebant quidam cadauer in loco Eliſęi ſepulchro propinquo, cùm aduenientes de terrâ Moab latrones extrema, quibus ei parentabant, impedierunt pietatis officia. Timuerunt enim latrunculos viri, & proiecto in Eliſæi ſepulchro cadauere abierunt. *Quidam autem ſepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in Sepulchro Eliſæi* 4. Reg. 13.21. Ad quæ ſciſcitatur Abulenſis, cur dum proprium non poterant pro cadauere fodere ſepulchrum, in ſepulchro illud proijcerent Eliſæi. Non nè poterant corpus ibi relinquere inſepultum, donec latrones tranſirent, vt poſteà redeuntes, in eo, quod parauerant, illud reconderent ſepulchro? Non nè id quoque ſatius fuiſſet, ac eſpeditius ad euitandas, quas verebantur, contumelias latronum? Cur igitur Eliſæi conditorium reſerare, atque in eo cadauer alienum reponere maluerunt? Placet reſponſio, quâ nodum ſoluit idem Abulenſis, dicens, hoc Deum diſpoſuiſſe, vt ſanctitatem maniſeſtaret Eliſæi. *Voluit Deus oſtendere* SANCTITATEM ELISÆI *poſt mortem, ad hoc, quòd prophetiæ ſuæ firmæ manerent, ideò dedit ei iſtam famam, quòd ad tactum oſſium ſuorū ſuſcitaretur mortuus*. Pietate in mortuos vera hominum ſanctitas maniſeſtatur; quare Deus vt declararet Eliſęum Sāctum, eum declarauit etiam mortuum in mortuos pium.

Abulenſis.

11 Vndè factum eſt, vt cùm idem Eliſæus viuens mulieris Sunamitidis Filium ſuſcitauit, hæc ad pedes illius corruerit, eumque procidens adorauerit. *Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit ſuper terram*. 4. Reg. 4. 37. Quomodo hæc mulier corruens ad pedes hominis, eum ſuper terram adorat? Adoratio eſt actus reuerentię Deo, non autem homini exhibendus, vndè ſcriptum eſt Deut 5. 9. *non adorabis ea, & non coles*. Cur igitur Sunamitis, dum filium recuperat viuū, Eliſæum adorat? Duplicem adorationem Theologi diſtinguunt. Latriam, quæ ſoli Deo debetur, & Duliam, quæ Sanctis tribuitur. Hæc igitur mulier, non primâ, ſed ſecundâ Eliſæum adoratione adorauit, venerans vt Sanctum, quem erga ſuum mortuum clementē conſpiciebat, ac pium. Hæc eiuſdē Abulenſis mens eſt locum illum ita explicantis. *Adorauit Eliſæum adoratione duliæ in ſignum* MAGNAE SANCTITATIS, *quia nunc verè apparebat, quòd Eliſæus erat vir* SANCTVS. Sanctitas arguitur ex pietate, quæ Defunctis exhibetur; vndè tunc mulier cultu Sanctis debito Eliſæum adorauit, cùm iſte mortui amiſſam vitam reſurrectione reparauit.

Eliſæus adoratur vt Sanctus, cùm mortuum reſuſcitat.

Idem.

12 Chriſtum quoque, cū Filium Viduæ Naim ſuſcitauit, Populi exaltabant, dicentes, *quia Propheta magnus ſurrexit in nobis*. Luc. 7. 16. Quid verò innuebant, cùm eum magnum appellabant? an magnitudinem Sanctitatis eius his vocibus extollere volebant? Ita docet D. Dionyſius Carthuſianus. *Propheta magnus ſurrexit in nobis, hoc eſt* MAGNAE SANCTITATIS, *& poteſtatis*. Menſura Sanctitatis eſt exhibitio pietatis, & ideò cùm turbæ Iudæorum magnitudinem pietatis Chriſti ergà defunctum viderunt, magnitudinem ſtatim illius ſanctitatis toto conatu extulerunt.

Magnus in pietate erga Defūctos, magnus eſt etiā in Sanctitate.

Carthuſianus.

13 Hinc ratio intelligitur quam affert D. Io. Chryſoſtomus, vt probet mulierem, quæ vnguento pretioſo caput Chriſti Bethaniæ in domo Simonis leproſi, ad ſepulturam eius honorandam, perfudit, aliam fuiſſe ab eâ, quæ pedes eiuſdem Chriſti lachrymis lauit, & crinibus abſterſit. *Mulier iſta*, inquit homil 14. in Marcum, *quæ fregit alabaſtrum, & ipſum vnguentum fudit ſuper caput, non eſt ipſa, de quâ in alio Euangelio dicitur, quòd pedes Domini lauerit: illa enim, quaſi meretrix, & peccatrix adhuc pedes tenet, iſta quaſi* SANCTA *caput tenet*. Non meretrix, nec peccatrix, ſed ſancta erat, quæ Chriſti caput ad eum ſepeliendum vngebat. Porrò perfectâ ſanctitate ſunt conſpicui, quicumque pietatem in defunctos, & eorum ſepulturam profitentur.

Sancta fuit mulier, quæ Chriſtum vnxit ad ſepulturum.

Ioan. Chryſoſtomus.

14 Hocque voluit Lucas, cùm Ioſeph ab Arimathæâ, qui Chriſti cadauer humauit, virum bonum dixit, ac iuſtum. *Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat Decurio, vir bonus, & iuſtus*. Luc. 23. 50. Dum enim bonum dixit, ac iuſtum, impollutum ſignificauit, ac ſanctum. Annuit Abulenſis in 2. Paralip. 16. quęſt. 41. SANCTVS VIR *erat Ioſeph ab Arimathæâ, & ipſe vnxit corpus Domini*. Sanctorum eſt clementiam exhibere defunctis, vndè iurè ſancti nomine Ioſeph inſignitur, qui tantam in Chriſti funere pietatem oſtendit.

Sancti nomine Ioſeph inſignitur dum Chriſti funeri pietatem impendit.

Abulenſis.

15 Quin & idem Abulenſis 2. Reg. cap. 14. quæſt. 9. obſeruat nullum in veteri teſtamento commendari ſanctum, qui, lachrymis obortis, funeribus non parentauerit mortuorum. Luxit Abraham vxorem ſuam Saram, eique ſepulturam ab Hethæis impetrauit. *Venitque Abraham vt plangeret, & fleret eam, cùmque ſurrexiſſet ab officio funeris, locutus eſt ad filios Heth &c*. Gen. 23. 2.

Nullus commendatur ſāctus, qui funera non honorauerit mortuorum.

Detu-

Digitized by Google

Detulerunt filij Iacob ad Chananæorum terram patris cadauer, & poſt exequiarum ſolemnitatem in ſpeluncâ illud ibi condiderunt. *Sepelierunt cum in ſpeluncâ duplici, quam emerat Abraham cum agro in poſſeſſionem ſepulchri*. Gen. 50. 13. Dauid etiam cum omnibus, qui ſecum erant, ſcidit veſtimenta ſua, & ſuper Saul, & Ionatham defunctos fleuit, ac ieiunauit. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua, ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius* 2. Reg. 1. 12. Tobias quoque ſolerti diligentiâ ſepulturam defunctorum cadaueribus exhibebat. *Mortuis, atque occiſis ſepulturã ſolicitus exhibebat*. Tob. 1. 20. Et ne diutiùs rem protraham, verbis Abulenſis vtar. *Nullus eſt* SANCTORVM VIRORVM *veteris teſtamenti, qui carorum funeribus pias lachrymas non impenderit*. Adeò quippè ad ſanctos pertinet pietas in defunctos, vt nullus ſanctus fuerit, qui hanc eis pietatem aliquo modo non impenderit.

Abulenſis.

Somniantes viuos sancti ad pietatem excitant ergà defunctos.

16 Nec enim tantùm veteris, ſed etiam noui teſtamenti Sancti in mortuos clementiſſimi extiterunt. Inter quos, cùm Petrus principem locum habuerit, eâ in defunctos pietate fulſit, vt nedùm viuens illam exhibuerit, ſed etiã mortuus, & exercuerit, & exercendã alijs propoſuerit. Quodq; mirũ eſt, nõ tantùm vigilantibus, ſed & ſomniantibus hanc voluit ſuadere pietatem. Id clarè teſtatur Breuiarium Romanum, dum corpora Sanctorum Martyrum Marcellini, Claudij, Cyrini, & Antonini, Sancto Petro Beatum Marcellum in ſomnis admonente, honorificè Romę ſepulta fuiſſe, commemorat. *Quorum proiecta corpora, cùm triginta ſex dies iuſſu Imperatoris ſepulturâ caruiſſent, Beatus Marcellus* A' SANCTO PETRO IN SOMNIS ADMONITVS *presbyteris, ac diaconis, hymnis, & luminibus adhibitis, honorificè ſepelienda curauit in Coemeterio Priſcillæ viâ Salariâ*. Ita in lectionibus ſub die 26. Aprilis. Ex quibus clarè conſtat Sanctos ita pro defunctorum curâ vigilare, vt & dormientes inſpirationibus impellere, & ſomniantes ad eam ſtudeant ſuis admonitionibus excitare.

Breuiarium Romanum.

Sanctorum, precib⁹ à Purgatorij pœniſcido animæ liberantur.

17 Caput obſigno, & Lazarum Mariæ, ac Marthæ precibus ab inferis excitatum recolens, cum Vincentio Belluacenſi in ſpec. mor. lib. 2. diſt. 13. par. 1. ſic arguo. Si deprecantibus ſororibus Deus ab inferis mortuum eruit, quantò magis orantibus ſanctis mortuorum animas, vt eis vitam æternam retribuat, à Purgatorio eripiet? Si precibus Mariæ, ac Marthæ vitam Lazaro non debitam impertiuit, cur non potiùs precibus ſanctorum æternam vitã Purgatorij animabus debitam, licet ob purgationem dilatam, retribuet? *Si Dominus*, inquit Vincentius, *ad preces Mariæ, ac Marthæ liberauit Lazarum de inferno, multò fortiùs videtur, quòd ad preces* SANCTORVM *debeat eis vitam æternam, quam debet eis, citiùs ſoluere, quàm culpæ ſuæ exegerunt, quod eſt à* POENA PVRGATORIA *eos liberare*. His ſanctorum auxilia defunctis collata explicantur, & eorum precibus Animas à Purgatorio liberari non obſcurè probatur.

CAPVT XXIV.

Apoſtolica in Defunctos clementia laudatur.

Apoſtoli citiùs, quàm Prophetæ mortuos ſuſcitabant.

1 QVemadmodum Apoſtolorũ prædicantium efficaciam viui, ita eorumdem exorantium clementiam ſenſerunt defuncti, quapropter ab eis pietatis in mortuos exẽpla non contemnenda ſumuntur. Obſeruatione dignum eſt id quod aduertit Abulenſis in 3. Reg. 17. Prophetas, quando ſuſcitauerunt defunctos, eorum cadauera calefeciſſe, ac propterea ſuper illa pluries incubuiſſe, quò ad mortuorum ſuſcitationem aliqualem præmitterent diſpoſitionem. Sic Elias *expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus* 3. Reg. 17. 21. Ita, & Eliſæus *Aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri* 4. Reg. 4. 34. Cur toties, vt mortui ſurgerent, Prophetæ ſe incuruabant? Cur antequam ſuccederet ſuſcitatio, carnis præcedebat calefactio? Vt Prophetæ ab Apoſtolis diſtinguerentur, qui nullâ præmiſsâ diſpoſitione, nullâ præcedente calefactione, ſolâ inuocatione Chriſti ad vitam citò reuocauere defunctos. *Non ſolùm*, inquit Abulenſis, *orabant Prophetæ ad ſuſcitandos mortuos, ſed etiam calefaciebant carnem mortuorum, vt præmitterent diſpoſitionem iſtam ad ſuſcitationem. Chriſtus autem nihil horum faciebat. Eodem modo* DISCIPVLI SVI *ſuſcitantes mortuos non faciebant hæc, ſed inuocantes Chriſtum ſuper mortuos, illicò ſuſcitabant eos*. In defunctos clementiſſimi eis citò ſuffragabantur Apoſtoli, vndè non vt Prophetæ cadauera calefacientes, ac diſponentes, ſed ſolo Chriſti nomine inuocato, priſtinam illis vitam ſtatim reddebant.

Abulenſis.

Apoſtolicâ humanitate Petrus Tabithã ſuſcitauit defunctam.

2 Cuius feſtinationis illuſtre nobis exhibuit exemplum Petrus, cùm diſcipulam quamdam nomine Tabitham in Ioppe defunctam audiuit. Vix enim id ei diſcipuli nuntiauerunt, & ſtatim cum viris, qui miſſi fuerant, veniens, illicò ad vitam mortuam reuocauit. *Miſerunt duos viros ad eum rogantes, Ne pigriteris venire vſque ad nos, Exurgens autem Petrus venit cum illis*. Act. 9. 38. Quare tantâ celeritate hanc voluit ſuſcitare diſcipulam? Cur nuntijs auditis properauit, nullâque interpoſitâ morâ impiger cum eis perrexit? Nũquid ei Apoſtolica id ſuaſit in defunctos humanitas? Profectò hæc fuit mens D. Cypriani lib. de opere, & eleemoſynis. *Tabitha operationibus iuſtis, & eleemoſynis præſtandis plurimùm dedita, cùm infirmata eſſet, & mortua, ad cadauer exanime Petrus accitus eſt, qui cùm impigrè pro* APOSTOLICA HVMANITATE *veniſſet, circumſteterunt eum viduæ flentes, & rogantes*. Apoſtolica humanitas illicò mortem ſuſpendit, ſpiritum reddidit, & diſcipu-

D. Cyprianus

lx

læ cadauer ad hanc mundi lucem rediuiuum denuò animauit.

Apoſtolic⁹ feruor intendit ſuſcitationi mortuorum.

3 Quod item accidit, cùm Paulo diſputante, ac vſque ad mediam noctem ſermonem protrahente, deorsùm cecidit adoleſcens, & vitam cõtinuò amiſit. Deſcendens enim Paulus, & magnâ pietate defunctum complexus, cunctis, qui aderant, mirantibus, vitæ illum reſtituit. *Adduxerunt autem puerum viuentem, & conſolati ſunt non minimè.* Act. 20. 12. Hæc nimirùm pietas Apoſtolicam decebat pietatem, ac feruorem. Opportunè Dionyſius Carthuſianus. *Innoteſcit quoque ex his ſolicitudo, & feruor* APOSTOLI *pro ſalute proximorum. Nam profecturus in craſtinum, totam noctem duxit inſomnem, prædicationi intendens vſque ad mediam noctem, & tunc iuuene ſuſcitato, & modico cibo ſumpto ſermonem reſumpſit.* Apoſtolicus feruor, nedùm prædicationi ad vtilitatem vacabat viuorum, ſed etiam ſuſcitationi ad viuificationem intendebat mortuorum.

Dion. Carth.

Apoſtolorum fuit curare viuos, & ſuſcitare defunctos.

4 Hoc voluit Chriſtus, cùm Apoſtolos mittẽs ad prædicandum, eis præcepit, vt ægrotos curarent, & mortuos ſuſcitarent. *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate.* Matth. 10. 8. Decebat quippè, vt quæcumque mala hominum corporibus Dæmonis liuor intulerat, hæc poteſtate deſuper acceptâ, Chriſti diſcipuli auferrent. Quapropter cùm Diabolus per peccatum, & morbos inuexerit, & mortem, Apoſtoli per gratiam, & ægrotos curare, & mortuos debebant reſuſcitare. Non ſunt hìc ſupprimenda D. Hilarij verba in catenâ. *Tota autem virtutis dominicæ poteſtas in* APOSTOLIS *refertur, & qui in Adam imagine, & ſimilitudine Dei erant figurati, nunc perfectam Chriſti imaginem ſortiuntur, vt quicquid malorum Adæ corpori Sathanæ inſtinctus intulerat, hoc rurſum ipſi de communione dominicæ poteſtatis emendent.* Apoſtolorum erat non tantùm curare viuos, verùm & ſuſcitare mortuos, vndè illis à Chriſto communicata eſt poteſtas, nedùm curandi languores viuorum, ſed etiam excitandi cadauera mortuorum.

D. Hilarius.

Apoſtoli ſali comparãtur, quia & viuis proſunt, & mortuis.

5 Hùc facit, quòd idem Chriſtus Apoſtolos alloquens, & ad Euangelicæ doctrinæ propagationem excitans, eos comparauit ſali. *Vos eſtis ſal terræ.* Matth. 5. 13. Cuius comparationis rationem libet hìc ſcrutari. Quænam enim inter ſal, & Apoſtolos conuenientia reperitur, vt ſalis nomine ſint iſti nuncupandi? Plures afferunt Sãcti Patres, inter quas ad rem noſtram ea videtur aptior, quam affert D. Hilarius in catenâ. Salis ea eſt natura, vt corporibus proſit, nedùm viuis, verùm etiam defunctis: carnem enim cadauerũ adſtringens, & exſiccans, à vermibus & putredine intacta ea conſeruat. Quod docens Plinius. *Salis*, inquit, *natura eſt per ſe ignea, & inimica ignibus, fugiens eos, omnia erodens. Corpora verò adſtringens, ſiccans, alligans:* DEFVNCTA *etiam à putreſcendo vindicans, vt durent ita per ſæcula.* Rectè igitur Apoſtolos Chriſtus comparauit ſali, vt eos oſtenderet, non tantùm pios in viuos, ſed etiam clementes in mortuos. *Eſt autem hic*, verba ſunt D. Hilarij, *proprietas quærenda dictorum, quam &* APOSTOLORVM *officium, & ipſius ſalis natura monſtrabit. Hoc igitur in omnem vſum humani generis effectũ incorruptionem corporibus, quibus fuerit aſperſum, impertit, et ad omnem ſenſum conditi ſaporis aptiſſimum eſt.* APOSTOLI *autem ſunt rerum cæleſtium prædicatores, et æternitatis velut ſatores, meritò ſal terræ nuncupati, quia per virtutem doctrinæ quaſi ſalientes, æternitati corpora ſeruant.* Meritò ſunt ſali comparati Apoſtoli, quia ſicut ſal, & ſaporem præparat viuis, & incorruptionem confert mortuis, ita Apoſtoli, & animas fidei doctrinâ ſaliebant viuorum, & corpora poſt extremum iudicij diem glorificanda ęternitati ſeruabant mortuorum.

Plinius.

D. Hilarius.

Apoſtolicũ eſt defunctis pietatem exhibere.

6 Hinc facilè cauſam attingemus, cur, dum Chriſtus Archiſynagogi puellam reuocauit ad vitam, cæteris omnibus eiectis, cum Patre, ac matre defunctæ ſolos ſecum permiſit intrare Petrum, Iacobum, & Ioannem. *Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, et Iacobum, et Ioannem fratrem Iacobi.* Marc. 5. 37. Nonnè ſufficiebant puellę parentes, vt Chriſto aſſiſterent ſuſcitanti? Quid opus erat hos tres diſcipulos inducere, dum cæteros excluſerat, qui eum, vt miraculum viderent, ſequebantur? Apoſtolicum eſt hominibus pietatem exhibere defunctis, & ideò, licet omnes alios eieciſſet, noluit Chriſtus ſine Apoſtolorum primoribus mortuam ſuſcitare puellam. Ad rem Abulenſis in Matth 9. quæſt. 120. qui poſt duas alias huius præſentiæ cauſas adductas, ſubdit. *Tertiò fuit, quia Chriſtus habebat iſtos, tanquàm tres vertices* APOSTOLORVM. Ad Apoſtolos pertinet pietas, quę mortuis impẽditur, vndè cùm ſuſcitanda eſſet puella mortua, hos congruebat inducere, qui erant vertices Apoſtolorum.

Abulenſis.

Apoſtolorum corda lætificabantur, cùm mortuis pietas exhibebatur.

7 Et profectò adeò pios in defunctos ſe ſe oſtendebant Apoſtoli, vt tunc cùm erant mortui ſuſcitandi, eorum corda lætificarentur, ac ſummâ voluptate afficerentur. Dixerat Chriſtus Apoſtolis ſibi proficiſcendum eſſe cum eis iterum in Iudæam, vt Lazarum à ſomno excitaret dormientem. Quod cum renuerent Apoſtoli, putantes, quòd de dormitione ſomni loqueretur, manifeſtauit eis Lazari mortem, & ſe ire dixit, vt eum à morte ad vitam reuocaret. Tunc, Thoma cæteros ad ſubeundum etiam mortem, ſi opus eſſet, adhortante, Magiſtrum ſecuti ſunt in Iudæam iterum abeuntem. *Dixit ergò Thomas, qui dicitur Didymus ad condiſcipulos, eamus et nos, & moriamur cum eo.* Ioann. 11. 16. Vndè tanta prouenit Apoſtolis fortitudo, vt qui paulò antè timidi pauebant, nunc mortis pericula ſubire nõ vererentur? Quis adeò illorum corda roborauit, vt, quam putabant imminentem, non pertimeſcerent cædem? Vtique illud, quod audierunt, ſe ire, vt Lazarus reſuſcitaretur defunctus. Tali nempè clementiâ præditi erant Apoſtoli, vt tunc roborarentur, atque lætificarentur, cùm vitæ beneficium defunctis erat impendendum. Subſi-

gnat

Digitized by Google

Dion. Carth.

gnat Dionyſius Carthuſianus in hunc locum, *His verbis Chriſtus* ROBORAVIT, AC LÆTIFICAVIT CORDA DISCIPVLORVM, *quoniã dixit ſe ire ad ſuſcitandum defunctum*. Suſcitatio mortuorum gaudium erat Apoſtolorum, qui tũc præcipuè, ac vehementer lætabantur, cùm pietatem defunctis exhibitam intuebantur.

Apoſtoli exequias Mariæ defunctæ celebrarunt.

8 Addo, vt hanc Apoſtolorum pietatem luculentiùs oſtendam, eos quandoque ſummâ clementiâ exequias celebraſſe mortuorum. Et ſanè de Virginis Mariç Dei genitricis exequiis apertè id teſtatur Nicephorus lib. 2. Eccleſ. hiſt. cap. 22. *Nicephorus.* *Diuinis Patribus, & Apoſtolis mirifica quadam carmina concinentibus, intellectualis illa, atque ſpiritualis arca ex Sion in Gethſemani*, APOSTOLICIS *eã geſtantibus manibus fertur*. En Apoſtoli in exequijs canentes, & loculum Deiparæ defunctæ ſuis humeris piè geſtantes.

Stephani mortui funus curauerunt.

9 Sed & Protomartyrem Stephanum obſeruo ab Apoſtolis poſt mortem curatum, ploratũ, atque ſepultum. *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eũ.* Act. 8. 2. Qui fuerunt hi viri timorati, qui extrema Stephano defuncto pietatis officia perſoluerunt? Vtique in Protomartyris morte Ieroſolymis graſſante perſecutione, omnes per Iudeæ, ac Samariæ regiones diſperſi fuerant præter Apoſtolos. *Facta eſt autem in illâ die perſecutio magna in Eccleſiâ, quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apoſtolos*. Act. 8. 1. Igitur, cùm nulli præter Apoſtolos Ieroſolymis remanſerint viri timorati, reliquum eſt, vt Apoſtoli Stephani funus curauerint, plãctum magnum fecerint, & eius exequias ſepulchrali pompâ ſolemniter celebrauerint. Habet iſtud his verbis D. Hieronymus Epiſt. 53. *D. Hieron.* *Quid paſſi ſunt* APOSTOLI, *vt immundum Stephani corpus tantâ funeris ambitione præcederent, vt facerent ei planctum magnum, vt eorum luctus in noſtrum gaudium verteretur?* Eâ pietate mortuos proſequebantur Apoſtoli, vt eorum funera ſolicitè curare, ac exequias diligenter celebrare ſtuderent.

Apoſtoli defunctorum cõmemorationẽ in ſacrificijs inſtituerunt.

10 Quin & ab ipſorum emanauit decretis, quòd in incruentis, quibus Deus placatur, ſacrificijs, quotidiana per Sacerdotes defunctorum commemoratio habeatur. Nec enim, niſi tradentibus Apoſtolis, in Miſſarum ſolemnitatibus animæ Deo commendantur mortuorum. Audio D. Ioannem Chryſoſtomum hom. 69. ad populum Antiochenum id monentem. *D. Io. Chryſ.* *Non temerè* AB APOSTOLIS *hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs defunctorum agatur commemoratio, ſciunt enim illis indè multum contingere lucrum, vtilitatem multam*. Ad lucrum, & vtilitatem mortuorum ab Eccleſiæ initio intenderunt animum Apoſtoli, & iccircò piè ſanxerunt, vt quandocũque ſacrificium Miſſæ perageretur, ſemper Deo pro mortuorum animabus preces à ſacerdote funderentur.

Hanc memoriam vſque ad mundi finem conſeruabunt.

11 Pergit D. Ioannes Damaſcenus, & hunc morem apoſtolicis decretis firmatum, apoſtolicã item prouidentiâ in vniuerſali Eccleſiâ, donec Mundus intereat, docet retinendum. Ad Apoſtolos nimirùm pertinet, nedùm inſtituere, ſed etiam orationem pro mortuis in Eccleſiâ faciendam conſeruaſe. *Seruatoris noſtri diſcipuli*, inquit Damaſcenus oratione de defunctis, *D. Io. Dama.* *& ſancti* APOSTOLI *in admirabilibus, puris, vitamque præbentibus myſterijs inſtituerunt, vt eorum, qui fideliter obiiſſent, memoria celebraretur, qui mos, neque enim aliquis vnquam contradixit, ex illo tempore ad hanc noſtram ætatem à terræ finibus vſque ad fines à Chriſti Dei* APOSTOLICA, *ac vniuerſali Eccleſiâ firmè retinetur, ac donec mundus intereat, retinebitur.* Semper in Dei Eccleſiâ viguerunt, & vſque ad Mundi finem vigebunt Apoſtolorum decreta, quibus pro mortuis in Miſſarum ſacrificijs orandum pro ſuâ in defunctorum animas pietate ſanxerunt.

Omnia ſuffragia pro defunctis ab Apoſt. cõſtituta fuerunt.

12 Concludit D. Athanaſius apud Hugonem Etherianum lib. de Regreſſu animarum cap. 15. docens omnia, quæ pro animabus mortuorum exhibentur ſuffragia, ab Apoſtolis promanaſſe, ac ab Apoſtolorum ſucceſſoribus confirmata fuiſſe. Cùm enim ſacrificia, oblationes, preces, & alia ſuffragia enumeraſſet, quæ mortuis impenduntur, addidit. *D. Athan.* *Talia doctì à Spiritu Sancto* APOSTOLI *conſtituerunt, talia ſucceſſores* APOSTOLORVM *confirmauerunt in Spiritu Dei, talia poſtmodum Eccleſiæ Doctores docendo comprobauerunt*. Apoſtolicæ debent pietati, quæcumque ſibi à viuentibus impenduntur ſuffragia, defuncti, vt hac quoque ratione Apoſtolicæ in defunctos clementia laudetur.

CAPVT XXV.

Sanctam Mariam Magdalenam in Defunctos clementiſſimam fuiſſe oſtenditur.

Magdalena ob pietatem in defunctos ad pœnitentiam conuerſa.

1 DVm Sanctorum pietatem in defunctos recolo, Magdalenam omnium clementiſſimam in eos reperio, de cuius pietate multa hic dicenda ſigillatim occurrunt: omnes enim, quas à Deo gratias obtinuit, propter ſingularem hanc pietatem impetrauit. Et verò ab eius conuerſione placet exordiri, quâ omnia carnis oblectamenta relinquens, & anteactæ vitæ labes emaculans, lachrymis rigauit, & capillis Chriſti pedes terſit. Quid hanc mulierem anteà delinquentem, reddidit ad Chriſti pedes pœnitentem? Quis eam docuit lachrymarum aquis maculas detergere cordis? Quis ei oſtendit capillorum laqueis pedes ſiſtere Redemptoris? Pietas, quâ vnguentum effundens Chriſti ſepulturam honorauit, è peccatorum procellis ad ſalutis, ac ſerenitatis portum eam traduxit. Subdo verba D. Ioannis Chryſoſtomi homiliâ de proditione Iudæ. *Ioan. Chryſ.* *Vnguentum ſuprà caput Domini effudit, paulò antè meretrix, ſubitò pudica proceſſit, & profundis obruta peccatis, portum ſerenitatis*

ratis agnouit. Statim ac eſequias præueniens Chriſti, ad eum ſepeliendum vnguenta effudit, à culpæ morte ad gratiæ vitam ſurrexit, atque inter peccatorum ſcopulos veniæ ſecuritatem inuenit.

Ob eamdem pietatem à Chriſto reſurgente viſitatur.

2 Pergo & Chriſtum poſt reſurrectionem ſtatim Magdalenam viſitantem, eiuſque mœrorem conſolantem reperio. Vt quid autem Magdalenæ reſurgens Chriſtus tantâ pietate apparuit? Vt quid mulierem, quæ ſeptem iam dæmonia receperat, viſitauit lugentem? Num id meruit ſolicitudo, quâ Chriſti ſepulchro aſtitit ſingultiens, & plorans. Diſco id ex Ioanne Echio ſermone de Animabus. *Videſne apud ſepulchrum Mariam? Meritò ergò eidem Mariæ primùm apparuit Dominus poſt reſurrectionem.* Propter pietatem, quâ mortuum, vt vngeret, requirebat, meruit Chriſtum reſpicere viuum, dumque aſſiduè inter ſepulchra lugens morabatur, è ſepulchris redeuntem vidit, ac reſurrectionis gaudia obtinuit.

Ioan. Echius.

Bis eumdem videre meruit, quia præ alijs circa monumentũ perſeuerauit.

3 Quinimò non ſemel, ſed bis Magdalenam obſeruo Chriſti apparitione dignatam. Primò quidem, cùm illum plorans quærebat in monumento. *Dicit ei Ieſus, Mulier, quid ploras? quem quæris?* Ioan. 20. 15. ſecundò verò, cùm ſimul cum reliquis mulieribus ad Apoſtolos læta redibat. *Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens, Auete.* Marci. 15. 18. Sed an non etiam aliæ mulieres, vnguentis onuſtæ, ſilentium nactæ nocturnum, vt ſacrum delinirent cadauer, ad Chriſti acceſſerant monumentum? An non ipſæ quoque religioſâ pietate defunctum plorauerãt magiſtrum? An non tandem, quo affectæ fuerant in viuum, amorem ſeruauerunt omnes in mortuum? Cur igitur vbi æqualitas eſt meriti, inæqualitas locũ habet præmij? Cur quæ fuerant in pietate conformes, factæ ſunt in conſolatione difformes? Cur inquam bis Magdalenę, ſemel verò tantùm ſe cæteris conſpiciendum Chriſtus exhibuit? Reliquæ mulieres, Chriſti cadauere non inuento receſſerant, Magdalena verò iuxtà ſepulchrum perſeuerauit, vndè factũ eſt, vt quæ prę alijs circà monumentum manſit, præ alijs etiam Chriſtum reſurgentem bis videre meruerit. Non ſupprimo B. Dionyſij Carthuſiani verba in cap. 28. Matth. *Manſit illa* (Magdalena) *iuxtà ſepulchrum, tuncque apparuit ei Saluator. Quo viſo ſecuta eſt ſocias, & cum illis rurſus vidit eum.* Magdalenam cæteris apparitione duplicatâ Chriſtus prætulit, quia cæteris feruentior in defunctum, dum aliæ à monumento recedebant, non receſſit.

Dion. Carth.

Ioanni præfertur, quia maiori diligentiâ monumento Chriſti aſſiſtit.

4 Quid? quòd nedum mulieribus, ſed ipſi etiã Ioanni, quem Ieſus præ omnibus diligebat Apoſtolis, Magdalenam præpoſuit? *Venit*, inquit idem Ioannes, 20. 18. *Maria Magdalene, annuntians diſcipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* Quid eſt. *Et hæc dixit mihi?* Nunquid Ioanni per Magdalenam Chriſti reſurrectio manifeſtatur? Nonnè Ioannes erat, quem Chriſtus prę cæteris dilexit, qui ſuprà illius pectus in Cœnâ recubuit, qui Virginis Matris cuſtos, imò & filius effectus fuit? Nonnè ab omni carnis labe intactum, quod ab vtero matris traxit, ſemper Virginitatis lilium ſeruauit? Nonnè Spiritum ſanctum in ſuo corde inhabitantem habuit, iuxtà id, quod Eccleſia ad eius laudem canit. *Poſui ſuper eum Spiritum meum?* Quo igitur pacto Magdalena, quæ fuerat famoſa in ciuitate peccatrix, de quâ Dominus ſeptem eiecerat dæmonia, quæ omnis peruerſitatis magiſtra multos ad barathrum præcipites dederat, tanto, ac tam ſancto viro præfertur, ita vt non niſi per Magdalenam, Chriſti Ioannes agnoſcat reſurrectionem? Nodũ ſoluit his verbis idem Dionyſius Carthuſianus in Ioan. 20. his verbis. *Et hæc dixit mihi Ioanni, qui recedendo antè eam, non meruit ſimul cum eâ, vel primus videre Chriſtum reſuſcitatum.* Maiorem gratiam magis circà ſepulchrum ſolicitæ contulit, ita vt etiam Ioanni eam prætulerit omnium diſcipulorum dilectiſſimo, quia diligentiorem Ioanne illam conſpexit.

Idem.

Per verba, quæ habebat frequenter de Purgat. fuit à ſecretis Chriſti.

5 Neque obſtat, quòd Ioannes cæleſtia Chriſti ſecreta cognóſcere mereretur *Beat⁹ Apoſtolus, cui reuelata ſunt ſecreta cœleſtia*; nam nec in hoc Magdalena ipſo inferior exiſtit. Ingreſſo Chriſto in Marthæ, ac Mariæ caſtellum, ſatagebat illa circà frequens miniſterium, hæc autem ad Magiſtri pedes otioſa ſedebat. Quod cernens Martha, & cum Domino de ſorore conquerens, Chriſtum audiuit ſibi reſpondentem. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.* Luc. 10. 43. Ergò melius eſt in valle quietis ſedere otiosè, quam ad montem virtutis aſcendere laboriosè? Ergò præ labore, ac miniſterio, deſidia, & otiũ commendantur? Commendabile fuit otiũ Magdalenæ, quæ ad pedes Chriſti ſedens, eumque interrogans, dum ſibi reſpondentem audiebat, à ſecretis eius erat. *Fecit eam*, inquit D. Vincen. Ferr. ſerm. de S. Mariâ Magdalenâ, SECRETARIAM SVAM. Sed quos cum Chriſto ſermones habebat, propter quos à ſecretis eius Magdalena eſſe mereretur? Sermones de mortuis, de Purgatorio, & de pœnis inferorum. *Petijt*, ſubdit, *de pœnis infernis, & de* PVRGATORIO, *& de Lymbo puerorũ, & Chriſtus ſibi dixit totum. Ecce quomodo fuit* SECRETARIA. Eã apud Chriſtũ gratiã Magdalena inuenit, vt ab eius ſecretis eſſet, quam tamen, non niſi per pietatem in defunctos, non niſi per verba, quæ libenter habebat de Purgatorio, impetrauit.

D. Vin. Ferr.

Quia venit, vt vngeret mortuum, facta fuit Apoſtolorum Apoſtola.

6 Cùm Chriſtus à morte ad vitam reſurrexiſſet, atque Magdalenam ſui præſentiâ conſolatus eſſet, ei præcepit, vt ſuam Apoſtolis reſurrectionem annuntiaret, atque Aſcenſionem. *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum* Ioan. 20. 17. Quid autem hoc fuit, niſi myſteriorum fidei prædicatricem Magdalenam conſtituere, atque Apoſtolorum Apoſtolam illam efficere? Rectè Dionyſius Carthuſianus in hunc locum. *Hac commiſſione fecit Chriſtus Mariam* APOSTOLORVM APOSTOLAM, *mittens*

tens

tens eam ad illos, nuntiare reſurrectionem dominicã. At verò per quid ad tantam altitudinem mulier iſta eſt euecta? Per pietatem ergà defunctum, quem copioſis lachrymis iam plorauerat, ac pretioſis vnguentis oblinire parabat. Accipe Ioannem Echium homil. 6. in die Animarum ita loquentem. *Quia, Magdalena, venit ad vngendum dominum facta fuit Apoſtolorum Apoſtola.* Funerea vnctio, quam Domino, quem defunctum credebat, parauerat, adeò illam euexit, vt Apoſtolorum Apoſtola nuncupari iure potuerit.

Ioan. Echius.

7 Statuerat Christus Lazarum iam defunctũ, iam fœtidum, iam quatriduanum, ad priſtinam vitam reuocare. Sed antequam illi iuberet, vt mortis clauſtra deſerens ad viuos rediuiuus rediret, Mariam Magdalenam adhuc Magiſtri aduentum ignorantem vocauit. *Abijt, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens, Magiſter adeſt, & vocat te.* Ioan. 11. 28. Cur Chriſtus, quem ergà mortuos adeò pium probauimus, tamdiù diſtulit Lazari ſuſcitationem, quamdiù Martha vocauit ſororem? Cur non ſtatim adueniens, nullâ interpoſitâ morâ, defunctum ſuſcitauit Amicũ? Nunquid non poterant Apoſtoli, Martha, cæterique aſtantes, ſine Magdalenâ lapidem remouere ſepulchri, miſerias deplorare defuncti, & virtutem admirari ſuſcitantis? Nunquid muliere Chriſtus indigebat, vt à morte virum excitaret? Non equidem; ſed decebat, quòd miraculum, quod in Magdalenę gratiâ faciebat, Magdalenâ præſente patraret. *Beata Mariæ Magdalenæ*, inquit Eccleſia in eius oratione, *quæſumus Domine ſuffragijs adiuuemur, cuius precibus exoratus quatriduanum fratrem Lazarum viuum ab inferis reſuſcitaſti.* Magdalenæ preces, ac ſuffragia vitam Lazaro impetrarunt; quapropter nil mirũ, ſi eâ tantum præſente ad vitam fuit reuocatus, vt conſtaret Chriſtum eius precibus exoratum vitã illi fuiſſe largitum.

Eius precibus exoratus vitam Chriſtus Lazaro impertiuit.

Eccleſia.

8 Illud quoque in hac Lazari morte obſeruatione dignum videtur, quòd Iudæi, qui ad ſorores conſolandas venerant, magis de Magdalenę quàm de Marthæ conſolatione ſoliciti erant: Et propterea cùm Martha Magdalenam vocauit, non Martham, ſed Magdalenam ſecuti dicuntur. *Cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam.* Io. 11. 31. Vt quid verò hoc, niſi quià Magdalena magis, quàm Martha in defunctum pia, de fratris morte magis dolebat, quare maiori etiam conſolatione indigebat? Hùc ſanè reſpexit Rupertus Abb. lib. 10. in Ioan. c. 11: *Prætereundum non eſt maiorem circà Mariam, quàm circà Martham cõſolantium eſſe diligentiam, nam quando Martha ſurrexit, vt Domino occurreret, non ſecuti ſunt Iudæi, quandò verò Maria exiuit, vocãte Marthâ, non Martham vocantem, ſed Mariam ſolam ſunt ſecuti, dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.* Cur hoc, niſi quia Maria tenero magis affectu fratrem diligebat, & plus diligẽs amplius dolebat? Maiori diligentiâ Mariam conſolabantur, quàm Martham, quia magis pro fratre defuncto Magdalena dolebat, & hoc dolore maiorem ſuum teſtabatur in defunctũ amorem.

Magdalena magis, quàm Martha, in fratrem defunctũ pia fuit.

Rupertus Ab.

9 Nec ſoli Fratri, ſed etiam Chriſto defuncto hanc exhibuit pietatem, cùm eum conſpiciens, credenſque hortulanum, qui ſacrum cadauer ſuſtuliſſet, *Domine*, inquit, *ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Ioan. 20. 15. Ad hæc D. Petrus Damianus ſermone de Mariâ Magdal. *Mira res! Hominem perfectæ ætatis virum, cuius corpori vix centum libræ ſufficiunt vnguentorum, teneriſſima mulier portabis, & tolles?* Quo pacto ſola tanti ponderis cadauer tollere, ac ſuſtinere credebat? Propter ardentem, quo ergà defunctum afficiebatur amorem, ſe omnimodè poſſe, quod erat impoſſibile, promittebat. *Ardens, & affectæ locutio*, ſubdit idem Petrus Damianus, *quæ de puritatis amore refuſa promittit, quod implere non poteſt. Nihil enim amanti difficile eſſe videtur.* Adeò diligebat Magdalena defunctos, vt ad ſepeliendum honorificè defunctum, vi amoris excita, ſe poſſe impoſſibilia quoque autumaret.

Ad pietatem defunctis exhibendam ſe impoſſibilia poſſe credebat

Petr. Dam.

10 Omnium poſtrema, omniumque maxima gratia quam à Deo Magdalena impetrauit fuit gloria, quam poſt huius mortalitatis miſerias, Angelis eam ad Cœlum cum gaudio deducentibus, recepit. Hanc autem eodem quoque modo propter pietatem, quam defunctis exhibuit, obtinuit. Obſeruat Ioannes Echius hom. in die Animarum omnes, quotquot Chriſti ſepulturæ affuerunt, ad gloriam fuiſſe fœliciter euectos. Beata enim Virgo, quæ omnibus diligentior funeri aſtitit, Regina fuit Sanctorum. Ioannes ſpeciali ſanctitatis prærogatiuâ refulſit. Ioſeph quoque, Nicodemus, & mulieres cœleſtem gloriam meritis onuſtæ receperunt. Pietatem nimirum, quã ſuo corpori defuncto exhibuerunt, æterno præmio Chriſtus afficere decreuit. *Omnes*, inquit Ioannes Echius, *qui affuerunt ſepulto Domino, finem aſſecuti ſunt fœliciſſimum.* Quamobrem cùm Magdalenam quoque tantâ diligentiâ huic ſepulturę aſtiteriſ, meritò præmium ſuæ diligentiæ gloriam recepit. Cùm igitur tantas, quas à Deo gratias obtinuit, omnes propter ſuam in defunctos pietatem Magdalenam impetraſſe probauerimus, iam ſatis, ni fallor, eam in defunctos clementiſſimam fuiſſe, ex huculque allatis oſtenditur. Quinimò, & totam triumphantem Eccleſiam in mortuorum animas pietate flagrare, ex his, quæ toto hoc libro exarauimus, exploratum habemus.

Quia Chriſti ſepulturæ aſtitit gloriã meruit.

Ioan. Echius.

FINIS LIBRI PRIMI.

R. P.
D. CHRYSANTHI SOLARII PLACENTINI CLE.[ci] REG.[ris]

PENTATEVCHVS MORTVORVM.
LIBER SECVNDVS.

De Vniuerſalis, & Militantis Eccleſię Clementia Mortuorum Animabus Debita.

Tranſitus ab Eccleſiâ triũphante ad militantem.

A Triumphante ad Militantem Eccleſiam deſcendo, & poſtquam pietatem, quam defunctis Cęlum exhibet, oſtendi, clementiam, quam eis terra debet, declaro. Hucuſq; de Deo, ac Dei genitrice, de Angelis, ac Sanctis verba feci. Nunc ad homines viatores ſermonem inclino, vt ipſi quoque ad mortuorum auxilium animum inclinent. Hactenus Protectores, Aduocatos, & defenſores defunctorum pateſeci. Nunc eorumdem propinquos, conſanguineos, & amicos adeo, vt Animæ illæ Purgatorij flammis mancipatæ ſuorum non doleant inclementiam, dum alienorum experiuntur pietatem. Homines viuos humanitatem in mortuos doceo, & ab humanis in hoc libro huius humanitatis debitum deduco.

CAPVT I.

Sanctæ Matris Eccleſiæ Pietas in Defunctos,

Eccleſia cogitat pro defunctis exorare.

1 QVemadmodum filij tenentur præeuntis Matris veſtigia ſequi, ſic fideles debent ſanctæ matris Eccleſiæ hortamenta ſectari. Quamobrem vt eos ad pietatem defunctis exhibendam impellam, vniuerſalem Eccleſiam ergà mortuos clementiſſimam oſtendere aggredior. Atque vt hinc initium ducam, orationem pro defunctis, tanquam ſanctam, & ſalubrem cogitationem, ſacræ nobis paginę tradiderunt. *Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* 2. Machab. 12. 46. Verùm cuius eſt hæc tàm ſancta, & ſalubris cogitatio? Quis eſt, qui cogitat cogitationes tàm pias, vt pro mortuis preces effundere, ac pro Animabus Purgatorij ſuffragia ſtudeat exhibere? Audi Sanctũ Vincentium Ferrer. ſer. 1. in die Animarum egregiè reſpondentem. *Eſt cogitatio, ſcilicet* ECCLESIÆ VNIVERSALIS *pro defunctis, ſcilicet, qui ſunt in* PVRGATORIO *exorare.* Sancta mater Eccleſia eſt, quæ humaniter, ac amabiliter ſuffragia mortuis exhibere, Purgatorium defunctis euacuare, ac Animas apud inferos cruciatas toto conatu cogitat Cœlo inuehere.

D. Vincẽtius Ferrerius.

Mortuis, quibus non ſuppetunt particularia, prouidet ſuffragia generalia.

2 Quare diem inter anni feſtiuitates, celebrẽ inſtituere voluit, in quâ per vniuerſum orbem vniuerſalis omnium fieret commemoratio defunctorum. Cum enim multos ex mortuis, aut nullos, aut immemores, & crudeles propinquos habere conſpexiſſet, prouidit pia Mater, vt non deeſſent generalia, quibus particularia non ſuppetunt ſuffragiorum auxilia. Hæc D. Auguſtino debemus lib. de curâ pro mortuis gerẽdâ cap. 4. *Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtianâ, & Catholicâ ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumque ſub generali commemoratione ſuſcepit* ECCLESIA, *vt quibus ad iſta deſunt parentes, aut filij, aut quicumque cognati, vel amici, ab vnâ eis exhibeantur* PIA MATRE COMMVNI. Pia, & communis omnium fidelium defunctorum Mater Eccleſia opportuna cunctis prouidet ſuffragia, nec quemquam mortuorum ſinit in Purgatorio torqueri ſine auxilio viuorum.

D. Auguſt.

Eccleſiæ conſtitutio eſt potiſſima ratio, propter quam debemus orare pro defunctis.

3 Hinc eſt, quòd inter præcipuas cauſas, propter quas debemus pietatem impendere defunctis, potiſſima eſt Eccleſiæ vniuerſalis conſtitutio, ratione cuius preces, & ſuffragia eis exhibẽre tenemur. Quam ob cauſam Iodocus Clichtoueus ſerm. 1. in die commemorationis animarũ multas afferẽs rationes, propter quas tenemur ſuffragari defunctis, primo loco, tanquam pręcipuã, Eccleſiæ memorat conſtitutionem. Audiamus eius verba. *Solicitè nobis orandũ eſt pro mortuis*

Iod. Clicht.

in

principaliter propter, tria PRIMO PROPTER ECCLESIÆ CONSTITVTIONEM VNIVERSALEM. Conſtitutione vniuerſali defunctorum animabus Eccleſia prouidit, vt dum à viuis exhibentur ſuffragia mortuis, & viui, & mortui tantæ matris pietate fruantur.

Speciali cultu Animab⁹ Purgatorij ſuffragatur. Io. Ekius.

4 Quin & ſpecialem cultum pro defunctorũ animabus adiuuandis eam adhibere obſeruo. Quapropter, & atro ſacrarum veſtium colore, & odoratâ cremati thuris ſuffumigatione, & frequenti luſtralis aquæ aſperſione, & alijs ſingularium rituum vtitur cæremonijs. Quæ namque ſingulari ergà mortuos afficitur pietate, ſingulari quoque ritu illorum exequias celebrare conſueuit. Aptè Ioannes Ekius homil. 3. in die Animarum. *Teſtimonium præbet vniuerſa* ECCLESIA *Catholica eſſe* PVRGATORIVM, *eò quòd in hoc ordinauit cultum peculiarem diuinum, quo ſuccurratur miſeris Animabus*. Peculiarem Catholica Eccleſia colit pietatem in defunctos, quamobrem peculiarem cultum, quo eis ſuffragetur inſtituit, & peculiaria ſuffragia, quæ pro ipſis exhibeat, recepit.

Oratio pro mortuis eſt potiſſima Eccleſiæ occupatio.

5 Sed illud magis hanc ſingularem Eccleſiæ in mortuos pietatem commendat, quod potiſſima eſt eius occupatio, quâ ſuffragijs vacat pro Animabus eorum exhibendis. Primâ cuiuslibet Menſis die nullâ feſtiuitate impeditâ officium recitari præcipit defunctorum. *Primâ die non impeditâ dicitur officium defunctorum.* Qualibet ſecundâ feriâ commemorationem iubet in Miſsâ fieri pro defunctis. *In Miſsâ de die fiat commemoratio, vt dictum eſt, pro defunctis.* In precibus etiam quotidianis, quas effundit, prò mortuorum requie Dei pietatem feruenter implorat. *Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.* Quam autem ob cauſam tàm frequenter, ac tantâ ſolicitudine ſuffragia pro defunctis exhibenda præſcribit? An quia oratio pro mortuis fuſa omnium occupationum illius eſt potiſſima? Diſco id ex Abulenſi in Matth. 25. quæſt. 681. ECCLESIA *vniuerſalis per totum orbem diffuſa pro mortuis orat, & iſta eſt* POTISSIMA OCCVPATIO EIVS. Mortuis adiuuandis Eccleſia potiſſimùm occupatur, ideòque tàm ſæpe orationes pro eis fundendas, & ſuffragia illis impendenda viuentibus inculcat.

In Rubricis.

Abulenſis.

Hanc occupationẽ cæteris alijs præfert.

6 Atque hinc oritur, quòd hanc vnam cæteris alijs præfert occupationem, & priùs in mortuorum ſuffragia, quàm in viuorum negotia incumbit. Poſtquam ſacer ſcriptor deſcripſit mortem Moyſis, in monte, iubente Domino, decumbentis, ſtatim Iſraëlitarum fletum per triginta dies continuatum enarrat. *Moyſes centum & viginti annorum erat, quando mortuus eſt, non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt. Fleueruntque eum filij Iſrael in campeſtribus Moab triginta diebus.* Deut. 34. 7. Cæterùm cur ſucceſſorem priùs non ſcribit Moyſi à populo ſubſtitutum? Cur antè non meminit electionis, quâ Ioſue acceperunt in ducem, quàm luctûs, quo Moyſis plorauerunt mortem? Nùm omnibus illis triginta diebus abſque duce fuerunt Hebræi? Vtique; decebat enim priùs antiquum, & mortuũ lugere, quàm nouum, ac viuum ducem eligere. Ingero verba eiuſdem Abulenſis clariſſimè id teſtantis. *In tempore illo non tractauerunt aliquid de populi ducatu, ſed vacauerunt planctui: completis autem diebus planctûs acceperunt Ioſue in Ducem.* Priùs quam ducem Moyſi ſubſtituerent triginta diebus Hebræi planxerunt, nec niſi poſt exequias mortuo celebratas, electioni ſucceſſoris vacare voluerunt. Quod figuratè conſuetudinem Eccleſiæ indicabat, quæ priùs exequias celebrat defuncti, quàm ad electionem procedat noui Prælati. *Sic*, ſubdit idem Abulenſis, *fit nunc ſecundùm* CONSVETVDINEM ECCLESIÆ, *quia quandò Prælatus moritur, priùs ſubditi complent exequias eius, deindè eligunt ſucceſſorem.* In defunctorum auxilium Eccleſia potiſſimè incumbit, vndè antequam eligat viuum, Prælatum conſueuit ſuffragijs, & exequijs adiuuare defunctum.

Idem.

Vt Animas à Purgatorio liberet, Eccleſia congregatur.

7 Hanc potiſſimam Eccleſiæ in mortuorum animabus adiuuandis occupationem Eccleſia illa magna innuit, quæ vt fratres ſuos in tribulatione poſitos adiuuaret, conuénit. *Conuénit Eccleſia magna cogitare, quid facerent fratribus ſuis, qui in tribulatione erant.* 1. Machab. 5. 16. Qui enim iſti ſunt fratres in tribulatione poſiti, niſi defuncti Purgatorij cruciatibus vexati? Quæ verò hæc eſt Eccleſia magna, quæ, vt eos adiuuet, conuenit, niſi vniuerſalis Eccleſia, quæ in ſacrificijs, orationibus, cæteriſque ſuffragijs conuenit, vt à Purgatorij pœnis mortuorum animas eripiat? Habeo huius mentis aſſertorem Hugonem Florenſem ſer. 1. de Animabus. ECCLESIA DEI, *quæ magna eſt numero, merito, dignitatis faſtigio, hodie debet conuenire in ſermonibus, in Miſſarum ſolemnitatibus, & alijs ſanctis occupationibus cogitare quid faciant Defunctis Dei fidelibus in pœnâ* PVRGATORII *exiſtentibus*. Adeò in Purgatorij animabus adiuuãdis Eccleſia Dei occupatur, vt frequenter, quid faciat, vt eas à pœnis liberet, cogitare conueniat.

Hugo Floren.

Sæpè conuenit ad vitã mortuis impetrãdam.

8 Hùc facit, quod Euſebius Cæſarieñſis lib. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 7. ſcribit omnem ſimul Eccleſiam frequenter ſimul fuiſſe cõgregatam, vt precibus, ac ieiunijs vitam à Deo alicuius impetraret defuncti. Quotieſcumque nimirùm de pietate agitur defunctis impendendâ, in eorum auxiliũ Eccleſia congregari conſueuit. *Fratres*, inquit Euſeb. *fecerunt frequenter hoc in pluribus Eccleſiis, ita vt* OMNI SIMVL ECCLESIA CONGREGATA, *ieiunijſq; & orationibus multis ad Deum profuſis, cõuerteretur ſpiritus* MORTVI, *& redderetur homo viuus per orationes ſanctorum.* Omnis ſimul Eccleſia, cùm mortuis eſt ſubueniendum, congregatur, ideòq; frequenter pro vitâ eis impetrandâ preces multas effundens, & ieiunijs diuturnis ſe affligens conuenit.

Euſ. Cæſarieñ.

Conuenit Eccleſia Latina cũ Græcâ ad mortuos precibus adiuuãdos.

9 Nec tantùm Latinam, verùm & Eccleſiam Græcam pro mortuorum animabus adiuuandis

Digitized by Google

licet videre congregatam. Omnis enim Eccleſia pro Purgatorij defunctis preces effundere, ac ſuffragia exhibere conſueuit. Hæc Sancti Bernardini Senenſis verba ſunt ſermone 62. de Purgatorio artic. 2. cap. 3. *Hæc eſt conſuetudo* VNIVERSALIS ECCLESIAE, TAM LATINAE, QVAM GRAECAE, *quæ pro defunctis orat, & ſemper conſueuit orare*. Non diſcrepant in mortuorũ ſuffragijs Græci à Latinis, ſed vtrique in animabus è Purgatorio iteratis precibus eruendis conueniunt, vt conſtet vniuerſalis Eccleſiæ pietate animas à pœnis liberari defunctorum.

D. Bern. Sen.

Eccleſia cum gemitu pro Animab⁹ Purgatorij Deum exorat.

10 Id etiam indicauit regius Pſaltes, cùm Pſal. 73. 19. Deum alloquens, dixit. *Animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem*. Quorũ animas pauperum ſuis Dauid precibus Deo cõmendabat? Cur non & animarum diuitum in orationibus meminit, quas piè, ac religioſè fundebat? Nunquid pauperum tantummodo ſalus grata eſt Deo, vt diuitum animæ ab orationibus iuſti obliuioni tradantur? Animas pauperũ pro Animabus poſuit mortuorum in pœnis Purgatorij exiſtentium, omnium pauperum pauperrimorum. Hæc autem protulit verba, non ſui, ſed Eccleſiæ nomine pro animarum Purgatorij liberatione deprecantis. Hunc ſenſum tradit D. Bonauentura apud Calamatum in ſententijs, Verbo Purgatorium. *His verbis* ECCLESIA *cum multo gemitu orat pro pauperibus Animabus* IN PVRGATORIO, *quarum pœnæ intolerabiles tàm durabiles ſunt, quaſi Dominus obliuioni eas tradiderit*. Gemit pia mater Eccleſia pro pauperibus Animabus in Purgatorio cruciatis, & gemens earum liberationem multis, atque iteratis precibus Deo commendat.

D. Bonauen.

Suis lachrymis ad gloriæ vitã eas traducit:

11 Cuius piæ matris gemitum alterius matris gemitus figurauit vnigeniti filij mortem amarè plorantis. Hæc populorum turbâ comitata, extrà ciuitatem Naim vnici, & adoleſcentis filij funus proſequens, dum funeſtam exequiarũ pompâ lachrymis vbertim profluentibus magis funeſtabat, à Chriſto ſuo gemitu ſuo meruit vitam impetrare defuncto. *Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ*. Luc. 7. 15. Quomodo filij reſurrectionem tantâ celeritate matris lachrymę obtinere potuerunt? Cur ſimul ac vidit Chriſtus mulierem plorantem, vidit mulier Chriſtum ſuum mortuum excitantem? Quænam fuit earum vis lachrymarum, vt illarum intuitu ad vitam reuocaretur defunctus? In figurâ iſta contingebant; vidua namque mater ſuis lachrymis vitam impetrans defuncto, piam matrem Eccleſiam ſuis gemitibus, ac precibus animabus mortuorum vitæ gloriam obtinentem indicabat. Adeſt D. Ambroſius in Lucam lib. 5. cap. 7. *Reſurrectionem vnici, & adoleſcentis filij ſuis lachrymis meruit impetrare, eò quòd* SANCTA ECCLESIA *populum iuniorem à põpâ funeris, atque à ſupremis ſepulchri ſuarum reuocet ad vitam contemplatione lachrymarum*. Vberes fundit lachrymas pro ſuis filijs defunctis vniuerſalis mater Eccleſia, ſuiſque lachrymis ad perennem gloriæ vitam eos traducit.

D. Ambroſ.

Lachrymæ Rachelis lachrymas Eccleſiæ pro mortuis fuſas innuerunt.

12 Has item innuebant lachrymas Rachelis lachrymæ in morte filiorum effuſæ. *Vox in Rhamà audita eſt, ploratus, & vlulatus multus. Rachel plorans filios ſuos*. Matth. 2. 18. Rachel quippè ouis Dei dicitur, Eccleſiamque ſignificat à Chriſto ſummo Paſtore ad inſtar ouis gubernatã, cuius Agni ſunt fideles ab eius vberibus veræ fidei lac exſugentes. Hæc ergò myſtica Rachel tantâ pietate in ſuos filios mortuos afficitur, vt nunquam, niſi donec ad immortalem vitam euexerit, eos deſinat lugere. Appoſitè Paſchaſius in cap. 2. Matt. *Rachel, quæ ouis Dei dicitur, videlicet* CHRISTI ECCLESIA *ini è teneros ſuos morte peremptos deplorat Agnos*. Morte peremptos Eccleſia deplorat, & lachrymis precibus adiectis, dum à Purgatorio eos eripit, ſuam in defunctos pietatem oſtendit.

Eccleſiæ habitatores Animæ inuocant, vt à Purgatorio eripiãtur.

13 Quam pietatem defuncti quoq; ipſi agnoſcunt, qui à fidelibus Eccleſiæ incolis preces, & ſuffragia expoſcunt, Cant. 8. 13. dicitur. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam*. Hortos templa Deus dicit militantis Eccleſiæ, amicos autem animas in Purgatorio cruciatas, quæ vocem piæ ſupplicationis habitantium in Eccleſiâ percupiunt audire. Appoſitè Hugo Florenſis ſerm. 2. de Animabus. *Iſta poſſunt eſſe verba Domini ad ſuffragia fidelium defunctorum exhortantis. Debemus habitare in hortis id eſt in* ECCLESIA MILITANTE, *in quâ debemus eſſe tanquam arbores fructuoſæ proferentes fructus operationis bonæ, vt poſſimus fidelibus defunctis ſubuenire*. Et infrà. *Amici noſtri in* PVRGATORIO *poſiti volunt audire noſtræ piæ ſupplicationis vocem, qui ſumus in horto meritorum conſtituti: nec immeritò, quia per ſuffragia bonorum breuiatur pœna iuſtorum in* PVRGATORIO *exiſtentium*. Norunt Animæ Purgatorij Eccleſiæ, quâ ergà illas afficitur pietatem, atque ideò huius Eccleſię habitatores inuocant, vt ſibi precibus, ac ſuffragijs ſubueniant.

Qui militant in Eccleſiã debent eas adiuuare, qui militant in Purgatorio.

14 Et quidem hac ratione multùm illis debemus, cùm enim adhuc Animæ illæ militent ſub pœnis, pertinet ad Eccleſiam militantem eas ad triumphos euehere cœleſtes, vt qui militant in Mundo, eis ſuffragentur, quæ militant in Purgatorio. Id monet D. Antoninus 3. Part. tit. 32. *Quia hi, qui ſunt in* PVRGATORIO, *adhuc non ſunt in Eccleſiâ triumphanti, ſed militant ſub pœnis, quibus purgantur, ideò* AD ECCLESIAM PERTINET MILITANTEM, *vt eius ſuffragijs adiuuentur*. Suffragijs Eccleſiæ militantis animæ adiuuandæ ſunt Eccleſiæ Purgantis, vt quæ purgantur in flammis, eorum ſentiant auxilium, qui morantur in terris. Ad Eccleſiæ quippè Triumphantis gaudia per Eccleſiæ militantis ſuffragia Purgatorij animæ transferuntur. Sanctæ igitur Matris Eccleſiæ pietas in defunctos ex his, quæ hucuſque diximus, non parùm eluceſcit.

D. Antonin.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

Miſericordiam in mortuos Naturæ iura præſcribunt.

Lege naturali tenetur homo adiuuare Animas Purgatorij.

1 NVllæ arctiùs ligant, quàm Naturæ leges: quapropter vt hominibus pietatem in defunctos ſuadeam, eos ad illam Naturæ legibus teneri demonſtrare cona bor. Legis ergò naturalis fundamenta Chriſtus explicauit Luc. 6. 31. dicens *Prout vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.* Hoc iura naturalia decernunt, quòd alios diligamus, vt noſmetipſos, proximiſque noſtris ea impendamus, quæ nobis volumus impendi. Quòd ſi res ita ſe habet, quis hominum, ſi animam haberet in Purgatorio captiuam, non vellet ſibi à viuentibus, vt citiùs à pœnis liberaretur, ſuffragia impendi? Si ergò iura naturæ præſcribunt, vt quæcumque ſibi volunt homines, hæc alijs faciant, vtique debent homines, vt his iuribus obtemperent, quæ ſibi vellent, ſi eſſent in Purgatorio, ſuffragia exhiberi, animabus, quæ nunc ibidem excruciãtur, exhibere. Subijcio verba Iodoci Clichtouei manifeſtè id aſſerentis ſerm. 3. pro defunctis. *Obligantur omnes ad orandum pro defunctis* LEGE NATVRALI, *quæ exprimitur his verbis à Chriſto. Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, hæc eadem illis facite. Sed ſi quis eſſet viuentium detentus igne* PVRGATORIO, *libenter vellet ſibi ipſi exhiberi ſuffragia à viuentibus ad celeriorem ſui liberationem ab illâ afflictione, & pœnâ; ergò debent omnes id ſuffragiorum beneficium promptè, & frequenter mortuis exhibere, vt citiùs ab eo carcere* PVRGATORIO *liberentur.* Lege naturali tenetur homo Animas adiuuare Purgatorij, vt quæ ſibi vellet, ſi pœnis illis excruciaretur, hæc alijs pietatis auxilia impendat.

Iodocus Clichtoueus.

Paſſio Chriſti fuit contrà legem naturæ, quia eum vulnerauerũt defunctum.

2 Ex quibus lucem accipient verba, quæ loquens de Chriſti paſſione, habuit Petrus de Natalibus in Catal. ſanct. lib. 3. cap. 228. *Fuit contra legem naturalem.* Cur contrà legem naturalẽ Chriſti paſſio fuit? An quia Naturæ author hac paſſione occubuit? An quia innocentiam iniuſtitia, & pietatem impietas ipſa damnauit? An quia vitæ largitor mortis opprobria ſenſit? Rectè; ſed aliam, & potiorem ad rem noſtram affert prænotatus Author rationem. Quia videlicet in Chriſti paſſione Iudæi, nedùm eum cruciauerunt viuum, ſed etiam vulnerauerũt occiſum, & mortuum. Contrà Naturæ legem operatur, quicumque ſæuit in mortuum, quare cùm Chriſti perſecutores, lanceâ eius latus transuerberantes, ſæuierint in mortuum, iurè illius paſſio contrà legem dicitur fuiſſe Naturæ. *Fuit contra legem naturalem, natura enim ipſa repugnat in corpus hominis mortui plagas nouare. Chriſtus verò iam defunctus in cruce lanceâ tranſuerberatur contrà* NATVRALEM LEGEM. Iubet Lex Naturæ pietatem in mortuos, vnde Iudæi, qui lanceâ impietatem in Chriſtum exercuerunt mortuum, contrà innatam legem operantes, Naturæ iura ſoluerunt.

Pet. de Nata.

Natura leges violat quicũque in defunctum peccat.

3 Dum Samariã obſeſſã, fames magna ciues vrgeret, factum eſt, vt duæ mulieres filium occiſum coquerent, & coctum ad repellendam mortem deglutirent. *Coximus ergò filium meum, & comedimus.* 4. Reg. 6. 29. Vbi quærit Abulenſis quæſt. 32. Vtrùm ad ſedandam famem carnes liceat manducare mortuorum. Docens autem nõ licere, deducit ex eo rationem, quòd ſit contrà Naturæ leges ſepulturam negligere, & cadauera impiè deuorare defunctorum. *Contrà naturalẽ pietatem agere peccatum eſt, & tamen pietas* NATVRALIS *eſt ſepelire cadauera mortuorum; ergò nõ ſepelire, ſed comedere peccatum erit.* Naturæ leges violat, quicunque in defunctum peccat, nec vllâ poteſt neceſſitate impietas iſta excuſari.

Abulenſis.

Naturam vituperat, qui defunctos cõtemnit.

4 Hùc flecto præceptum, quo Deus in lege veteri mandauit, vt cadauer hominis in patibulo appenſi eadem die ſepeliretur. *Non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur.* Deut. 21. 23. Cur tanta curâ cadaueris præcipitur ſepultura Cruci affixi? Cur qui delicta morte digna patrauerat, non poterat in patibulo inſepultus, & auibus diſcerpendus omitti? Rationẽ placet ex præcitato Abulenſi deſumere, qui tactũ locum explanans, hæc ſcribit. *Videtur namque eſſe quidam contemptus, & vituperium* NATVRAE *noſtræ dum partem illam humanam innoxiam punimus, quæ peccati, & malitiæ expers eſt.* Naturam vituperat, qui defunctos contemnit, ac propterea Iudæis Deus iuſſit, vt cadauera humarent morte punitorum, ne iniuriam naturæ inferre viderentur.

Idem.

Natura motus tendit ad pietatem in defuncto.

5 Pergo cum eodem Abulenſi, & ritum expendo, quem iuſſit Deus ſeruare captiuam mulierem, quæ propter ſuam pulchritudinem adamata, coniugio erat iungenda Hebræorum. Raſâ enim cæſarie, circumciſis vnguibus, & veſte captiuitatis depoſitâ lugere iubebatur in domo ſponſi parentes integro menſe. *Radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem, in quâ capta eſt, ſedenſque in domo tuâ flebit patrem, & matrem ſuam vno menſe, & poſteà intrabis ad eam.* Deut. 21. 12. Quid luctui cum nuptijs, vt tunc parentes captiua lugere deberet, cùm ſponſo iungebatur Hebræo? Quem nexum, cum ſepulchralibus faces habent nuptiales, vt tunc eſſent deploranda funera, cum erant celebranda connubia? Numquid cum Hymeneo ſponſorũ Næniam congruit cantare mortuorum? Id naturæ leges expoſcere videbantur, quibus cùm parentum funeribus iuſta perſoluere teneamur, proptereà captiua, priuſquàm copularetur cum marito, patri luctu pietatem impendere iubebatur, ac matri. Subnecto hæc Abulenſis verba. *Quia compaſſio* NATVRALIS *parentibus exhibenda eſt, nec decet filios parentum funera, qualeſcumque extiterint, ſine cordis amaritudine præterire, ideò Deus non vult contrà* NATVRALES *motus rectos quicquã mandare, cùm ipſe naturam inſtituerit.* Naturæ motus

Abulenſis.

Digitized by Google

tendit ad pietatem defunctis impendendã, quã propter etiam Gentilium parentum funera volebat Deus antè nuptias à mulieribus lugeri captiuis.

Naturali ratione dictante gratitudo rependitur defunctis.

6 Expreſſam vult etiam idem Abulenſis veritatem iſtam in delatione cadaueris Ioſeph, quod ſecum Moyſes aſportauit egrediens ex Aegypto: *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum.* Exod. 13. 19. Quam ob cauſam voluit Moyſes, dum fugiebat Aegyptios, cadauer ſecum aſportare defuncti? Cur qui debebat, vt expeditiùs feſtinaret, vix neceſſaria deferre alimenta viuorum, ſtatuit corroſa portare oſſa mortuorum? Naturæ dictamen ad id eum cogebat; vt videlicet Iſraëlitæ, qui tot à Ioſeph in Aegypto beneficia receperant, debitam ei gratitudinem exhiberent defuncto. *Ipſa*, verba ſunt Abulenſis, NATVRALIS RATIO *dictabat eſſe aſportanda oſſa Ioſeph, qui tanta eis beneficia præſtiterat, & eos à fame, quæ totum orbem vaſtauerat nullo modo potentes euadere, cibis ſufficientibus pauit, & in optimis Aegypti poſſeſſionibus collocauit.* Ioſeph cadauer in paterno ſepulchro collocandum ſecum detulerunt, Aegyptum relinquentes Iſraëlitæ, quia naturali ratione dictante, mortuo, à quo beneficia multa ſuſceperant, pietatis obſequijs gratitudinem rependere debebant.

Abulenſis.

Natura impoſſibile videtur ſine dolore funera ſpectare mortuorum.

Rupertus Abbas.

7 Facit ad hanc rem, quòd prohibens Deus Hebræis ſuperſtitioſas in luctu mortuorum lamentationes, ne capita nudarent, nè ve ſcinderent veſtimenta, eis præcipit. *Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere.* Leuit 10. 6. Ad quæ ſapienter aduertit Rupertus Abbas lib. primo in Leuit cap. 7. non luctum hic prohiberi, ſed ſuperuacaneas luctûs circumſtantias, ſiquidem quod Naturæ debetur, Deus hominibus interdixiſſet, ſi luctum pro mortuis eis inhibuiſſet. *Non præcipit quod* NATVRAE *impoſſibile eſt, vt ſcilicet pater pro filiorum, & frater pro fratrum morte non doleat, ſed quod poſſibile eſt, vt ſcilicet dolorem cordis publico corporis geſtu non exerceant.* Adeò Naturæ ductus tendit ad pietatem mortuis exhibendam, vt videatur Naturæ impoſſibile ſine dolore funera ſpectare defunctorum.

Natura debitum Iob ſoluit, cùm filios mortuos luxit.

8 Quapropter, & Iob, qui ſubſtantiæ amiſſionem, poſſeſſionum direptionem, omniumque bonorum ruinam imperterritus exceperat, cùm filios interemptos, & morte ſublatos audiſſet, veſtimenta ſcidit, caput totondit, in terram corruit, & tantùm nõ fęmineos eiulatus emiſit *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite, corruens in terram adorauit.* Iob. 1. 20. Hæccinè eſt Iob patientia, conſtantia, fortitudo? Siccinè vir Satanæ ictibus æneus dolorem non valet in oppreſſione ſimulare natorum? Ergò qui cætera mala virili tolerauerat robore, hanc ſiccis oculis nequit ſuſtinere calamitatem? Non impatienter in hac tribulatione Iob ſe geſſit, ſed pro filijs lugens defunctis, Naturæ debitum ſoluit. Quandoquidem Natura luctum nobis imperat in morte carorum. Audiamus Olympiodorum in Catenâ Græcâ apud Baëzam lib. 6. in Euangelia c. 7. § 3. *Credibile eſt ob ſuperiores narrationes eum in tacitâ cogitatione verſantem rerum euentus admiratum fuiſſe. Vbi verò de tantæ, ac tàm ſpecioſæ prolis audiuit interitu, nè doloris communis expers videretur, quod debetur,* NATVRAE *largitur, veſtemque diſcindit, ac comam ad ſpeciem luctûs tondit.* Naturæ debitum Iob ſoluit, cùm filios defunctos luxit, naturæ namque imperio pietatem defunctis impendere homines tenentur.

Olympiodorus.

Impij ergà mortuos, quia Naturæ legibus non obtemperant, infamia pœnâ mulctantur.

9 Verùm ſi res ita ſe habet, cur ſuſcitationem ſeminis defuncti à ſuperſtite fratre coniugio faciendam, ſub infamiæ pœnâ Deus præcepit, ita vt vxor defuncti, & ſpuere in faciem, & denudare pedem teneretur mortuo fratri ſemen ſuſcitare abnuentis? Nunquid, ſi natura homini pietatem indidit in mortuos, non ſufficiebant naturæ imperia, vt frater viuens memoriæ fratris conſuleret defuncti? Vt quid inſuper infamiæ pœnâ Deus ligat, quos Naturæ viribus tàm arctè iam deuinxerat? Vt qui Naturæ legibus obtemperare impiè renuerent, infamiæ ſaltem pœnam ſibi neceſſariò ſubeundam timerent. Addo verba Theodoreti in Gloſsâ in Deut 25. ita loquentis. *Satiùs erat affectione* NATVRALI *permotum conſulere mortuo, ſed quia non omnes* NATVRÆ LEGEM *reuerentur, infamiæ pœnam neceſſariò eis imponit.* Infamiæ pœnâ impios in mortuos Deus mulctauit, non quia Naturæ legibus pietas in defunctos non debeatur, ſed quia leges iſtas non pauci contemnunt.

Theodoretus.

Lachrymæ defunctis ex naturæ affectu debentur.

Ouidius.

10 Has leges Ouidius quoque Poëta Gentilis agnouit, apud quem Epiſt. 11. Canace in funere filij hæc loquitur.

Non mihi te licuit lachrymis perfundere iuſtis,
In tua non tonſas ferre ſepulchra comas.
Non ſuper incubui, non oſcula frigida carpſi
Diripiunt auidæ viſcera noſtra feræ.

Hubertinus.

Obſeruo lachrymas, quas in funere filij voluit hæc mulier perfundere, iuſtas appellari, hoc eſt ex naturæ affectu nato debitas defuncto. Annuit Hubertinus in hunc locum. *Lachrymis iuſtis, id eſt debitis propter affectum* NATVRÆ. Affectus quippè Naturæ lachrymas in funeribus elicit mortuorum. Aduerto etiam conqueri hanc matrem, quòd filio mortuo non ſuperincubuerit, ex naturali enim affectu ſolent parentes cadaueribus incumbere filiorum. Aptè idem Hubertinus. *Parentes ex affectu* NATVRALI *ſolent incumbere cadaueribus filiorum, & ſic eos mortuos oſculari.* Naturalis eſt affectus, quo mortuis pietatem exhibemus: natura enim ipſa homines ad pietatem excitat defunctorum.

Ex pietate naturali parentes filijs incumbunt defunctis.

Natura poſtulat ſepulturã mortuorum.

Aelianus.

11 Hinc dixit Ælianus lib. 12. var. hiſt. cap. 64. naturá poſtulante cadauera humari defunctorum. Quare agens de inſepultis Alexandri reliquijs hæc habet. *Ipſe ſepulturæ expers manebit, cuius etiam egeniſſimi quique* NATVRA COMMVNI POSTVLANTE, VT MORTVI TERRA OCCVLTENTVR, *compotes fieri ſolent.* Nec ab eo Ariminus aberrauit antiquus Poëta apud Paralipomena in Ioannem Roſinum lib. 5. cap. vltimo

Ariminus.

Digitized by Google

mo, cùm ait.

Humano generi poſuit NATVRA *creatrix*
Hanc legem, vt tumuli membra ſepulta tegant.

Quintilianus. Annuit etiam Quintilianus aſſerens Naturam nobis genuiſſe religionem, quâ corpora humamus mortuorum. *Certè verum* NATVRA, *vt in generandis, alendiſque hominibus, quæ neceſſaria erant ex ſeipsâ proſpexit, ita cùm rurſus opus ſuum reſoluit, corpora noſtra quamprimùm reducere ad principia feſtinat, vt deſertis etiam locis circà cadauer tractâ imbribus terra concreſcit, aggerant puluerem venti, & liquefacta multâ die membra paulatim humus bibit, etiamſi nullus operit. At ipſa longo tempore in terram oſſa deſidunt. Nobis verò aduersùs exanimes genuit, non ſolum miſerationem, quæ cogitationi noſtræ ſubit, ſed etiam religionem. Indè ignotis quoque corporibus tranſeuntium viatorum collatitia ſepultura, indè iniecta ab alienis humus.* Hactenus ille declamatione 6. Quid quæſo pro Naturæ legibus in gratiam defunctorum hominibus indita poterat luculentius exarari?

Natura ductu plorat Homines funera mortuorum. Iuuenalis.

12 His addo Iuuenalem clarè oſtendentem Naturæ ductu homines virginũ funera plorare, atque infantum. Canit enim lib. 5. Satyrâ 15.

NATVRAE IMPERIO *gemimus, cùm funus adultæ*
Virginis occurrit, vel terrâ clauditur infans.

Natura mortuos humat abiectos. Beroaldus.

Quin, & Mœcenas apud Beroaldum in lib. 4. Apuleij Metamorphoſeon Naturã dixit mortuos humare abiectos.

Non tumulum curo, ſepelit NATVRA *relictos.*

Seneca. Idemque Seneca docuit lib. 8. Controuerſiarum Controu. 4. *Omnibus* NATVRA *ſepulturam dedit: naufragos idem fluctus, qui expulit, ſepelit, ſuffixorum corpora crucibus in ſepulturam ſuam defluunt, eos, qui viui vruntur, pœna funerat.* Quis ergò ambigere poteſt Naturam ſe ſe in defunctos exhibere clementiſſimã, ſuiſque iuribus miſericordiam præcipere illis impendendam.

CAPVT III.

Ratione Humanitatis Homines debent ſe humanos exhibere Defunctis.

Humanum eſt Amicos lugere defunctos.

1 HOc præcipuè nomine, quia homines ſunt, mortuis homines debent, vt quos cum mortuis iungit Humanitas, impietas non abiungat. Lazarum Chriſtus inuiſens, mortuum reperit, ac quatriduanum, cùmque ad monumentum veniſſet, in quo iacebat, fleuit, ac ſemel, & iterum ſpiritu fremente ſe turbauit. *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum, & dixit, vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei, Domine veni, & vide. Et lachrymatus eſt Ieſus.* Ioan. 11. 34. Cur ſpiritu fremente plorauit mortuũ, quem iam voce magnâ reddere decreuerat viuum? Vt quid lachrymas ab oculis effundit, qui frigidis venerat vitam infundere membris? Quam tandem ob cauſam turbatus fleuit, qui de mox futurâ gaudẽdum erat Lazari vitâ? Vt qui ſuſcitatione oſtenſurus erat diuinitatem, luctu, & lachrymis pribus oſtenderet humanitatem. Disertè D. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Ioan. cap. 20. *Flebat eum Dominus pro parte* HVMANITATIS, *quem reſuſcitaturus erat per potentiam diuinitatis.* Adeò Humanum eſt amicos lugere defunctos, vt Chriſtus ad ſuæ Humanitatis oſtenſionem etiam mox reſurrecturum mortuum lugere voluerit amicum.

D. Cyrillus Alex.

Stoici nullum in mortuorũ funeribus permittentes dolore videntur inhumani. D. Thomas.

2 Ex quo loco infert Angelicus Doctor D. Thomas in Ioan. 11. quid ſit de Stoicis dicendum, qui nullas lachrymas, nullum in amicorum funeribus permittebant ſapienti dolorem. Cùm enim Humanum ſit lugere pro mortuis, legem horum Philoſophorum prorſus inhumanam videri teſtatur. *Stoici dixerunt, quòd nullus ſapiens triſtatur, ſed valdè* INHVMANVM *eſſe videtur, quòd aliquis de morte alicuius non triſtetur.* Quam item notam Stoicis alijs inurit Gyraldus lib. de vario ſepeliendi ritu, qui luctum mortuorum, non niſi ad diem protrahebant. Hos enim, tanquam Humanitatis oblitos, non probat, imò vt omninò inhumanos repellit: *Vt honeſtum,* HVMANVMQVE *putamus mortuos lugere, ita Stoicos quoſdam* INHVMANOS *nõ ſatis probamus, qui in a* [illegible] *flendi ius in diem vnum tantùm ſtatuunt.* Inhumani ſunt, qui mortuis pietatem negant, quia Humanitas exigit, vt Hominibus Homines compatiantur defunctis.

Gyraldus.

Inhumanum Romani cenſebant luctu fraudare defunctos. Plutarchus.

3 Hæc in mentem mihi ritum reuocant Romanorum, quorum Flamen Dialis vxore defunctâ Sacerdotio decidebat. Huius ritus rationem inquirens Plutarchus in quæſtionibus Romanis 50. eam affert, quòd ſacra multa peragere, vxore abſente, Flamini haud licebat. *Cur Flamen Dialis vxore mortuâ Flaminio decidit? Sic enim Ateius tradit. An quia cælibe miſerior eſt, qui vxorem amittit? Qui enim vxorem duxit, eius domus perfecta eſt, qui ductam amiſit, eius non imperfecta modò, ſed & mutilata eſt familia. Aut quia in pleriſque ſacris rebus obeundis vxor ei adeſt, neque abſente peragi eas fas eſt?* At non poterat Flamen confeſtim aliam ducens, abſque eo quòd Flaminio decideret, vxoris defectui prouidere defunctæ? Abſit: nec enim Humanum videtur, tempore, quo lugenda eſt defuncta, nuptias cum nouâ inire vxore. *Cæterùm,* proſequitur idem Plutarchus, *vxore mortuâ confeſtim aliam ducere, neque factu fortaſſis facile, neque vt ſit* HVMANVM *videtur.* Inhumanum Romani cenſebant luctu fraudare defunctos, & iccircò defunctâ vxore ſtatim Flamen à munere decidebat, ne prætextu ſacerdotij nouam ducens vxorem, a pietate abduceretur, quam mortuæ impendere debebat.

Inhumana videretur lex quæ prohiberet funera honorare ſuorũ.

4 Facit ad hanc rem, quòd prohibens Deus in lege Moyſis ſacerdotibus funeribus intereſſe mortuorum, exequias tamen eis permiſit celebrare propinquorum. *Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis, ac propinquis, id eſt ſuper Patrem, & Matrem, & Filium, & Filiam, Fratrem quoque, & Sororem virginem, quæ non eſt nupta viro* Leuit 21. 2. Hæc

lex

lex eò tendebat, nè ſacerdotes ex mortuorum conſpectu, & contactu polluerentur, & à ſacris abeſſe aliquandiù cogerentur. At non minùs in exequijs propinquorum polluebantur, quàm in funeribus alienorum. Cur ergò ſacerdotes non arcebantur, nedùm à ciuium, ſed etiam à cadaueribus conſanguineorum? Ne inhumana lex videretur, quæ prohiberet funeribus intereſſe ſuorum. Annuit B. Dionyſius Carthuſianus. *Sacerdotes autem prohibiti ſunt intrare ad mortuos, præterquàm ad ſex, ad quos introire permiſſi ſunt, ne Lex videretur nimis* INHVMANA, *& dura*. Inhumanum eſt ſuis pietatem non impēdere mortuis, ac propterea ne lex, quantumuis iuſtiſſima, inhumana videretur, non prohibuit ſacerdotibus exequias celebrare propinquorum.

Dion. Carth.

5 Et ſanè omnem exuit humanitatem, qui negligit pietatem exhibere defunctis. Hominē fratris vxorem ducere ad ſuſcitandum ſemen defuncti renuentem, iuſſit Deus in pede nudari. *Accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius*. Deut. 25. 9. Quid hac pedis nudatione Deus nobis innuere volebat? Quod nam myſterium hæc ſolutio calceamenti coram ſenioribus facta indicabat? An eum, qui pietatem defuncto non impendit, omnem exuere humanitatem? Profectò ab Oleaſtri calamo iſtud habemus. *Nudatio pedis ſignificabat hominem* OMNEM HVMANITATEM ERGA FRATREM EXVISSE. Adeò nempè inhumanum eſt pietatem negare defunctis, vt omnem cenſeretur exuere humanitatem, qui fratris defuncti ſemen ſuſcitare nolebat. Quod vt innueretur, calceamentum exuere, ac pedem nudare cogebatur.

Omnem exuit humanitatē, qui negligit pietatem exhibere defunctis.

Oleaſter.

6 Silentio hìc præteriri non debet, quod in Biblioth. vet. Pat. Euſebius Emiſſenus homil. de Sanctâ Blandinâ, loquens de Tyrannis, qui Martyres ob odium Chriſtianæ fidei torquebant, aſſeruit. Conſiderans enim, quòd multi ex illis poſtquàm ſanctos impiè necauerant viuos, abſque ſepulturâ proijciebant mortuos, vt quos vitæ ſpiritu priuauerant, funeris quoque honore priuarent, iurè concluſit eos contrà ipſam pugnaſſe Humanitatem. *Sacra Corpora funeris honore priuantes, ignibus dabant, & poſt hominum mortem*, CONTRA IPSAM PVGNABANT HVMANITATEM. Tyranni, qui flammis Martyrum cadauera comburentes, funeris celebritate illa priuabant, contrà Humanitatem inhumani pugnabant; pugnat enim contrà Humanitatem, qui mortuis debitam negligit impendere pietatem.

In mortuos impij pugnāt cōtra Humanitatem.

Euſ. Emiſſen.

7 Hoc Dauid volebat, cùm poſt templi ſancti pollutionem, poſt vrbis Ieroſolymæ deuaſtationem, poſt ſanguinis iuſtorum deſcriptam effuſionem, tanquàm crudelitatem reliquis omnibus atrociorem, ſæuitiam narrat, quâ ſepultura cadaueribus prohibebatur defunctorum. *Effuderunt ſanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Ieruſalem, & non erat, qui ſepeliret*. Pſalm. 77. 3. Dum enim extremo loco ſæuitiam poſuit in mortuos, per hanc homines inhumanos effici non obſcurè indicauit. Clarè id teſtatur D. Antoninus 3. par. tit. 10. cap. 1. *Quòd ſine causâ rationabili negare ſepulturam ſit* INHVMANVM, *oſtendit Pſalmus ſeptuageſimus ſeptimus, vbi inter cætera horribilia perſequentium fideles, dicitur. Non erat, qui ſepeliret*. Inhumanitatem ſapiunt, quæcumque defunctis contumeliæ irrogantur, ideòque vituperat Pſaltes, tanquàm inhumanum, ſepulturam negare defunctis.

Inhumanum eſt negare ſepulturam defunctis.

D. Antoninus

8 Hinc aptè Paulus Iouius in vitâ Ioānis Mariæ Vicecomitis, inhumanæ vocat ſæuitiæ miniſtrum Squarciam Giramum, qui canes humanâ defunctorum carne alebat. Nec enim poterat non eſſe inbumanum, quod tam crudeliter, ac impiè contrà defunctos inaudiiá ſæuitiá patrabatur. *Habebat in delicijs Squarciam Giramum, alioqui honeſtâ ortum familiâ*, INHVMANAE SAEVITIAE MINISTRVM, *qui ad eam carnificinam ingentes moloſſos humanâ carne alendos ſuſcepiſſet*. Inhumanus erat, dum humana cadauera canibus voranda præbebat, non enim tam veſanam vnquam exercuiſſet in mortuos impietatem, ſi aliquam habuiſſet in animo humanitatem.

Inhumana ſæuitia eſt miniſter, qui ſæuit crudeliter in defunctos.

Paul. Iouius.

9 Ab eo, quod dicimus, non aberrauit Antoninus Pius, qui cùm aulicos miniſtros Marco ſui educatoris mortem piè ploranti lachrymas prohibere conſpexiſſet, dixiſſe ſcribitur, *Permittite illi, vt* HOMO *ſit*. Rem narrat Iulius Capitolinus in eius vitâ his verbis. *Inter argumenta pietatis, & hoc habetur, quòd cùm Marcus mortuum educatorem ſuum fleret, vocareturque ab aulicis miniſtris ab oſtentatione pietatis, ipſe dixerit, Permittite, inquit, illi vt* HOMO *ſit*. Ita Hominis eſt pietatem exhibere defunctis, vt idem videatur Hominem eſſe, ac illis pietatem exhibere.

Idē videtur Hominem eſſe, ac defunctis pietatem exhibere.

Iul. Capitol.

10 Quare & Humanitatis nomine hāc pietatem non rarò inſignitam obſeruo. Dum Chriſti Corpori Ioſeph, & Nicodemus iuſta perſoluebāt, illudque pretioſis vnguentis delibutum intrà lapideum monumentū reponebant, mulieres, quę Magiſtrum patientem ſubſecutæ fuerant, diligenter, & ſepulchrum, & corpus intuebantur ſepultum. *Subſecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæâ, viderunt monumentum, & quèadmodum poſitum erat corpus eius*. Luc. 23. 55. Vt quid hæc ſanctâ quadam curioſitate adeò ſolerter aſpiciebant? Audi D. Bonauenturam, dum explicat hunc locum, ita reſpondentem. *Hæ mulieres piæ, non ſolùm aſpiciebant ſepulturam, verùm etiam corpus ſepultum, & hoc ad impendendum officium* HVMANITATIS, *propter quod adiungit, & reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta*. Corpus Chriſti aſpiciebant, vt ei officium Humanitatis impenderent; pietas quippè, quâ corpus decernebant vngere defunctum, Humanitatis nomine iurè meruit appellari. Nec aliò reſpexit D. Gregorius, dum harum mulierum feruorem expendens, eaſque cum aromatibus ad Chriſti ſepulchrum feſtinantes aduertens, dixit. *Cum aromatibus ad monumentum venerunt, & ei, quem vi-*

Humanitatis nomine pietas in defunctos nuncupatur.

D. Bonauent.

D. Gregorius.

nientem

Digitized by Google

ventem dilexerant, etiam mortuo ſtudio HVMANITATIS *obſequuntur*. Ita ille homil. 21. in Euangelia. Vides adeò cõſonam eſſe Hominibus pietatem in mortuos, vt Humanitatis nomine ſoleat interdum appellari.

Victoria pietatẽ in defunctos habens annexam, plena humanitate dicta.

11 Hùc alluſiſſe quoque videtur Valerius Maximus, dum Lucij Cornelij pietatem, quâ hoſtis exequias celebrauit, deſcribens, inquit eum amplo funere Inimici cadauer extuliſſe, quia victoriam, quæ plurimum haberet Humanitatis, expetebat. Victoriam quippè, quæ pietatem annexam habebat in Defunctum, victoriam Humanitate plenam cenſebat. Do eius verba lib. 5. cap. 1. exarata. *Cùm Olbiam oppidum cepiſſet, pro quo fortiſſimè pugnans Hanno Dux Carthaginenſium occiderat, corpus eius è tabernaculo ſuo amplo funere extulit, nec dubitauit hoſtis exequias ipſe celebrare, eam demum victoriam, & apud Deum, & apud Homines minimum inuidiæ habituram credens, quæ plurimum* HVMANITATIS *habuiſſet*. En à profanis quoque Authoribus Humanitatis nomine pietas in mortuos nuncupata.

Valerius Maximus.

Pietas in mortuos ſumma Humanitas.

12 Quid quòd hanc eamdem pietatem ſummæ Humanitatis nomine celebratam reperio? Valentinorum morem recenſet Marineus lib. 3. rerum Hiſpanarum apud Theatrum Vitæ humanæ volum. 3. lib. 9. quo, die Sancti Matthiæ martyrio feſtiuo, ad locum pergunt, in quo cadauera iacent morte ob ſua crimina peremptorum, & corporibus ad ſacra loca ſepulturæ cauſâ deuectis, pro eorum animabus offerunt ſacrificia, & preces effundunt. Hæc autem, quippè quæ in gratiam defunctorum inſtituta, ſummâ Humanitate fieri non otioſè affirmat. Affero eius verba. *Valentiæ ciues in Hiſpaniâ die feſto Sancti Matthiæ* SVMMA HVMANITATE *ſupplicantes, ad locum proficiſcuntur, in quo cadauera iacent eorum, quibus crimina mortis cauſa fuere. Quæ ſine ſuſpenſa ſint, ſiue iaceant, ſuſcipiunt, & feretris impoſita ad ſacrum locum deuehunt, ibique ſacrificijs, & orationibus honorificè ſepeliunt*. Ita Humanum eſt pietatem impendere defunctis, vt ſummæ Humanitatis nomine pietas iſta nuncupetur.

Marineus.

Abraham, cũ memor fuit humanitatis, monumentũ vxori ædificauit defunctæ.

13 Saram vxorem in Chananæorum terrâ defunctam, Abraham plorauit, & ab Hethæis, ad eam ſepeliendam, duplicem ſpeluncam agri Ephron poſtulauit. Quam pecuniâ emptam in poſſeſſionem ſepulchri accepit, atque in eâ ſolemni funere coniugis cadauer collocauit. *Sepeliuit Abraham Saram vxorem ſuam in ſpeluncâ agri duplici, quæ reſpiciebat Mambre. Hæc eſt Hebron in terrâ Chanaan*. Gen. 23. 19. Hìc ſciſcitari iuuat, cur Abraham pro ſepulturâ cadaueris agrũ cum ſpeluncâ quadringentis ſiclis emere voluerit. Nonnè poterat illud citrà impenſam in monumentis condere alienis, dum illi Hethæis reſponderunt. *In electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit, quin in monumento eius ſepelias mortuum tuum?* Gen. 23. 6. Ad quid tantâ funeris ambitione proprium voluit vxori ædificare monumentum? Tantæ fuit author in defunctam vxorem pietatis, quia memor fuit eius, quâ præditus erat, Humanitatis. Habeo huius mentis aſſertorem D. Paulinum in Epiſt. ad Pammachium. HVMANITATIS MEMOR *Abraham non ſpreuit corporis curam propter animæ ſecuritatem, ſed empto ad ſepulchrum agro, mortuã ſuã pretioſâ ſed e cõpoſuit*. Humanitas Homines ad pietatem debet excitare in defunctos, vndè ſtatim ac Abraham fuit memor Humanitatis, pro cadauere defunctæ vxoris honorando, & pecunias expendit, & agrum emit, & monumentum ædificauit.

D. Paulinus.

14 His rectè conſonat ratio, quam affert D. Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 4. cur apud Chriſtianos in templis, vel Cœmeterijs ſanctorum, cadauera ſepeliantur defunctorum. Ait namque prouiſione loci ad ſuffragandum animabus idonei teſtari viuos affectionem humanam, quâ proſequuntur defunctos. *Profectò etiam prouiſus ſepeliendis corporibus apud memoriam ſanctorum locus, bonæ* AFFECTIONIS HVMANÆ *eſt ergà funera ſuorum*. Cum Humanitate pietas cohæret in defunctos, vndè affectio, quâ eis in Eccleſijs extrema pietatis officia perſoluimus, eſt adeò humanitati conſona, vt iurè meritò humanæ affectionis titulo inſignita declaretur.

Affectionis humanæ titulo pietas in defunctos honoratur.

D. Auguſt.

15 Ob hanc eãdem cauſam Alexander, vxoris Darij morte cognitâ, pias lachrymas effudit, & ſuâ illius exequias præſentiâ honorauit. Quod non amoris, ſed tantùm Humanitatis cauſâ eum præſtitiſſe teſtatur Iuſtinus Hiſtoricus lib. 11. his verbis. *In itinere nuntiatur vxorem eius, Darij, ex colliſione abiecti partûs deceſſiſſe, eiuſque morte illacrymatum Alexandrum, exequiasque benignè proſecutum, idque eum non amoris, ſed* HVMANITATIS CAVSA *id feciſſe. Nam ſemel tantùm eam Alexandro viſam eſſe, cùm Matrem, filiaſque eius paruulas frequenter conſolaretur*. Debent defunctis pietatem, quicumque debent Naturæ Humanitatem, quod Gentiles quoque agnoſcentes, ſe ſe pios, ac benignos in mortuos Humanitatis cauſâ oſtendebant.

Alexander Humanitatis cauſâ Darij vxorem plorauit defunctam.

Iuſtinus Hiſtoricus.

16 Caput abſoluo, & D. Bernardum ſequor trium mortuorum genera ſerm. de quinque negot, & quinque reg. ſapienter diſtinguentem. Quorum alij Deum videntes fœlicitate potiuntur æternâ, alij cruciatibus purgati miris apud inferos modis torquentur, alij demùm ad Tartara, æternùm puniendi, damnantur. Primi non egent, poſtremi verò noſtris non poſſunt ſuffragijs adiuuari. Reliquum igitur eſt, vt medijs ſuffragemur, eis impendentes pietatem, cum quibus communem habuimus Humanitatem. Sed melliflui proferamus verba Bernardi. *Tria ſunt loca, quæ mortuorum animæ pro diuerſis meritis ſortiuntur, Infernus,* PVRGATORIVM, *Cœlum. In Inferno impij, in* PVRGATORIO *purgandi, in Cœlo perfecti. Qui in Inferno ſunt, redimi non poſſunt, quia in Inferno nulla eſt redemptio. Qui in* PVRGATORIO *ſunt expectant redemptionem, priùs cruciandi, aut calore*

Ad mortuos Purgatorij debemus tranſire per compaſſionem qui bus iuncti ſumus per humanitatem.

D. Bernardus

calore ignis, aut rigore frigoris, aut alicuius grauitate doloris. Qui in Cœlo ſunt, gaudio gaudent ad viſionem Dei, Chriſti fratres in naturâ, cohæredes in gloriâ, ſimiles in æternitate iucundâ. Quia igitur primi redimi non poſſunt, tertij redemptione non indigent, reſtat, vt ad medios transeamus per compaſſionem, quibus iuncti fuimus per HVMANITATEM. Omnia, licet pluſcula, volui exſcribere Sancti huius verba iſta, quia digna ſunt, quæ feriò cogitent Homines, vt agnoſcant ratione Humanitatis debere ſe ſe humanos exhibere defunctis.

CAPVT IV.

Ex debito iuſta mortuis perſoluere viui tenentur.

Animæ Purgatorij, tanquam ſibi debitam, noſtram implorant miſericordiam.

DVm viuos ad pietatem hortor in mortuos, non rem ſuadeo, quam amplectantur ex conſilio, ſed opus propono, quod exequi tenentur ex debito. Sunt omnibus notæ voces illæ, quibus Purgatorij animæ noſtrum in ſuis cruciatibus implorant auxilium. *Miſeremini mei, Miſeremini mei.* Iob 19. 21. Quorſum flebilia hæc verba tendunt fidelium vitâ functorum? Nùm, vt à nobis, dum ſuam patefaciunt miſeriam, noſtram extorqueant miſericordiam? Nùm, vt hoc ſuadeant opus tanquam rationi conſonum, pietati conſentaneum, Deoque non parùm acceptum? Non cò tantùm Animæ reſpiciunt clamantes, ſed inſuper nos monent, quòd vt noſtræ ſatisfaciamus obligationi, earum neceſſariò ſuffragari debemus tribulationi. Patronum habeo D. Ambroſium lib. 3. de Officijs cap. 16. hæc afferentem. *Miſeremini mei amici, hoc eſt Miſericordiam* DEBETIS *præſtare*. Non abiectæ, ſed cenſoriæ ſunt iſtæ voces, quibus nobis in mentem reuocatur, non quod poſſumus, ſed quod pro defunctorum animabus præſtare debemus.

D. Ambroſius

Eleemoſyna pro Animabus Purgatorij ex debito eſt eroganda.

2 Poſt Chriſti mortem, eius cadauer Ioſeph, & Nicodemus, facultate à Præſide obtentâ, de Crucis ligno depoſuerunt, & in lapideo, ac nouo monumento condiderunt. Nec ſumptibus pepercerunt, ſed pigmentorum mixturam ſecum tulerunt, vt pretioſâ vnctione corpus honorarent defunctum. *Acceperunt ergò corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire* Ioan. 19. 40. Vt quid tot aromatibus cadauer obliniuerũt mox deuictâ morte reſurrecturum. Vt quid corpus, quod non poterat vaſtare corruptio, eâ condierunt copiâ vnguentorum? Vt noſtri nos debiti admonerent; quatenus intelligeremus, quòd ſi tot pro defunctorum corporibus cõdiendis diuitiæ impenduntur, multò magis pro eorum Animabus à Purgatorio eruendis pecunias pauperibus eleemoſynę gratiâ erogare debemus. Hunc ſenſum tradit in Bibl. vet Pat. Hugo Etherianus cap. 17. de regreſſu Animarum. *Ecce Ioſeph, & Nicodemus multam inſumpſerunt pecuniam, vt illud tantùm corpus à vermibus defenderent. Certè qui poteſt, diuitiarum copiam erogare* DEBET, *vt corpus amici honeſtè ſepeliat, maximè verò, vt animam eripiat dæmonum faucibus.* Nõ tantùm eleemoſyna pro mortuis ſuadetur, vt optima, ſed inſuper præſcribitur, vt debita; *erogare debet:* eis enim eſt debitum, quidquid in gratiam præſtamus defunctorum.

Hugo Etherianus.

Debitus ordo, quo ſuffragijs Anima defunctorum adiuuatur.

3 Ad hoc debitum reſpexit D. Paulinus in Epiſtolâ, quam ſcripſit ad Pammachium, in quâ eum laudans, quòd vxoris in flore adhuc iuuentæ defunctæ religioſas celebrauerat exequias, funeri pias lachrymas impendens, & pauperibus multas eleemoſynas erogans, dixit, eum debito ordine coniugi iuſta perſoluiſſe. Debitus nimirum eſt ille ordo, quo defunctis pietas impenditur, eorumquè animæ fidelium ſuffragijs adiuuantur. *Non vacuam fletibus*, verba ſunt D. Paulini, *vt maxima pars mortalium, neque vano, vt ſpei noſtræ expertes ſolent, pomparum inanium honore comitatus es, ſed remedijs ſalutaribus, & viuis opibus, hoc eſt eleemoſynis proſecutus*, DEBITO ORDINE *primùm caro funeri iuſta perſoluens, pijs lachrymis, & largo charitatis rore perfuſus, religioſus exequias honoraſti.* Debitum vocat ordinem, quo Pammachius defunctæ coniugis animæ ſuffragatus fuerat, quò diſcamus, defunctorum Animabus viuorum ſuffragia deberi.

D. Paulinus.

Officia pietatis ergà pios exhibere debemus.

4 Aſcendente Iacob cũ vniuerſâ familiâ, Dei iuſſu, in Bethel, mortua eſt Debora, quę Rachelẽ illius vxorem nutrierat, quam ſub quercu ſepultam tanto proſecutus eſt luctu, vt à lachrymis cognomen quercus illa ſuſceperit. *Eodem tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercum, vocatumque eſt nomen loci illius: Quercus fletûs.* Gen 35. 8. At cur tot lachrymis exequias Iacob celebrauit nutricis? Cur tanto luctu funus honorauit mulieris, neque cognatione, neque affinitate ſibi coniunctæ? Nùm, vt oſtenderet debitum eſſe in quoſcumque piè mortuos pietatis officium? Ita cenſet Oleaſter hunc locum explanans. *Commonet nos locus iſte officiorum, quæ ergà pios exhibere* DEBEMVS. Debemus mortuis noſtram impendere pietatem, quapropter Iacob Deboram mortuam multis tumulauit lachrymis, & ſolemnibus honorauit exequijs.

Oleaſter.

Vt debitum pietatis defuncto perſoluerent, Eſaù, & Iacob vnà conuenerunt.

5 Id, quod etiam præſtiterunt Eſaù, & Iacob, cùm Pater eorum Iſaach ſenex, & plenus dierum occubuit. Simul enim conuenientes, eum luxerunt, & exequijs peractis in ſpeluncâ, quæ fuerat Hebron, condiderunt. *Et ſepelierunt eum Eſaù, & Iacob filij ſui.* Gen. 35. 29. Quo pacto fratres adeò inter ſe oppoſiti ad ſepeliendũ mortuum Patrem vnà conuenerunt? Nonnè pro benedictione, quam ſibi præripuerat, odio habebat Eſaù Iacob, ita vt mortem Patris, vt eum impunè interficere poſſet, expectaret? Nonnè Iacob, vt eius inſidias irritas redderet ad auunculum Laban in Haran morantem, iubente matre, conceſſit? Nonnè cùm eum audiuit ſibi oc-

curren-

Digitized by Google

currentem, timuit, & vniuerſa, quæ ſecum habebat, in duas turmas ad pugnam diuiſit? Quomodo ergò vnà cum eo conuenire non veretur, & tempore ſuæ morti à fratre præſcripto, ad illum, vt patrem ſepeliat defunctum, accedit? Hoc debitum fecit, quo vterque filius mortuo Genitori exequias celebrare tenebatur, cui vt ſatisfaceret, mortis pericula Iacob contempſit. Sanè hùc alluſiſſe videtur idem Oleaſter. *Sepelierunt eum Eſaù, & Iacob filij ſui.* DEBENT *filij parentum curare funus.* Debetur à filijs paternarum cura exequiarum, quam ne negligeret, fratris odium, & mortis periculum, Iacob neglexit.

Idem.

Mortuis parentibus miſericordiæ obſequia debentur à filijs.

6 Patrem Iacob imitatus eſt filius Ioſeph, qui cernens eum in Ægypto defunctum, cadauer illius oſculis excepit, aromatibus condiuit, lachrymis rigauit, & ad terram Chanaan ſepeliendum tranſuexit. *Ruit ſuper faciem Patris, flens, & deoſculans eum, præcepitque ſeruis ſuis medicis, vt aromatibus condirent Patrem.* Gen. 50. 1. Ex hac filiali Ioſeph ergà mortuum Genitorem pietate arguit Carthuſianus ad pietatem aliorum, infertque omnes filios, ac filias debere parentibus pietatem exhibere defunctis. *Edocemur, quàm piè, & amorosè exhibere ſe* DEBENT *filij, ac filiæ ad ſuos parentes morientes, ac mortuos.* Tantam exhibuit Ioſeph Patri defuncto pietatem, vt nobis innueret, mortuis parentibus miſericordiæ obſequia deberi à filijs.

Dion. Carth.

Non adimplent quod debent, qui pietatem non exhibent defunctis.

7 Antequàm verò Iacob defuncto hæc obſequia Ioſeph impenderet, dum adhuc ille ſenex in lectulo ægrotabat, eum ad ſe vocauit, & ſe, quòd Rachelē in paterno ſepulchro non humaſſet, quia tempus erat vernum, & Ephratam ingrediebatur, excuſauit. *Mihi verò, quandò veniebam de Meſopotamiâ, mortua eſt Rachel in terrâ Chanaan, in ipſo itinere, eratque vernum tempus, & ingrediebar Ephratam, & ſepeliui eam iuxtà viam Ephratæ.* Gen. 48. 7. Ad quid Iacob has attulit filio pro coniugis tumultuariâ ſepulturâ excuſationes? Nùm ſuas Genitores apud filios excuſare debent operationes? Nùm illis eorum, quæ faciunt, rationem reddere tenentur? Nequaquam; ſed hæc proferre voluit, ne videretur debitâ pietate vxorem fraudaſſe defunctam. Verba ſubijcio Oleaſtri hæc ad rem noſtram ex loco iſto colligentis. DEBENT *viri pij eſſe in vxores ſuas, & parentes non dedignentur excuſare, quæ mali ſpeciem habere videntur.* Non eſt dedignatus Iacob ſe pro priuatâ vxoris ſepulturâ excuſare, quia cùm maiorem, vt maritus, teneretur ei exhibere pietatem, non exhibuiſſe, tranſgreſſionis debiti ſpeciem habere videbatur? Non adimplent quippè quod debent, qui, cùm poſſint, pietatem negligunt exhibere defunctis.

Oleaſter.

Hethæi, vt ſuo debito ſatisfacerent, ſepulturæ Saræ vacauerūt.

8 Apud Chananæos in ciuitate Hebron Sara obierat vxor Abrahæ; cùmque iſte illius exequias celebrare, & cadauer honorificè tumulo commendare cogitaret, Ephron rogauit, ut ſibi agrum uenderet, ac ſpeluncam, ubi mortuam poſſet coniugē humare. Cui reſpondens Ephron benignè, agrum ei obtulit ſine pretio, & ſpeluncam. *Agrum trado tibi, & ſpeluncam, quæ in eo eſt, præſentibus filiis populi mei; ſepeli mortuum tuū.* Gen. 23. 11. Quod hic obſeruatione mihi dignū occurrit, eſt, quòd Ephron, cunctis præſentibus Hethæis hunc Abrahæ obtulit agrum. Nunquid ab operibus ſuis, vt illi aſſiſterent oblationi, omnes vacauerant Hethæi? Nequaquam; ſed vt, quem debebant, Saræ defunctæ, ſepulturæ honorem præberent. Audias Lyranum hæc ſcribentem. *Omnes de ciuitate ab operibus ſuis ceſſauerant, vt ſepulturæ Saræ* DEBITVM *honorem impenderent.* Debitus eſt honor, qui exhibetur defunctis, vndè vt ſuo Hethæi ſatisfacerent debito, cuncta reliquerunt, & ſoli ſepulturæ Saræ vacauerunt.

Lyranus.

Vxor mortuo marito pietatem exhibere debet.

9 Quod debitum antiqui etiā agnouere Gentiles, apud quos nefas erat vxori poſt mariti mortem per annum integrum aliam, præter propriā, incolere domum. Debebat quippè domi reſidens amiſſum lugere maritum, & ei, quem viuentem dilexerat, pietatem exhibere defuncto. Vndè Seneca Epiſt. 63. *Annum fœminis ad lugendum conſtituere maiores,* Ouidius lib. 2. Faſtorum.

Seneca.

Ouidius.

Quod ſatis eſt vtero matris dum prodeat infans
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere coniugis vxor
Suſtinet in viduâ triſtia ſigna domo.

Apuleius.

Et Apuleius lib. 8. Metamorph. *Boni ergò, & optimi conſules, ſi luctui legitimo miſerrima fœmina neceſſarium conceſſeris tempus, quoad reſiduis menſibus ſpatium reliquum compleatur anni;* & Codex lib. 5. de ſecundis nuptijs. *Si qua ex fœminis perdito marito intrà anni ſpatium alteri feſtinauerit nubere, probro notetur.* Huius moris, & debiti Cicero etiā meminit in oratione pro Cluentio his verbis, quibus mulierem damnat hāc legem à ſe abdicantem. *Quæ mulier obteſtatione viri decem illis menſibus, nè domum quidem vllam, niſi ſocrûs ſuæ, noſſe* DEBVIT, *hæc quinto menſe poſt viri mortem Oppianico nupſit.* Non ſtatim nubere, ſed annum in viduitate tranſigere: decem enim menſes annum tunc temporis formabant, vt debitam mortuo impenderet pietatem marito, mulier tenebatur.

Cicero.

Tobias, vt quod debebat mortuis ſolueret, mortis pericula contempſit.

10 Pergo, & Tobiæ conſtantiam admiror, qui cognito Regis edicto, quo impiè cauebatur, ne captiui ſepulturæ poſt mortem traderentur, non metu mortis reuocabatur, ſed potiùs ad illius pietatis officium magis incitabatur. Quare cùm die quadam cibum ſumeret, & captiuum Iſraëlitam in plateâ iugulatum iacere audiret, prandium deſerens, tulit cadauer, & domi, vt ſole occumbente illud humaret, occultè ſeruauit. *Relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, tollenſque illud portauit ad domum ſuam occultè, vt dum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum.* Tob. 2. 3. Cur Tobias conuiuij epulas deſerit, Regis edictum negligit, & mortis pericula contemnit, vt iugulatum ſepulturâ honoret defunctum? Cur inſtruens conuiuium affert occiſum, conuiuas accerſens

cerſens

Digitized by Google

œriens mortuum plorat, cùmque ibi apponit eſuriens edulia, interfecto parat compatiens exequias? Hæc vt pietatis, quam viui debent defunctis, illuſtre nobis relinqueret exemplum effecit. Perbellè Sanctus Ambroſius lib. de Tobiâ cap. 1. *Dum conuiua accerſitur, nuntiatis inſepulti corporis reliquijs, cibum deſeruit, nec putauit pium, vt ipſe cibum ſumeret, cùm in publico corpus iaceret exanime. Hoc illi quotidianum opus, & magnum quidem. Nam ſi viuentes operire nudos lex præcipit, quantò magis* DEBEMVS *operire defunctos.* Debent viui ſeſe mortuis exhibere clementes, vndè vt debitum hoc ſolueret Tobias, epulas contempſit, conuiuas reliquit, & mortis pericula ſubire non timuit.

D. Ambroſ.

Nedum Animabus ſed & corporibus mortuorū pietas debetur.

11 Præcepit Deus, ne hominis in patibulo ſuſpenſi remaneret cadauer in ligno, ſed voluit eadem die, quâ vitâ priuabatur ſepulturæ mandari. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eâdem die ſepelietur.* Deut. 21. 22. Quid cauſæ eſt, quòd viuum permiſit Deus Cruci affigi, mortuum verò noluit in patibulo relinqui? An quia cadaueribus mortuis pietas debetur ab hominibus viuis? Hoc ſanè ſtatuit Lyranus in hunc locum. DEBET *Sufficere talis pœna à tenentibus locum Dei impoſita, ideò non* DEBET *vltrà hoc priuari ſepulturâ, & quod dictum eſt hîc de ſepulturâ ſuſpenſi, intelligendum eſt de ſepulturâ lapidati, vel decapitati, vel alio modo condemnati ad mortem.* Debetur pietas, nedùm animabus verùm etiam cadaueribus quorùmcumque in Dei gratiâ mortuorum, hincque licet Deus peruerſos iuſſerit ſuſpendi, nō tamen eos mortuos voluit abſque ſepulturâ omitti.

Lyranus.

Viri Iabes Galaad, vt debitas Saul exequias celebrarent, eius cadauer ad vrbē tranſtulerunt.

12 Confirmat hoc idem inſtitutum pietas, quâ viri Iabes Galaad cadauera Saul, & filiorum eius, vt ſepulturæ honorificè traderent, de muris hoſtilibus noctù ſuſtulerunt, & ad ſuam ciuitatem tranſtulerunt. *Tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntque Iabes Galaad, & combuſſerunt, ea ibi igni, & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes.* 3. Reg. 31. 12. Vbi digna inquiſitione mihi videtur iſta cadauerum translatio ad ciuitatem Iabes. Nam ſi ea, non in ciuitate, ſed in nemore humare, iuxtà tunc vigentem conſuetudinem, volebant, vt quid non immediatè ad nemus, ſed ad ciuitatem ea tranſtulerunt? Non id egerunt, vt ſolemniores in ciuitate celebrantes exequias, maiori populorum luctu debitam impenderent regali funeri pietatem? Adſtipulatur Abulenſis in hunc locum quæſt. 17. *Poſtquam abſtulerunt cadauera de muro Bethſan, redierunt in nocte illâ in vrbem Iabes, vt ibi facerent* EXEQVIAS DEBITAS *regali funeri.* Debitæ erant defunctis principibus exequiæ populi frequentiâ celebres, & idcircò non ſtatim ad nemus perrexerunt, ſed ad ciuitatem, ubi totus morabatur populus, mortuorum cadauera tranſtulerunt.

Abulenſis.

Gratitudinē defunctis exhibere debemus.

13 Filiam ſuam ob votum temerè factum ſacrificatam Iephte plorauit, eiuſque luctum comitatę filiæ Iraël, nedùm in exequijs, ſed etiam poſteà quotannis poſt anni circulum ad eam pijs lachrymis lugendam conuenerunt. *Exindè mos increuit in Iſrael, vt plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Iud. 11. 40. Sed quare anniuerſario, & quatriduano luctu defunctam iſtam Iſraëlitarum adoleſcentulæ plorabant? Quia ei, quæ pro ſalute patriæ uitam amiſerat, hanc memoriam, & pietatem debebant. Rectè Abulenſis, quæſt. 53. in hunc locum. *Pro ſalute patriæ videtur ipſa directè occiſa. Magnam ergò memoriam, & glorioſam ei patria præſtare* DEBVIT, *quæ pro patriâ ſeipſam gratis impendit.* Debemus pietate defunctis exhibitâ noſtram in eos gratitudinem teſtari, quamobrem, ut hoc debitum ſoluerent, filiam Iephte defunctam anniuerſario quotannis luctu plorabant.

Abulenſis.

Lege obligauit Deus fratrem ſuperſtitem ad ſuſcitandum ſemē mortui, vt pietatem, quam Debebat, exhiberet.

14 Afferam adhuc aliam eiuſdem Abulenſis obſeruationem, quâ uxorem ſine liberis defuncti eius fratri antiquâ in lege debitam fuiſſe aduertit. *Sin autem noluerit accipere vxorem fratris ſui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis.* Deut. 27. 7. Cur autem ei debebatur, niſi quia ſuſcitationē nominis defuncti, à lege ob miſerationem illius præceptam, frater ſuperſtes fratri mortuo debebat? Clarè Abulenſis. *Quæ ei lege* DEBETVR, *ideſt per iſtam legem, quam Deus hîc ſtatuit de ſuſcitatione ſeminis fratris defuncti.* Voluit Deus lege obligare viuentes fratres ad mortuorum memoriam ſuſcitandam, vt omnibus innoteſceret, ab ijs, qui ſunt ſuperſtites ijs, qui iam obierunt, pietatis obſequia deberi.

Idem.

Fideles viduæ Tabitha defunctæ debita pietatis obſequia impēderunt.

15 Diſcipula in vrbe Ioppe obijt, cui nomen Tabitha, quam poſt mortem cæteræ viduæ, quæ, cum eâ morabantur plorantes, ad cœnaculum tranſtulerunt; priùs autem, quàm eam transferrent, lauerunt, ac deindè Petrum, vt eam ſuſcitaret, per nuntios vocauerunt. *Quam cùm lauiſſent, poſuerunt eam in cœnaculo. Cùm autem propè eſſet Lydda ab Ioppe, diſcipuli audientes, quia Petrus eſſet in eâ, miſerunt Duos viros ad eum.* Act. 9. 37. Quæro hîc cur hanc defunctam viduæ lauerint, dum Petrum eam ſuſcitantem expectabāt? Quarè lauerunt, vt ſepeliendam, quam ſperabant mox ad vitam Principis Apoſtolorum oratione redituram? Placet reſponſio, quam Theophylactus ad hunc locum affert. *Coram poſuerunt in cœnaculo, hoc eſt cadaueri* DEBITVM *omne officium præſtiterunt.* Debita ſunt mortuis officia pietatis, quare vt ei, quod debebant, ſatisfacerent, diſcipulam voluerunt fideles viduæ lauare, licet mox reſurrecturam.

Theophylactus.

Huius debiti meminerunt etiam Poetæ.

16 Cuius debiti obligationem neque in ſuis carminibus prętetiere Poëtę. Quapropter Virgilius lib. 11. Æneid. lachrymas militū in Pallantis exequijs fuſas, Æneę nomine ſolatia ſupremis defuncti honoribus debita vocauit.

Hæc vbi defleuit, tolli miſerabile corpus
Imperat, & toto lectos ex agmine mittit

Virgilius.

Mille

Mille viros, qui ſupremum comitentur honorem,
Interſintque patris lacbrymis: ſolatia luctûs
Exigua ingentis, miſero ſed DEBITA *patri.*

Valerius Flaccus.

Valerius item Flaccus lib. 3. Argonaut, munera, quæ rogis militum immittebantur defunctorum, debita illis fuiſſe à ſuperſtitibus aſſeruit.

Vos age funereas ad littora voluite ſyluas,
Et ſocios luſtrate rogos, date DEBITA *cæſis*
MVNERA, *quæ noſtro miſiſſet Cyzicus igni.*

Auſonius.

Auſonius quoque carmina elegiaca, quæ defunctæ ſorori parentandi gratiá offerebat, eius cineri deberi affirmauit in Parentalibus 29.

Aemilia, vix nota mihi ſoror, accipe queſtus,
DEBENT *quos cineri mæſta Elegia tuo.*

Propertius.

Propertius etiam lib. 3. Elegiâ de morte Poeti, queritur quòd mater illi vndis abrepto non potuerit debita iuſta piè perſoluere.

Et mater non IVSTA *pia dare* DEBITA *terræ,*
Nec pote cognatos inter humare rogos.

Dionyſ. Halicarnaſſeus.

Dionyſius demùm Halicarnaſſeus lib. 8. Antiquitatum Romanarū milites Marcij ait debitā illi defuncto pluribus honoribus retuliſſe gratiam. *Inſignis fuit eorum indignatio, qui auſpicijs eius militauerant, & quia viuo in eo caſu non potuerant ſuccurrere, ſtatuerunt defuncto* DEBITAM *referre gratiam, collatis in forum omnibus, quæ ad honorandos viros bonos requiruntur.*

Pſeudopropheta virum Dei ſepelinit quia debita ei erant ſepulturæ officia.

17 Hùc etiam Pſeudopropheta ſpectauit, qui viri Dei à Leone interempti cadauer in ſuo monumento humauit. *Et poſuit cadauer eius in ſepulchro ſuo, & planxerunt eum, Heu, heu mi frater.* 3. Reg. 13. 30. Nec enim id egit homo iſte, qui eum deceperat, niſi quia cognouit, mortuo omne pietatis officium deberi. Quod colligo ex Sancto Bachiario Epiſtolâ ad Ianuarium.

S. Bachiarius

Sed nos vel Pſeudoprophetæ imitemur officium, & eum, quem percuſſit Diabolus, DEBITO *omni honore tumulemus.* Sunt adeò mortuis debita pietatis officia, & extrema parentalium obſequia vt nec mortuum hoſtem, quem viuum ex odio, & liuore deceperat, voluerit ſepulturâ, luctu, & reliquis defraudare, quæ cadaueribus debentur defunctorum. Ex his igitur meridianâ luce clarius apparet, pietatem ſuperſtitum ijs, qui obierunt deberi, adeò vt nedùm ex conſilio, verùm etiam ex debito iuſta mortuis perſoluere viui teneātur.

CAPVT V.

Iuſtitiæ titulo pietas eſt exhibenda defunctis.

Mortuis parentibus ex iuſtitiâ filij tenentur pietatem exhibere.

1 IVſtitia, quæ ius ſuum vnicuique tribuit, mortuis quoque pietatis obſequia impendit: quare titulo etiam Iuſtitiæ pios noſmet in mortuos exhibere debemus. Cùm iam, ſenectute vrgente, ad vitæ occaſum tenderet Iacob in Aegypto, filium Ioſeph ad ſe vocatum adiurauit, vt ſuum cadauer poſt mortem ad paternam transferret in Chananæorum terrâ ſepulturam. Vtque maiorem vim ad impetrandum ſuæ preces haberent, miſericordiam ab eo poſtulauit, & veritatem. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femore meo: & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum Patribus meis, & auferas me de terrâ hac, condaſque in ſepulchro maiorum meorum.* Gen. 47. 29. Miſericordiam quidem facturus erat Ioſeph, ſepeliendo patrem, cùm opus Miſericordiæ ſit honorificam defuncto exhibere ſepulturam. At quonam pacto transferens ad Chananæorum terram paternum cadauer veritatem facere debebat? Quæ amabò eſt hæc veritas, quam à ſuperſtite filio moriens pater ſibi poſtulat exhiberi defuncto? Quid veritatis nomine diuinæ Veritatis paginæ hìc nobis intelligendum tradiderunt? Adeſt, qui dubitanti reſpondeat, nodumque omnem appoſitâ deciſione diſſoluat D. Dionyſius Carthuſianus, qui hunc locum verſans, hæc ad rem noſtram exarat.

Dionyſius Carth.

Facies mihi miſericordiam, vt ſcilicet corpus meum iuxtà petitionem meam ſepelias, nam ſepelitio mortuorum eſt vnum de operibus miſericordiæ, & veritatem, ideſt IVSTITIAM, *nam filij tenentur ſuis patribus acquieſcere in rebus tam pijs.* Non tantùm miſericordiam, ſed & iuſtitiam faciebat Ioſeph, dum patrem Iacob in propriâ ſepulturâ honorificè condebat, non enim tantùm miſericordiæ verùm etiam Iuſtitiæ titulo tenentur Filij parentibus pietatem exhibere defunctis.

Paternam ſepulturam cōcedere Ioſeph ex iuſtitiâ ſe teneri Pharao cognouit.

2 Ob eamdem cauſam vir Rex Pharao Ioſephum pro defuncto patre interpellantem audiuit, ſtatimque illi pergendi ad terram Chanaan, vt ibi proprio in monumento genitorem ſepeliret, facultatem conceſſit. *Dixitque ei Pharao: Aſcende, & ſepeli patrem tuum, ſicut adiuratus es.* Gen. 50. 6. Satis mirari non poſſum, quòd cùm eſſet Ioſeph Aegypti negotijs adeò neceſſarius, permiſerit Rex, vt propter ſepulturam cadaueris, longo itineris labore ad terram proficiſceretur alienam. Nunquid deerant monumenta in Aegypto, in quibus mortuum honorificè poterat reponi corpuſculum? Vt quid ergò tamdiù voluit ſui regni abeſſe Præfectum, ſolum rebus magis arduis prudenter diſponendis idoneum? Quia ſe teneri ex Iuſtitiâ poſtulatam facultatem concedere cognouit, dum agebatur de vltimâ voluntate à filio pie adimplendâ mortui genitoris. Siſto verba Epiſcopi Abulenſis hunc locum ita declarantis.

Abulenſis.

Diligebat Pharao valdè Ioſeph, & noluit eum contriſtari, maximè quia videbat, quòd rem IVSTAM *popoſciſſet.* Iuſtum eſt, ac Iuſtitiæ debitum pietatem exhibere defunctis, & ideò ne contrà id, quod Iuſtitia exigebat, operari Pharao videretur, neceſſitatibus regni poſthabitis, Ioſepho permiſit, vt ad terram pergeret Chananæorum, in quâ ſolemniter mortui humaret cadauer parentis.

Vt Iuſtitiam ſeruaret. Chriſtum de

3 Hoc Iuſtitiæ debitū alter quoq; Ioſeph cognouit, qui Chriſti cadauer à ſe pretioſis aromatibus delibutum, in ſuo religioſè condidit nouo, ac

functum Ioſeph Arimathæus humauit.

lapideo monumẽto. Quo pacto Chriſti diſcipulus propter metum Iudæorum occultus adeò audet, vt ad Pilatum confidenter introire, cadauer efficaciter poſtulare, ac in ſuo ſepulchro humaniter ſepelire non vereatur? Cur qui noluit Chriſto viuente manifeſtari, voluit eo moriente tanquam illius diſcipulus publicè agnoſci? Cur qui clam dilexit viuum, palam humauit occiſum? Iuſtitiā vir iſte præditus erat. *Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat decurio, vir bonus, & iuſtus.* Luc. 23. 50. & iccircò hanc Chriſto humanitatem impendit defuncto. Iuſtitiæ namque debito non ſatisfacit, qui mortuis pietatem non impendit. Audiendus eſt Paſchaſius in cap. 27. Matth. *Acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu, nihil curans de Iudæorum offenſione, quoniam* IVSTVS ERAT. Pericula cuncta, cùm iuſtus eſſet, contempſit, & vt iuſtitiā ſeruaret, nihil reliqua curās, mortuo Magiſtro nobili exequiarum pompā pietatem exhibuit.

Paſchaſius.

Iuſtitia exigit iuſtos in pietate mortuis exhibendā feſtinos.

4 Quod & ſeruauit Abraham, cùm in terrā Hethæorum mortuæ vxori ſepulchrum ædificans, quadringentos ſiclos argenti pro agri, & ſpeluncæ Hebron poſſeſſione appendit. *Appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat, audientibus filijs Heth, quadringentos ſiclos argenti probati monetæ publicæ.* Gen. 23. 16. Quare tanto diſpendio ſuę Abraham ſepulturam prouidit vxori? Cur non, vel alieno vſus eſt ſepulchro, vel ſi locum peculiarem volebat, alium non emit minori pretio acquirendum? Quis eum coëgit pro cadaueris de poſitione agrum cum ſpeluncā in poſſeſſionem ſepulchri habere? Iuſtus erat Abraham, & vt Iuſtitiæ debito ſatisfaceret, maiorem, quam poterat feſtinauit ſuæ vxori defunctæ impendere pietatem. Fallor, ſi hoc non voluit D. Ambroſius in Gloſsā. *Feſtinauit* IVSTVS *pro loco ſepulchri pretium ſoluere.* Vt mortuis pietatem impendant, iuſti feſtinant: iuſtos enim exigit Iuſtitia in pietate defunctis exhibendā feſtinos.

D. Ambroſius.

Peregrino defuncto peculiaris ſepultura locus iure debetur.

5 Sed & aliud mihi hac in re adnotandum occurrit, quòd cùm precaretur Abraham Hethæos, vt ſibi liceret in peculiari ſepulchro ſuā ſepelire vxorem, ſe aduenam, & peregrinum appellans, ſibi tradi ius ſepeliendi ſuum mortuū poſtulauit. *Cùmque ſurrexiſſet ab officio funeris, locutus eſt ad filios Heth, dicens: Aduena ſum, & peregrinus apud vos: date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum.* Gen. 23. 3. Si Abraham aduena, & peregrinus erat, quā ratione ius ſepeliendi ſuum mortuum in alienā terrā poſtulabat? Quod ius habent in regione aliorū peregrini, vt ſepulchrum peteret ſibi iure acquirendum? Nùm Iuſtitia poſcebat, vt quæ mulier inter Hethæos vixerat, in eorum quoq; terrā mortua ſepulturam haberet? Ita exiſtimat Oleaſter in hunc locum Ivs QVAESITVM ESSE VIDETVR, *vt ij, qui inter nos viuunt, inter nos ſepulchrum habeant, & hinc orta videtur conſuetudo, vt homo curet habere locum proprium ad ſepeliendum mortuos ſuos. Et ex hoc loco puto Iudæos vſque hodie quærere ſibi pecculiarem ſepulturæ locū.* Nō gratuitò conceditur, ſed Iuſtitiæ titulo, & iure debetur peculiaris ſepulturæ locus etiam aduenæ, ac peregrino defuncto.

Oleaſter.

Cur Hebræi ſibi peculiarē quærant ſepulturæ locū.

Abraham ſepulchrum ſibi Iuſtitiæ titulo debitum humiliter petit ab Hethæis.

6 Verùm poſſet quis hic quærere. Si Iuſtitiæ titulo Abrahę debebatur peculiaris pro ſuo defuncto ſepulturę locus, cur pro loco iſto acquirendo tot preces effudit, populum terræ adorauit, & Hethæos apud Ephron interceſſores aſſumpſit? Nonnè ſcriptum eſt. *Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth, dixitque ad eos: Si placet animæ veſtræ vt ſepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite apud Ephron filiū Seor, vt det mihi ſpeluncam duplicem, quā habet in extremā parte agri ſui?* Gen. 23. 7. Si ei, quod quęrebat debebatur, quid tot adorationes, tot ſupplicationes, tot interceſſiones adhibuit? Non id egit, vt iuri ſuo derogaret, ſed vt petitionē ſuam, nedùm Iuſtitiæ titulo, ſed etiā humilitatis merito inſigniret. Non ſunt hic prætereunda verba Hug. Card. ita prænotatum locum explicātis. *Date mihi ius ſepulchri vobiſcum, idest mihi, & meis requiem vobiſcum.* IVSTA EST PETITIO ISTA, SED ET HVMILIS. Iuſtitiam cum humilitate in ſuā petitione Abraham coniūxit, quapropter Iuſtitiæ titulo ſibi debitū precùm humilitate pro ſuo mortuo poſtulauit ſepulchrum.

Hugo Card.

Iuſtitia titulo debetur ſepult. venia. Iuſtinus Hiſtoricus.

7 Ex his illud facilè intelligitur, quod de Dario moriēte Iuſtinus dixit Hiſtoricus lib. 11. Quòd videlicet, cùm multis vulneribus confoſſus, in vehiculo ſemiuiuus iaceret, iuſſit militi, vt Alexandro, poſt gratias actas, quòd in vxorē, & filias ſuas animū non hoſtilem, ſed pium oſtendiſſet, diceret: *Pro ſe* IVSTAM *magis, quàm grauem ſepulturæ veniā orare.* Cùm enim iuſtititiæ titulo Darius debitam ſibi defuncto cognoſceret ſepulturā, iurè veniam, quā pro illā orabat *iuſtā magis, quàm graué* appellauit. Neq; ab hoc diſcrepat, quod apud Virgiliū lib. 2. Æneid. Hecuba de Achille dixit. Hunc ſcilicet iura ſeruaſſe, cùm Hectoris defuncti corpus exangue, Priamo deprecante, reddidit ſepulchro.

Iura ſeruantur, cùm pietas mortuis impenditur.

Virgilius.

At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo: ſed IVRA, *fidemque*
Supplicis erubuit, corpuſque exangue ſepulchro
Reddidit Hectoreum.

Quod imitatus Herennius Modeſtinus Argumento in lib. 11. Æneid. de Aenea idem affirmauit.

Herennius Modeſtinus.

IVRA SEPVLTVRAE *tribuit, tempuſque Latinis.*

Vides iuſtitiam tunc exerceri, & iura ſeruari à viuentibus, cùm pietatem impendunt defunctis.

8 Sacrificia, quę mortuis impendebātur, iuſta fuiſſe antiquitùs appellata, nemo ignorat, vndè Ouidius lib. 2. Faſtorum.

Sacrificia pro mortuis Iuſta dicebantur, eò quod iure fierent.

Ouidius.

Hanc, quia, IVSTA FERVNT, *dixerunt Feralia lucem.*

Et Cicero Oratione pro L. Flacco IVSTA *Catilinæ facta ſunt.* Plinius quoq; lib. 2. cap. vlt. *Ex cùm ſecutis diebus* IVSTA PERAGERENT. Et iterum lib. 10. cap. 2. *Principioque* IVSTA *funeri priori reddere*, & Antonius Conſtantius lib. 2. Faſtorum Ouidij

Cicero. Plinius. Antonius Conſtantius.

Ouidij. *Numa Pompilius quidem, vt dicimus, ſtatuit vt hoc menſe* IVSTA *Dys Manibus ſoluerentur* Herodianus demum lib. 4.

Herodianus.

Sed in primis tamen IVSTA *parenti perſoluerunt.*

Cur verò dicta ſunt hæc parentalia pro mortuis ſacrificia Iuſta, niſi quia Iuſtitiæ titulo Animabus debita exiſtimabantur defunctorum. Audi, quomodo huius vocis originem Ambroſius explicet Calepinus. IVSTA, *ſacrificia, quæ mortuis impenduntur, ita dicta, quòd* IVRE *fierent his, qui de nobis viuentes benè meriti fuerant.* Iuſtitiæ titulo ſuffragia mortuorum Animabus debentur, quare ſacrificia, quibus Gentiles mortuorum Animabus ſuffragari putabant, iuſta eò quòd iure fierent, appellabant.

Amb. Calep.

Funus, et cauſa mortuorũ Iuſtitia debita.

9 Quamobrem & Auſonius iuſtum dixit funus, quo exequiæ celebrantur defunctorum in præfatione ad parentalia.

Auſonius.

Nomina carorum iam cõdita FVNERE IVSTO.

Ambroſius.

Et Ambroſius conc. de obitu Theodoſij iuſtũ vocauit dolorem, quo cum filio, & cæteris Imperatorẽ proſequebatur defunctum. *Omnes* IVSTO *dolore proſequimur.* Et Sidonius lib. 7. Epiſt. 17. laudibus defuncti ſe illi iuſta perſoluiſſe teſtatur. *Ecce, vt iniunxeras, quæ reſtant, ſepulto* IVSTA PERSOLVIMVS, & iterum lib. 2. Epiſt. 8.

Sidonius.

Atque in temporibus vigentis æui
Inuiſtè tibi IVSTA PERSOLVTA

Et Chryſothemis apud Sophoclem, cùm eam Electra oraſſet vt ad ſui genitoris ſepulchrũ nõnullas afferret oblationes, promiſit ſe id facturam, cauſæ iuſtitiâ id expoſcente

Sophocles.

Δράσω· τὸ γὰρ δίκαιον οὐκ ἔχει λόγον
Δυοῖν ἐρίζειν, ἀλλ' ἐπισπεύδειν τὸ δρᾶν.

Faciã, nã cùm CAVSA IVSTA EST, *nihil attinet*
Diſputare, ſed decet rem exequi

Plutarchus.

Et Plut. iuſta exequiarum dixit pietatis obſequia, quæ Syllę debebantur defuncto. *Porrò conſpirauerunt multi cum Lepido, vt priuarent* IVSTIS EXEQVIARVM *corpus Syllæ,* & Seru. lib. 6. Æneid. iuſtum vocauit deſiderium, quo tenebatur Aeneas, cùm ſibyllam deprecabatur, vt ſibi liceret mortuum inuiſere Patrem. *Meritum approbat Patris,* VT IVSTVM VIDEATVR ESSE DESIDERIVM; Et Lucanus lib. 2. ferias, quas in mortuorum funeribus celebrant, Iuſtitium appellauit.

Seruius.

Lucanus.

Ergo vbi concipiunt, quantis ſit cladibus vrbi
Conſtatura fides ſuperũm, ferale per vrbem
IVSTITIVM.

Corn. Tacit.

Cornelius Tac. lib. 2. Ann. *Hos vulgi ſermones audita mors adeò incendit, vt antè edictũ magiſtratuũ, antè Senatus conſultum* SVMPTO IVSTITIO *deſererentur fora.* Et Suet. in Calig. c. 5. de funere loquens Germanici. *Regum etiam Regem, & exercitatione venandi, & conuictu Megiſtanũ abſtinuiſſe, quod apud Parthos* IVSTITII *inſtar eſt.* Quod etiam ex ſacris authoribus egerunt Sidonius lib. 2. Epiſt. 8. *Deceſſit nudius tertius* NON ABSQVE IVSTITIO *matrona Philimathia,* & Fulg. lib. de vocibus antiquis. IVSTITIVM *dicitur luctus publicus, vndè & Fonteius in oratione pro Nouerinis ait. Denique* IVSTITIVM *plebi indicitur* Iuſtitię namq; titulo mortuis pietatẽ deberi, cũ ſacris authoribus profani etiã ſenſerũt Idolorum cultores.

Sidonius.

Fulgentius.

Fonteius.

Legis diuinæ iure viui mortuorum miſereri tenentur.

10 Ad ſacra volumina redeamus, & diſcipulum illum, qui à Chriſto vocatus, ab eo petijt, vt ſibi permitteret primùm ire, ac patrem ſuum ſepulturæ mandare. *Ille autem dixit, Domine, permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum.* Luc. 9. 59. Quæ fuit diſcipulo iſti audacia, vt priùs vellet ſibi licere patrem ſepelire defunctũ, quam Chriſtum ſequi vocantem? Cur non ſtatim, vt cæteri Apoſtoli, reliquit omnia, & ſine morâ æternæ vitæ ſecutus eſt præmia largientem? Cur ſepulturam cogitat Patris, dum vocem audit præceptoris? Excuſandus eſt recens iſte diſcipulus, nam ſe iure legis ad ſepulturam honorãdam genitoris, etiam Chriſto vocante, putabat. Hoc decerpſi ex B. Dionyſio Carthuſiano in hunc locum. *Ad hæc* SE OBLIGATVM PVTAVIT PRÆCEPTO LEGIS, QVÆ IVSSIT *honorare parentes.* Adeò ad exhibendam mortuis pietatem legis Diuinæ iure obligantur viui, vt etiã Chriſto vocante, ſe ad id obligari, licet falsò, diſcipulus iſte putaret.

D. Dion. Car.

Mulier captiua iure ante matrimoniũ tenebatur plorare defũctos.

11 Captiuam mulierem, antequam ad eam ſponſus ingrederetur Hebræus, iuſſit Deus vno Menſe parentes lugere defunctos. *Deponet veſtem, in quâ capta eſt, ſedenſque in Domo tuá flebit patrem, & matrem ſuam vno menſe, & poſteà intrabis ad eam.* Deut. 21. 13. Hunc morem expendens Ioſeph Hebræus lib. 4. Antiquit. Iud. cap. 8. aduertit mulieribus captiuis antè ſolemnitatem nuptiarum luctum pro mortuis fuiſſe indictum, quia titulo iuſtitiæ ſuos tenebantur plorare defunctos. *Si quis, vel virginem, vel maritatam captiuam abduxerit, eique legitimè coniungi voluerit, non antè* IVS ESTO *cubile eius tangere, quàm raſo capite, ſumptoque lugubri habitu cognatos, & amicos in bello amiſſos deplorauerit, vt ita mærore ſatiata, tùm demum ad nuptias, & conuiuium veniat.* Obligat Ius ad pietatem defunctis impendẽdam, & iccircò non licebat mulieri captiuæ nuptias inire cum ſponſo, niſi anteà mortuos lugubri habitu, & raſo capite plorasset cognatos.

Ioſeph Hebr.

Tobias iure ſe teneri ad exequias defunctorum agnouit.

12 Propter hoc etiam Tobias die Dominicã feſtiuitate ſolemni, cùm prandium eſſet iam paratum, & conuiuæ aduenissent per filium accerſiti, audiens mortuum in plateâ iacere inſepultũ, cyathos, & fercula reliquit, dapes, & conuiuas deſeruit, & reliqua omnia, quæ ad victum ſpectant, negligens, ſolam curauit ſepulturam defuncti. *Statimq; exiliens de accubitu ſuo, relinquẽs prandium ieiunus peruenit ad corpus, tollenſq; illud portauit ad Domum ſuam occultè, vt dum Sol occubuiſſet cautè ſepeliret eũ.* Tob. 2. 3. Cur tantâ feſtinatione ſanctus iſte ſenex corpori exequias celebrauit defuncto? Nonnè poterat priùs viuis exhibere conuiuiũ, & deindè mortuis impendere luctum? Quid rei eſt, quòd ſtudio humandi cadauer, fercula reliquit, & dapes? Omnia ſepulturę officio poſthabuit quia ad ſepeliendum mortuũ

Digitized by Google

Aurel. Prud. iure ſe teneri agnouit. Id me docet Aurelius Prudentius in Biblioth. vet. Pat. Hymno 10. ad exequias defunctorum ita ſuauiter canens.

Sancti ſator ille Tobia,
Sacer, ac venerabilis heros,
Dapibus iam ritè para'is,
IVS PRÆTVLIT EXEQVIARVM.

Ius homines ad pietatem mortuis exhibendam adſtringit, ideòque Tobias, cùm iure ſe ad eas teneri cerneret, dapibus neglectis, & conuiuis relictis, ad exequias properauit defuncti.

Iure notiſſimo luctus præcipitur in funere defunctorum.

13 Quin & ius, quo lugentur defuncti, ius notiſſimum appellari obſeruo. Vndè lib. 5. Codicis Tit. 9. de ſecundis nuptijs, ita vxori præcipitur luctus in funere mariti, vt infamiæ notâ mulctari præcipiat eam, quæ ad ſecundas nuptias antè luctum expletum tranſire audeat. Quod inſuper ex Iure notiſſimo haberi affirmatur. *Si qua mulier nequaquam luctûs religionem priori viro nuptiarum feſtinatione præſtiterit, ex* IVRE QVIDEM NOTISSIMO *ſit infamis*. Adeò iure debita eſt pietas defũctis, vt ius illud appelletur notiſſimũ, quo luctus in funeribus præſcribitur mortuorum.

Codex.

In Deum, & in mortuos eſt iniuſtus, qui renuit pietatem exhibere defunctis.

14 Quòd ſi res ita ſe habet, non eſt mirum, quòd Iniuſtitiæ damnentur, qui pietatẽ renuunt exhibere defunctis. Percuſſit Dominus Onam, qui ad vxorem ſuam ingrediens, ne filij nomine fratris ſui defuncti naſcerentur, contrà naturæ iura ſe polluebat. Obſeruat autem Abulenſis in cap. 38. Gen. quòd fuit à Deo morte percuſſus, non ſolùm quia iniuſtus fuerat in Deum, ſed etiam, quia iniuſtè egerat in fratrem, cui mortuo ſuſcitatione filiorum iuxtà legis præſcriptum noluerat impendere pietatem. Quare duplicis Iniuſtitiæ reus iurè à Domino ſeuerâ eſt mòrte mulctatus. Sed verba exſcribamus Abulenſis. *Iſte miſer Onam, de quo diximus, qui ſemen effundebat, nolens effundere in matricem Thamar, vt non gigneret filios pro fratre ſuo mortuo*, VALDE INIVSTE FACIEBAT, ET CONTRA DEVM, ET CONTRA FRATREM SVVM. Adeò iniuſtitiæ reus eſt, qui pietatem negat defunctis, vt rigidè tanquam iniuſtus in Deum, & in mortuos puniatur.

Abulenſis.

Ab æquitate Iuſtitiæ deerrat, qui mortuis pietatem negat.

Herodotus.

15 Hinc rectè Lamponi Æginetæ ſibi ſæuitiã in defunctum Mardonium ſuadenti, reſpondit Pauſanias apud Herodotum lib. 9. quòd ab æquitate iudicandi errabat, dum crudelitatem in mortuum ſuadebat. Ab omni quippè Iuſtitiæ æquitate recedit, qui crudelitatem cogitat exercere in mortuos. Subdo verba Herodoti. ὦ ξεῖνε Αἰγινῆτα. τὸ μὲν εὐνοέειν τε τὸ προορᾶν, ἄγαμαι σεῦ γνώμης ἡμάρτηκας χρηστῆς. ἐξάρας γάρ με ὑψοῦ, καὶ τὴν πάτρην, καὶ τὸ ἔργον ἐς τὸ μηδὲν κατέβαλες, παραινέων νεκρῷ λυμαίνεσθαι. *Tuã hoſpes Aegineta beneuolentiam, atque prouidentiam amplector, tamen* AB ÆQVITATE IVDICANDI DEERRAS; *nam, & me, & patriam, quos in altũ extuliſti ob hæc geſta, ad nihilũ redigis, cùm ſuades mihi ſæuire in mortuũ.* Iuſtitia ruit, cùm mortui contemnuntur, nec poteſt, niſi ab æquitate aberrans, pietatem negare defunctis. Quod videtur confirmare Home-

Homerus.

rus apud Cic. lib. 3. Tuſcul. quæſt. dum canit.

Quo magis eſt AEQVVM *tumulis mandare peremptos.*

Et Pauſan. in Atticis ÆQVITATIS *pleniſſimũ illud plebiſcitũ fuit, quo publicæ ſepulturæ honor eſt cum ſeruis communicatus.*

Pauſanias

Non poteſt cũ Iuſtitiâ ſubſiſtere impietas in defunctos.

16 Quare cũ Catullus queritur homines propinquos deſtitiſſe lugere defũctos, iurè ait eos Iuſtitiam à mente fugaſſe. Nec enim cum Iuſtitiâ impietas in homine ſubſiſtit contrà defunctos.

Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando,
IVSTITIAMQ; *omnes cupidâ de mẽte* FVGARVNT
Perfudere manus fraterno ſanguine fratres,
Deſtitit extinctos natus lugere parentes.

Catullus.

Ita ille de nuptijs Pelei, & Thetidos. Iuſtitiam fugant à mente, qui pietatem fugiunt in mortuos, vndè iurè Iniuſtitiæ arguuntur, qui pietate in illos non feruntur. Pietatem igitur in mortuos colat, qui Iuſtitiæ virtutem colit, ſciatque Iuſtitiæ titulo pietatem exhibendam eſſe defunctis.

CAPVT VI.

Gratitudinis causâ mortuis ſuffragia debentur.

Beneficijs mortuorum debentur ſuffragia viuorum.

1 INgrati crimen oderunt omnes, omnes abhorrent. Vt igitur impietatem in mortuos ab omnium animis excludam, Gratitudinis gratiâ pietatem eis deberi oſtendam. Et primum huius rei aſſertorem aſſumo Vincentium Belluacenſem, qui in ſpeculo morali diſt. 12. par. 1. lib. 2. viuos pungens, qui beneficiorum à mòrtuis acceptorum immemores, pietatis ſuffragia non eis impendunt, hæc ad rem noſtram ſcribit. *Beneficia, quæ à defunctis accepimus, nos mouere debent, vt pro eis oremus.* Preces, & ſuffragia gratitudinis gratiâ defunctis exhibere debemus, vt per nos mortui ſuffragia ſuſcipiant, qui nobis viuentes beneficia contulerunt.

Vincentius Belluacenſis.

Gratitudinis iure pietas exhibere debes defunctis

2 Hinc eſt, quòd cùm Ioabitæ Saul, & filiorum eius necem intellexerunt, eorumque cadauera à Philiſtæis expoliata in muro Bethſan ſuſpenſa cognouerunt, totâ nocte ambulauerunt, vt ſupremo ſepulturæ officio corpora ad Iſraëlitarũ ignominiam pendentia honorarent. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, & combuſſerunt ea ibi igni* 1. Reg. 31. 12. Qualis fuit virorum iſtorum audacia, vt hoſtium caſtra non metuentes, muros intrepidè cõſcenderent, quos nouerant militum cuſtodiâ munitos! Cur adeò euidenti mortis periculo ſeſe obiecerunt, vt Regis, & filiorum eius contempta cadauera hoſtium è manibus eriperent? Quare vt mortuos honorificè ſepelirent, mortem viriliter cõtempſerunt? Quia gratitudine vrgente, pro beneficijs ſibi collatis vicem Saul rependere volebant defuncto. Ingrati quippè fuiſſent, ſi liberati per Saul viuum à Rege Ammonitarum, eum non liberaſſent mortuum à Principibus Phariſæorum. Hoc ex Caietano excerpſi locum allatũ ita illuſtranti. GRATITVDO *iſtorum* (Ioabitarum) *deſcribitur, vt pote rependentiũ Sauli, qui liberauerat eos de manu Naas Regis Ammonitarũ.* Mortuis, qui

Caietanus.

ſibi

ſibi beneficia impenderat, grati fuerunt Ioabitę, quia defunctis, à quibus beneficia accepimus, gratitudinis iure pietatem exhibere debemus.

Ioabitæ tot diebus ſe gratos oſtenderũt in mortuum Saul, quot ab eo beneficia receperunt.

3 Illud quoque hîc à nobis eſt aduertendum, quòd poſt horum cadauerum ſepulturam ſeptem diebus Ioabitæ ieiunauerunt. *Tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt ſeptem diebus.* 1. Reg. 31. 13. Cur verò ſeptem, & non pluribus, vel paucioribus ieiunauerunt diebus, vt defunctorum, quorum corpora humauerant, animabus pietatis ſuæ ſuffragia exhiberent? Cùm Rex Ammonitarum contrà populos iſtos pugnaret, eorumque ſeruitutem ſponte oblatam, niſi dexter erueretur vnicuiq; oculus, acceptare recuſaret, promiſerunt, opprobriũ morti præeligentes, vt vitam ſeruarent, oculum dare, ſi tamen intrà ſeptem dierum ſpatium ab Iſraëlitarum copijs bellica ſubſidia non haberent. Interea Regem Saul per nuntios de ijs, quæ contigerant, certiorem facientes, ab eo adiuti Ammonitas vicerunt, ac de ſuperbo illorum Rege triumphum egerunt. *Conſtituit Saul populum in tres partes, & ingreſſus eſt media caſtra in vigiliâ matutinâ, & percuſſit Ammon, vſque dum incaleſceret dies; reliqui autem diſperſi ſunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter.* 1. Reg. 11. 11. Cùm igitur intrà ſeptem dies à Saul auxilium accepiſſent, ſeptem diebus pro animâ illius, cùm mortuus fuit, ieiunare voluerunt, vt tot diebus gratitudinem rependerent mortuo, quot beneficium acceperant à viuo. Abulenſis locum iſtum verſans, hæc habet. *Afflixerunt ſe diebus ſeptem ieiunio propter mortem Saulis:* HOC AVTEM FVIT IN SIGNVM GRATITVDINIS, *nam Saul liberauerat viros Iabes à morte, quando Naas Rex Ammon oppugnabat eos, petieruntque ab illo inducias dierum ſeptem, vt ſi non eſſet, qui liberaret eos in diebus illis, traderent ſe Regi Amnon ad hoc, quòd erueret oculos eorum dexteros: Saul autem antè finem horum dierum triumphauit magnificè de Ammonitis, & liberauit viros Iabes: ideò in memoriam illorum ſeptẽ dierum ieiunauerunt ſeptem diebus pro Saul, & filijs ſuis.* Ea fuit Ioabitarum in defunctum Saul gratitudo, vt tempus, quo beneficium in prælio acceperant, menſurauerint, vt ei precibus, & ieiunijs æquali dierum ſpatio ſubuenirent.

Abulenſis.

Sinæ tot annis parentes lugent, quot ſunt ab eis vlnis geſtati.

4 Quod videntur Sinæ imitari, apud quos mos viget vnanimi omnium conſenſu receptus, vt filij defunctorum parentum luctum in triennium producant. Cuius ritûs eam reddunt rationem, quòd qui trium annorum ſpatio ſummo fuerunt labore à parentibus poſt natiuitatem educati, totidem annorum curriculo lugubribus exequijs eis parentare debeant defunctis. Rem dabo ijs verbis, quibus eam narrat Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap. 7. *Inuiolabili conſuetudine receptum eſt, vt luctus patris, aut matris in triennium protrahatur. Cuius rei cauſam in ſuis libris reddunt hanc, vt ſuis parentibus, qui primo ætatis triennio eos vlnis geſtauerunt, tantòque labore educauerunt,* VICEM REPENDANT. Tempus filij Sinarum menſurant, quo à parentibus potiora beneficia, vitâ exoriente, acceperunt, & ijs, qui per triennium ſuis vlnis eos geſtauerunt, lugendi moram protrahentes, triennali luctu parentant.

Nicolaus Trigautius.

Ab vniuerſo populo Samuel lugetur defunctus, qui ei benè fecerat viuus.

5 Mortuo Samuele Prophetâ Domini, congregatus eſt ad luctum vniuerſus Iſraëlitarum populus, eumque ſolemni exequiarum pompâ honorifico in ſepulchro condiderunt. *Mortuus eſt autem Samuel, & congregatus eſt vniuerſus Iſrael, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in domo ſuâ in Ramathâ.* 1. Reg. 25. 1. Ad quæ percontari libet, cur pro ſepulturâ vnius defuncti populus congregatus fuerit vniuerſus. Nunquid non ſufficiebat, vt propinqui eius exequijs intereſſent, & amici? Quid opus erat ad luctum celebrandũ totum coadunare Iudæorum cœtum? Debebatur hæc pietas beneficijs, quæ à Samuele populus ille acceperat, vt qui vniuerſo populo benè fecerat viuus, ab vniuerſo etiam lugeretur defunctus. Hac ratione hunc locum exponit Abulenſis. *Liberauit Iſraelitas ab hoſtibus inuocato Deo, & reddidit illis terram, quam abſtulerunt Philiſtini, nec auſi ſunt in diebus eius pugnare contrà Iſrael. Poſteà quoque regnante Saul ipſum inſtruebat in omnibus, quouſque à Deo reprobatus eſt. Tenebatur ergo totus populus ad honorem magnum, ſicut principi, in exhibendo pietatem eius funeri.* Qui omnes beneficijs affecerat, ab omnibus lugeri debebat, vt vniuerſalium collatori beneficiorum vniuerſalis rependeretur gratitudo.

Abulenſis.

In omnibus vrbibus, per quas diſcurrere conſueuerat, luctum pro eo celebrarunt.

6 Addunt Hebræi, quòd hæc Iſraëlitarũ congregatio per vniuerſas facta eſt ciuitates, ita vt per ſingulas vrbes omnes incolæ ad plorandum conuenerint Prophetam defunctum. Decebat quippè, vt qui per omnes Hebræorum vrbes diſcurrere conſueuerat iudicaturus, per omnes gratitudinis cauſâ lugeretur defunctus. *Hebræi dicunt*, inquit idem Abulenſis in 1. Reg. cap. 28. quæſt. 7. *quòd Iſraelitæ fleuerunt Samuelem in* OMNIBVS CIVITATIBVS, *quia Samuel diſcurrebat per* OMNES CIVITATES *Iſrael ad iudicandum.* Illæ Ciuitates plorare debebât Samuelem mortuum, quæ ab ipſo fuerant beneficijs affectæ; quare cùm per omnes iudicaturus frequenter diſcurriſſet, omnes gratitudinem in eum oſtendẽtes, poſt illius mortem debitis pietatis lachrymis luxerunt.

Idem.

Iſaiæ ſepulchrum ob gratitudinẽ iuxtà ſepulchrũ ſtatuerunt principum, ac ſacerdotũ.

7 Huc etiam eſt aduocanda ſepultura, quam ſcribit D. Epiphanius lib. de vitâ, & interitu Prophetarum Iſaiæ Prophetæ fuiſſe ab eodem populo collatam. Sepelierunt enim eum ſub quercu iuxtà tranſitum aquarum. *Tumulatus eſt*, inquit Epiphanius, *ſub quercu Rogel iuxtà tranſitum aquarum.* Rationem verò, cur eum ibi humauerint, ſubdit, quia illi beneficium aquarum illarum, quæ Iudæis quærentibus ſcaturiebant, hoſtibus verò eorum ſitientibus fugiebant, acceptum referebant. Debebant enim honorificâ ſepulturâ iuxta monumenta Principum, quæ ibi extabant, adeò beneficum tumulare prophetã.

D. Epiphan.

Digitized by Google

Sed iam reliqua Epiphanij verba proferamus. *Quandocumque itaque indigetes Iudæi aquatum venerant, ſcaturiebat eis vnda, & aquabant, exterarum verò nationum homines reperire neſciebant, latex namque aufugiebat. Eòque ad hodiernum vſque diem eructatur clanculum, quò ſignificatur myſterium. Cæterùm quandoquidem Iſaiæ Propheta iſtud acceptum referunt, in perennem eius rei memoriam, populus accuratè prophetam iſthuc ſolo rum gloriâ, & honore reddidit, vt per eiuſdem interceſſiones in conſummationem vſque ſeculi aquæ huiuſmodi fructus impetretur, cui ſcilicet vſum referebant acceptum. Extat autem monumentum Iſaiæ finitimum ſepulturæ principum poſt ſepulchra ſacerdotum.* Vt gratitudinem Prophetæ, à quo aquarum ſcaturiginem acceperant, oſtenderent Iſraelitæ, illius ſepulchrum iuxtà ſepulchra ſummo cum honore locarunt principum, ac ſacerdotum.

Aegyptij Ieremiam, qui eos ab aquarum beſtijs liberauerat iuxtà regum tumulum condiderunt.

Petrus Comeſtor.

8 Res etiam digna memoriâ eſt, quam de ſepulturâ Ieremiæ Prophetæ Petrus narrat Comeſtor lib. de Tobiâ cap. 3. Ægyptios nimirùm eum à perfidis lapidibus obrutum iuxtà Regum tumulum honorificè condidiſſe. *Ægyptij verò honorauerunt Prophetam, ſepelientes eum iuxtà tumulum regum.* At verò cur adeò mortuum Prophetam viri honorauere Gentiles? Subdit ſtatim cauſam, & ait. *Memores beneficiorum, quæ præſtiterat Aegypto: oratione enim ſuâ fugauerat aſpides, & beſtias aquarum, quas Græci crocodilos vocant, quibus priùs Aegyptus infeſtabatur.* Vide quàm debita ſit mortuis gratitudo, dum Gentiles quoque ſe ſe gratos honorificâ ſepulturâ in mortuum oſtenderunt Ieremiam.

In Ciuitate David Ioiada eſt ſepultus, quia reparauit eius generi, quod corruebat imperium.

Idem.

9 Illud itē, dū de ſepulchris agimus Prophetarū, ſilentio premēdū nō cenſeo, quòd Ioiada ſepultus eſt in ciuitate Dauid. Cuius rei rationem idem Petrus Comeſtor lib. 4. Reg. cap. 17. affert, quia generi Dauid corruens reparauit imperium. *Sepultus eſt in ciuitate Dauid, eo quòd generi Dauid reparauit imperium.* Merebatur quippè Dauidicum ſepulchrum, qui Dauidicum reparauerat imperium, vt qui beneficium contulerat viuus, gratitudinem experiretur defunctus.

David luctu, ac ieiunio Abner mortuo vicem rependit.

10 Sed quandò hìc in Dauidicæ domûs mentionem incidimus, non eſt hìc prætereunda gratitudo, quam ergà mortuum Abner, vniuerſo populo admirante, Dauid oſtendit. Vix mortem ei doloſè illatam audiuit, & ſtatim luctum vniuerſalem populo præcepit, ac ſolemnes exequias cadaueri parauit. Quin & ipſe ſuper tumulum plorans, & defunctum laudans, addidit inſuper iuramentum, quo nihil ſe guſtaturum antè Solis occaſum iurauit. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi antè occaſum Solis guſtauero panem, vel aliud quicquam* 2. Reg. 3. 35. O' ſummam Dauidis pietatem, qui laudibus lachrymas, luctuique ieiunium addens, tam celebri pompâ exequiarum Abner honorauit extinctum! Quis vnquam Rex tot pietatis obſequijs amicum proſecutus eſt defunctum? Quis vnquam pro illius animâ, cibo neglecto, ieiunij rigore ſe afflixit? Egregia quidem, ſed beneficijs, quibus eum ſibi deuinxerat Abner debita hæc pietas fuit. Locutus fuerat, antequam moreretur ad ſeniores tribuum, & ſurrexerat, vt vniuerſum populum Iſraël Dauidi conciliaret, ſubque illius imperio congregaret. *Et dixit Abner ad Dauid. Surgam, vt congregem ad te Dominum meum regem omnem Iſrael, & ineam tecum fœdus, & imperes omnibus, ſicut deſiderat anima tua.* 2. Reg. 3. 21. Hinc Dauid ex gratitudine his beneficijs vicem rependere, ac pro illo defuncto lugere, ieiunare, aliaque pietatis opera exercere tenebatur. Diſce id ex his, quæ habet Abulenſis in hunc locum. *Conciliauerat ei animos totius populi, quod erat magnum beneficium, ideò:* TENEBATVR EI DAVID AD REPENDENDAM VICEM. Tenentur viui rependere vicem defunctis, & propterea Dauid beneficijs Abner affectus, vicem illi, cùm defunctus fuit, lachrymis, & ieiunio rependit.

Abulenſis.

Vt in patrem defunctum ſe gratum oſtenderet, cum filio Regis Ammonitarum miſericordiâ fecit.

Idem.

11 Quod & fecit cum Naas rege Ammonitarum, quo defuncto, miſit nuntios ad filium eius, qui de patris interitu eum conſolarentur, dixitque. *Faciam miſericordiam cum Hanon filio Naas, ſicut fecit pater eius mecum miſericordiam* 2. Reg. 10. 2. Vbi gratitudinem Dauidis in regem defunctum laudans, hæc habet idem Abulenſis. *In hoc* APPARVIT GRATITVDO DAVID, *quia noluit beneficia manere irremunerata, & quamuis mortuus eſſet ille, qui benefecerat, non oblitus eſt beneficiorum, ſed poſteris ſuis retribuit.* Non eſt oblitus Dauid beneficiorum, quæ à rege defuncto acceperat, ſed vt eis vicem rependeret, ſeſeque gratum etiam in mortuum oſtenderet, voluit intuitu illius filio ſuperſtiti parcere, cumque illo pacis fœdera inire.

Aegyptiorum gratitudo in Iacob defunctum.

12 Mortuum Iacob ſeptuaginta dierum luctu Ægyptij fleuerunt, & ad eum ſepeliendum in terrâ Chananæorum vnà cum Ioſeph, & reliquis illius filijs aſcenderūt. Scrutanti vero mihi, quare ſenem Hebræum Ægypti primores tam longo luctu honorauerint defunctum, duæ occurrunt non iniucundæ tantæ pietatis rationes. Primam affert ex Hebræorum penu Abulenſis, qui volunt Nilum, Iacob adueniente, inundaſſe, aquiſque ſuis fertilem terram Aegypti reddidiſſe, quapropter Aegyptij tanti beneficij, quod propter Iacob ſuſceperant, memores, vt gratitudinem rependerent, tantâ eum voluerunt pietate lugere. *Hebræi quidam,* inquit Abulenſis in cap. 50. Gen. *dicunt, quòd Aegyptus planxit Iacob pro beneficio, quod ſuſceperat ob cauſam eius, ſcilicet, quòd adueniente eo in Aegyptum Nilus fluuius inundauit.* Alteram huius pietatis cauſam exhibet in eumdem locum Carthuſianus, qui ait Aegyptios tempore famis ad Iacob confugiſſe, atque ab illo inopiæ ſuæ ſubſidium frequenter accepiſſe, quare ne tanto ingrati beneficio viderentur, ſolemni exequiarum pompâ eum honorare ſtatuerunt. *Fleuit Aegyptus ſanctum Iacob ex amore, quo dilexerant ipſum Iacob, ad quem tempore famis multi confugerant Aegyptij, quibus pijſſimus Iacob per ſe,*

Abulenſis.

Carthuſianus.

& per

Digitized by Google

& per filium ſuum Ioſeph frequenter, liberaliterque ſubuenit. Animaduerte gratitudinem Aegyptiorum in Iacob defunctum, qui pro beneficijs ab eo acceptis, illum adeò luxerunt, & celebri funeris pompâ humauerunt.

Timuit Ioſeph, ne ob gratitudinem Aegyptij ſibi defuncto Diuinos tribuerent honores.

13 Hanc Aegyptiorum gratitudinem Ioſeph etiam præcognouit, vndè oſſa ſua ſecum aſportanda, cùm egreſſuri erant ab Aegypto, poſteris reliquit. *Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea de loco iſto.* Gen. 50. 24. Cur ab Aegypto transferri voluit mortuus, vbi habitauerat, ſecundus poſt regem, viuus? Cur noluit habere in eâ terrâ ſepulchrum, vbi tamdiù habuerat ſolium? Cur demum in regno, quod gubernauerat, renuit ſibi eligere monumentum? Mos erat antiquis idolorum cultoribus, vt viris de Republicâ benè meritis diuinos poſt mortem decernerent honores. Quem morem, & Verbum *ἀποθεοῦν*, quod idem eſt, ac inter Deos referre, & nomen *ἀποθέωσις*, quod relationem inter Deos, ſiue adſcriptionem in catalogum Diuorum indicat, exprimebant. Hinc Apuleius lib. 8. metamorph. de Charite dixit. *Luctu, ac mærore carpebat animum, dieſque totos, totaſque noctes inſumebat luctuoſo deſiderio, & imaginem defuncti, quam ad habitum Dei Liberi formauerat, affixo ſeruitio* DIVINIS PERCOLENS HONORIBVS, *ipſo ſe ſolatio cruciabat.* Suetonius in Claudio cap. 11. *Auiæ Liuiæ* DIVINOS HONORES, *& Circenſi pompâ currum Elephantorũ Auguſteo ſimilem decernendum curauit.* Et Herodianus lib. 4. *Mos eſt enim Romanis conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filijs, vel ſucceſſoribus moriuntur. Quique eo ſunt honore affecti,* RELATI DICVNTVR INTER DIVOS. Et Iulius Capitolinus in Gordiano tertio *Appellato igitur principe Philippo, & Auguſto nuncupato, Gordianum adoleſcentem* INTER DEOS RETVLIT, & Iuſtinus Hiſtoricus lib. 36. refert apud Syrios ita inter Deas tranſlatam Arathem Reginam, vt eius ſepulchrum, tanquam templum ab eis colatur. *Nomen vrbi à Damaſco Rege inditum, in cuius honore Syrij* SEPVLCHRVM ARATHIS VXORIS EIVS PRO TEMPLO COLVERE, DEAMQVE EXINDE SANCTISSIMAE RELIGIONIS HABENT. Et vt obiter etiam hoc addam, obſeruo ſepulchrum quoque Sancti Martyris Clementis ad modum templi fabrefactum, & à Chriſtianis religioſâ veneratione adoratum. Vndè in eius feſtiuitate canit Eccleſia. *Dediſti Domine habitaculum Martyri tuo Clementi in mari* IN MODVM TEMPLI MARMOREI. Quod tamen factum eſt ſine vllâ ſuperſtitione, & abſque aliquâ falſæ diuinitatis opinione. In quo receſſerunt a Gentilibus Chriſtiani. Et ſimilia paſſim apud profanos occurrunt authores. Quamobrem hanc mortuorum inter Deos relationem reprehendens Sapiens dixit Sap. 14. 15. *Acerbo enim luctu dolens pater, citò ſibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc* TANQVAM DEVM COLERE COEPIT, *& conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra, & ſacrificia.* Quare ne Iudæi quoque hunc inſanum imitarentur morem, diuinos Moyſi defuncto tribuentes honores, voluit Deus eius, & cadauer, & ſepulchrum eſſe illis ignotum. *Et non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem.* Deut. 34. 7. *Quod factum eſt à Deo,* inquit hic Lyranus, *ne Iudæi* COLERENT IPSVM, TANQVAM DEVM. Idem igitur timens, & Ioſeph, ne beneficiorũ memores, quæ acceperant, ſibi Aegyptij diuinos tribuerent honores, noluit in Aegypto, ſed in terrâ humari Chananæorum. Diſco id ex D. Ioanne Chryſoſtomo homil. 67. in Geneſim. *Hoc faciebat, ne Aegyptij memores beneficiorum eius, cùm pro more ſuo facilè ex hominibus Deos appellent, corpus iuſti haberent in impietatis occaſionem.* Vſque eò gratos eſſe cognouit Aegyptios Ioſeph in mortuos, vt vereretur, ne ſibi defuncto, ſi remaneret ſuum cadauer in Aegypto, diuinos tribuerent gratitudinis gratiâ honores.

Apuleius.

Suetonius.

Herodianus.

Iulius Capitolinus.

Sepulchra quadam habita vt templa.

Iuſtinus.

Eccleſia.

Moyſis fuit occultum ſepulchrum, ne diuinus cultus ei tribueretur. Lyranus.

D. Ioannes Chryſoſt.

Conſuetudo tribuendi mortuis honores diuinos.

Ioſeph ſuum cadauer apud Aegyptios vſque ad Iſraelitarum egreſſum manere voluit, vt illius memores mites eſſent cum illis.

14 Quòd ſi cum Lyrano expendamus, quòd Ioſeph iuſſit fratribus, non vt ſtatim à morte, ſed vt in egreſſu ab Aegypto ſuum cadauer ad paternum transferrent ſepulchrum, id aliud non leue nobis tribuet Aegyptiacæ gratitudinis in defunctos argumentum. Hoc enim præcepit, vt Aegyptij memores beneficiorum, quæ acceperant à mortuo, intuitu eorum mitibus, & ſuauibus cum Iſraëlitis agerent ſuperſtitibus, & viuis. *Non adiurauit eos,* verba ſunt Lyrani, *quòd ſtatim poſt mortem eius portarent illùc corpus ſuum, ſicut portauerant corpus patris ſui, & ſicut portata ſunt corpora fratrum ſuorum, vt dicit Ioſephus, vt per hoc, quòd corpus Ioſeph remanebat in Aegypto,* MEMORIA BENEFICIORVM EIVS DIVTIVS REMANERET APVD AEGYPTIOS, *& ſic ſuauiùs tractarent filios Iſrael inter ipſos manentes.* Nouerat Ioſeph Aegyptiorum gratitudinem in mortuos, ratione cuius quoadúſque deleta eſſet memoria ſui, ſemper clementer cum Iſraëlitis egiſſent, ideóq; vt diutiùs hæc memoria in eis remaneret, voluit, apud illos vſque ad egreſſum Iſraëlitarum ſuum remanere cadauer.

Lyranus.

Diuturno luctu ob gratitudinem Aaron lugetur.

15 Videntes Hebræi ſolum cum Moyſe de monte deſcendentem Eleazarum, cognouerunt Aaron occubuiſſe ſuum ſacerdotem. Quamobrem exequias tanto viro dignas celebrantes, triginta dierum ſpatio eum luxerunt. *Omnis autem multitudo videns occubuiſſe Aaron, fleuit ſuper eo triginta diebus per cunctas familias ſuas.* Num. 20. 29. Tam diuturno autem luctu eum populus fleuit, vt ſummo pontifici, à quo plurima ſortitus erat beneficia, ſe gratum poſt eius mortem exhiberet. Ingero verba Dionyſij Carthuſiani hunc locum ita verſantis. *Fleuit ſuper eo triginta diebus per cunctas familias ſuas, quia priuati erant tam fideli, & ſancto Pontifice,* A QVO MVLTA BENEFICIA ERANT SORTITI. Addit Oleaſter, publicum fuiſſe luctum, quia qui publicè cunctis benefecerat, publicè quoque à cunctis gratitudinis gratiâ lugeri debebat. *Colligimus ex hoc loco publicas perſonas, quales ſunt*

Dion. Carth.

Qui cunctis benefecerat, à cunctis lugetur.

Oleaſter.

ſummi

Digitized by Google

ſummi ſacerdotes, & reges, publico luctu eſſe deflendas, vt omnes ſentiant eorum defectum, qui eorum præſentiâ, & vitâ gaudebant. Omnes luxerunt, quia omnes beneficium acceperant, nam quicumque beneficium aceipit à viuo, debet ei exbibere gratitudinem etiam defuncto.

Ingratiſſimus fuiſſet Euangelicus diſcipulus, ſi ob negligentiâ patrem omiſiſſet inſepultum.

16 Hucuſque dictis poſſet quis opponere diſcipulum Euangelicum, qui vt Chriſto obediret vocanti, patrem dereliquit inſepultum. Cùm enim audiuit Chriſtum ſibi dicentem, *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Mat. 8.12. vt Magiſtri precepta ſeruaret, genitoris ſepulturam neglexit. Si debita eſſet ex gratitudine pietas defunctis, nõ nè ingratiſſimus iſte fuiſſet, qui Patris non curauit humare cadauer? Vtique bac ratione ingratiſſimi titulum meruiſſet, ſi ob negligentiam, non propter obedientiam id egiſſet. Accipe D. Ioannem Chryſoſtomum ita reſpondentem. *Putaſne, aliquis dicet, non ingens ingratitudinis crimen illum incurriſſe, qui in ſepeliendo parente non affuit?* EGO VERO INGRATISSIMVM HOMINEM EVM IVDICAREM, SI NEGLIGENTIA ID FECISSET. *Si autem, ne rem maioris momenti impediret, eum abire potiùs extrema fuiſſet inſcitia.* Excuſauit hunc diſcipulum ab ingratitudlne Chriſti præceptum, quod ſi non adfuiſſet, omnium ingratiſſimus, mortui ſepulturâ parentis negligens, fuiſſet.

Chriſtus in alieno humatur ſepulch., vt ſibi homines pro beneficio ſalutis gratitudinem rependerent. Mos, quo vnuſquiſque proprium habet ſepulchrum. Virgilius. Suetonius.

17 Dum Chriſti ſepulturam expendo, miror, quòd in alieno eius cadauer conditum fuerit ſepulehro. Nonnè Abrabam ab Ephron agrum emit cum ſpeluncâ, vt ſibi, ſuiſque poſteris propriũ conſtrueret ſepulehrum? Nonnè mos fuit antiquorum authoritate firmatus, vt quiſque patrium haberet, in quo conderetur monumentum? Nonnè Virgilius lib. 10. Aeneid. dixit.

Iſtic nunc metuende iace, non te optima mater
Condet humi, PATRIOVE *onerabit membra*
SEPVLCRO.

Et Suetonius in Nerone cap. 50. ſepulchrum Domitiorum peculiare, gentile monumentum appellat. GENTILI *Domitiorum* MONVMENTO *condiderunt.* Et vt innumeros paſſim obuios omittam de hac re authores, Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſt. exped. apud Sinas cap. 7. apud Sinas quoque hunc morem refert inualuiſſe. TVMVLVM *familia qualibet* PECVLIAREM *habet in aliquo colle ferè ſuburbano.* Cur igitur Chriſtus peculiarem non habuit, ſed in alieno humatus fuit monumento? Vt qui aliena peccata deleuerat viuus, in alieno ſepulchro conderetur defunctus. Acutè Auguſtinus in catenâ in cap. 27. Matth. *Ideò Saluator in alienâ ſepulturâ ponitur, quia pro aliorum moriebatur ſalute.* Aliorum ſalus aliorum exigebat ſepulchrum, vt ſepulturâ defuncto gratitudinem rependerent, qui ab eo beneficium ſalutis acceperant.

Nic. Trigaut.

D. Auguſtin.

Mulieres, quæ à Chriſto acceperãt maiora beneficia maiorẽ circà eius ſepulchrum diligentiã adhibuerunt.

18 Sed quia hìc ſum, non deero ſolertiam expendere, quâ tres mulieres circà Domini ſepulchrum aſſiduæ, vt pietatis obſequia defuncto exhiberent, morabantur. Multæ aliæ mulieres Chriſtum ſecutæ fuerant, ex quibus tamen tres tantùm iſtæ aromata parantes, pluries ad eius monumentum venerunt. Quid cauſæ eſt, quòd cùm tot mulieres Chriſtum ſecutæ fuerint viuũ; ſolùm tres eum vngere voluerint defunctum? Cur cæteris maiorem oſtenderunt in Magiſtri cadauer iſtæ pietatem? Quia cùm ab eo, dum viueret, maiora ſuſcepiſſent beneficia, maiorem ei, dum mortuus fuit, tenebantur gratitudinis gratiâ exhibere pietatem. Adſtipulatur Ludolphus lib. de Vitâ Chriſti part 2. cap. 70. *Quamuis multæ aliæ mulieres Dominum ſequerentur, iſtæ tamen præcipuè venerunt, quia Chriſto plus obligatæ erant,* EX EO QVOD PLVRA BENEFICIA AB EO RECEPERANT. Gratitudinis iure pietatem debemus exhibere defunctis, vndè qui ab eis plura beneficia retulerunt, pluribus etiam ſuffragijs illis ſubuenire tenentur.

Ludolphus.

Qui propriũ non habet ſepulchrum, ſepelitur, vbi decimas ſoluit.

19 Hinc rectè ſtatuitur in cap. Vbicumque 13. quæſt. 2. vt ſi quis moriatur, & proprium nõ habeat ſepulehrum, ibi ſepeliatur mortuus, vbi decimas perſoluere conſueuerat viuus. *Vbi quis decimas perſoluebat viuus, ibi ſepeliatur & mortuus.* Vbi Gloſſa inquit. *Quia ergò decimam nobis perſoluebat viuus, & apud nos ſepeliendus eſt mortuus.* Qui decimarum beneficium acceperunt à viuo, tenentur ſepulturæ beneficium exbibere mortuo, vt nobis conſtet, beneficia, quæ à mortuis, dum viuerent, accepimus, noſtrâ eſſe gratitudine pro viribus rependenda.

Gloſſa.

Matris Darij gratitudo in Alexandrum defunctum.

20 Huius gratitudinis exempla profani quoque authores nobis non pauca ſuppeditant. Vndè apud Iuſtinum Hiſtoricum lib. 13. legimus, regis Darij matrem, quæ filij mortem, & captiuitatis æquanimiter tulerat afflictionem, Alexandri morte auditâ, ſponte mortem ſibi præ dolore conſciuiſſe. *Mater quoque Darij regis, quam amiſſo filio à faſtigio tantæ maieſtatis in captiuitatem redactam, indulgentiâ victoris in eam diem vitæ non pænituerat, auditâ morte Alexandri mortem ſibi ipſa conſciuit.* Quis non miretur mulierem, quæ filio defuncto viuere potuit, at Inimico mortuo viuere recuſauit? Quæ vnquam mater vitam prodigit In morte hoſtis, quam ſeruauit in funere filij? Quis cladem alienorum maiori luget angore, quàm cædem propinquorum? Non hoſtem Darij mater filio prætulit, ſed quam pietatem in Alexandro, cuius erat iure belli captiua, experta fuerat, expendens, voluit ei nimiâ gratitudine ducta vitam ſacrificare defuncto. *Non quòd hoſtem,* inquit Iuſtinus, *filio præferret, ſed quòd pietatem filij in eo, quem hoſtem timuerat, experta eſſet.* Mortuum hoſtem, quem pium babuerat, vt filiũ, vſque ad mortem plorauit plus, quàm filium, & ne defuncto ingrata videretur, vitæ iacturam facere nimio luctu veſana decreuit.

Iuſt. Hiſtor.

Aliorum profanorum gratitudo in mortuos.

21 Sed non vnicum hoc eſt inter profanos huius gratitudinis exemplum. Nam & Auſonius in parental. 7. Hilariæ mater teræ ſe declarat ſuis carminibus parentare, quia moralibus monitis inſtructus, & amore ſpeciali ab eâ viuente fuerat dilectus.

Auſonius.

dilectus.

Hac quia vti mater monitis, & amore fouebas,
Supremis reddo filius exequiis.

Virgilius.

Virgilius etiam Aeneam inducit milites hortantem, vt ſupremis mortuorum animas, qui ſanguine patriam pepererunt decorent muneribus.

Ite ait, egregias animas, quæ ſanguine nobis
Hanc patriam peperere ſuo, decorate ſupremis
Muneribus.

Liuius.

Liuius narrat lib. 2. matronas Romanas annuo luctu ſuam in Iunium Brutum mortuum pro violatæ pudicitiæ vltione gratitudinem eſſe teſtatas. *Matronæ annum, vt parentem, eum luxerunt, quòd tam acer vltor violatæ pudicitiæ fuiſſet.* Alexander item ab Alexandro lib. 3. dierum Genial. cap. 7. publicā refert à populo Romano funeribus mulierum decretam laudationem, intuitu auri, quod contulerant, vt ille redimeretur à Gallis. *Quamuis à principio virorum tantùm geſta, nec mulieres laudare conſueſſent, quia tamen Camilli tempore collatū aurum, vt ſe populus Romanus à Gallis redimeret, dederunt, cautum fuit, vt in earum funeribus, ſicut in virorum ſolemnis laudatio eſſet.* Iulius quoque Capitolinus de M. Antonio Philoſopho in eius vitâ ſcribit, quòd ſuis magiſtris defunctis ſūma exhibebat gratitudinis ſigna, dum eorū imagines in Larario habebat, & ſepulchra hoſtijs, & floribus exornabat. *Tantum autem honoris magiſtris ſuis detulit, vt imagines eorum aureas in Larario haberet, & ſepulchra eorum, aditu, hoſtijs, floribus ſemper honoraret.* Rabbi Moyſes Maymonides lib. de lege. cap. 5. Iudæos item in Magiſtrorum funeribus ait flere, veſtes proſcindere, & in ſignum mœſtitiæ illas ampliùs non conſuere. וכשימות רבו קורע כל בגדיו עד שהואמגלה את לבו ואינו מאחה לעולם *Cùm mortuus fuerit. Magiſter eius, ſcindat omnes veſtes ſuas vſque ad denudationem pectoris, nec vnquam in poſterum eas conſuat.* Quid, quòd abiecti quoquè libitinarij apud Valerium Maximum lib. 5. cap. 2. gratuitum miniſterium Hirtij, & Panſæ funeribus, qui pro Reipublicæ incolumitate deciderant, præbuerunt, & numos plurimos in exequiarum apparatum contulerunt? *Cornuto Prætore funus Hirtij, & Panſæ iuſſu Senatûs locante, qui tunc Libitinam exercebant, tùm rerum ſuarum vſum, tùm miniſterium* GRATVITVM *polliciti ſunt, quia ij pro Republicâ dimicantes occiderant, perſeuerantique poſtulatione extuderunt, vt exequiarum apparatus ſextertio numo, ipſis præbentibus addiceretur.* Longū eſſet omnia narrare, quibus etiam infideles mortuis pietatem impenderunt, gratitudinis exempla. Hæc adduxiſſe ſufficiat, vt apud omnes innoteſcat, gratitudinis causâ mortuis ſuffragia deberi.

Matronis ob gratitudinē decreta laudatio.

Alex. ab Alexandro.

Gratitudo diſcipulorū in Magiſtros defunctos.

Iulius Capitolinus.

Rab. Moyſes Maymon.

Valerius Max.

CAPVT VII.

Iure amicitiæ ad ſuffragandum mortuis viui tenentur.

1 NOn fruſtrà de Purgatorij carcere ad nos clamantes animæ defunctorum, amicorum præcipuè inuocant auxilium, preces petunt, & ſuffragia expoſcunt. *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei:* Iob. 19. 21. Sed ad amicos præſertim confugiūt, quia iſti iure amicitiæ ſuffragia mortuorum amicorum animabus exhibere tenentur. Audio Ioannem Cluniacenſem ſer. de defunctis hæc loquentem. *Potiùs auxilium* AB AMICO *quæritur, quàm ab alio, quia* AMICORVM *magis debet eſſe affectio pia, voluntas ſuccurrendi magis prompta, & operatio minùs pigra.* Ad amicos clamant Animæ Purgatorij flammis cruciatæ, quia amicis mortuis amici tenentur ſubuenire viuentes.

Animæ Purgatorij amicorum auxilia, vt ſibi iure amicitiæ debita implorant.

Ioannes Cluniacenſis.

2 Tempore neceſſitatis à falſis veri ſecernuntur amici, vndè amicus, qui ſocius eſt menſæ, hoc tempore defuturus deſcribitur. Eccleſiaſtici 6. 10. *Eſt autem amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.* Quæ autem neceſſitas homini poteſt contingere maior eâ, quam animæ ſuſtinent in Purgatorio? Igitur ſi tempore, quo ibi cruciantur, ſuffragia eis exhibeat, veri amicitia probatur amici. Andiendus Ioannes Bromyardus in ſummâ Prædicantium M. 11. 123. *Non eſt homo in mundo* IN MAIORI NECESSITATE, QVAM MORTVI IN PVRGATORIO; *ergò* AMICITIA *ergà eos, ſi vera eſſet, oſtendi deberet.* Debet amicus amicum in Purgatorio ſuffragijs adiuuare commorantem, vt, dum tempore tantæ neceſſitatis non deficit, ſe verè, non fictè amaſſe oſtendat.

Tempore neceſſitatis, quā Animæ patiūtur in Purgatorio, veri probātur amici.

Ioannes Bromyardus.

3 Quod ex illo Eccleſiaſtici 38. 18. confirmare poſſumus, vbi mortuos vno ſaltem, vel duobus diebus propter detractionem lugere docemur. *Fac luctum ſecundùm meritum eius vno die, vel duobus propter detractionem.* Quid eſt mortuos lugere propter detractionem? Eſt amicos adiuuare poſt mortem, ne cæteri noſtræ famæ detrahentes dicant, nos non dilexiſſe viuos, quos negligimus plorare defunctos. Hæc ad locum iſtum loquitur Lyranus. *Fac luctum ſecundùm meritùm eius vno die, vel duobus propter detractionem vitandam, ne dicatur contrà te, quòd odiſti viuentem, ſi non lugeas defunctum.* Tantùm abeſt ab oſtenſione dilectionis in amicum, qui eum pietate non proſequitur mortuum, vt potiùs illum odiſſe, quàm dilexiſſe videatur.

Qui amici mortui non miſeretur, potius eum odiſſe, quàm dilexiſſe videtur.

Lyranus.

4 Rectè dixit D. Gregorius, cùm homil. 30. in Euang. operibus exhibitis dilectionis probationem fieri affirmauit. *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis.* Veram operatio conſequitur dilectionem, ita vt tunc tantùm ſe homo declaret amantem, cùm ſe oſtendit in amicorum gratiam operantem. Ex hoc verò colligit Lucas Tudenſis

Ad probandā dilectionem ſuffrag. mortuo debent exhiberi amico.

D. Gregorius.

Digitized by Google

ſis in Biblioth. Vet. Pat. lib. 1. aduerſùs Albigenſium errores cap. 7. quòd ſi oſtendere volumus veram fuiſſe noſtrã ergà mortuos dilectionem, debemus pro illis adiuuandis in Purgatorio ſuffragiorum exhibere operationem. Subdo eius verba ad noſtrum inſtitutum comprobandum aptiſſima. *Debemus ergò bonis probare operibus in ſalutem animarum fidelium*, VERAM FVISSE DILECTIONEM, *quam circà eoſdem habuimus, dum viuerent, & proximorum animas ſacrificijs, orationibus, eleemoſynis, & ieiunijs Domino commendare, vt in hac eorũ neceſſitate permaximâ illis* IGNE PVRGATORIO *laborantibus ſubuenire poſſimus*. Probat amorem, quo dilexit amicum, qui ei Purgatorij cruciatibus laboranti ſacrificia, preces, & alia Eccleſiaſtica ſuffragia religioſâ pietate impendit.

Lucas Tud.

D. Ambroſius Theodoſiũ nõ deſeruit mortuum, quem dilexerat viuum.

5 Quod obſeruans D. Ambroſius, vt veram oſtenderet ſuam in Imperatorem Theodoſium dilectionem, fletu, ac precibus eũ decreuit proſequi defunctum, donec ſuis illum ſuffragijs ad regionem transferret viuorum. *Dilexi, & ideò proſequor eum vſque ad regionem viuorum, nec deſeram, donec fletu, ac precibus inducam virum, quò ſua merita vocant, in montem Domini ſanctum*, Sic ille concione de obitu Theodoſij. Non deſerit mortuum, qui eum dilexit viuentem, ſed exhibet poſt mortem pietatem, cui exhibuit adhuc in hac vitâ degenti amorem.

D. Ambroſ.

Ioſeph oſtendit in mortuo patre, quàm vehementer eum dilexerat viuum.

6 Vt famis, à quâ grauiter vrgebatur, euitaret periculum, & filium, quem amiſſum plorauerat, inuiſeret Ioſeph, relictâ domo ſenex ad Aegyptum Iacob contendit, & extremam ſenectutem pacificâ morte claudens, vitam finiuit. Ioſeph autem amiſſum genitorem amaris lachrymis lugens, ſuper faciem illius, dolore vrgente, piè ruebat. *Quod cernens Ioſeph ruit ſuper faciem patris* Gen. 50. 1. *Oſtendens*, inquit ad hęc Dionyſius Carthuſianus, *in mortuo, quàm vehementer* AMAVIT *viuentem*. Vt amorem oſtenderet, quo Patrem dilexerat viuum, ſuper eum lugens ruit defunctum; tunc enim tantùm oſtendimus amorem, quo diliximus viuos, cùm eos pietate proſequimur etiam defunctos.

Dion. Carth.

Oſculatus eſt mortuum in ſignũ amoris quo eum dilexerat viuũ.

Mos oſculandi moribundos.

Suetonius.

7 Nec tantùm Ioſeph ſuper mortui patris faciem ruit, ſed lachrymis oſcula inſuper addens, frigidum cadauer, & brachijs amplectebatur, & ore fouebat. *Ruit ſuper faciem patris flens, & deoſculans eum*. Oſculabantur veteres ægrotos morituros, & adhuc in viciniâ mortis verſantes, vndè Auguſtus, vt refert Suetonius lib. 2. cap. 99. *repentè in* OSCVLIS *Liuiæ, & in hac voce deficit; Liuia noſtri coniugij memor viue, ac vale*, Et Auſonius in Parental. 23. de morte Dryadiæ loquens, ait.

Auſonius.

Illa manus inter genitricis, & OSCVLA *patris*
Occidit.

Valerius quoque Maximus lib. 7. cap. 1. ait, Q. Metellum INTER OSCVLA, COMPLEXVSQ; *cariſſimorum pignorum extinctum*. Cur igitur Ioſeph patrem non oſculatur morientem, ſed mortuum? Et morientes antiqui oſculari ſolebant, & mortuos. Quare de oſculis quæ figebant mortuis locutus eſt Tibullus, cùm lib. 1. Eleg. 1. dixit

Mos oſculandi mortuos.

Tibullus.

Flebis & arſuro poſitum me Delia lecto,
Triſtibus & lachrymis OSCVLA *mixta dabis*

Et Propertius lib. 2. Eleg. ad Cinthiam

Propertius.

OSCVLAQVE *in gelidis pones ſuprema labellis,*
Cùm dabitur Syrio munere plenus onyx.

Et Ouidius lib. 4. Metamorphoſeon

Ouidius.

gelidis in vultibus OSCVLA *figens*
Pyrame clamauit, quis te caſus ademit.

Et idem lib. 6.

Suetonius.

CORPORIBVS GELIDIS *incumbit, & ordine nullo*
OSCVLA *diſpenſat natos ſuprema per omnes.*

Id etiam Suetonius confirmat in Othone cap. 12. *Multi præſentium militum cum plurimo fletu manus, ac pedes iacentis* EXOSCVLATI.

Feretrum in funeribus interdum antiqui oſculabãtur.

Sidonius.

Imò feretrum quoque, in quo mortui efferebantur obſeruo quandoq; oſculatos antiquos, idq; diſco à Sidonio Apoll. lib. 2. Epiſt. 8. vbi de funere agens matronæ Philimachiæ ait. *Cùm Libitinam ipſam flentes omnes externi quoque prenſitarent, remorarentur*, EXOSCVLARENTVR, *ſacerdotum, propinquorumque manibus excepta perpetuis ſedibus dormienti ſimilior illata eſt*. Huiuſque ritus meminit etiam Ouidius lib. 8. Metam, dum canit

Ouidius.

Oſcula dant ipſi POSITO DANT OSCVLA LECTO.

Raph. Volat.

Ad quæ Raphaël Volaterranus *Lecto*, inquit, *id eſt feretro, in quo Meleagri cadauer compoſitum fuit*. Vt ergò Ioſeph oſtenderet, quo amore dilexiſſet patrem, nedùm eum voluit oſculari & complecti morientem, ſed & mortuum. Habet iſtud Abulenſis in hunc locum. *Flens, & deoſculans eum*, IN SIGNVM AMORIS, *quia adhuc ei iam mortuo, qui nihil aliud, niſi gleba inutilis erat, os ſuum applicare dignabatur*. Patrem poſt mortẽ eſt amplexus, & oſculatus, vt dum ore fouebat mortuum, ſignum præberet amoris, quo eum proſecutus fuerat viuum.

Abulenſis.

Aegyptij Ioſeph honorificè ſepelierũt vt ſuum in eum amorem oſtenderent.

8 Ipſum verum Ioſeph, poſtquam expletis centum, & decem vitæ ſuæ annis in ſenectute bonâ quieuit, aromatibus conditum honorificè ſepelierunt. *Et conditus aromatibus, repoſitus eſt in loculo in Aegypto*. Geneſis 50. 25. Aegyptios autem illius cadauer vnguentis condiuiſſe, atque honorificâ ſepulturâ humaſſe, idem tradit Abulenſis. Porrò iſtud officium potiùs ad fratres ſpectare videbatur, quàm ad Aegyptios, maximè cùm eos adhuc viuens Ioſeph adiuraſſet, vt ad terram Chananæorum oſſa ſua tempore debito transferrent. Cur igitur mortuum fratrem, nõ ipſi, ſed aromatibus condiunt, & honorificè ſepeliunt alieni? Dilexerant valdè Ioſeph, dum adhuc viuebat, Aegyptii, cuius dilectionis ſignum, vt præberent, voluerunt poſt mortem pietatis obſequia illi exhibere. *Adhuc in morte*, verba ſunt Abulenſis, *Ioſeph manebat* TENERA AFFECTIO *Aegyptiorum ad eum, ideò honorauerunt eum valdè, tumulantes honorificè, & condientes aromatibus*. Amor quo Aegyptij afficiebantur er-

Idem.

gà

gà Ioſeph, reddidit eos adeò in illum defunctum clementes, vt fratribus officiã ſepulturæ non permiſerint, ſed ipſi ſuis manibus aromatibus condire, ac terræ voluerint ſui Præfecti cadauer mandare.

Quia Dauid ſpecialiter Ionathum dilexit, ſpecialiter eũ defunctũ plorauit.

10 Vix mortem Saül cum filijs in pugnã cæſi, & capite trũcato in muro Bethſan ſuſpenſi Dauid audiuit, cùm ſcindens veſtimenta, & lacbrymis erumpentibus lugens, ſibi, ſuiſque viris pro defunctorum animabus ieiunium vſque ad veſperam indixit. Hinc ad mortuorum laudes tranſiens, carmen lugubre cecinit, in quo inclytos Iſrael interfectos doluit, & ad luctum pro illis agẽdum populum vniuerſum inuitauit. Poſtremò Ionathæ mortem ſingulariter plorauit, eiuſque merita eximijs laudum præconijs commendare perrexit. Hîc ſciſcitatur Abulenſis, cur Dauid Ionathæ cædem ſpecialiter lugeret, dum eam ſimul cum morte Saul amare plorauerat? An mors filij Regis magis, quàm cædes ipſa Regis luctu erat honoranda ſingulari? An plures Dauid lachrymas debebat Ionathæ cæſo, quàm Saul interempto? Vtique; nam cùm Dauid Ionatham ſpecialiter diligeret, ſpecialibus etiam pietatis obſequiis eius mortem proſequi tenebatur. Opportunè Abulenſis in lib. 2. Reg. cap. 1. *Hic Dauid ſpecialiter plangit Ionatham, quia* SPECIALIVS EVM DILIGEBAT. Specialis defunctorum amor, ſpecialem exigit in eos pietatem; quare cũ Dauid ſpecialiter diligeret Ionatham, ſpecialiter eum voluit plorare defunctum.

Abulenſis.

Quia eum amabat, fratrem vocauit eique monumentũ erexit.

11 Dum autem Ionatham ſpeciali hoc luctu plorabat, eum fratrem ſuum toto cordis affectu vocabat. *Doleo ſuper te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum.* 2. Reg. 1. 26. Et meritò quidem, nam quem vt fratrem diligebat, fratris etiam appellatione illum mortuum honorare debebat. *Vocauit Dauid*, ſubdit idem Abulenſis, *Ionatham fratrem ſuum, quia* DILIGEBAT EVM, SICVT FRATREM SVVM. Quem diligebat vt fratrem, dulci fratris nomine poſt mortem eum appellauit, vt multiplicatis ergà defunctum pietatis obſequiis, amoris magnitudinem, quo eum proſequebatur, omnibus declararet. Quem vt etiam magis oſtenderet, apud monumenta Saul, & filiorum illius pulchrum ædificium ad perpetuam memoriam conſtruxit, vt tantæ molis erectione ſuam cunctis dilectionẽ teſtaretur. *Credendum eſt autem*, hæc item loquitur Abulenſis, *quòd Dauid tunc ſtruxerit aliquod ædificium pulchrum apud ſepulchra Saul, & filiorum eius, præcipuè propter honorem Ionathæ*, QVEM DILIGEBAT VALDE. Signum dilectionis eſt exhibitio pietatis, nec vnquam probat quis amorẽ, quo dilexit viuum, niſi pietate, quã proſequitur defunctum.

Abulenſis.

Vt Dauid ſuam cum Abner amicitiã probaret, epulas pro eo diſtribuit ferales.

12 Iam exequias Abner ſciſſis veſtibus, & pijs lacbrymis idem Dauid celebrauerat, & cadauer ad ſepulchrum comitans, in defuncti laudem perorauerat, cùm ad eius aulam vniuerſus populus, vt cum illo comederet, conuenit. *Cùmque veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid clarâ adhuc die, iurauit Dauid dicens, &c.* Quam ob cauſam populus vt comederet ad aulam Regis proceſſit? Cur non potius ſe in domos ſuas cęnaturus recepit? Quia Dauid vt ſuam cum defuncto Abner teſtaretur amicitiam, adeò ſolemniter illius exequias celebrauit, vt vniuerſo populo cõuiuium voluerit parare ferale. Sanè hîc ad noſtram mentem hæc loquitur Abulenſis. *Omnes, qui fuerunt in funeribus Abner, venerant ad comedendum cũ Rege, quia Rex* PROPTER AMICITIAM *Abner voluit facere illud feſtũ pro eo in funere ſuo.* Vt Dauid amicitiam probaret, quam contraxerat cum Abner, tantam ei mortuo pietatem impendit, vt pro eo funereas epulas populo diſtribuerit vniuerſo.

Abulenſis.

Verus amor exhibet poſt mortem dilectio pietatem.

13 Hac item pietate ſuam probauerunt dilectionem mulieres illæ, quæ aromatibus emptis ad Chriſti monumentum perrexerunt, vt eius vngerent piã deuotione cadauer. *Et cùm tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum.* Marc. 16. 1. Quare corpus, quod corruptioni obnoxium non erat, aromatum cautelã obliniire feſtinant? Cur vermes, qui ad ſanctum cadauer accedere non poterant, myrrhã, & aloë arcere conantur? Quare tandem poſt vnguenta pretioſa à Ioſepho, & Nicodemo liberaliter effuſa, nouos decernũt profundere liquores? Quia nõ poterat earum amor, Chriſto defuncto, temanere otioſus. Subdam verba Simonis Caſſiani lib. 13. in Euang. cap. 129. *Parauerunt aroma a; non enim eſſe poteſt in abſentiã dilecti otioſus* LEGITIMVS AMOR, *& poſt mortem exhibet dilectis obſequia ſeruitutis.* Non moritur cum morte dilecti legitima dilectio, ſed etiam mortuum proſequitur pietate amicum.

Simon Caſſ.

Mulieres propè ſepulchrũ cæteris diuti' perſeuerauerunt, quia feruẽtiùs dilexerunt.

14 Hinc eſt, quòd cunctis recedentibus mulieres iſtæ non receſſerunt, ſed diuturnas exequias defuncto magiſtro celebrantes, contrà ſepulchrũ ſederunt. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria ſedentes contrà ſepulchrum.* Matth. 27. 61. Cæteris enim diutiùs propè ſepulchrum perſeuerauerunt, quia cæteris feruentiùs Chriſtum dilexerunt. Hæc ad productum locum loquitur Remigius in catenã. *Cæteris ad propria remeantibus, ſolæ mulieres, quæ eum* ARCTIVS AMAVERVNT, *perſeuerauerunt.* Perſeuerat in pietate, qui feruet dilectione, nam qui verè diligit, dilectum non poteſt derelinquere defunctum. Vndè factum eſt, quòd eædem iſtæ mulieres, cũ Chriſti cadauer, quod vngerent, non reperiſſent, non ideò abierunt, ſed propè monumentũ conſternatæ remanſerunt. Quam perſeuerantiam non aliundè, quàm à vehementiſſimo earum amore ortum habuiſſe Magnus teſtatur Albertus, bis verbis cap. 24. Lucæ commentans. VEHEMENTISSIMVS AMOR DOMINI *recedere tãquam à re deſperatã non patiebatur, & ideò ſtantes ibi, mente conſternabantur.* Amoris vehementia corda ſolicitabat mulierum, ne à Chriſti, quem mortuum

Remigius.

Alb. Magnus.

Digitized by Google

mortuum putabant, monumento abirent.

Magdalena, amore duce, vt defuncto pietatem impenderet, pericula omnia contempſit.

15 Eamdemque ob cauſam Magdalena, regnantibus adhuc tenebris, ad idem monumentũ, omni depoſito pauore, acceſſit. *Vnâ autem Sabbati Maria Magdalene, venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum*. Io. 20. 1. Quæ fuit huic mulieri virilis fortitudo, vt noctis vmbras non timeret, nemorum horrores non metueret, latronum inſidias non paueret? Quo pacto nocturno tempore, nemine duce, iter incognitum, ſentibus, & ſaxis vndique ſeptum, agere decreuit? Non ſine duce ſanctã iſtam aſſumpſit Magdalena peregrinationem, ſed ducem habuit, qui ad tam arduum iter eam impulit, amorem. Siſto verba D. Ioannis Chryſoſtomi apud Hugonem Cardinalem in hunc locum, ita loquentis.

D. Io. Chryſ.

Quæ MVLTVM AMAVIT, *poſtquã tranſiit Sabbatum non ſuſtinuit, ſed venit diluculo profundo.* Chriſti amore percita vmbras neglexit, tenebras contempſit, & vt monumentum adiret, omnia, quæ imminebant, pericula ſpreuit.

Thomas verum in Lazarum affectum oſtendit, cùm mortem, vt ille ſuſcitaretur, ſpreuit. Hugo Cardi.

16 Quod fecit & Thomas, cùm Chriſtum ad Lazarum ſuſcitandum euntem cæteri volebant remorari Apoſtoli. Ipſe namque omnia mortis pericula ſpernens, & ſocios ad mortem, ſi oporteret, ſubeundam diſponens. *Eamus*, inquit, *& nos, & moriamur cum eo*. Ioann. 11. 16. Ad quẽ locum Hugo Cardin.. *Ecce*, ait, *verus* AMANTIVM *affectus*. Tunc verum Thomas oſtendit in Lazarum affectum, cùm ei defuncto vt pietatem impenderet, omnia etiam mortis pericula contempſit. Verus quippè tunc dignoſcitur amãtium affectus, cùm defunctum non derelinquunt amicum, ſed ei etiam poſt mortem pietatis obſequijs ſuffragari conantur.

Ex Chriſti lachr., quibus fleuit Lazarum mortuum collegerunt Iudæi amorem, quo dilexerat viuum. Dion. Carth.

17 Teſtati ſunt hanc etiam veritatem Iudæi, qui Chriſtum cernentes pijs lachrymis Lazarum morte ſublatum plorantem, ex fletu, quo lachrymabatur, amorem collegerunt, quo eum proſequebatur. *Et lachrymatus eſt Ieſus. Dixerunt ergò Iudæi, Ecce quomodo amabat eum*. Ioann. 11. 30. *Quaſi dicant*, inquit Dionyſius Carthuſianus, MVLTVM AMABAT *eum, quem tam affectuosè deplorat*. Amor quem impendimus mortuis, dilectionem manifeſtat, quam exhibuimus viuis, ideòque videntes Iudæi Chriſtum piâ lachrymarum effuſione Lazaro pietatem impendere mortuo, ſtatim amoris magnitudinem agnouerunt, quâ eum dilexerat viuum.

Magdalena vi vrgente amoris, ſe poſſe deferre, ac ſepelire cadauer putauit.

18 Non poſſum, quin adhuc ad Magdalenã redeam, cui ploranti cùm Chriſtus apparuiſſet, illa credens eum eſſe hortulanum, qui ſacrum cadauer ſuſtuliſſet, dixit ei. *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam*. Io. 20. 15. Vide Mulieris animum, quæ cenſet fæmineis artubus cadauer ſe ſolam poſſe deferre Defuncti. Vires quippè illi addidit amor, quo mortuum diligebat magiſtrum, quique illi nihil, quod tenderet ad pietatem dilecto impendendam, difficile fore ſuadebat. Præclarè hunc locum verſans rem vrget Lyranus. EX VIRTVTE AMORIS *credebat ſe poſſe portare tantum corpus etiam mortuum, quia* FERVENTER AMANTI *nihil videtur difficile*. Impulit Magdalenam amor ad petendum cadauer, quod ſe ſola eiuſdem amoris vi vrgente, poſſe deferre, vrgere, ac ſepelire credebat.

Lyranus.

Matrona Epheſina, quia pia in defunctum, veri amoris exemplũ eſt appellata.

19 Vim iſtam amoris ad pietatem ergà defũctum amicum ſuadendã non ignorauerunt Gentiles. Vndè cùm narraſſet Petronius Arbiter in ſatyrico Epheſinæ Matronæ pietatem, quâ defunctum maritum fuerat proſecuta, lachrymis, ieiunijs, & aſſiduâ cadaueris cuſtodiâ luctum nũquam interrumpens, ſubdidit, eam ab omnibus fuiſſe laudatam, veluti verum amoris pudici exemplum.

Petron.

Solum illud adfulſiſſe verum pudicitiæ, AMORISQVE *exemplum, omnis ordinis homines confitebantur.* Nouerant amore pietatem excitari ergà defunctos, quapropter cùm viderent matronam in defunctum maritum adeò piam, ſtatim eam veri exemplum amoris appellare non timuerunt.

Chriſtũ mortuum Ioſeph & Nicod. honorauerũt, vt ſuũ declararent amorẽ.

20 Eiuſdem amoris vis Ioſeph Arimathæum quoque, ac Nicodemum impulit, vt Chriſti cadaueri pretioſa pararent aromata, candida emerent lintea, & ſumptuoſa exhiberent parentalia. *Acceperunt ergò corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Ioan. 19. 40. Hæc nimirùm, nihil metuentes, aut odium plebis, aut inſidias phariſæorum, vt ſuum ergà Chriſtum declararent amorem, ei exhibere voluerunt pietatis obſequia defuncto. Porrò nihil æquè declarat amorem, quo diligimus amicum, ac pietas, quo eum honoramus mortuum. Subſignat Theophylactus in hunc locum.

Theophylact.

AMOREM SVVM DECLARANT: *non enim ſepeliunt, vt condemnatum, ſed ſumptuosè, vt mos eſt Iudæis*. Tunc amor declaratur, cùm mortuus amicus adiuuatur, & propterea ſancti iſti viri, vt ſuum ergà magiſtrum amorem declararent, omnibus pietatis obſequijs eum voluerunt honorare defunctum.

Aethiop. mortem ſibi, vt amicitiam in defunctum regem oſtendãt, conſciſcunt.

21 Et quidem nihil æquè amicitiam veram teſtatur, ac pietas amico exhibita defuncto. Aethiopum conſuetudinem recenſet Ioan. Boëmus lib. 1. de moribus gentium cap. 4. quâ Rege defuncto eius amici, dum exequiis interſunt, mortem ſibi ſpontè inferre non verentur. Verùm cur adeò indulgent dolori, vt cum Rege vitam quoque amittere decernant? Cur non luctum, ſed ſpiritum, non lachrymas, ſed ſanguinem, non aromata, ſed vitam tradentes, ei parentant? Vt tantâ pietate defuncto Regi exhibitâ ſe verè illum diligere teſtentur. *Ferunt quoque* ita Ioan. Boëmus, *conſuetudinis eſſe, amicos vltrò in Regis morte vitâ defungi, exiſtimantes eum interitum glorioſum*, VERÆQVE AMICITIÆ TESTEM. Amicitię ſinceritatem pietas teſtatur in defunctos, quamobrem vt eam teſtarentur Aethiopes, vitam ſibi demere indiſcretâ pietate non metuebant.

Io. Boemus.

22 Huius rei non ignarus apud Apuleium lib.

Thraſyll. quia

8. metam.

Digitized by Google

piùs in Lepolemum, quem occiderat, credi potuit eius amicus.

Apuleius.

8. metam. Thraſyllus, vt fingeret ſe Lepolemũ, quem gladio interfecerat, diligere, omnia ſimulauit ſuper defunctum cadauer pietatis officia. *Sed Thraſyllus nimium clamare, plangere, & quas in primo mærore lachrymas non habebat, iam ſcilicet creſcente gaudio reddere, & multis charitatis nominibus veritatem ipſam fallere. Illum amicum, coætaneum, contubernalem, fratrem denique, addito nomine lugubri, ciere.* Et ſanè veritatem impius iſte ſimulatâ pietate fallebat, ſe namque amicũ defuncti falsò manifeſtabat, dum tot miſerationis ei obſequia impendebat. Obſeruauit iſtud ad hunc locum Beroaldus. *Hæc ſunt charitatis nomina multiiuga, quibus Thraſyllus veritatem diſſimulabat, quibus* Re Vera Amicvs Extincti *credi poterat.* Adeò peculiare munus eſt amicorum, eis, quos diligunt pietatem, etiam mortuis, exhibere, vt hoſtis quoque, ſi hæc præſtet, facilè credi poſſit amicus. Cùm igitur hoſtes quoque, vt ſimulent cum mortuis amicitiam, in eos debeant ſimulare pietatem, quis inficiabitur, iure amicitiæ viuos teneri ad ſuffragandum mortuis?

Beroaldus.

CAPVT VIII.

Veram fidelitatem oſtendunt, qui mortuis pietatem impendunt.

Per pietatem mortuis exhibitam fidelitatis teſtimonium exhibetur.

1 QVi mortuorũ miſeretur, nedùm amicitiæ leges, verùm etiam fidelitatis iura ſectatur. Ad quod comprobandum non exiguum nobis Abraham exhibet argumentum, qui defunctâ vxorem pijs lachrymis plorans, & religioſis exequijs honorans, cùm ſurrexiſſet ab officio funeris, locum pro eâ ſepeliendâ emit, & nobile monumentum illi ædificauit. Hæc moraliter expendens Lyranus, docet per Abraham in mortuam coniugem adeò pium, quemlibet intelligi amicum; qui pietate mortuis exhibitâ, ſuæ preclarum exhibet fidelitatis teſtimonium. *Venit Abraham vt plangeret, per quem poteſt intelligi quilibet* Fidelis Amicvs Defvncti, *qui naturali pietate motus plangit mortem amici, & conſequenter quærit ſepulturæ locum.* Et infrà ſubdens, quinam ſit iſte ſepulturæ locus, ſubdit. *Eſt Empyreus Cæli locus, qui quæritur per ſuffragia bonorum.* Hæc omnia Lyranus in cap. 23. Gen. Ille ſuam verè oſtendit fidelitatem, qui ergà mortuos pius, illis lachrymarum riuulis parentat, & ſuis ſuffragijs æternam in Empyreo Cœlo quietem parat.

Lyranus.

Pharao ex pietate in patrem defunctum arguit fidelitatē Ioſeph.

2 Id, quod Pharao quoq; Rex Aegypti cognouit, cùm ſtatim Ioſeph petitione auditi, illum exaudiuit, & ad terram Chananæorum, vt In auito ſepulchro patrem humaret, abire cũ ſenioribus regni permiſit. *Dixitq; ei Pharao: Aſcende, & ſepeli patrem tuum, ſicut adiuratus es.* Gen. 50. 6. Mirum, quòd Pharao, vellet hominem exterũ ad terram aſcendere alienam, nec vereretur, ne ad propria remeans, non ampliùs ad regni negotia rediret. Vtiq; dum Pater noluerat inter Aegyptios remanere mortuus, ſuſpicere poterat Rex, quòd multò minus vellet filius inter eos cõmorari viuus. Præterquàm quòd cum moribus Aegyptiorum nouerat leges non conuenire Hebræorum, quapropter animalia, quibus illi, tanquam Dijs thus adolebant, vero Deo iſti interempta ſacrificabant. Cur igitur de fugâ Ioſeph nihil dubitat, ſed eum, ac ſi de illius reditu certus ſit, ſine difficultate abire permittit? Viderat Rex Ioſeph regni ſui præfectum mortuo parenti ſingulari pietate parentare, ex quâ ſummam arguens illius fidelitatem, eum proculdubio ad ſe rediturum cognouit. Hincque ſtatim auditam petitionem exaudiuit, & ad patris ſepulturã ſuos quoque Magnates cum eo aſcendere præcepit. Subſignat Dionyſius Carth. prænotata verba explanans. *Certus de veritate, &* Fidelitate *ipſius Ioſeph, mox annuit eius petitioni.* Cùm vidit Pharao pietatem Ioſeph in mortuum, cognouit ſtatim illius fidelitatem; quare facultatem peregrinandi ad ſepeliendum patrem, nullâ interpoſitâ morâ, ei conceſſit.

Dion. Carth.

Tunc Dauid docuit fidem ſeruandam, cum Abner defuncto pietatē exhibuit

3 Simul ac Dauid cognouit mortem Abner à Ioab ſuo duce doloſè interfecti, eius exequias ordinauit, ac luctum omnibus præcipiens, ipſemet feretrum comitatus eſt, & ſuper tumulum defuncti pijs lachrymis plorauit. *Porrò Rex Dauid ſequebatur feretrum. Cùmque ſepeliſſent Abner in Hebron, leuauit rex Dauid vocem ſuam, & fleuit ſuper tumulum Abner. Fleuit autem, & omnis populus.* 2. Reg. 3. 31. Poterat ne hac maiorem ſuo, aut genitori, aut fratri exhibere pietatem? Nonnè fuerat Abner illius hoſtis, & dux militiæ Saul contrà eum pugnantis? Cur igitur tot lachrymis, tot honoribus, tanto dolore mortuum proſequitur hoſtem? Vt doceat etiam hoſtibus fidem ſeruandam eſſe defunctis. Accipe Gloſſam ita hunc locum explicantem. *Docuit etiam aduerſarijs* Fidem *promiſſam eſſe ſeruandam, honorandam quoque & in hoſte virtutem.* Tunc Dauid fidem ſeruandam eſſe docuit, cùm hoſti mortuo pietatem exhibuit: veram enim ille fidelitatem oſtendit, qui defunctis pietatem impendit.

Gloſſa.

Amici Abner fidem ſeruatam probauerunt, cùm pietatem mortuo collatam viderunt.

4 Quapropter, vt Ioſeph teſtatur Hebræus lib. 7. Antiquit. cap. 1. amici Abner tantam Regis in eum mortuum pietatem cernentes, non potuerunt, quin omnem ſuſpicionem prorſus deponerent, & lugentis fidelitatem vnanimi conſenſu probarent. *Et cognouit omne vulgus, & vniuerſus Iſrael in die illâ, quoniam non actum fuiſſet à Rege, vt occideretur Abner filius Ner.* 2. Reg. 3. 37. Sed Ioſeph etiam Hebrei verba proferamus. *Quotquot erant Abner ſtudioſi vehementer hunc defuncti extremum honorem, &* Servatam Ad Vltimvm Fidem Probavervnt, *quòd omnia in eũ contuliſſet, quæ in amicos conferri ſolent, & non vt inimicum aliquando, neglectè, & ignominioſè ſepulturae tradidiſſet.* Fidem à Rege ſeruatam probauerunt, cùm pietatem defuncto collatã cognouerunt,

Ioſeph Hebr.

grouerunt, quia fidelitas nunquam probatur viuorum, niſi pietas adſit, quâ miſereantur mortuorum.

Cùm Ioabitæ cadauera Saül, & filiorũ eius humauerunt, ſuam fidelitatẽ oſtẽderunt.

5 Illuſtratur etiam hæc veritas Ioabitarum teſtimonio, qui audacter à Philiſtæorum Mœnijs cadauera Saul, & filiorum eius, vt ea honorifico in ſepulchro humarent, abſtulerunt. Cur enim tam viriliter hoſtium caſtra ſunt aggreſſi, eorumq; trophæa nullo pauore turbare ſunt auſi, niſi vt ſuam in eos, à quibus beneficia ſuſceperant, fidelitatem tantâ pietate declararent? Adeſt Dionyſius Carthuſianus in 1. Reg. cap. 31. *Viriliſti* SVAM FIDELITATEM, *& gratitudinem, imò & charitatem audacter monſtrauerunt in Saul, & filios eius.* Fidelitatem ſuam tunc Ioabitæ monſtrauerunt, cùm ergà mortuos principes pij, eorum cadauera turpiter pendentia ſuſtulerunt, & exequijs eâ, quâ poterant, ſolemnitate celebratis, terræ cum luctu mandarunt.

Dion. Carth.

Pro hac fidelitate nuntios Dauid ad eos miſit.

6 Quæ vt Dauid cognouit miſit nuntios, qui eos pro tantâ pietate laudarent, illoſque de præmio tùm à Deo, tùm à ſeipſo conſequendo certiores facerent. *Miſit ergò Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam, & veritatem, ſed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum iſtud.* 2. Reg. 2. 5. Vt quid ſtatim rex inunctus viris iſtis nuntios mittere, gratias referre, ac præmia polliceri decreuit. An eos pro fidelitate, quâ mortuis principibus iuſta perſoluerant remunerari voluit, cùm ad bonum Regem pertineat fidelitatem laudare, ac præmijs afficere ſubditorum? Hæc profectò fuit mens Lyrani ad hunc locum. *Quia bonus rex debet eſſe gratus ſubditis de facto* FIDELITATIS, *& pietatis, ideò conſequenter oſtenditur gratitudo ipſius Dauid ergà viros Iabes Galaad de ſepulturâ Saul, & filiorum eius.* Pietatem oſtendentes in mortuos, ſuam viri Iabes fidelitatem declarauerunt, per quam à Deo, & Dauid mercedem accipere meruerunt.

Lyranus.

Veram fidelitatem Ioſeph oſtendit, cùm defunctũ Chriſtum ſepeliuit.

7 Quod & contigit Ioſeph Arimathæo, qui audacter ad Pilatum ingreſſus, Chriſti corpus ad ſepulturam poſtulauit, & facultate obtentâ, illud aromatibus conditum in ſuo lapideo, ac nouo monumento repoſuit. Stridebant in Chriſti diſcipulos, qui Magiſtrum occiderant Iudæi, per totam Ieroſolymorum vrbem rabies bacchabatur phariſæorum, diuino crucifixi cruore mons adhuc purpurabat Caluariæ, & Ioſeph vſque ad illam horam occultus, & meticuloſus, metu omni depoſito, præſidem adit, Iudæos non veretur, mortem non timet, & dum magiſtri cadauer ſepulturæ tradat, reliqua omnia contemnit. O quàm verè dixit, qui dixit. *Omnia vincit amor.* Omnia enim in hoc diſcipulo amor vicit, donec metum depoſuit, è latebris exijt, & de cruce ſublatum ſepulturæ præceptorem mandauit. Verùm cur tanto amore polluit in mortuum, qui tanto metu dilexerat viuum? Cur quem ſequi formidauerat, ſepelire non formidauit? Cur tandem qui Chriſto viuente fuerat occultus, eo moriente factus eſt diſcipulus manifeſtus? Voluit Ioſeph ſuam in Chriſtũ oſtendere fidelitatem, quam, quia non poterat, niſi exhibendo ei mortuo pietatem, declarare, ideò ad Pilatum ſepulturam petiturus acceſſit, aromata cadauer vncturus emit, omnemque metum Magiſtrum humaturus reliquit. Magnum Albertum mihi aſſumo hac in re patronum, qui in cap. 15. Marci hæc habet. FIDELITATEM, *quam habuit ad viuum, voluit etiam exhibere mortuo:* HAEC ENIM EST VERA FIDELITAS. Nunquid poterat ad rem noſtram clariùs loqui, aut luculentiùs? His autem ea quoque poſſumus addere, quæ habet Lyranus, hunc videlicet Ioſeph Chriſto mortuo ſepulturæ officium præſtitiſſe, *eò quòd eſſet diſcipulus Ieſu.* Ioann. 19. 38. *Idest* FIDELITER *credens eius doctrinæ.* Siquidem, vt ſuam in credendo fidelitatem oſtenderet, mortuo præceptori pietatis obſequia impendere debebat. O igitur ſanctam, & debitam ergà mortuos pietatem, quæ ſola noſtram, & veram tuâ virtute oſtendis fidelitatem.

Alb. Magnus.

Lyranus.

Mulieres, quia fideles erant, Chriſto mortuo pietatem exhibuerunt.

8 Addo, quod idem Albertus in Luc. 23. obſeruat, mulieres tranſacto Sabbato aromata emiſſe, vt idem Chriſti cadauer denuò condirent, ac ſanctâ vnctione oblinirent. Vt quid enim cadauer iam vnctum rurſus vngere voluerunt, adeò ſolicitâ curâ excubias ad illius monumentum agentes, niſi vt pietate, quam impendebant mortuo, fidelitatem declararent, quam Chriſto ſeruauerant viuo? Profectò id teſtatur Albertus, cùm ait. *Miniſtrauerant ei, de facultatibus ſuis, & pietatem, quam exhibuerant viuo, non negauerunt mortuo,* QVIA FIDELES ERANT. Fidelitas pietatem docet in mortuos; quare cùm iſtæ mulieres Chriſto fideles eſſent, multiplicatis pietatis obſequijs, vnctionem iterantes, & ſepulchro adſidentes, cum proſequi voluerunt defunctum.

Idem.

Mulier fidelis dicitur, quæ filiũ quærit adiuuare defunctum.

9 Hinc iurè meritò Diuus Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 5. fidelem mulierem illam vocauit, quæ in Baſilicâ Martyris, vt eius meritis adiuuaretur, filium quærebat ſepelire defunctum. Fidelis verè, quæ didicit nedùm vberibus educare viuum, ſed etiam ſuffragijs filium adiuuare defunctum. *Cùm ergò,* inquit Diuus Auguſtinus, FIDELIS MATER *fidelis filij defuncti corpus deſiderauit in Baſilicâ Martyris poni; ſiquidem credidit eius animam meritis martyris adiuuari, hoc, quod ita credidit, ſupplicatio quædam fuit, & hæc profuit, ſi quid profuit.* Fidelis mater appellatur, quæ meritis Martyris filium mortuum adiuuare ſatagebat, vt nobis conſtaret, veram tunc fidelitatem oſtendi, cùm propinquis, & amicis exhibentur ſuffragia defunctis.

10 Hùc

Fideles ſunt lachry., quæ mortuis impenduntur.

Ouidius.

10 Hùc etiam ſpectabat Hypermneſtra apud Ouidium Epiſt. 14. cùm ſibi mortuæ petebat lachrymas à dilecto Lynceo. Lachrymas namque appellauit fideles, quibus ſua oſſa perfundi poſt mortem poſtulabat.

Et ſepeli lachrymis perfuſa FIDELIBVS *oſſa*.

Cùm enim lachrymæ, quæ defunctis impenduntur, notæ ſint veræ amicorum fidelitatis, meritò, quas ſibi ab amico petebat, lachrymas fideles nuncupabat.

Archiſynagogus corde fideli vitam ſuæ filiæ poſtulauit defunctæ.

Dion. Carth.

11 Ex quibus liquidò apparet, quàm rectè Dionyſius Carthuſianus in Matt. 9. Archiſynagogi pietatem expendens, quâ filiæ ſuæ defunctæ priſtinam vitam à Chriſto poſtulauit, dixerit, eum acceſſiſſe corde fideli. *Acceſſit ad Ieſum* CORDE FIDELI, *& corpore celeri.* Nec enim poterat ſummâ non eſſe præditus fidelitate, qui tãtâ in filiam defunctam pollebat pietate. Exhibitio pietatis eſt menſura fidelitatis, & verè ille accedit corde fideli, qui pietatem mortuis exhibiturus accedit. Neque ab hoc diſcrepauit Petronius Arbiter in Satyrico, dum ancillam, quæ dominæ maritum lugenti lachrymas commodabat, & in monumento poſitum lumen renouabat, fidiſſimam appellauit. *Adſidebat ægræ* FIDISSIMA *ancilla, ſimulque & lachrymas commodabat lugenti, & quoties defecerat, poſitum in monumento lumen renouabat.* Tàm euidenter quippè fidelitatem ſuam oſtendebat, dum mortuo pietatem impendebat, vt nedùm fidelis, ſed etiam fidiſſimæ cognomine inſigniri mereretur.

Ancilla fidiſſima, quia defunctum lugebat, ac lumẽ in ſepulchro illius renouabat.

Petronius.

Fidelem ſe canis oſtẽdit, cùm ſuũ Dominum mortuum non dereliquit.

12 Quid, quòd fidelitatem ſuam Animalia quoq; Bruta, dum mortuos adiuuant, oſtendunt? Scribit Plin. lib. 8. c. 40. Serui cuiuſdam canem adeò ſolicitè illius curam geſſiſſe, vt neq; à carcere, in quo includebatur, abigi potuerit, neq; à ſcalis Gemonijs, in quibus abiectus fuerat, expelli, neq; ab eius cadauere in Tiberim proiecto ſeparari. Innatabat gratiſſimum animal, & corpus, ne peſſum iret, pedibus, caudâ, toto deniq; corpore ſuſtentare velle videbatur. Quin & mœſtos edens latratus, eâ, quâ poterat, voce ſuo ſepulturã poſtulabat defuncto. Quę pietas non modicã Romanorũ turbam traxit, quos ad ſpectandam canis fidem cucurriſſe Plin. tradit. Nam tunc fideliſſimũ ſe canis exhibuit, cùm mortuũ, & in Tiberim abiectum ſuum Dominum non dereliquit. *Innatauit*, inquit Plin. *idẽ, cadauere in Tiberim abiecto, ſuſtentare conatus, effuſâ multitudine ad ſpectandũ animalis* FIDEM. Dum Romanorũ multitudo ſpectabat canem mortuo adhærentem, ſpectabat eius fidem; tunc enim vera fidelitas oſtenditur, dum mortuis pietas exhibetur.

Plinius.

Solus canis, qui mortuo Dario aſtitit fidelis appellatur.

13 Res etiam memoriâ digna eſt, quam narrat Aelianus lib. 6. de hiſt. Animalium cap. 25. Dario vulneribus confoſſo, & mortuo, dum omnes fugiebant, & fugâ vitam ſeruare ſtudebant, ſolum iuxtà cadauer canem remanſiſſe, qui, ac ſi latratibus exequias celebraret, lingebat vulneratum, & ſeruabat defunctum. Hinc Darij amicis canem prætulit Aelianus, quem ſolum, dum aſtitit mortuo, fidelem permanſiſſe affirmat. Sed iam Authoris verba exſcribamus. *Dario, cùm multis vulneribus confoſſus eſſet, & iaceret ſtratus, omnibus mortuum relinquentibus, canis ab eo educatus* SOLVS PERMANSIT FIDELIS, *eumque, tametſi non ampliùs ſuum altorem, ſicut tamen adhuc viuentem ſeruauit.* Animaduerte ex tot Darij militibus, & amicis, canem ſolum, qui mortuo aſtitit, eumque ſuo modo luxit, appellari fidelem; nec enim verè ſuam fidelitatem oſtendit, niſi qui mortuis debitam pietatem impendit.

Aelianus.

Amicus ille eſt fidelis, qui ſeruat dilectionem defunctis.

14 Amicus fidelis protectio dicitur fortis, & theſaurus incomparabilis. *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio.* Eccleſiaſtici 6. 14. At quis eſt amicus iſte, qui verè poteſt appellari fidelis? Quonam pacto fidelitatem ſuam amicus oſtendit? Audi Hugonem Florenſem ſer. 2. de Animabus. *Debemus eſſe fidelibus defunctis* AMICI FIDELES *in dilectione.* Amici ſunt fideles, qui defunctis pietatem impendunt, quia non niſi dilectione precibus, & ſuffragijs mortuorum animabus exhibitâ, veri fidelitas declaratur amici.

Hugo Florẽſ.

Qui fidelitatem profitentur, antè alios defunctos adiuuare tenentur.

15 Coronidem capiti huic imponam, ſi Iodoci Clichtouei ſer. 2. in die commemor. Anim. verba expendam, quibus, poſtquam diſtinxit quatuor hominum genera, qui magis tenentur orare pro defunctis, horum primos aſſerit illos eſſe, qui fuerunt eis amicitiâ, & fidelitate coniuncti. Alioquin amicitiæ, ac fidelitatis laudem amittunt, ſi pietatem ergà mortuos exercere omittant. *Quatuor ſunt genera hominum, qui magis obligantur orare pro defunctis. Primò, qui beneficia, & humanitatem ab ipſis acceperunt, fueruntque eis* FIDELITATE, ET AMICITIA *coniuncti. Debent enim illi recognoſcere priorem familiaritatem.* Priùs, quàm alij mortuis debent ſubuenire, qui fidelitatem profitentur, nam veram fidelitatem oſtendunt, qui mortuis pietatem impendunt.

Iodocus Clichtoueus.

CAPVT IX.

Charitatis dilectionem pietas conſequitur in defunctos.

Charitas nũquã excidit, quia defunctorum ſuffragia non omittit.

1 CHaritatem Apoſtolus Paulus pluribus laudibus eleganter attollens, poſtquã eam dixit patientem, benignam, æmulationes euitantem, quæ ſua ſunt non quærentem, mala non cogitantem, ſuper iniquitate non gaudentem, omnia denique credentem, ſperantem, & ſuſtinentem, tandem concludit, illã nunquam excidere. *Charitas numquam excidit.* 1. Cor. 13. 8. Quid eſt autem, charitatem nunquam excidere, niſi omni tempore homini, ſiue viuo, ſiue mortuo ſua obſequia præſtare? Non decidit charitas, quantumuis eorum vita decidat, quos amplectitur, ſed poſt ipſorum mortem adhuc viuens, exhibet ſuffragia defunctis. Of-

Gabriel,

ferunt iſtud hæc verba Gabrielis lect. 56. in Canonem Miſſæ. CHARITAS, *quæ eſt vinculum Eccleſiæ membra vniens, non ſolùm ad viuos ſe extendit, ſed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt:* CHARITAS *enim eſt vita animæ, quæ nunquã excidit, quia nec in hoc ſæculo, nec in futuro finitur, & ideò* OPERA VIVORVM COMMVNIA FACIT ETIAM, DEFVNCTIS. Nedùm viuos, ſed & amplectitur charitas mortuos, ita vt nunquam excidat, quia ad vtrumque ſæculum ſe extendens, nec auxilia viuorum, nec ſuffragia omittit defunctorũ.

Charitas tã in mortuos debet abundare, quàm in viuos.

2 Hùc idẽ tendebat Apoſtolus, cùm ad Theſſalonicenſes ſcribens, Deum ſe orare dixit, vt eorum charitas abundaret in omnes. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem veſtram in inuicem, & in omnes.* 1. Theſſal. 3. 12. Dum enim omnes dicit, neminem excludit, ſed noſtram vult abundare charitatem, non tantùm in viuos, verum etiam in mortuos. Audiendus de hac re D. Vincentius Ferrerius ſerm 6. Dom. 2. poſt Trinitatem. *Apoſtolus orando dicebat, Deus abundare faciat* CHARITATEM *veſtram in inuicem, & in omnes. Tam inimicos, quàm amicos,* TAM VIVOS, QVAM MORTVOS. Abundantem in omnes noſtram charitatem Paulus optabat, quia non tantùm amplecti viuos, verùm & abundare debet charitas in defunctos.

D. Vinc. Ferr.

Ruth, & Orpha charitatiuè ſe habuerunt in maritos mortuos.

3 Hanc Charitatis abundantiam oſtenderunt Orpha, & Ruth Moabitides, quibus ad patriam pergens dixit Noëmi. *Ite in Domum matris veſtræ, faciat vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis, & mecum.* Ruth. 1. 8. Verùm quam miſericordiam mulieres iſtæ maritis exhibuerunt? Charitatis ſuæ abundantiam in eorum exequiis lachrymis, precibus, ac ſuffragijs oſtenderunt. Audias Dionyſium Carthuſianum ad locum iſtum hæc loquentem, *Faciat vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis, habẽdo vos* CHARITATIVE, *& liberaliter circa ſepulturam ipſorum.* Abundabat charitas mulierũ iſtarum, ideòq; non tantùm maritos diligere viuos, ſed etiam eos voluerunt adiuuare defunctos.

Dion. Carth.

Ioſeph ignitâ charitate patrem oſculatus eſt defunctum.

4 Hinc ratio apparet, cur Ioſeph mortuum patris cadauer amplexatus, illud pio luctu plorans oſculabatur, & ſuper vultum eius vlnis expanſis dolore correptus ruebat. *Ruit ſuper faciem patris flens, & deoſculans eum.* Gen. 50. 1. Nunquid nun ſufficiebat aromatibus corpus condire, ad paternum monumentum illud transferre, & exequiarum ſolemnitatem, Aegyptiorum primoribus cum eo lugentibus, celebrare? Nunquid ſatis non erat regni negotia deſerere, iter difficile peragere, & Chananæorum terram pro illius ſepulturâ peragrare? Quid frigidos inſuper complectitur artus, & mutis labijs oſcula figens, ſuper faciem corruit mortis horrore deformem? Id ignita Ioſephi charitas præſtitit, quâ in mortuos æquè abundans, ac in viuos, Patrem nedùm viuum, ſed etiam amplecti, & oſculari voluit defunctum. Habeo huius mentis aſſertorem D. Ioannem Chryſoſtomum homil. 67. in Geneſim. *Vidiſti pueri dilectionem? Vidiſti* IGNITAM CHARITATEM? *Et poſt animæ receſſum cecidit Ioſeph ſuper faciem eius, & oſculatus eſt, & fleuit ſuper eum.* Charitatis feruor pietatem exigit in mortuos, quare cùm Ioſeph ignitâ charitate ferueret, nulla non præſtitit mortuo genitori pietatis obſequia.

D. Io. Chryſ.

Ioſeph Arimathæus charitatis feruorem adeptus Chriſtum ſepeliuit.

5 Nec à Ioſeph Patriarchâ Ioſeph diſſenſit Arimathæus, qui mortuo Chriſto exequias celebrauit, eiuſque cadauer vnguentis copioſè perfuſum in proprio monumento ſepeliuit. *Ioſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum inuoluit ſindone, & poſuit eum in monumento, quod erat exciſum de petrâ.* Marc. 15. 46. Quo, niſi charitatis feruore vrgente, adeò pium miniſterium Ioſeph mortuo præſtitit magiſtro? Adhuc rudis, ac timidus occultus erat propter metum Iudæorum; at charitatis feruorem adeptus, metum omnem abiecit, & quem palam verebatur ſequi viuum, cunctis cernentibus non eſt veritus humare defunctum. Appoſitè Græcus in catenâ D. Thomæ in cap. 23. Lucæ. *Fuerat quandoque Ioſeph occultus Chriſti diſcipulus; denique vinculum timoris rumpens,* FERVENTIOR FACTVS, *dominicum corpus turpiter pendens à ligno depoſuit.* Quia charitate feruebat, Dominum defunctum ſepulturæ tradidit; nam feruor non poteſt ſubſiſtere charitatis, niſi mortuis obſequia exhibeat pietatis.

Græcus.

Ioſeph, & Nicodemus magnam oſtenderunt dilectionem Chriſti honorificè ſepelientes.

6 In his pietatis obſequijs, quæ Chriſto exhibita ſunt defuncto, ſocium habuit Ioſeph Nicodemum, qui centum ferè libras tulit aromatum ad idem condiendum cadauer. *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum.* Ioannis 19. 39. Cur tot vnguentis cadauer mox reſurrecturum iſti pij viri oblinire voluerunt? Cur non neceſſariam aromatum mixturam corpori, quod putreſcere non poterat, exhibuerunt? Cur demum tot expenſis linteorum, & liquorum copiâ pro magiſtri ſepulturâ comparauerũt? An quia abundantia charitatis abundantiam in eis inferebat ergà mortuos pietatis? Profectò huc alluſit D. Ioannes Chryſoſtomus in catenâ in c. 19. Ioan. his verbis *Adhuc vt de nudo homine diſponebant, ſed tamen* MVLTAM DILECTIONEM *demonſtrabant.* Multam demonſtrat dilectionem, qui multam mortuis exhibet pietatem: ſemper enim feruorem charitatis huius abundantia conſequitur pietatis.

D. Io. Chryſ.

Pietate in Chriſtũ mortuũ charitatis feruorẽ mulieres oſtenderũt.

7 Quare rationem facilè afferemus, cur tranſacto Sabbato, valdè manè mulieres ad ſepulchrũ perrexerint, aromata ferentes, quibus mortuũ inungerent magiſtrum. *Et cùm tranſiſſet Sabbatũ, Maria Magdalena, & Maria Iacobi, et Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum, & valdè manè vnâ Sabbatorum veniunt ad monumentũ, orto iã ſole.* Marc. 16. 1. Magnus enim feruor charitatis earum corda ſolicitabat, vt citò pietatem exhiberent defuncto. Preclarè in catenâ in c. 16. Marci rem vrget Venerabilis Beda. *Quod valdè*

Beda.

manè

manè mulieres venerunt ad monumentum; iuxtà hiſtoriam MAGNVS FERVOR CHARITATIS OSTENDITVR. Pietate in mortuos feruor oſtenditur charitatis, vndè tunc ſuæ charitatis feruorem mulieres iſtæ oſtenderunt, quando ad exhibendam Chriſto defuncto pietatem valdè manè perrexerunt,

Mulieres maiores in charitate, maiores fuerunt in pietate Chriſto defuncto exhibitâ.

8 A` quibus mulieribus diſcedendum non puto, quin prius illud expendam, quòd tres fuerunt præcipuæ, quæ Chriſtum ad Crucem pergentem ſequebantur. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæâ, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi* Matth. 27. 55. Obſeruat autem Origenes in catenâ in cap. 27. Mat. non tres, ſed tantùm duas ex eis ſediſſe contrà ſepulchrum. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria ſedentes contrà ſepulchrum.* Matth. 27. 61. Ex quo colligit, Mariam matrem filiorum Zebedæi, quæ Chriſtum ſecuta fuerat viuũ, iuxtà illum non remanſiſſe defunctum. Cur verò iſtud, niſi quia tantâ, vt aliæ duæ mulieres, charitate non feruebat? *Maria*, verba ſunt Origenis, *filiorum Zebedæi non ſcribitur ſedere contrà ſepulchrum. Forſitan enim vſque ad crucem peruenire potuit. Iſtæ autem, quaſi* MAIORES IN CHARITATE, *neque his, quæ poſteà geſta ſunt, defuerunt.* Maiores in charitate, maiores fuerunt in pietate, ita vt non tantùm Chriſtum ſecutæ fuerint viuum, ſed etiam ſeruauerint defunctum.

Origenes.

Apoſtoli præ cæteris ad Chriſti monumentum cucurrerũt, qui præ cæteris amauerunt.

9 Inter omnes autem Magdalena feruentior, cùm lapidem à monumento Chriſti ſublatum vidiſſet, id Apoſtolis nuntiauit, quibus ſublatum credens corpus, quod redierat ad vitam, dixit. *Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus, vbi poſuerunt eum.* Ioan. 20. 2. Quod ſimul atque Petrus, & Ioannes audierunt, ad ſepulchrum, cæteris dimiſſis, cucurrerunt. *Exijt ergò Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul.* Illud verò hìc diſcutiendum occurrit, cur ex omnibus Apoſtolis Petrus tantùm, & Ioannes cucurrerint ad monumentum? Nunquid omnes Magdalenam loquẽtem non audierunt? Nunquid omnes diuinum cadauer ſublatum non putauerunt? Cur igitur, non omnes, ſed tantùm duo cucurrerunt? Quia iſti præ cæteris charitate feruentes, magis Chriſtum dilexerunt. Doctè, ac opportunè D. Gregorius homil. 22. in Euangelia, *Illi præ cæteris cucurrerunt, qui* PRÆ CÆTERIS AMAVERVNT, *videlicet Petrus, & Ioannes* Ad ſepulchra mortuis ſuffragaturi currunt, qui charitate feruentes, præ cæteris amant, quare illi tantùm ex Chriſti diſcipulis ad eius monumentum cucurrerunt, qui maioris dilectionis, & præcipuæ charitatis prærogatiuâ emicabant.

D. Gregorius.

Renuens nomen fratris defuncti ſuſcitare puniebatur tanquam deuians à charitate.

10 Præcepit Deus Hebræis, vt fratre ſine liberis defuncto, qui erat ſuperſtes, illius vxorem ſumeret, ac nomen prolis procreatione ſuſcitaret. Quod ſi renueret, iuſſit eum conſpui, & ignominiæ causâ coram ſenioribus diſcalceari. *Accedet ad eum mulier coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius, ſpuetque in faciem illius.* Deut. 25. 9. At cur tot ignominiæ notas voluit Deus tranſgreſſori huius legis inuri? Nonnè ſufficiebat, aut immunditiæ, aut exilij, aut aliam huiuſcemodi pœnam in eum ſtatuere? Vt quid erat miſer iſte coram iudicibus, ac vniuerſo populo vituperandus? Quia dum fratri defuncto nomen ſuſcitare abnuebat, à fraternâ charitate deuiabat. Rectè namque infertur, eum non habere charitatem, qui defunctis renuit exhibere pietatem. Adſtipulatur hunc locum explanans Lyranus. *Frater defuncti magis tenebatur eſſe ſolicitus de conſeruatione nominis fratris ſui defuncti, quàm extraneus, & ideò quando nolebat hoc facere, puniebatur pœnâ confuſibili,* TANQVAM DEVIANS A` FRATERNA CHARITATE. Cum Charitate pietas eſt annexa erga defunctos, & ideò puniebatur, *tanquam deuians à fraternâ charitate*, qui fratris nomen ſuſcitare negligens, debita mortuum defraudabat pietate.

Lyranus.

11 Dauidis Regis manſuetudinem non poſſum, quin admirer, cùm eum intueor in Saul morte, ac in Abſalonis cæde ferè inconſolabiliter plorantem. De fletu enim in morte Saul dicitur 2. Reg. 1. 17. *Planxit autem Dauid planctum huiuſcemodi ſuper Saul.* Et de luctu in cæde Abſalonis ſcribitur 3. Reg. 18. 33. *Contriſtatus itaque rex, aſcendit cœnaculum portæ, & fleuit, & ſic loquebatur vadens. Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi.* Nonnè Saul, & Abſalom hoſtes fuerant Dauid, qui eum, & regno ſpoliare frequenter tentauerant, & vitâ? Nonnè vt eorum perſecutionibus ſe ſubtraheret, fugam ſæpè arripere, & regiam vrbem deſerere fuerat compulſus? Vt quid ergò eorum, & mortem dolet, & exéquias celebrat, & funera lachrymarum effuſione honorat? Charitate Dauid affluebat, & ideò Defunctis etiam hoſtibus pietatis lachrymas impendebat. Habeo huius mentis aſſertorem Dionyſium Carthuſianum in 3. Reg. 18. *Quid mirum, quòd filium, quamuis aduerſarium, fleuerit, qui & Saulem hoſtem lethalem tam deplorauit;* *ſiquidem* CHARITATIS VISCERIBVS AFFLVEBAT. Adeò mortuos diligunt, qui charitatis viſceribus affluunt, vt hoſtibus quoque pietatem non renuant impendere defunctis.

Hoſtes mortuos Dauid plorauit quia charitatis viſceribus affluit.

Dion. Carth.

12 Charitatis dilectionem, durám ſicut infernum, in ſacro Epithalamio ſponſus cœleſtis appellat. *Fortis eſt, vt mors dilectio: dura ſicut infernus æmulatio.* Cant. 8. 6. Verùm quid charitati cũ inferno vt inferno eius dilectio, & æmulatio cõparetur? Nonnè charitas fœlicitatis vinculis nectit beatos, & Infernus tormentorum funibus conſtringit damnatos? Nonnè charitas ſolatur Deum diligentes, & infernus torquet eum blaſphemantes? Nonnè charitas eſt virtus electorum, & infernus eſt ædes reproborum? Quo igitur pacto, inter ſe conuenire poſſunt, ita vt charitas inferno aſſimiletur? Inferni appellatione hic non carcer damnatorum, ſed veritæ-

Inferno charitas comparatur, quia facit, vt animas mortuorum ab inferis eripiantur.

des purgandorum. Purgatorium namque Infernum ſæpè appellari teſtatur Eccleſia, dum in ſacrificio Miſſę Deum exorans, vt animas à Purgatorij pœnis eripiat. *Libera*, inquit, *animas omnium fidelium defunctorum de pœnis* INFERNI. Non igitur inferno damnatorum, ſed purgatorio charitas comparatur electorum. Ita enim charitate animus firmatur, & obduratur, vt vel ad Purgatorium precibus, & ſuffragijs deſcendat, vt indè purgandorum animas miſericorditer, & citò eripiat. Do Philonem Carpathium in Bibliothecâ veterum Patrum hunc locum ita eſplicantē. *Rectè addidit; dura, ſicut infernus æmulatio: ita enim obfirmatur animus* CHARITATE *Dei, & proximi, vt vel ad inferos preces penetrare faciat* AD SVBLEVANDAS ANIMAS PVRGANDORVM. Charitas eſt adeò firmare corda, quæ poſſidet, vt nedum in Mundo miſereantur viuorum, ſed etiam in Purgatorio animas conentur ſubleuare mortuorum.

Philo Carpathius.

Vt ſuâ Chriſtus Charitatem oſtenderet, ad inferos deſcendit.

13 Hoc Charitatis ardore Chriſtus accenſus, poſtquam doctrinæ ſuæ radijs terram illuſtrauit vniuerſam, morte ſuâ mortē ſuperans, & de Diabolo paſſione triumphans, vt nedùm viuorum, ſed etiam misereretur mortuorum, vt eorum animas à pœnis, quas patiebantur, eriperet, ad inferna mortuus deſcendit. Cuius charitatis ardorem admiratus idem Philo Carpathius. *Ita*, inquit, *nos* ADAMAVIT *ſponſus, vt eò deſcenderit ad eruendas eorum animas, qui antè ipſius aduentum illùc deſcenderant.* Charitas vera, & viuis ſuffragatur, & mortuis, quare vt Chriſtus ſuam, quâ nos adamabat, charitatem oſtenderet, nedùm in terrâ commorari voluit, vt adiuuaret viuos, ſed etiā ad inferos deſcendere, vt liberaret defunctos.

Idem.

In lege gratia frequentiora ſunt ſuffragia pro mortuis, quia aduenit plenitudo charitatis.

14 Res eſt obſeruatione digna, quòd in antiqua lege tantam legamus exhibitam mortuis in ijs, quæ ad cadauer ſpectabant, pietatem, modicam verò in ijs quæ ad eorum animas è pœnis eripiendas pertinebant. Corpus pretioſis aromatum ſtructuris condiebatur, diuturnis lachrymarum effuſionibus lugebatur, ſolemnibus exequiarum apparatibus humabatur, & ſuperbis titulorum inſcriptionibus honeſtabatur. At animam paucos legimus eleemoſynarum largitione, ſacrificiorum oblatione, precum effuſione, alijſque pietatis ſuffragijs à Purgatorij pœnis eripere conatos. Cur qui corpora tantopere curabant, animas ferè negligebant mortuorum? Cur qui vnguentis cadauer liniebant, ſuffragijs ſpiritum non adiuuabant? Quia nondùm plenitudo aduenerat charitatis, quæ illos ad ſuffragandum impelleret animabus mortuorum. In lege tantùm gratiæ plenitudo cœpit regnare charitatis, ideòque in Miſſarum ſacrificijs, in Horarum precibus, & in reliquis pietatis operibus Animarum in hac lege fit commemoratio mortuorum. Plenitudo quippè charitatis plenitudinem arguit pietatis, ita vt eò ſimus in mortuos clementiores, quò ſumus charitate feruentiores. Hæc debemus Bartholomæo Sibyllæ in ſpeculo quæſtionum cap. 3.

Bart. Sibylla.

Ipſi veteris legis non ita intensè rogabant pro mortuis, ſicut nos. Ratio eſt, quia nondùm venerat lex PLENITVDINIS CHARITATIS, *qualis eſt lex Chriſti, ita neceſſe eſt, quòd ſe extendat ad mortuos in* PVRGATORIO *detentos.* Non ſubſiſtit plenitudo charitatis, ſi tantùm coërceatur ad viuos, ſed eſt neceſſe, quòd inſuper extendatur ad mortuos.

15 Hoc etiam mihi probat lex, quæ ſacerdotibus prohibens curationem funerum, eis tamen permiſit funeribus intereſſe propinquorum. *Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis, ac propinquis.* Leuit. 21. 2. Ideò enim hanc pietatem in conſanguineos mortuos permiſit, quia naturali charitate ad eam exhibendam ſacerdotes tenebantur. Aptè Abulenſis ad hunc locum. *Ratio, quare permittatur ſacerdotibus minoribus, vt contaminarentur in his perſonis, & non in alijs, eſt propter* CHARITATEM *naturalem, quæ magis eſt ad has perſonas, quàm ad alias.* Noluit Deus ſacerdotibus exequias prohibere propinquorum, quia naturali charitate ad hanc pietatem exhibendam eos teneri cernebat.

Naturali Charitate pietatem exhibere tenemur conſanguineis defunctis.

Abulenſis.

16 Cùm nobis præceptum iniungitur Charitatis, dicitur. *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Mat. 22. 39. Mortui verò, quorum animæ Purgatorij cruciatibus torquentur, nonne proximorum noſtrorum nomine appellantur? Dū igitur proximos noſtros tenemur diligere, non tantùm ad viuos debet noſtra charitas extendi, ſed etiam ad Purgatorij defunctos. Subſignat Iodocus Clichtoueus ſer. 3. de ſuffragijs viuentium pro defunctis. *Obligantur viuentes ad orandum pro defunctis ex* LEGE CHARITATIS, *quâ quis tenetur diligere proximum ſuum, ſicut ſeipſum, vt ſcribitur in Matthæo. Ipſa autem* CHARITAS, *quæ eſt ſignaculum, & vita animæ omnia membra corporis myſtici ſpirituali vinculo amoris colligat, & connectit in vnum corpus, ſiue illa adhuc ſint viuentia ſuper terram, ſiue iam in regno cœlorum regnantia, ſiue adhuc in* PVRGATORIO *conſtituta, quia & animæ illic detentæ ſunt in gratiâ, & charitate Dei, & pertinent ad corpus Chriſti.* Omnes proximos charitatis virtus amplectitur, & iccircò illius lege non tantùm viuos, cum quibus viuimus in hoc mundo, ſed etiam mortuos diligere, atque adiuuare tenemur, qui cruciantur in Purgatorio.

Lege charitatis tenemur diligere defunctos.

Iodocus Clichtoueus.

17 Ex his colligere poſſumus, quàm rectè D. Ambroſius lib. de Viduis dixerit, Viduarum lachrymis maritis ſolui ſtipendia charitatis. *Conſolationem in lachrymis* (vidua) *habet, in quibus ſunt* CHARITATIS STIPENDIA, *officia pietatis.* Cùm enim charitatis lege pietatis officia debeantur defunctis iurè ſtipendia charitatis appellantur, pietatis officia, quę à ſuperſtitibus viduis mortuis maritis exhibentur.

Lachrymæ pro mortuis ſunt ſtipendia charitatis.

D. Ambroſius.

18 Nec minùs lachrymæ, quas mariti pro vxoribus fundunt, ab eadem virtute procedunt charitatis. Scribens ad Pammachium D. Paulinus, eum laudat, quòd mortuæ vxori iuſta perſoluerit,

Lachrymæ in funeribus vxorum à maritis fuſæ, à charitate procedunt.

ſoluerit, & eccleſiaſticarum precum auxilijs illi ſuffragatus fuerit. Subdit autem eum adeò religioſa exequiarum officia defunctæ coniugi charitatis rore impendiſſe perfuſum. Rore nempè charitatis perfunditur, qui maritus coniugẽ mortuam pietate proſequitur. *Largo* (Pammachiũ alloquitur Paulinus) Charitatis Rore Perfusus, *religioſus exequias honoraſti*. Ex quias cõiugis charitate perfuſus honorauit, charitas enim tunc viget viuorum, cùm ſuis ſuffragijs animabus ſuffragantur mortuorum.

D. Paulinus.

19 Nec non Apuleius lib. 8. metamorph. nomina, quibus Thraſyllus pietatem in mortuum Lepolemum ſimulabat, charitatis nomina vocauit. Nouerat namque charitatis munus eſſe amicis pietatem exhibere defunctis. *Sed Thraſyllus nimium clamare, plangere, & quas in primo mærore lachrymas non habebat, iam ſcilicet creſcente gaudio reddere, & multis* Charitatis Nominibus *veritatem ipſam fallere*. Adeò Charitatis eſt pietatem impendere mortuis, vt quicumque hanc ſimulant pietatem, habere videantur cum eâ etiam charitatem.

Qui ſimulat ergà mortuos pietatem, habere videtur charitatem.

Apuleius.

20 Hinc etiam patet, quàm rectè dixerit Suetonius in Tiberio cap. 52. hunc Imperatorem filium naturalem Druſum, cui mortuo debitam pietatem non impendetat, patriâ non dilexiſſe charitate. Qui enim verâ diligit charitate, debitis pietatis obſequijs mortuos non defraudat, ac proindè qui hanc eis non exhibet pietatem, conuincitur in ſe non habere charitatem. Sed iam profero verba Suetonij. *Filiorum neque naturalem Druſum, neque adoptiuum Germanicum* Patria Charitate Dilexit. *Alterius vitijs infenſus, nam Druſus animi fluxioris, remiſſiorisque vitæ erat, itaque* Ne Mortuo Quidem Perinde Affectus Est, *ſed tantùm non ſtatim à funere ad negotiorum conſuetudinem rediit, iuſtitio longiore inhibito.* Charitatem non habet, qui ergà mortuos non afficitur, ac propterà Tiberius patriâ charitate Druſum nõ dilexit, quem mortuum opportunâ pietate non plorauit.

Qui nõ exercet ergà mortuos pietatẽ, cõuincitur nõ habere charitatem.

Suetonius.

21 Et ſanè Charitatis perfectioni debentur, quæcumque pietatis obſequia mortuis impendũtur. Nam vndè, niſi ex vinculo charitatis oritur, vt per noſtra ſuffragia mortuorum animæ adiuuentur? Vtique Charitas eſt, quæ membra myſtici corporis connectens, id agit, vt fideles viui ſuffragiorũ auxilijs fideles conſoueant mortuos, qui cùm in gratiâ deceſſerint, viua ſunt eiuſdem corporis membra. Rectè Henricus de Vrimariâ ſerm. 1. de defunctis. Charitatis *connexio eſt vinculum perfectionis, quo multa membra vnius corporis myſtici ſibi mutuò connectuntur, & per ſubuentionis* Charitativae *auxilium confouentur. Ex hac enim connexione contingit, quòd per ſuffragia viuorum iuuatur neceſſitas defunctorũ.* Charitas, quâ cum Animabus Purgatorij connectimur, reddit eis noſtram debitam pietatem, noſque impellit, vt ijs ſuffragemur, quibus tanto vinculo vnimur. Mortuos ergò diligat, qui charitatem diligit: charitatis enim dilectionem pietas conſequitur in defunctos.

Charitas nos impellit, vt animab⁹ Purgatorij ſuffragia impendamus.

Henricus de Vrimariâ.

CAPVT X.

Cum Fide Chriſtianâ ſuffragia cohærent mortuorum.

1 NOn poteſt non diligere pietatem fides, quæ Chriſto innititur pietatis authori: quare ob Chriſtianam etiam quam profitemor, fidem, mortuis pietatem exhibere debemus. Diligentiam, quâ Ioſeph Arimathæus Chriſti cadauer pretioſis aromatum ſtructuris oblinitum proprio, lapideo, ac nouo monumento mandauit, pluries expendimus. Nunc illud inſuper in hac religioſâ pij viri ſolertiâ animaduertendum occurrit, quòd tunc ſe Chriſti manifeſtauit diſcipulum, cùm corpori pietatem exhibuit defuncto. Adeò quippè cum fide Chriſtianâ pietas cohæret in mortuos, vt tunc diſcipulatum Chriſti Chriſtianus oſtendat, cùm ſuam in defunctos pietatem manifeſtat. Subijcio verba Hugonis Cardinalis in Luc. 23. *Erat diſcipulus Chriſti, ſed occultus, ſed circà funeris extrema* Manifestavit Discipvlatvm. Tunc ſuam Chriſtianus fidem manifeſtat, cùm ſuam defunctis pietatem impendit, ac propterea tunc ſe Chriſtianum, Chriſtique diſcipulum Ioſeph manifeſtauit, cùm de funere defuncti ſolicitus, extremis eum pietatis officijs honeſtauit.

Tunc ſuam fidẽ Chriſtianus manifeſtat, cùm ſuã in mortuos pietatẽ oſtendit.

Hugo Card.

2 Eadem quoque ratione Maria Magdalena ergà defunctum magiſtrum pia, & eum, quem ſublatum putabat, ſolicitè quærebat, & feruentibus oculorum lachrymis ad illius monumentũ plorabat, & dominum ſuum religioſo cordis affectu eum vocabat. *Tulerunt Dominum meum, & neſcio, vbi poſuerunt eum.* Ioan. 20. 13. Vndè tanta huic mulieri pietas in mortuum, vt cunctis recedentibus, ab eius monumento ipſa non recederet, aſſiduo luctu illius exequias honoraret, & frigidum cadauer dominum ſuum appellaret? A' fide Chriſtianâ, quam, Chriſto quoque patiente, ac moriente, in corde ſeruauit. Audiamus D. Cyrillum Alexandrinum lib. 12. in Ioan. cap. 44. id approbantem. *Nec propter crucem, & paſſionem Domini* Fidem Amisit, *ſed etiã mortuum, vt ſolebat, Dominum appellat. Tales in ea pietas egit radices.* Fides in Chriſtum piam reddidit Magdalenam in mortuum; tunc enim hæc pietas in corde firmiter radicatur, cùm fides Chriſtiana in mente immobiliter ſeruatur.

Fides in Chriſtum piam reddidit Magdalenam in defunctum.

D. Cyr. Alex.

3 Et quidem iurè Chriſtianam fidem hęc pietas comiratur, quæ homines in Eccleſiâ commorantes membra conſtituit Chriſti. Scribens ad Epheſios Apoſtolus Paulus, eos hortatur, vt charitatem, & pacem vnanimiter ſeruantes, mutuo ſe amore in Domino proſequantur. Hoc enim Chriſtiani debent, qui propter fidem, quam profitentur, membra fiunt corporis Chriſti. *Quia membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de*

Chriſtiani mẽbrorũ Chriſti munere funguntur, cũ pietatẽ exercent in mortuos.

oſſi-

oſſibus eius. Ad Epheſ. 5. 30. Verùm quo pacto membrorum Chriſti munera fideles exercent? Sanctis, ac pijs operationibus, inter quas locum quoque ſuum obtinet pietas exhibita defunctis.

Haymo Halberſtatenſis.

Placet Haymo Halberſtatenſis locum iſtum his verbis illuſtrans. *Alius eſt enim in Eccleſiâ oculus, ſicut quilibet prædicator, alius auris, vt bonus auditor, alius manus, qui eſt eleemoſynator, alius pes, qui curam infirmorum, &* MORTVORVM *agit*. Fideles, qui membra ſunt corporis Chriſti membrorum munere funguntur, non tantùm cùm pietatem in viuos, ſed etiam cùm miſericordiam exercent in mortuos.

Chriſtianiſſimi ſunt, qui mortuis pietatem impendunt.

4 Quid? quòd fideles mortuis pietatẽ exhibentes, nedùm mẽbra Chriſti, & Chriſtiani, ſed Chriſtianiſſimi audire merentur? Præceptũ charitatis tradens Chriſtus diſcipulis ſuis, mutuâ dilectione illos à cæteris diſtinguendos, & Chriſtianos eſſe cognoſcendos prædixit. *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*. Ioan. 13. 35. Charitas nimirùm eſt vexillum, ſub quo bella Domini Chriſti milites præliantur, & inſigne, quo ab infidelibus Chriſtianâ fide imbuti dignoſcuntur. At ſi Chriſtiani agnoſcimur charitatem exercentes in viuos, quales agnoſcemur eam habentes etiam in mortuos? Si Charitas viuis, à quibus præmium ſperare poſſumus, exhibita, reddit Chriſtianos, quo titulo nos inſigniet, ſi mortuis à quibus nihil ſperamus, impendatur? Vtiquè ſi Chriſtianos charitas, quæ impenditur viuis, Chriſtianiſſimos charitas nos reddet, quæ exhibetur defunctis.

Ioan. Echius.

Præiuit Ioannes Echius in præfatione ad libros de Purgatorio. *Si dum mortalibus, quibuſcum viuimus, miſericordiam impertimur, Chriſtiani commendamur, quantò magis ſi miſeris animabus in ergaſtulo* PVRGATORII *conſtitutis miſeremur*, CHRISTIANISSIMI APPELLABIMVR Adeò Chriſtianorum eſt mortuorum animabus in Purgatorij ergaſtulo captiuis, precibus, & ſuffragijs impetrare liberationem, vt Chriſtianiſſimi appellari mereantur, qui huic pietati ſedulò incumbunt.

Chriſtiani homines, à quibus fuerunt decepti, ſepelierunt.

5 Ananiam, & Saphiram coniuges repentinâ morte à Petro, cui mentiti fuerant, correptos iuuenes quidam amouerunt, & extremo funeris officio ſoluto, ſepulchro tradiderunt. *Surgentes autem iuuenes, amouerunt eum, & efferentes ſepelierunt*. Dicitur de Ananiâ. Act. 5. 6. De Saphirâ verò infrà verſ. 10. *Intrantes autem iuuenes, inuenerunt illam mortuam, & extulerunt, & ſepelierunt ad virum ſuum*. Sed qui fuerunt hi iuuenes, qui defunctos iſtos piè, ac religioſè terræ mandarunt. Nùm Iudæi, qui à ſuis legibus deficientes viuos oderunt, ac mortuos irriſerunt? Nùm Chriſtiani, qui ſe in pretio ex agro diuenditio collato deceptos agnouerunt? Non Iudæi, ſed Chriſtiani ſuum eſſe mortuis pietatem impendere ſentientes, etiam eorum, à quibus fuerant decepti, cadauera humare voluerunt defunctorum. Hæc inſerit exponens hunc locum Dionyſius Carthuſianus.

Dion. Cart.

Surgentes autem iuuenes, QVI ERANT CHRISTIANI, *amouerunt eum, ideſt cadauer defuncti*. Chriſtianorum eſt pietatis obſequijs proſequi defunctos, ideoquè homines etiam, qui eos grauiter deceperant, non renuerunt ſepelire Chriſtiani.

Chriſtiani mortui intrà vrbes ſepeliuntur vt frequentibus ſuffragijs adiuuentur.

6 Facit etiam ad rem præſentem conſuetudo, quæ nunc obtinet, ſepeliendi intrà mænia ciuitatum, atque in templis, ac cœmeterijs cadauera defunctorum Cuius moris placet hìc ſciſcitari, quinam fuerint authores. Certa enim res eſt, ac teſtatiſſima, loca in quibus extruebantur ſepulchra, & condebantur cadauera, extra vrbes antiquitùs fuiſſe apud omnes fermè gentes, & nationes.

Mos ſepeliendi cadauera extra vrbes.

Cicero.

Hinc Cicero lib. 2. de legibus ait. *Hominem mortuum, inquit lex in XII. tabulis*, IN VRBE NE SEPELITO, NE VE VRITO.

Seruius Sulpicius.

Seruius quoque Sulpicius ſcribens ad Ciceronem lib. 4. Epiſt. 12. *Ab Athenienſibus*, inquit, *locum ſepulturæ* INTRA VRBEM VT DARENT, IMPETRARE NON POTVI, *quòd religione ſe impediri dicerent*.

Propertius.

Hùc etiam tendit Propertius, cùm lib. 4. Elegiâ ad Cynthiam, mortuæ mulieris vmbram, tempus, quo eius corpus efferebatur, recolentem inducit, ac talia fantem.

Si piguit PORTAS VLTRA PROCEDERE, *at illuc*
Iuſſiſſet lectum lentius ire meum.

Ex quibus defunctum corpus extrà portas ad ſepulturam conſtat elatum. Quare, & infrà inquit.

Hoc carmen mediâ dignum me ſcribe columnâ
Sed breue, quod CVRRENS VECTOR AB VRBE *legat*.

Vbi vides ad legenda carmina ſepulchris inſculpta, egredi oportuiſſe ab vrbe, cùm extrà vrbem viſerentur. Sed quid quæro profanos, cùm habeam ſacros hanc rem luculenter teſtantes authores? Nonnè Patriarcharum ſepulchrum in agro Ephron extrà ciuitatem Mambre habebatur? *Sepeliuit Abraham vxorem ſuam in ſpeluncâ duplici, quæ reſpicit Mambre*. Gen. 23. 19. Nonnè Ioſuè ſepultus eſt in finibus poſſeſſionis ſuæ. *Sepelieruntque eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim*. Ioſue 24. 30. Nonnè tandem, vt reliqua omittam, ſepulchrum quoque Chriſti Domini extrà Ieroſolymorum vrbem in horto Caluariæ loco propinquo adoratur? *Erat autẽ in loco, vbi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentũ nouum, in quo nondũ quiſquã poſitus erat. Ibi ergò propter paraſceuem Iudæorum, quia iuxtà erat monumentum, poſuerunt Ieſum*. Ioan. 19. 41. Vt quid ergò, dum extrà mænia vrbium anteà conſueuerant ſepulchra ædificari mortuorum, nunc intrà templorum, & cœmeteriorum ædificia paſſim viſuntur? Quis author fuit huius nouitatis? Quis habitacula defunctorum ædibus voluit cohærere viuorum? Id Chriſtiani egerunt, qui vt mortuis frequentiora ſuffragia exhiberent, eorumque in ſuis precibus, & ſacrificijs faciliùs recordarentur, in ſacris locis, quæ ſæpè frequentare ſolebant, illos humare ſtatuerunt. Sed hanc ritûs huius rationem au-

thoritate

Abulenſis.

thoritate firmemus Epiſcopi Abulenſis, qui Abraham, non intrà, ſed extrà ciuitatem Mambre ſepultum fuiſſe perpendens, hæc ad rem noſtram profert quæſt. primâ in cap. 50. Geneſis. *Nunquam fuit mos ſepeliri corpora mortuorum in ciuitatibus, niſi poſt Chriſtum, & A' SOLIS CHRISTICOLIS, & hoc fit, vt in coemeterijs condantur, quæ ſunt loca ſacra, & ſecundùm diſpoſitionem Eccleſiæ quædam pars pœnæ remittitur bonis fidelibus ibi ſepultis. Et vt à fidelibus, qui Eccleſias viſitant propter ſacramenta, & celebritates miſſarum, horarumque cæterarum monumenta conſpecta maiorum eos ad memoriam reducant, pro eiſque ad Deum preces fundant.* Vt pietatem, quam defunctis debent, Chriſtiani oſtenderent, eos intra vrbes, in ſacris locis, vbi à conuenientibus fidelibus frequentiora ſuffragia referrent, humare voluerunt.

Vt Chriſtiani ſuam fidem teſtentur, animas mortuorum à Purgatorio liberare tenentur.
D. Gregorius

7 Et ſanè, vt Chriſtiani ſe Chriſtum verum Deum eſſe cognoſcere teſtentur, mortuorum animas precibus, & ſuffragijs adiuuare tenentur. Chriſti ſtatim nati diuinitatem inſenſibilia omnia ſuo modo cognouiſſe homil. 10. in Euangelia D. Gregorius affirmat. *Omnia quippè elementa authorem ſuum veniſſe teſtata ſunt.* Quo autem pacto Infernus Chriſtum verum Deum eſſe cognouit? Audi. *Infernus cognouit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit.* Tunc Infernus Chriſtum verum Deum eſſe cognouit, cùm eius iuſſu mortuorum animas, à captiuitate liberas abire permiſit. Cùm ergò nos Chriſtiani Chriſtum verum Deum eſſe cognoſcamus, eumque vt talem ſacrificijs, ac precibus veneremur, vt hanc fidem profiteamur, mortuorum animas in Purgatorij pœnis captiuas eccleſiaſticis ſuffragijs eripere debemus.

Officium pietatis mortuis impenſum eſt Chriſtianæ fidei teſtimonium.

8 Infideles videmus carnis reſurrectionem negantes, in cadauera tamen mortuorum adeò pios, vt eis lachrymas impendere, funus celebrare, monumenta extruere, & memorias ædificare non deſiſtant. Quòd ſi hæc ergà mortuos agunt verum Dum abnegantes, fidei expertes, & reſurrectionem impiè negantes, quid nobis eſſet agendum, qui verum Deum adoramus, catholicam fidem profitemur, & omnes mortuos cum ſuis corporibus reſurrecturos eſſe affirmamus? Vtique tanta deberet eſſe in eos noſtra pietas, vt miſericordiæ officium benignè illis impenſum, veræ fidei, quam profitemur, euidens euaderet teſtimonium. Non omittam verba mea verbis confirmare Sancti Patris Auguſtini lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. vltimo. *Oportet, vt quam poteſt, pro carne proximi curam gerat, cùm ille indè receſſerit, qui regebat. Et ſi hæc faciunt, qui carnis reſurrectionem non credunt, quantò magis debent facere, qui credunt, vt corpori mortuo, ſed tamen reſurrecturo, & in æternitate manſuro* INFENSVM HVIVSMODI OFFICIVM SIT ETIAM QVODAMMODO EIVSDEM FIDEI TESTIMONIVM. Mortuos adiuuant, qui Chriſtum adorant, & Chriſtianam omnibus teſtantur fidem, quicumque copioſam eis exhibent pietatem.

D. Auguſt.

9 Quam etiam ob cauſam monumenta conſtruuntur lapideis exornata ſimulacris, ſuperbis inſculpta inſcriptionibus, alijſque decorata ornamentis. Quid enim hæc teſtantur, niſi Chriſtianorum egregiam in defunctos pietatē? Quippè corporum vniuerſalem reſurrectionem fide credentes, nedum animam ſuffragijs, & precibus adiuuare, ſed etiam cadauer nouiſſimo die reſurrecturum titulis, & monumentis honorare diſponunt. Audiamus Aureliū Prudentium hymno x. ad exequias defunctorum in Biblioth. vet. Pat. hæc pietatis obſequia fidei chriſtianæ pulchris carminibus adſcribentem.

Pulchra monumenta mortuorum pietas debentur Chriſtianorum.
Aurelius Prudentius.

Quidnam ſibi ſaxa cauata?
Quid pulchra volunt monumenta?
Niſi quòd res creditur illis
Non mortua, ſed data ſomno.
Hoc pronida CHRISTICOLARVM
PIETAS STVDET, *vt pote credens*
Fore protinus omnia viua,
Quæ nunc gelidus ſopor vrget.

Fidem, quâ carnis reſurrectionem credunt, pietate in defunctos Chriſtiani teſtantur; nec enim à pietate Chriſtianorum pietas vnquam debet abiungi mortuorum.

In Chriſtianæ fidei ſuſpicionem veniunt, qui mortuorum ſuffragia negligunt.

10 Quod adeò verum eſt, vt in Chriſtianæ fidei ſuſpicionem veniant, qui ſuffragia negligunt Defunctorum. Videtur enim alteram vitam negare, vel certè quæ de alterius vitę pœnis credenda proponuntur non credere, qui mortuorum animas in tot pœnis conſtitutas pro viribus, cùm poſſit, adiuuare non conatur. Audio Ioannem Bromyardum in ſummâ Prædicantium E 8. claris verbis hoc afferentem. *Quòd eis grati non ſumus, quòd eos in miſeriâ ſuâ non iuuamus, quæ poteſt eſſe verior cauſa, quàm quòd ea* NON CREDIMVS, *quæ de mortuis, vel pęnis alterius ſæculi dicuntur?* Ferè non credit, qui mortuos negligit, quia, vel prorſus deficit, vel valdè infirmatur fides, quæ à pietate ſeiungitur in defunctos.

Ioannes Bromyardus.

Abeſſe debet à Chriſtianis auaritia, & crudelitas in mortuos.

11 Caput iſtud abſoluat reſponſio, quâ Ephron Hethæus Abrahæ reſpondit ſuum agrum pro ſepulturâ defunctæ coniugis emere volenti. Nec enim vendere, ſed potiùs donare ſe velle agrum ad cadauer ſepeliendum, reſpondit. *Nequaquam ita fiet Domine mi, ſed tu magis auſculta, quod loquor. Agrum trado tibi, & ſpeluncam, quæ in eo eſt præſentibus filijs populi mei, ſepeli mortuum tuum* Gen. 23. 11. Quis hìc pagani pietatem in mortuos non admiratur, qui vt cadaueri ſepulturæ locum præberet, proprio ſe agro priuare volebat? Quis totis genis non erubeſcit Chriſtianus, Ethnicum liberalem, & pium, ſe autem auarum conſpiciens in mortuos, & crudelem? *Ad exemplum*, inquit ad notatum locum Fernandius, *dictūq; iſtius pagani pudeat* CHRISTIANVM HOMINEM, *aut cum amicis lucrari velle, ant ergà defunctos auarum ſe, crudelemque exhibere.* Abſit à fidelibus Chriſtianis auaritia, & crudelitas in defunctos, ſciantque fidem Chriſtianā Ethnicorum religione longè excellentiorem, longè quoque

Fernandius.

maiorem

maiorem à ſe in defunctos exigere pietatem.

Chriſtianos luctus decet in exequijs defunctorum.

12 Sed quia hìc ſum, luctum omninò pręterire non debeo, quo Abrahã coniugẽ ſuam, antequã in empto agro Ephron eam ſepeliret plorauit. *Venitque Abraham, vt plangeret, & fleret eam.* Gen. 50. 2. Cuius luctûs cauſam, certum eſt fuiſſe pietatem, quâ defunctæ vxoris mortem dolebat. Verùm ſi myſticam lachrymarum iſtarum ſignificationem ſcrutari velimus, quid Pater fidei noſtræ Abraham earum effuſione indicauit, niſi fidei Chriſtianæ pietatem, & luctum in funeribus congruere murtuorum? Hæc fuit mens Oleaſtri, dum ad locum iſtum hæc verba ſcribebat. *Venit Abraham ad plangendum Saram, & ad lugendum eam, vt ſcntias non impium eſſe*, NEQVE ALIENVM A' FIDE *plangere, & lugere* INTER CHRISTIANOS *caros ſuos*. Dum audis ſanctum Abrabam piâ lachrymarum effuſione defunctam ploraſſe vxorem, diſce Chriſtianos luctum decere in exequijs, & cum fide Chriſtianâ ſuffragia cohærere mortuorum.

Oleaſter.

CAPVT XI.

Infideles, & Barbari fidelitatem ſeruantes defunctis.

Infideles ad ſepeliendum defunctum agrum offerũt, & ſpeluncam

1 Pietatem, quam ſuis defunctis exhibent infideles, in hoc capite demonſtrandam ſuſcepi, ne infidelibus deteriores velint eſſe Chriſtiani, dum ſe ſe in ſuos mortuos minùs, quàm illi, miſericordes, & clementes oſtendunt. Vt vero Abrahami pietas, quæ præcedenti Capiti finem impoſuit, præſenti exordium tribuat, obſeruo eum repudiaſſe agrum ſibi ab Epbron pro ſepulturâ mortuæ vxoris gratis oblatum, nec voluiſſe, niſi pecuniâ numeratâ, illius poſſeſſionem adire. *Et locutus eſt ad Ephron circumſtante plebe eius, Quæſo, vt audias me: Dabo pecuniam pro agro, ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum in eo.* Gen. 23. 13. Cur Abraham tantam cernens in Ephron pietatem, munera quæ ille benignè offerebat recuſauit? Cùr terram emere voluit, quam poterat, nullo ſoluto pretio, ſibi donatam pacificè poſſidere? Nunquid non poterat in ſpeluncâ quoque dono acceptâ coniugis humare cadauer? Poterat; renuit tamen, quia cùm terra illa tunc temporis poſſideretur ab infidelibus, verebatur, ne ſi gratis eam acciperet, cum cadauere vxoris vellent ſuorum quoque infideles cadauera ſepelire mortuorum. Præclarè Abulenſis. *Noluit Abraham gratis accipere, quia poſteà vellent ibi* INFIDELES *ſuos mortuos ſepelire, quaſi ager eſſet eorum, & Abrabæ ex gratiâ conceſſum eſſet ſepelire ibi mortuos ſuos, quod Abraham valdè refugiebat, ne* INFIDELES *apud Saram ſepelirentur*. Vides infidelium in mortuos pietatem, qui pro defunctæ vxoris ſepulturâ, & agrum, & ſpeluncam Abrahæ ſine pretio poſſidendam obtulerunt?

Abulenſis.

Aliene cadaueri paterna ſepulchra cedunt.

2 Quin & in ſepulchris ſuis locum eius cadaueri præbere voluerunt. Quapropter illi dixerũt. *In electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum, nulluſque te prohibere poterit, quin in monumento eius ſepelias mortuum tuum* Gen. 23. 6. Quod item noluit Abraham, ne cum infidelibus, aut in infidelium ſepulchris vxorem ſepeliret fidelem. Vndè ad hæc ita loquitur Dionyſius Cartbuſianus. *Noluit Abrahã ſepelire coniugem ſuam* CVM INFIDELIBVS, *aut in eorum ſepulchris, ſed in primorum ſepulchro parentum*. Adeò pij ergà mortuos erant infideles Hethæi, vt mortuæ vxori Abrahæ, & proprios agros, & paterna ſepulcbra benignâ largitione concedere voluerint, vt honorificè humaretur.

Dion. Carth.

Infideles extrema perſoluunt officia defunctis.

3 Diſcipulo, quem Chriſtus ad ſe vocauerat, vt ſibi defunctum patrem ſepelire liceret, petenti, pręcepit vt curam illam alijs relinqueret, ſineretque mortuos ſepelire mortuos ſuos. *Ieſus autem ait illi: ſequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Matth. 8. 22. Quis vnquam vidit mortuos è monumentis ſurgentes, vt alios lauarent, vngerent, lugerent, terræque mandarent mortuos? Nunquid cadauera putrefacta, vt alia nondùm putrefacta ſepeliant, animantur? An vitâ functi, ac ſi viuerent, poſſunt morte obrutos baiulare, ac in ſuis collocare ſepulchris? Nequaquam; non enim hìc defunctos corpore, ſed propter fidei defectum ſpiritu mortuos defunctum diſcipuli genitorem ſepulturæ tradituros Chriſtus prædixit: vt nimirum nobis oſtenderet, infideles quoque in erroribus mortuos, & in peccatis ſepultos pietatis obſequia impendere defunctis. Aptè D. Auguſtinus in catenâ. *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos, quaſi dicat. Pater tuus mortuus eſt; ſunt autem alij mortui, qui ſepeliant mortuos ſuos, quia* INFIDELES SVNT. Infideles quoque ſe pios exhibent defunctis, ita vt, & eos honorificè ſepeliant, & illis extrema lugentes officia perſoluant.

Stephanus mortuus ab infidelibus ploratus.

4 Stephanum ab impijs Iudæorum manibus lapidibus propter Chriſti fidem obrutum, curatum fuiſſe poſt mortem, & ſolemni exequiarum pompâ ſepultũ, ſacri nobis codices tradiderunt. *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum*. Act. 8. 2. Sed qui fuerunt hi viri timorati, qui tantâ pietate, totque lachrymarum laudabili effuſione ſanctum Protomartyris cadauer humauerunt? Nonnè factâ contra Ieroſolymorum Eccleſiam iniquâ Iudæorum perſecutione, omnes Chriſti diſcipuli, præter Apoſtolos, per Iudææ, atque Samariæ regiones fuerant cum metu diſperſi? *Facta eſt autem in illâ die perſecutio magna in Eccleſiâ, quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apoſtolos.* Quis ergò iſtud pietatis opus exhibuit, dum illud Apoſtoli alijs rebus occupati exhibere fortè non potuerunt? Diſcamus id ex Hugone purpurato ita reſpondente. *Ipſi Iudæi timentes Deum*, ETSI NONDVM CHRISTIANI. Iudæi nondùm Chriſtiani, atque in infidelitatis erroribus adhuc ſepulti,

Hugo Card.

Digitized by Google

ſulti, adeò mortuos diligebant, vt implacabili quoque ſuæ perfidiæ hoſti defuncto iuſta voluerint perſoluere, ac magno luctu conſueta pietatis officia exhibere.

Ioſeph, & Nicodemus ex Iudæorum infidelium more Chriſtum ſepelierunt.

5 Hinc facilè rationem poſſumus afferre, cur Ioſeph, & Nicodemus, occulti Chriſti, dum viueret, diſcipuli, abſque metu Iudæorum auſi fuerint eum honorificè tumulare defunctum. Tantæ nimirum pietatis cauſam Euangeliſta ipſe innuere videtur, dum ait. *Acceperunt ergò corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Ioan. 19.40. Mos enim, qui obtinuerat apud infideles Iudæos, pietatem exhibendi mortuis, non ſinebat eos ſuſpicere, quòd propter fidem Chriſtianam Ioſeph, & Nicodemus Chriſtum defunctum ſepelirent, quare poterant iſti ſine metu, quæcumque volebant, pietatis obſequia exhibere Magiſtro. Affero verba Ruperti Abbatis hunc locum ad rem noſtram ſic explicantis. *Ne miraremur, quòd auſi ſint Domini corpus aromatibus condire, qui non auſi fuerant, niſi in occulto diſcipuli viuentis eſſe, addidit Euangeliſta, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Dum Chriſti corpus Ioſeph, & Nicodemus de cruce depoſuerunt, aromatibus vnxerunt, linteis obuoluerunt, ac ſepulchro tradiderunt, morem ſecuti ſunt Iudæorum, qui quantumuis infideles, hæc mortuis obſequia præſtare conſueuerant, vndè non metuerunt, ne iſta exhibentes ab infidelibus diſcernerentur.

Rupertus Abbas.

Ægyptij quadraginta diebus mortuos plorabant Hebræi triginta diebus honorabiliores lugebant defunctos.

6 Iacob in extremâ ſenectute defunctum, & multis vnguentis pretiosè conditum ſeptuaginta diebus Ægyptus plorauit. *Fleuitque eum Ægyptus ſeptuaginta diebus.* Gen. 50. 3. Sed cur ſeptuaginta diebus luxerunt Iacob, dum Hebræi, non niſi, vel ſeptem, vel ſi erant conſpicui, triginta diebus plangebantur? Audi Oleaſtrum in illud Numerorum 20.29. *Omnis autem multitudo videns occubuiſſe Aaron fleuit ſuper eo triginta diebus. Crediderim ego*, inquit, *Iſrael inſignes viros* AD TRIGINTA DIES *luxiſſe, vt patet hîc de Aaron, & Deuteronomij* 34. *de Moyſe, populares verò ad ſeptem tantùm dies ſolitos deplorari, vt ex Eccleſiaſtico deductum eſt, & conſtat de amicis Iob. cap 2. libri eius.* Vide ibidem Caietanum. *Publicus luctus deſcribitur* TRIGINTA DIEBVS. Lege in eumdem locum Abulenſem TRIGINTA DIES *ad planctum eius pertinuerunt.* Cur ergò, dum tantùm triginta diebus Iſraelitæ ſuos conſueuerant plorare defunctos, Iacob mortuum, non triginta, ſed ſeptuaginta diebus luxerunt? Non receſſerunt à ritu ſuo Hebræi, ſed ipſi triginta, Ethnici verò Ægyptij quadraginta dierum ſpatio, iuxtà morem, quo ſolebant plorare defunctos, eum plorauerunt; ſicque factum eſt, vt Iacob triginta diebus ab Hebræis, & quadraginta ploratus à Gẽtilibus, ſeptuaginta dierum luctu ſit honoratus. Adſtipulatur Dionyſius Carthuſianus in hunc locũ. *Fleuit eum Ægyptus ſeptuaginta diebus.* ÆGYPTII ETHNICI FECERVNT HOC IVXTA RITVM SVVM *quadraginta diebus, & Hebræi habitantes ibidem, iuxtà morem ſuum, diebus triginta, nam & tot diebus fleuerunt poſteà Moyſen, & Aaron.* Non tantùm Hebræi, ſed & Gentiles, ac Ethnici pietatem exhibebant defunctis, ideoquè Ægyptij quoque Ethnici quadraginta dierum luctu funus honorare voluerunt Iacob extincti.

Oleaſter.

Caietanus.

Abulenſis.

Dion. Carth.

Pietatem ergà mortuum à cultu Ethnicorũ Hebræi didicerunt.

7 Quinimò nedùm luxere, ſed etiam funus proſecuti, & cadauer vſque ad Chananæorum terram, vbi ſepeliendũ erat, ſunt comitati. Quod cernentes filij, & propinqui, cum eis ipſi quoque iuerunt à tantâ Ethnicorum pietate ad illud obſequium defuncto præſtandum excitati. Hoc ſacer innuit Moyſis textus, qui priùs Aegyptiorum, ac deindè profectionem memorat Hebræorum. *Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctiq; maiores natu terræ Ægypti, domus Ioſeph cũ fratribus ſuis.* Gen. 50.7. Indicatur nimirùm ab Ethnciorũ pietate, pietatem Hebræos didiciſſe in defunctum. Profectò id voluit Lipomannus in catenâ locum iſtum exponens. *Non poterant ergò in honore parentis minores ſe exhibere filij, ac nepotes, quem videbant tantâ ambitione* AB AEGYPTIORVM PRIMORIBVS EXCVITVM, *ideò omnes pariter aderant, & tanto itinere ſequebantur funus.* A` cultu, quem Aegyptij ethnici exhibuerunt Iacob defuncto, pietatem didicerunt Hebræi, ita vt erubeſcerẽt ſe in honore defuncto exhibendo, Gentilibus eſſe minores. En ergò quàm pij, & fideles ergà defunctos Ethnici quoque cernuntur, & infideles.

Lipomannus.

Infideles animabus mortuorum conuiuia parabant.

D. Auguſt.

8 Hùc etiam facit, quod D. Auguſtinus ſermone 5. de ſanctis de infidelibus narrat; eos videlicet in pietate defunctis exhibendâ ita fuiſſe, non tantùm ſolertes, verùm & ſuperſtitioſos, vt ſuper tumulos eorum cibos, & vina, quibus mortuorum animæ recrearentur, conferre ſolerent. *Miror*, inquit Sanctus Pater, *cur apud quoſdam* INFIDELES *hodiè tam pernicioſus error increuerit, vt ſuper tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quaſi egreſſæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Tanta in infidelium cordibus vigebat ergà defunctos miſericordia, vt in eorum animabus adiuuandis redderentur ſuperſtioſi, & non ſecùs, ac ſi cibis corporalibus paſcerentur, ſcyphos, pateras, fercula, vina, & vno verbo ſolemnia conuiuia eis ad ſepulchrorum ianuas pararent.

Barbari in mortuos pij.

9 Addo, quòd non tantùm hanc pietatem proſequuntur ſimplices infideles, ſed & barbari etiã, cùm agitur de miſericordiâ mortuis impendendâ, barbariem deponere, ac viſcera pietatis induere videntur. Et quidem Hethæos illos, quos in defunctos adeò pios probauimus, vt pro ſepeliendâ vxore Abrahæ, illi, & agros, & ſepulchra, & ſpeluncas gratis obtulerint, barbaros fuiſſe Fernandius in cap. 23. Geneſis affirmat, dum Abraham laudans in humum præ humilitate ſe deijcientem, eoſque pro ſibi, & mortuæ coniugi oblato beneficio adorantem, *In terram*, inquit, *ſe deijcit*; VEL BARBAROS IPSOS, *vel dominos tanquam ſeruili obſequio proſecutus.* Barbari quoque pietate pollent in defunctos, propter quam ab

Fernandius.

Abraham

Digitized by Google

Barbari propugnandis ſepulchris ad prælium, quod detrectauerant, parati.

Abraham humiliter adorati, & ſingulari honoris obſequio ſuerunt exaltati.

10 Prælium, quod Darius Hyſtaſpis eis obtulerat, Scythæ amore pacis ducti detrectauerant, quapropter Perſæ ignauiam obijcientes, non parum eos increpabant. Verùm Scythæ ſingularem pietatem in defunctos cum immanitate barbarâ coniunctam profitentes, reſponderunt, ſe, non niſi à paternorum ſepulchrorum violatoribus poſſe ad prælium conferendum excitari. Ea nimirùm ſuit in barbaris quoque cordibus pietas in defunctos, vt ad eorum ſepulchra tuenda prælium, quod aliàs detrectauerant, ſubire non renuiſſent. Rem dabo, vt eam habet Lilius Gregorius Gyraldus ſyntagmate de vario ſepeliendi ritu. *Scythæ, qui immaniores cæteris habentur, cùm Darius Hyſtaſpis eos bello laceſſeret, eiſque à Perſis obijceretur, quòd prælium detrectarent, inter alia, quæ reſeponderunt. Sunt, dixere, paterna noſtra ſepulchra, quæ cùm inueneritis, agite, tentate illa labefactare, tunc certè intelligetis, an ſimus vobiſcum nos pro paternis ſepulchris pugnaturi, nec ne. Interea, niſi nos ratio traxerit prælium non conferemus. Ex quibus facilè cognoſcere poſſumus, quo cultu, ac reuerentiâ* Apvd Barbaros Scythas *eſſent ſepulchra, ſi nullâ aliâ ratione ad prælium trahi poterunt.* Animaduerte, quantâ Barbari pietate mortuos proſequebantur, quorum ſepulchra vt ab hoſtiũ incurſibus defenderent, prælia, quæ alias ob cauſas, vt pacem colerent detrectabant, ſe libenter aſſumpturos eſſe teſtabantur.

Gyraldus.

Hoſtilem animum Barbari deponunt, cùm agitur de pietate mortuis impendendâ.

11 Funus Germanici deſcribens Suetonius in Caligulâ cap. 5. lapidata templa, ſubuerſas aras, abiectos lares, & expoſitos narrat apud Romanos præ mœroris anguſtiâ partus, ſed non minor apparuit in his tanti viri exequijs pietas Barbarorum, qui vt communi cum Romanis defunctũ lugerent mœrore, licet perpetui, atque implacabiles eorum hoſtes, ad inducias, ne funus adeò celebre turbarent, conſenſerunt; ſicque factum eſt, vt qui Germanico bellum intulerant viuo, ei mœrorem, ac pietatem exhiberent defuncto. *Quo defunctus eſt die,* verba ſunt Suetonij, *Lapidata ſunt templa, ſubuerſæ Deûm aræ, Lares à quibuſdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expoſiti. Quin & Barbaros ferunt, quibus inteſtinum, quibuſque aduersùs nos bellum eſſet, velut in domeſtico, communique mœrore conſenſiſſe ad inducias.* Animum deponunt Barbari hoſtilem, cùm de pietate agitur defunctis exhibendâ, quique bellum conſerere cum viuis anhelant, inducias paciſci in mortuorũ exequijs non detrectant.

Suetonius.

Facinora contrà mortuos apud Barbaros locum nõ habent.

12 Hinc meritò Alexander ab Alexandro lib. 2. dierum genialium cap. 6. in Eucratidem vehementer inuectus, quòd Patris cadauer vulneribus affectum, & cruore conſperſum auſus eſſet inſepultum abijcere, ac proiectum conculcare, illum carpit, quòd facinus admiſerit, quod neque inter immaniores Scythas vllus vnquam barbarus tyrannus admittere auſus fuiſſet. Nam Scythæ, licet barbari, mortuorum cadauera ſepeliebant, eorum monumenta ſeruabant, & pietatem illis barbarico ritu impendebant. *Patris cæde,* inquit Alexander, *non contentus, pari ſcelere, & audaciâ per corpus vulneribus affecti currum agere, & ſanguine inſperſus paterno inſepultum abijcere non dubitauit, auſus facinus, quod* In Nvlla Vnqvam Scythia Tyrannvs Admisit. Barbarorũ quoque pectoribus pietatem in mortuos Natura inſeruit, ita vt neque apud truculentos Scytharum tyrannos facinora locum habeant, quæ impiè contrà ipſos exercentur.

Alexan. ab Alex.

13 Quapropter apud Quintilianum declam. 6. maritus vxoris impietatem in filij defuncti cadauer admiratus ſimul, & deteſtatus, aquas, & ventos inuocauit, vt mortuum corpus ad barbaros deferrent, apud quos minorem certè crudelitatem, quàm apud matrem expertum, ſepulturam fortè inueniſſet, quam in patriâ non inuenerat vrbe. *Iam crudeles aquæ, & venti malè ſecundi, reddo vobis veſtrum beneficium. Forte, quò libet,* Licet Ad Barbaros, *licet ad hoſtes, licet ad piratas. Fortaſsè aliquis iubebit ſepeliri; certè (quod ſciam) nemo prohibebit.* Nimirùm adeò pietatem in mortuos barbari colunt, vt noſtram quandoque videantur condemnare immanitatem.

Barbarorum pietatem erga ſuos uſque tendentem immanitati Quintilian.

14 Idque teſtatum reliquit Iuſtinus Hiſtoricus lib. 13. narrans Macedones, Alexandro mortuo, ac ſi non ciuem, ſed hoſtem amiſiſſent, gauiſos fuiſſe. Contrà verò barbaros, qui ab eo deuicti fuerant, ac ſi non hoſtem, ſed parentem perdidiſſent, pio exequiarum luctu illum honoraſſe. Vndè factum eſt, vt hoſtibus truculentiores eſſent conterranei, & impietatem ciuium pietas argueret barbarorum. *Vt verò mortis eius* (Alexandri) *fides adfuit,* Omnes Barbarae Gentes *paulò antè ab eo deuictæ, non vt hoſtem eum, ſed vt parentem luxerunt. Contrà Macedones verſâ vice, non vt ciuem, ac tantæ maieſtatis regem, verùm vt hoſtem amiſiſſent gaudebant.* Hæc Iuſtinus, quibus barbaras gentes, vt obſequio funebris luctûs mortuo pietatẽ impenderent, ciuiũ animũ induiſſe, imò & ciuiũ crudelitatẽ increpaſſe, indicauit.

In Alexandrum defunctũ magis pietate Barbari fuerunt, quam ciues Macedones. Iuſtinus Hiſtoricus.

15 Ex hac autem pietate plures apud Barbaros mores obtinuerunt, quibus clarè ſuam in defunctos pietatem omnibus teſtatam relinquerent. Quare in funeribus, & barbam radere, & crines abſcindere, & vxores deglabrare conſueuerant, vt clarioribus doloris indicijs amicis parentarent defunctis. Cuius ritûs meminit Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum Genialium cap. 7. *Mos* Apvd Barbaros *inoleuit frequens, vt in funere, & caſibus aduerſis iuuenes tonderent comam, barbam ipſi ponerent, & vxorum corpora deglabrarent.* Huic quoque alius ritus eſt affinis, quo Regibus mortuis ambitioſa ædificabãt monumenta, exuuijs deuictorum hoſtium collectis, & in funere ad gloriam defuncti expoſitis. Quem morem refert Lactantius ad librum 12. Thebaidos Statij his verbis. *Exuuijs hoſtium regibus extruebatur mortuis ſepultura, quem ritum ſepulturæ hodie quoque* Barbari *ſeruare dicuntur, quem Stra-*

Varij ritus Barbarorum pietatem in mortuos teſtantes.

Alexãder ab Alex.

bus

Digitized by Google

bus dicunt linguâ ſuâ.

Circuitus ſepulchrorum à barbaris originem traxit. Mos circumeundi ſepulchra. Suetonius. Virgilius.

16 Quid? quòd ſolemnis ritus, quo antiqui defunctorum ſepulchra, & rogos pietatis gratiâ circuibant, omnium ferè nationum conſenſu approbatus, à Barbaris originem habere videtur? Huius ritûs plenæ ſunt authorum paginæ. Vndè Suetonius in Claudio cap. 1. *Exercitus honorarium ei tumulum excitauit*, CIRCA QVEM *deinceps ſtato die quotannis miles decurreret*, & Virgilius lib. 11. Æneidum.

Ter CIRCVM *accenſos cincti fulgentibus armis*
Decurrere rogos.

Donatus. Vbi Donatus. *Rogos omnes funereorũ more ſacrorũ ter* CIRCVMIRE CVRRENTES, *& incidentes equis ter eos luſtrauere.* Valerius quoque Flaccus lib. 3. Argonauticon. *Valer. Flaccus.*

Inde ter armatos Minyis referentibus ORBES
Concuſſi tremuere rogi.

Dio. Ex authoribus verò Græcis Dio lib. 59. Περὶ τὸν τάφον αὐτοῦ περιππεύσαν. CIRCA ILLIVS TVMVLVM *obequitarunt*. Et Heliodorus lib. 3. Æthiopicorum cap. 8. Τὸ μνῆμα τὸ Νεοπτολέμου περιεσοβήσατο ἡ πομπὴ, καὶ τρίτον οἱ ἔφηβοι τοῖς ἵπποις περιήλασαν. *Sepulchrum Neoptolemi pompa* CIRCVIVIT, *& tertiò Ephebi equis ſunt* CIRCVMVECTI. Denique Homerus Odyſſeâ 24. *Heliodorus. Homerus.*

πολλοὶ δ' ἥρωες Ἀχαιῶν
Τεύχεσιν ἐῤῥώσαντο πυρὴν περὶ καιομένοιο
Multi autem Heroes Achiui
Armis irruerunt CIRCA ROGOS *eius, qui vrebatur.*

Et iterum Iliade 24.

Τῆμος ἄρ' ἀμφὶ πυρὴν κλυτοῦ Ἕκτορος ἔγρετο λαός
Tunc CIRCVM PYRAM *inclyti Hectoris congregatus eſt populus.*

Appianus Alex. At vndè niſi à Barbarorum pietate in defunctos mos iſte adeò receptus ſuam originem traxit? Digna ſunt, quæ hic apponantur Appiani Alexandrini verba, quæ habet libro de bellis Hiſpanicis. *Cadauer magnificentiſſimis inſtratum veſtibus in altiſſimâ pyrâ cremarunt, cæſiſque multis hoſtijs, tùm equites, tùm pedites per turmas* IN ORBEM DECVRRENTES CVM ARMIS BARBARICO MORE *Viriatum celebrarunt*. En ritus ad pietatem defunctis exhibendam tot nationum, & gentium applauſu comprobatus, quia à barbaris inuentus, barbarici moris fuit appellatione donatus. Pudeat igitur fideles, & chriſtianos ſe ſe infideles exhibere, dum infideles, & barbari fidelitatem ſeruant defunctis.

CAPVT XII.

Speciem quamdam pietatis Diabolus præferre videtur in defunctos.

Impietatẽ in mortuũ quidam ſatanicum vocauit D. Athanaſius.

1 IMmanitatem expendens D. Athanaſius Epiſtolâ ad ſolitariam vitam agentes, quâ impij nonnulli Hæretici viros pro defuncto Eutychio preces offerentes plagis affecerunt, & in carcerem coniecerunt, quidam eos dixit omninò ſatanicum excogitaſſe. Satanicum enim putauit eos turbare, qui pro defuncti animâ preces effundebant. *Quiddam* PRORSVS SATANICVM *meditato ſtudio deſignauerunt. Cùm enim populi pro Eutychio ſuo precibus ſuis ſupplicíter intercederent, reiectis populorum precibus, quatuor pro eo bonos, & ingenuos viros, & inter eos Hermiam diaconum pedes peregrinorum arripi iuſſerunt, quos Dux multis plagis conciſos in carcerem coniecit.* Adeò nempè immane ſcelus exiſtimauit Athanaſius preces pro defuncto effuſas reijcere, ac impietatem in mortuum exercere, vt opus tam execrabile ſatanicum appellare non dubitauerit. Verum profectò ſanctus iſte Pater affirmauit. Adhuc tamen ego progrediendum cenſeo, & impietatem in mortuos plus quàm Satanicam eſſe appellandam exiſtimo. Satanas enim, ſi non pietatem, ſaltem quamdam pietatis in eos ſpeciem habere videtur. Quare impij ergà defunctos ſunt Satana peiores, eorumque impietas pluſquam Satanica iure appellari meretur. *D. Athanaſius.*

Effoſſores ſepulchri Diabolus obſidebat.

2 Tametſi mens Diabolica ſit ſæua impietatis magiſtra, non tamen deſinit interdum, vt ſuos aſſequatur fines, quam abhorret, ſimulare pietatem. Hinc autem fit, quòd multoties Diabolus in defunctos pium ſe fingit, atque hac, licet ſimulatâ, pietate noſtram condemnat impietatem. Sanctum Martyrem Fœlicem in confeſſione veræ fidei perſeuerantem poſt diros cruciatus iuſſit Præfectus capite plecti, eiuſque cadauer belluis diſcerpendum, & auibus laniandum ſine ſepulturæ honore contemni. Non poterant hanc adeò immanem crudelitatem Chriſtianorum corda non deteſtari; quapropter noctù ſanctum corpus piè venerati, occultè illud in foueâ martyrij loco propinquâ ſepelierunt. Hanc in defuncti martyris cadauer pietatem impietas non poterat ſuſtinere Gentilium, ideoque die ſequenti humum effodere, ac ſanctum corpus exhumare tentabant. Sed quicumque tam immane opus aggrediebatur, à Diabolo repentè obſeſſus, illud protinus dimittere cogebatur. Diabolus quippè, ac ſi eſſet in defunctos pius, impietatem, quam defuncto martyri parabant, repentinâ inuaſione turbabat. Hæc habet Petrus de Natalibus lib. 2. Catal. cap. 74. *Præfectus iuſſit eum (Fœlicem) ibidem decollari, & corpus eius inhumatum lupis, & canibus derelinqui. Quod tamen Chriſtiani nocte in foucâ, quæ iuxta arbor erat, ſcißa dimiſerat, ſepelierunt. Et cùm Gentiles die ſequenti corpus effodere vellent, quicumque manum ad hoc mittebat,* A' DIABOLO OBSIDEBATVR. Obſidebat Diabolus truculentos defuncti corporis effoſſores, pietatis quamdam ſpeciem oſtendens, dum alienâ impietatẽ moleſtâ inuaſione impediebat. *Petrus de Natalibus.*

Per Idolorum ora honorabilem mortuorum ſepulturam procurabat.

3 Diabolum per Idolorum ora locutum fuiſſe, ac petentibus Ethnicis reſponſa, quæ Oraculorum nomine circumferebantur, dediſſe, nemo ignorat. Quæ namque *os habent, & non loquuntur*, non niſi Diabolo loquente ſuperſtitiosè interrogantibus.

gantibus reſpondere valebant. At quoties Oracula mortuorum exequias, cadauerum ſepulturam, & defunctorûm præceperunt honores? Plutarcbus in Theſeo narrat Theſei oſsa in barbarorum terrâ neglecta, Apollinis oraculo ſuadente, fuiſſe Athenis honorificè collocata. *Poſt Medicum bellum, Phædone imperante; cùm Athenienſes* ORACVLVM *conſuluiſſent, reſponſum eſt à Pythiâ, vt oſſa Theſei reciperent, ac recondita reuerenter apud ſe retinerent*. Seruius etiam in lib. 6. Aeneidum refert Lucanos ab Oraculo admonitos defuncto Palinuro ædificaſſe monumentum. *Lucanis peſtilentiâ laborantibus, reſpondit* ORACVLVM, *Manes Palinuri eſſe placandos; ob quam rem non longè à Veliâ, & lucum ei, & coenotaphion dederunt*. Aliud oraculum refert Pauſanias in Boeoticis, quod Orchomenijs præcepit, vt ad ſedandam luem Heſiodi oſſa à Naupactio agro translata apud ſe honorificè tumularent. *Sæuiente in homines, & pecudes peſtilentiâ miſsos ad* ORACVLVM *Conſultores reſponſum tuliſse ad ſedandam luem vnicum illud fore remedium, ſi ex Naupactio agro in Orchomenium Heſiodi oſsa deportaſſent. Aliam ſanè nullam reperiri poſse mali leuationem*. Idem etiam author in Arcadicis Oraculi meminit Delphici, cuius conſilio Arcadis cadauer translatum è Mœnalo, & apud Mantinenſes religioſâ pietate conditum fuit, *Ab arâ Deæ proximè abeſt Arcadis Calliſthûs filij tumulus. Hùc enim ex Delphici Apollinis* ORACVLO *è Moenalo ſunt Arcadis oſſa deportata*. ORACVLI *vox fuit*.

Plutarchus. *Seruius.* *Pauſanias.*

Frigida Moenaliæ regio eſt, vbi conditus Arcas,
Arcades à cuius dicuntur nomine cuncti.
Hùc ego ferre pedem iubeo se, & pectore læto
Arcada ſublatum pulchram tranſponere in vrbẽ,
Quæ triuia eſt, quæ quadriuia, & quæ quinq; viarũ
Hic Arcas lucum, ſacrorum hic munera habeto.

Polybius.

Polybius quoque lib. 8. dixit Tarentinos Oraculi conſilio ſuos intrà mœnia humaſſe defunctos. *Orientalis pars ciuitatis Tarentinorum plena monumentis, propterea quòd mortui etiamnum omnes intrà moenia apud eos iuxtà vetus quoddam* ORACVLVM *ſepeliuntur. Ferunt enim Tarentinis Deum per* ORACVLVM *ſignificaſſe, ſatiùs illis, ac meliùs fore, ſi cum pluribus habitent, illos verò ſic ſe quàm optimè iuxtà* ORACVLVM *habituros putare, ſi mortuos quoque intrà moenia ſecum retineant, ideoq; illos ad hunc vſque diem mortuos ſuos intrà muros ſepelire*. Et ſexcenta his ſimilia paſſim apud profanos authores leguntur. Ex quibus clarè deducitur Diabolum, qui conſulentibus idolatris reſpondebat, ac per idolorum ora oracula tradebat, pietatem ſæpè ſimulaſſe, ac ſepulturam curaſſe mortuorum.

Viſitant Dæmones ſepulchra mortuorum.

4 Quin, & eorumdem mortuorum ſepulchra eum viſitaſſe reperio; nam Lucæ 8. 27. legimus immundum ſpiritum, qui miſerum arripiebat hominem, non domum, ſed conſueuiſſe habitare monumenta. *Et cùm egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat Dæmonium iam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis*. Quid in monumentis dæmon iſte agebat? Quid habitabat cũ mortuis qui ſatagit inſidias tendere viuis? Nodum ſoluit D. Ioannes Chryſoſtomus in catenâ, dum ait Dæmones, vt homines decipiant, ſepulchra interdum viſitare mortuorum. *Viſitant autem* DAEMONES *mortuorum ſepulchra, volentes imbuere homines perniciosâ doctrinâ, quòd ſcilicet mortuorum animæ dæmones fiant*. Quamuis hominum deceptioni ſtudeant, & peruerſiſſimum ſibi finem præſcribant, pietatem tamen ſimulant Dæmones in defunctos, ita vt non rarò ad eorum etiam ſepulchra viſitanda incumbant.

D. Ioannes Chryſoſt.

Volebat Diabolus Moyſi mortuo publicum ædificare monumentũ.

5 Altercationem Archangeli Michaëlis cum Diabolo de corpore Moyſis legimus apud Iudam in Epiſtolâ num. 9. *Cùm Michael Archangelus cum Diabolo diſputans, altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ*. Quæ verò iſta fuerit altercatio, explicat Lyranus, dicens voluiſſe Diabolum Moyſi defuncto ſuperbum apud Iudæos ædificari ſepulchrum, cuius ipſi conſpectu ad proprij legislatoris idolatriam excitarentur. Michaël verò ei ſe opponens, ne populus homini cultum exhiberet ſoli Deo debitum, & defuncti cadauer, & ſepulturæ locum omnibus eſſe voluit ignotum. *Volebat* DIABOLVS *reuelare corpus Moyſi Iudæis ad idololatriam pronis, vt eum adorarent tanquam Deum. Michael autem tunc princeps ſynagogæ hoc volebat impedire*. Simulabat Diabolus ergà defuncti Moyſis cadauer pietatem, quâ volebat ei apud Iudæos publicum extrui, & honorabile monumentum.

Lyranus.

Diabolus in exequijs mortuorum Presbyterũ agens.

6 Quid? quòd Dæmones interdum in exequijs defunctorum presbyteros egerunt? Diuitem purpurâ, & byſſo indutum, atque inter epulas, & fercula ſplendidè quotidie epulantem mors eſt aggreſſa, & mortuus, non in mundo, ſed refertur ſepultus in Inferno. *Mortuus eſt autem, & diues, & ſepultus eſt in inferno*. Luc. 16. 22. At quis diuitem in inferno humauit? Quis Presbyter pullo circumamictus pallio illius exequias extremo pietatis munere honorauit? Audi Albertum Magnum ad hunc locum ita loquentem. *Ecce exequiarum officium* A' DAEMONIBVS PRESBYTERIS IMPENSVM. Quid clarius poterat pro ſimulatâ dæmonum pietate in defunctos apponi? Nempè & presbyteros agere, & exequias non renuerunt etiam in inferno purpurato Diuiti mortuo parare.

Albertus Magnus.

Dæmones poſtulantes ſuffragia pro Animabus mortuorum.

7 Pergo, & hanc ſimulatam Dæmonum pietatem in defunctos magis declaro. Eò enim iſti humani generis hoſtes peruenerunt, vt Miſſas, Eleemoſynas, & alia eccleſiaſtica ſuffragia pro animabus petierint mortuorum. Hoc nos docet Diuus Bernardinus Senenſis Sermone 63. de Purgatorio, qui teſtatur multos immundos ſpiritus homines arripientes, & crudeliter excruciantes, ſe eſſe animas mortuo-

D. Bernardinus Senenſis.

mortuorum ſimulaſſe, ac ſuffragia pro eis popoſciſſe. Sed audiamus eius verba. *Procul abſit à fidelium mentibus adhibere fidem* Spiritvvm Delvsionibvs Immvndorvm, *qui diuino ſecreto iudicio permittuntur cruciare, atque vexare aliquos, dicentes ſe eſſe animas defunctorum,* Poscentes Pro Eis Celebrari Missas, Eleemosynas Dispensari, Et Alia Bona Fieri. Videſne Dæmones pietatem fingere, ac pro Animabus Purgatorij fidelium ſuffragia poſtulare.

Diabolus eremitam ad fundendas preces pro animabus Purgatorij eſt hortatus.

8 Huic rei valdè alia eſt affinis, quam narrat D. Vincentius Ferrerius ſerm. 2. Dom. primæ poſt Trinitatem, Diabolum ſcilicet boni Angeli formam ſuſcepiſſe, atque in ſpiritum lucis ſe transformaſſe, vt cuidam ſolitario appareret eremum incolenti. Apparuit; eumque, vt ſuis fraudibus deciperet, pluribus eſt allocutus. Sed qui erant iſti ſermones, quos cum viro ſolitario Diabolus conferebat? An eum tentauit, vt antra deſerti relinquens ad ciuium turmas confugeret? An ei ſuaſit, vt ſuauibus groſſiores cibos, delicatis vinis aquæ potionem, & mollibus culcitris humi commutaret cubationem? An illi conſuluit, vt vitæ rigorem tantiſper remittens, aliquam corporis curam haberet? Nequaquam; ſed eum rogauit, vt coram Deo preces effunderet pro animabus mortuorum, quæ, naui excuſsâ, & fractâ, & nauigantibus in aquis ſubmerſis, deſcenderant ad Purgatorium. Hæc ſunt verba D. Vincentij Ferrerij. *Nota de illo eremitâ, cui* Daemon *apparebat in formâ boni Angeli, dicens: Talis nauis ſubmerſa eſt;* Ora Pro Animabvs, Qvae Svnt In Pvrgatorio. Ita nouit Dæmon pietatem ſimulare in animas Purgatorij, vt ad preces pro eis fundendas homines interdum hortetur. Agnoſcant igitur impij ergà defunctos Diabolo ſe eſſe peiores, dum impietatem in eos exercent, in quos ſpeciem quamdam pietatis Diabolus præſeferre videtur.

D. Vincentius Ferrerius

CAPVT XIII.

A' Brutorum pietate ad pietatem prouocamur in defunctos.

Non debent Homines denegare pietatem defunctis quã eis etiã feræ impendunt.

1 Animalia vniuerſa rationis vſu carentia, vt ordinatè, ac diſtinctè procedam, in quatuor vniuerſalia genera diſtinguo, quorum vnaquæque in mortuos inſtinctu naturali pia oſtendo. Aues igitur primò, deindè iumenta, poſteà feras, vltimò piſces expendo, & dum eorum omnium pietatem in mortuos declaro, humanam in eoſdem pietatem excitare aggredior, & cum D. Ambroſio lib. de Tobiâ cap. 15. exaggero. Ferae *hanc humanitatem defunctis corporibus detuliſſe produntur; Homines denegabunt?* Erubeſcant homines rationis compotes ab irrationalibus belluis in pietate ſuperari, nec mortuis humanitatem denegent, quam Bruta ipſa eis deferre conſueuerunt.

D. Amb.

2 Et ſanè, vt ab auibus, quæ ſuperius incolunt elementum, exordiar, has in mortuos adeò pias reperio, vt circà eorum corpora quandoque volitauerint, ac illorum exequias mœſto cantu, eo modo, quo poterant, celebrauerint. Hoc in funere ſanctiſſimi viri Symeonis monachi accidiſſe refert Petrus de Natalibus, cui cùm Antonius Abbas ſepulturam præberet, ac extrema exequiarum officia eccleſiaſtico more perſolueret, aues conſpexit circà illius cadauer volitantes, & mœſto, ac lugubri garritu eum lugentes. Do verba Petri lib. 2. Catalogi cap. 45. *In cuius* (Symeonis) *exequijs* Aves *circà corpus volitantes, quaſi vocibus eum deſlebant.* Tantâ quippè volucres pietate feruntur in mortuos, vt eorum cadaueribus aſſiſtere, ac ſuo cantu in exequijs lugere videantur.

Aues circà cadauera volitantes, & mortuorum exequias celebrantes.

Petrus de Natalibus.

3 Aquilam auium omnium Reginam Plinius celebrat lib. 10. cap. 5. quòd Virginem, à quâ educata fuerat, & pauerit viuam, & non neglexerit defunctam. Viuæ namque venationum ſuarum partem afferebat, & defunctæ pietatem exhibens, in rogum, in quo illa comburebatur, ſe iniecit, & vnà cum eâ dolore percuſſa, & flammis exuſta, conflagrauit. O' miram auis in virginem defunctam, & gratitudinem, & pietatem, dignam ſanè, cui monumentum ad perpetuam rei memoriam ab incolis loci extrueretur, nedum à Virgine, ſed etiam ab hac alite appellatum. *Eſt percelebris,* inquit Plinius, *apud Seſton vrbem* Aqvilae Gloria*: educatam à Virgine retuliſſe gratiam; aues primò, mox deindè venatus aggerentem, defunctâ poſtremò, in rogum accenſum eius inieciſſe ſe ſe, & ſimul conflagraſſe. Quam ob cauſam incolæ, quod vocant Heroum, in eo loco facere, appellatum Iouis, & Virginis, quoniam illi Deo ales adſcribitur.* Quis non miretur Aquilæ in defunctam Virginem pietatem, quæ cum illâ vitam amittere, atque in rogo flammis voluit concremari?

Aquila in rogu Virginis, à quâ educata fuerat, ſe inijciens.

Plinius.

4 Hanc Aquilarum in mortuos pietatem priſci voluerunt ſignificare Gentiles, dum ab Aquilis animas mortuorum ad Cœlum deferri finxerunt. Vndè Dio lib. 56. funus deſcribens Auguſti, ait. Aqvila *ex eo* (rogo) *emiſſa euolauit, quaſi animam Auguſti in Cælum ferens.* Xiphilinus in Seuero Aquilæ item meminit ex Pertinacis rogo euolantis. Aqvila *ex rogo euolans, itaque Pertinax immortalitate donatus eſt,* & Herodianus lib. 4. *Ab extremo, minimoque tabernaculo, tanquam è faſtigio quodam ſimul cum ſubiecto igne* Aqvila Dimittitvr, *quæ in Cælum creditur ipſam Principis animam deferre.* Aquilas adeò pias in mortuos agnouerunt Gentiles, vt eas non dubitauerint animarum defunctorum delatrices ad Cœlum fabulari.

Aquilas fingebant Gentiles ad Cœlos animas euehere mortuorum.

Dio.

Xiphilinus.

Herodianus.

5 Digna eſt etiam, quæ hic recenſeatur pietas, quâ corpus Beati Martyris Stanislai membratim crudeliter conciſum, & per agros impiè pro-

Cadauer Sancti Stanislai quatuor Aquilæ defenderunt.

proiectum, à ferarum laniatu mirabiliter Aquilæ defenderunt. Cùm enim impius Rex graui propoſitâ pœnâ vetuiſſet, ne quis ſacrum corpus humaret, eiuſue membra diſperſa colligeret, vt à canibus, & belluis diſcerperetur mortuus, qui à militibus, & carnificibus diſsectus fuerat viuus, quatuor aquilæ apparuerunt ſancti cadaueris cuſtodes, quæ circa illud volitantes, feras, & belluas abegerunt, & ab estincto conuicium omne repulerunt. Rem dabo, vt eam narrat Longinus in eius vitâ apud Surium ſub die 8. Maij. *Alterâ ab eius cæde die, cùm Rex, & impij adminiſtri crudelitatis eius putarent, iam corpus omne à canibus, & auibus abſumptum, à quatuor mundi partibus, totidem raræ formæ, & magnitudinis* ADVOLARVNT AQVILAE, *magnoque ſtudio loca, in quibus diſſipata erant ſancti Præſulis membra circumuolitantes, non ſinebant ab vllis, vel feris, vel volucribus ea attingi.* Animaduerte, quantùm ergà defunctos afficiatur auium regina, quæ, & pietatem esercere, & impietatem ab eis toto conatu ſtudet propulſare.

Longinus.

Milui funerũ dapes non carpunt.
Plinius.

6 Ab Aquilis tranſeo ad Miluos, quos, licet rapaciſſimos volucres, nihil tamen es funerum ferculis rapere Plinius teſtatur. Cuius hæc ſunt verba lib. 10. *Notatum in his* (Miluis) *rapaciſſimam, & famelicam ſemper alitem* NIHIL ESCVLENTI RAPERE VNQVAM EX FVNERVM FERCVLIS. A' raptû ſibi naturali, cùm de mortuis agitur, hæc abſtinet auis, nec vnquam ferales menſas turbat defunctorum, vt ſibi alimenta prouideat ciborum.

Coruus ſancti Vincentij corpus cuſtodiuit.

D.Vinc.Ferr.

7 Neque abſimile eſt, quod de Coruo legimus, qui Sancti Vincentij Martyris proiectum, & inſepultum cadauer, ne à feris laceraretur, vnguibus, alis, & roſtro defendit. Id habetur apud D. Vincentium Ferrerium ſermone de Sancto Vincentio hæc ſcribentem. *Mandauit* (Dacianus) *eius corpus proijci in campum à feris, & auibus conſumendum, ſed* AFFVIT CORVVS, *qui aues cum feris abigebat.* Quibus conſonant, quæ habet Breuiarium Romanum in lectionibus huius Sancti vitam referentibus die 22. Ianuarij. *Cuius corpus cùm proiectum eſſet inhumatum,* CORVVS, *& à volucribus, & à Lupo vnguibus, roſtro, alis mirabiliter defendit.* Non tetigit animal naturâ ſuâ carniuorum ſancti cadaueris carnes, quin & cæteras belluas, ne illud tangerent, aut laniarent, ſummo ſtudio abegit.

Breuiarium Rom.

Accipiter inſepultos mortuos ſepelit.
Aelianus.

8 Quid? quòd auem rapaciſſimam, nedùm à carnibus abſtinere cadauerum, ſed etiam ea iniectâ humo ſepelire obſeruo? Diſco id ex Æliano lib. 2. de Hiſtoriâ Animaliùm cap. 22. qui de Accipitre loquens hæc habet. *Hominem mortuum ſi inhumatum perſpexerit,* INIECTA GLEBA HVMARE DICITVR. Scilicet hoc quoque pietatis munus ales iſte in defunctos esercet, vt eorum cadauera ſepeliat, atque inſepultis terram inijciat.

Cornix ſepulchro inſedit, &

9 Ab hac quoque pietate non fuerunt alienæ Cornices, quod Pauſanias in Boeoticis confirmat, dum Cornicem narrat Heſiodi ſepulchrum Orchomenijs demonſtraſſe, vt eius cadauer in agro Naupactio ferè neglectum ad Orchomenium transferrent, & apud ſe honorifico in ſepulchro tumularent. *Percontatos rurſus eos,* verba ſunt Pauſaniæ, *in quâ tandem Naupactij agri parte eſſent illa reperiuri, reſpondiſſe Pythiam, locum* CORNICEM *monſtraturam. Cùm redirent in patriam, qui ſciſcitatum miſſi fuerant, non longè à viâ* CORNICEM *conſpexiſſe ſaxo inſidentem, ibique Heſiodi oſſa inuenta, in eius ſaxi latebrâ cum hac Elegorum inſcriptione.*

Heſiodi cadauer, vt cum honore ſepeliretur monſtrauit.
Pauſanias.

Heſiodi patria eſt frumenti fertilis Aſcra,
Sed bello inſignes oſſa tenent Minyæ.
Huius in Argolicis excellit gloria terris,
Iudicium quibus eſt, ingeniumque ſagax.

Tantâ in defunctum cadauer prædita fuit cornix pietate, vt illius monumento inſederit, & oſſa hoſpitibus monſtrauerit, quò ea poſſent debitis tanto viro ſepulchralibus iuſtis honeſtare.

Apes exequias comitãtes, & funera ducentes.
Plinius.
Ariſtoteles.

10 Quòd ſi Auium domeſticarum naturam expendere velimus, has etiam in defunctos pias comperiemus. Et Apes quidem mortuas ſocias ſepelire, docent Plinius lib. 11. cap. 18. *Defunctas progerunt, funerantiumque more comitantur exequias.* Ariſtoteles lib. 9. de Hiſtoriâ Animalium. APES *vitâ functas foras exportant,* Columella lib. 9. de re ruſticâ cap. 13. *Aliæ mortuarum corpora domicilijs ſuis efferunt, aliæ intrà tecta, vt in publico luctu, mœſto ſilentio torpent.* Virgilius lib. 4. Georgicorum.

Columella.

Tùm corpora luce carentum
Exportant tectis, & triſtia funera ducunt.

Virgilius.

Dion. Cart.

Dionyſius tandem Carthuſianus ex dolore, quo regis ſui mortem deplorant arguit ingratitudinem eorum, qui ſuos ſuperiores non lugent defunctos. APES *mortem regis ſui, quem mortuum vident, ſic dolent, quòd niſi aliundè eis prouideretur, & ipſæ mox morerentur. Quo conſtat, quàm ingrati, ac duri conſiſtant, qui ſuperiorum ſuorum ſaltem bonorum non deflent mortem.* An non ex his omnibus meridianâ luce clarior apparet pietas apium in defunctos, dum eorum funera ducunt, luctum celebrant, cadauera ſepeliunt, ac esequias comitantur?

Noluit Columba cadauera calcare mortuorum.

11 Venio ad Columbas, & obſeruo Columbam ſecundò ab Arcâ poſt diluuium emiſſam ad Noè redijſſe ramum virentis oliuæ in ore portantem. *Expectatis autem vltrà ſeptem diebus alijs dimiſit Columbam ex Arcâ. At illa venit ad eum ad veſperam portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo.* Gen. 8. 10. Miror, quòd auis, quæ tot dierum ſpatio intrà anguſtias arcæ fuerat incluſa, egreſsa non vagaretur, ſed ad priſtinum carcerem poſt breuem volatum denuò reuerteretur. Cur poſt acceptã libertatem, eâ non fruitur, ſed feſtino regreſsu eò, vndè vis exierat, iterũ pergit? An timebat cadauera calcare mortuorum, quæ poſt aquarum imminutionem

terræ

Digitized by Google

Dion. Carth. terræ ſuperficiem operiebant. Ita profectò Dionyſius voluit Carthuſianus, qui locum iſtum his verbis illuſtrat. *Non inuenit, vbi requieſceret pes eius, Quia* COLVMBA *abhorret ſuper cadauer ſedere.* Noluit Columba ſuis pedibus cadauera calcare mortuorum, & iccircò alium non reperiens, vbi requieſceret, locum, potiùs libertate ſe priuare, quàm defunctorum carnes calcare decreuit.

Iumenta in ſignum mœroris in exequijs tondebantur mortuorum.

12 Sed iam ordò me monet, vt de pietate dicam iumentorum, quæ in defunctos naturaliter clementiſſima eſſe Perſæ in primis oſtenderunt. Qui in funeribus mortuorum virorum dignitatis alicuius culmine conſpicuorum, nedùm ſe, vxores, & liberos, verùm etiam iumenta tondere conſueuerant, vt his mœſtitiæ ſignis publicum teſtarentur in illis exequijs luctum. Agnoſcentes enim iumenta quoque naturali prędita pietate in defunctos, illa etiam in pietatis ſignum tondere ſolebant. *Alexander Sardus.* Accipe id ab Alexandro Sardo lib. primo cap. 24. notatum. *Perſæ, vbi viri clariſſimi obierint, ſolent ſe, vxores, liberos, equos,* IVMENTA TONDERE. Quin & antè illum idem ſcripſit *Herodotus.* Herodotus lib. 8. *Vbi in caſtra rediere, ingens luctus, cùm omnem exercitum, tùm verò Mardonium accepit extincti Maſiſtij, ita vt eiulatus eorum omnem Boeotiam peruaſerit, & ſeipſos, & equos, &* IVMENTA TOTONDERINT. Hæc ille Maſiſtij exequias deſcribens. Et homines, & iumenta in ſignũ mœroris tondebant antiqui, vt indicarent, non tantùm homines, ſed & iumenta pietatem exhibere defunctis.

In funeribus equi cilicio veſtiebantur.

13 Hanc etiam ob cauſam Gentiles, diuitibus defunctis, equos cilicio veſtiebant, & ad ſepulchrum ita indutos deducebant. Quo ritu innuebant, cum hominibus, iumenta quoque ferri pietate in defunctos. De hoc more nos monet D. Ioan. Chryſoſtomus homil. 3. ad populum Antiochenum. *D. Ioannes Chryſoſtomus.* *Diuite aliquo mortuo, non ſeruos ſolos, & ancillas, ſed &* EQVOS *neceſſarij ſacco amicientes, & agaſonibus tradentes, ad ſepulchrum ſequi iubent, calamitatis magnitudinem oſtentantes, & omnes ad miſericordiam allicientes.* Ad pietatem defunctis exhibendam alliciebant Gentiles, non tantùm exequijs hominum, ſed etiam indumentis, & luctu equorum. Quod etiam oſtendit *Homerus.* Homerus, cùm finxit Achillis equos in eius morte lugentes. De quibus Iliade 17. hæc cecinit.

EQVI AVTEM *Aeacidæ à pugnâ procul exiſtentes*
FLEBANT, VT *primùm ſenſerunt aurigam.*
In pulueribus lapſum ab Hectore homicidâ.

Fabuloſè quidem, ſed tamen haud ſine myſterio hæc ſcripſit: voluit enim naturalem quamdam equorum in ſuos heros defunctos declarare pietatem.

Equi flentes in funeribus mortuorum. Virgilius. Donatus.

14 His conſonant ea, quæ habet Virgilius lib. 11. Aeneid. funus Pallantis deſcribens.

Poſt bellator EQVVS *poſitis inſignibus Aethon*
It lachrymans, guttiſque humectat grandibus ora.

Vbi Donatus ait. *Tanta acerbitas funeris fuit, vt etiam mutum animal amiſſionem Domini ſentiret, & fleret. Ibat igitur non inſignis, neque phaleratus, vt ſolet, vt ipſe quoque animo lugere videretur, & corpore. Flebat cum hominibus* EQVVS, *& bellator gemere videtur, quòd ad rogum Domini potiùs, quàm ſolitum ducebatur ad campum.* Quibus addo, quod ait *Plinius.* Plinius lib. 8. cap. 42. *Iidem (equi) præſagiunt pugnam, & amiſſos lugent Dominos, lachrymaſque interdum deſiderio fundunt.* Equos animaduerte ita in defunctos pios, vt in eorum quoq; funeribus deplorent.

Aſinus, vt cadauer portaret ad ſepulchrum, expectauit.

15 Nec equis in hac pietate aſini cedunt, quorum vnum iuxtà cadauer Prophetæ, quem iuſſu Dei leo in viá interfecerat, diù remanſiſſe ex ſacrâ diſcimus Regum hiſtoriâ. *Inuenit cadauer eius proiectum in viâ, & aſinum, & leonem ſtantes iuxtà cadauer.* 3. Reg. 13. 28. Cur Leonis præſentiam vile iſtud, ac timidum non exhorruit iumentum? Quis ei animum indidit, vt non timeret immanis illius feræ læſionem? Quid tandem immobile iuxtà defunctum corpus agebat? Expectabat, qui ſibi cadauer imponeret, vt illud poſſet ad paratum portare ſepulchrum. Rectè Lyranus. *Lyranus.* *Aſinus autem ſtabat iuxtà illum,* VT CADAVER PORTARET AD SEPVLTVRAE LOCVM. Pietatem defunctis iumenta impendunt; vnde vt cadauer Domini portaret ad ſepulchrum, iuxtà ipſum nihil timens Leonem præſentem remãſit.

Canum fidelitas in Defunctos.

16 Quid de Canibus dicam, quorum ergà mortuos fidelitatem innumeri teſtantur authores? Canes Hieronis, & Liſimachi in eumdem rogum ſe inieciſſe, quo Domini ardebant mortui, refert Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum Genialium cap. 7. *Alexander ab Alexandro.* *Hieronis, & Liſimachi* CANES, *accenſis rogis dominorum, in flammas ſe inieciſſe, & vno incendio arſiſſe tradunt.* Alium canem Eupolidis narrat Aelianus lib. 10. de hiſtoriâ animalium cap. 41. *Aelianus.* eum defunctum luxiſſe, ac mœrore, & inediâ confectum è vitâ migraſſe. CANIS, *non tantùm vlulatu primùm illius exceſſum è vitâ luxit, ſed deindè mœrore, inediâque extabuit, in odiumque vitæ adductus, ex altoris ſui morte extinctus eſt.* Nec minùs pium eſt, quod de alio cane dicit lib. 7. cap. 40. in funere Theodori pſaltis, vnà cum eo in ſepulchrum deſcendentem humari voluiſſe. *Vt verò Theodorum pſaltem ſui propinqui in ſepulturam impoſuiſſent, eius Melitenſis* CATELLVS *vltrò ſeipſum in cadaueris thecam iniciens, pariter cum Domino humatione, & ſepulturâ affici voluit.* Plinius etiam lib. 8. cap. 40. *Plinius.* canem ait à Domino ſuo mortuo non receſſiſſe, ſed etiam plagis affectum iuxtà cadauer manſiſſe, ac volucres abegiſſe, & feras. *Pugnaſſe aduersùs latrones* CANEM *pro domino accepimus, affectumque plagis à corpore non receſſiſſe, volucres, & feras abigentem.* Corpora etiam ſanctorum martyrum Canibus obiecta legimus fuiſſe ab eis abſque læſione vllâ ſeruata. Quod de corporibus ſanctorum quatuor Coronatorum in eorum lectionibus ſub die octauâ Nouembris habemus. *Quorum corpora* CANIBVS *obiecta, cùm ab illis intacta diù fuiſſent, ſublata à Chriſtianis, viâ Lauicanâ, tertio ab vrbe*

lapide in arenariâ ſepeliuntur. Idemque corpori Sanctæ Bibianæ contigiſſe, idem teſtatur Breuiarium Romanum ſub die 2. Decembris his verbis. *Cuius ſacrum corpus obiectum* CANIBVS, *biduò iacuit in foro Tauri illæſum, & diuinitùs ſeruatum.* Hiſque ſimilia ferè innumera, tùm apud ſacros, tùm apud profanos authores frequenter occurrunt.

Breuiarium.

17 Verùm iam tempus eſt, vt de feris aliqua dicamus, de quarum pietate in mortuos cùm multa poſſint afferri, illud maximè commendabile mihi videtur, quòd cadauer Diui Gregorij Presbyteri, & Martyris, cui deuorando plurimæ à tyranno dimiſſæ fuerant, non lacerauerunt, ſed veluti cuſtodes ei adhæſerunt, imò & venerantes illud humiliter adorauerunt. Audiamus Petrum de Natalibus hæc lib. 1. Catalogi cap. 88. enarrantem. *De mandato Tyranni dimiſſæ ſunt feræ* PLVRIMAE, *vt corpus deuorarent, quæ* CORPVS INTACTVM CVSTODIENTES ADORABANT. Tam piæ fuerunt in defunctum martyrem feræ, vt pro laniatu cuſtodiam, & pro laceratione illi exhibuerint adorationem.

Feræ cadauer cuſtodientes, & adorantes.

Petrus de Natalibus.

18 Prophetam Dei eius verbo inobedientem, & contrà id, quod præceptum fuerat, in ciuitate Bethel comedentem, leo in viâ inuenit, & ſtatim vnguibus, ac dentibus aggrediens, occidit. Non tamen eum poſt mortem laniauit, aut diſcerpſit, ſed cuſtodiuit mortuum, quem paulò antè necauerat viuum. O' mirabilem in defunctum Prophetam immaniſſimæ feræ pietatem, quæ occiſum cadauer cuſtodire, atque ad illius funus voluit ſine læſione adſtare! Hanc Leonis pietatem admiratus D. Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 7. inquiebat. *Ipſum eius corpus* IDEM LEO, *qui occiderat, cuſtodiuit.* Aſtitit Leo poſt occiſionem ad cuſtodiam, & in quem ſæuitiam ſuam exercuerat viuum, pietatem exercuit, dum eum conſpexit defunctum.

Ad prophetæ mortui cuſtodiam adſtitit Leo.

D. Auguſt.

19 Ex hoc autem factum eſt, vt alius Propheta, qui eum deceperat, eò pergere non timuerit, vbi occiſus fuerat, vt illius transferret cadauer ad ſepulchrum. *Dixitque ad filios ſuos, ſternite mihi aſinum. Qui cùm ſtrauiſſent, & ille abiiſſet, inuenit cadauer eius proiectum in viâ, & aſinum, & leonem ſtantes iuxtà cadauer.* 3. Reg. 13. 27. Miror, quòd iſte Propheta non metueret à Leone occidi, quem nouerat adhuc manere iuxtà cadauer? Cur non timuit interfici deceptor, dum iam interfectum audierat deceptum? Cur patrati ſceleris author, locum adire non veretur, vbi aderat eiuſdem ſceleris vltor? Cur tandem qui neglexerat Dei præceptum, ad Leonem profectus eſt diuinæ vltionis miniſtrum? Quia cognouit Leonē iuxtà cadauer manere, non vt occideret ſepelientem, ſed vt ſepulturæ traderetur occiſus. Apiè Dionyſius Carthuſianus in hunc locum. *Non timuit malus ille Propheta à* LEONE *occidi, quia perpendit* LEONEM *ideò iuxtà cadauer manere, vt traderetur mox ſepulturæ.* Tanta in Leone pietas viguit ergà defunctum, vt eius cadaueri cuſtos aſtiterit, expectans, donec aliquis aduenirct, qui debito exequiarum officio ſoluto, ſepulturæ locum ei præberet.

Expectauit, vt cadauer traderetur ſepulturæ.

Dion. Cart.

20 Sed quod addidit Abulenſis, huius feræ clariùs pietatem expreſſit. Prophetam enim dixit non timuiſſe cadauer ſepèlire defuncti, quia priuſquam ille accederet, Leo, ne ſuâ præſentiâ timorem incuteret, ac illud pietatis obſequium impediret, receſſit. Acceſſit, vt occideret, perſeuerauit, vt cuſtodiret, receſſit, vt animum ſepelienti præberet, ſicque factum eſt, vt ſæuum in viuum, pium in mortuum, & clementiſſimum ſe ſe oſtenderit in ſepeliendum. *Credēdum*, inquit Abulenſis, *quòd antequam accederet iſte Propheta ad locum cadaueris, per aliquantum ſpatium* LEO *quaſi ſentiens, iſtum venire ad tollendum cadauer receſſerit, locum dans, vt non timeret Propheta accedere.* O' miram Leonis in defunctum cadauer pietatem, qui & cuſtodiuit derelictum, & dereliquit, ne humatori timorem incuteret, ſepeliendum.

Receſſit, vt poſſet alius Propheta Prophetam occiſum humare.

Abulenſ.

21 Neque vnicus fuit Leo, in quo tanta vigeret pietas ergà defunctos, ſed alius etiam eamdem impendit pietatem ſancto cadaueri Mariæ Aegiptiacæ, quod cùm ſepelire Abbas Zoſimas, qui ſolus aderat, non valeret (annorum enim pondus, & virium hebetudo terram eum effodere non ſinebat) Leo ab intimâ deſerti parte veniens, terram vngulis effodit, & feritate depoſitâ ſepulchri locum parauit. Apponere hìc non grauabor verba eiuſdem Abulenſis ad eumdem locū ita loquentis. *Depoſitâ omni feritate, apud Zoſimam veniens, ſanctiſſimo cadaueri ſepulchri locum vngularum officio fodit, & ſic Zoſimas, &* LEO, *tanquam duo conſortes, illi religioſiſſimæ fœminæ pium officium funeris impenderunt, quo expleto receſſit* LEO. Conſortes hominum fiunt Leones, vt defunctis ſepulchra parent, & funerum officia impendant.

Leo ſe conſortem in ſepulturæ officio Zoſimæ exhibuit.

Abulenſ.

22 Eamdem confirmat pietatem id, quod in Breuiario Romano habetur de ſepulturâ Diui Pauli primi eremorum cultoris, & Eremitarum magiſtri, ſub die 16. Ianuarij. Antoninm ſcilicet, cùm ſarculum, quo terram effoderet, non haberet, in humandi officio duos Leones habuiſſe conſortes, qui foueam, quæ cadauer capere poſſet, vngulis, & pedibus efficientes, quo modo poterant, beati ſenis mortem plorauerunt. Duo LEONES *ex interiore eremo rapido curſu ad beati Senis corpus feruntur, vt facilè intelligeretur, eos, quo modo poterant, ploratum edere, qui certatim terram pedibus effodientes, foueam, quæ hominem commodè caperet, effecerunt.* En Leones adeò in mortuos pietate præſtantes, vt eis foueas effodere, ſepulchra parare, ploratum quemdam exhibere; & alia quæuis obſequia impendere voluerint.

Foueam Leones fecere ad ſepeliendum cadauer.

Breuiarium Romanum.

23 Hìc reticere non poſſum, quod vetus Homeri Scholiaſtes in Iliad. 18. aduertit, carmina illa expendens.

Ὡς δ' ἀπὸ σώματος ὕτι λέοντ' αἴθωνα δύναντο

A cadaueribus deuorandis Leones abſtinent.

Homerus.

Ποι-

Digitized by Google

Ποιμένες ἄγραυλοι μέγα πεινάοντα δίεσθαι
Ὥς ῥα τὸν οὐκ ἐδύναντο δύω Αἴαντε κορυστὰ
Ἕκτορα Πριαμίδην ἀπὸ νεκροῦ δειδίξασθαι.
Sicut autem à corpore minimè leonē fuluū poſſunt
Paſtores agreſtes valdè eſurientem abigere:
Sic hunc non poterant duo Aiaces armati
Hectorem Priamidem à cadauere abſterrere.

Obſeruat ergò in poſtremo carmine dictum eſſe *ἀπὸ νεκροῦ*, *à cadauere*, in primo verò *ἀπὸ σώματος*, *à corpore*. Cur dum de Patrocli cadauere, in quod Hector irruebat, agebat, ſimilitudine Leonis non eſt vſus Poëta in cadauer irruentis? Quia Leo pietate ductus in defunctos, licet viua lædat, ac deuoret, mortua tamen cadauera non laniat, nec abſumit. Hæc ſunt verba Scholaſtis *ἀπὸ τοῦ ζῶντος· νεκροῦ γάρ φασι μὴ ἅπτεσθαι*. *A' corpore viuente*, A' MORTVO ENIM FAMA EST ABSTINERE LEONEM. Abſtinent à defunctis Leones, & qui viuis mortem inferunt, mortuis pietatem impendunt.

Scholiaſt. Homeri.

Leones Ignatij mortui carnes non tetigerunt.

24 His addendum puto, quod beato martyri contigit Ignatio, cui cùm Imperator duos ferociſſimos Leones laxari præcepiſſet, iſti à Sancto prouocati, qui vt Chriſti frumentum eorum dentibus contundi cupiebat, eum quidem viuũ præfocauerunt, ſed mortuum nullâ in parte læſerunt. Quâ re cognitâ, ne Leonibus immanior videretur, iuſſit Traianus ſancto cadaueri ſepulturæ officium concedi. Diſces id ex Petro de Natalibus lib. 3. Catal. cap. 65. *Accurrentes ergò* DVO SALVI LEONES, *ipſum tantummodo præfocauerunt, carnes autem eius, quamuis famelici, nullatenus tetigerunt. Traianus autem hoc videns, admiratus diſceſſit, præcipiens, vt non prohiberetur, ſi quis vellet tollere corpus eius.* A' feris didicit immanis tyrannus humanitatem, nec potuit non eſſe pius in mortuum, quem à Leonibus tantâ pietate iacere videbat illęſum.

Petrus de Natalibus.

Vrſi lacerauerunt pueros viuos, ſed non comederunt mortuos.

25 Non tantùm autem à Leonibus, ſed & ab Vrſis pietatem defunctis exhibitam admiror. Aſcendente ad Ciuitatem Bethel Prophetâ Eliſæo, nonnulli pueri egredientes in occurſum eius, puerilibus conuicijs viro Dei adeò contumelioſè illuſerunt, vt ille garrulitate importunâ exacerbatus, ſuâ eos maledictione mulctauerit. Cuius maledictionis vis illicò apparuit, nam egreſſi de nemore duo vrſi quadraginta duos lacerauerunt ex eis. *Maledixit eis in nomine Domini, egreſſique ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* 4. Reg. 2. 24. Signatè dictũ eſt, *Lacerauerunt*, non *comederunt*, nam iſti Vrſi pietatem quodammodo exhibentes defunctis, quos lacerauerant viuos, pueros noluerunt comedere mortuos. Annuit Abulenſis ad hunc locum. *Sciendum vlteriùs, quòd* ISTI VRSI *lacerauerunt quadraginta duos pueros, &* NON COMEDERVNT EOS. Lacerauerunt quidem viuos, at non comederunt mortuos, vt nobis innoteſceret, in feris quoque locum habere pietatem ergà defunctos.

Abulenſis.

Delphini cadauer ad litus detulerunt.

26 Reliquum eſt, vt de Animalium aquatiliũ pietate dicamus, cuius maximum ſpecimen exhibuerunt Delphini, qui cadauera ſanctorum martyrum Adriani, & ſociorum eius in mare proiecta, ſuper humeros ſuos ſuceperunt, & ad litus, vt à Chriſtianis religioſè humarentur, detulerunt. Rem geſtam narrat Petrus de Natalibus lib. 3. Catal. cap. 184. his verbis. *Die igitur octauâ ſerui Adriani ad litus præſtolabãtur. Et ecce quinque ſanctorum corpora* SVPER QVINQVE DELPHINOS AD LITVS ALLATA DEDVCVNTVR. Non tantùm volatilium, & terreſtrium, ſed etiam aquatilium animalium pietatem defuncti experiuntur; ſi quidem humeri quoque delphinorum ad ſepulturam cadauera extulerunt mortuorum.

Petrus de Natalibus.

Crocodilus hominem interficit viuũ, & plorat defunctum.

27 Adeò vulgatum eſt, Crocodilum, hominem, quem interficit viuum, plorare defunctum, vt hæc illius proprietas occaſionem præbuerit communi, quod circumfertur, adagio. *Lachrymæ Crocodili*. Quod in eos quadrat, qui damnum, quod intulerunt, moleſtè ſe ferre fingunt. Hanc verò Crocodili pietatem refert nouiſſimè Vlyſſes Aldrouandus lib. primo de Quadrup. digit. ouip. *Sunt, qui dicunt ex Alberto*, CROCODILVM, *oblatâ occaſione hominem interficere, ſed* POST MORTEM DEPLORARE. Adagium verò explicans Paulus Manutius inquit *κροκοδείλου δάκρυα*, *ideſt* CROCODILI *lachrymæ. De ijs, qui ſe ſe ſimulant grauiter angi incommodo cuiuſpiam, cui perniciem attulerint ipſi.* Eum poſt mortem deplorat, quem in vitâ enecat, quique homicidio impium in viuentem, lachrymis pium ſe oſtendit in defunctum. Dum igitur Animalia volatilia, terreſtria, & aquatilia in mortuos clementia oſtendimus, rectè concludere poſſumus homines à Brutorum pietate ad pietatem prouocari ergà defunctos.

Vlyſſes Aldrouandus.

Paulus Manutius.

CAPVT XIV.

Res omni ſenſu carentes, eo modo, quo poſſunt, mortuis pietatem impendunt.

Cœlũ aquas cohibuit, ne pompam turbaret exequiarum.

1 ERgonè quæ animâ nullâ vegetantur, pietate animantur in defunctos? Ergò quæ ſenſu prorſus deſtituuntur, clemẽtiæ ſenſu ducuntur in mortuos? Ergò quæ mori non poſſunt, quia non viuunt, viuentium miſerentur, quando moriuntur? Ita profectò: ſuo enim modo etiam inanimata mortuis pietatem impendunt. Quod vt ordinatè oſtendam, priùs in creaturis cœleſtibus, ac deindè in elementaribus hanc pietatem vigere probabo. Porrò Cœlum pietatem impendiſſe mortuis oſtendit Plutarchus in Sylla. Cùm enim in eius funere nubilum eſſet Cœlum, & imbres iam iam expectarentur, non tamen, niſi elato cadauere, accenſo rogo, excitatâ flammâ, & combuſtis defuncti reliquijs, pluuia deſcendit. Sicque factum eſt, vt ad eius funus peragendum etiam Cœlum, pietatem, quam poterat, exhibens, pluuijs concurreret retentis. *Cùm eſſet à primâ luce*, inquit Plutarchus, *nubilum* COELVM, *quia expectabant imbrem, non*

Plutarchus.

nisi

niſi non à horâ extulerunt cadauer. Tùm vento increbreſcente, & delato in rogum, flammamque excitante luculentam, tantò priùs combuſtum corpus fuit, quatenus rogo iam tabeſcente, atque igne emoriente, excuſſa eſt larga pluuia, quæ ad noctem vſque tenuit. Ita perpetua fœlicitas eum etiam funere peragendo eſt comitata. Fœlicitatem defuncti Syllæ funeri Cœlum tribuit, & pluuias cohibens, quas parauerat, aquas emittere diſtulit, donec in rogo cadauer arderet, ne intempeſtiuo aquarum defluxu pompam turbaret exequiarum.

Sol in Chriſti exequijs atratus eum plorauit.

2 Inter alia prodigia, quæ, Chriſto patiente, naturam quoque cum ſuo authore pati declarauerunt, Solis enumeratur meridiana obſcuritas. *A' ſextâ autem horâ tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Matth. 27. 45. Dubitari hìc poteſt, cur Sol tenebris ſe ſe velauerit, qui potiùs multiplicatis radijs Chriſti mundum redimentis pietatem cunctis monſtrare debebat. Vt quid ſuos radios tenebroſus retraxit in Cœlis, dum Chriſtus diuinæ pietatis radijs fulgebat in terris? Vt quid Mundum, quem Chriſtus redemptionis beneficio illuſtrabat, eclipſis defectu obſcurauit? Vt quid tandem homines, quos Deus gratiæ lumine recreabat, diurnâ luce orbauit? Exiſtimo ego id ſolem egiſſe, vt tenebris veluti atro indutus amictu, iam morięti exequias celebraret Redemptori.

Atra veſtis in luctu, & atrati dicti lugentes.

Adeò apud omnes teſtatum eſt lugentes defunctos atras adhibuiſſe veſtes, vt ſuperfluum prorſus tam manifeſtæ veritatis probationes afferre videatur. Hinc enim ortum eſt, quòd lugentes atrati dicerentur, vt conſtat ex Dionyſio Halicarnaſſeo lib. 8. Antiqu. Roman. *Romanorum matronæ, vt mos eſt illis in luctu domeſtico, & neceſſariorum funeribus, depoſito auro, & purpurâ, cæteroque ornatu,* ATRATAE *ipſum per annum integrum luxerunt.* ex Macrobio lib. 3, Saturnaliū cap. 15. *Mortuam* ATRATVS, *tamquam filiam luxit*, & ex Cornelio Tacito lib. 3. Annalium loquente de funere Germanici. ATRATA *plebes, trabeati equites.* Vt ergò Sol eo modo, quo poterat, Chriſtum lugeret defunctum, horrendis tenebris radios abſcondens, veluti atrâ veſte indutus, in ſui apparuit exequijs Creatoris. Audiamus Muſam Cœlij Sedulij lib. 4. operis Paſchalis in Bibliothecâ veterum Patrum ita canentem.

Dion. Halicarnaſ. — *Macrobius.* — *Cornelius Tacitus.* — *Cœlius Sedulius.*

Intereà horrendæ ſubitò venere tenebræ
Et totum tenuere polum, mœſtiſque nigrantem
Exequijs texere diem, ſol nube coruſcos
Abſcondens radios TETRO VELATVS AMICTV
Deſtituit, triſtemque infecit luctibus orbem.

O' cœleſtis Creaturæ miram in defunctum Creatorem pietatem, quæ illum, & retrahens radios luxit, & tenebris atrata plorauit. Imò, vt addit D. Maximus in die Paſchæ, ſuâ ei obſcuritate ad exequias ſepulturæ miniſterium præbuit. *Tanquam bonus miniſter obſcuratus eſt* AD EXEQVIAS SEPVLTVRAE. Nimirùm eò tendit cum ſuis luminaribus Cœlum, vt defunctis eo modo, quo poteſt, pietatis obſequia præſtet.

D. Maximus

Elementorum pietas erga Chriſtum defunctum.

3 Quòd ſi à cœleſtibus ad Creaturas elementares deſcendere velimus, quis dubitat omnia Elementa in Chriſti occaſu mœſta ſuum authorem ſuo modo ploraſſe defunctum? Do præcitatum Sedulium id ibidem ſuis carminibus aſſirmantem.

Sedulius.

HVNC ELEMENTA *ſibi meruerunt cernere vultum*
Auxilijs orbata Patris, lætata per ortum,
MOESTA PER OCCASVM.

Quæ Chriſto exoriente lætitiæ ſigna dederant, eadem elementa inſolitis mutationibus mœſta in eius morte apparuerunt, vt ſicuti læta ſuſceperant natum, ita triſtia plorarent defunctum.

Inſenſibiliū Elementorum pietas crudelium hominū impietatem condemnat. — *Simon Caſſianus.*

4 Quare vt inſenſibilium elementorum pietate impiorum hominum ſæuitiam argueret, qui Chriſtum etiam mortuum conuicijs exagitare, vulneribus confodere, ac ſatellitibus cuſtodire auſi ſunt, hæc protulit Simon Caſſianus lib. 13. in Euangelia cap. 123. *Quod ſaui homines non agunt,* INSENSIBILIA CVNCTA *perficiunt.* Quem truculenti blaſphemabant Iudæi inanimes lugebant creaturę, dumque de Chriſti morte ſæua corda gaudebant, exequiarum luctum inſenſibilia elementa perficiebant.

Ignis pietas in mortuos.

5 Verùm vt pietatem, quâ elementares Creaturæ defunctos proſequuntur, ſigillatim oſtendam, ab igne incipio, & obſeruo Nadab, & Abiu filios Aaron, qui thuribulis contrà Domini præceptum ignem impoſuerunt alienum, igne, iubente Domino, egreſſo fuiſſe interemptos. Quos vt filij Oziel viderunt mortuos, cadauera lineis adhuc tunicis induta extulerunt ad ſepulturam. *Conſeſtimque pergentes tulerunt eos, ſicut iacebant, veſtitos lineis tunicis, & eiecerunt foras, vt ſibi fuerat imperatum.* Leuit. 10. 5. Dubium hìc non leue oritur, quomodo hi viri filios Aaron lineis veſtibus indutos humauerint, dum conſtat eos igne fuiſſe abſumptos. Nonnè ignis carnes, corpora, & vniuerſa comburit indumenta? Quo igitur pacto cum combuſtione cohæret humatio cadauerum lineis adhuc veſtibus indutorum? Nunquid lineæ veſtes ignis poterant reſiſtere voracitati? Nequaquam; ſed ignis, qui mortem intulerat viuis, pietatem exhibuit mortuis, cadauera illæſa, & veſtes conſeruans incombuſtas. Ingero verba Dionyſij Carthuſiani ad rem noſtram hunc locū explicantis. *Tulerunt eos, ſicut iacebant, veſtitos, & eiecerunt foras, vt ſibi fuerat imperatum. Ex quo elicitur, quòd nec corpora eorum erant incinerata, nec veſtes læſæ.* Ignis pietatem ſuam mortuis impendit, quoſque interfecit viuos, noluit cremare interfectos.

Dion. Carth.

Aer lugens in exequijs mortuorum.

6 Ab igne tranſeo ad aërem, quem in morte hominum luxiſſe clariſſimè indicat D. Gregorius Nazianzenus Oratione de Machabæis, dum matrem ſanctorum martyrum Machabæorum laudat, non lugentem in morte filiorum, ſed gaudentem, quòd eos ad Deum præmitteret æternâ

gloriâ

gloriâ beandos. Cùm enim omnia luctûs inſignia eam inducat à ſe abdicantem, aërem quoque inter cætera enumerat, qui tenebris concluſus in exequijs quodammodo lugere conſueuerat mortuorum. *Non comam*, inquit Nazianzenus, *laniabo, non veſtes ſcindam, non carnes vnguibus lacerabo, non planctum excitabo, non præficas accerſam, non tenebras concludam* Vt Ipse Qvoqve Aer Fortvnas Meas Lvgeat. Ad quæ verba Niectas illius Scholiaſtes hæc loquitur. *Quidam enim ex his, qui grauiſſimo mœrore premebantur, in cubiculum ſeipſos includentes, atque omnem lucis aditum obſtruentes, per huiuſmodi tenebroſam habitationem ſemetipſos excruciabant, atque adeò tenebras cõcludebant, ianuas omni ex parte peſſulo obdentes, nimirum* Vt Detentvs Aer Caligine Velvt Pvllatvs Simvl Cvm Ipsis Lvgere, Atqve Ingemiscere Videretvr. Quid clarius? Quid elegantius? Nonnè vides aërem in exequiis defunctorum pullatum, & ſimul cum hominibus, dum tenebris concluditur eorum mortem lugentem?

D. Greg Naz.

Nicetas.

7 Quin, & interdum flammeis coruſcationibus, repentinis pluuiis, ac furentibus nimbis impiorum impediuit ſæuitiam ergà defunctos. Sanctum Marinum Chriſtianam fidem inter ſæua tormenta confitentem impius decollauit tyrannus. Qui ſæuitiam, quâ extinxerat viuum, adhuc retinens in mortuum, iuſſit illius cadauer ad ea loca præcipitari, vbi latronum corpora iactari ſolebant, ne illi à Chriſtianis extrema ſepulturæ officia impenderentur. At cùm impium facinus deteſtabiles aggrederentur miniſtri, repẽtinâ tempeſtate ortâ, ventorum vi irruente, ac aëre turbine agitato, exterriti, coacti ſunt fugã capeſſere, ac ſanctum cadauer, vt ſepulturæ officio donaretur, dimittere. Rem narrat Petrus de Natalibus lib. 2. Catalogi cap. 6. his verbis: *Quem* (Marinum) *Præfectus decollari præcepit, corpuſque eius in præcipitium mitti, vbi & latronum corpora iactabantur, vt ſepulturâ careret:* Orta Avtem Tempestate Cvm Corvscantibvs Nimbis, *fugientibuſque miniſtris à Sancto Theophilo Epiſcopo corpus raptum dignâ veneratione ſepultum eſt.* Pietatem Aër ſuo modo exercet in defunctos, quapropter eorum iniurias, tempeſtate, coruſcationibus, & nimbis propulſare conatur.

Defunctorum iniurias propulſat.

Petrus de Natalibus.

8 Hanc Aëris pietatem non ignorabant Gẽtiles, qui dum mortuorum cadauera rogis imponebant, ventos, vt faciliùs, citiùſque cremarentur, inuocabant. Vndè Homerus Iliade 23.

Gentiles ventos, vt rogo impoſitum cadauer, citò comburerent, implorabant.

Homerus.

Tunc rurſus alia cogitauit pedibus fortis diuus Achilles
Stans procul à pirâ DVOS ORAVIT VENTOS
BOREAM, ET ZEPHYRVM, & promiſit ſacra pulchra:
Multùm autem & libans aureo calice rogabat.
Venire, vt citiſſimè igne comburerent mortuum.

& Propertius Elegiâ ad Cynthiam lib. 4.

Propertius.

Cur VENTOS non ipſe rogis ingrate petiſti?

& Herodianus lib. 4. *Dein impoſito in medium, mactatiſque omne genus animalibus ſubiecit ignem, phialamque manu tenens, vinumque libans,* Ventos Precabatvr.

Herodianus.

9 Nempè Aëris pietatem in mortuos experti eum, vt ſuis ventis citò cadauera cremaret implorabant. Quod Syllæ cadauer obtinuiſſe docet Plutarchus in Syllâ. *Ibi* Ventvs Cvm Procella In Rogvm Incvbvit, *multâque flammâ excitatâ, corpus cremauit.* Et Photius in excerptis ex Ctœſiâ Clearchum mortuũ refert à ventis ſepulchrali aggere contectum, & celeriter humatum. *Clearchus morte mulctatus eſt, & circà eius cadauer oſtentum hoc extitit, quòd* Flante Vento Vehementissimo, *ſepulchralis agger magnæ altitudinis ſponte ſuâ id contexerit.* Quæ omnia ſatis Aëris, & ventorum pietatem probant ergà defunctos.

Syllæ Cadauer venti citò cremauerũt.

Plutarchus.

Clearchus à flante vento ſepultus.

Photius.

10 Venio ad Aquam, cuius pietatem in mortuos teſtatur Ouidius lib. 11. Metamorph, dum ait in morte Orphei flumina luxiſſe, ac ſuis lachrymis in illius exequiis increuiſſe

Aqua luctus tributus in funeribus Orphei, & Druſi.

Ouidius.

Fleuerunt ſyluæ, poſitis te frondibus arbor
Tonſa comas luxit, LACHRYMIS QVOQVE FLVMINA DICVNT
INCREVISSE SVIS.

Quod idem fingit Tyberim feciſſe in funere Druſi, hæc in conſolatione ad Liuiam canens.

Ipſe pater flauis Tyberinus adhorruit vndis,
Suſtulit è medio nubilus amne caput.
Tùm ſalice implexum, muſcoque, & arundine crinem
Cæruleum magnâ legit ab ore manu,
Vberibuſque oculis LACHRYMARVM FLVMINA *miſit.*
Vix caput adiectas alueus altus aquas.
Iamque rogis flammas extinguere fluminis illu,
Corpus & intactum tollere certus erat

Adeò pium ergà defunctos crediderunt Aquæ elementum, vt ei, & luctum, & mœrorem in funeribus interdum præbuerint mortuorum.

11 Quin & mos inoleuit antiquiſſimus à priſcis ad noſtra vſque tempora ſeruatus abluendi aquæ lauacro cadauera mortuorum. Cuius moris meminit Apuleius lib. 8. Metamorph. *Miſera Charites accuratiſſimè* Corpvs Ablvtvm. Vbi Beroaldus. *Ex ritu*, inquit, *priſcorum, apud quos* Cadavera Ablvebantvr.

Aquâ cadauera lota mortuorum.

Apuleius.

Beroaldus.

Homerus Iliade 24.

Homerus.

Reliqueruntque duo pallia, benè contextamque tunicam
Vt cadauer tectum daret domum ferendum
Ancillas autem euocans LAVARE *iuſſit.*

Herodotus lib. 2. *Cadauer vbi* Ablvervnt, *ſindone byſsinâ totum inciſis loris inuoluunt.* Virgilius etiam lib. 6. Aeneidum loquens de funere Miſeni cecinit.

Herodotus.

Virgilius.

Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt, CORPVSQVE LAVANT *frigentis, & vngunt*

Ad

Digitized by Google

Seruius. *Donatus.*

Ad quæ ait Seruius. *Seruabantur radauera octo diebus, & ralidâ* ABLVEBANTVR. Donatus verò rationem reddens, eur aqua adhiberetur calida, ibidem ait. *Hæc fuit rauſa ealidæ aquæ expediendæ, vt frigens corpus, hoc eſt frigidum* AQVA CALIDA LAVARETVR. Saeri etiam codices hūc morem non prætericrunt; quare Act. 9. 37. De Tabithâ dicitur, *Factum eſt autem in diebus illis, vt infirmata moreretur, quam* CVM LAVISSENT, *poſuerunt ram in eocnaculo*, & 3. Reg. 22. 38. de Rege Achab. ET LAVERVNT *rurrum eius in piſcinâ Samariæ*. Ad quæ Oleaſtee in Leuit. 20. ait.

Oleaſter,

Solebant enim occiſi ſangume ſuo ſædati LAVARI, *quemadmodum ronſtat de Rege Achab*. Hine genus pœnæ putabatur illotum poſt mortem eelinquis; vndè puniens Dominus eum, qui parentibus maledicit, dixit. *Patri, matrique qui maledixerit, ſanguis eius ſit ſuper eum*. Leuit. 20. 9. *ideſt*, explicat Oleaſtee, *foedatus ſangume ſuo manebit*, NON LAVABITVR. Et iure quidem aqua lauandis cadaueribus adhibetur, vt pium in mortuos elementum, in funeribus, & exequiis adhibeatur mortuorum.

Aquis obruè beatiſſimum apud Hyperboreos ſepulturæ genus. Plinius.

12 Quid? quòd populi quidam fuerunt, qui aquis morientes ſe commendauerunt, nec aliud ſepulchrum, præter mare ſibi elegerunt? De Hyperboreis teſtatur id Plinius lib. 4. natural. hiſt. cap. 12. *Mors non niſi ſatietate vitæ, epulatis, delibutiſque ſenibus luxu ex quadam rupe* IN MARE *ſalientibus. Hoc genus ſepulturæ beatiſſimum*. Tam pium in mortuos eenſebant elementum aquæ, vt ei adhue viuentes ſua commendarent cadauera, & ſepulturæ fœliciſſimum genus dueerent aquis obruentibus humari.

Cadauerum humorem receptum, vt reſurgāt, aqua reſtituet.

13 Ad ſaera volumina redeo, & obſeruo id, quod habetur Apoc. 20. 13. mare in extremâ hominum reſurrectione mortuos redditurum. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant*. Quid autem eſt mare dare mortuos, qui in eo ſunt, niſi aquas humorem hominum, in quem eeſoluti fuerant, & qui ad ſe peruenerat, reddere, vt cadaueea viuificari poſſint defunctorum? Vt enim aqua pietatem quamdam ſe in mortuos habere declaret, eorum quodammodo reſurrectioni cooperabitur, humorem reſtituens, quem reſoluto cadauere recepit. Audiatur Aretas Epiſcopus Cæſaeeæ cap. 64. in Apocalypſim in Biblioth. veter. Pat.

Aretas.

Quemadmodum corpora in principio, cùm non eſſent, eſſe cæperunt, non raſu quodam, aut ex ſeſe, ſed ex quatuor elementis, aquâ videlicet, igne, aere, ac terrâ, ita etiam rationabiliter in hac eadem rurſum reſoluta, ex iiſdem iterum rompingentur. Verùm quia hoc etiam rurſum rarum partium, quæ ab initio fuerunt, ad hominum ſubſiſtentiam, conrurſus eſt, iccircò ait. Mare, hoc eſt AQVARVM SVBSTANTIAM *humorem effudiſſe, qui ad ſe peruenerat*. Effundet aqua cadauerum humores, vt excitētur, & quod receperat reſtituet, vt mortui reſureectionis beneficio rediuiui potiantue.

Mare retroceſſit, vt cada-

14 Res digna memoriâ eſt, quæ à D. Ephrē Martyre apud Surium ſub die 23. Nouembris de cadauere Sancti Martyris Clementis recenſetur. Illud ſcilicet ab impiis in mare proiectum aquā excepiſſe, & vt poſſet à fidelibus adorari ad tria milliaria receſſiſſe. Quod miraculum ſuis adhuc temporibus perſeuerare, ae quotannis contingere idem Sanctus teſtatur. *Protinùs* IMMENSVM ILLVD PELAGVS *deſiſtens, & retroeedens effecit, vt profundum adiri poſſet à fidelibus vſque ad tria milliaria*. Et poſt pauca. *Ab eo tempore vſque ad hodiernum diem ſingulis annis fit hoc miraculum*. Quid pro Aquarum pietate in mortuos poterat, vel aptius, vel efficacius afferri?

uer D. Clementis à fidelibus adoraretur. *S. Ephrem.*

15 Poſteemum, & ignobilius elementum eſt terra, cuius pietatem in moetuos terræmotus declarat, quem eircà Domini ſepulchrum contigiſſe Matthæus affirmat cap. 28. 2. *Et ecce terræmotus factus eſt magnus*. Cur terra tremuit, dum Chriſti corpus in ſepulchro, & animam recipere meruit in Lymbo? Cur potiùs non exultat, dum ſe intra ſua viſcera ſuum cognoſcit hoſpitari authoeem? Rationem affert in Biblioth. veteeum Patrum Chriſtianus Druthmarus in Paſſionem Domini. TERRAEMOTVS *factus eſt propter cuſtodes, vt terreſentur, vt non auderent prohibere venientes*. Pia in Cheiſtum mortuum terra tremuit, vt exterriti terræmotu cuſtodes, venientes ad ſepulchrum, vt ei pietatis obſequia impenderent, inſolentiâ militari non turbarent.

Terra tremuit, vt cuſtodes turbaret venientes ad ſepulchrum. *Chriſtianus Druthmarus.*

16 Nec minùs ad rem noſtram facit cauſa, quam affeet huius terræmotus D. Ioannes Chryſoſtomus in catenâ in cap. 28. Matthæi, iccircò ſcilicet terram tremuiſſe, vt mulieres, quæ ad ſepulchrum acceſſerant, excitaret, ac ſi eas eircà monumentum non dormitantes vellet, ſed vigilantes. Hæc ſunt ſancti Patris verba. *Ideò* TERRAEMOTVS *factus eſt, vt exurgant, & euigilent mulieres; etenim acceſſerant, vt vnguentū mitterent, & quia in nocte hæc gerebantur, probabile eſt quaſdam obdormiuiſſe*. Tantâ pietate mortuos terra proſequitur, vt ad excitandas mulieres, quę circa illorum ſepulchra obdormiebant, & montem concuſſerit, & lapides ſciderit, & tota tremuerit.

Tremuit etiā vt mulieres excitaret circà ſepulchrū obdormientes. *D. Io. Chryſ.*

17 Hac eadem pietate ſe præditam tunc quoque oſtendit, cùm ſciſſis petris mota eſt, poſtquā Chriſtus in Cruce ſpiritum emiſit. *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt*. Matth. 27. 51. Vt quid enim teera mota eſt, niſi quia Cheiſto mortuo compatiens, eum ferre non ſuſtinebat, in cruce pendentem, & in ſepultum? Annuit Gloſſa Ordinaria in hunc locum. TERRA *mouetur, Dominū ſuum pendentem ferre non ſuſtinens*. Eâ pietate in Chriſtum defunctum terra flagrauit, vt eum ſuſtinere non poſſet irriſum in eruce pendentem, & in ſepultum.

Terra mota eſt Chriſtum ſuſtinere non potens in Cruce in ſepulcrō. *Gloſſa Ordin.*

18 Moyſis mortui ſepulchrum omnibus fuiſſe ignotum ſacræ nobis literæ tradunt. *Et non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem*. Deut. 34. 6. Cur verò ignotum primi populi Dei legiſlatoris, ac tanti viri ſepulchrum? Quia deficiente in montis vertice, vbi fatis con-

Terra, vt Moyſem humaret, proprium lacerauit ſinum.

ceſſit,

ceſſit, qui eum ſepeliret, pia in defunctos terra ſeipſam proſcidit, & intrà ſinum ſuum, nemine ſepeliente, mortuum corpus recepit. *Fuerunt quidam*, inquit Oleaſter, *dicentes* TERRAM IBIDEM RVPTAM *cadauer eius recepiſſe*. Pietatem ſuam defuncto Moyſi terra exhibuit, dumque nullus aderat, qui eum ſepeliret, proprio, lacerato ſinu, intrà ſua viſcera eum humauit.

Oleaſter.

Terra ſe aperuit, vt ad Lymbi defunctos lux deſcenderet.

19 In Chriſti Natiuitate populum in Lymbi, ac Purgatorij tenebris lucem magnam viſurum Iſaias prædixit Propheta. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis.* Iſa. 9. 2. Noctem, quâ Chriſtus natus eſt, ſicut diem, illuminatam, & inſolitâ luce fulgentem, ex D. Ioanne Damaſceno ſcribit Petrus de Natalibus lib. 2. Catal. cap. 1. *Scribit Damaſcenus ſuper illo verbo Pſalmi. Nox ſicut dies illuminabitur, quòd illud nocte Natiuitatis dominicæ adimpletum fuit, quæ nox in horâ natiuitatis eiuſdem, videlicet nocte mediá, in claritatem diei conuerſa eſt.* Cæterùm quo pacto potuit hæc lux penetrare ad inferos, ita vt etiam ambulantibus in tenebris, ac habitantibus in regione vmbræ mortis oriretur? Audi, quid ſubdat. *Et quia ipſa lux ad Patres, qui erant in Lymbo deſcendere non poterat*, TERRA SE IN PLVRIBVS LOCIS APERVIT, *& per eius rimas lux ad patres vſque deſcendit, & ſic adimpleta eſt prophetia Iſaiæ: Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, quod in Miſſâ noctis ipſius legitur, prout ad literam contigiſſe dicitur.* Suam in mortuos pietatem terra oſtendit, quia, vt illi ortam in ſuum beneficium lucem aſpicere poſſent, ſe aperuit, ac per rimas luci, vt ſuo radio ad inferos tranſiret, locum fecit.

Io. Damaſc.
Petrus de Natalibus.

Terram Gentiles pro mortuis implorâſſe.

20 Nec fuit hæc terræ pietas ergà mortuos priſcis ignota gentilibus, qui eam orare conſueuerant, vt mortuorum oſſa leuiter tegere vellet. Sic Horatius lib. 1. Epigr. 35.

Horatius.

Mollia nec rigidus ceſpes tegat oſſa, nec illi
TERRA grauis fueris: non fuit illa tibi

Sic Meleager in Anthologiâ lib. 3. cap. 1.

Meleager.

Παμμῆτερ γῆ χαῖρε σὺ τὸν πάρος οὐ βαρὺν εἰς σὲ
Αὐσιγένην, καὶ αὐτὴ νῦν ἐπίχυε ἄβαρυς.
Salue TERRA parens, nunc tu quoq; ſis leuis illi
Qui grauis antè tibi non fuit Auſigenes.

Sic Pedo Albinouanus Elegiâ de obitu Mœcenatis apud Raderum in lib. 5. Martialis

Pedo.

Nunc ego quid poſſum? TELLVS leuis oſſa teneto.

Idemque lapides quidam literati oſtendunt, cuiuſmodi eſt ille

TE TELLVS, ſanctoſque precor pro coniuge manes
Vos ite placidi, tu leuis oſſa tegas.

Et alius

TELLVS huic tumulo ne grauis eſſe velis.

Tantam videlicet priſci Gentiles agnoſcebant in terrâ ergà mortuos pietatem, vt illius auxilium, ac ſi animata foret, in eorum gratiam implorare non dubitarent.

Materna terræ pietas in mortuos.

21 Addo, quòd eam ita ergà mortuos piam crediderunt, vt cadauera defunctorum ab illâ, tanquam à piâ matre, dum à viuentibus abdicantur, dixerint gremio excipi, & nè à feris, ac auibus diſcerpantur, operiri. Ciceronis verba lib. 2. de Legibus aſſero, quæ ſunt huiuſmodi. *Reddit* TERRAE *corpus, & ita locatum, & ſitum, quaſi operimento* MATRIS *obducitur.* Ciceroni addo Plinium lib. 2. de Hiſtor. Naturali cap. 63 ſic loquentem. *Sequitur* TERRA, *cui vni rerum naturæ partium eximia propter merita cognomen indidimus* MATERNAE *venerationis. Sic hominum illa, vt Cælum Dei: quæ nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper. Nouiſſimè complexa gremio iam à reliquâ naturâ abdicatos, tùm maximè,* VT MATER OPERIENS, *nullo magis ſacramento, quàm quo nos quoque ſacros facit, etiam monumenta, ac titulos gerens, nomenque prorogans noſtrum, & memoriam extendens contrà breuitatem æui.* Religio fuiſſet aliquod ex his verbis omittere, quæ omnia terræ ſummam in homines tùm viuos, tùm mortuos pietatem præclarè declarãt. Clementiſſima enim mater nos ſuis fructibus alit viuentes, ſuoque gremio complectitur defunctos, vt dum maternum exhibet mortuis gremium, maternam quoque oſtendat ergà illos pietatem.

Cicero.

Plinius.

Vrbes lugentes in funeribus mortuorum.

22 Ex his rationem afferemus, cur Alexander Magnus in Hæpheſtionis morte tonſis iumẽtorum comis, vrbium quoque propugnacula deiecerit, earumque muros ornamentis conſuetis expoliauerit. Terræ namque pietatem in mortuos agnoſcens, terrenas vrbes in mortui amici exequijs reddidit ornamentorum depoſitione lugentes. Senſit hoc Plutarchus in Pelopidâ, cùm dixit. *Alexander Magnus Hæpheſtione mortuo, non equos ſolùm, & mulos comis priuauit, ſed propugnacula quoque murorum deiecit, vt* VRBES SPECIE TRISTI *prorsùs ac immutata crinibus nudata* LVGERE EVM VIDERENTVR. Perpende terræ vrbes in mortuorum exequijs ornamentis deſolatas, & ſine murorum propugnaculis lugentes.

Plutarchus.

Templum in Chriſti exequijs luxit.

23 Simili modo & Ieroſolymitanum templũ, Chriſto mortuo, luxit, ac velum, quo veſtiebatur, in duas partes diſrupit. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum*, Matth. 27. 51. Apud antiquos inuiolabiliter ſeruabatur, vt ſuperſtites in ſignum mœroris ſuas ſcinderẽt veſtes in funeribus defunctorum. Huc que alluſit Virgilius lib. 12. Aeneid.

Sciſſio veſtiũ in funeribus.

Virgilius.

Demittunt mentes, it SCISSA VESTE Latinus
Coniugis attonitus fatis, vrbiſque ruinâ

Et Iuuenalis lib. 4. Sat. 10.

Iuuenalis.

Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum ceruicibus, inter
Iliadum lachrymas, vt primos edere planctus
Caſſandra inciperet, SCISSAQVE Polyxena
PALLA.

Apuleius etiam lib. 8. Metamorph. *Adhuc flentem maritum, adhuc* VESTES LACERANTEM, *adhuc capillos diſtrahentem non dubitauit de nuptijs cõuenire.* Ad quæ Beroaldus ait. *Maxima dolentis indicia* VESTEM IN LVCTV LACERARE *capillos*

Apuleius.

Beroaldus.

d.-

Digitized by Google

diuellere.

Imò, & ſacra hiſtoria hanc non rarò conſuetudinem teſtatur. Iacob filium ſuum Ioſeph mortuum exiſtimans, ſciſſis veſtibus plorauit. SCISSISQVE VESTIBVS *indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore*. Gen. 37. 34. Vir de Beniamin ſciſsâ veſte filiorum mortem Heli nuntiauit. *Currens autem vir de Beniamin ex acie venit in Silo in die illâ*, SCISSA VESTE, *& conſperſus puluere caput* 1. Reg. 4. 12. Dauid, quique cum eo erant, morte Saul auditâ, idem egerunt. *Apprehendens autem Dauid* VESTIMENTA SVA SCIDIT, *omneſque viri, qui erant cum eo*. 2. Reg. 1. 11. Et ne in re notâ diutiùs, quàm par eſt, immorer, huius ritûs veſtigia paſſim in diuinis literis occurrunt. Solùm hic aduertam veſtes ita ſcindi conſueuiſſe, vt à parte anteriori lacerarentur, & à collo vſque ad pedes, ſi eius longitudinis fuiſſent, diſrumperentur. Quod notauit Abulenſis in 2. Reg. cap. 1. quæſt. 8. *Scindebantur autem iſtæ veſtes per partem anteriorem à ſummo vſque ad deorſum*. Vt igitur templum quoque Ieroſolymæ ſe Chriſtum defunctum lugere teſtaretur, ſuas ſcidit veſtes, & ſacrum, quo amiciebatur, lacerauit velum. Clarè id teſtatur Theophylactus in cap. 15. Marci. *Sciſſum eſt velum per hoc manifeſtante Deo, quòd* LVGEAT ETIAM TEMPLVM, *idque quod in calamitatibus facere ſolent Iudæi, cùm veſtes dilacerant, hoc & templum, quaſi animatum eſſet, faciat, compatiens conditori ſuo patienti, &* VESTES SVAS DISRVMPENS. Theophylacto aſſentitur Euthymius, qui in cap. 27. Mat. hæc habet. *Sol quidem tenebris indutus eſt: templum verò ſcidit velum ſuum, ſignificando, quòd propter abſurdum, & irrationabile ſpectaculum* LVGERET; LVGENTIVM ENIM EST VESTEM SCINDERE, *nigrâque indui ſtolâ*. Nec ab vtroque muſa diſcrepat Sedulij lib. 4. operis Paſchalis in Bibliothecâ veterum Patrum.

Scindebantur veſtes in parte anteriori, à ſupremâ parte ad imâ. Abulenſis.

Theophyl.

Euthymius.

Sedulius.

Illud ouans templum maioris culmina templi
Procubuiſſe videns, RITV PLANGENTIS ALVMNI
Saucia diſciſſo nudauit pectora velo.

Poterat ne ſuauioribus Verbis terreni templi pietas in Chriſtum defunctum explicari? Dum igitur Creaturas tùm cœleſtes, tùm elementares in defunctos pias oſtendimus, nonnè clarè hinc deducitur, res omni ſenſu prorſus carentes, eo modo, quo poſſunt, pietatem impendere mortuis?

CAPVT XV.

Propriæ vtilitati ſtudet, qui mortuorum vtilitatem procurat.

Suffragia pro animab. Purgatorij etiam offerentibus proſunt.

1 Pietas exhibita defunctis, non mortuis tantùm, ſed prodeſt etiam viuis. Quare vtilitates, quæ tantam pietatem exercentibus reſultant, capite iſto amplector, vt ſaltem propter noſtram vtilitatem ſuffragia mortuis vtilia impendamus. Sancta, & ſalubris cogitatio illa dicitur, quâ pro defunctis exorare, illiſque noſtræ pietatis obſequia exhibere ſtudemus. *Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* 2. Machab. 12. 46. Sancta quidem hæc eſt cogitatio, tùm quia homines ſanctificat, tùm quia eâ ſanctos imitamur, tùm demum quia valdè grata eſt Deo ſummo ſanctitatis authori. At verò ſalubris curetiam appellatur? An quia Purgatorij animabus prodeſt, eaſque à pœnis citò eripit, quas pro peccatis patiuntur? Vtique, ſed non propter hoc tantùm: eſt enim etiam iſta cogitatio ſalubris, quia viuis proficit ſuffragia offerentibus pro defunctis. Audi monentem D. Vincentium Ferrerium ſerm. 1. in die Animarum. *Sancta, quia placet Deo, & ſalubris, quia liberat animas à pœnis* PVRGATORII, ET PROFICIT AMICIS OFFERENTIBVS. Salubris eſt cogitatio, quâ Purgatorij animabus pietatem impendimus, nam ſuffragia, quæ pro eis exhibentur, non tantùm mortuis, pro quibus offeruntur, proficiunt, ſed etiam viuis, qui ea offerunt, proſunt.

D. Vinc. Fe.

2 Hoc voluit Diuus Paulus Apoſtolus, dum ſcribens ad Timotheum, pietatem ad omnia vtilem eſſe declarauit. *Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia vtilis eſt* primâ ad Timoth. 4. 8. Agit hic Paulus de pietate, quæ impenditur mortuis, quam ad omnia vtilem dixit, quia & mortuis vtilitatem affert, & viuis. Aptè Ioannes à Sancto Geminiano, de pietate in mortuos hanc Pauli pietatem intelligens, ait. *Hæc pietas, nedùm illis, ſed etiam nobis erit* VTILIS. Ad omnia vtilis eſt pietas in defunctos: propter illam namque non ſolùm mortui, ſed etiam plurimas vtilitates conſequuntur viui.

Propter pietatem in mortuos plurimas vtilitates viui conſequuntur.

Ioannes à S. Geminiano.

3 Hinc vt Angelicus Doctor D. Thomas fideles excitet ad exhibendum ſuffragia defunctis, eis hanc vtilitatem his verbis proponit. *Debet nos mouere* NOSTRA VTILITAS, *cùm enim oramus pro illis, qui ſunt in* PVRGATORIO, *& eleemoſynas facimus, quando liberantur, & ſunt in patriâ, libenter orant pro nobis*. Ita ille ſerm. primo de mortuis, cui adſtipulatur, & D. Ioannes Chryſoſtomus homil. 21. in Act. Apoſtolorum. *Non fruſtrà oblationes pro defunctis fiunt, non fruſtrà eleemoſynæ. Hæc omnia Spiritus diſpoſuit, volens vt nos mutuum iuuemus. Vide enim;* VTILITATEM *accipiet ille per te, & tu per illum*. Hùc tendunt preces, eleemoſynæ, ac cætera Eccleſiaſtica ſuffragia, vt his pietatis obſequijs, & mortui per viuos, & viui vtilitatem accipiant per mortuos.

Mortui per viuos, & viui vtilitatem accipiunt per mortuos. D. Thomas.

D. Ioannes Chryſoſtomus.

4 Quærit Abulenſis in cap. 19. Num, quæſt. 20. cur cadauera, quæ olim in agris humabantur, & in ſuburbijs, nunc in ciuitatibus ſepeliantur, & in templis. Vt quid mos tot populorum aſſenſu probatus, tot ſæculorum continuatione receptus, tot nationum ritu firmatus tandem ceſſauit? Cur priſtinâ conſuetudine relictâ, non extrà caſtra, ſed intrà muros, non in hortis, ſed in cœmeterijs corpora conduntur mortuorum? Noſtræ nouo ſepulturæ loco proſpectum eſt vtilitati,

Magna in mortuos pietas magna eſt viuentium vtilitas.

Digitized by Google

tati, dum enim in Eccleſijs conuenimus, & mortuorum tumulos aſpicientes, preces pro eis effundimus, magnam ſimul, & exhibemus pietatem,

Abulenſis.

& recipimus vtilitatem MAGNA, verba ſunt Abulenſis, VTILITAS *in hit apparet, nam cùm Catholici ad ſolemnitatum celebrationem, & quotidiana ſacra Eccleſias frequentent, videntes ibi carorum ſuorum tumulos, magna eis orandi pro illis incitamenta ſunt, quod nequaquam ſequeretur, ſi ſepulchra extra vrbes in montibus, & agris iuxtà antiquorum morem ſtatuerentur.* Magna in mortuos pietas, magna eſt viuentium vtilitas; quamobrem antiquo more abrogato, ſuos mortuos intra vrbes, & Eccleſias condunt fideles, vt maiorem in eos exercentes pietatem, maiorem indè percipiant vtilitatem.

In Lazari morte gauiſus eſt Chriſtus propter Apoſtolorum vtilitatem.

5 Cum Chriſtus ad Bethaniæ caſtellum mortuum Lazarum ſuſcitaturus properabat, eius mortem Apoſtolis, qui ſecum ibant, nuntiauit; ſeque propter eos de illâ morte gaudere affirmauit. *Tunc ergò Ieſus dixit eis manifeſtè: Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos.* Ioan. 11.14. Sed quid boni ex Lazari morte Apoſtolis contigerat, vt eorum cauſâ Chriſtus ſe gaudere fateretur? Potiùs debebat mors illa materiam præbere doloris, quo amicum lugeret iam morte ſublatū, & intrà monumenti cauernam putreſcentē? Nōnè Lazaro amicitia erat, vt cum Chriſto, ſic etiā propter Chriſtum cum omnibus Apoſtolis? Vtiq; huius amicitiæ teſtis eſt in prænotatum locum Dionyſius Carthuſianus. *Lazarus tantùm dilexit Ieſum, quòd omnes quoque diſcipulos eius amauit.* Cur igitur non dolet Chriſtus, ſed gaudet, & addit ſe propter Apoſtolos gaudere, ac ſi hoſtis eorum obijſſet? Gauiſus eſt, nō propter Lazari mortem, ſed propter Apoſtolorum vtilitatem. Non poterant Apoſtoli ex eâ pietate, quam mortuo exhibituri erant, lapidem remouentes, fœtidum tangentes, & ligatum ſoluentes, non maximam percipere vtilitatem, propter quam iurè Chriſtus, qui diſcipulorum vtilitati conſulebat, eſt gauiſus. Egregie id notauit Hugo purpuratus. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, ideſt* PROPTER VTILITATEM VESTRAM. De vtilitate Chriſtus gaudebat, quam ex pietate in mortuum Lazarum conſecuturi erant Apoſtoli, quia ſemper vtilis eſt viuis pietas exhibita defunctis.

Lazarus amicus fuit Apoſtolorum.

Dion. Carth.

Hugo Card.

Propheta malus virū Dei, non propter charitatem ſepeliuit, ſed propter vtilitatem.

6 Ex his facile erit rationem afferre, quare Propheta malus, qui virum Dei deceperat, ac ei, vt iuſſa Dei negligeret, intrà vrbem Bethel conuiuium parauerat, audiens illum à Leone in viâ interemptum, ſtrato aſino ad eum acceſſerit, & mortuum ſepulchro, aliiſque extremis pietatis obſequijs honeſtauerit, *Tulit ergò Prophetes cadauer viri Dei, & poſuit illud ſuper aſinum, & reuerſus intulit in ciuitatem prophetæ ſenis, vt plangerent eum, & poſuit cadauer eius in ſepulchro ſuo.* 3. Reg. 13. 29. Mirum videri poſſit, quòd malus iſte Propheta, qui virum Dei ex odio deceperat viuum, cum tantâ pietate ſepelierit defunctum. Quis ignorat Philiſthæos, qui oderant Saul, eius cadauer in muro Bethſan ſuſpendiſſe, ac inſepultum auibus diſcerpendum reliquiſſe? *Corpus verò eius ſuſpenderunt in muro Bethſan* 1. Reg. 31. 10. Quis neſcit Iaſonem ſuorum ciuium hoſtem, qui eorum ſanguinem fundere gliſcebat, inſepultos illos, & ſepulturæ honore priuatos abieciſſe? *Qui inſepultos multos abiecerat, ipſe, & illamentatus, & inſepultus abijcitur.* 2. Machab. 5.10. Quem tandem latet, Antiochū, qui Iudæos exterminare impijs facinoribus ſatagebat, illos, tanquam ſepulturâ indignos, auibus, & feris tradidiſſe diripiendos? *Iudæos, quos nec ſepulturâ quidem ſe dignos habiturum, ſed auibus, ac feris diripiendos traditurum, & cum paruulis exterminaturum dixerat.* 2. Machab. 9. 15. Dum ergo iſte quoque Propheta virum Dei odio habuit, eique cibo vetito oblato repentinam mortem obtulit, cur non illum inſepultum reliquit, ſed proprijs manibus, & in proprio ſepulchro humauit? Deſinat mirari hanc Prophetæ deceptoris pietatem, qui nouit reſultantem ex miſericordiâ in mortuos vtilitatē. Nec enim ſepeliens in ſuo monumento virum dei, cadaueris tantùm prouidit indemnitati, ſed propriæ quoque conſuluit vtilitatis; ſicque factum eſt, vt illud pietatis obſequiū defuncto impenderit propter vtilitatē, quod nullatenùs impendere decreuiſſet propter charitatem. Audi Abulenſem ad hanc mentem hunc locum verſantem. *Non exhibuit iſtud opus humanitatis cadaueri, quaſi compateretur Naturæ, & ageret propter proximum, ſed egit* PROPTER VTILITATEM SVAM. Sæpiùs expertus fuerat Propheta, pios in mortuos maximam ex ſuâ pietate percipere vtilitatem, quā vt ipſe quoque perciperet, viro Dei, licet inimico iuſta perſoluere, illumque intrà proprium monumentum condere decreuit.

Abulenſis.

7 Nec ſanè illū ſpes iſta fefellit, nam cùm ipſe quoque mortuus fuiſſet, & Ioſias, vt oſſa cadauerum ſuper altare cōbureret, ſepulchra effoderet, oſſa illius, quæ in eodem ſepulchro cum oſſibus viri Dei condita erant, intacta reliquit. *Et intacta manſerunt oſſa illius cum oſſibus prophetæ, qui venerat de Samariâ.* 4. Reg. 23. 18. Quæ namque cauſa fuit, quòd cùm reliqua defunctorum cadauera comburerentur, iſtius Prophetæ cadauer cum oſſibus viri Dei permanſerint intacta, & impolluta, niſi quia illi mortuo, & in itinere profecto iuſta perſoluit, & honorifico ſepulturæ officio pietatis obſequium impendit? Nimirùm hanc vtilitatem ex pietate in virum defunctum Propheta hic malus eſt conſecutus, vt ſui cadaueris oſſa in communi aliorū combuſtione incombuſta remanerent. Valdè mihi arrident verba, quibus idem Abulenſis hunc locū illuſtrat. *Sepeliuit virum Dei in ſepulchro ſuo, & conſecutus eſt* VTILITATEM, *quā intendebat, ſcilicet quòd non cremarentur oſſa ſua à Ioſia.* Etiam poſt mortem ex pietate, quam mortuo exhibuerat, Propheta iſte vtilitatem recepit, vt nos diſceremus ex pietate in defunctos, nedùm in vitâ vtilitatem hominibus reſultare, ſed etiam poſt mortem.

Ex pietate in mortuos, nedùm in vitâ vtilitas reſultat, ſed etiam poſt mortem.

Abulenſis.

Mortuorum ſepultura vtilis Tobiæ, vt eius oratio aſcenderet ad Deum.

8 Tobias ille, quẽ quia iuſtitiã ſectabatur, & omnẽ viã iniquitatis abhorrebar, neceſſe erat, vt tentatio probaret, repentinâ cæcitate percuſſus, vitam ducebat tenebrarum horore inſelicem. Sed ab Angelo tandem cum peregrino filio priſtinam oculorum lucem recipiens, priſtinum quoque, quod iam cum oculis amiſerat, gaudium recuperauit. Cùm vero Angelo ſuæ lucis miniſtro, cæcorumque oculorum reſtauratori proſtrarus gratias referre ſtuderet, hanc ab eo retulit reſponſionem. *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tuâ, & noctе ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino* Tob. 12. 21. Vide quæſo vtilitatem, quam ex pietate in mortuos ſanctus iſte ſenex eſt conſecutus, cuius orationes Angelorum miniſterio ad Deum aſcenderunt, cùm ille in foueam, vt mortuorum corpora ſepeliret, deſcendebat. Pulchrè D. Auguſtinus ſerm. 226. de Tempore. *Videtis,* QVANTVM PROFVIT MORTVOS SEPELIRE, *vt oblatio eius per Angelum Raphaelem ad cęleſtem aſcenderet maieſtatem.* Hæc ex mortuorum ſepulturâ Tobiæ vtilitas reſultauit, vt preces, quas effudit, ad Cœlorum aſcenderint verticem, & Angelum apud Deum habere meruerit earum delatorem.

D. Auguſt.

Proficiunt viuis lachrymæ, quæ penduntur mortuis.
D. Ambroſius

9 Rectè igitur monuit D. Ambroſius lib. de Viduis, lachrymas, quas viduæ mortuis penduot maritis, viuentibus proficere, atque adhuc ſuperſtitibus coniugibus. Nec enim pietas, quã Vidua defuncto exhibet marito, ei ſoli, pro quo plorat, ſed etiam ſibi valdè vtilis eſt ploranti. *Habet igitur Vidua bonam commendationis ſuæ materiam, vt dum virum luget, fleat ſæculum, & in promptu ſint lachrymæ redẽptrices,* DVM PENDVNTVR MORTVIS, VIVENTIBVS PROFVTVRAE. Viuis proficiunt pietatis obſequia, quæ mortuis eshibentur: qui enim vtilia defunctis erogat, & eis affert vtilitatem, & ſibi.

Vtilis eſt viuis oratio quoque, quæ deffunditur pro non egentibus mortuis.

10 Verùm hucuſq; pro adeò manifeſtâ veritate allatis poſſet fortè quis opponere, quòd cùm viui ſtatum ignorent mortuorum, plerumque cõtingere poterit, preces, & ſuffragia pro eis effundi, qui nec precibus, nec ſuffragijs poſſunt adiuuari. Sed neque hoc homines turbare debet elementes in defunctos, nam tunc quoq; vtilis eſt oratio, imò confert viuo, quam deberet, ſi eſſet ille capas, vtilitatem conferre defuncto. Quod quidem regius iodicauit Pſaltes, dum orationes pro impijs fuſas in ſinu ſuo disit conuertendas. *Oratio mea in ſinu meo conuertetur.* Pſal. 24. 13. Quid eſt enim Orationem in ſinu conuerti orantis, niſi ei vtilem fieri, qui eam effundit. Profectò hac ratione locum iſtum exponit, omnemq; dubitationem tollit Iodocus Clichtoueus ſerm. 3. in dic Animarum, cuius hæc ſunt verba. *Neq; tamen Oratio noſtra eſt ſuperuacua, aut inutilis, ſi tales, pro quibus oramus, ſunt in Cęlo, aut in Inferno. Nam quamuis illa oratio non proſit tũc illis, pro quibus ipſa ſit, quòd eâ non indigent, ſi ſunt in Cęlo, aut eâ non poſſunt iuuari, ſi ſunt in Inferno,* PRODEST TAMEN TVNC EA ORATIO ILLI, QVI SIC ORAT EX CHARITATE PRO MORTVIS, *& reuertitur ad illius profectum, & ſalutem orantis, ſecundùm illud verbum Pſalmi. Oratio mea in ſinu meo conuertetur.* Quibuſcumque impendantur mortuis, ſemper vtilia ſunt ſuffragia viuis, nam etiam cùm pro mortuis exhibentur in Cœlo beatis, aut in inferno damnatis, illis prouenit, qui ea exhibent, fructus, qui illis prouenire deberet, pro quibus eshibentur. Agnoſcant igitur fideles prodeſſe viuis clementiã eshibitam defunctis, & ſciant eos propriæ vtilitati ſtudere, qui mortuorum vtilitatẽ procurant.

Iodocus Clichtoueus.

CAPVT XVI.

Apud Deum valdè meretur, qui de mortuis bene meretur.

Pij ergà mortuos præſentẽ gratiam, & futuram merentur gloriã

1 HOc, dũ hac mortali vitâ fruũtur, fruũtur mortales priuilegio, vt bonis operibus, quę diuinâ gratiâ pręditi esercẽt, apud Deum & gratiæ augmentum, & gloriæ conſummationem, & aliorũ mereantur incrementa bonorũ. Quare cùm adeò accepta, & grata ſit Deo pietas exhibita defunctis, meritum, quod eam comitatur, in hoc capite ſuſcipio explicandum. Porrò huius meriti primum, ac locupletiſſimum exhibet nobis teſtimoniũ D. Dionyſius Carthuſianus Dialogo de Iudicio Animarum, his verbis fideles ad pietatem defunctis eshibendam ſuadens. *Pro defunctis orando, eleemoſynas tribuendo, diſciplinas accipiendo, peregrinando, & ſancta loca viſitando, miſſamue audiendo, pſalmos, & officia defunctorum legendo, non ſolùm defunctis ſubueniunt, ſed etiam ſibi ipſis* PROMERENTVR GRATIAM IN PRAESENTI, ET GLORIAM IN FVTVRO. Neſcio, an clariùs, & apertiùs meritum, quod omnia ſuffragia mortuorum animabus exhibita conſequitur, poſſit explicari. Et pro præſenti, & pro futuro ſæculo merentur, qui ſe, ſe pios in mortuos oſtendunt, vt qui defunctis præſentem exhibent pietatem, & futuram obtinent beatitudinẽ, præſenti gratiâ in præmium ſuæ pietatis, & futuræ beatitudinis gloriâ fruantur.

Dion. Carth.

Vtramq; viri Iabes propter pietatem in mortuos meruerunt.

2 Hoc ſibi voluit Rex Dauid, cùm ad viros habitatores Iabes Galaad, qui cadauera Saul, & filiorum eius, de muro ciuitatis Bethſan, vndè ſuſpenſa pendebant, ſuſtulerant, nuntios miſit, qui eis dicerent. *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam, & veritatem.* 2. Reg. 2. 6. Quo loco D. Hieronymus in Gloſsâ pro miſericordiâ gratiam, quæ in præſenti, & pro veritate gloriam intelligit, quæ confertur in ſæculo futuro. *Retribuet vobis miſericordiam in præſenti ſæculo, veritatem in futuro.* Cur autem gratia præſens, & gloria futura viris iſtis erat retribuenda, niſi quia tantâ pietate cadauera humauerant mortuorum? Sanè id voluit Hugo Cardinalis hæc ſcribens. *Retribuet vobis quidẽ Dominus*

D. Hieron.

Hugo Card.

miſi-

Digitized by Google

miſericordiam, quia plus retribuet, quàm MERVISTIS, *& veritatem, in quantum* MERVISTIS. Nouerat Dauid, quantum meruiſſent viri Iabes Galaad pietate defunctis exhibitâ, ideoque gratiam, & gloriam eis nuntiauit à Deo propter talem pietatem retribuendam.

Eorum meritum magnum & nimium appellatum.

3 Et quidem ſi opera miſericordiæ magni ſunt meriti apud Deũ, *cuius proprium eſt miſereri*, quare non erit dicendum, quòd hi viri, qui vt miſericordiam impenderent mortuis, propriæ vitæ diſcrimini ſe ſe obtulerunt, magnoperè tantâ pietate meruerint? Audiatur Abulenſis in 1. Reg. 31. quæſt. 17. *Quæret aliquis, an Viri Iabes in hoc meruerint. Reſpondendum eſt, quòd* MAGNVM MERITVM *fuit ipſorum. Primò quia ſepelierunt mortuos, quod* MERITVM EST, *& computatur, vt vnum de operibus miſericordiæ. Item quia Tobias inter omnia opera ſua bona ſpecialiter laudatur, quia ſepeliebat mortuos, propter quod etiam iuſſum eſt auferri ab eo tota ſubſtantia ſua: iſti autem ſic fecerunt;* ERGO MERERANTVR. Et poſt non nulla. *Dicendum igitur, quòd viri Iabes* NIMIS MERVERVNT. Adeò meruerunt pietate, quam Saul, & filijs eius defunctis impenderunt, vt eorum meritũ magnum, & nimium meruerit appellari.

Abulenſis.

Turba funus proſequens adoleſcentis meruit videre miraculũ reſurrectionis

4 Dum ibat Ieſus in ciuitatem Naim, filiũ vnicum iuxtà portam reperit viduæ matris, quẽ mortuũ efferebant ad ſepulturã. Videns autẽ matrem, quę illũ comitabatur, lachrymas effundẽtẽ, pietate motus loculum tetigit, & vitã impertiuit defuncto. *Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ.* Luc. 7. 15. Puellã aliâ vice ſuſcitauit Archiſynagogi filiam, ſed antequã eam viuificaret, omnẽ turbã tumultuantẽ eiecit. *Ipſe verò eiectis omnibus aſſumit patrem, & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingrediuntur, vbi puella erat iacens.* Marci 5. 40. Quare igitur antè ſuſcitationem etiam huius adoleſcentis, turbã non expellit, ſed eâ præſente, mortuum reuocat ad vitã? Quia in funere puellæ turbã vidit irridentem, in exequijs verò adoleſcentis pietatẽ exhibentem, cui pietati dum vacabat, miraculũ meruit videre reſurrectionis. Appoſitè Ludolphus Carthuſianus lib. de Vitâ Chriſti par. 1. cap. 44. *Quia vacabant ad pietatis opus, proſequendo funus, & conſolando viduam, & orbatam matrem,* MERVERVNT *ipſum videre miraculum.* Semper habet annexum meritum, pietas exercita in defunctum; qua propter populi, qui defuncto pietatem exhibebant adoleſcenti, meruerunt Chriſtum videre illum reſuſcitantem.

Ludolphus Carthuſ.

Fides, quâ profiliâ defunctâ Archiſynagogus orauit, eius meritum adauxit

5 Propter hoc idem meritum Archiſynagogũ Chriſtus eſt ſecutus pro vitâ filiæ ſuæ ſe humiliter deprecantẽ, ita vt eo præcedente, cũ ſuis diſcipulis, & vniuerſâ turbâ ipſe ad illius domũ perrexerit. *Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius.* Matth. 9. 19. Meruit enim princeps iſte fide, quâ pro filiâ defunctâ rogauit, Chriſtum videre ſe ſequentem, & puellam in domo ſuâ viuificantem. Id planum eſt ex Lyrano ita locum iſtum elucidante. *Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, pergens ſcilicet ad domum eius propter fidei ſuæ* MERITVM. Fides, quâ pro mortuâ puellâ rogauit, ita Archiſynagogi meritũ adauxit, vt propterea Chriſtus ad eius domum pergere, & quodcumque petierat, ei voluerit concedere.

Lyranus.

Sepulturâ mortuorũ cæleſtes gratias Tobias obtinuit.

6 Quis beneficia ignorat, quibus Deus Tobiã affecit? De manibus crudeli Regis, qui eũ ad mortem per ſatellites quęrebat, illũ eripuit, oculorum priſtinã lucem ei cæcitate percuſſo reſtituit, filiũ cum vxore ab itinere ſaluum reduxit, eius orationes benignus accepit, & Angelũ, qui hoc illi nuntiaret, miſit. Cur autẽ beato iſti ſeni tot à Deo beneficiã collata fuerunt? Quid egit, vt adeò abundãter gratias mereretur impetrare cęleſtes. Mortuos ſepeliuit, & hac pietate adeò meruit, vt enarratarum particeps factus fuerit gratiarũ. Accinit D. Bonauentura ſer. de Animabus. *Tobiam ſepeliendo mortuos Deum* PROMERVISSE, *teſte Angelo demonſtratur. Si igitur ſepulturis curam impendis, quæ in quantùm huiuſmodi parum prodeſſe poteſt defunctis, quantùm* MERITORIA *eſt illa pietas, illos iuuare, qui iuuare ſe non poſſunt, vt illos expeditos à vinculis poſtmodum habeamus interceſſores in Cælis.* Sepulturã mortuorum tot gratias Tobias obtinuit, vt nos diſceremus multò maiores eos mereri, qui nedùm corpora ſepeliunt, ſed animas etiam adiuuant defunctorum.

D. Bonauen.

Diuinam merentur miſericordiã, qui mortuos adiuuant.

7 Ad hoc meritũ reſpexit Noëmi, cùm ſuis nuribus eam ſequentibus, dixit. *Faciat vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis, & mecum.* Ruth. 1. 8. Indicare nimirũ eis voluit, quòd miſericordiâ mortuis maritis exhibitã, diuinã meruerant ipſæ quoq; miſericordiam: merentur enim à Deo adiuuari, qui mortuos apud Deũ adiuuare feſtinant. Nõ ſunt hic ſupprimenda verba Vinc. Belluacenſis lib. 2 par. 1. diſt. 12. ita loquentis. ILLI MERENTVR *maximè poſt mortem adiuuari ſuffragijs, qui, dum viuerent, fuerunt ſoliciti pro mortuis adiuuandis, vide Ruth. 1. Faciat vobiſcum Deus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis.* Merentur viui, dum ſuffragantur mortuis, totque ſunt merita operantis, quot ſunt opera ſuffragantis.

Vincentius Belluacenſis.

Sibi miſericordiam merentur qui miſericordiam exhibent mortuis.

8 Quò item Chriſtus reſpexit, cùm dixit beatos miſericordes, quia miſericordiam ipſi quoq; proculdubio obtinebunt. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Matth. 5. 7. His enim innuere voluit, quòd miſericordiam, quam exhibent defunctis, miſericordiam viui ſibi mereantur. Certè id voluit Gerſon 4. par. te ſermone pro defunctis, dum ait. *Hæc oratio* MERETVR, *quòd is, qui eam facit, particulariter poſt hanc vitam iuuetur oratione aliorum, & Eccleſiæ. Bonitas vna alteram poſtulat,* ET MISERICORDIA HVIC FIET, QVI MISERICORDIAM *fecit.* Meritum creſcit viuorum, qui animas iuuant mortuorum, & ſibi certum miſericordiæ fructum acquirunt, dum mortuis pia miſericordiæ ſuffragia impendunt.

Gerſon.

Pietate in mortuum Patrem

9 Poſt narratam mortem Iacob, qui plenus dierum in pace quieuit, generationes deſcri-

meruit Eſau enarratione ſua Genealogia.

bit ſacer textus Eſau filij eius. *Hæ ſunt autem generationes Eſau ipſe eſt Edom &c.* Gen. 36. 1. Nonnè Eſau primogenitorum iura lentis edulio commutauit, & patris benedictionem, ſubſtituto diuinitùs Iacob, amiſit? Nonnè ob prauas cogitationes reiectus, & propter peruerſas actiones odio à Deo habitus fuit? Vt quid ergo eius generationes in ſacris diuinorum voluminum hiſtorijs recenſentur, & non ſecùs ac ſi primogenituræ priuilegio adhuc frueretur, eius filiorum, ac nepotum Genealogia enarratur? Sepeliuit Eſau ſimul cum Iacob patrem defunctum, eiq; iuſta perſolueus, debita pietatis obſequia impendit; quibus apud Deum adeò meruit, vt in ſacris codicibus eius generationes Spiritus ſanctus apponi voluerit cum generationibus primogenitorum. Quare ſimul ac pietas Eſaù in mortuum patrem Iſaach exaratur. *Et ſepelierunt eum Eſau, & Iacob filij ſui.* Gen. 35. 19. ſtatim ſequentis capitis initio eius Genealogia recenſetur. *Hæ ſunt autem generationes Eſau.* Gen. 36. 1. Audiendus Abulenſis, cuius hæc ſunt verba. *Quia ſuprà facta fuerat mentio, quòd Iacob, & Eſau ſepelierant Iſaach, ideò* MERITO HVIVS VENERATIONIS PATERNAE *introducit ſcriptura Genealogiam Eſau.* Pietas illa, quâ genitori parentauit mortuo, eique ſepulturæ officium præſtitit, talis meriti apud Deum fuit, vt propter illam voluerit in ſuis voluminibus ſempiternam haberi eius generationum memoriam.

Abulenſis.

Ioſeph Arimathæus maioris apud Deum meriti, quàm apud ſæculum dignitatis, quia ſepeliuit Chriſtum.

10 Quòd ſi adeò merētur, qui pietatē defunctis impendere ſtudēt, rectè dixit Remigius in catenâ in Matth. 27. Ioſeph Arimathæum, magnæ quidem apud ſæculum dignitatis fuiſſe, vndè potuit à Pilato Chriſti obtinere cadauer, ſed maioris apud Deum meriti prærogatiuâ excelluiſſe, vndè vt vir bonus, & iuſtus ab Euangeliſtâ laudatur. *Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat Decurio, vir bonus, & iuſtus.* Lucæ 20. 50. Non poterat quippè non magni meriti apud Deum eſſe, qui tantam Chriſto pietatem impenderat defuncto. *Iſte autem Ioſeph*, verba ſunt Remigij, *ſecundùm ſæculi ſtatum magnæ fuit dignitatis, ſed* MVLTÒ MAIORIS MERITI APVD DEVM *fuiſſe laudatur: ſiquidem iuſtus fuiſſe deſcribitur.* Valdè apud Deum merentur, qui defunctos adiuuare ſatagunt, & propterea meritum, quod ſepulturā defuncti Ioſeph acquiſiuit apud Deum, dignitatem ſuperauit, quam adminiſtratione muneris decurionis obtinuerat apud ſæculum.

Remigius.

Mulieres, quæ ſepulchra frequentauerunt mortuorum, conſolationes meruerunt Angelorum.

11 Hoc meritū mulieres quoq; illæ ſunt cōſecutæ, quæ ad Chriſti ſepulchrū, vt eius delinirent cadauer, aromatibus onuſtę perrexerunt, quapropter viſionē Angelorum in veſte fulgenti iuxta illas aſſtantium meruerunt. *Et factum eſt, dum mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt iuxtà illas in veſte fulgenti.* Luc. 24. 4. Dum timore percitæ plorabant mortuū, ab Angelis recreatæ fuerunt, qui Chriſtū eis nuntiauerūt rediuiuū, ſicq; conſolationes meruerunt. Angelorū, quæ ſepulchra frequentabant mortuorū. Rectè Cyrillus in catenâ hæc protulit. *Cùm igitur non inueniſſent corpus Chriſti, quod reſurrexerat, ducebantur diuerſis cogitationibus, & propter amorem Chriſti, & adhibitam ſolicitudinem* MERVERVNT VISIONEM ANGELICAM. Tanti meriti fuit ſolicitudo, quâ, vt mortuo pietatem impenderent, ſepulcbrum adierunt, vt eas voluerit, dum adhuc ſepulchro adhærebant, Angelorum conſolatione remunerari.

Cyrillus.

Eadem pietate meruerunt videre Chriſtum ſibi occurrentem.

12 Nec illi hoc fuit ſatis; ſed voluit inſuper Ieſum eis apparere à morte rediuiuū; dum enim de monumento hilares exirent, & quæ viderant diſcipulis nuntiare properarent, ſe illis Chriſtus tangendum obtulit, atque adorandum. *Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens; Auete, Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Matth. 28. 9. Animaduerte, quantùm pietate in mortuum mulieres iſtæ meruerint, dum ſuum ſibi tantâ humanitate occurrentem viderunt Redemptorem. Siſto hìc verba Chriſtiani Druthmari in paſſionem Domini in Bibliothecâ vet. Pat. *Quia magnam curam habebant veniendi ad monumentum, & nunc iterum concito gradu, de Domino pergunt annuntiare, rectè* MERENTVR OBVIVM HABERE DOMINVM. Chriſti reſurgentis apparitio mulierum ſibi mortuo pietatem exhibentium fuit remuneratio, quâ oſtendit quantùm illâ pietate meruerint, quibus tantâ humanitate apparuit.

Chriſtianus Druthmarus

Eadem ratione meruerunt antè omnes videre reſurrectionem.

13 Imò addidit D. Hieronymus ratione eiuſdem meriti has mulieres cæteris omnibus priores Chriſti vidiſſe reſurrectionem. Quæ nàmque cæteris feruentiores dilexerant mortuum, cæteris priores eum videre meruerunt rediuiuum. Do eius verba in catenâ in cap. 28. Matth. relata. *Cæteris relinquentibus Dominum, mulieres in officio perſeuerant, expectantes, quod promiſerat Ieſus, & ideò* MERVERVNT PRIMAE VIDERE RESVRRECTIONEM. Antè omnes reſurgentem viderunt, quæ antè omnes, & præ omnibus mortuo aſtiterunt, vt pietatis earum meritum congruum conſequeretur anticipatæ apparitionis præmium.

D. Hier.

Meritorij sūt actus, qui ex pietate in mortuos oriuntur.

14 Si quis actus expendat, quos Chriſtus elicuit, dum ad Bethaniæ oppidum Lazarum ſuſcitaturus acceſſit, nonnè mirabitur Chriſtum aſpiciens, & lachrymantem, & frementē, & ſemetipſum pluries turbantē? *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum, & dixit vbi poſuiſtis eum? dicunt ei, Domine veni, & vide. Et lachrymatus eſt Ieſus.* Ioan. 11. 33. Nunquid ſummæ ſanctitatis authori actus iſti congruebant? Nunquid eum, qui aliorum ſpiritum lætificat, ſpiritu fremere decebat? Nunquid qui aliorum quietem cauſat, ſeipſum turbare debebat? Nunquid tandem ei, qui aliorum lachrymas abſtergit, lachrymarum effuſio conueniebat?. Ita ſanè; cùm enim actus illi ex charitate, ac pietate in defunctum procederent, non imperfecti, aut vitioſi, ſed rationabiles erant, ac meritorij. Subſignat Dionyſius Carthuſianus in hunc locum: *Erant actus virtuoſi, ac* MERITORII, *quia ex charitate, pietate, atque iuſtitiâ proceſſerunt.* Pietatem

Dion. Carth.

Digitized by Google

tatem in mortuos dignitas conſequitur meritorum; vndè & fremitus, & turbationes, & lachrymæ, quæ mortuis ex pietate impenduntur, meritorum cumulum adaugent.

Orationibus pro animabus mortuorum dignitas augetur meritorum.
D. Paulinus.

15 Quò reſpexit D. Paulinus Epiſt. ad Amãdum, cùm ei fratrem, qui diem clauſerat extremum commendans, vt ſuis impetraret precibus, ne illius anima iudicem iratũ reperiret, ſed propitium, eum rogauit, vt hanc orationem, tanquam nouam ſuæ fidei meritis mercedem accumularet. Nouerat namque precibus pro mortuorum animabus effuſis augeri merita deprecantium. Hæc ſunt eius verba. *Ob hoc impensè rogamus, vt quaſi frater (quod nobis in Domino eſſe dignaris) vnanimos fratres iuuans, & hanc* MERITIS *fidei tuæ mercedem accumules, vt pro eo infirmitati noſtræ compatiaris, & orando ab ore conſpires, vt miſericors, & miſerator Deus, qui facit omnia in Cœlo, & in terrâ, & in mari, & abyſsis, refrigeret animam eius ſtillicidijs miſericordiæ ſuæ per orationes veſtras.* Merita iuſti accumulant, dum ſuffragia mortuis impendunt, ac proindè iurè appellauit Paulinus accumulationem meriti, orationem, quam pro animâ exigebat defuncti.

Apud Hebreos cenſetur valdè meritorium cadauera comitari, & efferre.
Rabbi Leo

16 Huius quoque magnitudinem meriti Hebrei agnoſcunt, vndè Rabbi Leo in Rituali Hebræorum part. 5. cap. 7. inquit apud eos opus valdè meritorium cenſeri mortuos ad ſepulchrũ comitari, & feretrum humeris baiulare, in quo efferuntur. Verba illius latinè reddita hæc ſunt. *Populus congregatur vniuerſus, & quia opus* VALDE MERITORIVM *cenſent mortuos comitari, & cadauera efferre, iccircò quilibet humerum feretro ſupponit.* Tanti meriti apud Deum eſt pietas exhibita mortuis, vt etiam Hebræi, vt hoc merito potiantur, frequentes funera comitentur, & mortuorum cadaueribus efferendis certatim colla ſupponant.

Pietatem defunctis exhibentes, licet interdum pollucrentur in lege veteri, merebantur.

17 Hæc, quæ diximus, turbare videtur præceptum legis, quo ille, qui hominis tetigerit cadauer, immundus declaratur, & ab acceſſu ad res ſacras arcetur. *Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc ſeptem diebus fuerit immũdus, aſpergetur ex hac aquâ die tertiò, & ſeptimo, & ſic mundabitur.* Num. 19. 11. Quo enim pacto apud Deum tanti meriti eſt opus, quo immundus homo reddebatur, & ab ingreſſu in ſanctuarium remouebatur? Soluit nodum Abulenſis in 2. Reg. cap. 14. queſt. 9. docens pœnam huius immunditiæ à lege fuiſſe impoſitam ſine culpâ, licet non ſine causâ: nec enim propter aliquod peccatum patratum, ſed tantùm vt maiori ad templum accederent cum reuerentiâ, qui mortuũ tetigerant ab eo arcebantur. Ex quibus concludit, incurrentes hanc legalem immunditiam, non ſolùm non peccaſſe, ſed valdè pietate, quam exercebãt, meruiſſe. Audiamus eius verba. *Incurrentes immunditiam non peccabant, imò quoque* MEREBANTVR NIMIS, *nam ſi quis nollet ire ad paterna funera, & dimitteret patrem inſepultum, ne contaminaretur tangendo illum, nemo dubitat, quin iſte grauiter peccaret, & tamen ſi iſte iret ad paterna funera, contaminaretur, & eundo exhibebat patri debitam pietatem, in quo* MEREBATVR. *Ideò aliquando, qui nollet contaminari, peccaret mortaliter, & ſi contaminaretur* MERERETVR. Quid poterat clarius afferri ad probandum, quòd immunditia legalis merito non derogabat pietati exhibitæ defunctis annexo?

Abulenſis

Magis merebantur contrahentes ob hãc cauſam immunditiam, quàm ſeruantes mũditiam.
Idem.

18 Caput concludo, addens, quod idem addit Abulenſis in cap. 26. Matth. quæſt. 52. magis eum meruiſſe, qui vt pietatem impenderet mortuis, immunditiam legalem eligebat eo, qui vt ſe mundum, & impollutum ſeruaret, à luctu, & cadaueris contactu abſtinebat. MAGIS MEREBATVR, *qui immundus eſſe volebat hoc modo, & non accedens ad res ſacras, vt impenderet pietatis officium mortuis, quàm qui propter ſeruandam munditiam abſtinebat ab his.* Tantum igitur abeſt, vt hæc immunditia tolleret meritum, quod pietatem conſequebatur in mortuos, vt maioris meriti apud Deum fuerit hanc contrahere propter exercitium huius pietatis immunditiam, quam ſine talis pietatis exhibitione priorem exquiſitâ diligentiâ ſeruare munditiam. Quis ergò ampliùs ambiget eos apud Deum valdè mereri, qui de mortuis benè merentur?

CAPVT XVII.

Qui Mortuorum miſerentur, miſericordiam conſequuntur.

Thecuites ſimulauit ſe lugere mortuum, vt faciliùs miſericordiam impetraret.

1 EX Chriſti ſententiâ, quâ Matth. 5. 7. *Beati*, inquit, *Miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*, ſequitur miſericordes in Defunctos miſericordiam conſecuturos, & veniam. Quòd vt oſtendam, expendo primò conſilium Ioab, qui vt Abſaloni à patre veniam impetraret, mulierem tulit ſapientem, quæ ſe veſte lugubri mortuum plorare ſimularet. *Miſit Thecuam, & tulit indè mulierem ſapientem, dixitque ad eam: Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne vngaris oleo, vt ſis quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum.* 2. Reg. 14. 2. Interrogatione dignũ eſt, cur vellet Ioab, mulierem hanc, quæ ad Regem Dauid ingredi, & pro Abſalone exilij pęnâ mulctato veniam petere debebat, lugubres veſtes induere, ac luctum pro mortuo ſimulare. Cur præcepit ei, vt luctum fingeret mortui, dum reditum petitura erat viui? In promptu reſponſio eſt. Vt ad miſericordiam illius faciliùs Rex flecteretur, dum eam cerneret longo luctu pietatem exhibere defuncto. Audi Abulenſem ad rem noſtram hæc ſcribentem. *Hoc fiebat, vt Rex* MAGIS MISERERETVR EIVS *propter amaritudinem eius.* Præcepit Ioab mulieri, vt luctum ſimularet pro mortuo, quò faciliùs à Rege miſericordiã conſequeretur, agnoſcens illos expeditè conſequi miſericordiam, qui luctu, & cæteris conſuetis obſequijs pietatem impendunt defunctis.

Abulenſis.

Noëmi nurib⁹

2 Hùc reſpiciens Noëmi, cùm filijs ſuis mortuis nurus dimiſit, dixit eis. *Faciat vobiſcum*

qua fecerant miſericordiã cũ mortuis, miſericordiã annuntiat.

Dominus MISERICORDIAM, *ſicut feciſtis cum mortuis.* Ruth. 1. 8. Nouerat quippè ſapiens mulier cum eis fieri miſericordiam, qui miſerentur mortuorum. Quare nuribus, quæ cum viris ſuis mortuis miſericordiam fecerant, miſericordiam annuntiauit. *Poteſt intelligi*, verba ſunt eiuſdem Abulenſis, *quòd feceritis* MISERICORDIAM *cum eis poſtquam mortui erant, ſcilicet quòd non contraxerunt illicò cum alijs, vel quòd honorauerint eos, plãgendo eos, & oſtendendo alia ſigna triſtitiæ, & faciendo alia, quæ ſolent facere fœminæ ad honorem virorum ſuorum defunctorum.* Fuerunt mulieres iſtæ in ſuos viros mortuos valdè miſericordes, eos honorantes, ac pluribus pietatis obſequijs proſequentes, vndè propter hanc miſericordiam Dei miſericordiam promerentes, eam ſibi audierunt à ſocru, quam ſequebantur, certâ euentuum prædictione annuntiari.

Idem.

Iaobita pietate in mortuos duplicem obtinuerunt miſericordiam.

3 Quod & contigit viris illis Iabes Galaad, qui hoſtiles muros audacter aggredientes, & armatorum ſatellitum arma intrepidè ſpernentes, cadauera tulerunt Saul, & filiorum eius, quæ Philiſtæi ad ignominiam hoſtium ſuſpenderant, vt ab auibus inſepulta lacerarentur. Cùm enim eorum pietas, qua mortuis principibus, mortis pericula contemnentes, parentauerant, & oſſa illorum honorifico in tumulo condiderant, Dauid Regi nuntiata fuiſſet, miſit pius Rex nuntios, qui hæc ſuo nomine illos alloquerentur. *Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam, & veritatem.* 2. Reg. 2. 6. Ad quæ D. Hieronymus in Gloſ. *Retribuet vobis Dominus* MISERICORDIAM *in præſenti ſæculo, veritatem in futuro, quia* MISERICORDIA, *quæ in præſenti ſæculo tribuitur, ad comparationem* ÆTERNAE MISERICORDIAE *mendacium eſt.* En à populis iſtis duplicem miſericordiâ ergà defunctos acquiſitam miſericordiam, quarum altera temporaliter duraret in hoc ſæculo, altera in æternum perſeueraret in alio.

D. Hieronym.

Vidua Naim propter miſericordiam, quam defuncto filio præſtitit, miſericordiam obtinuit.

4 Noſtrum etiam confirmat inſtitutum vidua illa, quæ turbâ comitata frequenti filium ſuum extrà mœnia Ciuitatis Naim efferebat ad ſepulchrum. Hæc obuians Chriſto, qui diuinæ diſpenſationis myſterio vrbem ingrediebatur, meruit pijs lachrymis, quas pro mortuo filio effundebat, diuinam impetrare miſericordiam. *Quam cùm vidiſſet Dominus, Miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi; noli flere.* Luc. 7. 13. Sibi miſericordiã implorat, qui defuncto miſericordiá impendit, vndè viſcera miſericordiæ Chriſti ſibi ſenſit mulier exhibita, cùm defuncto filio luctu, exequiis, & ſepulturâ iuſta miſericorditer ſoluebat. Accinit Dionyſius Carthuſianus in hunc locum. *Chriſtus* MISERICORDIAE VISCERIBVS *ineffabiliter affluens,* MISERTVS EST *viduæ huic de vnici filij amiſsione, præſertim cùm & ipſe vnicus eſſet ſuæ dulciſsimæ filius genitricis, & ſciret, quantum diligeretur ab eâ, & quantum de futurâ ſuâ morte, & paſsione illâ eſſet contriſtanda, ploratura, & affligenda.* Triſtitia, ploratus, & afflictio, quibus vidua mater mortuo filio compatiebatur, Chriſti fletum detergentis, & defunctum ſuſcitantis miſericordiam impetrauerunt. Quod confirmauit Cyrillus in cat. dum loquens de paſſione, quâ vidua Iſta propter vnigeniti mortem affligebatur. MISERANDA *paſsio*, inquit, *ad fletum, & ad lachrymas potens prouocare.* Prouocat quippè ad miſerationem viuos, qui ſuos miſeratione proſequitur mortuos.

Dion. Carth.

Cyrillus.

Pietate in Tabitham mortuam viduæ miſericordiã à Petro impetrauerunt.

5 Nec minùs, quàm iſtæ miſericordiâ ſe dignas eadem pietate aliæ viduæ oſtenderunt, quę Tabithâ defunctâ, & in cœnaculo collocatâ, cũ Petrus vocatus aduenisſet, circumdederunt illũ plorantes, & tunicas, & veſtes eis oſtendentes, quibus ab eâ, dum viuebat, induebatur. *Et circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.* Act. 9. 39. Cur namque fleuerunt, & coram Petro tunicas acceptas apprehenderunt, niſi vt lugentes, ac miſericordiam defunctæ prędicantes, ad miſericordiam ſui principem flecterent Apoſtolorum? Id voluit Hugo Cardinalis, dum ait. *Circumſteterunt illum omnes viduæ, flentes miſeriæ ſuæ* MISERICORDEM *coram eo, qui erat* MISERICORS, *ideò compatitur.* Annuit etiam his verbis Dionyſius Carthuſianus. *Circumſteterunt illum omnes viduæ, flentes, vt per hoc Petrum* AD COMPASSIONEM SVAM, *& ad ſuſcitationem defunctæ inducerent.* Subſignat Lyranus. *Circumſteterunt illum omnes viduæ, vt mouerent illum* AD PIETATEM, *& ad deprecandum Dominum pro ſuſcitatione defunctæ.* Et nouiſſimè ſuum calculum addidit, & Aloyſius Nouarinus. *Ad defunctæ commendationem veſtes oſtendunt, vt ad* MISERICORDIAM *Petrum flecterent.* Luctu, & commendatione Tabithæ miſericordiam à Petro ſanctæ viduæ implorauerunt, quam non niſi pietate in defunctam ſe poſſe obtinere crediderunt.

Hugo Card.

Dion. Carth.

Lyranus.

Nouarinus.

Magdalena, quia Chriſti ſepulturam honorare prævenit, diuinã miſericordiã promeruit.

6 Super caput Chriſti recumbentis in domo Simonis Leproſi, propinquo mortui Magiſtri funeri anticipatâ exequiarum ſolutione iuſta perſoluens, vnguenta ſepulchralia Magdalena fundebat. Indignati autem Apoſtoli, quòd tanti pretij aromata profudiſſet, vt charitatis in pauperes notabant expertem, quam, vt charitate in Deum debebant commendare flagrantem. Non ſuſtinuit Chriſtus duriuſcula verba, quæ in mulierem diſcipuli iactabant, ſed illos acri, & opportunâ reprehenſione corrigens, Magdalenam voluit pro tantâ pietate in toto Mundo laudari. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium, in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Matth. 26. 13. Quæ autem Magdalenæ actio tot præmiorum retributionẽ, tam opportunam apud Apoſtolos defenſionem, tantamque ſui nominis per vniuerſum Mundum meruit celebritatem? Profectò actio illa, quâ Chriſti ſepulturam piâ honorauit pretioſorum aromatum effuſione. Hac pietate adeò ſibi diuinam promeruit miſericordiam, vt magnis donis propterea decorata, & præclaris in toto terrarum orbe fuerit præmijs decorata. Egregiè Theophylactus in hunc locum. *Docet nos, quòd mulier hæc iuxtà diuinam diſpenſationem hoc fe-*

Theophylact.

ceris

Digitized by Google

cerit præſignans mortem illius, & corporis ſepulturam. Non enim tuliſſet Chriſtus vnguento vagi, niſi myſterium quoddam ſubfuiſſet. Prædixit autem tanquam Deus, quòd eſſet futurum, quòd in gloriam eius vbique prædicetur res, quam fecit mulier. Vide autem Dei Misericordiam, *quomodo mulierem magnis donis remunerat.* Pietatem, quá Chriſti ſepulturã honorare præuenit, diuinam miſericordiam obtinuit, à quá tot munerum præmia fœliciter impetrauit.

Theophil.

Archiſynagogus orans pro defunctâ diuinam prouocauit miſericordiam.

7 A Theophylacto non diſcedo, ſed cum eo obſeruo, quòd accedens ad Chriſtum princeps ſynagogæ, nuntiauit ei filiam ſuam eſſe defunctã, ideoque orauit illum, vt veniens puellæ manum imponeret, eique tactu priſtinam vitam reſtitueret. *Domine filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet.* Matth. 9. 18. Dubitari hìc poteſt, cur Archiſynagogus filiam ſuam, quæ adhuc viuebat, Chriſto dixerit eſſe defunctam. Nonnè Lucæ 8. 42. ſcribitur. *Quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur?* Nonnè tunc tantùm, cùm petitionem ſuã Chriſto expoſuerat, illam mortuam eſſe cognouit? *Adhuc eo loquente veniunt ad Archiſynagogum, dicentes, Quia filia tua mortua eſt, quid vltrà vexas Magiſtrum?* Marc. 5. 35. Quare igitur dixit mortuam, quam ad Chriſtum accedens reliquerat viuam? Vt ad ſui miſericordiam facilius Chriſtum flecteret, dum ſe feruenti oratione in mortuam pium oſtendebat. Accipe verba Theophylacti. *Defunctam eſſe dicit filiam, quamuis apud Lucam dicatur nondùm defuncta. Dicit autem, velut coniectans, eò quòd reliquerat eam iam extremum exhalantem ſpiritum, vel vt augens calamitatem, quò* Ad Misericordiam *prouocaret Chriſtum.* Prouocat Diuinam miſericordiam oratio exhibita pro defuncto, quamobrem vt ad ſui miſericordiam Chriſtum Archiſynagogus prouocaret, non pro viuâ, ſed pro filiâ voluit eum deprecari defunctâ.

Idem

Magdalena, & Iudæi Chriſti miſerationẽ ſenſerunt, cùm pro mortuo lachrymas effuderunt.

8 Quò etiam ſpectauit Magdalena, cùm Chriſtum, vt mortuum fratrem viſitaret, aduenisſe audiens, ad illius pedes cucurrit, & ſimul cum ſorore, ac reliquis, qui ſecum erant, plorauit. Plorauit enim, vt Chriſtus cernens eam in defunctũ miſericordem, ſuâ eum miſericordiâ conſolari dignaretur. Nec ſanè decepta eſt: illicò enim pij præceptoris humanitatem experta eſt, ac miſerationem, ita vt eum videre meruerit ſe turbantem, ac præ miſeratione pietatis lachrymas effundentem. *Ieſus ergò vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum eâ, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſe ipſum, & dixit: Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei, Domine, veni, & vide, & lachrymatus eſt Ieſus.* Io. 11. 34. Hæc verba explanans Caietanus, rem noſtram ſimul explanat, & Chriſti miſerationem propter lachrymas pro defuncto effuſas commendat. *Non otioſè Euangeliſta deſcribit Ieſum motum ad lachrymas ex hoc, quòd vidit Mariam, & Iudæos plorantes. Ita enim tendit ad narrandum Ieſu diuinitatem ex verbis, & factis, vt deſcribat eundem eſſe verum hominem: moueri enim ad compaſsionem videndo alios flere, humanæ eſt* Commiserationis. En vbi lachrymas pro mortuo Magdalena, & Iudæi effuderunt, Chriſti miſerationem extemplò ſenſerunt, miſericordiæ namque munera ſentit, qui mortuis pietatem impendit.

Caietanus.

Dum Reſpha cadauera filiorum cuſtodiuit, cœleſtẽ miſericordiã obtinuit.

9 Immiſit Dominus in Iſraëlitarum populum famem triennem, quâ peccatum Regis Saul, qui occiderat iniuſtè Gabaonitas, puniret. Quod cùm Dauid agnouiſſet, ipſis populis vocatis, vt eis ſatisfaceret, ad eorùm petitionem ſeptem filios Saul crucifigi, & inſepulta in crucibus derelinqui mandauit. Ne tamen filios mortuos, aut aues lacerarent, aut feræ laniarent, eos nocte, ac die maternâ pietate Reſpha cuſtodiuit, donec tandem in paterno fuerint ſepulchro humati. *Et colligentes oſſa eorum, qui affixi fuerant, ſepelierunt ea cum oſſibus Saul, & Ionathæ filij eius.* 2. Reg. 21. 14. Quòd ſi quis rationem inquirat, cur cadauera illa, quæ tanto tempore iuſſu regio remanſerant in patibulis inſepulta, honore tandem ſepulturæ digni haberentur, in promptu eſt reſponſio Patris Bachiari, Epiſtolâ ad Ianuariũ ſcribentis, Reſpham aſſiduâ cadauerum cuſtodiâ, hanc à Deo impetraſſe miſericordiam, vt filios in regio videret ſepeliri monumento. *Corpora defunctorum, quos Dauid pro Gabaonitarum vltione percuſſerat, eò vſque accincta ſacco, & cilicio cuſtodiuit, donec eis roraret aqua de Cælo, ideſt pro veniâ eorum* Misericordiae Coelestis *ſtilla deflueret.* Dum ſacco induta, & cilicio accincta cadauera mortuorum cuſtodiuit, & filiorum ſepulturam, & cœleſtem meruit obtinere miſericordiam.

Bachiarius.

Miſertus eſt Deus Iſraelitarum, cùm ſe in mortuos benignos oſtẽderunt

10 Quam etiam populus Iſraël obtinuit, cui poſt horum cadauerum ſepulturam Deus repropitiatus annonæ copiam contulit, & pluuiam ſufficientem ad terræ culturam præbuit. *Et repropitiatus eſt Deus poſt hæc.* 2. Reg. 21. 14. Signatè dicitur, *repropitiatus*, vt oſtendatur poſt illa humanitatis, & ſepulturæ obſequia defunctis exhibita, miſericordiæ ſuæ munera populo contuliſſe. Adeſt Abulenſis hæc loquens. *Repropitiatus eſt Deus terræ poſt hæc, ideſt* Misertus Est Devs *terræ Iſraelitarum poſtquam facta ſunt hæc.* Poſtquam ſepulturã cadauerum cruci affixorũ, ſe benignos ergà mortuos Iſraëlitæ oſtenderunt, eorum miſertus eſt Deus, quia viuorum in mortuos miſericordiam diuina ſemper miſericordia remunerat.

Abulenſis.

Luctus pro mortuis miſerandus, & miſerabilis appellatus.

Homerus.

11 Sed & Gentiles hanc attigere veritatem. Quapropter Homerus Iliade 19. luctum, quem circa Patrocli feretrum Achilles agebat, miſerandum appellauit.

Sed Achiui

Totâ nocte circà Patroclum ſuſpirabant lugentes

His autẽ Pelides Miserandvm *incepit* Lvctvm

Et iterum Iliade 23. eundem Achillis pro defuncto amico luctum miſerabilem vocat.

Inter hos autem Pelides Miserabilem *ortus eſt* Lvctvm

Digitized by Google

LVCTVM.

Carmen in eorũ exequijs, miſerabile dictum. Ouidius.

Ouidius etiam in conſolatione ad Liuiam Auguſtam, carmen, quo Druſum plorauit mortuum, miſerabile dixit.

Iam legis in Druſum MISERABILE *Liuia carmen.*

Adeò nimirùm efficax eſt, vt prouocet ad miſericordiam pietas exhibita mortuis, vt luctus illis piâ lachrymarum effuſione impenſus, miſerandus, & miſerabilis, & carmen item, quo in eorum exequijs lugent viui, miſerabile iurè appelletur.

Qui defunctorum miſeretur, hoſtium quoque miſericordiam experitur.

12 Hæc expendens apud allatum Homerum Iliade 24. Priamus, cadauer Hectoris filij ab hoſtibus redempturus, non timuit Achillem illius interfectorem adire, ac miſerabilem ſe appellans, miſericordiam ſibi, dum pro defuncto exorabat, poſtulare his verbis.

Homerus.

Hunc tu nuper interfeciſti pugnantem pro patriâ
Hectorem; huius nunc gratiâ venio ad naues Achiuorum
Redempturus à te: fero autem infinita dona.
Sed reuerere Deos Achilles, meique IPSIVS MISERERE
Recordatus tui Patris, ego autem MISERABILIOR.

Vides Priamum ab hoſtibus etiam, dum mortuo pietatem parabat, ſibi miſericordiam obtinere ſperantem? Nec ſpes illius irrita fuit, nam protinùs Achilles eum miſeratus, quidquid poſtulauerat, benignè conceſſit, vndè ſubdit Poëta.

At poſtquam luctu ſatiatus eſt diuus Achilles
Et ei è præcordijs abijt deſiderium, atq; è membris,
Protinùs è ſede ſurrexit: ſenem autem manu erexit.
MISERATVS *canumque caput, canamque barbã.*

Non poterat quippè Achilles non misereri ſenis tantâ pietate defuncti filij ſepulturam ab hoſte poſtulantis. Qui enim defunctorum miſeretur, hoſtium quoque interdum pietatem, & miſericordiam experitur.

Niobe non amplius punienda, ſed miſeranda, cum in defunctos pia fuit, apparuit.

13 Idipſum Ouidius lib. 6. Metamorphoſeon confirmat, qui Niobem in funeribus natorum lugentem, & ſingulorum cadaueribus oſcula piè diſpenſantem, etiam hoſti miſerandam dixit. Porrò licet in Deos impia, & iccircò filiorum morte mulctata, dum tamen defunctis pietatem exhibuit, nedùm amicis, verùm etiam inimicis miſeranda apparuit.

Ouidius.

At nunc MISERANDA VEL HOSTI
Corporibus gelidis incumbit, & ordine nullo
Oſcula diſpenſat natos ſuprema per omnes.

Raphael Volater.

Ad quæ Raphaël Volaterranus. MISERANDA VEL HOSTI, ETIAM INIMICIS, *non ſolùm amicis. Quod quidem maximè eſt* MISERANDVM Tunc non ampliùs punienda, ſed & amicis, & inimicis Niobe apparuit miſeranda, cùm ergà mortuos filios teneræ pietatis obſequia multiplicauit. Quapropter, & Poëta ipſe illius miſertus cecinit.

Heu quantum hæc Niobe Niobe diſtabat ab illâ
Quæ modò Latois populum ſummouerat aris.

Vbi hæc habet idem Volaterranus. MISERETVR *Poeta Niobes, quæ paulò antè ſuperbiſſima, nunc abiectiſſima filiorum morte videtur eſſe facta.* O miram ad miſericordiam obtinendam miſericordiæ in mortuos efficaciam!

Euãder, cùm mortuum filiũ luget, miſeratione dignus appellatur. Virgilius.

14 Hanc firmauit, & Virgilius, qui lib. 11. Aeneidum Euandrum in filij Pallantis funere lugentem miſerum appellauit.

Interſintque patris lachrymis, ſolatia luctûs
Exigua ingentis, MISERO *ſed debita patri*

Iodocus Aſcenſius.

Cur autem Poëta miſerũ appellauerit Euandrũ, explicat his verbis Iodocus Aſcenſius. *Exigua ſolatia luctûs ingentis, ſed debita patri miſero, ideſt* MISERATIONE DIGNO. Miſer, ideſt miſeratione dignus dicitur, cùm filium luget extinctum; tunc enim ſe miſeratione dignum oſtendit, cùm mortuo nato ingenti luctu pietatem impendit.

Heliades Deorum miſericordiam, dum miſerabantur fratris defuncti experta.

15 Capiti coronidem impono, dum Heliades aduerto, iuxtà Poëtarum figmenta, Deorum miſericordiâ in populos arbores, cùm fratris Phaëtontis funus plorabant, conuerſas. Quod ſapienter eſt fictum, vt nobis innoteſceret, tunc homines diuinam conſequi miſericordiam, cùm defunctis miſericordiam largiuntur. Audiamus Ouidium lib. 2. Metam. hanc fabulam ita narrantem.

Ouidius.

Plangorem dederant, è queis Phaetuſa ſororum
Maxima, cùm vellet terræ procumbere, queſta eſt
Diriguiſſe pedes, ad quam conata venire
Candida Lampetie ſubitâ radice retenta eſt.
Tertia cùm crinem manibus laniare pararet
Auellit frondes.

Lactantius.

In cuius fabulæ argumento inquit Lactantius. *Sorores Phaetontis Phaetuſa, Lampetie, & Phebe auſum fratris deflentes,* DEORVM MISERICORDIA *in arbores populeas mutatæ ſunt.* Adeò certum eſt miſericordes in defunctos diuinam obtinere miſericordiam, vt hanc quoque Gentiles fabulis, & figmentis voluerint ſtatuere veritatem. Itaque iam apud omnes in confeſſo eſt, quòd qui mortuorum miſerentur, miſericordiam conſequuntur.

CAPVT XVIII.

Vitam ſuam corrigunt, qui defunctos adiuuare ſatagunt.

Suffragia mortuis exhibita liberant viuos à culpâ.

1 PRopter hoc etiam defunctorum miſereri, eoſque adiuuare debemus, quòd mores ſuos facilè corrigunt, qui mortuis pietatem impendunt. Sanctam ſæpius diximus, & ſalubrem appellari cogitationem, quâ pro defunctorum Animabus fideles exorant. *Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* 2. Machab. 12.46. Salubris autem dicitur, quia per eam ſalus, & mortuis oritur, & viuis. Hinc Lucas Tudenſis in Bibliothecâ veterum Patrum lib. primo Controuerſ. cap. 17. *Per Dei gratiam,* inquit, *ſalus*

Lucas Tudẽſis.

oritur viuentibus fidelibus, & defunctis. At quomodo ſalus viuētibus exoritur per orationes pro mortuorum animabus effuſas? Defunctis quidem ſalutem oriri conſtat, quia de Purgatorij tenebris ad Cœli delitias euehuntur. Viui autem quo pacto per hæc ſuffragia ſalutem conſequuntur? Explicat hoc idem Patee, dum ait viuos per ſuffragia exhibita mortuis, malas actiones omittere, ac peruerſos in ſanctos mores hac pietate commutare. *Isti namque tali cogitatione* A TORPORE DESIDIÆ AD BENE AGENDVM CONSVRGVNT, *illi verò à pœnâ* PVRGATORII *liberantur*. Cùm per ſuffragia mortuos liberant à pœnâ, liberantur viui à culpâ, quam ad meliorem frugem redeuntes omittunt, cùm Purgatorij animabus pietatem impendunt.

Vt negationis culpam deter geret, Petrus ad ſepulchrũ cucurrit.

2 Non poſſum non mirari Petri audaciam, qui Chriſto mortuo, in eius monumentum introire, linteamina conſpicere, ac ſudarium non timuit datâ operâ conſiderare. Nonnè hic eſt, qui abiectæ ancillæ vocem audiens, illicò tremefactus Magiſtrum negauit, ſeque illum nô agnoſcere pluries iurauit? Nonnè dum ille crucifigebatur, in cœnaculo clauſus aberat, rabiemque Iudæorum tunc maximè inſanientem vitabat? Quomodo ergo poſt eius mortem ad ſepulchrum perrexit, omnique timore abiecto Iudęorum veſaniam contemnens audacter introiuit? *Venit ergò Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius*; Ioan. 20. 6. Priorem negationis culpam detergere voluit, & ideò pius in mortuum, ad eius ſepulchrum omnem metum deponens, ire decreuit. Pulchrè

Euthymius.

Euthymius in hunc locum. *Venit ergò Simon Petrus nullo iam metu oppreſſus, quò* PRIORIS CVLPAM TIMIDITATIS ABSTERGERET. Abſtergit culparum maculas, qui pietatem mortuis impendit, vndè vt periurij, quo Chriſtum negauerat, culpam deleret, ad Chriſti monumentum cucurrit, & in illud audacter introiuit.

Ter ad ſepulchrum acceſſit, vt trinã curaret negationem.

3 Imò ſapienter idem aduertit Euthymius ter ad Chriſti ſepulchrum Petrum cucurriſſe. Primò quidem ſolum, vt refert Lucas cap. 24. 12. *Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum.* Secundò autem cum Ioanne, vt diximus. Tertiò verò iterum ſolum, cùm ei Chriſtus apparuit. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Luc. 24. 34. Quid cauſæ eſt, quòd trinâ vice ad ſepulchrum Petrus acceſſit? Audi Euthymium

Euthymius.

in Luc. 24. *Apparet ergò quòd tertiò venerit Petrus ad monumentum. Primùm quidem ſolus, poſtmodum verò cum Ioanne, prout ipſe Ioannes ſcripſit. Cùm autem vtrique eſſent, rursùs coactus eſt ſolus currere, neque enim hunc ſuſtinere permiſit amoris vehementia. Trinâ ergò vice ad ſepulchrum accedens*, TRINAM CVRAVIT NEGATIONEM. Quia ter ceciderat, ter ad ſepulchrum, vt à culpâ reſurgeret, cucurrit; qui enim ergà defunctos pius ad ſepulchra currit, à culpis, quas commiſit, huius pietatis merito citò reſurgit.

Magdalena Chriſtum inuenit, quia circà ſepulchrum perſeuerauit.

4 Chriſtum peccator per culpā amiſit? Perſeueret in pietate ergà mortuos, & eum ſibi placatum inueniet. Amiſerat illum Magdalena, quapropter piâ inquiſitione omnia ſcrutans, dolens clamabat. *Tulerunt Dominum meum, & neſcio, vbi poſuerunt eum.* Ioan. 20. 13. Apoſtolos adijt, nec eum inuenit; Angelos interrogauit, nec, vbi eum reperire poſſet, agnouit. Ad ſepulchrum tandem redijt, ibique deuotè perſeuerauit. *Maria autem ſtabat ad monumentum*, Ioan. 20. 11. ibique Ieſum, quem amiſerat, inuenire promeruit. *Conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem.* Ioan. 20. 13. O miram pietatis ergà mortuos efficaciam, quâ Deum homines amiſſum reperire merentur. Audi Diony-

Dion. Carth.

ſium Carthuſianum de Magdalenâ hæc in cap. 20. Ioannis ſcribentem. *Quoniam* PERSEVERAVIT, *nullamque indignam conſolationem admiſit, meruit conſolatorem, & deſideratum cordis ſui* INVENIRE, *ac cernere*. Quia perſeuerauit ad monumentum, reperit, quem amiſerat, Chriſtum, vt nos diſcamus tunc Deum peccatores inuenire ob culpas amiſſum, cùm circà ſepulchra, vt defunctis pietatem impendant, perſeuerare decernunt.

Vitam mutauit, cùm in mortuos pia ad ſepulchrũ perrexit.

5 Idipſum Matthæus expreſſit, cùm ait ad ſepulchrum Chriſti veniſſe Mariam Magdalenam, & alteram Mariam. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in primâ Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum.* Matth. 28. 1. Quænamque fuit hæc altera Maria, niſi Magdalena ipſa, quæ pietate mortuo exhibitâ, licet eadem nomine, altera virtute, licet eadem ſexûs conditione, altera fuit vitæ mutatione. Rectè D. Petrus Chryſologus ſerm.

D. Petrus Chryſologus.

74. *Venit ipſa, ſed altera; altera, ſed ipſa, vt mulier* MVTARETVR VITA, *non nomine, virtute, non ſexu.* Cùm ad ſepulchrum, vt cadauer vngeret defuncti, proceſſit, altera Magdalena facta eſt, quia pietate in mortuos, peccata deleuit, mores correxit, & priſtinam vitam opportunâ emendatione mutauit.

Diſcipuli Ioannis ad Chriſtum acceſſerunt, cùm magiſtrum ſepelierunt.

6 Obſeruo diſcipulos Ioannis tunc ad Chriſtum acceſſiſſe, cùm magiſtri ab Herode interfecti cadauer ſepelierunt. *Et accedentes diſcipuli eius, tulerunt corpus, & ſepelierunt illud, & venientes nuntiauerunt Ieſu.* Matth. 14. 12. Tunc nimirum, cùm mortuo præceptori pietatis obſequia ſepulturæ officio exhibuerunt, ad Chriſtum venire meruerunt. Præiuit D. Hilarius can. 13.

D. Hilarius.

in Matth. *Sepulto eo, diſcipuli eius ad Dominum tranſeunt.* Tranſeunt diſcipuli à Ioanne ad Chriſtum, cùm mortuum ſepeliunt, vt nobis innuant homines tunc relictâ culpâ tranſire ad Deũ, cùm ſe ſe in mortuos clementes oſtendunt.

D. Bonifacius, vt pœnitentiam ageret mortuorũ corpora ſepelijt.

7 Quod ſanctus Martyr Bonifacius, & nouit, & expertus fuit, qui cùm intemperantiæ culpam abolere, atque ad Deum per pœnitentiam redire optaret, ad ſepelienda mortuorum corpora ſe contulit. Nec eo, quod ſperabat, fruſtratus fuit, nam vitam gratiæ, in defunctorum ſepulchris

inuenit,

inuenit, dumque aliorum corpora terræ mandauit, ſuam animam ad Cœlum euexit. Ita pietate in mortuos ex peccatore inſtus, & ex iniquo luxuriæ mancipio glorioſus Chriſti matyr eſt effectus. Affero Breuiarij Romani verba, quæ in lectionibus habentur huius ſancti feſtiuitati dicatis die 14. Maij. *Bonifacius ciuis Romanus, quòd cum Aglae nobili matronâ impudicè verſatus eſſet, tanto illius intemperantiæ dolore captus eſt, vt* POENITENTIAE CAVSA *ſe ad conquirenda, & ſepelienda Martyrum corpora contulerit.* Vt pœnitentiam ageret, & pœnitentiâ iuſtus euaderet, mortuorum corpora ſepeliuit: nouerat quippè tunc homines iuſtificationis dona conſequi, cùm defunctis iuſta perſoluere procurant.

Breuiarium Romanum.

8 Tobiam tanquam virum iuſtum, & Deo valdè acceptum Archangeli Raphaëlis ore commẽdatum ex ſacrarum literarum monumentis agnoſcimus. *Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.* Tob. 12. 13. Quâ verò ratione adeò iuſtificatus, & tot laudum præconijs ore angelico fuerit celebratus, explicat D. Paulinus Epiſtolâ ad Pammachium his verbis. *Sanctam verò, & ſanctificatam ſpem per humandi curam nos Tobias docet, huius ſpecialiter muneris prærogatiuâ* IVSTIFICATVS A' DOMINO, *& Archangeli voce laudatus, quòd prætuliſſet prandio ſuo pauperis ſepulturam.* Iuſtificatus eſt à Deo Tobias, cùm religioſâ pietate mortuorum ſepulturæ vacabat. Diſcant igitur homines, qui à peccatis reſurgere, ac per gratiam iuſtificari percupiunt, ſe poſſe per pietatem defunctis exhibitã hæc à Deo ſummâ facilitate obtinere.

Tobias ob mortuorum ſepulturam à Deo iuſtificatus.

D. Paulinus.

9 Idque adeò verum eſt, vt non poſſint peccatores ſuæ correctionis, & conuerſionis clariora, & euidentiora ſigna exhibere obſequijs in gratiã defunctorũ exhibitis. Videns Iudæorũ turba prodigia, quæ Deus in Chriſti morte oſtendit, ſigna nõ nulla contritionis tunſione pectoris admirata exhibuit. *Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.* Luc. 29. 48. Hic inquiro, vtrùm turba iſta veræ pœnitentiæ ſigna ediderit, & à patrato delicto ad Deum cõuerſa reſurrexerit. Fuerunt ne hæc perfecti, an doloris indicia ſimulati? Audi reſpondentem Simonem Caſſianum lib. 13. in Euangelia cap. 123. *Percuſſi ſtupore non prouocabantur, vt conuerterentur*, Non ad veram conuerſionem, ſed ad fictum dolorem, & ad inſolitum prouocati fuerunt ſtuporem. Vndè verò conſtat non fuiſſe turbam iſtam verè ad Deum conuerſam? Ex eo quòd Chriſti cadaueri non iuſta perſoluerunt, ſed illud in cruce inſepultum omiſerunt. *Nam*, ſubdit idem author, *ſi conuerſi fuiſſent, non reliquiſſent tale corpus crucifixum.* Ad veram pœnitentiam conuerſi non fuerunt, quia Chriſto mortuo pietatẽ non impenderunt, nam ſignum conuerſionis viuorum eſt pietas, quâ miſerentur mortuorum.

Signum conuerſionis viuorum eſt pietas, quâ miſerentur mortuorum.

Simon Caſſianus.

10 His opponere quis poteſt Legis mandatum, quo reijcitur, velut immundus, qui cadauera tangit mortuorum. *Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc ſeptem diebus fuerit immundus, aſpergetur ex hac aquâ die tertio, & ſeptimo, & ſic mundabitur.* Numer. 19. 11. Si enim ſit immundus, qui tangit defunctos, quomodo pietate illis exhibitâ poterunt peccatores à culpâ mundari? Nunquid eadem actio poteſt nos, & mundos facere, & reddere immundos? Non equidem; ſed immunditia illa, non corporaliter, ſed ſpiritualiter eſt in lege intelligenda, ita vt illud myſticè indicetur, quòd in hoc mortali corpore non poſſumus mundari, niſi aquâ ſanctificantis gratiæ abluti, veram munditiam conſequamur. Statuit, & pluribus hunc ſenſum confirmat D. Hilarius in Pſal. 118. *In lege quiſquis mortuum contrectat, immundus eſt. Sed abſit iſtud, vt quidquam horum in lege corporaliter intelligatur, tanquam per contractionem mortui quiſquam fiat immundus. Ioſeph oſſa egrediens Aegyptum Moyſes ipſe lator legis euexit. Eliſæus mortuo, vt eum viuificaret, incubuit. Dominus ipſe mortuos manu apprehenſos in vitam retraxit. Contrectatio mortui, ſi immundum effectura fuiſſet, nequaquam à tantis viris, neque à Domino violata lex eſset, ipſo dicente: Non veni legem ſoluere, ſed adimplere. Sed quia lex vmbra eſt futurorum bonorum, iccircò per hanc præformatam ſignificantiam docuit, nos in hoc terreni, & morticini corporis habitaculo mundos eſſe non poſſe, niſi per ablutionem cœleſtis miſericordiæ emundationem conſequamur.* Hæc ille, quæ ſatis eſſe poſſunt ad locum, quem tractamus luculenter explicandum, & ad omne dubium, quod aſſumptam poterat turbare veritatem, euertendum. Quamobrem iam patet, eos vitam ſuam corrigere, qui ſatagunt precibus, ac ſuffragijs defunctos adiuuare.

Sepulturâ mortuorũ immunditia non contrahitur viuorum.

D. Hilarius.

CAPVT XIX.

Delictorum veniam facilè conſequitur, qui mortuos homines pietate proſequitur.

1 HOc modò mihi probandum aſſumo, quòd veniam obtinet, qui veniam defunctis impetrat, & ſua delicta ſibi meretur ignoſci, qui Deum, vt mortuis delicta ignoſcat, exorat. Iratus Deus in populum Iſraël propter Gabaonitarum cædem a Rege Saul iniquè patratam, longâ fame illum afflixit, terramque pluuijs irrigare deſinens, multos inediâ conſumpſit. Oraculum Domini Dauid conſuluit, & ne totus interiret populus, quinque filios Saul apud Gabaonitas interire permiſit. Quorum cadauera cùm in patibulis diù inſepulta pependiſſent, Rex tandem cum viris Iſraëlitis infami ludibrio ſubtraxerunt, & in patrio ſepulchro, exequiarum honore præcedente, condiderunt. His geſtis Dominum ſtatim legimus populo placatum, & terræ propitiatum. *Collegentes oſſa eorum, qui affixi fuerant, ſepelierunt ea cum oſſibus Saul, & Ionathæ filij eius in terrâ Beniamin in latere,*

Tunc Deus propitius fit viuis, cùm ipſi propitij ſunt mortuis.

in

in ſepulchro Cis patris eius, feceruntque omnia, quæ præceperat rex, & repropitiatus eſt Deus terræ poſt hæc. 3. Reg. 21. 14. Placatur Deus, & repropitiatur hominibus, cùm humanitatis obſequia mortuis impendunt, & iccircò ſtatim ac Iſraëlitæ debito luctu mortuos filios Saul proſequentes, eos à patibulis ſubtractos honorificè ſepelierunt, Deum ſibi placatum, & propitiatum ſenſerunt. Adeſt Cardinalis Caietanus hunc locum ita dilucidans. *Nomen eſt Elohim, & diuina gratia dans copiam annonæ ſignificatur, quod ſecundùm effectum apparuit* POST HAEC HVMANITATIS OFFICIA: *viſa eſt enim pluuia ſufficiens ad culturam terræ.* Tunc Deus propitius fit viuis, cùm ipſi propitij ſunt mortuis, tùmque in ſeipſis diuinæ pietatis experiuntur effectum, cùm defunctis humanæ pietatis præſtant obſequium.

Caietanus.

Vt Aaron retineret proceſſũ vindictæ, inter mortuos orauit.

2 Hoc apprimè intellexit Aaron, cùm ſæuiente in populum irâ Dei, & igne murmurantes Iſraëlitas deuorante, ne omnia vaſtaret incendiũ, & tota periret multitudo, thymiama obtulit, & vt plaga ceſſaret, Deum orauit. Sed non niſi ſtans inter mortuos, quos ignis conſumpſerat, & viuos, quos adhuc incendium non vaſtauerat, ſuas preces obtulit, vt oratio, quam pius fundebat, mortuis æquè prodeſſet, ac viuis. Vt verò his precibus diuinam pietatem implorauit, illicò incendij pœnâ, & flammarum plagâ ceſſante, Deum ſibi propitiatum populus cognouit. *Stans inter mortuos, ac viuentes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit.* Numer. 16. 48. Hic iuuat ſciſcitari, cur Aaron thymiama offerre, ac preces voluerit inter mortuos, ac viuentes effundere. Si Deum, ne vlteriùs flammarum incendio in populum ſæuiret, placare cupiebat, vt quid eum inter mortuos orauit? Quare inter defunctos thymiama obtulit, dum viuentibus diuinam opem implorauit? Quia vt Deus ignoſcat, & propitius fiat viuis, debet exorari pro defunctis. Benè Dionyſius Carthuſianus. *Stans inter mortuos, ac viuentes pro populo deprecatus eſt,* VT RETINERET PROCESSVM VINDICTAE, Vt vindictam retineret, quâ puniebantur viui, orationem fudit, quâ adiuuarentur & mortui, quia tunc Deus propitiatur viuis, cùm eum quærunt ſuis precibus propitium reddere defunctis.

Dion. Carth.

Sepulturâ mortuorum Tobias Deũ ſibi propitium fecit.

3 Tobias hirundinis ſtercore in patientiæ probationem excæcatus, & ab vxore, ac amicis ipsũ irridentibus opprobrio affectus, gemens ad Dominum clamabat, & potiùs mori, quàm vitam in tenebris ducere petebat. Sed cùm breui ſe moriturum putaret, ac propterea piiſſima ſalutis monita filio inculcaret, repentè filio eius oculos felle iecoris piſcis liniente, viſum recepit, & angelicis verbis, & laudibus recreatus, Deo pro ſibi collatis beneficijs gratias egit. *Dicebatque Tobias. Benedico te Domine Deus Iſrael, quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me, & ecce ego video Tobiam filium meum.* Tob. 11. 17. Quid Tobias egit, vt Deum ſibi placaret, & poſt diuturnas cæcitatis tenebras oculorum lucem reciperet? Quonam religionis, aut pietatis opere diuinam ſibi opem in tot calamitatum procellis impetrauit? Quo tandem pacto in ſuis angoribus cœleſtis miſericordiæ veniam, cùm ſe morti propinquum cenſeret, obtinuit? Audiamus Archangelũ Raphaelem eum his verbis alloquentem, & rationem ſimul præſtitæ pietatis diuinæ afferentem. *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tuâ, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino, & quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te, & nunc miſit me Dominus, vt curarem te.* Tob. 12. 12. Pietate, quam ſepulturæ obſequio defunctis exhibebat, Deum ſibi propitium Tobias reddidit, & diuinæ veniam miſericordiæ illuminatus obtinuit. Præclarè Bachiarius Epiſtolâ ad Ianuarium. *Nonnè ſic beatus Tobias* VENIAM MISERICORDIAE COELESTIS *emeruit, mortuis in captiuitate fratribus tribuens ſepulturam?* Veniã obtinuit, dum mortuos condidit, & per ſepulturam defunctorum lumen denuò recepit oculorum.

D. Bachiari

Martha, vt veniam impetraret, ad Chriſtũ pro fratris reſurrectione cucurrit.

4 Pergo, & Marthæ celeritatem, quâ Chriſto ad Lazarum venienti occurrit, expendo. Vix eum veniſſe cognouit, & ſtatim ſola per medias turbas, extrà caſtri ſepta, vt ei obuiam iret, feſtinauit? *Martha ergò, vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit illi.* Ioan. 11. 20. Quid mulier, quæ in domo amicos conſolatores habebat, ſola per totum caſtrum luctûs tempore feſtinat? Feſtinauit, vt dum à Chriſto fratri mortuo reſurrectionem peteret, ſibi delictorum veniam impetraret. Tunc nimirùm credebat, ſe facilè poſſe obtinere veniam, cùm mortuo ſuis precibus imploraret vitam. Feſtiuè D. Petrus Chryſologus ſerm. 64. *Mulier currit pro morte, quæ cucurrit ad mortẽ; feſtinat* AD VENIAM, *quæ feſtinauit ad culpam; ad redemptorem pium peruenit, ſeductor peſſimus quam præuenit; reſurrectionem quærit, quæ quæſiuit ruinã, & ipſa, quæ mortem viro attulit, vt vitam viro referat, hæc anhelat.* Dum mortuo Martha vitam impetrare feſtinauit, ad veniam ſibi obtinendã feſtina cucurrit, currit enim, vt veniam ſibi obtineat, qui feſtinat, vt mortuis pietatẽ impendat.

D. Pet. Chryſ.

Ad veniam Magdal. cucurrit, cùm ad ſepulchrũ feſtinauit.

5 A' Marthæ conſilio non diſceſſit ſoror illius Maria, quæ ad Chriſti ſepulchrum, aromatibus onuſta, vt mortuo pietatem exhiberet magiſtro feſtinauit. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in primâ Sabbati venit Maria Magdalene, et altera Maria videre ſepulchrum.* Matth. 28. 1. Quid cauſæ eſt, quòd Iudæorum perfidiam non metuens, ad ſepulchrum Magdalena cucurrit? Audi eumdem Petrum Chryſologum ſerm. 74. hæc reſpondentem. *Serò mulier* CVRRIT AD VENIAM, *quæ maturè cucurrit ad culpam; veſpere quærit Chriſtum, quæ in matutinis Adam ſe nouerat perdidiſſe. Quæ de Paradiſo perfidiam ſumpſerat, feſtinat fidem ſumere de ſepulchro; contendit rapere de morte vitam, quæ de vitâ rapuerat mortem.* Ad veniam Magdalena cucurrit, cùm ad ſepulchrum

Idem.

pia

Digitized by Google

pia feſtinauit, vt conſtaret pietate, quæ impenditur mortuis, veniam obtineri à viuis.

Mulier pietate, quâ plorauit Baſilium mortuum, veniam obtinuit peccatorum.

6 Hùc pertinet, quod in vitâ Sancti Baſilij narrat Petrus de Natalibus lib. 2. Catal. cap. 28. mulierem quamdam omnia ſua peccata in paruâ ſchedulâ conſcripſiſſe, & Sancto, vt pro eorum veniâ deprecaretur, ſchedulam porrexiſſe. Quod cùm feciſſet, omnia crimina, vno excepto cæteris grauiore, deleta ſunt, nec ampliùs in ſchedulâ apparuerunt. Quapropter Baſilius mulierem miſit ad ſanctum virum Ephræm eremitam, vt eius precibus delicti grauioris, & nondum deleti veniam conſequi mereretur. Verùm cùm adhuc re infectâ ad Baſilium redijſſet, eum in feretro defunctum reperit, dumque in illius exequiis pio, ac religioſo luctu ploraret, peccatum è ſchedulâ, quam ſupra cadauer ſancti poſuerat, deletum inuenit. Quod vt aſpexit Deo, & ſancto gratias egit, ac gauiſa eſt, ſe veniam obtinuiſſe lugentē defunctum, quam impetrare non potuerat, deprecans virum. *Mulier quædam*, inquit Petrus de Natalibus, *omnia peccata ſua in ſchedulâ ſcripſerat, et eam Baſilio dederat, ſupplicans, vt pro ſe oraret, vt Deus ſibi peccata dimitteret. Qui dum pro eâ oraſſet, omnia peccata, præter vnum grauius, de Chartâ deleta ſunt. Quam Baſilius ad Ephræm eremitam miſit, vt eius oratione peccatum illud deleri poſſet. Tunc Ephræm eam ad Baſilium, tanquam ſanctiorem, remiſit, et vt veniens feſtinaret, admonuit, eò quòd dubitabat, an ipſum viuum inuenire poſſet. Rediens ergò mulier, virum Dei defunctum reperit, qui iam ad tumulum portabatur, et* DVM LAMENTABILITER FLERET, *& ſchedulam ſuprà corpus defuncti poſuiſſet, iterum eam aperuit, & peccatum deletum aſpexit.* Vides pietate, quâ Baſilium plorauit defunctum, veniam hanc mulierē ſuorum obtinuiſſe peccatorum?

Pet. de Nat.

Codrus ſecurus fit veniæ, cùm Pompeiū ſepelit defunctum.

7 Quid? Quòd homines quoque veniam facilè illis concedunt, qui mortuis pietatem impēdunt? Teſtatur id Lucanus lib. 8. Pharſaliæ, qui Codrum alloquens Magni Pompeij humatorem, eum hortatur, vt ad Cæſarem, Ptolemæū, aliosque percuſſores pergat, caputque defuncti ſublatum ad ſepulturam ab eis petat. Et ne tam laudabili auſui timor obſtet vindictæ, ei ſuadet, vt ſecurus veniæ, ad hoſtes, non puniendus, ſed valdè commendandus accedat.

Lucanus.

I modò SECVRVS VENIÆ, faſtuſque ſepulchrum
Poſce caput

Securus eſt obtinendi veniam à viuis, qui miſericordiam exhibet mortuis, & ideò iuſſus eſt Codrus cum certitudine veniæ impetrandę ſuos adire hoſtes, quia Pompeio ſepulturæ honorem, & exequiarum iuſta perſoluerat defuncto.

Ninus reis parcebat, qui mortui patris imaginem venerabantur.

8 Nec minùs hanc ſtatuit veritatem ſtatua, quam Belo patri vitâ functo Ninus filius in ſolatium ſui doloris erexit. Certus enim veniæ quicunque ad eam confugiebat, dum imaginem mortui honorabat, placatum ſibi, & propitium Regem viuum reddebat. Rem narrat Petrus Comeſtor lib. de Geneſi cap. 40. *Mortuo Belo Ninus in ſolatium doloris imaginem Patris ſibi fecit, cui tantam exhibebat reuerentiam,* VT QVIBVSLIBET REIS, QVI AD EAM CONFVGISSENT, PARCERET. Parcebat Ninus reis, qui mortuum genitorem in imagine venerabantur, hacque benignitate oſtendebat, pietatis obſequijs, quæ defunctis impenduntur, delictorum veniam obtineri, quæ committuntur.

Pet. Comeſt.

Latini veniā pro ſeipſis impetrauerūt, cū pro mortuis miſericordiā implorarūt.

9 Id etiam ea confirmant, quæ habet Virgilius lib. 11. Aeneides, dum oratores Latinos tunc inducit veniam rogantes, cùm Aeneam, vt interfectorum militum cadaueribus ſepulturam concederet, rogauerunt. Orat quippe vt ſibi obtineat veniam, qui rogat, vt mortuis impetret miſericordiam.

Virgilius.

Iamque Oratores aderant ex vrbe Latinâ
Velati ramis oleæ, VENIAMQ; ROGANTES,
Corpora, per campos ferro quæ fuſa iacebant,
Redderet, ac tumulo ſineret ſuccedere terræ.

Nec tantùm rogauerunt, ſed etiam his precibus veniam obtinuerunt. Vndè ſubdit Poëta.

Quos bonus Aeneas haud aſpernanda precantes
PROSEQVITVR VENIA.

Proſecutus eſt Aeneas veniâ Latinos, qui mortuos proſequebantur miſericordiâ; veniam enim pro ſeipſo impetrat, qui miſericordiam pro mortuis implorat.

Oracula pietatem ſuadebant in mortuos ei, qui Deos placare optabāt.

10 Caput abſoluo, dum illud profero, quod de Lacedæmonijs refert Herodotus lib. 1. qui cùm aduerſus Tegeates aduerſo Marte ſemper pugnarent, oraculum conſuluerunt, quibus poſſent ſacrificiorum oblationibus, aut pietatis operibus iratos ſibi Deos placare. His autem reſpōſum eſt Deos honeſtâ Oreſtis ſepulturâ, & ſolenni cadaueris illius translatione placandos. Quod poſtquam egerunt, hoſtibus longè ſuperiores in pugnâ extiterunt. Sed iam verba Herodoti afferamus. *Superiore quidem bello Lacedæmonij aduerſus Tegeates aſſiduè ſemper malè pugnauerant: Crœſi tamen ætate, & Anaxandridæ, Ariſtoniſque regum ſuorum longè ſuperiores contrà eoſdem extiterunt, hunc in modum tales effecti. Cùm ſemper in bello à Tegeatibus ſuperarentur, miſſis Delphos conſultoribus, oraculum ſunt ſciſcitati, quemnam Deū placarent, vt Tegeatum victores exiſterent. His Pythia reſpondit, id fore, ſi oſſa Oreſtis filij Agamemnonis referrent.* Gentilium quoque oracula Deos ſibi placare, & culparum ſuarum veniam ab eis impetrare quærentibus pietatem ſuadebāt in defunctos, vt non tantùm ex ſacris, ſed etiam ex profanis conſtaret oraculis, quòd delictorum veniam facilè conſequuntur, qui mortuos homines pietate proſequuntur.

Herodotus.

CA-

CAPVT XX.

Multas conſolationes experitur, qui ſuâ mortuos pietate conſolatur.

Iacob honorificam ſui corporis tranſlationem praecepit, vt ſuam familiam cõſolaretur.

1 CVm lugentibus conſolationes à Chriſto promittantur. *Beati qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur*. Matth. 5. 5. conſolationes hìc placet explicare, quas lugentes mortuos, eiſque pietatis obſequia impendentes experiuntur. Cùm extremâ ſenectute oppreſſus extremum vitæ ſuæ diem cerneret Iacob propinquum, filium ſuum Ioſeph vocauit, eumque deprecatus eſt, vt ex Aegypti regno, vbi tunc morabatur, ſuum poſt mortem cadauer ad terram transferret Chananæorum, vt in Hebron in paterno conderetur ſepulchro. *Facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hac, condaſque in ſepulchro maiorum meorum*. Gen. 47. 30. Vbi ſcrutari oportet, cur Iacob adeò ſolicitâ curâ oſſa ſua in patrio voluerit humari monumento. Cur corpus, quod viuum quoque debet contemni, tantâ voluit honorari ſolemnitate defunctum? Cur Ioſeph Aegypti præfectum à regni negotijs diſtraxit, vt ſui cadaueris translationi longo, & moleſto itinere vacaret? Cur demum non quolibet contentus, voluit ſibi ſuorum ſepulchrum parari maiorum? Non de ſui ſepulturâ, ſed de ſuorum conſolatione ſolicitus id egit; nouerat enim familiam ſuam ex pietate, quâ ſuum transferret corpus mortuũ, non modicas recepturam eſſe conſolationes. Adeſt Theodoretus quęſt. 107. in Gen. hæc ſcribẽs. *Quare ſepeliri mandauit corpus ſuum in Hebron? Non quòd de ſepulturâ valdè ſolicitus eſſet, ſed* VT FAMILIAM SVAM CONSOLARETVR. Conſolationes impetrant, qui ſe benignos exhibent mortuis, & ideò vt ſuos conſolaretur propinquos, ſui eis mandauit curam cadaueris, quod ſolemni exequiarum pompâ in paterno ſepulchro humãdum ad terram transferrent Chananæorum.

Theodoretus.

Chriſtus ad Martham, & Magdalenam lugentes defunctum, cõſolator acceſſit.

2 Bethaniam Chriſtus venerat, vt amicum Lazarum morbo è vitâ ſublatum, ad vitam ſuæ diuinitatis potentiâ reuocaret amiſſam. Audiens autem Martha Chriſtum veniſſe, illicò ei occurrit, & lachrymis pro fratris morte vbertim effuſis, illum excepit. Quod cùm egiſſet, abijt ſtatim ad ſororem Mariam, eamque, vt ad Chriſtũ veniret, vocauit. *Et cùm hæc dixiſſet, abijt, & vocauit Mariam ſororem ſuam*. Ioan. 11. 28. Si autem quis miretur, quòd Martha Chriſtum reliquerit, vt ſororem vocaret, agnoſcat ex charitate id illam egiſſe, vt videlicet conſolationis, quam plorans pro fratre à Chriſti verbis acceperat, Magdalenam participem faceret abſentem, & cum Iudæis alio in loco lugentem. Præclarè D. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Ioannem cap. 17. *Martha ex præſentiâ Chriſti, & ſpe futuri boni quod illi vſquequaque denegatum non fuerat, aliquantâ* CONSOLATIONE ACCEPTA, *doluit ipſius medici, & optimi* CONSOLATORIS *præſentiam ſororem ſuam latere, ſed eam huius boni participem efficere ſtuduit, demiſſâque voce eam vocauit*. Conſolationum participes fiunt, qui pietate mortuos proſequuntur, quare dum fratrem plorabat mortuum, Chriſti conſolationes Martha recepit, eumdemque conſolatorem Magdalena vocata promeruit.

Cyril. Alex.

Ad eos, qui lugent mortuos conſolantes accedere ſolent.

3 Et ſanè Chriſtum ad has mulieres veniſſe conſolatorem, teſtatur apertè D. Ioannes Chryſoſtomus Magdalenam laudans, quòd Chriſtum non expectauerit ad ſe venientem, ſed citò ſurgens ei occurrere voluerit adhuc extra caſtellum moranti. *Illa vt audiuit, ſurrexit citò, & venit ad eum; nondum enim venerat Ieſus in caſtellum, ſed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha*. Ioan. 11. 29. Aduertit enim Sanctus Pater conſuetudinem fuiſſe ijs, qui mortuos lugebant, vt conſolantes ad ſe venientes expectarent, licet Magdalena conſolatorem ob amoris feruorem præuenerit, & eum ad ſe venire non expectauerit. *Solent lugentes hunc honorem accipere, vt ad ipſos veniant* CONSOLANTES, *ſed hæc non expectat venire ad ſe magiſtrum, neque dignitatem ſeruat, neque à luctu detenta eſt*. Hæc D. Ioannes Chryſoſtomus apud Hugonem Cardinalem in Ioan. 11. Adeunt conſolatores eos, qui mortuis pietatem impendunt, ac propterea Chriſtus ad Martham, ac Mariam, quæ fratrem defunctum plorabant conſolator acceſſit.

D. Io. Chryſ.

Vt ſorores Lazari eum defunctum lugẽtes conſolarentur, illas Iudæi adierunt.

4 Nec Chriſtus tantùm, ſed & Iudæi ad mulieres iſtas, vt eas conſolarentur, venerunt. *Iudæi ergo, qui erant cum eâ in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam*. Ioan. 11. 31. Vbi Caietanus obſeruat Iudæos iſtos fuiſſe nobiles perſonas, quæ ab vrbe Ieruſalem ad oppidum, vbi morabantur hæ mulieres, vt eas conſolarentur acceſſerunt. *Hinc conijcitur, quòd perſonæ nobiles erant Iudæi iſti, vtpote qui venerant ab Ieruſalem ad hoc, & erant in aulâ cũ Mariâ Dominâ oppidi* AD CONSOLANDVM EAM. Conſolationes merebantur mulieres iſtæ, quæ mortuum fratrem tantâ pietate lugebant, ac proindè Ieroſolymitani quoq; Iudæi ab vrbe vſque ad oppidum Bethaniæ, vt congruis eas afficerent conſolationibus, perrexerunt.

Caietanus.

Pij ergà mortuos ipſos beſtes merentur habere conſolatores.

5 Sed hic dubium inſurgit, quomodo Iudæi mulieres iſtas valdè à Chriſto dilectas conſolarentur, dum iam ſtatuerant, vt extrà Synagogã fieret quicumque Chriſtum confiteretur. *Iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extrà ſynagogam fieret*. Ioan. 9. 22. Cur dum alios Chriſto credentes impiè oderant, eoſque à ſynagogâ eijcientes ſeuerè mulctabant, mulieres iſtas, quas adeò Chriſtus diligebat, & apud quas tam frequenter hoſpitabatur, ſunt conſolati. Præiuit in dubio, quod aptâ reſpõſione diſſoluit D. Cyr. Alex. lib. 7. in Io. c. 17.

Cyrill. Alex.

Quomodo Iudæi CONSOLABANTVR *dilectas à Chriſto, cùm iam ſtatuiſſent, quòd ſi quis Chriſtum confiteretur, extrà ſynagogam fieret? Sed propter calamitatis neceſſitatem, aut quaſi nobiles has mulieres reuerentes*, EAS CONSOLABANTVR. Tanta debebatur his mulieribus in calamitate, quâ mortuum fratrem lugebant, conſolatio, vt ipſos quoque hoſtes meruerint habere conſolatores.

Vidua filium mortuum plorantiæ præſtitit Chriſtus conſolationem.

6 Mulierem viduam, quæ vnigeniti funus comitabatur, dum ad Ciuitatem Naim properabat, Chriſtus inuenit, eamque aſpiciens vberrimâ lachrymarum effuſione plorantem, miſericordiâ motus eſt, eique, ne fleret, iniunxit. *Quam cùm vidiſſet dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi. Noli flere.* Luc. 7. 13. Quid verò fuit hæc lachrymarum iuſſa ceſſatio, niſi Chriſti blando ſermone defuncti matrem alloquentis conſolatio? Pietatem nimirùm, quam in filij mortui exequijs præſeferebat, voluit Chriſtus opportunâ inſperatæ reſurrectionis conſolatione remunerari. Audiamus D. Ioannem Chryſoſtomum in catenâ ita loquentem. *Iubens autem ceſſare à lachrymis, qui* CONSOLATVR *mæſtos, monet nos præſentibus defunctis* CONSOLATIONEM RECIPERE *reſurrectionem ſperantes*, & Dionyſius Carthuſianus dixit de Chriſto. *Dixit viduæ deſolatæ verbum bonum verbum* CONSOLATORIVM. Opportunam matri ploranti præſtitit Chriſtus conſolationem, quâ nos docuit, eos, qui defunctis exhibent pietatem, diuinam ſuâ pietate obtinere conſolationem.

D. Io. Chryſ.

Dion. Carth.

Cõſolatus eſt Chriſtus eos, qui pietatem impendebant filiæ Archiſynagogi defunctæ.

7 Neque ab hac conſolatione fuit aliena turba illa tumultuans, quæ in domo Archiſynagogi luctibus, & tibijs exequias illius filiæ celebrabat defunctæ. Quam cùm vidiſſet Chriſtus, dixit ei, vt recederet, nec ampliùs ploraret puellam non mortuam, ſed dormientem. *Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dixit ad eos, Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit.* Matth. 9. 24. Hìc iuuat ſciſcitari, cur Chriſtus huic turbæ receſſum imperauerit, puellamque non mortuam, ſed dormientem dixerit? Quare iuſſit turbæ, vt recederet, dum extremis pietatis officijs defunctam honorabat? Quare tantummodo dixit dormientem eam, quæ mortis grauata ſopore iacebat? Quare tandem mortuã negauit puellam, cuius anima iam ad tenebras deſcenderat inferorum? Hæc protulit, vt quadam conſolatione dolorem leniret eorum, qui lugebant defunctam; tantam enim pietatem Chriſti conſolationes comitari debebant. Diſco id ex Abulenſi quæſt. 115. in Matth. 9. *Quæretur, quare Chriſtus intrans domum dixit ad tibicines, Recedite. Dicendum, quòd fuit propter multa. Primò* AD QVAMDAM CONSOLATIONEM, *hortando, quòd non lugerent, ſcilicet, recedite, id eſt ceſſate lugere, nam vbi dicitur hic recedite, dicitur Marci 5. Quid turbamini, & ploratis? & Lucæ 8. dicitur, Nolite flere.* Conſolatus eſt Chriſtus eos, qui mortuæ puellæ pietatem impendebant, ac proindè illis dixit, vt à luctu ceſſarent, & plorare deſinerẽt puellam, non mortuam, ſed dormientem.

Abulenſis.

Archiſynagogum Chriſtus eſt conſolatus mortuam filiam lugentẽ.

8 Nec minùs conſolatus eſt Iairum patrem puellæ, ad quem cùm veniſſent nuntij ſuadentes, ne Chriſtum vexaret vlteriùs, quia iam erat puella defuncta, Chriſtus ad eum conuerſus, illi dixit, ne timeret. *Ieſus autem audito hoc verbo reſpondit patri puellæ. Noli timere, crede tantùm, & ſalua erit.* Luc. 8. 50. Cur autem hæc ei dixerit verba, explicat rectè Dionyſius Carthuſianus, aitque ad illius conſolationem ea protuliſſe, qui paternâ pietate filiam lugebat defunctam. *Ieſus autem audito hoc verbo nuntij prædicti, dixit patri puellæ, eum piiſſimè* CONSOLANDO, *atque in fide, & ſpe roborando; Noli timere.* Conſolationibus fruuntur, qui pietate in mortuos feruntur; quare Chriſtus Archiſynagogum blandis verbis eſt allocutus mortuam filiam piè plorantem.

Dion. Carth.

Mulieres ad monumentum pergentes conſolatorijs verbis Chriſtus eſt allocutus.

9 Quod expertæ ſunt mulieres illæ ad Chriſti monumentum, vt diuinum cadauer pretioſis delinirent vnguentis profectæ. Cùm enim vt Angeli iuſſa exequerentur, à monumento redirent ad cœnaculum, Ieſum videre meruerunt ſibi occurrentem. *Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens, Auete.* Matth. 28. 9. Hoc autem verbum, quo Chriſtus eſt mulieres allocutus, expendens Dionyſius Carthuſianus, notauit illud amicitiam exprimere, dulcedinem, ſuauitatem, atque conſolationem. *Occurrit illis, dicens, Auete, quod eſt verbum* CONSOLATORIVM, *& amicabile.* Quæ ad monumentum, vt mortuo pietatem impenderent, cucurrerant, diuinâ merebantur conſolatione recreari; quapropter illis Chriſtus in viâ occurrit, & conſolatorijs verbis earum mentes lætificauit.

Dion. Carth.

Dum Apoſtoli Chriſtum lugebãt mortuum, conſolationẽ à Magdalenâ receperunt.

10 Quin & eis præcepit, vt ſuæ reſurrectionis gaudia lugentibus Apoſtolis nuntiarent. *Tunc ait illis Ieſus. Nolite timere, ite nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Matth. 28. 10. Vt videlicet Apoſtoli, qui eum lugebant mortuum, cæleſtem à mulieribus conſolationem reciperent, dum audirent à morte illum reſurrexiſſe rediuiuum. Appoſitè loquens de Magdalenâ Rupertus Abbas libro 10. in Ioannem cap. 11. *Dominum Ieſum*, inquit, *tanto amore dilexit, quem & plorans ad monumentum prima omnium mortalium videre, & Apoſtolis æternam* CONSOLATIONEM *nuntiare digna extitit.* Conſolationem, dum Chriſtum lugebant mortuum, Apoſtoli a Magdalenâ receperunt, quia quicumque mortuis pietatem impendunt, conſolationes cœlitùs recipiunt.

Rup. Abbas.

Citò ijdem hac pietate plorantes conſolationes obtinuerunt.

11 Quod clariùs oſtendit D. Marcus, qui Magdalenam ait Apoſtolos inueniſſe lugentes, & flentes. *Illa vadens nuntiauit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus.* Marci 16. 10. Ad quę D. Hieronymus hęc protulit in catenâ. *Flent, & lugent, qui nondum viderunt, ſed non poſt multum* CONSOLABVNTVR*: beati enim qui lugent nunc, quoniam ipſi* CONSOLABVNTVR. Habent citò conſolationem, qui mortuis præſtant pietatem,

D. Hierony.

Digitized by Google

ac propterea cœleſtes à Magdalenâ cõſolationes habuerunt Apoſtoli, qui erga mortuum Chriſtum pij, flentes in eius morte præ pietate conſpiciebantur, & lugentes.

Cõſolatus eſt Chriſtus Petrum, Ioannẽ, & diſcipulos Emaus ſibi mortuo compatientes.

12 His conſolationibus perfrui Petro etiã licuit, & Ioanni, dum ad Chriſti monumentum piâ celeritate religioſi cucurrerunt. *Exije ergò Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul.* Ioan. 20. 3. Nam *tunc*, vt inquit D. Ioannes Chryſoſtomus apud Hugonem Cardinalem in hunc locum, *ambo per illa ſigna* CONSOLATI SVNT. Neque in hoc inferiores fuerunt diſcipuli, qui ad caſtellum Emaus perrexerunt, qui dum de Chriſti paſſione loquebantur, eiuſque morti piè compatiebantur, diuinis conſolationibus, Chriſto ſe illis in itinere comitem præbente, recreari meruerunt. *Loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant, & factum eſt, dum fabularentur, & ſecum quærerent, & ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis.* Luc. 24. 15. *Quia*, verba ſunt Dionyſij Carthuſiani, *de Chriſti paſſione contulerunt, & ei piè compatiebãtur, apti fuerunt viſitari, &* CONSOLARI AB EO Diſcipulos iſtos conſolatus eſt Chriſtus, cùm ſuæ compatiebantur morti, vt his conſolationibus nobis innueret, eos aptos fieri ad diuinas recipiendas conſolationes, qui charitate, ac pietate flagrant in defunctos.

D. Io. Chryſ.

Dion. Carth.

Angeli conſolati ſunt Magdalenam ad Chriſti monumentum plorantem.

13 Hac & pietate, & charitate Magdalena flagrabat, quæ à Chriſti monumento non recedens, mortuum, & ſublatum magiſtrum plorabat. Hæc, dum plorans inclinaret ſe, vt proſpiceret in monumentum, duos vidit Angelos, qui eam, quid ploraret interrogauerunt. *Vidit duos Angelos in albis, ſedentes vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi. Mulier quid ploras?* Ioan. 20. 13. An ignorabant Angeli Magdalenam Chriſtum plorare à Iudæis crucis morte peremptum? Profectò mulieris querelas audientes, cauſam, cur fleret, facilè poterãt inueſtigare. Cur ergò de eo, quod nouerant, mulierem interrogauerunt? Vt Angelicis conſolarentur colloquijs fœminam, quæ mortuum plorabat. Hoc habet idem Dionyſius Carthuſ. his verbis. *Non ex ignorantiâ id quærunt, ſed vt* CONSOLENTVR *Mariam*. Non ignorantes, ſed conſolantes à Magdalenâ, cur fleret, Angeli quæſierunt, vt conſolationibus frueretur Angelorum, dum ad monumenta plorabat mortuorũ.

Dion. Carth.

Ad fletum eã promocauerunt, vt maioribus frueretur conſolationibus.

Drogo Hoſt.

14 Nec minùs placet reſponſio, quâ nodum ſoluit Drogo Oſtienſis in Biblioth. veterũ Patrũ lib. de ſacramento Dominicæ paſſionis, dicens Angelos Magdalenam interrogaſſe, vt eam cõmemoratione defuncti ad fletum maiorem excitarent. *Equidem benè noueratis ò pijſſimi Angeli, quid ploraret, & quem quæreret. Quare illam commemorando iterum in fletus excitaſtis?* Sed cur Magdalenæ fletum voluerunt Angeli magis, ac magis excitare? Vt maiori conſolationis gaudio frueretur, dum vberiori lachrymarum effuſione rigabatur. *Sed propè erat*, ſubdit idem Pater, *inſperatæ* CONSOLATIONIS *gaudium, ideò tota vis doloris, & plorationis excurrat*. Plorantes in funeribus, & pietatem defunctis exhibentes propè ſe habent gaudia conſolationum, vndè opus erat, vt toto animo ſe piam in mortuum Chriſtũ Magdalena oſtenderet, quò poſſet deſideratæ conſolationis gaudijs oblectari.

Vt eam conſolaretur, illius vnctionẽ Chriſtus commendauit.

15 Sed libet adhuc Magdalenæ pietatem magis ſcrutari, eiuſque dilectionis feruorem oſtendere, dum ſuper caput Chriſti Bethaniæ recumbentis pretioſa vnguenta effudit. Cùm enim diſcipuli vnctionem iſtam, vt ſuperfluã calumniarentur, Chriſtus eam laudauit, & tanquam opus bonum ad honorem ſuæ ſepulturæ exhibitum cõmendauit. *Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonũ operata eſt in me, nam ſemper pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis, mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Matt. 26. 10. Quod quidem egit Chriſtus, vt mulierem, quę ſibi ſepeliendo vnguẽta obtulerat, & tamen Apoſtolos murmurantes audiebat, aptis, & laudum præconijs plenis verbis conſolaretur. Debemus hoc D. Io. Chryſ. in catenâ hæc proferenti. *Poſt effuſum vnguentum non habebat locum diſcipulorum increpatio, & ideo ipſe vt non obtunderet deſiderium mulieris, omnia hæc in* CONSOLATIONEM *mulieris dixit*. Vt mulierem conſolaretur in ſui ſepulturam vnguenta fundendentem, eius actionem valdè commendauit, & diſcipulos, qui de illâ murmurabant, opportunâ reprehenſione increpauit.

D. Io. Chryſ.

Eamdem ob vationẽ illius memoriam in orbe vniuerſo prædixit celebrandam.

16 Quò etiam ſpectauit, cùm dixit mulieris memoriam ob talem pietatem in orbe vniuerſo fore celebrandã. *Amen dico vobis, vbicumq; prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Matth. 26. 13. Vt quid enim hæc locutus eſt Chriſtus, niſi vt omnem triſtitiam à mulieris mente abigeret, eamque conſolatorijs verbis recrearet. Ita eodem loco idem Chryſoſtomus. *Quia ergò ſepulchrum, & mortem commemorauerat, vt non videatur in triſtitiam mittere mulierem, rursùs eam* CONSOLATVR *per ea, quæ conſequũtur, Amen dico vobis vbicumq; prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* O' fœlicem mulieris in ſepulturam vnguenta fundentis pietatẽ, quæ à Chriſto, etiã Apoſtolis contradicẽtibus, iteratam meruit obtinere conſolationem.

Idem.

Vt viduas pro Tabithâ mortuâ deprecantes conſolaretur, eam mortuam Petrus ſuſcitauit.

17 At dum mulierum pietatẽ in mortuos recolo, non eſt prætereunda pietas, quá viduæ fideles Tabitham mortuam ſunt proſecutæ, quam cũ lauiſſent, & in cœnaculo collocaſſent, miſerunt ad Petrum, eumque venientem circumſteterunt, ſuppliciter Apoſtolorũ principẽ deprecantes, vt ſuis precibus vitam reſtitueret defunctæ. Nõ abnuit Petrus, ſed poſitis genibus orauit, & reuocatam ab inferis viduam, viduis plorantibus viuã aſſignauit. *Dans autem illi manum erexit eam. Et cùm vocaſſet ſanctos, & viduas, aſſignauit eam viuam.* Act. 9. 41. Quòd ſi quærat quis, cur ſanctam mulierem in ſalutis loco repoſitã Petrus ad huius

Digitized by Google

vitæ miſerias reuocauit, habebit hæc ſibi reſpondentem Dionyſium Carthuſianum. *Ob ali rum conuerſionem præſertim ſuſcitata eſt fœmina iſta, & etiam propter* CONSOLATIONEM *fidelium viduarum, alioquin tam ſanctæ mulieri melius videretur non ſuſcitari, quàm ad vitam hanc miſeram reuocari.* Conſolationem merebantur mulieres illæ, quæ tantâ pietate mortuam flebant, & pro eâ deprecabantur, & iccircò Petrus, vt eas conſolaretur Tabitham ſuſcitauit.

Dion. Carth.

18 Nec mirum, nam qui pietate feruntur ergà mortuos poſſunt veluti ſibi debitas ab aliis poſtulare conſolationes. Quod Cornelius egit ſcribens Auguſtino, & ab eo conſolatoriam Epiſtolã expoſcens eò, quòd mortuam pijs lachrymis ploraret vxorem. Vndè D. Auguſt. Epiſt. 125. ad eum ſcribens, hæc habet. *Scripſiſti mihi, vt ad te aliquam prolixam epiſtolam* CONSOLATORIAM *darē, quòd grauiter optimæ vxoris morte mouearis, ſicut Sanctum Paulinum ad Macharium feciſſe meminiſti.* Conſolationes poſſunt, vt ſibi debitas poſtulare, qui pietatem defunctis impendunt, quamobrem Cornelius vxorem pio luctu plorans defunctam, ab Auguſtino conſolatorias Epiſtolas petere non dubitauit.

Qui pietate feruntur in defūctos, poſſunt poſtulare conſolationes, velluti ſibi debitas.

D. Auguſtin.

19 Et ſanè cōſolationē illis deberi, qui mortuis pio luctu pietatē impēdunt, idē teſtatur Aug. ſer. 32. de verbis Apoſtoli, dū lachrymas in mortuorum funeribus effuſas, lachrymas cōſolabiles appellat. *Permittantur itaque pia corda carorum de ſuorum mortibus contriſtari dolore ſanabili, &* CONSOLABILES LACHRYMAS *fundant conditione mortali.* Nimirùm ita ſunt debita lugentibus mortuos cōſolationum obſequia, vt propterea lachrymæ in funeribus effuſæ lachrymæ conſolabiles appellari mereantur. Quibus addere poſſumus ea, quæ habet Oleaſt. in Gen. 37. filios Iacob expendens, qui eum filiū ſuum Ioſeph tanquā mortuum lugētem conſolabantur. DEBENT *cognati* CONSOLARI *ſuos.* Quibus innuit debitas fuiſſe conſolationes patri filij mortem pijs lachrymis lugenti.

Lachryma in funeribus effuſa lachryma conſolabiles appellantur.

D. Auguſtin.

Oleaſter.

20 Deſcenderunt in terrā Gethæorum filij Ephraim, eorumq; poſſeſſiones inuaſerunt, quapropter irati Gethæi ſunt eos adorti, & omnes, quotquot erant, gladijs interfecerunt. Quod ut agnouit Ephraim, diuturno luctu eorum mortē plorauit, illiſq; exequias funereâ pōpâ ſolemnes celebrauit. Sed ſtatim paternam in filios mortuos pietatē fraterna eſt conſecuta conſolatio, nam illicò fratres illius uenerunt, ut eū in tantâ calamitate conſtitutū conſolarentur. *Luxit igitur Ephraim pater eorū multis diebus, & venerunt fratres eius, vt conſolarentur eū* 1. Paralip. 7. 22. Conſolationibus recreantur, qui mortuis ſuffragantur, & icciréò ſimul ac Ephraim ſuā in mortuos filios funereo luctu pietatem oſtendit, opportuna a fratribus ad ſe datâ operâ uenientibus conſolationē recepit. Hoc explicatu allatū locum illuſtrat Abulenſis. *Cùm eſſet Ephraim in tantâ calamitate propter mortem filiorū ſuorum, venerunt fratres ſui ad eū, vt* CONSOLARENTVR *ipſum in tantâ calamitate,* & CONSOLATVS EST *aliqualiter.* Calamitatem in morte filiorum ſenſit, ſed ſtatim eis pietatē impendēs, conſolationē in tātâ calamitate accepit.

Ephraim lugēs filios mortuos conſolationem à fratrib⁹ accepit.

Abulenſis.

21 Quā item in morte patris ſui Naas Hanon Rex Ammonitarū a Dauid accepit: miſit enim iſte nuntios ad eum, qui nomine ſuo illi conſolationis obſequia præſtarent. *Dixitque Dauid: Faciam miſericordiam cum Hanon filio Naas, ſicut fecit pater eius mecum miſericordiam. Miſit ergò Dauid conſolans eum per ſeruos ſuos ſuper patris interitu.* 2. Reg. 10. 2. Triſtitia, & afflictio, quâ filiali pietate Hanon mortuum patrem lugebat, ei ab extero etiam Rege conſolationes peperit, ita ut pius in mortuum habuerit conſolatores, quos in uiuos crudelis habiturus erat poſtmodum hoſtes. Rectè idem Abulenſis. *Miſit Dauid ad* CONSOLANDVM *Hanon Regem Ammon per ſeruos ſuos, ſcilicet quòd dixit eis aliqua verba* CONSOLATORIA *quæ loquerentur ad Hanon ex parte ſuâ ſuper patris interitum, ideſt iſta* CONSOLATIO *erat pro morte Naas patris Hanon, quia putauit Dauid, quòd multùm indè triſtaretur Hanon.* Pię triſtitię opportuna ſucceſſit conſolatio, & qui Regem lugebat genitorem, Regem habere meruit conſolatorem.

Hanon lugēs mortuum patrem, Regē habuit conſolatorem.

Abulenſis.

22 Cùm ſenior pater moralibus documentis iuniorem Tobiam inſtrueret, ei præcepit, ut panem, & uinum ſuum ſuper iuſti ſepulturam conſtitueret. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue.* Tob. 4. 18. Quid ſibi uult hæc panis & uini conſtitutio ſuper ſepulchrum? Nunquid mortuorum cadauera comedunt, ut eis ciborum edulia, & uini pocula ſint apponenda? Nunquid ęquum eſt ſepulchra defunctorum menſas fieri conuiuiorum? Nunquid edere poſſunt, ac bibere, quibus nec licet uiuere? Abſit; ſed opus hìc pręſcribitur miſericordiæ, quo dum eleemoſynis pauperibus erogatis animę adiuuātur mortuorum, conſolationes his ſuffragijs inſtaurentur uiuorum. Adeſt Hugo Cardinalis in hunc locū. *Fortè ad* CONSOLATIONEM *parentum poſt ſepulturā iubet fieri conuiuia, quod opus eſt miſericordiæ.* Conſolationes filio Tobias parabat, dum ei opera miſericordiæ pro mortuis exhibenda mandabat: ſuffragia enim, quæ pro animabus impenduntur defunctorum, conſolationes fiunt eorum, qui ea impendunt, uiuorum.

Cōſolationes Tob. filio parabat, dum ei pietatis opera erga mortuos commendabat.

Hugo Card.

23 Has cōſolationes experiebatur D. Thom. de Aquino, quidū hominum colloquia uitabat, Purgatorii animas ſecū loquentes ſæpè habebat, quibus dū ſuis orationibus ſuffragabatur, ſummâ uoluptate, atq; animi conſolatione afficiebatur. Rem narrat D. Vinc. Ferrerius ſerm. de eodem. *Vitabat colloquia hominum, ſed Deus de alio mundo mittebat ſibi, cum quibus loqueretur, vel ſanctos de Paradiſo, vel Angelos, vel* ANIMAS DE PVRGATORIO, *vt eas ſuis orationibus iuuaret, & ſic* CONSOLABATVR. Conſolationem accipiebat, dum pro Animabus Purgatorij preces effundebat; uiui enim conſolatione recreantur in hoc mūdo, cùm pro animabus orāt, quę torquētur in Purgatorio.

Cōſolationes D. Thom. de Aquino accipiebat, cùm pro Purgatorij animabus preces effundebat.

D. Vinc. Fer.

24 Nec latuit hæc veritas Gentiles, qui mortuos

Gentiles lu-

Digitized by Google

tib⁹ mortuos conſolationes exhibebant. Ouidius.

tuos lugentibus, eiſq; ſuâ pietate parentātibus nō modica exhibere conſueuerant conſolationum blandimenta. Hinc Ouidius carmina conſolatoria ſcripſit ad Liuiam Druſi filij mortem lugentē, quæ CONSOLATIONEM *ad Liuiam Auguſtam* inſcripſit, de quibus ait Commentator. *Druſi mortem Poeta hoc carmine deplorat. Ac primum quidem longâ querelâ, varijſque amplificationibus dolorē Liuiæ exaggerat, atque auget; id, quod* IN CONSOLATORIIS *commune, ac ſolitum eſt. Mox eamdem* CONSOLATIONEM *mitigat, exemplis, ac rationibus monens, ne nimio dolore, aut ægritudine frangi, animumque veluti deſpondere velit.* Seneca etiam duos libros compoſuit de conſolatione, quorum primum ad Polybium fratrem mortuum lugentem miſit, vndè Muretus. *Eum* (Polybium) *fratre amiſſo dolentem* CONSOLATVR *Seneca in exilium iam à Claudio pulſus.* Alterum ad Marciam ſcripſit in funere filij pio dolore correptam, de quo idem Muretus hæc habet. *Marciam Cremutij Cordi filiam, magni & ingenij, & animi mulierem amiſſo filio immodicè dolentem* CONSOLATVR. Petronius quoque in ſatyrico Epheſinæ matronæ mortuum maritum in conditorio lugenti repentinam refert à milite conſolationem allatam. *At illa ignotâ* CONSOLATIONE *percuſſa lacerauit vehementius pectus, raptoſque crines ſuper pectus iacentis impoſuit.* Apuleius tandem lib. 8. Metam. Thraſillum inducit Charitem, quæ amiſſum maritum plorabat, varijs exēplis conſolantem. *Manus Charites à pulſandis vberibus amouere, luctum ſedare, eiulatum coercere, verbis palpantibus ſtimulum doloris obtūdere, varijs exemplis multiuagi casûs* SOLATIA *nectere.* Ad quæ Beroaldus. *Enumeratio,* inquit, *exemplorū magnopere luctum leuat,* CONSOLATVRQVE *mærentem.* Hanc nempè veritatem, & fidelium, & gentiliū ſententiæ comprobant, quòd multas conſolationes experiatur, qui ſuâ mortuos pietate conſolatur.

Seneca.

Muretus.

Petronius.

Apuleius.

Beroaldus.

CAPVT XXI.

Confirmat in fide viuos, qui proſequitur pietate defunctos.

Pietas in defunctos eleuat ad videndum quodammodò per fidem Purgatorium.

1 HOc etiam præſtant ſuffragia pietatis, quæ mortuis exhibentur, vt fidei veritatem confirment, quam viui profitentur. Quomodo enim poteſt quis preces offerre, ac ſuffragia exhibere, quibus mortuorum animas è Purgatorij pœnis eripiat, niſi Purgatorij pœnas, quibus illæ torquentur, firmiter eredat? Adeò in hac fide roboratur, qui hac pietate Animabus Purgatorij ſuffragatur, vt quodammodo eleuetur ad videndum Purgatorium per fidem, quod ſuffragijs euacuare nititur per pietatem. Non ſunt hìc omittenda verba, quibus Gerſon. 4. par. ſer. pro defunctis hanc aſtruit veritatē. *Hæc etiam oratio* (loquitur autem de oratione, quę funditur pro Animabus Purgatorij) *ex maiori procedit* FIDE, *quàm ea, quæ fit pro viuentibus. Eſt enim neceſſe cogitationem eleuari ad* PVRGATORIVM CREDENDVM, ET QVASI IPSVM PER FIDEM VIDENDVM. Ita per preces, quibus animæ Purgatorij adiuuantur fides eleuatur, & roboratur, vt ferè videri videantur myſteria, quæ nobis credenda proponuntur.

Gerſon.

Sācti Petrus, & Paulus probabant ſuſcitatione mortuorū fidei veritatē, quam prædicabant. D. Vinc. Fer.

2 Hùc ſpectabant Apoſtoli, cùm ad confirmandam fidei veritatem, quam verbis proponebant, amiſſam vitam cadaueribus reddebant mortuorum. Porrò ita egiſſe Petrum, & Paulū cùm ſancto Martyri Clementi fidei myſteria prædicauerunt, teſtatur D. Vincentius Ferrerius ſerm. de Sancto Clemente his verbis. *Poſtquam prædicauerunt de altâ vitâ,* IN SIGNVM PROBATIONIS *ſuſcitabant aliquem mortuum eis portatū, facientes redire Animam de alio Mundo.* Vt fidem miraculis firmarent, quam verbis prædicauerant, mortuis vitam impertibant, quia nouerant pietate defunctis exhibitâ noſtræ fidei roborari, & confirmari veritatem.

D. Bartholomæus eadem pietate Trinitatis myſterium firmabat.

3 Quaprupter & D. Bartholomæus, vt ſanctiſſimæ Trinitatis arcanum explicaret, ſeq; vera dicere, cùm illud credendum proponebat, comprobaret, ad vitam amiſſam mortuos reuocabat. Quod idem affirmat D. Vincentius ſerm. de Sancto Bartholomæo. AD PROBANDVM *ſuſcitabat mortuum, dicens. Sicut tres perſonæ diuinæ ſunt vnus Deus, ita anima, & corpus, & vita ſint vnum in te, ſurgas; & mortuus ſurgebat.* Fidem roborat viuorum miſericordia, quâ miſeremur mortuorum, ideòque Apoſtoli, vt veram firmarent fidem, mortuis impendebant pietatem.

Idem.

Gauiſus eſt Chriſtus de Lazari morte quia prenidit, eius reſurrectione fidem eſſe roborandam, & cōfirmandam Apoſtolorum.

4 Idque à Chriſto didicerant, qui vt ſuorum fidem confirmaret diſcipulorum, cadauera ſuſcitabat mortuorum. Pergebat Chriſtus ad oppidum Bethaniæ, vbi Lazarus morbi languore oppreſſus vitam amiſerat, cùm Apoſtolis hanc amicj mortem ſignificans, dixit ſe de illâ propter eos gaudere, vt videlicet ſibi crederent, cùm mortuum, & quatriduanum ſuæ vocis imperio reſurgentem viderent. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, vt credatis.* Ioan. 11. 15. At nonnè Apoſtoli iam Chriſto credebant, dum eū ſequebantur, eiuſque præceptis alacriter obtemperabant? Vt quid ergò dixit Chriſtus ſe propter illorum fidem de Lazari reſurrectione mox futurâ gaudere? Quia pietate illâ reſurrectione mortuo exhibitâ fidem Apoſtolorum magis confirmandam, ac roborandam præuidit. Hunc ſenſum tradit D. Bonauentura in hunc locum. *Qualiter ait vt credatis? Ex quo erant diſcipuli eius eū ſequentes, videtur quòd priùs crediderant. Et ad iſtud reſpondendum ſecundùm Auguſtinum, quòd intelligendū eſt, vt* AMPLIVS, ROBVSTIVSQVE CREDATIS. Et ne verba hìc deſiderentur Aug. parū ab allatis diuerſa, ea proferre nō pigebit, quæ habet Tract. 49. in Io. *Aut, vt credatis, quod intelligendū eſt,* VT AMPLIVS, ROBVSTIVSQVE CREDATIS. His addo, quæ ait in eumdem locum Dionyſius Carthuſianus. *Gaudeo propter vos, ideſt propter fructum, quē cōſecuturi eſtis:* CONFIRMARI ENIM FVERVNT IN FIDE. Roborat, & confirmat fidem pietas exhibita defunctis; quare cùm hāc pietatē exercēdi

D. Bonauent.

D. Auguſtin.

Dion. Carth.

 tem-

tempus aduenisſet, gauiſus eſt Chriſtus, agnoſcens fore, vt per illam magis confirmaretur, ac roboraretur fides Apoſtolorum.

Marthæ fidẽ eadem reſurrectione roborauit.

5 Nec minùs hac pietate Lazaro mortuo impenſâ fides roborata eſt Marthę ſororis defuncti. Titubauerat fides Marthæ, vndè Chriſtum non poſſe, niſi ægrotum curare putabat, & cùm ille iuſſit, vt lapis amoueretur à ſepulchro, tetrum iſta oppoſuit quatriduani odorem, veluti impoſſibile exiſtimans ob dierum diuturnitatem ſuſcitari defunctum. *Dicit ei Martha ſoror eius, qui mortuus fuerat, Domine iam fœtet, quatriduanus eſt enim.* Ioan. 11. 39. At Chriſtus omnem dubitationem ab eius mente repellens, vacillantem fidem firmauit, eamque fratris reſurrectione roborauit. Adſtipulatur D. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Ioan. cap. 21. *Dominus eam, quaſi oblitam eorum, quæ paulò ante ab eo audiuerat, quòd reſurrectio ſit, & vita,* IN FIDE CORROBORAT. Corroborat in fide viuos, qui flagrat pietate in mortuos, & iccircò Chriſtus pietate, quã Lazaro mortuo impendit, nedùm Apoſtolos, ſed & Martham in fide roborauit.

Cyrill. Alex.

Tendit ad profectum fidei oratio fuſa pro defunctis.

6 Hùc ſpectauit idem Chriſtus, cùm eleuatis ad Cœlum oculis, æternum Patrem pro Lazari reſurrectione orauit. *Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me.* Ioan. 11. 41. Vt quid orauit Patrem qui eamdem cum Patre poteſtatem habebat? Quid prece indigebat, qui poterat imperio ſuſcitare defunctum? Nunquid erat filius Patre inferior, vt eum pro vitâ obtinendâ deprecaretur. Nequaquam; at orationem illam non propter indigentiam, ſed propter fidei noſtræ profectum effudit. Quod ipſemet explicauit, ſubdens. *Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, vt credant, quia tu me miſiſti.* Ioan. 11. 42. Ad quæ verba ita loquitur D. Hilarius in cat. *Non igitur prece eguit; nobis orauit, ne filius ignoraretur: vndè ſubditur, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, vt credant, quia tu me miſiſti. Cùm enim ſibi non proficeret deprecationis ſermo,* AD PROFECTVM TAMEN NOSTRAE FIDEI LOQVEBATVR. Orauit Chriſtus pro mortuo, vt nos in fide proficeremus: ſemper enim tendit ad profectum fidei oratio fuſa pro defunctis.

D. Hilarius.

Paulus fidẽ, quam prædicabat, ſuſcitatione mortui confirmauit.

7 Idipſum contigit Paulo, qui cùm Troade concionaretur ſermonem protrahens vſq; in mediam noctem, adoleſcentem ſuſcitauit, qui ſomno ductus de tertio cœnaculo deorſum præcipitauerat, & mortuus indè fuerat ſublatus. *Ad quem cùm deſcendiſſet Paulus, incubuit ſuper eum, & complexus dixit, Nolite turbari: anima enim ipſius in ipſo eſt.* Act. 20. 10. Non enim Deus mortem illam permiſit, niſi vt fides, quam Paulus prædicabat, vitâ confirmaretur, quam mortuo erat redditurus adoleſcenti. Opportunus adeſt hunc locum ita verſans Dionyſius Carthuſianus. *Opportunè Deo diſponente inter verba prædicationis occurrit occaſio curationis tam miraculoſæ,* VT OSTENSIONE PRODIGII CONFIRMARETVR PRÆDICATIO PAVLI. Fidem, quam Paulus prædicabat, pietate, quam defuncto impendit, confirmauit, vt hinc appareret, pietate, quæ defunctis impenditur, fidei myſteria confirmari, quæ credenda proponuntur.

Dion. Carth.

Fidem ſuorũ miraculorum pietate in defunctos Chriſtus confirmauit.

8 Addo, quod idem obſeruat Dionyſius Carthuſianus, Chriſtum ipſum cætera miracula, quæ operabatur, pietate defunctis exhibitâ confirmare voluiſſe. Centurionis puerum iam curauerat morientem, cùm pergens ad Ciuitatem Naim, adoleſcentem, qui extrà portam vrbis efferebatur, ſuſcitauit mortuum. *Ait Adoleſcens, tibi dico ſurge, & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.* Luc. 7. 15. Cur ſtatim poſt ſeruum militis curatum, filium Viduæ ſuſcitauit? Vt miraculum, quod patrauerat, ſanans viuum, miraculo confirmaret, quo ſuſcitaret defunctum. *Conuenienter Euangeliſta,* inquit Carthuſianus, *iſtud recitauit miraculum poſt deſcriptionem curationis ſerui lethaliter infirmantis,* VT ISTO ILLVD CONFIRMETVR MIRACVLO. *Quamuis enim ſeruus ille veraciter ſecundùm naturalium proceſſum cauſarum fuerat de ſuo moriturus languore, ita vt eius curatio æquiualuerit ſuſcitationi defuncti, poſſet tamen peruerſus quis dicere, quòd non fuit ſic moriturus, & quòd non fuit in Ieſu poteſtas ſuſcitandi defunctos, ſed hoc iſto miraculo reprobatur.* Adeò apta eſt fidem confirmare pietas exhibita defunctis, vt eâ ſua etiam voluerit Chriſtus miracula confirmare, quò faciliùs crederentur, dum à pio ergà defunctum patrata cernerentur.

Idem.

Mortuos ſuſcitabat, vt fidẽ faceret reſurrectionis.

9 Imò vniuersè quoſcumq; mortuos Chriſtus reſuſcitauit, eis vitam, vt reſurrectionis fidem confirmaret, impertiuit. Quod certè docuit in Biblioth. veterum Patrum Hugo Etherianus lib. de regreſſu Animarum cap. 26. his verbis. *Lazarum certè, atque alios mortuos ideò ſuſcitauit, vt* FIDEM ILLIVS, QVAM MORS NON SEQVITVR FACERET RESVRRECTIONIS. Fidem facit pietas, quę impenditur defunctis, ac propterea vt Chriſtus hominum cordibus fidem infunderet vniuerſalis reſurrectionis, mortuis amiſſam vitam reſtituebat.

Hugo Etheri.

Fidem Archiſynagogi Chriſtus roborauit, dum ad ſuſcitandam eius filiã perrexit.

10 Caput abſoluam, ſi verba expendam, quę Chriſtus Archiſynagogo dixit, cùm ad illius domum, vt mortuam puellam ſuſcitaret, pergebat. Cùm enim audiſſet nuntios ei ſuadentes, ne ſe vltrà vexarent, eum vt crederet, eſt hortatus. *Ieſus autem audito verbo, quod dicebatur, ait Archiſynagogo. Noli timere, tantummodo crede.* Marc. 5, 36. Sed nonnè credidit Archiſynagogus, dum eum pronus in terram adorauit? *Cecidit ad pedes Ieſu.* Luc. 8. 41. Nonnè credidit, dum eum rogauit, vt ſuam ſuper defunctam filiam manum imponeret, vt ei vitam impertiret? *Domine filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet.* Matth. 9. 18. Vt quid ergò fidem Chriſtus ei ſuaſit? Non fidem, ſed fidei robur, pergens ad ſuſcitationem defunctæ, patri commendauit, vt videlicet magis in fide robora

retur,

D. Auguſt.

retur, dum eum cernebat defunctis pietatem ex hibentem. Id voluit D. Auguſtinus in catenâ, dum hæc protulit. *Per hoc, quòd Dominus dixit ei, Noli timere, crede, non diffidentem reprehendit, ſed* CREDENTEM ROBVSTIVS CONFIRMAVIT. Roborabat Chriſtus fidem patris viui, dum ad ſuſcitationem pergebat filię mortuæ, vt ex hoc etiam nobis innoteſceret, confirmare in fide viuos eum, qui proſequitur pietate defunctos.

CAPVT XXII.

Malignorum ora obſtruit, qui defunctorum curam agit.

Ne ſibi detrahatur, debet homo lugere defunctos.

1 ORabat ſacer Pſaltes Dominum, vt ſe à labijs iniquis, & à linguâ doloſâ liberaret. *Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à linguâ doloſâ.* Pſal. 119.2. Quis enim, niſi protectio accedat diuina, humanâ poteſt induſtriâ detrahentium ora obſtruere, & iniquarum fraudes linguarum vitare? Hoc tamen, quod adeò difficile contingit, facilè pius in mortuos obtinet, ſuâ namque pietate hoc impetrat, vt malignorum linguas effugiat. Quod ſapiens claris verbis explicauit, cùm nos ad lugendum mortuos propter detractionem eſt hortatus. *Fac luctum ſecundùm meritum eius vno die, vel duobus propter detractionem.* Eccleſiaſtici 38. 18. Quid eſt enim lugere mortuos propter detractionem, niſi pietate in mortuos ora obſtruere detractorum? Apertè id teſtatur verba iſta explanans Hugo Cardinalis. *Fac luctum propter detractionem, id eſt* NE TIBI DETRAHATVR. Et copioſius idem affirmat Dionyſius Carthuſianus. *Patienter tolera, vt tu ipſe acerbè deplores defunctum ſpecialiter primo die, quo cognoueris eum obijſſe, propter delaturam, ſeu detractionem vitandam, videlicet* NE DICATVR, QVOD LAETERIS DE MORTE ILLIVS. Nouetat ſapiens eos detractorum linguas euitare, qui defunctos pietate proſequuntur, vndè ad detractionem vitandam, nos ad luctum pro defunctis agendum hortatur.

Hugo Card.

Dion. Carth.

Cùm Chriſtus Lazarū ſuſcitauit, malignitatem confudit Iudæorum.

2 Cùm Lazarus ex hac vitâ, morbo vrgente, migraſſet, Chriſtus, vt eum ſuſcitaret, ad Iudæam redire decreuit. Quod agnoſcentes diſcipuli eius, illi ſuadere conabantur, ne ad locum rediret, vbi nuper Iudæi lapidibus eum obruere voluerant. His tamen Chriſtus reſpondit, Lazarum mortuum eſſe, ac propter eos de illius morte gaudere. *Tunc ergò Ieſus dixit eis manifeſtè. Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos.* Ioan. 11.15. Vt quid verò gaudebat? Cur non potiùs dolebat, quòd inuidorum linguæ ſibi eſſent inſidias, & dolos cauillatione ſubdolâ ſtructuræ? Quia cùm ſignum in gratiam defuncti patrare pararet, eo detractores omnes confundendos, & malignorum ora obſtruenda eſſe præuidit. Calamo hæc debentur Alberti Magni, qui Chriſti nomine diſcipulos alloquens, ita hunc locum illuſtrat. *Confidite, quia nec modò ad malignantes vado, quos vos timeatis, & tale facio ſignum,* EX QVO CONFVNDANTVR, ET MALIGNARI NON AVDEBVNT. Malignitatem confudit Chriſtus Iudæorum, cùm Lazaro vitam impertiuit defuncto: nec enim audent detractores ea luminiari aduerſùs viuos, quos præditos pietate aſpiciunt ergà defunctos.

Albertus Magnus.

Nihil contrà illum tunc dicere poterant.

3 Quapropter agnoſcentes Iudæi hoc reſurrectionis miraculum, non Chriſtum criminari, ſed Lazarum interficere cogitauerunt. *Cogitauerunt autem principes ſacerdotum, vt & Lazarum interficerent,* Ioan. 12.10. Quid Lazarus contrà Iudæos egerat, vt eum occidere ſtatuerent? Si Chriſtum oderunt, vt quid in Lazarum dolos machinantur? Nunquid poterat, Chriſto viuente, Lazari morte crudelitas eorum ſaturari? Nequaquam; ſed quia Chriſtum ob pietatem defuncto exhibitam criminari nequibant, defunctū ipſum iniuſtè interficere volebant. Habeo in hac re patronum Angelicum Doctorem D. Thomam, qui locum iſtum explanans, hæc fatur. *In alijs Chriſti miraculis nitebantur criminari violationem Sabbati, & per hoc ab eo turbas abducere, ſed hic nihil tale facere poterant; vndè quia* IN NVLLO HABEBANT CONQVERI CONTRA IESVM, *aduerſùs Lazarum faciunt conſilium.* Pietas, quâ Chriſtus ſuſcitauit defunctum, ora obſtruxit ſibi detrahentium, qui propterea, contrà eum nihil dicere audentes, aduerſùs Lazarum inſidias moliri conabantur.

D. Thomas.

Pietate in mortuos malignis verecundia infertur.

4 Et ſanè iam cœperant Iudæi, antequā Chriſtus Lazaro vitam impetriret, cùm eum viderunt pro extincto amico lachrymas effundentem, contrà illum obloqui, quòd qui cæci iactabat illuminationem, ad mortui pertingere non poſſet ſuſcitationem. *Quidam autem ex ipſis dixerunt, Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati facere, vt hic non moreretur?* Ioan. 11.37 In quibus verbis manifeſtam inimicorum Chriſti detractionē agnoſcit D. Ioannes Chryſoſtomus in catenâ, dum ita loquitur, *Erant autem ex inimicis eius, qui hoc dixerunt. Ex quibus igitur oportebat admirari eius virtutem, ex his ei detrahunt, ſcilicet ex illuminatione cæcinati, quaſi nec illo miraculo facto. In hoc etiam ſe oſtendunt eſſe corruptos, quia non lum Chriſto adueniente ad monumentum præaſſumunt accuſationes, non expectantes rei finem.* Quid igitur Chriſtus dixit, vt ſibi detrahentes confunderet, & eorum linguas iniqua loqui demonſtraret? Nō verbis reſpondit, ſed operibus illorum ora obſtruxit, & pietate mortuo per ſuſcitationem exhibitā temerarios compeſcuit detractores. Ingero verba Hugonis Cardinalis in huuc locum ſcribētis. *Chriſtus nō reſpondet eis per verba, ſed per opera diuinitatis,* VT MALIGNIS MAIOREM VERECVNDIAM INFERAT, *& alios ad fidem conuertat.* Reſuſcitatione Lazari malignorū linguas Chriſtus compeſcuit, vt nobis innueret pietate in defunctos verecundiam malignis detractoribus inferri:

D. Ioannes Chryſoſt.

Hugo Card.

5 Huc etiam oratio tendit, quā pro Lazari viuifica-

Oratione pro defuncto eſſu-

Chriſtus detractorum ora compreſſit.

ulſicatione idem Chriſtus Patrem æternum rogauit. *Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis, dixit Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me.* Ioan. 11. 14. Vt quid orauit, qui eamdem cum Patre habens diuinitatē, eamdē etiā cum ipſo habebat poteſtatē? Nunquid precibus egebat, qui aliorum preces exaudiebat? Cur ſtatuit orare, qui Lazaro poterat reſurrectionem imperare? Orauit, non quia precibus egeret, ſed vt detractiones cohiberet Iudæorum, qui eum aduerſarium Dei, & in Dæmonum virtute ſigna patrantem dicebant. Hoc enim dicere non potuiſſent, dum eum pro mortuis orare conſpexiſſent. Adeſt Theophylactus in hunc locum *Quare autem precatus eſt, imò precantis figuram ſuſcepit, ipſum Dominum dicentem audi. Inquit enim. Propter circumſtantem turbam dixi, vt credant, quòd tu me miſeris. Quod autem dicit ita ſe habet. Vt ne aduerſarium Dei me putent,* Vt Ne Dicant, Non Est Ex Deo, *vt oſtendam opus hoc fieri ſecundùm tuam voluntatem.* Oratione, quam effudit pro defuncto, detractorum ora Chriſtus compreſſit, ſeque ſecundùm voluntatem Dei operari probauit.

Theophylactus.

Lapidem à monumento iuſſit amoueri, vt detractiones malignorum vitaret.

6 Et quia hìc ſumus, pręteriri non debet, quòd item Chriſtus, priuſquam Lazarum ſuſcitaret, iuſſit lapidem à monumento amoueri, vbi cadàuer quatriduanum fætebat. *Ait Ieſus, Tollite lapidem.* Ioan. 11. 39. Nonnè poterat imperare lapidi, vt abiret, ſicut cadaueri iuſſit, vt reſurgeret? Nonnè poterat etiam lapide non amoto viuificare defunctum? Vt quid ergò Iudæis dixit, vt lapidem tollerent, qui monumentum operiebat? An vt Iudæi pietatis à Chriſto exhibitæ defuncto teſtes effecti, linguam à detractionibus arcerent, dum lapidem manibus remouebant. Certè hunc ſenſum Theophylactus tradidit. *Cuius gratiâ non ſuperpoſito lapide reſuſcitauit Lazarum, ſed dicit, Tollite lapidem? Etenim cùm mouerit mortuum corpus voce, & eum, qui diffluxerat, animauerit, multò magis lapidem mouere potuiſſet voce. Tollite, dicit, lapidem, vt illi teſtes fiant miraculi, & ne iterum dicant, ſicut de cæco, Hic eſt, non eſt hic. Nam & adeſſe in loco, & tollere lapidem ſuis manibus ſufficientia erant* Ad Obtvranda Ingratorvm Ora, *qui teſtes ſigni facti erant.* Voluit Chriſtus ingratos Iudæos teſtes fieri ſuſcitationis defuncti, vt ora detrahentia obturarent, eum videntes adeò inſigni miraculo pietatem mortuo exhibentem. Linguas quippè contrà pios in mortuos maligni conuertere non audent.

Idem.

Vt Iudæorum linguas compeſceret, adoleſcēti Naim vitam impertiuit.

7 Hoc idem confirmat vita, quam adoleſcenti Naim miſericordiâ motus impertiuit. *Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.* Luc. 7. 15. Ideò namque poſt ſanatum puerum Centurionis, filium viduę ſuſcitauit, vt linguas compeſceret Iudæorum, qui fortè dixiſſent ægrotum illum aliàs nō moriturum, ideoque viſum fuiſſe à Chriſto curatum. Accinit D. Gregorius Nyſſenus in catenâ. *Diceret aliquis de puero Centurionis, quòd moriturus non erat.* Vt Igitvr Temerariam Lingvam Compesceret, *iam defuncto iuueni Chriſtum obuiare fatetur vnico filio viduæ.* Temerarias linguas compeſcit, qui mortuis pietatem impendit, & idcircò vt Iudæorum linguas compeſceret, voluit Chriſtus pergens ad vrbem Naim adoleſcentem ad vitam reuocare defunctum.

D. Gregorius Nyſſenus.

Phariſæorum ora obturauit cùm filiā Archiſynagogi ſuſcitauit.

8 Alius etiam à Chriſto excitatus mortuus hanc roborat veritatem. Cùm Phariſæis murmurantibus, quòd cum publicanis ederet, quòdque ipſius diſcipuli non ieiunarent, verbis reſpondiſſet, ſtatim ad filiam Archiſynagogi ſuſcitandam acceſſit. *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum dicens. Domine filia mea modò defuncta eſt: ſed veni impone manum tuam ſuper eam, & viuet. Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum.* Matth. 9. 18. Vbi ſapienter aduertit D. Ioannes Chryſoſtomus in catenâ, quòd poſt ſermones, quibus Chriſtus confuderat Iudæos, opus adiecit, quo illorum temeritatem magis compeſceret, dum pietatem puellæ impendebat defunctæ. *Poſt ſermones opus adiunxit, in quo* amplivs pharisæi obstrverentvr, *eò quòd qui aduenit ad miraculū petendū, Archiſynagogus erat, & luctus magnus, quia puella vnigenita erat.* Nec à D. Ioanne Chryſoſtomo Titus ibidem diſcrepauit, cùm ait. *Eſt autem poſitum nomen Iudæorum cauſâ, qui tunc nouerunt, quod accidit, vt nomen demonſtratio miraculi fiat; Acceſſit autem non aliquis infirmorum, ſed princeps Synagogæ,* vt magis obtvrarentvr ivdæorvm ora. Iudæorum ora Chriſtus obturauit, cùm Principis Synagogæ filiam ſuſcitauit, obturat enim ora detractorum pietas, quâ viui miſerentur mortuorum.

D. Ioannes Chryſoſt.

Titus.

Paſſus eſſe irrideri, vt ſuſcitans mortuam malignos confunderet.

9 Imò obſeruo, quòd antequam hanc puellā ſuſcitaret, Chriſtum Iudæi, qui lugebant, irriſerunt. *Et deridebat eum.* Matth. 9. 24. Quod permiſit, vt dum hac irriſione magis certa fiebat reſurrectio defunctæ, magis etiam malignorum, qui calumnias parabant, ora obſtruerentur. Adſtipulatur hìc etiam Theophylactus. *Vt poſteà dicere non poſſent, quòd non ſit mortua, ſed dormierit, propter hoc permiſit, vt priùs derideretur à dicentibus, Non eſt mortua, ſed dormit,* vt obtvrarentvr ora volentivm calvmniari. Animaduerte igitur malignorum ora obturata, & inuidorum calumnias fruſtratas pietate impenſâ defunctis.

Theophyl.

Eadem ratione permiſit nuntijs potiſſimum negari, quam iubebat ſuſcitandi mortuos.

10 Quod etiam contigit, cùm nuntij venerunt ad Archiſynagogum, eique dixerunt, ne vltrà Magiſtrum vexaret pro filiâ, quæ iam languore morbi oppreſſa deceſſerat. *Adhuc eo loquente, veniunt ad Archiſynagogum, dicentes, Quia filia tua mortua eſt, quid vltrà vexas magiſtrū?* Marc. 5. Hęc enim infideles dixerunt, qui non putabant Chriſtū poſſe ad vitā reuocare defunctos. Quæ tamē Chriſtus permiſit, vt magis poſt puellę reſurrectionem confunderentur, & talia in poſterum contrà ſe ipſum loqui erubeſcerent. Opportunus adeſt Abulenſis in Matth. 9. quæſt. 112. *Chriſto placuit iſta dubitatio, imò negatio poteſtatis eius, vt*

Abulenſis.

cùm

cùm immediatè ſuſcitaret puellam, appareret, quòd iſti errauerant, & magis CONFVNDERENTVR, *& etiam magis admirarentur Chriſtum*. Permiſit Deus, vt infideles poteſtatem negarent, quam habebat ſuſcitandi mortuos, vt cùm eſſet certior ſuſcitatio puellæ, magis confunderentur: confundit enim malignos, qui pietatem ſtudet exhibere defunctis.

Non timuit Ioſeph Arimathæus calumnias detractorum, cùm Chriſti cadauer ſepeliuit.

11 His igitur conſtitutis non ampliùs eſt mirandum, quòd Ioſeph ab Arimathæâ nihil timens Iudæorum calumnias ad Pilatum ſit auſus accedere, ac Magiſtri cadauer poſtulare, quod obtentum honorifico tradidit, ac nouo ſepulchro. *Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu, & depoſitum inuoluit ſindone, & poſuit eum in monumento exciſo*. Luc 23. 52. Calumnias enim diſcipulus iſte non timuit, cùm pietatem defuncto exhibuit; nouit quippè contrà legem manifeſtè factu- rum, quicumque adeò pium opus calumniari auderet. Siſto verba Ruperti Abbatis in Ioan. 20.

Rupert. Abb.

Cùm ergò tectus iſte diſcipulus tollit magiſtri ſui corpus, RECTE IVDÆORVM CALVMNIAM NON MERETVR, *nam ille contrà legem faceret, qui pro causâ huiuſmodi bonum eius officium calumniaretur*. Quibus addo quæ habet D. Bonauentura in Luc. 23, *Acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. Hoc quidem fecit cum magnâ conſtantiâ, non veritus, nec ferocitatem gentilium*, NEC MALIGNITATEM PRINCIPVM. ET SACERDOTVM. Et meritò quidem Iudæorum malignitatem non timuit, nam hanc pietatem exercens irreprehenſibilis fuit. Hoc me docet Theophylactus in Marc. 15. *Erat & ipſe diſcipulus Ieſu, ſciens dignum honore Dominũ, & honeſtus, hoc eſt pius*, IRREPREHENSIBILIS. Irreprehenſibilis fuit, cùm defuncto pietatis officium impendit: nec enim eum valent reprehendere detractores, quem vident mortuis pietatem exhibentem.

D. Bonauen.

Theophyl.

Ceſſat cauſa detractionis, dũ pietas exhibetur defũctis.

12 Hinc eſt, quòd Iuda murmurante, quòd Magdalena Chriſti pedes vnguẽtis vngeret pretioſis, eum Chriſtus increpauit, ejuſque os obturauit, dum propter ſepulturam ſuam illa vnguenta effundi explicauit. *Dixit ergò Ieſus, ſinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud*. Ioan. 12. 7. Cur enim hoc egit, niſi vt Iudæ oſtenderet, cauſam omnem deficere detractionis, dum pro defuncti ſepulturâ illud exhibebatur obſequium vnctionis? Profectò id voluit Lyranus in hunc locum. *Sinite illam quaſi dicat*, NON HABETIS CAVSAM SVFFICIENTEM MVRMVRANDI, *quia egit opus bonum*. Nullam habebant detrahendi cauſam aduersùs mulierem ergà mortui ſepulturam affectam: omnis enim ceſſat cauſa detractionis, dum de pietate agitur exhibendâ defunctis.

Lyranus.

Vt linguas detractorum vitaret, ſe ire ad ſepeliendũ patrem, Pharaoni Ioſeph indicauit.

13 Quod oſtendit & Ioſeph, cùm antequam ad terram proficiſceretur Chananæorum, familiam rogauit Pharaonis, vt ei loqueretur, diceretque ſe pergere, vt ſepulchro patrio patris mãdaret cadauer. *Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis, eò quòd pater meus adiurauerit me, dicens. En morior, in ſepulchro meo, quod fodi mihi in terrâ Chanaan, ſepelies me*. Geneſ. 50. 5. Quid hæc dicens familiæ Pharaonis Ioſeph intendit? Audi reſpondentem Rupertum Abbatem lib. 9. in Geneſim cap. 41.

Rupertus Abbas.

Hoc vtique intendit, vt in transferendo patrem vitaret inuidiam PRAECLVDENDO OS OBLOQVENTIVM, *qui fortè dicerent, quia non diligit terram noſtram. Nec fruſtrata eſt huius humilitatis prouidentia, non ſolùm enim hanc inuidiam, non ſolùm iram Pharaonis euaſit, ſed ita omnes in gratiam eius ſunt locuti, vt inſuper irent cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique maiores natu*. Præcludit os obloquentium, qui pius miſeretur mortuorum, ac proptereà vt linguas detractorum vitaret, voluit Ioſeph regi eſſe notum, ſe non niſi, vt pietatem defuncto patri exhiberet, ad terram pergere Chananæorum. Quamobrem iam liquidò apparet malignorum ora eum obſtruere, qui defunctorum curam agit.

CAPVT XXIII.

Peccator non cenſetur, qui mortuis pietatem impendit.

Habitatores Hebron, qui pro mortuo ſepeliendo ſepulchra offerunt, peccatores non cenſentur.

1 ADeò Naturæ ductu peccata ſunt omnibus inuiſa, vt peccatoris nomen peccatores quoque ipſi abhorrere videãtur. Vt igitur Homines ad pietatem defunctis exhibendam magis alliciam, eos qui hanc pietatem impendunt, non peccatores, ſed iuſtos, & innocentes cenſeri hoc capite probare conabor. Abrahæ iam ſeni, & de poſteritate ferè deſperanti filium Deus promiſit, eique ſacrificium præſcribens, quod offerret, prolis peregrinationem prædixit, quam tamen quartâ generatione ad terram promiſſam redituram eſſe indicauit. Cauſam autem dilationis implendæ promiſſionis eam aſſignauit, quòd nondùm completæ fuerant Amorrhæorum iniquitates. *Generatione autem quartâ reuertentur hùc: necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus*, Geneſ. 16. 16. Suam oſtendit Deus in ſceleribus puniendis longanimitatem, & ideò noluit Amorrhæos Hebræorum bellis, & terræ, quam poſſidebant, priuatione punire, quia nondum eorum iniquitates ita increuerant, vt adeò graui eſſent pœnâ mulctandi. Rationem verò, cur ad illud incrementum peccata illorum non pertigiſſent, affert Theodoretus in Gloſsâ ex eo, quòd inter eos multi tunc temporis pietatem colerent, inter quos habitatores Hebron enumerat, qui omnes Abrahæ propria obtulerant ſepulchra, vt in eis Saræ vxoris defunctæ cadauer humaret. *Declarat*, verba ſunt Theodoreti, *Deum non priùs vltorem eſſe, quàm homo ſit peccator, nam per id temporis, quo Deus loquebatur, Amorrhæi pietatem colebant, ac ſectabantur. Quod vel ex ipſo Melchiſedech, & Abimelech, &* HABITATORIBVS HEBRON *intelligi facilè poteſt, qui dicebant, Princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris*

Theodoretus.

noſtris ſepeli mortuum tum. Peccatores non cenſentur, qui pietate proſequuntur defunctos, vnde inter Amorrbæos, qui pietatem colebant, & peccatores non erant, habitatores Hebron enumerantur, qui Saræ pietatem exhibuerant defunctæ.

Cùm Ioſeph diſceſſum petyt ab Aegypto, vt ſepeliret mortuum animum oſtēdit ab omni labe alienum.

2 Quò item reſpexiſſe videtur Iacob, cùm ſenectute grauatus filium Ioſepb rogauit, vt ſub fæmore ſuo manum poneret, iuraretque ſe paternum cadauer ad terram tranſlaturum Chananæorum, vt in proprio illud reconderet ſepulchro. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub fæmore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hac, condaſque in ſepulchro maiorum meorum*. Gen. 47. 29. Quid opus erat hoc iuramento, vt Iacob a filio ſui tranſlationem corporis impetraret? Nunquid de illius pietate dubitauit, vt non niſi eo iurante, ſuo cadaueri obſequium illud impendendum exiſtimaret? Non amor, quo eum diligebat, non ſolertia, quâ pro eo apud Pharaonem interceſſerat, non tandem charitas, quâ præditus erat, huic diffidentiæ locum præbebat. Cur ergò tantâ ſolicitudine iſtud ab eo iuramentum popoſcit? Vt cùm ſe adiuratum à patre ad cadaueris tranſlationem Pharaoni diceret, ac propterea acceſſum ad terram alienam poſtularet, animum oſtenderet candidum, & ab omni hoſtilitatis, ingratitudinis, & proditionis labe remotum. Nec enim potuiſſet his criminibus cenſere obnoxium, quem in Patrem mortuum cernebat adeò pium. Subſignat Rupertus Abbas lib. 9. in Gen. cap. 21. *Ergo ne de obedientiâ filij pater diffiſus eſt, nec aliter ſecurus eſſe potuit? Non vtique ſic, ſed rationem in ore ponere voluit, quam in transferendo patrē haberet coram Pharaone, & ſeruis eius, compendio dicens; pater enim meus adiurauit me, ſuſpicionemque fugeret, ne alienum ab amore terræ Aegyptiæ videretur animum gerere.* Dum Pharaoni dixit ſe pergere adiuratum à Patre, vt illius cadauer in proprio humaret ſepulchro, de cunctis ingratitudinis, aut infidelitatis, quæ oriri poterant, ſuſpicionibus ſe purgauit; nā qui fidelis in mortuum, tantâ eum pietate proſequebatur, his nullatenus poterat cenſeri flagitijs inquinatus.

Rupertus Abbas.

Moyſis, & Eleazari populus innocentiam agnouit, cùm eorum pietatem in mortuum aſpexit.

3 Mortuus erat, vt ſuæ pœnas daret infidelitatis Aaron ſummus ſacerdos, quem ad montis verticē Dei iuſſu deductum pontificalibus Moyſes exuit indumentis, ijſque filium eius induit in eiuſdem montis ſupercilio Eleazarum. Poſt hæc Aaron in monte ſepulto, ad populi turbam vterque deſcendit. *Cumque Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in montis ſupercilio, deſcendit cum Eleazaro*. Num. 20. 28. Hic aduertit Rabbi Salomon populum Hebræorum, cùm vidit ſolum cum Moyſe deſcendentem Eleazarum, putaſſe, quòd iſti, vel inuidiâ, vel cupiditate ducti ſummum interfeciſſent Sacerdotem, quapropter eos punire, ac lapidibus obruere volebant. Sed Deo iubente montium cacumina ait inclinata, quare cùm vniuerſa multitudo Aaron conſpexiſſet à fratrē, ac filio honorificè ſepultum, ſeditio ceſſauit: cognouit quippè turba Moyſis, & Eleazari innocentiam, cùm eam agnouerunt, quam deſuncto impenderant, pietatem. *Rabbi Salomon*, inquit ad locum allatum Abulenſis, *dicit, quòd poſt mortem Aaron deſcendentibus Moyſe, & Eleazaro de monte populus non vidit Aaron deſcendentem cum eis, cùm priùs tres ſimul aſcendentes vidiſſet: putauit ergò populus, quòd Moyſes, & Eleazarus occiderant Aaron propter inuidiam, vel cupiditatē ſummi ſacerdotij, ideò tota multitudo volebat eos lapidare: inclinata ſunt autem tunc cacumina montium, & viderunt omnes de populo Aaron honorificè ſepultum, & tunc ceſſauit ſeditio.* Falſam, & malam, quam de Moyſe, ac Eleazaro conceperant, opinionem Hebræi tunc depoſuerunt, cùm eos mortuo pietatem exhibuiſſe cognouerunt: qui enim ſunt ergà mortuos pij, ab omni ſemper cenſentur criminum labe alieni.

Rabbi Salomon.

Vidua Sarepthana, cùm vidit Eliam benignum in mortuum, eū exiſtimauit ab omni mēdacio alienū.

4 Hìc quadrare videtur, id quod Eliæ filium ſuum defunctum ad vitam reuocanti mulier dixit Sarepthana. *Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt*. 3. Reg. 17. 24. Tunc Eliam virum Dei eſſe, ac vera loqui mulier credidit, cùm ille à morte ad vitam defunctum reuocauit; non enim malum exiſtimare poterat, & mendacem, quem ergà mortuum pium agnouerat, & clementem. Benè Lyranus in hunc locum. Per Filii Svi Svcitationem De Praesenti Fvit Certificata De Dictis Eliae Pro Fvtvro, *ſcilicet de multiplicatione olei, & farinæ, & de datione pluuiæ ſuper terram*. Pietate in mortuos innocentia dignoſcitur iuſtorum, quapropter cùm Vidua vidit Propbetam ſuum viuificantem defunctum, eum exiſtimauit veridicum, & ab omni mendacij labe alienum.

Lyranus.

Vt ſe Dauid à crimine immunem declararet, pietatē defuncto Saul exhibitam laudauit.

5 Cognitâ Dauid pietate, quâ viri Iabēs Galaad cadauera Saul, & filiorum eius de muro Bethſan ſuſtulērant, & honorifico in ſepulchro condiderant, nuntios miſit, qui eis gratias referrent, præmia promitterent, regiamque protectionem offerrent. *Miſit ergò Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos. Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum: Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam, & veritatē: ſed & ego reddam gratiam eò quòd feciſtis verbum iſtud*. 2. Reg. 2. 5. Vbi ſciſcitandum videtur, cur adeò viros iſtos Dauid honorauerit, vt eis nuntios mittere, gratias agere, ac munera polliceri voluerit. Quodnam ei præſtiterant beneficium, pro quo illis hæc rependere deberet? Nullum; ſed tamen hæc agere voluit, vt dum ergà defunctos ſe pium oſtendebat, eorumque humatoribus præmia promittebat, omnem à ſe odij, & iniuſtitiæ ſuſpicionem abdicaret, ſuamque innocentiam cunctis declararet. Annuit Abulenſis

Abulenſis.

Digitized by Google

in prædictum locum quæſt. 9. *Quæret aliquis, quare Dauid miſerit nuntios ad viros Iabes, gratias agendo eis pro bono, quod egerant Sauli. Reſpondendum, quòd Dauid* VOLVIT SE OSTENDERE INNOCENTEM IN MORTE SAVLIS, *& quod illa non placuerit ei, nam dum viueret Saul, erat hoſtis Dauid, quærens eum ad mortem, propter quod aliqui de populo putabant, quòd Dauid deſideraret mortem Saulis, vel procuraret quantum poſſet, aut ſaltem lætaretur in eâ, quando eueniret, quod eſſet in eo quædam macula ad regnandum, ideò voluit ſe Dauid quantùm potuit,* IMMVNEM OSTENDERE AB HOC CRIMINE. Immunes à criminibus ſe oſtendunt, qui mortuis pietatem impendunt, & iccircò pietatẽ defuncto Saul exhibitam Dauid laudauit, vt eum populus agnoſceret in hoſtis morte innocentem, dum pietatis mortuo exhibitæ illum conſpiceret laudatorem.

Pro eodem luxit, vt ſe oſtenderet innocentem in eius morte.

6 Ob eamdem etiam cauſam, vt audiuit Saul in prælio defeciſſe, ac ſuis ſe manibus interfeciſſe, plorauit, & cum viris, qui ſecum erant, vſq; ad veſperam ieiunauit. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam.* 2. Reg. c. 11. Vt quid enim hoc egit, niſi vt pietate iſtâ mortuo exhibitâ ſuam innocentiam declararet? Aſſerit hoc idem Abulenſis vbi ſuprà. IN MORTE EIVS OSTENDIT INNOCENTIAM SVAM, *nimis dolens, & plangens pro eo.* Exhibuit ſe pro mortuo lugẽtẽ, vt ſe oſtenderet in eius morte innocentẽ; innocentia enim viuorũ per pietatem declaratur, quâ miſerentur mortuorum. Quapropter eumdem luctum expendens Rupertus Abbas lib. 2. in libros Regum cap. 20. hæc, quæ ſuperiora magis confirmant ipſe quoque protulit. *Quis enim planxit? Rex vnctus, electionis ſuæ non inſcius, qui non ignoraret per mortem Saul vacuefactum ſibi eſse thronum regium, vt qui profugerat iam repatriaret.* MIRA ERGO INNOCENTIA, *mira aduersùs ambitionẽ temperãtia.* Plorans pro mortuo Saul miram innocentiam, per quam ab omni odio eſſet immunis, Dauid oſtendit.

Idem.

Rupertus Abbas.

Luctu pro mortuis exhibito proditionis, & hoſtilitatis notam à ſe abiecit.

7 Hinc iſtum eumdem luctum idem Rupertus Abbas lib. 2. in libros Regum cap. 18. Deo prouidente à Dauid editum fuiſſe rectè expendit, ne videlicet proditor, & hoſtis patriæ iudicaretur, qui Regem, & fortes Iſraëlitas interemptos funereo luctu honorare non curaret. Hac autem labe ſe non inquinari, pietate, quam illis, veſtimenta ſcindens, & lachrymas effundens exhibuit, ſatis oſtendit. *Itaque factum eſt,* inquit Rupertus, *vt Dauid, neque in populo ſuo, neque contrà populum ſuum, bello intereſſet, ſed abſens fortes, qui ceciderant in prælio, plangeret. Nunquid hoc caſu, & non potiùs per Dei prouidentiam geſtum eſt? Vtique Deo prouidente factum eſt,* VT DAVID LEGITIMVS REX, NEQVE PRODITOR, NEQVE HOSTIS PATRIAE IVDICARI POSSET. Luctu, quẽ pro mortuis exhibuit, omnem proditionis, & hoſtilitatis notam à ſe abiecit.

Rup. Abbas.

Ab omni odio ſe alienũ monſtrauit, cum Saul mortuo viſcera pietatis exhibuit.

8 Et ſanè, licet pepercisset Saul, cùm poſset eum interficere in ſpeluncâ, & dixiſſet. *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo Chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt.* 1. Reg. 24. 7. poterat quis dubitare, quòd manibus quidẽ temperaret, ac vitam Regi auferre nollet, ſed tamen mortem eius optaret, ac de illius cæde ab alijs patratâ gauderet. Itaque vt hanc ſuſpicionem prorsùs tolleret, & occultam ſui cordis innocentiam manifeſtaret, & ſuo, & ſuorum aulicorum luctu eum honorauit defunctum. Sed præſtat hic eumdem audire Rupertum Abbatem lib. 2. in libros Regum cap. 20 ita diſſerentem. *Parum fuerat manibus temperaſſe, dicendo, propitius ſit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Chriſtum Domini, nam poterat & hæc dicens optare, vt aut dies mortis eius veniret, aut in prælium deſcendens periret. Sed ecce occulta cordis manifeſtus iuſtitiæ actus defendit, dum ipſe plangit, & per pœnam, vel mortem eius, qui nuntiauerat, nemini ſuorum exultandum eſſe decernit.* Occultam cordis innocentiam externis oculorum lachrymis Dauid oſtendit, ſeque ab omni odio alienum monſtrauit, cùm hoſti mortuo pietatis viſcera patefecit.

Idem.

Suam item innocentiam in morte Abner declarauit, cùm eius exequias honorauit.

9 Idipſum ea confirmant, quæ ipſe Dauid egit in morte Abner, cuius feretrum ſecutus, cum vniuerſo populo plorauit, eumque funebri oratione laudauit. *Plangenſque rex, & lugens Abner, ait, Nequaquam vt mori ſolent ignaui mortuus eſt Abner.* 2. Reg. 3. 33. Cur adeò Dauid exequias honorauit Abner, qui paulò antè hoſtis, contra illum pugnauerat cum Saul? Quid ampliùs in morte propinqui agere poterat, aut amici? Nunquid eiſdem obſequijs funera ſunt honoranda cunctorum? Non vtique; ſed tamen tanto proſequi voluit honore funus Abner, vt ſe ab eius morte declararet immunem, & ne aliquis putaret ſuo iuſſu, aut conſilio virum innoxium corruiſse ab iniquis proditoribus occiſum. Hoc ex verbis habes Abulen. in 2. Reg. c. 2. *Sic fecit quãdo occiſus fuit Abner, quia* NE ALIQVI PVTARENT EVM OCCISVM DE CONSILIO DAVID, *planxit eum nimis, & ſequebatur feretrum illius.* Suam innocentiam oſtendit, qui mortuis pietatem impendit, vndè ſuo fletu, & comitatu mortui Abner exequias Dauid honorauit, vt ſuam in eius morte innocentiam declararet.

Abulenſis.

Vt ſe magis innocentem oſtenderet, pro eius Animâ ieiunauit.

10 Quam etiam vt magis oſtenderet, ieiunio ſe affligere, atque ab omni cibo, & potu abſtinere vſque ad ſolis occaſum ſolenniter iurauit. *Iurauit Dauid, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi antè occaſum ſolis guſtauero panem, vel aliud quicquam.* 2. Reg. 3. 35. Hoc nimirum ieiunij ſuffragio pro animâ defuncti Abner exhibito ſuam magis innocentiam probauit, ſeque ab illius cæde prorſus alienum fuiſse declarauit. Probè Lyranus ad hunc locum. *Poſt ſepulturam ipſius Abner iurauit Dauid* AD MAIOREM DECLARATIONEM SVAE INNOCENTIAE *circa mortẽ ipſius Abner.* Maiorem exhibet ſuæ probitatis probationem,

Lyranus.

Digitized by Google

tionem, qui maiorem impendit mortuis pietatẽ, atque adeò vt magis in morte Abner ſe declararet Dauid innocentem, nedùm lugentem, & comitantem, ſed etiam ſe pro eo abſtinentem exhibuit, ac ieiunantem.

Ex his pietatis obſequijs eius innocentiam populus cognouit.

11 Quare hæc cernens populus omnem depoſuit ſuſpicionem, eumque à cæde Abner prorsùs immunem cognouit. *Et cognouit omne vulgus, & vniuerſus Iſrael in die illâ, quoniam non actum fuiſſet à Rege, vt occideretur Abner filius Ner.* 2. Reg. 3, 37. Quomodo autem hanc Dauidis innocentiam populus cognouit? Quis eum certum reddidit, quòd occultè non iuſſiſſet Ioab, vt dolo circumueniret Abner, eique in vltionem præteritæ hoſtilitatis mortem infligeret? Pietas, quam Dauid exhibuit Abner defuncto, non enim poterat popolus exiſtimare, quòd tantâ in viuum ſæuijſſet crudelitate, qui tantâ mortuum proſequebatur pietate. Subſcribit Caietanus allata verba declarans. *Eſt ſenſus, quòd ex dictis, & factis illâ die vniuerſus Iſrael poſteà* NOVIT INNOCENTIAM DAVIDIS *circà mortem Abner.* Ex ijs, quæ Dauid & dixit, & egit, funus honorans, & exequias celebrans defuncti Abner, Dauidis innocentiam populus cognouit, eumque ab omni proditionis culpâ immunem declaranit.

Caietanus.

Vt culpam celaret adulterij Bethſabeæ luctum permiſit mariti.

12 Sed placet adhuc aliam Dauidis actionem expendere, quâ poſtquam Bethſabeæ occulto adulterio ſe adiunxit, & ad id celandum homicidium viri illius Vriæ imperauit, illam amore ductus in vxorem accepit. Obſeruo autem eum cum hac muliere nuptias non contraxiſſe ſtatim poſt mortem Vriæ, ſed expectaſſe donec tempus tranſiret, quo virum ſuum in domo lugeret defunctũ. *Audiuit autem vxor Vriæ, quòd mortuus eſſet Vrias vir ſuus, & planxit eum. Tranſactoque luctu miſit Dauid, & introduxit eam in domum ſuam, & facta eſt ei vxor.* 2. Reg. 11. 27. Poteſt autem hìc dubitari, cur qui tanto hanc mulierem proſequebatur amore, nuptias diſtulerit, quas, mortuo marito, poterat ſtatim cum illâ inire. Sed in promptu eſt reſponſio Abulenſis, qui ait Dauidem expectare voluiſſe, donec Bethſabea lugeret, ne adulter cenſeretur à populo, ſi pietatem impediret mortuo ab vxore impendendam marito. *Permiſit autem Dauid ad honeſtatem, quòd Bethſabea finiret planctum ſuper virum, ne ſi immediatè tranſiret ad domum Regis inexpleto planctu* VIDERETVR, QVÒD EAM PRIVS FORNICARIE COGNOVISSET. Nouerat Dauid innocentem eum exiſtimari, qui pietatem colit ergà defunctos, ac proindè vt culpam celaret adulterij, antequam nuptias contraheret, tempus vxori conceſſit, quo mortuo pietatem exhiberet marito.

Abulenſis.

Vt bonum ſibi nomen faceret, iuſſit Idumæos mortuos humari.

13 Facit etiam ad hanc rem, quòd Ioab princeps militiæ eiuſdem Dauid Idumæos in prælio interemptos humauit. *Cùm enim eſſet Dauid in Idumæâ, & aſcendiſſet Ioab princeps militiæ ad ſepeliendum eos, qui fuerant interfecti.* 4. Reg. 11. 15. Cur enim Ioab hoſtes, quos interfecerat, extremo ſepulturæ obſequio donauit, niſi quia id Rex Dauid præcepit. Porrò pietate illâ defunctis exhibitâ humanitatis laudem acquirere, ac bonum ſibi nomen apud omnes facere credebat. Siſto verba Lyrani. *Dauid Idumæos, qui in bello ceciderant, præcepit ſepeliri, & in hoc* FECIT SIBI BONVM NOMEN, *eo quòd præſtiterat occiſis iſtam humanitatem.* Bonum ſibi nomen facit, qui defunctis pietatem impendit, quare vt ab omnibus commendaretur vt bonus, hoſtibus quoque ſuis poſt mortem voluit Dauid ſepulchralibus obſequijs exhibere pietatem.

Lyranus.

Vt extrà culpam ſe oſtenderent paterni ſceleris, Scribæ, & Phariſæi monumenta ædificabant mortuorum.

14 Non poſſum non mirari, quòd Scribæ, ac Phariſæi Prophetis, quos Patres eorum iniuſtè occiderant, monumenta extruerent, & ſepulchra ædificarent. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum.* Matth. 23. 29. Nonnè parentum iniuſtitiam damnabant, dum viris, qui ab eis occiſi fuerant, ſumptuoſas memorias ædificabant? Nonnè impiè cæſos declarabant, quos titulis inſcriptionibus, & monumentis honorabant? Nonnè tandem paternam in viuos accuſabant crudelitatem, dum propriam ergà mortuos exhibebant pietatem? Ita ſanè; ſed tamen id agebant, vt ſimulatâ quadam pietate ſe benignos exhibentes in mortuos à paterni ſceleris culpâ ſe declararent immunes. Clarum id ex D. Hilario can. 24. in Matth. *Parentum facta poſteritas iſta deteſtata eſt, vt prophetiæ libros venerentur, memorias adornent, ſepulchra inſtaurent, talique reuerentiâ* EXTRA CVLPAM SE ESSE PATERNI SCELERIS TESTENTVR. Qui ſe oſtendit ergà mortuos pium, à ſcelere ſe declarat immunem, quare vt ſe paterni ſceleris conſcios non eſſe probarent, monumenta Scribæ inſtaurabant iuſtorum, & ſepulchra Phariſæi ædificabant Prophetarum.

D. Hilarius.

Matrona Epheſina ſimulans pietatem in mortuum ab omnibus rara pudicitia dicebatur exemplum.

15 Hanc eamdẽ veritatem eruditionis profanæ authores illuſtrant. Vndè Petronius Arbiter loquens in Satyrico de Matronâ Epheſinâ, quæ maritum proſequens defunctum, & cuſtodiens ſepultum, dies, ac noctes abſque alimento trahebat, ſcribit illam, quamuis ſceleſtiſſimam, & intra ipſum ſepulchrum militi, qui cruces cuſtodiebat, nullâ pudicitiæ habitâ ratione, proſtitutam, fuiſſe tamen ab omnibus, tanquam veri amoris, ac pudicitiæ coniugalis rarum exemplum commendatam. Pietas quippè, quam ergà mortuum ſimulabat maritum, culpas, & flagitia tegebat, quibus inquinabatur, adeò vt ſingulare veræ pudicitiæ cenſeretur exmplum, quæ infame reuerâ erat militis gregarij ſcortum. *Sic affligentem ſe,* (verba ſunt Petronij) *ac mortem mediâ perſequentem non parentes potuerunt abducere, non propinqui; magiſtratus vltimò repulſi abierunt.* COMPLORATAQVE AB OMNIBVS SINGVLARIS EXEMPLI FOEMINA, *quintum iam diem ſine alimento trahebat. Adſidebat ægræ fidiſſima ancilla, ſimulque & lachrymas commodabat lugenti, & quoties defecerat poſitum in monumento lumen renouabat. Vna igitur in totâ ciuitate fabula*

Petronius.

erat,

erat, Et Solvm Illvd Affvlsisse Verum Pvdicitiae, Amorisq; Exemplvm Omnis ordinis Homines Confitebantvr. Vide igitur, an pietate in defunctos ſe à peccatis homines oſtendant alienos, dum hæc mulier adeò proſtratæ pudicitiæ, quia pietatem oſtentauit ergà mortuum, tanquam verum pudici amoris commendabatur exemplum.

Thraſyllus pietate, quam ſimulauit ergà mortuum, non interfector, ſed amicus eſt exiſtimatus.

Apuleius.

15 Huic rei alia eſt affinis, quam narrat Apuleius lib. 8. Metamorph, Thraſyllum ſcilicet, qui Lepolemum fraudulenter occiderat, pietate, quã ergà illum ſimulabat, ſuas texiſſe fraudes, & verum ab omnibus exiſtimatum amicum illius, quẽ ferro proſtrauerat, & lanceâ interfecerat, vt inimicum. *Thraſyllus nimium clamare, plangere, & quas imprimo mœrore lachrymas non habebat, iam ſcilicet creſcente gaudio reddere, & multis charitatis nominibus* Veritatem Ipsam Fallere. Veritatem fallebat, qui mortuo pietatem exhibebat: ſuam enim ſemper tegunt immanitatem, qui ergà defunctos hanc exercere ſtudent pietatem. Hinc ad allata verba inquit Beroaldus *Hæc ſunt charitatis nomina multijuga, quibus Thraſyllus* Veritatem Dissimvlabat, Qvibvs Revera Amicvs Extincti Credi Poterat. Veritatem ſimulabat, dum nominibus amorem conciliantibus defunctum honorabat, dumque ſe pium ergà ipſum exhibebat, non hoſtem, & interfectorem, vt erat, ſed amicum, & fratrem, qualis non erat, ſe ſe oſtendebat.

Beroaldus.

Hercules periurij ſe crimẽ effugere cenſuit, cùm defunctum Argeum honorauit.

16 Concludam hoc caput hiſtoriâ, ſeu, ſi hoc mauis, fabulâ, quam ex Androne refert Ioannes Kirchmannus lib. 1. de funeribus Romanorum cap. 1. Herculem narrat, vt Ilium expugnaret, Argeum familiarem à Licymnia patre ſocium petijſſe in bello, quod parabat. Verùm hic quia alium filium in Lacedæmonico bello amiſerat, ſuperſtitem ei concedere abnuebat. Qapropter Hercules ſe illum reducturum iurauit, & hac cõditione infœlix pater Argeum ei conceſſit. Sed quid occumbente Argeo Hercules egit, vt ſe à periurij crimine profiteretur immunem? Cadauer ſolennibus exequijs conclamatum, & pretioſis vnguentis delibutum feralibus rogi flammis cremauit, & oſsa cum cineribus religioſâ pietate in vrnâ collecta ad patrem tranſmiſit, ſeque hac pietate à periurij crimine apud eum liberari iudicauit. Sed prænotati Authoris verba exſcribamus. *Indignatus Hercules Ilium expugnare, & acceptam iniuriam vlciſci cogitat; eùmque exercitum colligeret, etiam Argeum familiarem ſuum à Licymnia patre petit; quo abnuente, quòd iam antè alterum filium Eonum bello Lacedæmonico amiſiſſet, Hercules iureiurando ſe de reducendo Argeo obſtringit. Profectus igitur ad Ilium, cùm Argeus in acie cecidiſſet comburi ipſum curauit, ac oſſa eius & cineres ad patrem remiſit*, Hoc Modo Fidem Svam Se Liberasse, Et Periurii Crimen Effvgisse Arbitratvs. Adeò verum eſt pietate in mortuos cenſeri homines à peccatis immunes, vt tunc Hercules iudicauerit, ſuæ non derogandum fidelitati, ſibique crimen periurij non imputandum, cùm exequiarum pompâ, rogi conſtructione, & cadaueris translatione amico pietatem exhibuit defuncto. Diſce igitur ſuffragijs mortuorum maculas obliterari culparum, & eum peccatorem non cenſeri, qui mortuis pietatem impendit.

Ioannes Kirchmannus.

CAPVT XXIV.

Rationabiliter impenditur, & irrationabiliter denegatur pietas defunctis.

Populi magis ratione probati cadauera ſepeliebant mortuorum.

Populi cadauera non ſepelientes.

1 RAtionis compotes Ratione duci maximè congruit. Quare vt hominibus ratione præditis pietatem ſuadeam in defunctos, rationabiliter pios, irrationabiliter verò impios in eos operari demonſtrare conabor. Et vt à mortuorum ſepulturâ incipiam, compertum eſt nonnullos populos fuiſſe, qui nullam cadauerum humandorum rationem habuerunt. Certè ſcribit Cicero lib. 1. Tuſculanarum quæſtionum Magos ſuorum cadauera non humaſſe, ſed feris lanianda reliquiſſe. *Magorum mos eſt non humare corpora ſuorum, niſi à feris ſint antea laniata.* Apud antiquos etiam Iberos exanima corpora vulturibus relicta refert Silius Italicus lib. 13. Punicorum.

Cicero.

Silius Italicus.

Tellure (vt perhibent) is mos antiquus Iberâ
Exanima obſcœnus conſumit corpora vultur.

Celtas quoque narrat ibidem conſueuiſſe pocula menſis adhibere, quæ vacua cadauerum capita auro circumdata formabant.

At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent.
Oſſa (nefas) auro, & menſis ea pocula ſeruant.

Cicero.

Hyrcanorum tandem paulò antè allatus Cicero meminit, qui canes alebant à quibus cadauera laniarentur defunctorum. *In Hircaniâ plebs publicos alit canes: optimates, domeſticos. Nobile autem genus canum illud ſcimus eſſe, ſed pro ſuâ quiſque facultate parat, à quibus lanietur, eamque optimam illi eſſe cenſent ſepulturam.* Verùm enim verò licet hæc ita ſe habeant, vt diximus, certũ eſt nihilominùs populos illos, qui magis ratione ducebantur, diligentem defunctorum curam habuiſſe, ac eorum cadauera honorificâ monumentorum conſtructione condidiſſe. Hoc enim præſtant, qui rationabiliter operantur, vt ſolerti pietatis exhibitione mortuos proſequantur. Audiendus hic Phauorinus primâ parte de Hominis excellentiâ cap. 24. *Ex diuerſo corpora inhumandi ritu licet habeamus populos aliquos maximam habuiſſe rationem corporum ſepeliendorum, alios penè nullam, ſatis eſt, quòd* Popvli Magis Ratione Probati *diligenter curarunt defunctorum corpora honorificis cohoneſtare ſepulchris.* Populi, quos magis ratio probabat, mortuorum cadauera piè humabant, quicumque enim rationis ductu operantur, mortuis pietatem impendere conantur.

Rationabile eſt plorare pro mortuis.

2 Hinc rectè Abulenſis in 2. Reg. cap. 14. quæſt. 9. lachrymas expendens, quas in fune-

ribus carorum pietas effundit ſuperſtitum, eos concludit rationabiliter plorare, qui plorant, vt miſericordiæ obſequia defunctis exhibeant. Si namque Naturæ ſimilitudo non modicum excitat amorem, cur amoris lachrymæ illis, qui nobis dum viuerent, ſimiles in naturâ fuerunt, ſunt denegandæ? Vtique ratio ipſa naturalis rationabiliter has lachrymas mortuis deberi demõſtrat. RATIONABILE EST *plorare pro mortuo*, inquit

Abulenſis.

Abulenſis, *imò pium valdè, quia homo debet homini compaſſionem pro ſimilitudine ſpeciei, & cognatione, & multis alijs cauſis*. Naturæ ſimilitudo, propinquitatis cognatio, & aliæ innumeræ cauſæ adeò debitam reddunt pietatem defunctis, vt eis rationabiliter exhibendam eſſe oculorum quoque ploratu, & lachrymarum effuſione, iure concludere poſſimus.

Lachrymæ, quæ pro defunctis funduntur, lege rationis temperantur.

3 Hùc pertinent lachrymæ illæ, quas coram ſororibus plorantibus, & Iudæis conſolantibus in Lazari morte Chriſti oculi fuderunt. *Et lachrymatus eſt Ieſus*. Ioannis 11. 35. Cur antequam vitam infunderet cadaueri, lachrymas ab oculis effudit? Cur luctui vacare decreuit, dum omnibus gaudium reſurrectione parabat? Cur demùm vitam defuncto largiturus, in fletum priùs erupit. Vt nobis oſtenderet rationis lege temperatas erumpere lachrymas, quas piè in funeribus fundimus mor-

D. Cyrillus Alex.

tuorum. Egregiè D. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Ioannem cap. 20. *Erudijt nos Dominus ſuis lachrymis, quonam modo caros noſtros vitâ functos moderatis, ac* LEGE RATIONIS TEMPERATIS LACHRYMIS *flere debeamus*. Rationabiliter pietas debetur defunctis, ac proindè lege rationis temperantur, quæ pro eis à viuentibus lachrymæ funduntur.

Abraham pro ſepulturâ vxoris petentē vt rationabiliter poſtulantem Hethæi exaudierunt.

4 Hac lege lachrymæ temperatæ fuerunt Abrahæ, quas in funere Saræ vxoris emiſit, quamobrem cùm ab officio exequiarum ſurrexit, & ab Hethæis ius ſepeliendi mortuum ſuum poſtulauit, non tantùm id, quod petebat, obtinuit, ſed inſuper tanquam princeps fuit ab eis honoratus. *Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum*. Geneſ. 23. 6. Vide quæſo promptitudinem, quâ eius preces exaudierunt, & honorem, quo illum affecerunt. Cùm enim audiuiſſent eum pro defunctâ exorantem, non potuerunt adeò rationabilem petitionem honorificis verbis promptè nõ exaudire. Adeſt Lippomanus in locum præditum hæc afferens. RATIONABILIS, *& modeſta oratio virum populo Hethæo commendabat*.

Lippomanus.

Rationabiliter petit, qui pro defuncto petit, quapropter Abrahamū pro defunctæ vxoris ſepulturâ petentem, illicò tanquam rationabiliter poſtulantem Hethæi exaudierunt, & veluti principem Dei honorauerunt.

Rationabile erat ſacerdotes minores exequias celebrare parentū

5 Pergo, & legem expendo, quâ ſacerdotibus antiquis iuſſit Deus, nè funeribus intereſſent mortuorum. Hæc enim lex funera non amplectebatur conſanguineorum, quibus ratione propinquitatis ſacerdotes minores poſſe aſſiſtere permiſit. *Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis, & propinquis, ideſt ſuper patrem, & matrem, & filium, & filiam, fratrem quoque, & ſororem virginem*. Leuit. 21. 2. Vbi aduertit Abulenſis antè omnes alias perſonas patrem enumerari, & matrem, quia rationabiliùs iſtorum funeribus debebant minores aſſiſtere ſacerdotes.

Abulenſis.

Hic exprimuntur perſonæ, in quibus licebat ſacerdotibus minoribus contaminare ſe ſuper mortuos, & de iſtis duabus Perſonis RATIONABILIVS EST, *quàm de omnibus alijs*. Rationabile quidem erat, ſacerdotes conſanguineis, ac propinquis pietatem exhibere defunctis, ſed tamen quia parentibus magis debemus, rationabilius erat, vt eorum exequias præ aliorum funeribus celebrarent: quapropter antè omnes alios propinquos patrem, & matrem lex enumerauit, tanquam perſonas, quibus mortuis maiorem rationis lege tenebantur impendere pietatem.

Rationabile fuit, quòd lex de pollutione ſuper mortuũ diſpēſaretur, vt pietas exhiberetur Aaron defuncto.

6 In vertice montis Hor, Deo iubente, Aaron occubuit, eique Moyſes, & Eleazarus exequias celebrantes in eiuſdem montis cauitate illius cadauer condiderunt. *Fecit Moyſes, vt præceperat Dominus, & aſcenderunt in montem Hor coram omni multitudine. Cùmque Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in montis ſupercilio, deſcendit cum Eleazaro*. Numer. 20. 28. Hic quærit idem Abulenſis, vtrùm ex hac Aaron defuncti ſepulturâ immunditiam contraxerint Moyſes, & Eleazarus. Profectò quicumque tangebat mortuum, polluebatur, & tanquam pollutus extrà caſtra eijciebatur. *Præcipe filijs Iſrael, vt eijciant de caſtris omnem leproſum, & qui ſemine fluit, pollutuſque eſt ſuper mortuo*. Numer. 5. 2. Cùm igitur viri iſti mortuum tetigiſſent, eiuſque cadauer humaſsent, hinc ſequitur eos iuxtà legis præſcriptum fuiſſe pollutos. Sed quo pacto, ſi polluti fuerunt, ad caſtra, vbi cæteri manebant Iſraëlitæ, deſcenderunt? Placet reſponſio, quâ nodum ſoluit Abulenſis. Dicit ergò eos non fuiſse pollutos, quia cùm Moyſes Deum familiariter alloqueretur, & Eleazarus ad ſummi ſacerdotij apicem peruenisſet, non videbatur conuenire, quòd tanti viri aliquam contraherent pollutionem, per quam à Dei colloquio, & ab ingreſſu ſanctuarij arcerentur. Quia tamen ex aliâ parte impium videbatur, quòd mortuum in ſupercilio montis relinquerent inſepultũ, rationabile fuit, quòd Deus hanc legem in eo caſu diſpenſaret, eique permitteret, vt mortuum ſine pollutione tangere poſsent, ac ſepelire. *Dicendum*,

Abulenſis.

verba ſunt Abulenſis, *quòd Moyſes, & Eleazarus contraxiſſent immunditiam, ſi attigiſſent alicui morienti, non iubente Deo, ſed ex iuſſu Dei factum eſt ſpecialiter; ergò non incurrerunt*. *Et* APPARET RATIONABILE, *quia iſta immunditia erat ex voluntate legislatoris, ideò cùm aliqua cauſa ſubeſſet, facile erat diſpenſari, ne incurreretur immunditia*.

Adeò

Digitized by Google

Adeò rationabile eſt pietatem exhibere mortuis, vt Deus legem ſuam de pollutione ſuper mortuum rationabiliter diſpenſauerit, ne ſine funere, ac ſepulchro Aaron remaneret defunctus.

A rationabili cauſâ mouetur qui pietatem exhibet defunctis.

7 Cùm Chriſtum contemplor in Lazari morte, nedùm lachrymantem, ſed & frementem, & ſeipſum turbantem. *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum.* Ioan. 11. 34. non poſſum, quin admirer, quòd illius animus huiuſmodi ſit paſſionibus turbatus. Fremunt, & turbantur, qui vel immodico dolore corripiuntur, vel iracundiæ furore accenduntur, vel inuidiæ liuore tabeſcunt. At hæc in Chriſto locum babere non poterant, qui totius ſanctitatis author nullas imperfectionum maculas admittebat. Cur ergò pluries fremuit, & ſe ipſum in morte Lazari turbauit? Non ex infirmitate, aut imperfectione, ſed ex rationabili dolore, quo mortuo compatiens amico, eſt affectus, fremuit Chriſtus, ac ſemetipſum turbauit. Ad rem Dionyſius Carthuſianus. *Turbauit ſeipſum, ideſt vehementer commouit, & quodam dolore affecit ſuam ſenſualitatem ex prædelibarato rationis iudicio, atque voluntatis imperio. Hæ enim, & ſimiles paſſiones fuerunt in inferiori parte animæ Chriſti, non ex ſubreptione, neceſſitate, vel infirmitate; nec aliquam imperfectionem cauſabant in Chriſto, actum rationis aliqualiter impediendo, ſed erant ibi* Ex Praevio Rationis Ivdicio, *& voluntatis decreto ſpontaneo* Propter Rationabiles Cavsas. Vides rationis iudicio præuio, & rationabili cauſâ vrgente Chriſtum fremuiſſe, ac ſemetipſum toties turbaſſe, vt Lazaro pietatem impenderet defuncto? A' rationabili quippè cauſâ, & ratione duce mouetur, quicumque pietatis obſequia ſatagit exhibere defunctis.

Dion. Carth.

Rationabiliter mouetur, qui defunctos adiuuare conatur.

8 Quod item gaudium probat, quod in eiuſdem Lazari morte Chriſtus oſtendit. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos.* Ioan. 11. 15. Cùm enim ſapientes, nō niſi ob rationabiles cauſas lætentur, manifeſtū eſt Chriſtū æterni patris ſummam ſapientiam rationabilē habuiſſe cauſam gaudendi. Quare cùm gauiſus ſit propter pietatē Lazaro mortuo reſurrectionis miraculo exhibendam, iam patet rationabiliter operari, qui mortuis pietatis obſequia impendunt. Do Rupertum Abbatem lib. 10. in Ioannem ita diſſerentem. *Quid eſt, quod ait, & gaudeo propter vos? Magna profectò, & non niſi* Rationabili *pro cauſâ ſapienti, maximè autem filio Dei, ſummæ ſapientiæ Dei gaudendum eſt. Cauſam gaudij ſui mox ipſe ſubiunxit, dicens, quia non eram ibi. Quid enim Domine, ſi fuiſſes ibi? Si fuiſſem ibi, inquit, non tanta daretur materia gloriæ Dei: precibus quippè amātium, & ploratibus eorum vrgerer hoc facere, vt non moreretur, aut certè vt mortuum ſuſcitarem, antequam ſepeliretur. Nunc magnificentiùs glorificabitur filius Dei, cùm cadauere ſepulto, iamque fœtente experimentum dabitur, quòd in horâ nouiſſimâ verè omnes, qui in monumentis ſunt procedent ad vocem eius.* Vtique ob rationabilem cauſam Chriſtus gaudebat, dum propter mortui reſurrectionem gaudebat: ſemper enim rationabiliter mouetur, qui ſuâ pietate defunctos adiuuare conatur.

Rup. Abbas.

Pharao conceſſit Ioſeph, vt iret ad terram Chanaā patrem humaturus, quia hoc erat rationabile.

9 Hoc idem confirmat inſtitutum promptitudo, quâ Pharao Ioſeph conceſſit, vt ad terram Chananæorum paternum cadauer humaturus aſcenderet, vbi cum maioribus natu Ægypti ſolemni, & luctuosâ pompâ mortui parentis exequias celebraret. *Dixitque ei Pharao. Aſcende, & ſepeli patrem tuum, ſicut adiuratus es.* Geneſ. 50. 6. Vt quid enim adeò libenter, & tantâ promptitudine id ei permiſit, niſi quia rationabile erat extremam defuncti adimplere voluntatem, cumque proprio poſt mortem non defraudare ſepulchro? Adeſt Abulenſis ad hunc locum iſta ſcribens. *Nolebat Ioſeph rogare pro ſe immediatè, quia videretur ex paſſionali affectione hoc agere: familia autem Pharaonis poſſet ſuadere Regi,* Hoc Esse Rationabile, *& ſic Rex conſentiret.* Facilè perſuaſus eſt Pharao, vt Ioſeph ad mortui patris ſepulturam dimitteret, quia rationabile eſſe cognouit, quòd filius parenti pietatem exhiberet defuncto.

Abulenſis.

Rationabiliter à Chriſto mortuo milites crurifragium remouerunt.

10 Cùm Chriſtus, & latrones, qui cum eo crucifixi fuerant, diù in patibulis pependiſſent, iuſſit Pilatus, petentibus Iudæis, vt eorum crura frangerentur. Quod quidem circà duos latrones adhuc viuos milites egerunt. At Chriſtum cùm iam mortuum conſpicerent, eius crura intacta reliquerunt, lanceâ tantùm latus ei vulnerantes. *Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lanceâ latus eius aperuit.* Ioan. 19. 37. Cur Pilati mandata, & Iudæorum deſideria milites crurifragio non perfecerunt, ſed potiùs lanceâ Chriſti latus transfixerunt? Cur dum ſociorum crura fregerunt, illius etiam, qui erat intermedius, genua non comminuerunt? Cur demùm qui tot opprobria exercuerant in viuum, noluerunt crurum factione afficere mortuum? Quia cùm Chriſtus eſſet mortuus, rationabilius erat, vt vulneraretur in latere, quā vt ignominiâ maiori percuteretur in crure. Rationabile nimirùm erat minori contumeliâ crucifixum afficere mortuum, quàm latrones adhuc viuentes. Præclarè Rupertus Abbas lib. 13. in Ioan. cap. 20. *Igitur, vt ſuprà dictum eſt,* Longe Rationabilivs *fuit, vt lanceâ militis latus eius aperiretur, quàm vt crura frangerentur:* Rationabilivs, *inquam, ac decentius tanto ſalutis fuit artifici.* Rationabiliùs operati ſunt milites Chriſti latus vulnerando, quàm egiſſent eius crura cōtumelioſè frangendo, qui enim maiorem à mortuo crurifragij cōtumeliam lateris vulnere arcebāt, non niſi rationabiliter, quantùm ad hoc agebāt.

Rup. Abbat.

Leo, qui Prophetam mortuum cuſtodiuit, inſtar Creaturæ rationalis ſe habuit.

11 Non ficto, ſed pietatē mortuis exhibitā adeò rationabilē eſſe affirmo, vt ipſa quoq; animalia Bruta, cùm eam ſuo modo exercent, ratione quodāmodo prædita videantur. Prophetā, quòd Dei verbo inobediēs fuiſſet, Leo in viâ occidit, ſed ab occiſi cadauere abſtinēs, nec mēbra laniauit, nec

oſſa cõminuit, nec deniq; corpus innatâ ferocitate diſcerpſit. Quinimò defũcto in itinere proiecto aſſiſtebat, & ex occiſore cuſtos effectus, ab auiũ,& cęterarũ belluarũ laniatu ſuâ eũ pręſentiâ tuebatur. *Et Leo ſtabat iuxtà cadauer.* 3. Reg. 17. 24. Quòd ſi mirum alicui videatur, hanc feram de occiſi Prophetæ carnibus non comediſſe, deſinat mirari, quia diuino inſtinctu inſtar Creaturæ rationalis proiectum cuſtodiebat defuncti cadauer. Induere quippè viſus eſt Leo rationalitatem, cùm mortuo ſuâ cuſtodiâ exhibuit pietatem. Appoſitè Dionyſius Carthuſianus in hunc locum. INSTAR RATIONALIS CREATVRAE *cuſtodiuit occiſum, ne à beſtijs, aut auibus tangeretur.* Rationi eſt adeò conſona pietas, quæ mortuis exhibetur, vt irrationales quoque Creaturæ, cùm eam eo modo, quo poſſunt, exercent, inſtar rationalium ſe habere videantur.

Dion. Carth.

Rationabile fuit, quòd cadauer Abſalom defuncti transferretur ad locum honorabilem.

12 Abſalom victum prælio, quercuque pendentem Ioab lanceâ transfodit, ac interfectum milites in ſaltu proiecerunt, & ſuper eum aceruũ lapidum comportauerunt. Quæ poſtquam retulit ſacer Hiſtoricus, ſubdit Abſalom ſibi titulum, dum adhuc viueret, erexiſſe in valle regis. *Porrò Abſalom erexerat ſibi, cùm adhuc viueret, titulum, qui eſt in valle regis.* 2. Reg. 18. 18. Vbi quærens Abulenſis, quo pacto iſta cum Abſalom morte, ac ſepulturâ continuentur, ex ſententiâ Rabbi Dauid Kimchi reſpondet, valdè cohærere, quia cadauer Abſalom fuit à ſaltûs foueâ, in quâ illud proiecerant, ad titulum ſuum honorificè translatum, quod quidem valdè rationabiliter factum fuiſſe affirmat. *Quæretur vlteriùs, ad quid dicatur nunc de iſto titulo, quod fecerat ſibi Abſalom titulum. Reſpondet Rabbi Dauid Kimchi, quòd ponitur ad ſignificãdum, quòd oſſa Abſalom adducta ſunt de foſsâ magnâ, in quâ nunc tumulatus eſt, & poſita fuerunt apud titulum ſuum in aliquo ſepulchro, & iſtud eſt* VALDE RATIONABILE. Valdè rationabilia ſunt obſequia pietatis exhibita mortuis, & iccircò valdè rationabile fuit, quòd cadauer Abſalom defuncti à foueâ, in quâ iacebat abiectũ, transferretur ad honorabilius monumentũ.

Abulenſis.

Rationabilis fuit luctus, quo pro mortuo Tobias die feſto plorauit.

13 Diei feſti vergente ſolemnitate, ſe cum amicis opulenti conuiuij dapibus exhilarare Tobias decreuerat, iamque filium ad contribules, vt conuiuas accerſeret, miſerat, qui cùm reuerſus ei nuntiaſſet Iſraëlitam iugulatum in plateâ iacere, ac inſepultum, ſtatim ſenex ad cadauer abijt, illudque ad domum ſuam ſepeliendum portauit. Quod cùm egiſſet, paratos cibos, compatiens defuncto, cum luctu manducauit. *Cùmque occultaſſet corpus, manducauit panem cum luctu, & tremore.* Tob. 2. 5. Verùm quo pacto feſtiuitatis ſolemnitati luctûs mœſtitia congruebat? Quid mortem plorabat iugulati, dum lætitiam celebrabat diei feſti? Dum de pietate agebatur defuncto exhibendâ, rationabilis erat cauſa vertẽdi feſtiuitatem in luctum, ideòque licet dies celebraretur feſtus, voluit Tobias manducare cum luctu. Nequeo hìc ſupprimere verba Lyrani. *Mãducauit panem cum luctu, & tremore, memorans illum ſermonẽ, quem dixit Dñus per Amos Prophetã: dies feſti veſtri conuertentur in lamentationem, & luctum, dies enim feſtus aliquando* RATIONABILITER *fit dies luctûs propter caſum ſuperuenientem.* Rationabiliter luget, qui luget, vt ſe piũ ergà mortuos oſtendat, & iccircò rationabilis fuit luctus, quo pro mortuo Tobias die feſto plorauit.

Lyranus.

Rationabilis fuit luctus, quo Dauid plorauit Saul defunctum.

14 Nec minùs rationabilis alius fuit luctus, quo Saul defunctum Dauid ſuperſtes veſtibus ſciſſis plorauit. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua, ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt.* 2. Reg. 1. 11. Cur Dauid Saul plorauit mortuum, quem hoſtem infenſum toties expertus fuerat viuum? Cur pro eo lachrymas effudit, qui pluries tentauerat eius effundere cruorem? Cur tandem fleuit vt amicum, quem ſæpè fugere coactus fuerat inimicum? Quia rationabiliter pro mortuo quoque hoſte plorandum putauit. Patronum habeo hac in re Rupertum Abbatem lib. 2. in libros Regum cap. 20. *Si ritè conſideres, planctus iſte* RATIONABILIS, *& de theſauro ſapientis prolatus eſt.* Planctum edidit rationabilem, cùm pro mortuo Dauid plorauit: nec enim niſi rationabiliter hoſtibus quoque pietas exhibetur defunctis.

Rup. Abbas.

Commemoratio mortuorũ eſt inſtituta, quia rationabile eſt illis exhibere pietatem.

15 Quòd ſi rationabilis eſt luctus, qui pro mortuis editur, multò rationabiliora ſunt ſuffragia, quæ illorum animabus in Purgatorij pœnis cruciatis exhibentur. Cur enim Eccleſia inſtituit, vt quotannis omnium commemoratio vbique celebretur defunctorum, niſi, vt oſtendat rationabile eſſe, quòd ſuffragijs viuorum animæ adiuuentur mortuorum? Optimè Henricus de Vrimariâ ſermon. 1. de defunctis. *Quia ſuffragia Eccleſiæ non proſunt electis, quia ſtatim euolant ad gloriam, nec etiam damnatis, quia ſtatim pergunt ad pœnam, ſed ſolùm animabus in* PVRGATORIO *detentis, & cum Chriſto in proximo regnaturis, ideò poſt feſtum omnium ſanctorum* RATIONABILITER *agitur commemoratio defunctorum.* Quia rationabile eſt Purgatorij animabus pietatis ſuffragia exhibere, iccircò Eccleſia inſtituit, vt ab vniuerſis Chriſtis fidelibus cõmemoratio ſingulis annis fieret mortuorum.

Henricus de Vrimariâ.

Diſcipulos cõtrà Magdalenam indignatos, quæ ad ſuam ſepulturam ſuum caput ungebat, tanquam irrationabiliter iratos Chriſtus redarguit.

16 Verùm iam tempus eſt, vt ad aliam Capitis partẽ accedamus, & eos irrationabiliter agere, qui pietatẽ denegant mortuis, probemus. Vnguẽto pretioſo à Magdalenâ ſuper Chriſti caput effuſo, vehemẽter ſunt indignati Apoſtoli, nec irã in corde continere valentes, verba quoq; iracundię plena ore protulerũt. Sed Chriſtus eorũ detractiones rigidâ increpatione redarguẽs, pro muliere illis reſpondit. *Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonũ operata eſt in me, nam ſemper pauperes habetis vobiſcũ, me autẽ non ſemper habebitis. Mittens enim hæc vnguentũ hoc in corpus meum, ad ſepeliendũ me fecit.* Matt. 26. 10. Quid autẽ Chriſtus his verbis ſibi voluerit, explicat Dion. Carthuſianus, dum ait. *Tanquam dicat* IRRATIONABILITER

Dion. Carth.

moue-

Digitized by Google

monemini contrà eam. Breuiter quidem, ſed appoſitè. Tanquam irrationabiliter detrahentes arguit Chriſtus diſcipulos, qui vnguentorum effuſionem pro defuncti ſepulturâ impedire ſatagebant, vt nobis innueret eos irrationabiliter operari, qui renuunt pietatem exhibere defunctis.

Irrationabiliter cõtrà Chriſtum, qui mortuos ſuſcitabat, iraſcebãtur Iudæi.

17 Placet inſuper ad hanc rem comprobandam illud expendere, quod Phariſæis quidam Iudæi dixerunt, qui Laaarum viderant, vt Chriſti verbis obtemperaret, ab inferis citò reſurgẽtem. Cùm enim iſti lachrymas conſpexiſſent, quas Chriſtus effudit, fremitum, quo ſe turbauit, & pietatem, quâ mortuum amicum ſuſcitauit, hæc omnia ſigillatim Phariſæis retulerunt. *Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis, quæ fecit Ieſus.* Ioan. 11.46. At nonnè Iudæi, qui Lazarum viderant, Chriſto iubente, ab inferis reſurgentem, in eum crediderunt, admirantes potentiam imperantis, dum celeritatem aſpexerunt ſuſcitantis? Cur ergò Phariſæis, qui Chriſtum oderant, hoc ſignum retulerunt, ex cuius notitiâ ſcite poterant, illos magis ad iracundiam in eum prouocandos, magiſque inuidiæ liuore cruciandos? Nunquid hoc non erat eorum odium fouere, illoſque ad inſidias, quas ei parabant, imprudenter excitare? Non hùc Iudæi ad Chriſti fidem nouiter conuerſi reſpexerunt, ſed Phariſæis Lazari ſuſcitationem nuntiauerunt, vt Chriſtum agnoſcentes in mortuos pium, iram, quâ eum perſequebantur, vt irrationabilem deponerent, quippè quæ ad pietatem, quam ille mortuis exhibebat, abolendã tendebat. Audi Lyranum ad hunc locum ita loquentem. *Dicunt Doctores aliqui, quòd hoc fecerunt bono zelo, volentes ex miraculo viſo refrænare iram eorum contrà Ieſum*, TANQVAM IRRATIONABILEM. Vt Phariſæis oſtenderent eorum irã in Chriſtum eſſe irrationabilem, pietatem, quâ mortuum ſuſcitauerat, eis nuntiauerunt, quam conſequenter impediuiſſent, ſi mortem ei, vt decreuerant, dediſſent: irrationabiliter quippè operatur, quicumque pietatem mortuis exhibendam impedire conatur.

Lyranus.

Irrationabile ſpectaculum fuit Chriſtũ mortuum pẽdere in cruce inſepultum.

18 Sed neque ab inſtituto noſtro alienum eſt, quòd, Chriſto mortuo, templi velum ſciſſum eſt à ſummo vſque ad imum. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum.* Matth. 27. 51. Hoc enim more lugentium, qui veſtes in mortuorum funeribus ſcindunt, egiſſe, docet Euthymius, propter adeò irrationabile ſpectaculum Chriſti mortui à Iudæis irriſi, à militibus blaſphemati, & in patibulo inſepulti. *Templum ſcidit velum ſuum, ſignificando, quòd propter abſurdum, ac* IRRATIONABILE *ſpectaculum lugeret.* Adeò irrationabile eſt mortuum ſine ſepulturæ honore pendere innocenter inſepultum, vt propter tam immane ſcelus in Chriſtum mortuum patratum, irrationabiles quoque, imò & inſenſatæ creaturæ lugentium habitũ induerint, & veſtes in ſignum doloris lacerauerint.

Euthymius.

Irrationabili-

19 Aduertunt Hebræi, quòd cùm Ephron Abrahę agrum obtulit, & ſpeluncam, in quâ Saram ſepeliret defunctam, eius nomen cum literâ ו ſcribitur ויען עפרון *Et reſpondit Ephron Hæthæus Abrahæ*. Gen. 23. 10. & infrà verſic. 13. וידבר אל עפרון *Et locutus eſt ad Ephron.* Poſtquam autem prædium ſuum Abrahæ non donauit, ſed vendidit litera ו ab eius nomine eſt ablata; vndè Gen. 25. 9. ſcribitur. *Et ſepelierunt eũ Iſaach, & Iſmael filij eius in ſpeluncâ duplici* אל שדה עפרן *in agro Ephron*, vbi vides literam ו ainotam. Et rurſus cap. 49. 30. idem videre licet. *Quam emit Abraham cum agro* מאת עפרן החתי *ab Ephron Hethæo.* Et iterum Geneſ. 50. 13. *In poſſeſſionem ſepulchri* מאת עפרן החתי *ab Ephron Hethæo.* Rationem verò, cur id contingat aſſignat Lyranus in Geneſ. 23. ex Hebræorum ſententiâ, vt videlicet imperfectio Ephron denotetur, qui ſuprà iuſtum pretium agrum pro mortuo vendidit, quod anteà gratis obtulerat. Nominis enim per literę ablationem diminutio, eius virtutem per actionem illam fuiſſe imminutam exprimebat. *Ephron autem*, inquit Lyranus *peccauit, quia propter dictam ſepulturam cariùs vendidit. Dicunt Hebræi, quòd ipſe Ephron oſtendit in principio, ſe multa agere, pro Abraham, & tamen in fine nihil fecit, ſed terram ſuam cariùs iuſto pretio vendidit, ideò poſteà remota eſt litera* ו *de eius nomine ad deſignandam eius imperfectionem, & ſic diminutè ſcribitur deinceps.* His addit Abulenſis illud, quod Ephron dixit, terram, quam Abrahã poſtulabat quadringentos argenti ſiclos valere. *Terra, quam poſtulas quadringentos ſiclos argenti valet.* Gen. 23. 15. falſum fuiſſe, quia rationabilẽ æſtimationem pretium iſtud excedebat. Non poterat quippè rationabilis eſſe illa æſtimatio, quâ pro mortui ſepulturâ plùs, quàm decebat, ager, & ſpelunca vendebantur. *Falſum erat*, verba sũt Abulenſis, *quia non tantùm valebat* RATIONABILI *æſtimatione.* Non fuit rationabilis æſtimatio, quâ Ephron pietatis ergà mortuam vxorem Abrahæ oblitus, tot numos ab eo popoſcit; non enim poteſt quis, niſi irrationabiliter mortuis exhibendam negligere pietatem.

æſtimatione agrum, & ſepulturam pro mortui ſepulturâ plus, quàm decebat, vendidit Ephron.

Lyranus.

Abulenſis.

20 Nadab, & Abiu filios Aaron, qui thuribulos arripuerant, eiſque alienum ignem impoſuerant, incendium à Domino egreſſum conſumpſit. Neque hac pœnâ eos mulctaſſe contentus, præcepit Deus Aaron, Eleazar, & Ithamar, ne mortuos eos lugerent, ne fortè hoc luctu ſuam cõtraherent indignationem. Adhuc tamen permiſit, vt cæteri fratres, alijque Iſraëlitæ ſacerdotes defunctos plorarent, eorumque exequias funebris pompæ ſolemnitate celebrarent. *Fratres veſtri, & omnis Domus Iſrael plangant incendium, quod Dominus ſuſcitauit.* Leuit. 10. 6. Dubium hìc non leue oritur, cur Deus, qui patri, fratribuſque propinquioribus luctũ prohibuit, ad quos magis pertinebat curare funera mortuorum, cæteris ad quos minùs id attinebat, hãc funeris curam committere vellet? Si a patre, ac fratribus indeplorati relinquendi erant, ac inſepulti, cur

Præcepit Deus vt Nadab, & Abiu mortui plangerẽtur, ne irrationabile videretur haue eis denegare pietatem.

eos lugere, ac humare cæteri, ad quos minus ſpectabat, iubebantur? In promptu eſt reſponſio Abulenſis aſſerentis, Deum hoc præcepiſſe, ne irrationabile videretur ſepulchri pompam,& exequiarum honorem prorſus denegare defunctis. *Cùm dictum ſit, quòd Aaron, & filij eius non exirent ad plangendum Nadab, & Abiu, videbatur eſſe quoddam* IRRATIONABILE VALDE, *quoniam tunc manerent indeplorati, & non factis exequiis duo illi ſacerdotes magni, quod* IRRATIONABILE *erat, nam nulli ſepulchri honor denegandus eſt. Reſpondet ad hoc Moyſes, quòd ipſi non debeant exire, ſed exibunt alij ad plangendum, ſcilicet omnes de cognatione Aaron, præter ipſum, & filios eius.* Irrationabile eſt mortuis denegare pietatem, ac proindè ne irrationabiliter Aaron, eiuſque filijs videretur Deus luctum prohibere in morte ſuorum, alijs præcepit, vt eos humarent,& exequiarum pompâ honeſtarent. Patet igitur ex his, quòd ſicut rationabiliter impenditur, ita irrationabiliter pietas denegatur defunctis.

Abulenſis.

CAPVT XXV.

Sapientis eſt in mortuos eſſe pium.

Quia Dauid ſapiens fuit, Saul, & filios eius mortuos plorauit.

1 IVxtà Sapientiæ normam agunt, qui iuxtà rationis leges operantur, quare cùm ſatis, ni fallor, luculenter præcedenti capite ſit probatum, eos rationabiliter operari, qui mortuis pietatem impendunt, hinc ſequitur ſapientiæ quoque laudem ſibi eoſdem hac pietate promereri. Vt audiuit Dauid Saul cum filijs in prælio defeciſſe, ſibique mortem, vt hoſtium opprobria declinaret, ſpontè conſciuiſſe, apprehendens mœſtus veſtimenta ſua, ea ſcidit, & vnà cum ijs, qui ſecum erant, tantorum virorum mortem plorauit. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua, ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt.* 2. Reg. 1. Quòd ſi dubitet quis, cur adeò ſolemni luctu exequias honorauerit horum mortuorum, in promptu eſt reſponſio Rup. Abb., qui lib. 2. in libros Regum cap. 20. ait Dauid virū fuiſſe cęleſti, ac diuinâ ſapientiâ prędiium, ideòque Regem, ac filios illius plorare debuiſſe defunctos: ad viros enim ſapientes in funeribus ſpectat lugere mortuorum. *Hoc planè* VIRO SAPIENTI *plangendum erat, qui ſciret in ſummâ humilitate ſibi cauendum eſſe exemplum illius, qui cùm eſſet Chriſtus Domini, ſuperbiendo ſpiritui maligno mancipare meruit, & eò vſque deuolutus eſt, vt conſulto ſpiritu pythonico, plenâ præuaricatione damnabilis vitam præſentem miſerabili fine concluderet.* Sapientis eſt mortuis exhibere pietatem; quapropter cùm Dauid eſſet vir ſapiens, Saul, & filios illius mortuos plorauit.

Rup. Abbas.

Salomoni iuſſit, vt ratione ſapientiæ Semei mortuo ſepulturam concederet.

2 Quin & hanc veritatem oſtendit, cùm morti proximus varia præcepta Salomoni tradidit, inter quæ illud etiam ei iuſſit, vt gladio interficeret Semei, qui ſibi maledixerat, dum ad caſtra proficiſcebatur. *Tu noli pati eum eſſe innoxium. Vir autem ſapiens es, & ſcies, quæ facies ei, deduceſque canos eius cum ſanguine ad inferos.* 3. Reg. 2. 9. Textus autem Hebræus, vbi nos legimus *ad inferos*, habet שאול, quod nomen, & infernum ſignificat, & ſepulchrum. Qapropter Caietanus in hac ſecundâ ſignificatione illud vſurpans, aduertit Dauidem præcepiſse quidem Salomoni, vt occideret Semei, ſed tamen eum ſimul etiam admonuiſse, vt memor ſapientiæ ſuæ illum poſt mortem ſepeliri iuberet. Dedecuiſſet quippè virum ſapiētem, qualis erat Salomon, ſepulturæ honorem denegare defuncto. Hæc ſunt verba Caietani Dauidis nomine Salomonē alloquentis. QVIA VIR SAPIENS ES, *& ſcies, quid facies ei, & facies deſcendere ſenectutem eius in ſanguine* AD FOVEAM SEPVLCHRI. Sapientiæ dignitatem pietas comitatur ergà defunctos, vndè Salomonem, qui ſapiens erat, monuit Dauid, vt Semei ſepulchrum permitteret poſt mortem.

Caietanus.

Se ſapientem Deus oſtendit ſepulturam concedens defunctis.

3 Huius quoque rei exhibet illuſtre teſtimonium ignis ille, qui a Domino egreſsus Nadab, & Abiù filios Aaron conſumpſit. Porrò incendium illud ſacerdotes iſtos ita interemit viuos, vt tamen non conſumeret mortuos, vndè & illorum cadauera extra caſtra ſepelienda extulerunt. *Confeſtimque pergentes tulerunt eos, ſicut iacebant, veſtitos lineis tunicis, & eiecerunt foras, vt ſibi fuerat imperatum.* Leuit. 18. 5. Res mira! Ignis, qui tot holocauſta vorauerat, intacta reliquit cadauera interemptorum? Ergò flammę vim quidem habuerunt occidendi, ſed non virtutem cōburendi? Incendium, quod interfecerat viuos, abſumere non potuit defunctos? Potuit quidem; ſed Deus ſuâ ſapientiâ id diſpoſuit, vt ignis puniret delicta viuorum, ſed non combureret cadauera mortuorum. Dumque hac pietate vindictas eſt moderatus, & ſepulturam conceſſit defunctis, ſuam cunctis maximè ſapientiam declarauit. Do Dionyſium Carthuſianum ad hanc mentem hic loquentem. *Ignis ille, qui tantæ fuit vigoroſitatis, quòd tot holocauſta repentè incinerauit, potuiſſet & corpora incinerare humana, ſed Deus iuſtus, ac* SAPIENS *ſuas moderatur vindictas.* Impiorum temeritatem vlciſcens, iuſtum ſe Deus oſtendit, ac ſapientem: iuſtum quidem mortem infligens viuis, ſapientem verò ſepulturam concedens defunctis.

Dion. Carth.

Abraham ſe ſapientem oſtendit, cum mortua vxoris ſepulchra poſtulauit.

4 Abrahæ poſtulanti ſepulchrum, in quo Saram vxorem mortuam humare poſset, obtulerunt Hethæi omnia ſua ſepulchra, cumque principem Dei appellauerunt. *Reſponderunt filij Heth, dicentes: Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos.* Gen. 23. 6. Mirum, quòd principem eum appellarent, qui apud eos aduena, & peregrinus, nec locum, in quo mortuam coniugem ſepelire poſset, habebat! Ergò principem agnoſcebant illum, qui vt vxorem humaret, agrum ab alijs ſuppliciter poſtulare cogebatur? Principem, non ob dignitates, aut diuitias, ſed ob virtutem, ac ſapientiam, eum appellauerunt: videntes enim

eum

Digitized by Google

eum in mortuam vxorem adeò pium, vt pro ſepulturâ illius omni affectu ſupplicaret alienos, eum ſtatim ſapientiſſimum cenſuerunt, atque ob ſapientiam, quâ præditus erat principem, hoc eſt virum principalem, dixerunt. Aptè Dionyſius Carthuſianus in hunc locum. *Ex curialitate vocabant Abraham Dominum, quia vir magnus, potens, diues, ac* SAPIENS *erat. Ideò addiderunt, Princeps Dei es apud nos. Alia litera habet, Rex Dei es, id eſt vir principalis ob tuam* SAPIENTIAM, *ac virtutem.* Ita ſapientem pietate, quam defunctæ vxori exhibuit, Abraham ſe oſtendit, vt propterea Hethæi virum principalem, quin & principem ob ſapientiam, quâ fulgebat, eum appellare voluerint.

Dion. Carth.

Idem egit, cū eam piè plorauit.

5 Sed & ſapientiam ſuam idem Abraham oſtendit, cùm eamdem vxorem ſuam mortuam plorauit. *Venitque Abraham, vt plangeret, & fleret eam.* Gen. 23. 2. His enim lachrymis, quas in coniugis exequijs pius effudit, ſapientiam ſimul, qua præditus erat, & amorem, quo eam diligebat, oſtendit. Accipe verba eiuſdem Dionyſij Carthuſiani ad hanc rem accommodata. *Sicut ſpiritaliter, ac* SAPIENTER *eam amauit, ſic moderatè eam defleuit.* Fletus rationis lege moderatus, quem in funere vxoris Abraham eius memoriæ impendit, ſapientiam illius manifeſtauit: ſapientiam enim maximam oſtendunt, qui ſuam defunctis pietatem impendunt.

Dion. Carth.

Ægyptiorum honores, quos Iacob defuncto exhibuerūt, ſapienter Ioſ. admiſit.

6 Iacob in terrâ Ægypti defunctum varijs aromatum ſtructuris pollinctores vnxerunt, & multis diebus eius mortem ex more plorauerunt. Luctûs autem tranſacto tempore Ioſeph, annuente Pharaone, vt paternum cadauer ad proprium transferret ſepulchrum, ad Chananæorum terram perrexit. Ierunt autem cum eo cuncti ſeniores aulæ Pharaonis, cæterique maiores natu regni Ægypti. *Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Ægypti.* Gen. 50. 7. Quòd Ioſeph patrem humaturus aſcenderet, congruebat quidem, nam filij eſt extrema parentibus perſoluere pietatis officia; ſed cur permiſit, vt ſecum etiam primores aſcenderent Aegypti? Cur domeſticas celebrans exequias, externas ſecum gentes aſſumpſit? Cur fratribus, & familiaribus non contentus, aulicos in ſuper, & regios miniſtros admiſit? Sapièter id egit, vt exequias paternas, nedùm Hebræorum, ſed etiam Ægyptiorum præſentiâ honoraret. Id voluit Rupertus Abbas lib. 9. in Geneſim cap. 41. *Sicut prudenter beneuolentiam quæſiuit, ſic & exequias Ægyptias* SAPIENTER *admittere debuit.* Sapienter Aegyptiorum honores, quos patri exhibebant defuncto, Ioſeph admiſit, ſapientum enim eſt non impedire, ſed potiùs pietatem defunctis exhibendam promouere.

Rup. Abbas.

Præficæ, quæ alios excitabant ad pietatem ergà mortuos, ſapientes dicebātur.

7 Hinc eſt, quòd mulieres lamentatrices, quæ alios ad lachrymas in funeribus mortuorum excitabant, quaſque Præficas Gentiles nuncupabant, quaſi funeribus præfectas, vndè Feſtus. *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris plangendi modum quaſi in hoc ipſum præfectæ*, ſapientes in ſacris libris appellantur. *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël; Contemplamini, & vocate lamentatrices, vt veniant, & ad eas, quæ ſapientes ſunt, mittite, & properent.* Ierem. 9. 17. Cur enim ſapientes dicuntur, niſi quia viuos carmine lugubri ad pietatem prouocant erga mortuos? Adeò nempè ſapientum eſt pietatem promouere mortuis impendendam, vt lamentatrices mulieres, quæ ad funereum luctum alios prouocabant, ſapientes appellari meruerint. Aptè Hugo Cardinalis ad eumdem locum. *Ad eas, quæ* SAPIENTES SUNT IN CARMINE LUGUBRI, *quæ faciliùs nos moueant ad fletum, mittite.* Sapientes dicuntur mulieres lamentatrices, quia ſuis carminibus mouebant ad fletum, aliosque ad pietatem prouocabant in exequijs mortuorum.

Feſtus.

Hugo Card.

Siſara vxor cæteris ſapientior, mulier erat lamentatrix.

8 Ex his lucem accipiet id, quod gratias Deo agens poſt victoriam Debora cecinit. *Vna ſapientior cæteris vxoribus eius, hæc ſocrui reſpondit.* Iudic. 5. 29. Hæc enim cæteris ſapientior vxoribus, mulier erat lamentatrix, quæ in funeribus plorabat mortuorum. Quare Procopius Gazæus apud Hieronymum Sopranis digreſſione 2. ad locum iſtum hæc loquitur. *Lamentatrices appellat ſcriptura* SAPIENTES, *ſicut in Ieremia, tales enim exiſtimantur ab ijs, qui in luctu ſunt conſtituti.* Ad ſapientes pertinet pietatem mortuis exhibere, ideòque mulieres, quæ hanc pietatem arte ſuâ promouebant, ſapientes à cunctis appellari conſueuerant.

Procopius Gazæus.

Nicodemus, qui Chriſtum mortuum vnxit, vir ſapiens fuit.

9 Hac item ſapientiâ ſe præditum oſtendit Nicodemus, qui aromatum libras ferè centum obtulit, quibus vngeret Chriſti cadauer. *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum.* Ioan. 19. 39. Hunc enim fuiſſe ſapientem, & magiſtrum in Iſraël ipſe Chriſtus teſtatus eſt, cùm ei dixit. *Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Ioan. 3. 10. Ad ſapientem quippè ſpectabat tantâ pietate, totque aromatum ſuaui ſtructurâ mortui condire cadauer. Opportunè Ludolphus Carthuſianus lib. de vitâ Chriſti 2. parte cap. 63. *Conceſſo autem ſibi corpore, vocauit (Ioſeph) ad ſe quemdam* VIRUM SAPIENTEM, *& largiſſimum diſcipulum Chriſti ſimiliter occultū, Nicodemum nomine.* Vir ſapiens Chriſti ſepulturæ honorem præbuit vnguentorum, nam ſapientum eſt mortuis impendere pietatem.

Ludolphus Carth.

Vt ſapienter mulier captiua ſe gereret, debebat pietatem exhibere defunctis.

10 Mulieri captiuæ iuſſit Deus, vt antequam nuptias contraheret cum Hebræo, per menſem lugubri veſte induta parentes ploraret defunctos. *Deponet veſtem, in quâ capta eſt, ſedenſque in domo tuâ flebit patrem, & matrem ſuam vno menſe, & poſteà intrabis ad eam, dormieſque cum illâ, & erit vxor tua.* Deuter. 21. 13. Sed cur antè nuptiarum ſolemnitatem tandiù lugere debebatur? Quid luctui, & lachrymis cum ſponſalitibus, & nuptijs? Quid thalamis ſponſorum cum funeribus mortuorum? Quid tandem ſepul-

chra-

chralibus memorijs cum nuptialibus conuiuijs? Adhuc tamen rectè antè captiuę nuptias hic luctus eſt inſtitutus, vt quæ ſapienter ab idolorum cultu ad legem Dei tranſibat, ſapientiæ ſuæ ſpecimen, pietatem defunctis impendens, præberet. Audiendus hic Ioſeph Hebræus lib. 4. Antiquit. Iud. cap. 8. *Elapſis autem luctûs triginta diebus: tot enim* SAPIENTI *ad deplorandos caros ſufficiunt, nuptijs dare operam liceat.* Non licebat captiuæ antè luctum ad nuptias tranſire, quia vt ſapienter ſe gereret, pietatem debebat priùs exhibere defunctis.

Ioſ. Hebræus.

Mulieres Chriſti ſepulchro aſſidentes, ſapientes appellantur.

11 Non poſſum, dum de mulieribus eſt ſermo, illas præterire, quæ tranſacto Sabbato aromata emerunt, & ad ſepulchrum, vt magiſtri cadauer vngerent, ſolicitè perrexerunt. *Et cùm tranſiſſet Sabbatum Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum.* Marc. 16. 1. Humiliter quidem de Chriſti diuinitate ſentire videbantur, dum eius corpus, ac ſi eſſet corruptioni obnoxium, vnguentis deliniebant, & aromatibus, quæ illud ſeruarent, condiebant. Adhuc tamen in hoc ſapientiam ſuam maximè oſtenderunt, quòd ſepulcbro aſſidentes, & cadauer perquirentes, defuncto pietatem exhibere ſtudebant. Subſignat Theophylactus in hunc locum. *Nihil magnum, neque dignum deitate Ieſu* SAPIENTES MVLIERES ILLAE *faciunt, aſsident ſepulchro, & vnguenta emunt, vt ſecundùm conſuetudinem Iudæorum vngant corpus, vt fragrans maneat, & ne quid fœtidum ex corruptione oriatur, & vt vnguenta, & alia, quæ virtutem ſiccandi habent, humoremque corporis abſorbent, incorruptum illud ſeruent.* Cùm ſepulchro aſſidêt, vnguenta emunt, & pietatem defuncto parant, ſapientes mulieres iſtæ appellantur, quia tunc ſapientia maximè oſtenditur, cùm mortuis pietas exhibetur.

Theophylact.

Cum Iudas honorem ſepulturæ Chriſti impedire tentauit, inſipientiam ſuam oſtendit.

12 Vndè hac ſapientiâ omninò ſe carere proditor Iudas declarauit, cùm in Magdalenā murmurauit ſuprà Chriſti caput ad ſepulturam illius vnguenta fundentem. Quem Chriſtus reprehēdens, & velut iniquum piæ actionis obiurgatorem redarguens, dixit. *Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud; pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.* Io. 12. 7. His autem inſipientiam increpare voluit Iudæ, qui vnctionis obſequium ad honorem ſepulturæ impenſum ſuâ detractione impedire tentauit. Et quidem non modicam inſipientiam præſetulit, dum pietatem pro ſepulturâ exhibitā reprehendit. Ad rem locum illuſtrat Theophylactus. *Sepulturæ meminit, perſtringens* INSIPIENTIAM EIVS, *ſi quo pacto corrigatur.* Dum ſepulturæ meminit, Iudæ inſipientiam redarguit; adeò enim ſapientis eſt ſe pium exhibere mortuis, vt non niſi inſipientes hanc pietatem impedire conentur. Quapropter & Electra apud Sophoclē inſipientem vocauit Chryſothemim, quæ ſuum luctum pro mortuo patre impedire ſatagebat.

Theophylact.

Chryſoth. inſipientiâ notata, quia pietatem impedire ſtudebat, quam Electra mortuo patri exhibebat.

Mihi cum eſto hic, me non moleſtare, ſolum Cibus: num autem non amo honorem conſequi

Neque vtiq; tu SAPIENS *certè* EXISTENS

Expende inſipientiâ notari eam, quæ à pietate quam defuncto parenti exhibebat Electram ſuis perſuaſionibus amouere conabatur.

Sophocles.

Sylla tanquā inſipiens notatus, quia ſæuus in defunctum.

13 Hunc ſapientiæ cum pietate in mortuos nexum priſci non ignorauere Gentiles, quamobrem Cicero lib. 2. de Legibus Syllam tanquam inſipientem notat, qui victoriæ fœlicitate abuſus, Caij Marij cadauer apud Anienem ſepultum vehementiore odio incitatus iuſſit exhumari, & per arua diſſipari. *Caij Marij ſitas reliquias apud Anienem diſsipari iuſsit Sylla victor acerbiore odio incitatus, quâm* SI TAM SAPIENS FVISSET, QVAM FVIT VEHEMENS. Non poterat ſane ſapientiæ laude fulgere, dum adeò impium ſe oſtendit in defunctum, quandoquidem cum hac impietate ſapientiæ gloria nullatenùs ſubſiſtere valet.

Cicero.

Sapienter fiūt ea quæ in gratiam fiūt mortuorum.

14 Contrà verò idem Cicero ſapienter egiſſe dixit Metellum Nepotem, qui accuratè Philagrum præceptorem tumulauerat, eiuſque ſepulchrum diligenter exornauerat. Vndè Plutarchus in eius vitâ hæc ſcribit. *Cùm Philagrum præceptorem (Metellus Nepos) tumulaſſet accuratiùs, impoſuit eius tumulo marmoreum coruum. Tùm Cicero. Hoc inquit* SAPIENTER *à te factum.* Sapienter fiunt ea, quæ in gratiam fiunt mortuorum: ſemper enim cum ſapientiâ pietas cohæret ergà defunctos.

Plutarchus.

Qui ſapit, pietatis obſequijs mortuos honorat.

15 Hoc idem cōfirmauit etiam apud Sophoclem in Electrâ puellarum virginum chorus, quæ cùm Electram audiſſent exorantē Chryſotemim, vt ad patris monumentum nonnulla munera deferret, quibus filialem etiam poſt mortem in eum teſtaretur pietatem, pro deprecante ipſæ quoque interceſſerunt, & Chryſotemim id facturū, quòd Electa poſtulabat, ſi ſaperet, aſſeruerunt. Nouerant nimirùm & ipſæ ad ſapientes pertinere pietatem impenſam defunctis. Sed iam verba Virginum Chryſothemim allequentium proferamus.

Ad pietatem puella dicit, tu autem,

SI SAPIES, ô amica, facies hæc.

Sophocles.

Mortuis fauet, qui ſapit, & eorum tumulos pietatis obſequiis honorat, qui ſe titulo ſapientis honoratum agnoſcit.

Sapienter Numa inſtituit, vt ea, quæ ad funera ſpectabât ſeruarentur in templo Libitinæ.

16 Quærit Plutarchus in quæſtionibus Romanis quæſt. 23. cur antiquitùs in templo Veneris Libitinæ illa ſeruarentur, quæ ad funera pertinebant mortuorum. Quid voluptatibus cum exequiis, vt apud Deam voluptatum pompa pararetur exequiarum? Quid Veneri cum funere, vt Venus ea ſuppeditaret, quibus celebrabatur funus? Quid tandem amori cum morte, vt indè parentalia extraherentur, quæ libantur mortuis, ubi numen colebatur amoris? Hoc ſapienter Numa inuenit, ut homines, qui libenter ad Venerem currebant, libenter quoque ad funera pergerent, nec abhorrerent pietatem exhibendam mortuis, dum huius pietatis inſignia in templo ſeruabantur voluptatis.

Hæc

Digitized by Google

Plutarchus.

Hæc ſunt verba Plutarchi. *Cur quæ ad funera pertinent, in templo Libitinæ vendunt, quam eamdem eſſe cum Venere cenſent? An hoc quoque vnum eſt de Numæ Regis* SAPIENTER *inſtitutis, quò diſcerent ab his rebus non abhorrere, neque pro piaculis eas ducere.* Sapienter Numa inſtituit, vt in templo Veneris ea, quæ ad funera ſpectabant, ſeruarentur, dum enim per id homines ad pietatem excitabat erga defunctos, vtique ſapientiâ ductus illud decreuit: ſapientiâ enim ducuntur, qui ad ea, quæ ſunt mortuorum viuos excitare conantur.

Plus ſapit, qui plura pietatis obſequia mortuis impendit.

17 Caput claudo, & Varronis ſententiam poſtremo loco appono, qui apud Ioannem Kirchmannum lib. 1. de funeribus Romanorum cap. 1. Heraclidem Ponticum præ Democrito laudat, quia ille iuſſit, vt cremarentur, iſte verò, vt in melle cadauera mortuorum ſeruarentur. Et ſanè maiorem ille oſtẽdit pietatem ergà defunctos; ſiquidem in combuſtione funereæ collucebãt faces, excelſæ conſtruebantur pyræ, pretioſa cremabantur aromata, lugubres canebantur næniç, & omnia tandem mortuo pietatis impendebantur obſequia. Verùm quo genere laudis pro tantâ pietate in mortuos Heraclidem Varro commendat? Audi. *Heraclides Ponticus* PLVS SAPIT, *qui præcepit, vt comburerent, quàm Democritus, qui, vt in melle ſeruarent.* Maioris ſapientiæ laudem maiori pietate in defunctos prædito tribuit, vt videlicet cognoſceremus cum hac pietate cohærere ſapientiam, & ſapientis eſſe in mortuos eſſe pium.

Varro.

CAPVT XXVI.

Stultum eſt pietatem non impendere mortuis.

Stultè cogitãt, qui mortuis pietatem denegant.

1 SIcuti pietatem ſapientia, ita impietatem in mortuos ſtultitia comitatur; quapropter hoc capite oſtẽdere decreui, quàm ſtultè agant, qui pietatem renuunt exhibere defunctis. Ieroſolymæ deſolationem, templi deſtructionem, & ſanctorum excidium plorans regius pſaltes, de eo maximè dolet, quòd ciuium interfectorum cadauera volucribus, & beſtijs crudeliter Gentes relinquerent lanianda, non tantùm viuis vitæ ſpiritum, ſed etiam mortuis ſepulturæ auferentes honorem. *Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus Cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ.* Pſal. 78. 2. At quò tam immani crudelitate barbara illa naturæ humanæ monſtra ſpectabant? Quem ſibi finem præſcribebant, dum mortuis exequiarum honorem negabant? Stultiſſimum, ac prorſus inſaniam, quâ laborabant, declarantem. Membra namque ſanctorum diſcerpebant, auibuſque, ac feris lanianda obijciebant, ne reſurrectionis gloriâ cadauera potirentur, in eo etiam dementiam ſuam oſtendentes, quòd exiſtimabant nõ poſſe Deum ad vitam corpora laniata reuocare. Adeſt Incognitus, qui hanc nobis repræſentet ſtultitiam de crudelitate Antiochi loquens, & prænotati Pſalmi locum explanans. *Mortuorum corpora dabat volatilibus Cæli, & beſtijs terræ comedenda,* STVLTE COGITANS, *quòd ſanctorum corpora per diuerſas aues, vel beſtias comeſta Deus in vnum reunire per reſurrectionem non poſſet.* Stultè cogitant, qui mortuis pietatem denegant, vndè immanitate in mortuos ad eam tyranni peruenerunt ſtultitiam, vt corpora diſcerpta per aues, & laniata per feras non poſſe ad vitam redire cenſerent.

Incognitus.

Superuacuâ furebant inſaniâ, qui martyrum membra diſcerpenda projiciebãt

2 Hinc expendens venerabilis Beda tyrannorum immanitatem, qui ſancta Martyrum cadauera diſcerpenda projiciebant, ſuperuacuâ eorũ mentes furere inſaniâ rectè affirmauit. Nec enim poteſt ſine inſaniâ crudelitas exerceri contrà defunctos. Hæc ſunt eius verba lib. 4. in Lucam c. 52. SVPERVACVA FVRVNT INSANIA, *qui mortua Martyrum membra feris, auibuſque diſcerpenda projciunt, cùm nequaquam omnipotentiæ Dei, quin ea reſuſcitando viuificet obſiſtere poſſint.* Insani ſæuiebant in mortuorum cadauera tyranni, quia fatuorum eſt, & inſaniâ laborantium debitã mortuis denegare pietatem.

Beda.

Inſaniebat Iudas, cùm vnguenti effuſionem ad Chriſtum ſepeliẽdum impedire ſtudebat.

3 Hac inſaniâ laborauit Iudas, qui cùm videret mulierem vnguenti alabaſtrum frangentem, illudque ſuper caput Chriſti Bethaniæ recumbentis religioſè fundentem, indignè tulit adeò pretioſis aromatibus ſui honorari ſepulturã magiſtri. *Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt?* Marc. 14. 4. Videsnè inſanam mentem ſtultè iudicantem, & religioſam mulieris actionem temerè vnguenti appellare perditionem? Vt quid vnguentum perdebatur, dum ad ſepulturç Chriſti honorem fundebatur? Ergo ea perduntur, quç diuino pietatis Magiſtro pietate humanâ exhibentur? Abſit; nam hæc dicens Iudas inſaniebat, quia pietatẽ ſepulturç Chriſti exhibitam impedire ſatagebat. Id ex his diſces, quæ habet Theophylactus in hunc locum. *Cùm mulier ſuam liberalitatẽ declararet,* INSANIEBAT DISCIPVLVS *vnus è duodecim.* Inſaniunt, qui pietatem defunctis exhibendam impediunt, quamobrem Iudas, qui vnctionem ad Chriſti ſepulturæ honorem impenſam proteruis verbis impedire ſtudebat, ſtultè loquebatur, & mentis inſaniam oris ſermone oſtendebat.

Theophylact.

Inſania furore agitati Iudæi Chriſtum perſecuti ſunt mortuum.

4 Nec minùs, quam Iudas inſanierunt Iudçi, qui vt Chriſti Domini reſurrectionem, ſi poſſent, impedirent, ſepulchrũ obſignarunt, Pilatum adierunt, cuſtodes petierunt, & hæc omnia Sabbato egerunt. *Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.* Matth. 27. 66. Quomodo autem die Sabbati, quem tantâ veneratione ſeruabant, ſepulchrum munierunt, lapidem ſignauerunt, & milites elegerunt? Nonnè hæc omnia Sabbati feſtiuitatem ſoluebant, & ſceleris reos illos, qui ea operabantur reddebant? Vtique; ſed inſaniæ furore agitati, dum mortuum Redemptorem perſequebantur, perfidi hæc non cogitabant Iudæi. Accinit Euthymius in eumdem locum his verbis. *Non ſo-*

Euthymius.

lùm

lùm oſtij lapidem obſignarunt, ſed & electis, quos voluerunt, militibus, huic in cuſtodes adhibuerunt, ſicut paulò poſt manifeſtabitur. Et hæc Sabbato operati ſunt OB INSANIAE SVAE FVRОREM *ſoluentes illud.* Inſaniæ furore agitati, vt Chriſtum mortuum perſequerentur, Sabbatum ſoluerunt; inſaniæ quippè furore agitantur, quicumque crudelitate in mortuos feruntur.

Ob eamdē inſaniā Sabbatum poſt Chriſti mortem ſoluerunt.

5 Quare valdè mihi arridet, quod obſeruat in eumdem locum Theophylactus, diem Sabbati, non Sabbatum, ſed alteram Diem, quæ eſt poſt Paraſceuen, appellari. *Alterâ autem die, quæ eſt poſt Paraſceuen conuenerunt principes ſacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum.* Matth. 27. 62. Cùm ſeptima dies Sabbatum Domini ſit, cur dies hæc, quæ erat ſeptima, Sabbatum nomine proprio non appellatur, ſed altera poſt Paraſceuen? Quia licet Sabbatum eſſet reſpectu aliorum, nō tamen erat, quantùm ad Iudęorum inſaniam, qui vt Chriſtum defunctum perſequerentur, Sabbati legem ſeruare non curauerunt. Audi Theophylactum. *Non nominat Sabbatum, eò quòd non erat Sabbatum,* QVANTVM AD IVDAEORVM INSANIAM ATTINEBAT; *cùm enim lex præcipiat, ne quis ſe moueat die Sabbati à loco ſuo, præuaricatores Iudæi vadunt ad alienigenam Pilatum, & non ad congregationem, quam lex permittebat.* Inſani erant Iudæi, dum adbuc mortuum perſequebantur Chriſtum, & ob ſuam inſaniam Sabbatum ſoluerunt, & opera, quæ non licebant, in eo egerunt.

Theophylact.

Stultitiæ teſtimoniū eſt impietas in defunctum.

6 Quæ item opera, etiam ſi ad Sabbati diem non attendamus, manifeſta eorum ſtultitię ſigna fuerunt. Ad Pilatum enim accedentes, ei dixerunt. *Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adbuc viuens. Poſt tres dies reſurgam. Iube ergò cuſtodiri ſepulcbrum vſque in diem tertium.* Matth. 27. 63. Quid enim eorum conſilio hæc proficere poterat ſepulchri cuſtodia? Nunquid ſi Chriſtus reſurgendi facultatem habebat, non poterat reſurgere, licet à militibus cuſtodiretur ſepulcbrum? Poterant fortè cuſtodes armati reſurgentis reſiſtere virtuti? O' Iudæorum inſaniā, qui non niſi ſtulta cogitare nouerant, dū in Chriſtum inuebebantur defunctum. Rectè D. Hilarius canone 33. in Matthæum. *Metus furandi corporis, & ſepulcbri cuſtodia, atque obſignatio* STVLTITIAE, *atq; infidelitatis teſtimonium eſt.* Stultitiæ teſtimonium eſt impietas in defunctū, ideòque dum Chriſtum perſecuti ſunt defunctum, nedùm infideles, ſed & ſtultos ſe ſe Iudæi oſtenderunt.

D. Hilarius.

Inſana erat occiſio, quâ pueri Hebræorum ſine honore ſepulturæ in flumen proijciebantur.

7 Iſraëlitarum multiplicationē onerum impoſitione impedire nitebatur Pbarao in Ægypto. Quod cùm ei non ſuccederet, ad nouam crudelitatem animum conuertit, iuſſitque populo ſuo, vt quidquid maſculini ſexûs ex Hebræis naſceretur in flumen proijcerent aquis obruendum. *Præcepit ergo Pharao omni populo ſuo, dicens, Quicquid maſculini ſexûs natum fuerit, in flumen proijcite.* Exod. 1. 22. Expende verba illa, *omni populo ſuo:* non enim hoc præceptum populo Hebræorum, ſed populo tradidit Aegyptiorum. Quare autem non coëgit Hebræos, vt ipſimet ſuos infantes in flumen proijcerent? Quia nullo pacto in hoc obtemperare voluiſſent, & quodcumque potiùs atrociſſimum genus motis ſpontè ſubijſſent, quàm vt in proprios filios adeò crudeliter inſanirent. Affero Abulenſem hæc ad prędictum locum exarantem. *Præcepit ergò Pharao omni populo ſuo, ideſt omni populo Aegyptiorum, quia ſciebat, quòd Hebræi in hoc nullo modo obedirent, & potiùs omnem atrociſſimam mortem ſpontè ſubirent, quàm vt filios ſuos in alterutrum* INSANE *occiderent.* Inſana erat occiſio, quâ interempti pueri ſine honore ſepulturæ in flumen proijciebantur, neque ad hanc inſaniam poterant quocumq; mortis metu Hebręi vrgeri.

Abulenſis.

Inſaniâ agitantur, qui vel filiis, vel parentib' mortuis pietatem denegant.

Sophocles.

8 Huic etiam veritati luculentiſſimum teſtimonium exbibuit Sophocles in Electrâ, apud quē Electra, cùm illā puellæ hortarentur, vt à luctibus temperaret, & litationibus, quas pro mortuo patre crebras offerebat, ſapienter reſpondit.

FATVVS, qui miſerabiliter
Mortuorum parentum obliuiſcitur.

Vides mulierem quoque ſapienter agnouiſſe fatuorum tantùm eſſe parentum obliuiſci mortuorum. Quod & Ouidius attigit lib. 1. de Remedio Amoris his carminibus.

Ouidius.

Quis matrem, NISI MENTIS INOPS in funere nati
Flere vetet?

Amentium eſt pietatem negare defunctis, vndè ſiue filij parentibus, ſiue parentes filijs hanc denegent pietatem, non niſi mentis inopes, & inſaniâ agitati debitis defraudant obſequijs defunctos.

Non niſi vrgente amentiâ fraudātur honore defuncti.

9 Fulcit quoque quod probamus Cicero orās pro Milone, qui mortem narrans Publij Clodij abſque ſolemnitatibus exequiarum combuſti, & potiùs abiecti, quàm ſepulti, hanc impietatem amentiæ ſatellitum eius tribuit. Siquidem non poterant, niſi amentes tam ignominiosè defuncti abijcere cadauer. *Nec verò non eadem ira Deorum hanc eius ſatellitibus iniecit* AMENTIAM, *vt ſine imaginibus, ſine cantu, ſine ludis, ſine exequijs, ſine lamētis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore, & luto, ſpoliatus illius ſupremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici ſolent, ambureretur etiam abiectus.* Vt vidit ſupremis honoribus ſpoliatum defunctum, ſtatim agnouit amentiam ſatellitum, nam non niſi vrgente amentiā debito defraudantur bonore defuncti.

Cicero.

Alexander ſe confeſſus amentem, Clytum contumelijs affecit defunctum.

10 Confirmauit hoc Alexander, qui poſtquā Clytum ſatellitis telo trucidauit, qui Philippum ſuprà eum laudauerat, cæde patratâ exultans, in mortuum crudeliter inuectus, Patris ei patrocinium obiecit. *Itaque,* inquit Iuſtinus Hiſtoricus lib. 12. *cùm vnus ex ſenibus Clytus ductus fiduciâ amicitiæ regiæ, cuius palmam tenebat, memoriā Philippi tueretur, laudaretque eius res geſtas, adeò regem offendit, vt telo à ſatellite rapto, eumdem in conuiuio trucidauerit. Quâ cæde exultans, mortuo*

Iuſt. Hiſtor.

patro-

Digitized by Google

patrocinium Philippi, laudémque paternæ militiæ obiectabat. At contumelijs poſtmodum ſatiatus, ad fletum ſe conuertit, & mortuum amplectens, dementiam, quâ eum poſt mortem contumelijs affecerat, confiteri non renuit. Quare idem ſubdit Iuſtinus. *Primùm in fletus progreſſus, amplecti mortuum, vulnera tractare, & quaſi audienti* CONFITERI DEMENTIAM, *arreptum telum in ſe vertit, peregiſſetque facinus, ni amici interueniſſent*. Quis igitur negabit amentium eſſe ſæuire in mortuos, dum ipſe quoque Alexander ſuam confeſſus eſt amentiam, quâ contumelijs Clytum affecerat defunctum?

Inſanus fuit Tyrãnus, qui mortuos canibus obijciebat

11 Hæc dementia odioſum adeò reddidit tyrannum, de quo Paulus Iouius in vitâ Ioannis Mariæ, vt nemo eum dilexerit, nemo totis præcordijs eius mortem non optauerit. Hic cùm damnatos, aut ſibi inuiſos cæde mulctaſſet, tam crudeliter ſæuiebat in mortuos, vt eos inſepultos abijceret, atq; ingentibus canibus diſcerpendos, ac deuorandos præberet. Quam feritatem populi deteſtati, veluti ſtultæ mentis inſaniam omnes horruerunt. *Oderant eum omnes, tanquam inuſitatæ immanitatis tyrannum, quòd in tantâ per nouem annos ærumnoſi imperij rerum omnium aſperitate* INSANAE FERITATIS *morbum concepiſſet vſque adeò horrendum, vt iracundiâ in rabiem versâ, damnatos, aut ſibi inuiſos voraciſſimis canibus, laniandos obijceret*. O`verè inſanam mentem, quæ adeò crudelia potuit in homines excogitare defunctos.

Paul. Iouius.

Per inſaniam vetuſta ſepulchra Cambyſes recludit.

12 Eamdem quoque contraxit inſaniam Cãbyſes, qui poſt crudelia patrata facinora, vetuſta monumenta recludere, ac mortuorum manes eſt auſus turbare. Quam ob feritatem inſani nomen apud Herodotum lib. 3. iurè promeruit. *Multa huiuſmodi* (crudelia facinora) *tam in Perſas, quàm in ſocios, cùm Memphi moratus eſt Cambyſes faciebat* PER INSANIAM; *adeòque vetuſta recludens ſepulchra mortuos aſpiciebat*. Obſerua particulam cauſalem *adeòque*, indicantem, quòd inſania cauſa fuerit, cur Cambyſes mortuorum ſepulchra crudeliter effoderet, eorumque monumenta impiè reſeraret. Inſaniâ quippè laborant, quicumque contrà mortuos crudelitatem exercent.

Herodotus.

Fatuus eſt appellatus, qui noluit abſtinere pro mortuo.

13 Finiam, illud ſubijciens, quod apud Apuleium lib. 2. Metamorph. vxor defuncti reſpondit Telephroni, qui vigilaturus ad cuſtodiam cadaueris cœnã petierat, & calices, ac diſcos. Fatuum ſcilicet eum appellauit, qui edulia, & pocula, cùm eſſet pro mortuo abſtinendum, & lugendum poſtulabat. Non enim niſi fatuus hæc pietatis obſequia poterat negare defuncto. *Abi, inquit*, FATVE, *qui in domo funeſtâ cœnas, & partes requiris, in quâ totijugis iam diebus ne fumus quidem viſus eſt vllus. An iſtic comeſſatum te veniſſe credis? quin ſumis potiùs loco congruentes luctus, & lachrymas?* Fatuus erat, quia non luctus, & lachrymas pro defuncto parabat, ſed epulas, & vina in domo funeſtâ poſtulabat. Agnoſce itaque ex his, non niſi fatuos, & inſanos ſæuire in vitâ functos, & ſtultum prorsùs eſſe pietatem non impendere mortuis.

Apuleius.

CAPVT XXVII.

Laudabiliter operatur, qui mortuorum miſeretur.

Maximã Tobias propter mortuorũ ſepulturam laudẽ promeruit.

1 LAudes explicare aggredior, quas ij conſequuntur, qui mortuis pietatem impendunt, vt quos propriæ laudes demulcent, in hac pietate has quoque facilè reperiant, quas adeò peroptant. Vt verò a ſancto ſene Tobia exordiar, obſeruo eum ſummis laudibus in ſacrâ ſcripturâ euectum, & mirificis præconijs a Spiritu ſancto commendatum. Dicitur de illo, quòd viam veritatis in captiuitate non deſeruit, quòd nihil puerile in iuuentute geſſit, quòd quæcumque habere potuit, egentibus erogauit, quòd prauorum conſortia vitauit, quòd fideliter decimas obtulit, quòd ab eſcis Gentilium ſe cuſtodiuit, quòd religioſis monitis filium inſtruxit. Exindè commendatur patientia, quâ oculorum tenebras tulit, conſtantia, quâ vxoris contumelias audiuit, feruor, quo diuinas orationes effudit, humilitas, quâ delictorum veniam implorauit, fiducia, quâ filium reuertentem expectauit, gratitudo, quâ Deum pro ſibi collatis bonis benedixit, & pietas, quâ mortuorum cadauera ſepeliuit. Quænam verò inter has omnes laudes ita emicat, vt omnium maxima iurè poſſit appellari? Profectò illa, quâ commendatur, quòd ſepulturę officia cadaueribus exhibuerit mortuorum: maximam enim merentur laudem, qui hâc ſtudent exercere pietatem. Eadem fuit mens Abulenſis, dum hæc protulit in 1. Reg. cap. 31. EST DE MAXIMA LAVDE TOBIAE, *quia cùm ſciret quemdam eſſe iugulatum in plateâ, ſepeliuit illum, exponens ſe ad mortem*. Maximam promeruit laudem, cùm maximam defunctis impendit pietatem; maximis namque laudibus euehitur, qui miſericordiâ in mortuos fertur.

Abulenſis.

Ore Angelico propter pietatem erga mortuos commendatur Tobias.

2 Quinimò hac pietate adeò laudum præconia meruit, vt Angelum habuerit operum ſuorũ laudatorem. Quis namque præconia non admiratur, quibus illum Raphaël Archangelus extulit, poſtquam incolumem ad eum filium reduxit? *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tuâ, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino, & quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te*. Tob. 12. 12. Poteratne ore Angelico ad maiores laudes homo extolli? Vt quid autem his laudibus adeò Tobiam Archangelus extulit, niſi quia ille ſupremi donauerat muneris officio defunctos? Offerunt iſtud hæc Magni Alberti verba in Luc. 9. *Hoc* (officium pietatis in defunctos) *eſt* AB ANGELIS COMMENDATVM Tobiæ 12. *Quando reliquiſti prandium, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. Hoc enim dixit Raphael Angelus*. Nec minùs clarè id attigit idẽ

Alb. Magn.

in

Dion. Carth.

in Luc. 9. Dionyſius Carthuſianus. *Mortuos ſepelire eſt vnũ de operibus miſericordiæ, de quo & ſpecialiter* ORE ANGELICO COMMENDATVR TOBIAS. Tot laudes merentur pij ergà mortuos, vt ore quoque Angelico propter hanc pietatem commendentur.

Reſpha magnis laudibus fuit commendata, quia cuſtodiuit cadauera mortuorum.

3 Cùm Dauid, vt iram ſedaret Gabaonitarũ, quinque filios Saul crucis morte mulctaſſet, Reſpha, quæ duos ex ipſis pepererat, eorum cadauera in patibulis appenſa deſerere noluit, ſed ſubſtrato ſibi ſuprà petram cilicio, ea die, ac nocte, ne ab auibus, aut feris diſcerperentur, cuſtodiuit. Hæc autem omnia, quæ geſſit, nuntiata ſunt Dauid; quapropter iuſſit, vt ſepulturæ cadauera traderentur. *Et nuntiata ſunt Dauid, quæ fecerat Reſpha filia Aia, concubina Saul.* 2. Reg. 21. 11. Poteſt quis hic ſciſcitari, quamobrem hæc Reſphæ geſta fuerint Dauidi ſigillatim nũtiata? Nunquid vt eam puniret, quæ cadauera in patibulis, vt lacerarentur, ſuffixa tantâ cuſtodierat ſedulitate? Minimè; ſed vt Reginam cõmendaret, quæ, vt filijs mortuis pietatem impẽderet, adeò duros non horruit ſubire labores. Huc ſpectauit Abulenſis. VALDE LAVDANDA *fuit Reſpha, quæ tam duros, & horrendos labores ſuſtinuit, vt honorem quemdam defunctis impenderet.*

Abulenſis.

Laudantur, qui mortuos honorant, atque adeò Reſpha, quæ tantâ pietate cadauera ſeruauit mortuorum, non punita, ſed magnis fuit laudibus commendata.

Booz laudatur, quia gratiam ſeruat mortuis.

4 Nec minùs laudabilem ſe oſtendit Booz, qui Ruth Moabitidem humaniter excepit, & vt in ſuo agro ſpicas colligeret, benignè permiſit, quin & vt de meſſorum cibis partes ei tribuerentur, præcepit. Quod cùm agnouiſſet Noëmi, ei benedixit, virumque tantâ pietate præditum ſummis laudibus euexit. Cùm enim hoc præſtitiſſet, vt mortuis, quorũ vxor fuerant Ruth, & Orpha, gratiã haberet, ſummis propter hãc pietatẽ laudibus commendari merebatur. *Benedictus ſit à Domino, quoniam eamdem gratiam, quam præbuerat viuis, ſeruauit, & mortuis.* Ruth. 2. 20. Ad quæ verba inquit idem Abulenſis. *Referebat Noemi de hoc gratias, quia faciebat Booz tanquam vir bonus,* ET LAVDABILIS; *ſolent enim mortui tradi obliuioni.* Dũ mortuos obliuioni non tradebat, ſed eorum intuitu viuis beneſaciebat, valdè laudabiliter operabatur, & ideò ſummis à Noëmi laudibus commendatur.

Idem.

Ruth commẽdatur, quia memoriã ſeruat viri defuncti.

5 Imò ipſa quoque Ruth pietate iſtâ laudes conſecuta eſt ipſius Booz, cuius pedibus cùm noctũ occultè adhæſiſſet, atque ab eo interrogata reſpondiſſet, ſe vt pietatem viro defuncto exhiberet ſuſcitatione ſeminis, ad illius cognatum veniſſe, ſtatim à Booz benedicta, & ſummis laudibus ob ſuam miſericordiam fuit euecta. *Benedicta, inquit, es à Domino filia, & priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti, quia non es ſecuta iuuenes pauperes, ſiue diuites.* Ruth. 3. 10. Quas laudes expendens B. Theodoretus hic. *Illa,* inquit, *ei reuocauit in memoriam defuncti cognationem. Ille autem factum quidem* LAVDAVIT, *temperantiam autem non prodidit, ſed legi conſeruauit nuptialem congreſſum.* Laudauit vir pius mulierem defuncti viri memoriam procreatione prolis excitare ſtudentem, vt innueret laudum præconia eos mereri, qui apud ſe memoriam ſeruant mortuorum.

Theodoretus.

Ioſeph Arimathæus laudatus ab Euangelio propter pietatem, quã Chriſtũ mortuũ ſepeliuit.

6 His addo Ioſeph Arimathæum, cuius laudes adeò ſunt notæ, vt nemo, niſi Euangelium ignoret, eas poſſit ignorare. Nobilis quippè Decurio, diuitijs præditus, iuſtus, & bonus, ac regnum Dei deſcribitur patienter expectans. Has autem cur meruit laudes, niſi quia ergà defunctũ magiſtrum pius, illius cadauer à Pilato petijt, & vnguentis pretioſis perfuſum honorificè ſepeliuit? LAVDABILITER, inquit D. Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 3. *commemoratur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum diligenter, atque honorificè tegendum, ſepeliendumq; curauit.* Laudauit Euangelium, quem pietas cõmẽdauit in defunctum: laudibus enim attolluntur Euangelicis, qui mortuos proſequuntur ſanctæ pietatis obſequiis.

D. Auguſt.

Laudabilis eſt cõſuetudo, quâ ſimul ſepeliuntur propinqui, & amici.

7 Abraham in ſenectute bonâ defunctum ſepelierunt Iſaach, & Iſmaël filius eius in ſpeluncâ duplici, quam emerat ab Ephron, & in quâ ipſe Saræ vxoris condiderat cadauer. *Et ſepelierunt eum Iſaach, & Iſmael filij ſui in ſpeluncâ duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron filij Seor Hethæi è regione Mãbre, quam emerat à filijs Heth, ibi ſepultus eſt ipse, & Sara vxor eius.* Gen. 25. 10. Conſueuerant olim antiqui, ſicuti & nos ſolemus, diligenter cauere, vt coniuges, amicos, & propinquos defũctos in vno, eodemque ſepulchro humarent. Hinc Abulenſis in Geneſ. cap. 23. ait. *Semper Patriarcharum mos fuit vxores ſuas apud ſe facere ſepeliri,* & Oleaſter in Numer. 20. aduertit phraſim Hebraicam ſæpè in ſacrâ ſcripturâ adhibitam, *congregari, vel colligi ad populum ſuum,* indè originẽ habere, quòd ſolebant homines eiuſdem ciuitatis communem habere locum ſepulturæ. *Si cupis ſcire, quare de aliquo mortuo dicatur, eſſe congregatum, ſeu collectum ad populum ſuum, quemadmodum de Abraham dictum eſt* Gen. 25. *& de Iſmaele filio eius, dico, quòd quia ſolebant homines eiuſdem ciuitatis, aut loci habere communem locum ſepulturæ, ſcilicet aliquem agrum, ita quòd quemadmodum viuentes in eâdem ciuitate, vel loco aggregabantur, ita & poſt mortem in eodem loco ſepeliebantur, & hac de cauſâ dicuntur colligi ad populum ſuũ.* Nec profani deſunt hunc morem teſtãtes authores. Nam Apuleius inquit lib. 8. Metamorph. *Vnitâ ſepulturâ ibidem marito perpetuam coniugem dedere,* & Valerius Maximus lib. 4. cap. 6. *Quẽ amici ſicut erat togatum, & calceatum corpori coniugis iunxerunt,* & Ouid. lib 4. Metamorph.

Mos ſepeliẽdi in eodẽ ſepulchro propinquos, & amicos.

Abulenſis.

Quid ſit colligi, & congregari ad populum ſuum.

Oleaſt.

Apuleius.

Val. Max.

Vt quos certus amor, quos hora nouiſſima iunxit
Componi tumulo non inuideatis eodem.

Ouid.

Quin imò obſeruo nomina amantium in eodem lapide ſculpta fuiſſe, dum non poterant ſimul corpora humari, vt ſaltem in eodem nomina iungerẽtur ſepulchro. Quod diſco ex Ouid. lib. 11. Met.

Mos inſculpendi eodẽ in lapide nomina, cùm nõ poterãt ſimul ſepeliri cadauera.

Sed

Ouidius.

Sed neque pugnabo, nec te miſerande relinquam
Et tibi nunc ſaltem veniam comes, inq; ſepulchro
Si non vrna, tamen iunget nos litera, ſi non
Oſſibus oſſa meis, at nomen nomine tangam.

Adeò quippè receptum erat apud propinquos, & amicos vnà ſepeliri, vt dũ non poterant cadauera, ſua voluerint eodẽ in ſepulchro nomina collocari. Hunc igitur laudabilem morem ſecuti filij Abraham, eum vnà cum Sarâ ſepelierunt; nec enim valdè laudabilis non poterat eſſe conſuetudo, quæ tantam ergà mortuos pietatem redolebat. Accinit Oleaſter in Geneſ. 15. *Oleaſter.* LAVDABILIS *profectò conſuetudo, vt quos vna domus viuos collegit, eos mortuos eadem recipiat ſepultura.* Laudabilia ſunt quæcumque defunctis exhiberi conſueuerunt pietatis obſequia, vndè Iſaach, & Iſmael conſuetudinem tanquam laudabilem ſecuti ſunt, quâ coniuges in eodem ſimul ſepeliri ſolebant monumento.

Qui miſerentur mortuorum, laudib⁹ attolluntur Prophetarũ.

8 Nec tantùm Euangelicas, ſed & Propheticas meruit vir iſte pius laudes. Aduerto Dauidẽ initio Pſalmorum virum ſupremis laudibus commendare, qui ab impiorum conſilio recedens, & iniquorum vias deſerens Domini legem non dereliquit, ſed ei toto cordis affectu adhæſit. *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in viâ peccatorum non ſtetit, & in cathedrâ peſtilentiæ non ſedit, ſed in lege Domini voluntas eius.* Pſalm. 1. 1. Vbi quærendum cenſeo, qui vir ille fuerit, cuius laudibus voluit Dauid ſuorum initium honorare Pſalmorum. Nunquid Chriſti præcurſor, qui antra petijt deſerti, ne animum culpis contaminaret, & Iordanis ripas incolens, ad ſe venientem meruit baptizare Redemptorem? Nunquid Petrus, qui Chriſti vicem gerens in terris, ianuas reſerare Cœlorum, & portas potuit confringere inferorum? Nunquid Ioannes, qui ſingulariter à Chriſto dilectus, cæteris altiùs à Domino meruit honorari? Nequaquam; ſed Ioſeph Arimathæum Dauid commendauit, qui ab impiorum conſilio receſſit Phariſæorum, nam *hic non conſenſerat conſilio, & actibus eorum.* Luc. 23. 51. & legi Domini immaculatus adhæſit, nam *erat decurio vir bonus, & iuſtus.* Luc. 23. 50. Dauidicos autem honores, propheticaſque laudes propter pietatem promeruit, quâ Chriſtum ſepeliuit defunctum. Egregiè Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 42. *Oportuerat ſepultorẽ Domini* PROPHETARI, AC IAM TVNC MERITO BENEDICI. *Tertullianus* Iurè laudatus, meritò benedictus, ac rectè fuit à Dauide commendatus, quem tanta ergà defunctum commendabat pietas, quatenùs agnoſceremus, eos, qui miſerentur mortuorum, laudibus quoque attolli Prophetarum.

Mulieres, quæ Chriſti ſepulchrum adierunt, Oſea prophetia laudauit

9 Quod & Oſeas confirmauit, dum ait. *In tribulatione ſuâ manè conſurgent ad me.* Oſeæ 6. 1. Hic enim idem Tertullianus eodem loco cap. 43. mulieres intelligit prophetatas, quæ in ſuâ, quâ ſe plorabant deſtitutas, tribulatione, manè conſurrexerunt, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad Chriſtum, vtque illius cadauer vnguentis oblinirent, perrexerunt ad ſepulchrum. Meritò enim propheticis laudibus commendantur, quæ tantâ pietate mortuo aſtiterunt, eique ſuauem aromatum fragrantiam parauerunt. *Nec mulierum illarum officium* (verba ſunt Tertulliani) *præterit* PROPHETIA *quæ ante lucem conuenerunt ad ſepulchrum cum odorum paraturâ. De hoc enim per Oſee: Vt quærant, inquit, faciem meam, antè lucem vigilabunt ad me.* *Idem.* Propheticis laudibus euehuntur, qui mortuos pietate proſequuntur, ideòque mulieres in Chriſtum mortuum religioſâ pietate clementes Oſeæ prophetia commendauit.

Euangelica quoque laudes earum deſiderium commendauerunt

10 Quin & Euangelicas laudes hac pietate meruerunt, vndè Matthæus ait eas veniſſe veſpere Sabbati, vt ſepulchrum viderent, & Chriſti cadauer vngerent. *Veſpere autem Sabbati, quæ lucèſcit in primâ Sabbati venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum.* Matth. 28. 1. Ab hoc verò Euangeliſtâ cæteri diſcrepare videntur, qui non veſpere, ſed eas diluculo veniſſe ad Chriſti monumentum affirmant. Hinc Marcus cap. 16. 2. *Et valdè manè vnâ Sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam ſole.* Lucas cap. 24. 1. *Vnâ autem Sabbati valdè diluculo venerunt ad monumentum,* & Ioannes cap. 20. 1. *Venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum.* Non tamen inter ſe diſcrepant, qui eodem Spiritu dictante ſcripſerunt, ſed cæteri dixerunt, quandò mulieres peruenerint, Matthæus verò, quandò venire cæperint, vt earum quoque deſiderium, quo pietatem mortuo exhibere ſatagebant, commendaret. Præclarè Rupertus Abbas lib. 13. in cap. 20. Ioannis. *Rup. Abbas.* *Falsò quidam Euangeliſtas calumniati ſunt, quòd contraria dixiſſent in eo, quòd Matthæus veſpere Sabbati, cæteri primâ Sabbati diluculo mulieres veniſſe dixerunt ad monumentum; Matthæus enim vt earum* COMMENDARET *deſiderium, quando venire cæperunt, cæteri dixerunt, quando peruenerint.* Nedùm propheticæ, ſed etiam euangelicæ laudes mulieres in defunctum pias euexerunt, ita vt etiam earum commendatum ſit deſiderium, quo veſpere Sabbati ad monumentum pergere cæperunt.

Vnguentis, quæ ad ſepeliendum mortuum effudit, laudes, quibus in Euangelio commẽdatur, Magdalena promeruit.

11 Dum autem de mulieribus ago, quæ Chriſti ſepulturam honorauerunt, religio eſſet ea omittere, quæ Magdalena egit, vt Chriſti ſepulturam honoraret. Videns namq; Chriſtum in domo Simonis Leproſi Bethaniæ recumbentem, onuſta vnguentis acceſſit ad eum, frangenſq; ſollicitâ pietate alabaſtrum, caput perfudit Redemptoris, anticipatas corpori iam morituro exequias perſoluens. Quod cùm diſcipulis moleſtè ferrẽt, eos Chriſtus increpauit, dicens. *Amen dico vobis, vbicumq; prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Matth. 26. 13. Ad quæ verba D. Ioan. Chryſoſt. *D. Io. Chryſ.* in catenâ hæc fatur. *Ecce autem quod dixit factum eſt, & vbicumq; terrarum abieris, videbis hanc mulierem famoſam effectã, quod virtute prædicentis effe-*

O tit.

Digitized by Google

cit. *Et regum quidem multorum, & ducum victoriæ ſilentur, & multi, qui ciuitates conſtruxerunt, et gentes multas ſeruituti ſubegerunt, neq; ex auditu, neq; ex nomine ſunt cogniti; quoniam autem hæc mulier oleum effudit in domo leproſi cuiuſdam, duodecim viris præſentibus,* HOC OMNES CONCINVNT PER ORBEM TERRARVM, *& tempus tantum pertranſijt, & memoria eius, quod factum eſt, non eſt labefacta.* O' verè aurei oris elegantia verba, quibus & mirificè Magdalenæ laudes extulit, & facundè nominis illius celebritatem explicauit. Quibus & ea poſſumus addere, quę habet D. Auguſt. lib. de cura pro mortuis gerendâ cap. 2. *Ipſe Dominus die tertio reſurrecturus religioſæ mulieris bonum opus* PRAEDICAT, PRAEDICANDVMQVE COMMENDAT; *quòd vnguentum pretioſum ſuper membra eius effuderit, atq; hoc ad eum ſepeliendum fecerit.* Vnguentis, quæ ad ſepeliendum mortuum effudit, laudes, quibus iu Euangelio adeò commendatur, Magdalena promeruit. Quas laudes clariſſimè Lyranus explicauit in cap. 26. Matthæi, dum ait. *Dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius, ideſt ad* LAVDEM *eius recitabitur tanquam factũ virtuoſum, & hoc patet adimplętum.* Aduerte laudes Magdalenæ vnguentorum effuſione Chriſti ſepulturam honorantis vbique, Chriſto promittente, ac prędicente, celebratas.

D. Auguſt.

Lyranus.

Hac pietate nominis celebritatẽ apud omnes acquiſiuit.

12 Hinc eſt, quòd ab hac vnguentorum effuſione nomen accepit, vndè cùm Ioannes caſtellũ Mariæ, ac Marthę, vbi Lazarus ægrotabat, deſcripſiſſet, vt Mariam à cęteris mulieribus diſtingueret, dixit eam eſſe, quæ Chriſtum vnguento perfudit. *Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento.* Ioan. 11. 2. Hæc nimirùm vnctio adeò celebre Magdalenæ nomen effecit, ac notum, vt ab omnibus ratione operis tam pij agnoſceretur. Rectè Euthymius in hunc locum. *Huiuſmodi opus* NOTAM, AC CELEBREM *fecerat.* Per pietatẽ, quam Chriſti ſepulturę vnguentis effuſis hæc mulier impendit, vniuerſalem notitiam, & nominis celebritatem apud omnes nationes acquiſiuit.

Euthymius.

Laudes, quibus Iudas Machabæus Spiritu Sancto commendatur, à charitate in mortuos prouenerunt.

13 Quis laudes ignorat, quibus in ſacris voluminibus Iudam Machabæum Spiritûs ſancti calamus euexit? Nemo, qui Machabæorum libros legerit, neſcire poteſt præconia, quibus hic fortiſſimus Dux commendatur. Si quis verò tot laudum, quibus attollitur, rationem petat, agnoſcat eum ergà mortuos milites clementiſſimum pro eis oraſſe, duodecim millia drachmas argenti collegiſſe, & vt pro eorũ animabus ſacrificia offerrentur, ſolicitè curaſſe. *Et factâ collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè, & religioſè de reſurrectione cogitans* 2. Machab. 12. 43. His namque pietatis obſequijs mortuis exhibitis laudes, quibus adeò in ſacrâ ſcripturâ commendatur, ſibi accumulauit. Hoc debeo D. Ioanni Damaſceno oratione de ijs, qui in fide obdormierunt. *Vide quæſo, quid diuina enarret hiſtoria, Iudam Machabæum in Sion ſummi Regis ciuitate, cùm populum, qui illic degebat, ab externis hoſtibus interfectum conſpexiſſet, excuſſis mortuorum ſinibus idola incluſa reperiſſe, pro quibus ſtatim Deum orauit, quem ad miſericordiam propenſum eo modo ſingulis, omnibuſque placauit, & leniuit, quâ pietate, & ſummo ergà illos amore effectum eſt, vt Iudam ſacra Scriptura, cùm in hac re, tùm in cæteris omnibus* SVMMOPERE LAVDAVERIT, *atque admirata ſit.* Non poterat ad rem noſtram aptiùs, aut luculentiùs Iudæ laudes explicare, quas omnes à pietate, quam mortuis exhibuit, proueniſſe clarè teſtatur.

D. Ioannes Damaſcenus.

Viri Iabes ex ieiunio, quo ſuffragati sũt animabus defunctorum, multas laudes retulerũt

14 Hoc etiam contigit viris Iabes Galaad, qui cadauera Saul, & filiorum eius de muro Bethſan, vbi pendebant, ſuſtulerunt, eiſq; ſuprema pietatis munera ſepulturæ officio exhibuerunt. Quin & ſeptem diebus pro animabus eorum ieiunauerunt. Horum igitur virorum pietatem cùm Dauid agnouiſſet, nuntios miſit, qui ſuo nomine illos benedicerent, & præmia tùm à Deo, tùm à ſe conſequenda promittentes, eos laudarent. *Miſit ergò Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos, Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam, & veritatem, ſed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum iſtud.* 2. Reg. 2. 5. Audi Abulenſem Dauidicas laudes his viris exhibitas propter pietatem, quâ ieiunauerunt pro defunctis, aſſerentem. *Ieiunauerunt ſeptem diebus pro Saul, & filijs ſuis, & non ex præcepto, nec ex conſuetudine: fuit autem iſtud opus ſupererogationis, vnde Dauid* NIMIS LAVDAT *viros iſtos.* Ex ieiunio, quo defunctorum animabus viri Iabes ſuffragati fuerunt, tot laudes retulerunt, vt quodammodo nimis à Dauide pro ſuâ pietate laudati videantur.

Abulenſis.

Immodicè Ioannes commendatur, quia citiùs alijs ad monumentum cucurrit.

15 Sed inter tot laudum præconia non ſunt ea ſupprimenda, quibus attollitur Ioannes Apoſtolus: paſſim enim ſacræ literæ teſtantur, eum fuiſſe à Chriſto Domino ſpecialiter dilectum, virginitatis prærogatiuâ conſpicuum, Virginis Deiparæ filium, ſuper diuinum pectus recumbentem, ſecretorum cœleſtium participem, omniumque virtutum fulgore nitentem. Vndè autem beato iſti Apoſtolo tot prouenerunt laudes, niſi ex pietate, quam ergà Chriſtum defunctum oſtendit, dum ad illius monumentum, cæteris feruentior, Petro ipſo citiùs cucurrit? Accipe id à calamo D. Ambroſij lib. de 42. manſionibus, manſione 26. *Diſcipulus ille, qui citiùs Petro ad monumentum præcucurrit,* IMMODICE' COMMENDATVR. Immodicas laudes immodica parit pietas in defunctos, & idcircò qui ad monumentum immodicâ velocitate cucurrit, immodica laudum præconia ſibi acquiſiuit.

D. Ambroſius

Chriſtus propter pietatẽ, quâ ſuſcitauit Lazarũ, à Iudæis commendatus.

16 Quid? quòd Chriſtus ipſe pietate defunctis exhibitâ honorificè ab hominibus eſt cõmendatus? Vt quid enim audientes turbæ Chriſtũ venire Ieroſolymã, ei cum ramis palmarũ obuiã proceſſerunt,

Digitized by Google

ſerunt, & Regem eum eſſe Iſraël cecinerunt? *Acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, & clamabant, Hoſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Iſrael*. Ioan. 12. 13. Non alia occurrit harum laudum cauſa, præter pietatem, quâ Lazarum mortuum reuocauerat ad vitam: ſemper enim pietatem defunctis impenſam laudum præconia comitantur. Doctè Rupertus Abbas ad prædictum locum hæc loquitur. *Propter hoc maximè ſignum exierunt poſtmodum turbæ obuiam illi cum ramis palmarum*, CLAMANTES: HOSANNA FILIO DAVID. O' laudabilem, ac prorsùs ab omnibus commendabilem pietatem, quæ Iudæorum quoque Chriſti hoſtium linguas ad eiuſdem laudes cogere potuit, licet inuitas.

Rup. Abbas.

17 Poſtquam Archiſynagogi filiam à morte idem Chriſtus reuocauit, viuamq; parentibus tradidit, præcepit eis, ne cuiquam reſurrectionis miraculum manifeſtarent. *Et ſtupuerũt parentes eius, quibus præcepit, ne alicui dicerent, quod factum erat.* Luc. 8. 56. Cuius præcepti ſi cauſam inquiramus, in promptu eſt reſponſio Dionyſij Carthuſiani, qui docet id Chriſtum iuſſiſſe, quia laudes contẽnebat humanas, quibus valdè fuiſſet commendatus, ſi parentes defunctæ puellæ pietatem, quam ei reſurrectione impenderat, diuulgaſſent. *Hoc Chriſtus præcepit, non quia putauit tantum miraculũ debere celari, ſed vt nos humilitatem amare, vanitatem, & oſtentationem vitare doceret. Itaq; Chriſti exemplo* LAVDEM HVMANAM, *iactantiamq; ſpernamus.* Spreuit Chriſtus humanas laudes, quas proculdubio conſecutus fuiſset, ſi pietas, quâ mortuam ſuſcitauerat, diuulgata eſset, nam ſi Iudæi hanc agnouiſsent pietatem, non potuiſsent, licet eius operationibus infenſi, multis laudum præconijs eam non commendare.

Quia Iudæorum laudes contẽpſit, iuſſit parentibus puellæ mortuæ, ne reſurrectionis miraculum diuulgarent.

Dion. Carth.

18 Id etiam ea confirmant, quæ Iudæi dixerunt, cùm Chriſtus adoleſcentulum filium viduæ Naim, eius matri compatiens lugenti, ſuſcitauit. *Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.* Luc. 7. 16. Quò enim hæc Iudæorum verba tetenderunt, niſi ad Chriſtum, qui tantam defuncto pietatem impenderat, collaudandum? Annuit Dionyſius Carthuſianus. *Deum principaliter* COLLAVDABANT, *Ieſum vero tanquã Dei miniſtrum, per quem, & cuius ſanctitate, ac meritis Deus feciſset tantum prodigium.* Vides ab hoſtibus quoque Iudæis Chriſtum collaudatũ, dum reſurrectionis miraculo defunctis pietatem exhibebat?

Ab eiſdem propter reſurrectionem adoleſcentis Naim laudatus.

Dion. Carth.

19 Quòd ſi ab hoſtibus propter hanc pietatẽ fuit Chriſtus laudatus, multò magis à fidelibus propter eamdem miſericordiam eſt commendatus. Quod Iacob futurum prædixit, cùm Iudam à fratribus ſuis laudandum, cùm ad prædam aſcẽderet, prophetauit. *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti.* Geneſ. 49. 8. Quid enim hæc ſignificant, niſi Chriſtum à fidelibus ſuis tunc laudandum, cùm ad infernum poſt mortem deſcenderet, mortuorũ ſuorum animas erepturus, & ad Cœli gaudia euecturus? Accinit Rupertus Abbas lib. 14. in Ioan. cap. 1. *Vlulabunt ſub pedibus tuis inimici,* LAVDABVNT *verò te fratres tui. Parum eſt* LAVDABVNT, *adorabunt te filij patris tui. Adorationis autem hæc erit ratio, quia tu catulus leonis ò Iuda, catulus Leonis, inquam, ideſt filius fortiſſimi Dei, totius fortitudinis, & omnium virtutum principis, à quo tu nequaquam in aliquo degeneras. Nam ad prædam fili mi aſcendiſti, & ad nullius pauens occurſum fortiter infernum debellaſti. Igitur te* LAVDABVNT, *te adorabunt fratres tui, filij patris tui.* Tunc præcipuè à fidelibus laudatus eſt Chriſtus; cùm ad inferos, vt mortuos adiuuaret, deſcendit, vt nobis innoteſceret pietate mortuis exhibitâ laudũ præconia cumulari.

Tunc præcipuè laudatus eſt Chriſtus, cùm deſcendit ad inferos, vt mortuos liberaret.

Rup. Abbas.

20 His obſtare videntur ea, quæ Chriſtus Scribis, ac Phariſæis hypocritis eſt comminatus, qui ſepulchra conſtruebant prophetarum, & monumenta ornabant iuſtorum. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum.* Matth. 23. 29. Quo enim pacto laudem meretur pietas in mortuos, ſi Phariſæos Chriſtus reprehendit, qui eis monumenta ædificabant? Nũquid Chriſti reprehenſione redarguuntur, quę omnium laudibus commendantur? Abſit, nec enim Chriſtus eos redarguit, ex eo quòd Prophetas honorarent mortuos, ſed quia interficiebant impiâ immanitate viuos, nam ſicut illud valdè laudabile, ita iſtud admodum erat vituperabile. Audi Origenẽ Chriſti verba hoc explicatu donantem. *Quantùm ad primam faciem pertinet textus, non ſatis rationabiliter comminari videtur aduersùs eos, qui ædificant ſepulchra Prophetarum, & ornant monumenta iuſtorum. Quantum enim ad hoc* LAVDABILE ALIQVID FACIEBANT, *quia ſepulchra Prophetarum ædificabant, & ornabant monumenta iuſtorum.* Et paulò poſt. *Ergò neque propter illud, quia ædificabant ſepulchra Prophetarum, & dicebant; Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus rei, vel rei erant, vel innocentes, ſed quia rebus ipſis, & ſimilitudine factorum teſtimonium ſibi reddebant eſſe ſe filios eorum, qui occiderunt Prophetas, implentes menſuram patrum ſuorum.* Phariſæis Chriſtus comminabatur, quia ſanguinem effundebant iuſtorum, licèt aliàs laudabiles eſsent, ex eo quòd ſepulchra ædificabant mortuorum.

Phariſæi laudabiles erant quatenus ædificabant ſepulchra mortuorum.

Origenes.

21 Non cenſeo hic ſilentio prætereundos Gẽtiles, inter quos Cimon immortalem ſibi laudem acquiſiuit, dum patri ſuo defuncto ſepulturam ſpontaneis vinculis obtinuit. Quam laudem omnes alias ſuperaſse, quas potuit, aut ciuis, aut dux, aut quacumque aliâ dignitate præditus comparare, teſtatur Valerius Maximus libro 5. cap. 4. his verbis. *Nec te quidem, Cimon, ſilentio inuoluam, qui Patri tuo ſepulturam voluntarijs vinculis emere non dubitaſti, nam etſi maximo tibi poſteà, & ciui, & duci euadere contigit, plus tamen aliquantò* LAVDIS *in carcere, quàm in curiâ*

Cimon maximam laudem ſibi acquiſiuit, dum proprijs vinculis patri mortuo ſepulturam emit.

Valerius Maximus.

aſſecutus eſt. Maiorem ei laudem pepererunt vincula ſeruitutis, quàm munera dignitatis, & glorioſior apparuit in carcere pro ſepulturâ defuncti patris incluſus, quàm in curiâ pro regimine populorum euectus.

Suas Aeneas laudes auxit, cùm ſepulturæ beneficium mortuis conceſſit.

Virgilius.

22 Hic quadrant etiam carmina, quibus Virgilius lib. 11. Æneidos oratores Latinos deſcribit mortuis militibus veniam ſepulturæ petentes, & Aeneam inducit ſuprema eis officia concedentē.

Iamque oratores aderant ex vrbe Latinâ
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes:
Corpora per campos ferro quæ fuſa iacebant
Redderet, ac tumulo ſineret ſuccedere terræ.

Donatus.

Ad quę inquit Donatus hæc protuliſſe Virgilium ad augmentum laudis Aeneæ, qui mortuos iuſſit humari, & extremis pietatis obſequijs honorari. *Augmentum actum eſt* LAVDI, *cùm ij, qui dicebantur occiſi latos campos oppleſſent, & ille, qui reſiſtentes ſtrauerat, ſepeliri ſaltem iuberet exanimes, ac sineret tumulo tegi.* Suas Aeneas laudes auxit, cùm ſepulturæ iura defunctis conceſſit, augentur enim laudes viuorum, qui clementes miſerentur mortuorum.

Laudauit Cæſar pietatem hoſti Pompeio mortuo à Codro exhibitā.

Lucanus.

23 Laudes etiam expreſſit, quas viri ergà mortuos pij merentur, Lucanus lib. 8. Pharſaliæ, dum Codrum magni Pompeij humatorem alloquens ait.

Condita LAVDABIT *Magni ſocer impius oſſa*

nam ſepulturâ mortuorum merentur pij etiam laudes impiorum. Quapropter hunc locum explicans Lambertus Hortenſius, dixit LAVDEM *apud Cæſarem conſecuturum propter pietatem in hoſtem etiam.* Adeò laudabilis eſt pietas exhibita defunctis, vt non potuerit Cæſar, licet alioquin impius in Pompeium, pietatem ei à Codro ſepulturæ officio impenſam non laudare.

Lambertus Hortenſius.

Libitinarij propter pietatem ergà defunctos laudibus digni.

24 Narrat Valerius Maximus lib. 5. cap. 2. pietatem, quâ Libitinarij Hirtio, & Panſæ defunctis exequiarum apparatum, & funeris pompā proprijs impenſis exhibuerunt, eoſq; ita commendat, vt cenſeat eorum laudes per id magis augeri, quòd ſordibus, & quæſtui addicti tantam mortuis impenderint pietatem. Ita enim eſt efficax ad laudes comparandas pietas defunctis impenſa, vt ſordidiores quoque homunculos commendabiles reddat, ac laudibus dignos. *Perſeuerantis poſtulatione,* inquit Valerius, *extuderunt, vt exequiarum apparatus ſextertio nummo, ipſis præbentibus, addiceretur, quorum* LAVDEM *adiectā lege conditio auget magis, quàm extenuat, quoniam quidem quæſtum contempſerunt, nulli alij rei, quàm quæſtui viuentes.* Nemo non laudatur, qui pietatem erga mortuos exerceat, vndè viliſſimi quoque Libitinarij, cùm ſe pios in defunctos oſtenderunt, commendatione digni fuerunt.

Val. Max.

Lex Solonis laudata, quæ prohibuit, ne viui maledicerent mortuis.

25 Addo in calce Capitis, quod ait Demoſthenes oratione aduerſùs Leptinem vnā ex laudatis Solonis legibus eam fuiſſe, quâ prohibuit, ne viui maledicerent defunctis. Non potuit quippè lex illa ſummoperè non laudari, quæ impietatem viuorum arcebat à miſeriâ mortuorū.

Illa etiam, verba ſunt Demoſthenis, *Solonis lex eſt è* LAVDATARVM *numero: Mortuo nemini maledicendum, etiamsi quis à liberis eius inceſſatur maledictis.* Quibus addi poſſunt ea quæ habet Plutarchus in Solone. *Solonis ea etiam lex* LAVDATVR, *quâ vetuit mortuis maledicere.* Laudantur leges, quæ homines ab impietate remouent contrà defunctos, vt conſtet omnia tanquam laude digna commendari, quæ pietatem ergà mortuos quocumque modo exercere videntur. Itaque miſerere mortuorum quicumq; laudes aucupas viuorum; ille namque laudabiliter operatur, qui mortuorum miſeretur.

Demoſthenes.

CAPVT XXVIII.

Qui mortuos honorant à cæteris honorantur.

Pietate in mortuos honorandus probatur filius Dei.

1 HOc etiam ergà mortuos pij aſſequuntur, vt dum ſuâ pietate mortuos honorant, honoribus cumulentur à viuis. Et ſanè filium Dei proptèr pietatem, quam mortuis impendit, honorari, Chriſtus ipſe teſtatur, dū ait, *Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & maiora his demonſtrabit ei opera, vt vos miremini.* Ioan. 5. 20. Quæ namque ſunt hæc maiora, quę per filium pater operatur, niſi viuificatio mortuorum, per quam eodem prorſùs honore, quo colitur pater, proſequendus probatur & filius. Adeò nempè honorantur clementes erga defunctos, vt propter hanc clementiam non tantùm filij hominum honorentur, ſed etiam filius ipſe Dei honorandus probetur. Hæc debemus Auguſtino in Gloſsā ita loquenti. *Hæc ſunt maiora, quæ operatur per filium, ſcilicet reſurrectio mortuorum, vndè* HONORANDVS *probatur filius, sicut & pater.* Ex pietate mortuis exhibitā honorum culmina procedunt, ita vt honores etiam, qui filio Dei debentur, pietate, quam mortuis impendit, comprobentur.

D. Aug.

Chriſtus ad inferos deſcendens ab omnibus eſt honoratus.

2 Idipſum ex ijs patet, quæ protulit idem Chriſtus alloquens turbas. *Et ego si exaltatus fuero à terrā, omnia traham ad meipſum.* Ioannis 12. 32. Quid à terrā in cruce exaltatus ad ſe moriens Chriſtus attraxit? Quî omnia traxit, qui omnia, quæcumque habebat tradidit? Nonnè veſtes militibus, matrem Ioanni, Cœlum latroni, & ſpiritum tradidit patri? Quænam igitur ſunt hæc, quæ a terra exaltatus ad ſeipſum traxit? Omnia cœleſtia, terreſtria, & inferna, quę genuflexa tunc ipſum honorauerunt, & adorauerunt, cùm mortuis vitam, & vinctis in Purgatorio, & Lymbo animabus reddidit ſolutionem. Id eleganter attigit Rupertus Abbas lib. 8 in Geneſ. cap. 36. *Hoc nempè eſt, quod antequam traderetur ipſe dixit: Et ego si exaltatus fuero à terrā, omnia traham ad me ipſum. Omnia, inquam, ſcilicet cæleſtia, terreſtria, & inferna, vt iuxtà Apoſtolum in nomine Ieſu Domini noſtri omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: priùs autem inferno-*

Rup. Abbas.

infernorum, deindè cœleſtium, & poſt hæc terreſtrium. Priùs enim ad inferna deſcendit, & mortuis vitam, vinctis ſolutionem reddidit, deindè Cœlos aſcendit ADORANDVS *ab omnibus, qui iam erant in Cœlo hominum ſpiritibus, & angelis ſanctis, & poſt hæc prædicatum eſt nomen eius gentibus, vt* ADORARENT EVM *omnes reges, & omnes gentes ſeruirent ei.* Religio fuiſſet non omnia huius Patris apponere verba, quibus honores explicat, quos Chriſtus ad inferos deſcendens, vt animas mortuorum ad ſuperos duceret, ſibi comparauit.

Turba honorauit Chriſtum, qui Lazarũ ſuſcitauit mortuum.

3 Pergo, & Ieſum conſidero ſuper aſinam Ieruſalem cum triumpho ingredientem, quem vt turbę honorarent, veſtimenta ſternebant in viâ, ramos cædebant oliuarum, palmas manibus geſtabant, & Regem eum eſſe lætis vocibus clamabant. *Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in viâ, alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in viâ, turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes. Hoſanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini: hoſanna in excelſis.* Matth. 21.8. Mirum profectò, quòd Iudæi, qui Chriſtum adeò crudeliter perſequebantur, tot eum honoribus Ieroſolymam ingredientem afficerent. Quis eorum odium ita obtudit, vt pro lapidibus, quos paulò antè, vt eum lapidarent, tulerant, palmas, vt eum honorarent, geſtarent? Pietas, quâ Lazarum ad vitam reuocauit defunctum. Porrò ita honorantur pij ergà mortuos, vt ab hoſtibus quoque honore afficiantur. Do Euthymium allata verba ita explicantem. *Oſtenderunt, quòd pluſquàm Prophetam eum habebant, ideò etiam excellenti modo eũ* HONORAVERVNT. *Nam etiam modico antè tempore, cùm Lazarum reſuſcitaſſet, magnam apud eos* REVERENTIAM *acquiſiuit.* Quia Chriſtus Lazarum ſuſcitauit mortuũ, turba eum honorauit, vt diſceremus eos honoribus cumulari, qui pietate proſequuntur defunctos.

Euthymius.

Honorificè recipitur, qui mortuos pietate proſequitur.

4 Hùc tendit Ioannes, cùm ait turbam, quæ cum Chriſto fuerat, reſurgente Lazaro, teſtimonium ei perhibuiſſe. *Teſtimonium ergò perhibebat turba, quæ erat cum eo, quandò Lazarum vocauit de monumento, & ſuſcitauit eum à mortuis.* Ioan. 12.17. Vbi D. Cyrillus Alexandrinus lib. 8. in Ioannem cap. 11. hæc loquitur. *Tam* HONORIFICAE *occurſionis, atque obuiationis cauſam explicat hoc loco Euangeliſta, reddens rationem, quare obuiam ſeſe Domino turba obtulerit cum laudum præconijs, & celebritate, cùm Ieroſolymam aduentaret.* Honorificè recipitur, qui mortuos pietate proſequitur, quapropter poſt Lazari ſuſcitationẽ honorificè turba Chriſtum recepit occurrentem.

Cyrill. Alex.

Chriſtum Archiſynagogus adorauit, quia eum in mortuos pium vidit.

5 Hinc etiam eſt, quòd eundem Chriſtum adiens Archiſynagogus, vt filiæ ſuę defunctę vitam reſtitueret, procidens ad pedes illius eum adorauit. *Ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens, Domine, filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet.* Matth. 9. 18. Cur Chriſtum Archiſynagogus iſte, nihil timens Iudæorũ inuidiã tam humiliter adorauit? Cur licet in dignitate cõſtitutus ad illius pedes ſe ſe abijcere non dubitauit? Cur deniq; dum ipſum adhuc non credebat Deũ, quare non putabat eum poſſe filiam excitare, niſi præſentem, actu adorationis eum ſuppliciter eſt veneratus? An quia ei magno videbatur dignus honore, qui mortuis vitam amiſſam clementer impertibat? Certè hùc alluſit Abulenſis. *Quæretur, quare iſte adorauit Chriſtum, & qualis adoratio fuit iſta. Dicendum primò, quòd hoc fuit ad exhibendum ei debitum* HONOREM, *nam dignum erat, quòd ille, qui talia facere poterat, in* MAGNO HONORE *haberetur.* Magno coluntur honore, qui magnâ feruntur in mortuos pietate, ideóque Archiſynagogus adoratione ſupplici Chriſtũ honorauit mortuis vitę munera largiẽtẽ.

Abulenſis.

Ob eamdem rationem Sunamitis Eliſæum adorauit.

6 Eâdem quoque ratione mulier Sunamitis Prophetam Eliſæum, qui ſuum à morte ſuſcitauerat filium, corruens adorauit. *Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit ſuper terram, tulitq; filium ſuum, & egreſſa eſt.* 4. Reg. 4. 37. Quod vtique non ob aliud præſtitit, niſi vt virum ergà mortuum clementiſſimum debito proſequeretur honore. Adeſt Abulenſis ad rem noſtram his verbis locum illuſtrans. *Corruit ad pedes Eliſæi* AD HONORANDVM EVM. Vt vidit Eliſæum adeò in mortuum pium, vt ei priſtina vitæ munera pijs precibus redderet, confeſtim ſummo eum honore dignum exiſtimauit, & ideò ad pedes illius humiliter corruens, vt magis eũ honoraret, licet adhuc in hac vitâ degentem toto cordis affectu adorauit. Omni enim honore dignus apparet, qui defunctis pietatem impendit.

Abulenſis.

Giezi honoris cupidus, ni Eliſæus vetuiſſet, ſe ad ſuſcitandum mortuum ire dixiſſet.

7 Hoc agnouit etiam antè huius pueri ſuſcitationem idem Propheta Eliſæus, qui cùm miſiſſet Giezi ad filium Sunamitidis mortuum, vt vitam ei baculo reſtitueret, præcepit illi, vt neminem in itinere ſalutaret, nec ſalutanti quidpiã reſponderet. *Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi, & pones baculum meum ſuper faciem pueri.* 4. Reg. 4. 31. Cur noluit Eliſæus, quòd Giezi aliquem agens iter ſalutaret? Nonnè officiũ eſt occurrentibus debitum, eis, qui ſalutant, reddere, atque optare ſalutem? Vt quid ergò Propheta id ſeruo prohibuit ad mortuum ſuſcitandum abeunti? Nouerat Eliſæus Giezi eſſe honoris cupidum, & facilè, ſi occurrẽtes ſalutaret, eis dicturũ ſe ire, vt vitã reſtitueret mortuo, cùm videlicet ex hac ſuſcitatione maximũ ſibi honorem prouenire agnoſceret, ideòque, ne hoc diuulgaret, iuſſit ei, vt ſibi occurrentes non ſalutaret. Præclarè B. Theodoretus quęſt. 17. in lib. 4. Regum. *Quamnam ob cauſam mittens Giezi ad ſuſcitandum puerũ, iuſſit, vt ſi aliquem viderit in viâ, ne eum ſalutet, & ſi ipſum ſalutauerit, ne ei reſpondeat? Sciebat eum eſſe* HONORIS *cupidum, & cauſam dicturum.* Pietatẽ defunctis exhibitam honor comitatur, vndè ne Giezi ex pietate, quâ pergebat ad mortuum ſuſcitandum, honorem ſibi ambitiosè quæreret, iuſſit

Theodoretus.

Digitized by Google

Eliſæus. vt nemini eam diuulgaret.

Vt ſe honoris non eſſe cupidum Chriſtus oſtenderet præcepit, vt reſurrectionis miraculum ſilentio ſuppremeretur.

Ludolphus Carth.

8 Quamobrem, vt ſe huius honoris cupidum non eſſe Chriſtus oſtenderet, parentibus puellæ, quam ſuſcitauerat, præcepit, ne vlli reſurrectionis miraculum manifeſtarent. *Quibus præcepit, ne alicui dicerent, quod factum erat.* Luc. 8. 56. Cuius præcepti eam Ludolphus Carth. lib. de vitâ Chriſti 1. par. cap. 39. aſſignat rationem, quòd Chriſtus mundi contemneret, atque vitaret honorem. *Vbi ſciendum, quòd Chriſtus publicari prohibuit opera miraculorum propter mundi* HONOREM. Si pietatem, quam Chriſtus reſurrectionis miraculo filiæ Archiſynagogi exhibuit, homines agnouiſſent, ſummo Chriſtũ proſecuti fuiſsēt honore, quē honorē vt declararet ſe ſe nõ appetere, pietatē illã ſilentio ſupprimi præcepit.

Booz Ruth in mortuos piam omni honore dignam exiſtimauit.

9 Cùm Ruth in agro Booz ſpicas colligeret, eam apud illum gratiam inuenit, vt ſpicilegium ei permiſerit, ciboſque parari, quibus vnà cum meſſoribus illa quoq; veſceretur, præceperit. Quin & meſſoribus iuſſit, ne illi moleſti eſſent, etiamſi cum eis metere vellet. *Præcepit autem Booz pueris ſuis, dicens. Etiamſi vobiſcum metere voluerit, ne prohibeatis eam.* Ruth. 3. 15. Hoc autem præcepit, quia cùm omni honore mulierem iſtam dignam videret, noluit eam à quoquam affligi. *Voluit Booz*, inquit Abulenſis, *quòd nullus moleſtus eſſet huic puellæ, quia erat digna* OMNI HONORE, *ideò dixit, vt nullus affligeret eam, ſed permitterent ei quidquid vellet.* Mulierem, quæ pietatem mortuis impenderat, cui videlicet, eiuſque ſorori dixerat Noëmi. *Faciat vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis.* Ruth. 1. 8. omnem mereri cenſebat Booz honorem, ac proptereà, vt ageret quæcumque vellet, permiſit.

Abulenſis.

Turba Chriſtum ſuſcitantem mortuum Naim reuerēter timuerūt.

10 Poſtquam Chriſtus adoleſcentem, qui extrà vrbem Naim efferebatur ad ſepulchrum, ad vitam reuocauit, eiuſque matri adhuc ploranti reſtituit, omnes, qui tanto miraculo fuerant præſentes, timor non modicus inuaſit. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum.* Luc. 7. 16. Mirum, quòd cum timerent, quem ergà genus humanum experiebantur adeò pium, vt mortuis quoque priſtinæ redderet munera vitę. Tantę pietatis authori amorem potius debebant quã timorē. Cur igitur turba importuno timore gaudium turbauit reſurrectionis? Non timuerunt timore ſeruili, quo malum aliquod imminens metuerent, ſed timore filiali, quo Chriſto paternam pietatem exhibenti mortuo, reuerentiam exhibuerunt. Hæc fuit mens Ludolphi Carthuſiani lib. de vitâ Chriſti 1. par. cap. 44: *Omnes inuaſit timor ex ſtupore tanti miraculi, qui timor non fuit alicuius mali, ſed* REVERENTIAE *de potentiâ, & bonitate.* Simul ac viderunt Chriſtum in mortuum pium, eum reuerenter honorauerunt, ac timore hanc reuerentiam exprimente timuerunt.

Ludolphus Carth.

Hethæi magnâ proſecuti ſunt reuerentiâ Abraham deprecantem pro mortuo.

11 Amiſit Abraham apud Hebronitas peregrinus vxorem Saram, quare ab eis locum, in quo ſuum poſſet ſepelire mortuum, poſtulauit. Cùm autem omnes electa ſua ſepulchra ei obtuliſſent, ſurrexit Abraham, & populi beneuolentiam laudans, plurimas ei gratias egit. *Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth.* Gen. 23. 7. Vbi notat Abulenſis, Abraham dum pro mortuâ vxore ſepulchrum petebat ſediſſe, poſt Hethæorum autem reſponſionem, vt eis gratias ageret ſurrexiſſe. At cur potiùs, dum ſupplicabat, non ſtetit, vt humili corporis ſitu maiorem ſuis precibus efficaciam præberet. In promptu eſt reſponſio eiuſdem Abulenſis. *Licet Abraham, quia petebat, non ſedere, ſed ſtare deberet, tamen populus terræ* EX MAGNA REVERENTIA *fecit ſedere Abraham, qui videns tantam populi beneuolentiam, ad regratiandum ſurrexit.* Licet Abraham deprecans, non ſedere, ſed ſtare deberet, hunc tamen deprecanti pro mortuo populus Hethæorum honorem exhibuit, vt eum magnâ proſequens reuerentiâ, non ſtantē, ſed audiret ſedentē.

Idem.

Tanquam principem eũ honorauerunt

12 Quin & poſtquam eum audiuit, Principem Dei vocauit. *Reſponderunt filii Heth, dicentes. Audi nos Domine; princeps Dei es apud nos.* Gen. 23. 6. Quibus verbis eum præcipuo dignum honore, ac tanquam principem à ſe colendum eſſe declarauerunt. Aptè Dionyſius Carthuſianus in hunc locum. *Princeps Dei es apud nos, quaſi regio* DIGNVS HONORE, *quem tanquam principem* HONORAMVS. Vix Hethæi Abraham audierunt orantem pro mortuo, & ſtatim adeò excelſis honoribus eum ſunt proſecuti, vt & principem appellauerint, & veluti principem eum honorandum eſſe prudenter exiſtimauerint.

Carthuſianus

Populum in mortuũ pium Abraham honorauit cultu Duliæ.

13 Hæc cùm Abraham audiſſet, ſurrexit, ac populum admirans adeò in ſe, mortuumque ſuũ clementem, eum pronus adorauit. *Et adorauit populum terræ.* Gen. 23. 7. Cur verò infideles, ac barbaros iſtos tantâ humilitate adorauit? An quia propter eorum clementiam in ſuam vxorem defunctam ſummo eos honore dignos iudicauit. Sanè id voluit idem Dionyſius Carthuſianus. *Et adorauit, id eſt ſuppliciter* HONORAVIT, *ac cultu duliæ* VENERABATVR *populum terræ illius, filios videlicet Heth, regratiando eiſdem de tantâ beneuolentiâ, & pietate eorum ad ſe, & ad mortuum ſuum.* Homines in mortuum pios adeò Abraham honorauit, vt eos cultu duliæ venerari, ac ſupplici voluerit humilitate adorare.

Dion. Carth.

Hethæi à ſuis operibus vacauerunt, vt Abrahã ſepelientem vxorem honorarent.

14 Imò nec omittendum cenſeo, quòd Abraham emiſſe dicitur agrum Ephron, cunctis audientibus Hethæis. *Videntibus filiis Heth, & cunctis, qui intrabant portam ciuitatis illius.* Gen. 23. 28. Quam ob cauſam tot homines huic fuerunt venditioni præſentes? Nonnè poterat Ephron duobus tantùm, aut tribus teſtibus præſentibus, agrum, & ſpeluncam, quã Abraham poſtulabat, alienare? Vtiq; ſed tamen omnes adfuerunt Hethæi, quia iam ab operibus ſuis vacauerant, vt Abraham honorarent vxorem ſuam ſepelire volentem. Profert id ex Hebræorũ penu Abulenſis. *Dicunt Iudæi, quòd cuncti de terrâ illâ vacauerant ab officiis ſuis, vt* HONORARENT *Abraham, cùm ſepelire vellet vxorem.* Simul ac viderũt Hethæi Abraham

Abulenſis.

ham

ham in mortuam coniugem adeò pium, cuncta opera ſua reliquerunt, & vt eum honorarent, vxoris funeri adſtare voluerunt.

Iſraelitæ Iephte honorarunt pro mortuâ filiâ plorantem.

15 Hinc facilè ratio conſtabit, cur Iſraëlitarũ filiæ quotannis conuenirent, vt filiam Iephte Galaaditis à patre mœrente ob victoriam ſacrificatam Deo plorarent. *Exindè mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniant in vnum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Iudic. 11. 40. Hæc enim geſſerunt, vt patrem magnâ pietate pro filiâ mortuâ plorantem anniuerſario luctu, ac perpetuâ memoriâ honorarẽt. Siſtenda hìc verba, quibus id firmat Abulenſis. *Cùm ipſe* (Iephte) *nimis lugeret pro hac filiâ, quam pro victoriâ obtinendâ ſacrauerat, voluit totus Iſrael* HONORARE EVM, *magnum planctum anniuerſarium pro filiâ ſuâ celebrando.* Honorandus erat Iephte, qui mortuam filiam tantâ pietate lugebat, quare vt eum honorarent, anniuerſario luctu eam plorare voluerunt Iſraëlitæ.

Abulenſis.

Sorores Lazari ab hoſtibus honoratæ, cũ fratrem luxerunt mortuũ.

16 Dum Chriſtus ad Lazarum perrexit, vt eũ è monumento excitaret, nonnullos reperit Iudæos, qui ſorores illius adierant, vt eas conſolarentur. *Iudæi ergò, qui erant cum eâ in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam.* Ioan. 11. 31. Quam ob cauſam Iudæi ad mulieres iſtas acceſſerunt, quæ Chriſti fidem amplectebantur, eiuſque verbis toto corde adhærebant? Nunquid nõ oderant, & Chriſtum, & Chriſti diſcipulos, ita vt omnes è ſynagogâ eijcerent, quicumq; ad eos accedebant? Cur ergò ad mulieres ita in Chriſti amore feruentes, vt eas in fratris morte conſolarentur, perrexerunt? Audiamus reſpondentem D. Ioannem Chryſoſtomum apud Hugonẽ Cardinalem in Ioan. 11. *Sol ni lugentes hunc* HONOREM *accipere, vt ad ipſos veniant conſolantes.*

D. Io. Chryſ.

Adeò debitus eſt honor ijs, qui pietatem exercẽt in defunctos, vt mulieres iſtæ mortuo fratri luctu compatientes, & exequijs, ab hoſtibus quoque ſuis conſequi meruerint conſolationum honores.

Nobiliores Aegyptij, vt honorarẽt Ioſeph, cum eo iuerunt ad ſepulchrum Iacob.

17 Iacob in Aegypto vitâ functũ Ioſeph eius filius, id permittente Pharaone, ad terram tranſtulit Chananæorum, vt in paterno monumento illius cadauer humaret. Iuerunt autem cum eo cuncti ſenes domûs Pharaonis, omneſque maiores natu terræ Ægypti, vt vnà cum filio venerabilem ſenem extremis decorarent pietatis obſequijs. *Quo aſcendente ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Aegypti.* Gen. 50. 7. Quòd ſi quis dubitet, cur nobiliores Aegypti perſonæ voluerint exequias celebrare Iacob, in promptu eſt reſponſio Abulenſis, qui ait hoc Aegyptios egiſſe, vt Ioſeph regni ſui præfectum patris funus curantem honorarẽt. AD HONORANDVM IOSEPH *iuerunt cum eo illi, qui nobiliores erant genere.* Simul ac viderunt Aegyptij pietatẽ, quâ Patris defuncti cadauer Ioſeph trãſſerebat, eum honoribus proſecuti ſunt, ideòque nobiliores ex ipſis vnà cum illo vſq; ad Chananæorum terram ire voluerunt.

Abulenſis.

Ob eamdem rationem turba non modica eum eſt comitata.

18 Quin & alij præter viros nobiles cum Ioſeph iuerunt, quare turbam multam factam fuiſſe affirmat ſacra hiſtoria. *Habuit quoque in comitatu currus, & equites, & facta eſt turba non modica.* Gen. 50. 9. Qui omnes exequias paternas celebrantem comitari voluerunt, vt eum honore proſequerẽtur, ita vt & à nobilibus viris, & ab infimâ plebe vir honoraretur in mortuum patrem clementiſſimus. Annuit eodem loco Abulenſis. *Turba facta eſt non modica, imò valdè multa, quia omnes cupiebant* HONORARE *Ioſeph.* Pietatem defunctis exhibentes omnes honoribus proſequi exoptãt, vndè cùm ſtatuiſſet Ioſeph pietatẽ defuncto exhibere parenti, õnes eũ comitari voluerunt, quia omnes illũ honorare cupiebant.

Idem.

Reueritus eſt Pilatus Ioſeph Arimathæum Chriſto mortuo pietatem exhibẽtem.

19 Nunquam deſino mirari, quòd Pilatus Ioſeph Arimathæum Chriſti cadauer ad ſepulturam poſtulantem ſtatim exaudiret, ac nullâ odij Iudæorum habitâ ratione, ei, quem veluti ſeductorem, ipſis petentibus interfecerat ſepulchrales honores concederet. *Acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus.* Matth. 27. 58. Quid meruerat Ioſeph apud Pilatum, vt ab eo vix auditus exaudiretur? Quænam ei fuit facundia, vt obtineret extrema pietatis officia magiſtro in Crucis patibulo interempto? Quomodo potuit Præſidi perſuadere, vt fineret hominem adeò Iudæis inuiſum honorificè tumulari? Hunc honorem Ioſeph merebatur, vt ſuæ preces citò exaudirentur, dum pro mortui ſepulturâ benignè fundebantur. Appoſitè Ludolphus Carthuſianus lib. de vitâ Chriſti 2. par. cap. 65. *Petijt hoc ſibi concedi, quia ſecundùm leges humanas corpora damnatorum non debent ſine licentiâ deponi, vel ſepeliri, & permiſit Pilatus propter petentis* REVERENTIAM Reueritus eſt Pilatus Ioſeph Arimathæũ Chriſto mortuo pietatem exhibẽtem, & propter illius reuerentiam quidquid poſtulabat ſine morâ petenti conceſſit.

Ludol. Carth.

Angeli honorauerunt mulieres honorẽ Chriſti ſepulchro præbentes.

20 Sed multò maiorem conſecutæ ſunt honorem mulieres, quæ vt eumdem Chriſtum defunctum pretioſis aromatibus vngerent, ad eius monumentum perrexerunt. Ibi namque Angelum, qui de Cęlo deſcenderat, inuenerunt, qui poſt reuolutum lapidem, ſuper eum ſedebat. *Angelus enim Domini deſcendit de Cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum.* Matth. 28. 2. Cui loco alius opponi videtur, in quo non ſedentes, ſed ſtantes iuxtà mulieres angeli deſcribuntur. *Et factum eſt dum mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt ſecùs illas in veſte fulgenti.* Luc. 24. 4. Nunquid Angeli ſimul & ſtare poterant, & ſedere? Aut alter mentitur Euangeliſta eorũ ſitum ab eo, quem alius narrat, diuerſum deſcribens? Abſit, nam vterque verum dicit. Angeli enim primò ſederunt, ac deindè cùm mulieres viderunt, ſurrexerunt. Surrexerunt autem, vt eas honorarent, quæ honorem Chriſti ſepulchro præbebant. Non ſupprimam hìc Aloyſij Nouarini verba in cap. 28. Matthæi. *Primò ſedere Angeli*

Nouarinus.

geli

geli, tanquam cuſtodes ſepulchri, deindè dum viſi sũt à mulieribus, ſurrexerunt, quod in HONOREM *ſanctarum mulierum præſtitum eſt.* Et paulò infrà. HONORANTVR *ab Angelis mulieres, quia honorem Chriſto Domino, eiuſque ſepulchro præbuerunt.* Pietate, quâ mortuo Chriſto vnguenta parauerant, eiuſque ſepulchro vigilantes aſtiterant, eos ſibi comparauerunt honores, vt Angeli quoque illas voluerint honorare ſurgentes.

Pius in mortuum honores interdum obtinet, quos sõniauit.

21 Quid? quòd ex pietate mortuis exhibitâ honores, quos ſomniauerant, ſunt interdum homines conſecuti? Somniauit Ioſeph Solem Lunã, & Stellas vndecim antè ſuos pedes corruentes. Quod ſomnium cùm patri narraſſet, hanc accepit interpretationem. *Quid ſibi vult hoc ſomnium, quod vidiſti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram,* Gen. 37. 10. Quandò verò Iacob pater eum adorauit, niſi cùm ab eo de futurâ ſepulturâ in agro paterno promiſſionem obtinuit? Tunc nimirùm *Fide, Iacob moriens, ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium virgæ eius.* Ad Hebræos 11. 21. Vide igitur Ioſeph pietate, quam genitori poſt mortem exhibere promiſit, quem ſomniauerat, adorationis paternæ obtinuiſſe honorem. Eleganter D. Ioannes Chryſoſtomus homil. 66. in Geneſim. *Poſtquam commiſit filio de ſepulturâ, & dixit Ioſeph, ego faciam iuxtà verbum tuum, addit. Iura mihi, & iurauit ei, & adorauit, inquit, Iſrael ad faſtigium virgæ illius. Vide ſenem, decrepitum, patriarcham adoratione* HONOREM *in Ioſeph declarare, & re ipsâ implere viſionis euentum, quando enim narrauit Ioſeph viſionem, dixit. Nunquid ego, & mater tua veniemus, & adorabimus te ſuper terram?* Pulchrè dictum. Pietate quam poſt mortem patri promiſit, honorem quoque ſomniatũ Ioſeph obtinuit, qui enim pietatem ſtudet exhibere defunctis, ita honoratur, vt etiam, quos ſomniat, interdum obtineat honores.

D. Io. Chryſ.

Aegyptij honore dignos cenſebãt eos, qui cadauera curabant mortuorum.

Diodorus.

22 Sed & apud Gentiles eos, qui mortuis pietatem impendunt, honoratos reperio, vndè Diodorus Siculus lib. 1. cap. 5. refert apud Aegyptios honore dignos cadauerũ curatores haberi, quos ſalitores communiter appellabant, & cum ſacerdotibus in templis verſari. *Curatores corporis* (defuncti) *hos ſalitores appellant,* HONORE *digni, exiſtimationeque habentur: verſantur enim cum ſacerdotibus, templaque pariter ingrediuntur.* Cognouerunt Aegyptij quoque illos eſſe honorandos, qui ſeſe pios exhibent ergà defunctos quapropter eos quoque honore dignos cenſebant, qui cadauera curabant mortuorum.

Lucullus pietate in Zarbienum mortuum ingentem ſibi honorem comparauit.

23 Gordyenorum Rege Zarbieno defuncto, Lucullus, qui cum eo ſocietatem inierat, illius exequias pompâ ſolemni celebrauit, & amicum ſuum, populique Romãni ſocium appellans, ipſemet pyræ facem ſubdidit, libamina ſacrificãs effudit, & funus ſepulchralibus muneribus honeſtauit. Quâ pietate ingentem ſibi honorẽ comparaſſe in eius vitâ Plutarchus teſtatur his verbis. *Profectus in Gordyenos exequias Zarbieni celebrauit, pyræque veſte, & auro regali, & Tigrani inſtructæ ſpolijs ipſemet ſubdidit facem, ac libamina cũ amicis, & neceſſarijs illius infudit, amicum quoque ſuum, & ſocium populi Romani appellauit. Ad hæc monumentum iuſſit ei ſumptuoſum faciendum locari. Nam vis ingens pecuniæ, aurumque, & argentum reperta in Zarbieni regijs ſunt. Frumenti in horreis decies treecenta millia medimnũm condita erant. Ita & miles auctus eſt, & Lucullo fuit* INGENTI HONORI, *quòd ne teruncio quidem ex ærario accepto bellũ ipſius belli ſumptibus ſuſtineret.* Ingentem ſibi Lucullus comparauit honorem, dum celebres exequias, & ſumptuoſum Zarbieno mortuo parauit monumentum: qui enim parat mortuis pietatem, ſibi exiſtimationem comparat, & honorem.

Plutarchus.

24 Hinc eſt, quòd quamplurimos præcipuis honoribus functos in mortuos clementiſſimos fuiſſe agnouimus: nouerant quippè iſti adeò dignã eſſe honore pietatem erga defunctos, vt cenſerent eam ad viros pertinere honoribus conſpicuos. Vndè Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum Genialium cap. 7. hæc habet. *Nonnunquã primores patrum* PERFVNCTI HONORIBVS *tunicati, & diſcincti, lotis manibus, & nudis pedibus oſſa à cinere ſeparare, & colligere, eaque lacte, & vino lauare, & Deos manes aduocare.* Et eodem capite ſuprà etiam dixerat. *Plerumque ſenatorij, prætorij, & conſulares, quique ampliſſimis* HONORIBVS FVNCTI ERANT, *imperatorum, & conſulariũ virorum feretrum detulere.* Hæcque firmat Suetonius in Iulio cap. 84. *Lectum pro Roſtris in forum magiſtratus, &* HONORIBVS FVNCTI *detulerunt.* Honoribus functi præcipuam mortuis pietatem impendebant, vt nobis hac quoque ratione conſtaret, eos à cæteris honorari, qui mortuos honorant.

Honoribus functi mortuis pietatem impendebant.

Alexand. ab Alexand.

Suetonius.

CAPVT XXIX.

Gloriam conſequitur apud viuos, qui pietate proſequitur mortuos.

1 OMnes gloriæ ſtimulis excitantur, ſuique nominis celebritatem ſibi comparare peroptant, quapropter vt omnibus pietatem ſuadeam ergà defunctos, gloriam ſibi homines per eam comparare oſtẽdam. Vt verò à reſurrectione Lazari caput exordiar, obſeruo Chriſtum illius ægritudine ſibi nũtiatâ, dixiſſe amicum non ægrotare ad mortem, ſed eò tendere morbum, vt filius Dei per eum glorificaretur. *Audiens autem Ieſus, dixit eis. Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloriâ Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.* Ioan. 11. 4. Quomodo autem per ægritudinem Lazari glorificatus eſt filius Dei, niſi per id, quòd effuſis lachrymis defunctum plorauit, & ſpiritu fremente à morte ad vitam reuocauit? Glorificatur quippè, qui mortuorum miſeretur, gloriam ſibi comparans à viuis, dum pietatem impendit defunctis. Subijcio verba Ruperti Abbatis lib. 10. in Ioannem.

Suſcitãdo Lazarum glorificatus eſt Chriſtus.

Rup. Abbat.

Tunc

Tunc infirmitas ad mortem eſt, quandò propter mortem nihil quæritur, & in ipſâ morte finis conſtituitur. Hic autem per infirmitatem, vel mortem gloria Dei quæritur, ſcilicet, v. per eum, qui infirmatus moritur, ſilius Dei, RESVSCITANDO ILLVM, GLORIFICETVR. Nouerat Chriſtus per pietatem mortuo Lazaro exhibendam ſe apud homines valdè glorificandum, ideòque dixit illam ægritudinem nó tendere ad mortem, quia mors ipſa per reſurrectionem fugata hominum gloriam ei comparabat.

Diligebat eas, quæ ſibi cauſam præbebant exercendi pietatem in mortuos, tanquam vaſa gloriæ ſuæ.

2 Hanc eamdem veritatem verba ſequentia, quibus Chriſti amor exprimitur ergà Lazarum, eiuſque ſorores, manifeſtè demonſtrant. *Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum.* Ioan. 11. 5. Si enim quæratur, vndè colligatur amor, quo Chriſtus perſonas iſtas dilexit, reſpondet idem Rupertus eodem loco indè colligi, quòd ſuam gloriam per eas oſtendere voluerit, excitando ab inferis mortuum, ſepultũ, & quatriduanum. *Verè diligebat, niſi enim diligeret, non tantam in illis* GLORIAM SVAM *oſtenderet, non ſe ita per illos Filius Dei glorificaret.* Et poſt nonnulla. *Diligebat ergò eos, ſicut vaſa* GLORIAE SVAE. Adeò pietate in mortuos filius Dei glorificabatur, vt tanquam vaſa gloriæ ſuæ illos peculiariter dilexerit, qui huius pietatis exercendæ cauſam quomodocumque ſibi præbuerunt.

Idem.

Vt ex mortui reſurrectione Chriſti gloriam reſultantem impedirent, Lazarũ interficere Iudæi decreuerunt.

3 Non poterant autem hanc Chriſti gloriam reſurrectione Lazari adeò propagatam Iudæi ſuſtinere, inuidiæ liuore tabeſcentes. Quare iniqua, & peruerſa cogitantes, ac ſi Chriſtus non poſſet ſuſcitare occiſum, Lazarum interficere decreuerunt. *Cogitauerunt autem principes ſacerdotum, vt & Lazarum interficerent.* Ioan. 12. 10. Quis hìc non miretur, quòd Lazarum interficere vellent, quem defunctum ſimul cum ſororibus plorauerant? Cur qui tantam pietatem oſtenderant ergà mortuum, tantam immanitatem exercuerunt in rediuiuum? Num eos in aliquo ſeſe gens læſerat, vt propterea ei mortem infligere ſtuderent? Minimè, ſed gloriæ Chriſti, quæ reſurrectione Lazari propagabatur, inuidentes, eã ſupprimere morte illius ſtultè conabantur. Subſignat idem Rupertus. *Benè venientibus malè remanentes inuidebant, &* GLORIAE DOMINI *inuidebant.* Reſurrectione Lazari apud omnes Chriſti gloria augebatur, ac proindè vt tali augmento inuidi ſe oponerent, Lazarum interficere cogitauerunt.

Idem.

Lazarũ ægrotum non ſanauit, vt eum magis glorioſè ſuſcitaret defunctum.

4 Sed & illud in hac reſurrectione Lazari obſeruandum puto, quòd non ſtatim ac audiuit eũ ægrotare ad illum perrexit, ſed biduo in eodem loco remanſit. *Vt ergò audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.* Ioan. 11. 6. Cur non ſtatim amicum ægrotantem inuiſit, priſtinam ei reddens cum ſanitate conſolationem? Cur eum & mori, & quatriduo iacere permiſit in monumento fœtentem? An vt glorioſiùs ſuſcitaretur mortuus, quàm eſſet curatus ægrotus? Id nobis tradit Ludolphus Carthuſianus lib. de vitâ Chriſti par. 1. cap. 17. *Diſtulit ſanare, vt poſſet reſuſcitare: ad maiorem enim miraculi certitudinem, & euidentiam expectauit, vt illius quatriduum compleretur, ac mirabiliùs, &* GLORIOSIVS *ſuſcitaretur.* Pietate, quam defunctis impendebat, gloria Chriſti augebatur, vndè glorioſiùs Lazarum ſuſcitauit mortuum, quàm curaſſet ægrotum, ideòque non ægrotum ſanare, ſed eum voluit viuificare defunctum.

Lud. Carth.

Iuſſit parentibus puellæ defunctæ Chriſtus, vt tacerent, ne gloriæ cupidus videretur.

5 Archiſynagogi filiam, omnibus eiectis, præter tres Apoſtolos magis dilectos, & patrem, ac matrem puellæ, diuinæ vocis imperio à morte reuocauit Chriſtus ad vitam. Quæ cùm ſurrexiſſet, & vt vitam ſibi denuò communicatam demonſtraret, comediſſet, iuſſit Chriſtus illius parentibus, ne cuiquam patratum miraculum manifeſtarent. *Et ſtupuerunt parentes eius, quibus præcepit, ne alicui dicerent, quod factum erat.* Luc. 8. 56. Vbi iurè quærendum eſt, cur hoc præcepto voluerit Chriſtus tanti miraculi ſupprimere famam? Quam ob cauſam non permiſit puellæ ſuſcitationem manifeſtari, dum per eam fides aucta eſſet credentium, & proteruia confuſa infidelium? Cur ſilentium præcepit, cùm potius præcipienda videretur patrati ſigni prædicatio? An id egit, vt ſe oſtenderet humanarum laudum contemptorem, & à gloriæ cupiditate prorſus alienum? Ita ſanè; qui enim illum ita in mortuos pium agnouiſſent, gloriam eius apud omnes prædicaſſent. Audi Græcum in catenâ. *Stupefactos miraculo, & penè clamantes parentes cohibet, ne factum prædicent: ſequitur enim, & ſtupuerunt parentes eius, quibus præcepit, ne alicui dicerent, quod factum erat, oſtendens, quòd largitor bonorum eſt, non autem cupidus* GLORIAE, *atque totum nihil recipiens. Qui verò venatur operum* GLORIAM, *aliquid quidem exhibuit, aliquid verò recepit.* Pietatem defunctis exhibitam gloria ſemper comitatur, quare ne gloriæ cupidus videretur, noluit Chriſtus pietatem à parentibus prædicari, quam reſurrectione mortuæ impenderat puellæ.

Græcus.

Phariſæi monumenta ædificantes prophetarum gloriæ cupiditate flagrabant.

6 Hùc ſpectat reprehenſio, quâ Chriſtus hypocriſim redarguit Scribarum, & Phariſæorum, qui ſepulchra ædificabant prophetarum, & monumenta ornabant iuſtorum. *Væ vobis ſcribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum.* Matth. 23. 29. Quid mali agebant Scribæ, ac Phariſæi mortuorum Prophetarum ſepulchra ędificantes, vt adeò acriter, tanquam hypocritæ, à Chriſto arguerentur? Nunquid reprehenſione dignum erat iuſtis pietatem impẽdere mortuis? Nunquid potiùs non laudem merebantur, dum multis impenſis monumenta reſtaurabant defunctorum? Vt quid ergò tantâ verborum aſperitate à Chriſto reprehendebãtur? Quia non vt mortuis pietatem impenderent, ſed vt apud populos gloriam acquirerent, hæc agebant. Siſto verba D. Hieronymi hunc locum ita elucidantis. *Pulcherrimo ſyllogiſmo & arguit eos filios eſſe homicidarum, dum ipſi opinione bonitatis, &* GLORIAE *in populos ſepulchra ædificant Prophetarum, quos maiores eorũ interfe-*

D. Hieron.

Digitized by Google

interfecerunt. Reprehenſione ſe dignos oſtenderunt, non quia mortuis pietatem exhibuerunt, ſed quia cùm ſcirent ex hac pietate gloriam conſurgere, inani cupiditate illius flagrabant.

Gloriantur Aegyptij de pietate exhibita defunctis.

7 Ab hoc non videtur prorsùs alienū id, quod narrat Diodorus Siculus lib. 1. cap. 5. mores referens Aegyptiorum, eos videlicet cadauera honorificè ſepelire mortuorum, & in eo maximè gloriari, quòd ſuis magnifica ædificēt ſepulchra defunctis. *Qui verò ob crimina, aut debita ſepulturâ prohibentur domi abſque arcâ ponuntur. Quos poſteri ditiores facti, ac debita, & crimina luentes honorificè ſepeliunt.* GLORIANTVR *enim Aegyptij ſuos parentes, maioreſue magnificè eſſe ſepultos.* Apud Aegyptios quoque glorioſum eſt pietatem exhibere defunctis, quamobrem mortuorum debita, & crimina ſuperſtites luunt, dumque illos piè, ac honorificè ſepeliunt, de tali pietate magnopere gloriantur.

Diodorus.

Glorioſū cenſebant Gentiles pietatem exhibere defunctis.

8 Idipſum confirmat Seruius lib. 6. Aeneidū, qui Marcelli funus deſcribens, tantâ exequiarū pompâ eum narrat elatum, vt Auguſtus, qui eū ſibi adoptauerat, ſexcentos lectos iuſſerit cadauer anteire defuncti. Quod Imperatorem geſſiſſe, quia hoc apud maiores glorioſum cenſebatur, affirmat. *Ad funeris huius honorem Auguſtus ſexcentos lectos intrare ciuitatem iuſſit; hoc enim apud maiores* GLORIOSVM *fuerat*. Glorioſum cenſebāt ipſi quoque Gentiles pietate proſequi defunctos, ac propterea, vt ſibi gloriam compararet Auguſtus, celeberrimâ, & ſolenni exequiarum pōpâ Marcellum voluit honorare defunctum.

Seruius.

Glorioſi dicti ſunt viri Iabes Galaad, quia mortuorum cadauera ſepelierūt.

9 Hac gloriâ inſignes fuerunt viri Iabes Galaad, qui vt Saul, & filiorum eius cadauera tollerent à muro Bethſan, vbi ea Philiſtæi appenderant inſepulta, & feris, ac auibus diſcerpenda, totâ nocte ambulauerunt, & mortis periculo cōtempto, ſub quercu illa ſepelierunt. *Conſurrexerunt ſinguli virorum fortium, & tulerunt cadauera Saul, & filiorum eius, attuleruntque ea in Iabes, & ſepelierunt oſſa eorum ſubter quercum, quæ erat in Iabes, & ieiunauerunt ſeptem diebus*. 1. Paralip. 10. 12. Hæc expendens Abulenſis, fortitudinem admiratur horum virorum, qui hac pietate defunctis principibus exhibitâ ſummam ſibi apud omnes gloriam comparauerunt. *Iſti viri Iabes fuerunt* GLORIOSI, *impendentes Sauli tale beneficiū quale nulli de Iſraelitis impenderunt*. Glorioſi fiunt, qui mortuos pietate proſequuntur, vndè tunc viri Iabes dicti ſunt glorioſi, cùm Saùl, & filios eius mortuos ſolēni exequiarum pompâ humauerūt.

Abulenſis.

Glorificatus eſt Elias, cū viduæ filium mortuum ſuſcitauit.

10 Cœlo Eliæ iuſſu triennio clauſo, torrens etiam aruit, qui aquas ad potum Prophetę ſuppeditabat. Quapropter ad viduam Sarepthanam pergens, in eius ædibus morabatur, cibiſque illius vtcumque ſuſtentabatur. Contigit autem poſt nonnullos dies, vt viduæ filius, quem vnicum ſuę ſenectutis habebat ſolatium, ęgrotaret, qui languore tandem oppreſſus defecit. *Factum eſt autem poſt hæc, ægrotauit filius mulieris matris familias, & erat languor fortiſſimus, ita vt non remaneret in eo halitus*. 3. 17. 17. Rationem autem inquirens Hugo Cardinalis, cur Deus morte filij mulierem afflixerit, quæ tantâ charitate neceſſitatibus Eliæ ſubueniebat, ait mortem illam non in pœnam mulieris, ſed ad gloriam cōtigiſſe Prophetæ, qui vitam defuncto communicans, ab omnibus erat ob talem pietatem glorificandus. *Non ideò*, inquit Hugo, *mortuus erat puer, vt affligeretur mulier, ſed vt Propheta Domini, & Dominus in Propheta* GLORIFICARETVR. Non poterat Elias non glorificari, dum pietatē defuncto reſurrectionis miraculo exhibebat, & iccircò mortem Dominus puero immiſit, vt mortuum Propheta ſuſcitaret, ſicque apud omnes gloriam ſibi compararet.

Hugo Card.

Cùm Magdalena Chriſti ſepulturā honorauit, apud omnes gloriā acquiſiuit.

11 Apoſtolorum pluries indignationem expendimus, quâ Magdalenæ dettaxerunt vnguenta ſuper Chriſti caput, ad ſepulturam illius honorandam, effundenti. Nunc denuò Chriſti reſpōſionem expendo, quâ eos redarguit, & mulieris pietatem in toto mundo prædicandam prædixit. *Amen dico vobis vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius*. Matth. 26. 13. O' fœlicem mulieris vnctionem, quæ tantam ei gloriam cōparauit, vt in mundo vniuerſo Magdalenæ celebretur nomen, & vbicumque prædicatur Euangelium, ibi quoque illius pietas commendetur. O' beatum ſepulturæ honorem, propter quem pię deuotionis gloriam apud omnium acquiſiuit nationes populorum. *Maria*, inquit Gloſſa ordinaria in hunc locum, *piæ deuotionis adepta eſt* GLORIAM. Cùm piâ deuotione Chriſti exequias præuenit, eiuſque ſepulturam honorauit, apud omnes Magdalena gloriā acquiſiuit: à cunctis enim ſummoperè glorificantur, qui mortuos pietate ſuâ honorare conantur.

Gloſſa ordin.

Macedones gloriæ loco habebāt, quòd Euripidis cadauer eſſet apud ſe honorificè ſepultū.

12 Id attigerūt & Macedones, qui cùm apud ſe cadauer Euripidis honorificè humaſſent, gloriæ loco ſepulturæ obſequia ei collata prædicabant. Siquidem pietate defunctis exhibitâ gloriam ſibi homines comparare autumabant. Rem dabo, vt eam refert Aulus Gellius lib. 15. Noctium Atticarum cap. 20. *Sepulchrum eius* (Euripidis,) *& memoriam Macedones eo dignati ſunt honore, vt in* GLORIAE *quoque loco prædicarent*. ὔποτε σὸν μνῆμα Εὐριπίδης ὤλετο πῦ, *quòd egregius poeta morte obitâ ſepultus in eorum terra foret; quamobrē cùm legati ad eos ab Athenienſibus miſſi petiſſent, vt oſſa Athenas in terram illius patriam permitterent transferri, maximo conſenſu Macedones in ea re denegand a perſtiterunt*. Gloriam acquirunt, qui ſe ſe pios mortuis oſtendunt; hinc Macedones Athenienſibus Euripidis cadauer denegātes gloriæ loco ducebant illud apud ſe habere honorifice in ſepulchro piè humatum.

Aulus Gell.

Animalia gloriam ſibi comparant, dum miſericordiā, quam poſſūt, mortuis impēdunt.

13 Addo, antequam caput abſoluam, adeò eos glorificari, qui pietate feruntur in mortuos vt animalia quoque bruta, gloriam ſibi quodāmodo comparauerint, cùm mortuis eo modo, quo poſſunt, pietatis obſequia impenderunt. A-

quilam

quilam Plinius commendat, quæ Virginem, à quâ educata fuerat, conſpiciens mortuam, & rogo, vt combureretur, impoſitam, adeò doluit, & talem pietatem ergà illam oſtendit, vt in rogum accenſum ſeſe iniecerit, ac ſimul cum eâ conflagrare voluerit. Hinc apud Seſton vrbem, vbi tãtam defunctæ Virgini pietatem exhibuerat, celebrem ait adhuc Aquilæ iſtius gloriam eſſe, quã ſibi conflagratione comparauit. Hæc ſunt verba Plinij lib. 10. cap. 5. *Eſt percelebris apud Seſton vrbem Aquilæ* GLORIA: *educatam à Virgine retuliſſe gratiam; aues primò, mox deindè venatus aggerentem; defunctâ poſtremò, in rogum accenſum eius inie iſſe ſeſe, & ſimul conflagraſſe.* Dum ergo animalia quoque Bruta gloriam ſibi comparant, cũ miſericordiam, quam poſſunt, defunctis impendunt, quis ampliùs dubitabit gloriam eos conſequi, qui pietate proſequuntur mortuos?

Plinius.

Glorificatus eſt Eliſæus, cùm poſt mortem mortuũ ſuſcitauit.

14 Nouiſſimè ſignum expendo, quo mortuus Eliſæus mortuo viro, quem intrà illius monumẽtum ob latrunculorum metum nonnulli condiderant, priſtinam reddidit vitam. *Quidam autem ſepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſæi. Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſæi, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos* 4. Reg. 13. 21. Cur enim hoc ſignum Deus per Eliſæi cadauer patrauit, niſi vt Prophetam ſuum etiam poſt mortẽ glorificaret, dum eum homines cernerent etiã mortuũ in mortuos piũ? Firmat id Abulenſis quæſt. 21. in hunc locum. *Deus faciebat illud ad oſtenſionem potentiæ ſuæ, &* AD GLORIAM ELISAEI. Vt gloriam Eliſæo etiam poſt mortem afferret, diſpoſuit Deus, vt etiam poſt mortem reſurrectionis miraculo pietatem exhiberet defuncto, quatenus magis innoteſceret gloriam conſequi apud viuos eos, qui pietate proſequuntur mortuos.

Abulenſis.

CAPVT XXX.

Dedecoris, infamiæ, ac ignominiæ notas contrahunt, qui pietatem ergà mortuos negligunt.

Vt dedecus vitaret, mortuis exequias Eſau celebrare non recuſauit.

1 SIcut pij ergà defunctos ex ſuâ pietate laudem, honorem, & gloriam, ita impij ex ſuâ crudelitate dedecus contrahunt, infamiam, & ignominiam. Ad quod probandum obſeruo primò cum Dionyſio Carthuſiano in cap. 35. Geneſis non referri à ſacrâ ſcripturâ mortem Rebeccæ vxoris Iſaach, quam tamen mortuam eſſe conſtat, antequam Iacob ad eum veniret. Mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, mortemque illius, & honorificam ſepulturam multo fletu ſolennem ſacer ſcriptor deſcribit. *Eodem tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercum, vocatumque eſt nomen loci illius, Quercus fletûs.* Geneſ. 35. 8. Cur igitur Dominæ ſepultura ſupprimitur, dum nutricis exequiæ deſcribuntur? Fabulam ex Rabbi Paulo recenſet Carthuſianus, quâ Hebræi reſpondent, Iſaach vxorem ſine pompâ noctis tempore humaſſe, quia ipſe ob ſenectutem exequias celebrare non valebat, Iacob aberat, & Eſau matris funeri, quæ illum paternâ benedictione priuauerat, intereſſe nolebat. *Reſpondent Hebræi, quòd Iſaach fecit Rebeccam de nocte ſepeliri occultè, quoniam eius ſepultio non potuit honorificè fieri, eò quòd ipſe Iſaach non potuit intereſſe, tanquam iam valdè ſenex, & cæcus. Eſau quoque intereſſe noluit, quoniam mater priuauit eum ſuâ inſtigatione benedictione paternâ, Iacob verò nondum erat reuerſus.* Hanc fabulam idem refutat Carthuſianus, tùm quia Iſaach potuit ad vxoris tumulum deduci, aut illùc viros mittere, qui extrema ei perſoluerent pietatis obſequia, tùm quia Eſau propter humanum dedecus, quod ex impietate in mortuam matrem contraxiſſet, nunquam exequiarum pompam illi denegare auſus fuiſſet. *Iſta recitatio videtur incerta, & fabuloſa. Poterat enim illùc Iſaach deduci, poterat quoque multos honorabiles viros illùc dirigere, nec certum eſt, quòd Eſau tam pertinax manſerit in ſuâ cõtrà matrem propriam indignatione, quòd noluerit eius ſepultioni adeſſe, quod etiam propter humanum* DEDECVS, *vt puto, vitaſſet.* Dedecus contrahunt, qui debitam renuunt mortuis exhibere pietatem, vndè vt dedecus Eſau vitaret, matris exequias celebrare non recuſauit.

Dion. Carth.

Lyſander dedecus contraxit ſepulturã non permittens defũctis.

2 Idipſum Pauſanias confirmat in Bæoticis, qui ea referens, quæ Lyſandro nominis celebritatem pepererunt, alia ſubdit, quæ magno illi dedecore fuerunt. Inter quæ ſepulturam primò enumerat mortuis impiè denegatam. Agnouerat nempè dedecus magnum eos contrahere, qui debita humanitatis officia mortuis negare non verentur. *Et hæc quidem Lyſandro magnam exiſtimationem pepererunt. Alia verò ferè totidem eius facta magno illi* DEDECORE *fuerunt. Ad Aegoſpotamos Philoclem Athenienſem de claſſis præto.ibus vnum, & Athenienſium ad quatuor millia deditiorum occidit, ac mortuis terram inijci vetuit.* Honorem, quem ſibi præclaris actionibus comparauerat, dedecore, quod impietate in mortuos contraxit, maculauit Lyſander; animum enim dedecore maculant, qui mortuos impietate lædunt.

Pauſanias.

Mineruà Menelao magnũ Dedecus futurum dixit, ſi Patroclum canibus lauiandum reliquiſſet poſt mortem.

3 Quod & indicauit Homerus, qui Mineruã induxit Iliade 17. adhortantem Menelaum, vt Patrocli cadauer ab hoſtium manibus eriperet. Quod ſi timore perterritus non egiſſet, magnum illi dedecus futurum aſſeruit, quòd ſub muro Troianorum, à canibus amici corpus diſcerperetur.

Tibi quidem Menelae mæror, & DEDECVS
Erit, ſiquidem Achillis clari filium ſodalem
Muro ſub Troianorum celeres canes diſcerpſerint.

Homerus.

Dedecus pariunt viuis obſequia pietatis denegata defunctis, ac propterea magno Menelaus dedecore affectus fuiſſet, ſi defuncti Patrocli cadauer canibus lacerandum reliquiſſet. Quod dedecus vt vitaret, à Mineruâ perſuaſus, ab hoſtibus raptum honorificè illud humauit.

Vt dedecus

4 Eadem ratione voluit Dauid, quòd Ioab,

qui

vitaret, voluit Dauid, vt Ioab lugeret Abner defunctum.

qui occiderat Abner, veſtes ſuas ſcinderet, feretrum lugens ſequeretur, & exequias cum cæteris defuncti hoſtis honoraret. *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite antè exequias Abner.* 2. Reg. 3. 31. Cur voluit Dauid, vt Ioab hoſtis mortem lugeret, ac illius, quem interfecerat, exequias celebraret? An quia dedecus ei gaudium ſuorum virorum peperiſſet? Profectò id voluit Abulenſis quæſt. 32. *Fecit hoc Dauid ad indicandum, quòd Ioab dolebat de facto ſuo, cùm ipſe plangeret hoſtem, nam ſi Ioab nõ fuiſſet ad plangendum, ſed manſiſſet gaudens in domo, tanquam egiſſet aliquid valdè lætum, eſſet magnũ* Dedecvs *Dauid.* Dedecus fuiſſet Dauid, quòd eius viri pietatem non impendiſſent Abner defuncto, & ideò vt hoc dedecus vitaret, voluit vt ſecum exequias illius pompâ ſepulchrali plorantes celebrarent.

Abulenſis.

Viri Iabes ſepelierunt cadauera Saul, & filiorum eius, vt dedecus auferrẽt Hebræorum.

5 Ex his facilè intelligemus, cur viri Iabes Galaad totâ nocte ambulauerint, & hoſtiles Philiſthæorum muros aggredi nõ metuerint, vt cadauera Saul, & filiorum eius honore ſepulturæ donarent. *Ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan.* 1. Reg. 31. 12. Hæc enim adeò ſtrenuè perfecerunt, vt opprobrium auerterẽt Hebræorum, quorum magnũm dedecus erat, quòd cadauera ſuorum principum relinquerent apud hoſtes abiecta, & inſepulta. Do Abulenſem hunc locum quæſt. 17. ita explicantem. *Philiſthijm ſuſpenderũt corpora iſtorum in muro Bethſan ad ignominiam gentis eorum: iſti autẽ vt auferrent* Dedecvs *Hebræorum, ſepelierunt illa cadauera.* Dedecus aufert à viuis pietas exhibita mortuis; quapropter vt hoc dedecus ab Hebræis auferrent, cadauera Saul, filiorumque illius, viri Iabes humare decreuerunt.

Abulenſis.

Mulieres annuo luctu maritum mortuum non lugentes dedecore lex afficit.

6 Quin & leges ipſæ hanc non omittunt fulcire veritatem, quapropter lib. 5. Codicis tit. 9. iubent, vt ſi qua mulier defuncto marito, antequam annuum luctum pro eo perficiat, alteri nubere feſtinauerit, probris affecta, honeſtioris perſonæ decore priuetur. Omni quippè decore ſpoliare voluerunt eam, quæ ſibi dedecus pepererat, nolens coniugali pietate mortuum præſtituto viduitatis tempore plorare maritum. *Si qua ex fœminis perdito marito intrà anni ſpatium alteri feſtinauerit nubere (paruum enim tempus poſt decem menſes ſecundum addicimus, tametſi idipſum exiguũ putemus) probroſis inuſta notis, honeſtioris, nobiliſque perſonæ* Decore, *& iure priuetur.* Animaduerte probro, ac dedecore affectas mulieres, quę coniuges nolunt pietate proſequi defunctos.

Codex.

Infamium numero habiti qui propinquos congruo tempore non lugebant defunctos.

7 Quòd ſi à dedecore ad probandam impiorum in mortuos infamiam procedere velimus, infamiæ quoque probationem leges eædem nobis ſuppeditabunt. Eadem namque mulier, quæ ante luctum pro defuncto marito expletum alteri nubit, eodem loco declaratur his verbis infamis *Si qua mulier nequaquam luctûs religionem priori viro nuptiarum feſtinatione præſtiterit, ex iure quidem notiſsimo ſit* Infamis. Vbi Gloſſa inquit *Si mulier marito mortuo nubat intrà annum luctûs, ſit* Infamis. Imò Paulus ICtus aliâ lege, quam refert Ioannes Kirchmanus lib. 4. de Funeribus Romanorum cap. 10. hanc infamiam ad omnes conſanguineos extendit, qui propinquorũ mortem congruo tempore non lugent. *Parentes, & filij maiores ſex annis, anno lugeri poßunt, minores menſe, & maritus decem menſibus, & cognati proximioris gradûs octo: qui contrà fecerit* Infamivm *numero habetur.* Infamiam contrahunt, qui pietatem defunctis impendere negligunt, quare illos, qui crudeles in mortuorum funeribus debitũ luctum omittebant, infamiæ notâ puniri antiquarum legum decreta ſanxerunt.

Codex.

Gloſſa.

Paul^9 ICtus.

Infames habiti apud Aegyptios illi, qui cadauera non redimebant mortuorum.

8 A legibus allatis non valdè mores diſcrepabant Aegyptiorum, qui cùm defunctorum corpora in pignus creditoribus dare ſolerent, auaros homines, qui ea redimere non curabant, nedùm mortuos ſepulturâ priuabant, ſed etiam viuos ſummâ infamiâ notabant. Siquidem crudelitatem in mortuos infamiæ notis puniendam eſſe ipſi quoque iurè cenſebant. Rem dabo, vt eã habet Diodorus Siculus lib. 1. cap. 5. *Mos eſt apud eos* (Aegyptios) *defunctorum parentum corpora dare in pignus creditori; ſumma illos, qui non redimunt, ſequitur* Infamia, *& ſepulturâ carent.* Infames eos declarabant, qui ſuorum cadauera non redimebant mortuorum, nam ſumma pietatem negligentes in mortuos conſequitur ſemper infamia.

Diodorus.

Sepulchri violati actio infamiam irrogat.

9 Hinc ſepulchri violati actionem infamiam irrogare, monumentorumque violatores infames haberi ex Vlpiano tradit Cœlius Rhodiginius lib. 17. lect. antiq. cap. 19. cuius hæc ſunt verba. *Vlpianus Iureconſultus: Sepulchri, inquit, violati actio* Infamiam *irrogat.* Famam propriam lædit, qui cadauerum ſepulchra violat, & infamiæ notam infœliciter contrahunt, qui mortuorum monumenta impiè contemnunt.

Cœli^9 Rhod.

Iudas infamiæ notã contraxit, dum ſepulturæ Chriſti honorem impedire voluit.

10 Magdalenam proximam Chriſti ſepulturam vnguentorum piâ effuſione religioſè honorantem proditor Iudas inſaniens acribus verbis importunè reprehendit. Dixit enim aromata illa pretioſa in pauperum ſubſidium fraternâ charitate vendenda, non ad ſolatium corporis prodigâ manu fundenda. At verò aduertit Euangeliſta hæc Iudam dixiſſe, non quia cura pertineret ad eum egenorum, ſed quia cùm fur eſſet, loculoſque haberet, ſibi nummos ex vnguenti venditione collatos cumulare voluiſſet. *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat.* Ioan. 12. 6. Itaque factum eſt, vt qui pauperum curam ſimulabat, furum vituperium ſit adeptus, infamiæ notam apud omnes contrahens, dum honorem ſepulturæ Chriſti exhibitũ impedire ſatagebat. Do verba Gloſſæ Ordinariæ, quæ in cap. 26. Matthæi hæc ſunt. *Sicut Maria piæ deuotionis adepta eſt gloriam, ita è contrà Iudas contradicens perfidiæ* Infamiam. Sicuti pij

Gloſſa Ord.

erga

Digitized by Google

ergà defunctos gloriam acquirunt, ita impij in illos ignominiã contrahunt, ſicq; Magdalena vnguentis ad honorandã Chriſti ſepulturam effuſis nominis celebritatem acquiſiuit, Iudas verò detractione, quâ illa execrabatur obſequia, perfidię infamiam contraxit.

Inclementia in mortuũ Lotrechium infamis appellata.

11 Nequeo hic ſupprimere immanitatẽ, quâ Lotrechij ſtrenui, & magni nominis Imperatoris cadauer auarus quidam miles ſabulo erutum in ſubterraneâ cellâ impiè recondidit. Quam inclementiã iurè meritò Paulus Iou. lib. 26. Hiſtor ſui temporis infamem appellat. Nam ab infamiæ labe non poterat ſeparari adeò ſęua crudelitas in defunctum. *Id decretum religioſa pietatis vſq; adeò ad diuturnam memoriam Lotrechio glorioſum videri potuit, vt non dubiũ victoribus, qui mortuo ſepulturã inuidiſſent, prædura, & propè* INFAMIS *inclementiæ pudorẽ exprimeret.* Pietas religioſè impenſa defũctis infamiã exprimit inclementiæ, quâ eis debita humanitatis denegantur obſequia: nec enim ſine infamiæ notâ cadauera poſſunt contemni mortuorum.

Paul. Iouius

Ignominiâ, et infamiâ lex puniebat eũ, qui erat impius in fratrẽ defunctũ.

12 Ignominiæ verò notã ſimul cum infamiâ impios in mortuos contrahere clariſſimè cõſtat, ex pęnis impoſitis illis, qui fratri defuncto ſemen prolis procreatione ſuſcitare nolebant. Iubebat enim lex, vt vxor mortui calceamentũ de pede ſuperſtitis auferret, in faciem illius expueret, verbis contumelioſis eum peteret, atq; vt domus illius domus diſcalceati appellaretur. *Accedet mulier ad eũ coram ſenioribus, et tollet calceamentũ de pede eius, ſpuetq; in faciem illius, & dicet: ſic fiet homini, qui nõ ædificat domum fratris ſui. Et vocabitur nomen illius in Iſrael, domus diſcalceati.* Deut. 25. 9. Abul. igitur in c. 4. Ruth. quæſt. 61. quatuor diſtinguit pęnas, quibus impius ergà fratrẽ defunctum a lege mulctabatur. Primam, quâ de illius pede calceamentũ auferebatur. Alterã, quâ in faciem illius à muliere ſpuebatur. Tertiã, quâ vxor defuncti verbis eũ cõtumelioſis increpabat. Poſtremam, quâ domus eius domus diſcalceati apud omnes Iſraëlitas nuncupanda erat. *Prima pæna erat, quòd tolleretur calceus de pede viri huius. Secunda erat, quòd ſpueretur in faciem eius. Tertia erat, quòd mulier diceret, ſic fiet viro, qui non vult ædificare domũ fratris ſui. Quarta erat, quòd postea vocaretur in toto Iſrael domus iſtius viri domus diſcalceati.* At quorſum hæ pęnæ tendebant, niſi, vt ignominiam ei, qui defuncto fratri prolem ſuſcitare nolebat, irrogarent? *Cauſa iſtarum poenarum,* ſequitur idẽ Abul. *fuit ad irrogandum* MAGNAM IGNOMINIAM *ipſi, qui nolebat ſuſcitare ſemen defuncti; quia in his erat magna cõtumelia.* Ignominiâ lex puniebat impiũ in fratrem defunctũ, oſtendens ignominiâ eos notari, qui debitam renuũt mortuis exhibere pietatem. Quam ignominiam, & infamia comitabatur; quare inquit in Glo. Theodoretus in c. 25. Deuteronomij INFAMIAE *pęnam neceſſariò ipſis imponit*. Ignominiam quippè, ac infamiam impijs in defunctos irrogari decebat.

Abulenſis.

Theodoretus.

Nudatione

13 Et quidem priores poenæ, quibus calceamentum ab eo auferebatur, & in faciem illius à muliere ſpuebatur, maximâ illum ignominiâ afficiebant. Quid enim turpius, & ad hominẽ prorſus confundendum aptius, quàm calceamentis in pedibus priuari, & ſputis in facie deturpari? Profectò hæc non modicum ei opprobrium afferebãt, & ad maculandam, & abolendam quamcũque illius dignitatem omninò tendebant. Audiamus Caietanũ in c. 25. Deuteronomij hæc afferẽtem. *In duabus extremis partibus pede, ſcilicet, & facie* IGNOMINIAE *ſigna ſtatuit lex.* En ignominiæ ſignis in capite, ac pede notatum eum, qui defuncto fratri prolem procreare nolebat.

pedis, & ſputis ignominiâ impius in mortuum afficiebatur.

Caietanus.

14 Nec minori notabatur ignominiâ per id, quòd mulier ei dicebat. *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* Innuebant enim hæc verba, non ob aliquam peculiarem legis ceremoniã omnia iſta fieri, ſed ad irrogandã ignominiam ei, qui renuebat pietatem impendere defuncto, quæ ignominia ex eo item ampliùs augebatur, quòd hæc in portis vrbis coram populo vniuerſo dicebantur. *Perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit maiores natu.* Deut. 25. 7. Hæc omnia diſco ex Abulenſi loco ſuperiùs allato. *Cauſa, quare mulier dicebat, ſic fiet viro, qui non vult ædificare domum fratris ſui, erat, vt ſignificaretur omnia iſta fieri ad* INFAMIAM, *& iniuriam infligendam, & per hoc augebatur* IGNOMINIA. *Nam ſi mulier non diceret iſtud, fortè poterat intelligi, quòd erat iſtud aliqua cæremonia legis, quæ non fiebat ad* IGNOMINIAM, *ſicut multæ aliæ ceremoniæ erant immũdæ in veteri teſtamento, quia tamen non fiebant ad* IGNOMINIAM, *recipiebantur vt honorabiles. Cùm autem mulier dicebat. Sic fiet viro, qui non vult ædificare domum fratris ſui, ſignificabat illa infligi in poenam, & conſequenter illa eſſe* IGNOMINIOSA, *& ſic augebatur poena ex hoc potiſſimè, cùm fieret in portis vrbis coram toto populo.* Omnia volui afferre doctiſſimi huius viri verba, quia noſtrum apprimè confirmant inſtitutum, & eos, qui defunctis negant pietatem infamiam, & ignominiam contrahere clariſſimè demonſtrant.

Verba vxoris defuncti ignominiam ei irrogabant, & infamiam.

Abulenſis.

15 Poſtrema poena erat, vt domus illius diſcalceati domus apud Iſraëlitas appellaretur, quod vocabulum, quis non videt ignominiam, & infamiam apertè ſignificare, quam contraxerat mortuo fratri negans pietatem? Appoſitè idẽ Abulenſis ibidem. Cauſa, quare vocabatur domus diſcalceati in Iſraël, *erat etiam ad* IGNOMINIAM, *& manebat ei iſtud nomen, vt in æternũ eſſet* INFAMATVS *in toto Iſrael.* Ignominiam, ac infamiam contrahunt, qui mortuorum curam impiè negligunt, & proindè frater ſuperſtes, qui defuncto fratri prolem ſuſcitare negligebat, æternæ infamiæ, atque ignominiæ poenâ in antiquâ lege mulctabatur. Imò aduertit inſuper Dionyſius Carthuſianus hoc vili cognomine vniuerſam illius ſobolem vocatam fuiſſe, vt impius in mortuos nedùm in ſeipſo, ſed in omnibus quoque poſteris ſuis ignominiam contraheret, ac infamiã. *Et vocabitur nomen illius domus diſcalceati, ita quòd*

Eius domus appellabatur domus diſcalceati, vt perpetuâ ignominiâ, & infamiâ notaretur.

Abulenſis.

Hac infamiâ notabatur etiam in poſteris.

Dion. Carth.

prauitas eius redundabit in poſteros eius PER INFAMIAM ISTAM. Talem propter impietatē in mortuum fratrem contrahebat infamiam, vt & ipſe & omnes poſteri eius eâ ignominioſè notarētur.

Cognatus Booz, qui noluit ſemen ſuſcitare defuncti, tanquã ignominioſus nomine caret in ſcripturâ.

16 Hac ignominiá notatus fuit cognatus Booz, qui ſemen propinqui defuncti noluit prolis procreatione ſuſcitare, ideòque illius nomen in ſacrâ ſcripturâ ſupprimitur, & communi tantùm propinqui nomine appellatur. *Cùmque vidiſſet propinquum præterire.* Ruth. 4. 1. & verſ. 3 *locutus eſt ad propinquum.* Vt quid nomen iſtius hominis à ſacro ſcriptore non exprimitur, niſi vt ignominia illi irrogaretur, & nomine apud omnes indignus cenſeretur. Rectè idem Abulenſis quæſt. 4. in c. 4. Ruth. *Noluit iſte ſuſcitare ſemen cognati ſui defuncti, & ſolutus fuit calceus de pedibus eius, vt patet in literâ, ideò ad* IGNOMINIAM *non debebat nomen ſuum iam exprimi in ſcripturâ, quia erat vir* IGNOMINIOSVS. Vituperatur tanquam ignominioſus, qui non vult mortuo pietatem impendere, & iccircò nomen cognati Booz ſacra ſcriptura non expreſſit, vt apud omnes tanquam nomine indignus, & homo ignominioſus, omni contumeliâ dignus haberetur.

Idem.

Ignominioſũ erat apud Gẽtiles vendere ſepulchra mortuorum.

17 Sed & Gentiles impios in defunctos ignominioſos eſſe cenſebant, vndè mortuorum ſepulchra vendere ignominiæ, ac probro apud eos dabatur. Putabant enim ipſi quoq; religionem ſepulchrorum venditione violari, ac propterea homines ab eá pœnâ ignominiæ arcere ſtudebant. Teſtatur id Lilius Gregorius Gyraldus ſyntagmate de vario ſepeliendi ritu. *Sepulchra venditare apud antiquos* IGNOMINIAE, *& probro dabatur.* Adeò ignominioſum eſt impietatem exercere in mortuos, vt antiqui etiã Gentiles eos exiſtimauerint ignominioſos, qui eorũ ſepulchra vendebãt.

Gyraldus.

Ignominia, quam contrahit impius in mortuos trãſit ad poſteros

18 Addo impios in defunctos talem cõtrahere ignominiã, vt hæc ad eorũ quoq; tranſeat propinquos. Nuntiatũ eſt Iudę nurum illius Thamar illicito concubitu fornicatam fuiſſe, quare ille ignorans mulierem ſecum concubuiſſe, ad incẽdium eam damnauit. *Dixitq; Iudas: producite eã, vt comburatur.* Gen. 38, 24. Sæuiſſima profectò pœna, quã in propriam nurum exarſit, eamq; rigidus Iudas mulctauit. Cur in mulierem, quæ tamdiù vidua fuerat, cùm carnis fragilitate percita errauit, adeò ſeuerè animaduertit? Quia eũ cre.leret eam cum viris concubuiſſe non propinquis, ex quibus prolis procreatione ſemen haud ſuſcitaſſet marito defuncto, magnam ſibi, filioq; ſuo ex eo concubitu ignominiam inferri ſentiebat. Qui namque mortuis pietatem denegant, ignominiam inferunt, & ſibi, & ſuis etiam cognatis, & propinquis. Hùc alluſit Abul. tractans hunc locum. *Punitio horum criminum erat propter iniuriam Iudæ, & filij eius Sela, quibus inferebatur* IGNOMINIA *quædam in hoc adulterio.* Adulterio, quo Iudas credebat nurum ſemen non ſuſcitaſſe defunctis, & ſibi, & cognatis ignominiam intuliſſet, ideòq; tantá eam ſeueritate punire decreuit. His igitur ita conſtitutis, iam conſtat dedecoris, infamiæ, ac ignominiæ notas contrahere illos, qui pietatem negligunt exhibere defunctis.

Abulenſis.

CAPVT XXXI.

Hominum beneuolentiam acquirunt, qui pietatem mortuis impendunt.

Vt beneuolũ ſibi redderet populũ, Saul defuncto Dauid pietatem impendit.

1 RAtionem oſtendo, quâ poſſint homines abſque adulationis vitio humanam ſibi captare beneuolentiam, & probo pietate, quâ miſerentur mortuorũ, amorem ſibi conciliare viuorum. Nuntiatis Regi Dauid ijs, quæ geſſerant viri Iabes fortitudine præſtantes, vt cadaueribus Saul, & filiorum eius exequiarum honorem impenderent, viros miſit, qui eorum fortitudinem commendarent, illiſq; pro beneficio defũctis exhibito gratias plurimas referrent. *Miſit ergò Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul & ſepeliſtis eum.* 2. Reg 2. 5. Nonnè Saul hoſtis erat implacabilis Dauid, qui liuore inuidiæ tabeſcens puellarum laudes audire nõ poterat, quibus eius robur canentes commendabant? Nonnè ſæpius militum acies, perſecutorum turbas, & proditorum manus in mortem illius armauit? Nonnè tandem contrà eum propriam lanceam emittens, cor illius transfigere tentauit? Vt quid ergò eius morte cognitâ non gaudet Dauid, ſed luget, & honorem ſepulturæ illius impenſum, ac ſi amico exhibitus fuiſſet, gratiarum actione, ac retributionis promiſſione compenſat? Vt populorum odia vitaret, eorumque beneuolentiam captaret, dum ergà mortuum quoque hoſtem ſeſe benignum oſtendebat. Diſce id ex Abul. qui prænotatum locum his verbis illuſtrat. *Miſit nuntios ad viros Iabes, referendo gratias pro honore impenſo Saul,* t uquam *ſibi impenſus foret, vt per hoc totus Iſrael, & illi, qui reſtiterant de ſtirpe Saul,* MAGIS PLACARENTVR EI. Tantam Dauid oſtendit ergà mortuum Saul pietatem, vt eâ ſubditorum animos ſibi infenſos placaret, eoſque, dum mortuis beneuolentiam exhibebat, beneuolentiæ nexu ſibi vniret.

Abulenſis.

Amici fuerũt virorum Iabes, qui Regi Dauid nuntiauerunt ea, quæ illi gesſerant pro mortuo Saul, vt eum ad beneuolentiã ergà ipſos inclinarent.

2 Verùm quia Dauid tunc maximè ſuam pietatem ergà mortuum Saul oſtendit, cùm ei nuntiata ſunt ea, quæ viri Iabes ad ſepulturæ illius honorem egerant, ſupereſt hìc inquirendum, quinam hi fuerint, qui pietatem virorum Iabes ei nuntiauerunt. *Et nuntiatum eſt Dauid, quòd viri Iabes Galaad ſepeliſſent Saul.* 2. Reg. 2. 4. An hæc nuntiauerunt Dauid hoſtes virorum illorum, vt obſequia iſta ſuo inimico audiens Rex exhibita, eos perſequeretur, an amici, vt illorum pietatem congruis præmijs remuneraretur? Vtique amici, qui hæc regi referentes, eum ad beneuolentiam ergà ipſos inclinare ſtudebant. Id habemus à calamo Dionyſij Carth. *Probabile reor, quòd hi, qui iſtud retulerunt regi Dauid, fuerunt amici Ioabitarum, volentes ipſum Dauid* INCLINARE AD BENEVOLENTIAM *circà Ioabitas.* Beneuolentiam

Dion. Carth.

con-

Digitized by Google

conſequimur viuorum pietate, quâ miſeremur defunctorum, quare vt beneuolentiam Regis Dauid amici virorum Iabes eis obtinerent, pietatē illi retulerunt, quâ miſerti Saul defuncti, extrema eius cadaueri exhibuerāt officia pietatis.

Viri Iabes mortuos humantes Dauidis dilectionē meruerunt.

3 Nec profectò fruſtrati ſunt eo, quod cupiebant, cur enim ad viros Iabes nuntios Dauid miſit, qui eis gratias referrent, ſuamque protectionem promitterent, niſi vt ſuam in eos beneuolentiā teſtaretur? Adeò quippè apta eſt humanā captare beneuolentiam pietas, quæ defunctis impenditur, vt ſtatim Dauid viros Iabes dilexerit, cùm eos pios ergà defunctos cognouit. *Oſtendit*, inquit Abul. Affectionem Svam, *mittens ad referendum gratias viris Iabes de bono, quod fecerunt ergà Saulem.* Cæterorum dilectionem impetrat, qui mortuorum curæ vacat, ideòque ſimul ac viri Iabes mortuum Saul ſepelierunt, Dauidis regis dilectionem meruerunt.

Abulenſis.

Dauid à populo dilectus fuit, cùm Abner mortuo iuſta perſoluit.

4 Sed placet adhuc aliam eiuſdem Regis Dauid actionem expendere, quâ mortuum Abner plorauit à Ioab impiè interfectum. Nam & ſcidit veſtes ſuas, & proſecutus eſt feretrum, & ſuper tumulum vocem cum fletu leuauit, & funebri eum oratione decorauit, & pro animâ illius vſque ad Solis occaſum ieiunauit. Quæ omnia pietatis obſequia vniuerſo populo valdè placuerunt. *Omniſque populus audiuit, & placuerunt eis cuncta, quæ fecit Rex in conſpectu totius populi.* 2. Reg. 3. 36. Nimirum pietate mortuo exhibitā populo adeò placuit, eumque prorsùs beneuolum ſibi reddidit. Verba exſcribo, quibus hunc locum explicat Beatus Theodoretus. *Rex quidem dolore motus luxit, & eſt lamentatus: lamentatio autem* Avxit Popvli Benevolentiam. Auxit Dauid populi beneuolentiam, cùm Abner plorauit mortuum: tunc enim augetur beneuolentia viuorum, cùm homines ſuâ pietate miſerētur mortuorum.

Theodoretus.

Theodoſius pietate in Athanaricum mortuum Viſigothorum animos ſibi cōciliauit.

5 Simile eſt, quod narrat Bonfinius lib. 2. Decadis primæ apud Theatrum vitæ humanæ vol. 3. lib. 7. contigiſſe Theodoſio Imperatori, qui cùm Athanaricum Gothorum Regem Byzantij vitâ functum ſplendidâ exequiarum pompâ tumulaſſet, eique non tanquam hoſti, ſed veluti amico ſolennia iuſta perſoluiſſet, animos inimicorum militum ita ſibi reddidit beneuolos, vt ſub eius auſpicijs deinceps militare decreuerint. Sicque factum eſt, vt Gothorum populos, quos anteà in bello habuerat aduerſarios, haberet per pietatem in mortuum regem amicos, milites, & ſubiectos. Subijcio authoris verba. *Athanarico Rege Gothorum Byzantij mortuo, Theodoſius Imperator cum magnâ pompâ ad rogum vſque ſecutus, cumulatiſſimè amico iuſta perſoluit, funebres ludos in eius honorem edidit: & hoc ipſo Viſigothorum* Animos Ita Sibi Conciliavit, *vt auſpicijs deinceps Theodoſij vltrò militarint.* Non poterant Barbarorum corda non diligere hoſtem, quem in mortuū conſpexerant adeò pium, beneuolentiam enim ſibi conciliat etiam hoſtium, qui mortuis pietatis obſequia impendit.

Bonfinius.

Dio pietate, quâ ſepeliuit Heraclidem mortuum, ciues placauit.

6 Non multū abeſt ab hoc, quod narrauimus, id, quod refert Plutar. in Dione populū, qui cædem Heraclidis Dione conniuente patratā moleſtiſſimè tulerat, ſtatim ſedatū fuiſſe, cùm vidit funus defuncti à Dione ſplendidè curatū, eiuſq; cadauer egregiâ pompâ honorificè ſepultum. His enim geſtis, quē odio habuerant ſæuum interfectorē viui, diligere cæperunt pium humatorem defuncti. *Mortem eius*, verba ſunt Plutar. *moleſtiſſimè ciues tulerunt, ſed cū Dio ſplendidè eum ſepeliri curaſſet, & funus ipſe cum exercitu deduxiſſet, orationemq; ad populū habuiſſet,* Placati Svnt. Cùm defunctum Heracl. honorauit, indignatos ciues placauit; illi namque placant viuos, qui pietatē exercent ergà defunctos.

Plutarchus.

Ringo Rex Sueonū exequias celebrans Haraldo odium hoſtiū ad gratiam deflexit.

7 Quod & Ringo Sueonū Rex egit, qui Haraldo Regi Danorū auunculo victo, ac cæſo, licet hoſti parentandū ratus, omnia eius funeri honorū genera exhibuit. Quapropter Danorū beneuolentiā adeò ſibi conciliauit, vt ei prorsùs placati, ex hoſtibus amici redderentur, odiumq; ſtatim in amorē commutarent. Refert id Saxo lib. 8. apud Theatrū vitæ humanæ vol. 3. lib. 9. qui poſt funebrem pompā deſcriptā, quâ Ringo Haraldū honorauit, ita concludit. *Tali parentationis curâ iuſtis auunculo perſolutis, Danorum* Sibi Favorem Conciliavit, Odivmqve Hostivm Ad Gratiam Deflexit. O' miram pietatis ergà mortuos efficaciā, quæ animos conciliare, odium in amorem vertere, & hoſtes ipſos ad amicitiam, ac beneuolentiam cogere poteſt, non ſecùs, ac amicos.

Saxo.

Aeneas permittens defūctis militibus honorē ſepulturæ inimicorum beneuolentiā captauit.

8 Hùc ea voco, quæ Latini Oratores Æneæ dixerunt poſt impetratā defunctorum militū ab eo ſepulturā. Quę referēs Virg. lib. 11. Aen. ita canit,

Nos verò hæc patriam grati referemus ad vrbem
Et te, ſi qua viam dederit fortuna, Latino
Iungemus regi: quærat ſibi fœdera Turnus.

Virgilius.

Vbi aduertit Iodocus Aſcenſius Aeneam, dum promptè militibus defunctis honorem ſepulturę conceſſit, adeò ſibi oratorum hoſtiū beneuolentiā conciliaſſe, vt ſuum quoq; Regem ei amicum reddere toto conatu ſtuduerint. *Deſcribit aduentū oratorum à Latino miſſorum petentium veniam corporum defunctorum ſepeliendorum, quam eis lubens conceſſit Aeneas, addens etiam viuos in gratiam recipere voluiſſe, quæ res oratoribus perplacuit vſq; adeò, vt pollicitarentur ipſum Regi ſuo Latino* Reconciliatvros. Aduerte Aeneam honore ſepulchri mortuis militibus permiſſo amorem quoque, ac beneuolentiam ſibi comparaſſe inimicorum.

Iodocus Aſc.

Abraham petentem pro vxore mortuā ſepulturā adeò Hethæi dilexerūt, vt ei negare non potuerint ea, quæ optabat.

9 Verùm ne, dum profanos recolo authores, videar ſacrorum oblitus, ad ſacra redeo volumina, & obſeruo Hethæos Abrahę petenti pro vxore defunctâ ſepulchrū, reſpondiſſe, vt vbicumque vellet cadauer ſepeliret, cùm nemo ex populo prohibere poſſet, quin in ſuo ſepulchro illud humaret. *In electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum, nulluſq; te prohibere poterit, quin in monumento eius ſepelias mortuū tuum.* Gen. 23. 6. Cur quæſo nullus id prohibere poterat, cū vnuſquiſq; ſui ius habe-

ret monumenti? Nunquid omnes cogebantur in ſuis ſepulchris alienũ, & peregrinũ excipere cadauer? Vtiq; nam cùm audierunt Abraham tantâ pietate defunctæ vxori monumentum poſtulare, adeò ſe illi beneuolos exhibuerunt, vt nihil, quod oraret, prohibere vllatenùs poſſent. Subſignat Abul. *Nullus poterit prohibere, quaſi dicat,* OMNES DILIGVNT TANTVM TE *in ciuitate iſtâ, quòd nullus prohibere poſſet, ideſt prohibere vellet, quòd ſepelires mortuum tuum in ſepulchro ſuo.* Pietate, quã vxori defunctæ impendit, Hethæorum amorem Abraham ita ſibi conciliauit, vt nemo ex ipſis illi potuerit ea, quæ optabat, denegare.

Abulenſis.

Propter eamdem dilectionem eum Dominum appellauerunt.

10 Quẽ amorem item Hethæi oſtenderunt, cùm eum ſuum Dominum appellauerunt. *Reſponderunt filij Heth, dicentes, Audi nos domine.* Gen. 23. 6. Porrò hic honor, quem Abrahæ impenderunt, dilectionem, quâ eum amabant, indicauit. Adrem Oleaſt. *Docent nos hìc Hethæi, qualiter tractare debeamus peregrinos, maximè quos inter nos piè viuere didicerimus, & etiam conſtat eos, qui piè, & iuſtè inter extraneos viuunt, eſſe magis* DILECTOS, *quã ſi ciues eſſent.* Vides Abrahã propter ſuam pietatem magis, quam ſi conciuis eorũ fuiſſet ab Hethęis dilectum? Dilectionem enim etiam gentiũ exterarũ illi acquirunt, qui ſuâ pietate miſerentur mortuorum.

Oleaſter.

Tobias multorum animos mortuorũ ſepulturâ ſibi deuinxit.

11 Confirmat idipſum illud, quod Tobię contigit in captiuitate conſtituto, & mortuorum cadauera egregiâ pietate ſepelienti. Quod cùm nũtiatum fuiſſet Regi Sennacherib, qui huiuſmodi pietatis obſequia Iſraëlitis valdè ſibi exoſis prohibuerat exhiberi, omnem illius ſubſtantiã tulit, ac inſuper eum occidi præcepit. Verùm Tobias cum vxore, ac filio fugiens, Regem reddidit ſuâ ſpe fruſtratum. Quòd ſi quæratur, quo pacto ſatellites regios, qui eum iuſſu regio perſequebantur, latere, ſacer ipſe textus reſpondet id contigiſſe, quia multi diligebant eum. *Tobias verò cum filio ſuo, & cum vxore fugiens, nudus latuit quia multi diligebant eum.* Tobiæ. 1. 23. Vbi Lyranus ait. *Subditur cauſa, cùm dicitur, quia* MVLTI DILIGEBANT EVM, *proper quod ipſum celabant in tali caſu.* Pietate, quâ mortuorum cadauera ſepulturæ obſequio donabat, adeò multorum ſibi animos deuinxit, & amorem conciliauit, vt & Regis iram fugere, & illius ſatellites facilè per eos vitare potuerit.

Lyranus.

Pietate in mortuos populi Romani ſibi fauorẽ Cæſar conciliauit.

12 Multa quidem fuerunt, quibus populi Romani fauorem ſibi Iulius Cæſar conciliauit, ſed id potiſſimùm egit pietate, quam exhibuit defũctis. Cùm enim & Iuliam amitam defunctam in foro laudauit; & Marij mortui imagines in funere prætulit, & vxoris exequias funebri oratione honeſtauit, adeò ſibi omnium beneuolentiam conciliauit, vt eum amore ducti oſcularentur. Refert id Plutarchus in eius vitâ. *Primum fauoris ergà ſe populi cepit documentum, cùm tribunus militum, competitore C. Popilia, prior eſt renuntiatus. Alterum, & clarius, cùm Marij vxorem Iuliam amitam ſuam defunctam eximiè laudauit in foro, atque in funere auſus eſt præferre Marij imagines, quæ tùm primùm poſt Syllæ dominatum ſunt conſpectæ, cùm eſſet hoſtis ille iudicatus. Nam cùm quidam idcircò obſtreperent Cæſari, populus clamorem ex aduerſo reddidit, & magno plauſu eum excepit, probauitque, quòd quaſi ab inferis tanto interuallo honores Marij reduceret in vrbem. In honorem quidem magnarũ natu fæminarum orationes funebres habere id moris fuit Romanis: in adoleſcentiorum verò funeribus cùm moris non eſſet, princeps Cæſar vxorem ſuam defunctam laudauit, quâ re fauorem meruit,* BENEVOLENTIAMQVE PLEBIS SIBI CONCILIAVIT *hac pietate, vt quaſi placidum virum, & mollis ingenij exoſcularentur eum.* Egregiè dicta, & ad oſtendendum, quantùm poſſit pietas ergà defunctos ad cõciliandam animorum beneuolentiã, aptiſſima.

Plutarchus.

Phariſæi, & Scribæ monumenta ædificabãt mortuorum, vt vulgi fauorẽ caperent.

13 Increpauit Chriſtus hypocriſim ſcribarũ, & Phariſæorum, quòd cùm geſta Patrum ſuorũ imitarẽtur, qui iuſtos interfecerant, & prophetarum ſanguinem effuderant, eis defunctis, ac ſi eſſent ab humano ſanguine innoxij, memorias erigerent, & monumenta ædificarent. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum.* Matth. 23. 29. Sciſcitandum verò hic mihi videtur, cur iſti, qui iuſtos oderant, & prophetas, tantâ pietate illorum monumenta ædificarent. Nonnè ſepulchrorum ornatus, & monumentorũ conſtructio indicia ſunt amoris, quo viui proſequuntur defunctos? Quare igitur hæc illis obſequia Phariſæi præſtabant, quos patrum ſuorum imitatores odio habebant? Hæc agebant, vt ſimulantes pietatem in mortuos, populi fauorem, ac beneuolentiam captarẽt. Adſtipulatur Hugo Card. *Simulabant ſe quidem,* OB FAVOREM VVLGI CAPTANDVM, *patrum ſuorum horrere perfidiam, monumenta prophetarũ, qui ab eis occiſi ſunt, magnificè ornanda.* Captat viuorum beneuolentiam, qui mortuis exhibet clementiam, vndè vt populum ſibi redderent beneuolum, & ſepulchra ornabãt, & monumenta Phariſæi ædificabant.

Hugo Card.

Alexander ſimulans ergà mortuum Antiochum pietatem populorum beneuolentiam ſibi conciliauit.

14 His ea conſonant, quæ Alexander geſſit, Antiocho à Rege Parthorum interfecto, & vt honorificè ſepeliretur, in Syriam remiſſo. Simulauit enim in illum pietatem, eiuſque cadauer benigniſſimè ſe excipere fictis lachrymis probauit. Quas cùm veras, & à pietate in mortuum populi putarent emanantes, nõ modicâ ſunt eũ beneuolentiâ proſecuti. Audi Iuſtinum Hiſtor. lib. 39. hæc ſcribentem. *Corpus Antiochi interfecti à Rege Parthorum in loculo argenteo ad ſepulturam in Syriã remiſſum peruenit, quod cum ingenti ſtudio ciuitatũ, & Regis Alexandri ad firmandam fabulæ fidem excipitur. Quæ res illi* MAGNVM FAVOREM *populariũ conciliauit, omnibus non fictas in eo, ſed veras lachrymas exiſtimantibus.* Tam magnam vim habent ad cõciliandam viuorum beneuolẽtiam obſequia impenſa defunctis, vt hac pietate etiam ſimulatâ hominũ interdũ gratia, & fauor acquiratur. Verè igitur dictum eſt hominum beneuolẽtiam eos acquirere, qui pietatem mortuis impendunt.

Iuſt. Hiſtor.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXXII.

In defunctos impij homines prouocant ad indignationem, execrationem, & abominationem.

David ſe oſtendit pium in Saul, & filios eius mortuos, ne prouocaret ad inimicitiam, & indignationẽ viros Iabes.

1 QVemadmodum pietate in defunctos viuentium gratia, fauor, & beneuolentia captantur, ita impietate in eos illorum indignatio, execratio, & abominatio contrahuntur. Quod vt probetur, iterum expendendum eſt, cur Dauid nuntios mittere voluerit ad viros Iabes Galaad, qui eos laudarent, illiſque pro ſepulturâ cadaueri Saul ſtrenuè, ac diligenter exhibitâ gratias nomine ſuo haberent. *Miſit ergò Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum.* 2. Reg. 2.5. Cur enim hanc beneuolentiam ergà Saul amicos Dauid oſtendit, niſi vt conſtaret, opera pietatis, quæ defunctis impenderant, ſibi non diſplicuiſſe ſicque illorum indignationem, atque inimicitiã vitaret. Aptè Caietanus. *Officium fecit Dauid teſtificandi beneuolentiam ſuam ergà amicos Saulis, no exiſtimarent diſplicuiſſe ei, quòd gratos ſe exhibuerint Sauli, & hinc occaſionem ſumerent* INIMICITIAE *aduerſus ipſum Dauidem.* Inimicitiam, & indignationem amicorum Saul Dauid contraxiſſet, ſi ſe impium in defunctos oſtendiſſet; prouocat enim ad inimicitiam, & indignationem viuos, qui non proſequitur pietate defunctos.

Caietanus.

Sepultura honorem Philiſthæi Samſoni permiſerunt, ne contraherent indignationem Iſraëlitarum.

2 Quod & Philiſthæi agnouerunt, qui Samſonem priùs excæcatum, catenis vinctum, in carcere clauſum, multiſque modis illuſum, & deindè aulæ columnis excuſſis vnà cum ſuis interemptum cognatis illius donauerunt, & permiſerunt, vt eius cadauer honorificè ad Iſraëlitas transferretur, ibique in paterno ſepulchro conderetur. *Deſcendentes autem fratres eius, & vniuerſa cognatio, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt inter Saraa, & Eſthaol in ſepulchro patris ſui Manue.* Iudic. 16.31. Mirum profectò videtur, quòd Philiſthæi hoſtes adeò implacabiles Samſonis extremum ei permiſerint ſepulturæ honorem. Cur cui crudeliter oculos eruerant, ſepulchrum humaniter cõceſſerunt? Cur quem inter conuiuia ludentem contempſerant, exequijs honorari peremptum permiſerunt? Cur denique cui toties illuſerant viuo, ſepulturam non denegant defuncto? Quia timebant hac impietate indignationem contrahere, ac prælia excitare Iſraëlitarum. Nouerant ſcilicet impietate in mortuos prouocari ad indignationem viuos. Non ſupprimo verba Abulenſis, quæ talia ſunt. *Fortè Philiſthini putauerunt, quòd Iſraelitæ* INDIGNATI NIMIS OB HOC *inſurgerent contrà eos, & quia nunc erant Philiſthini valdè afflicti, cùm omnes reges ſui mortui eſſent, non auſi ſunt contendere, & ſpontè donauerunt corpus Samſonis cognatis eius.* Nimiam viuorum contrahunt indignationem, qui debitam denegant mortuis pietatem, quare vt eam Philiſthæi vitarent, Samſonis, licet hoſtis, & inuiſi, cadaueri ſepulturæ honorem denegare noluerunt.

Abulenſis.

Thraſyllo turbanti luctum pro mortuo comminata eſt Charites indignationẽ.

3 Hùc etiam ex profanis authoribus alluſit Apuleius, apud quem lib 8. metamorph. vidua Charites Thraſyllo nuptias importunis precibus extorquere conanti reſpondit, ne annuum luctum defuncto marito iurè impendendum immaturitate nuptiarum turbaret. Alioquin ſciret ſe ſuâ impietate mariti manium indignationem procul dubio contracturum. *Boni ergò, & optimi conſules, ſi luctu legitimo miſerrimæ fœminæ neceſſarium conceſſeris tempus, quoad reſiduis menſibus ſpatium reliquum compleatur anni. Quæ res cùm meum pudorem, tùm etiam tuum ſalutare commodum reſpicit, ne fortè immaturitate nuptiarum* INDIGNATIONE *iuſtâ manes acerbos mariti ad exitium ſalutis tuæ ſuſcitemus.* Indignationem mariti luctum pro mortuo turbanti ſapiens mulier prudenter comminabatur, nam iuſtam hominum contrahunt indignationem, qui mortuis iniuſtè denegant pietatem.

Apuleius.

Telephron pro defuncto ieiunare nolens vxoris eius contrahit indignationem.

4 Facit etiam ad rem præſentem id, quod idem Apuleius lib. 2. Metamorphoſeon ſcribit, Telephroni ſcilicet, cui cadaueris cuſtodia demandata fuerat, quique in domo funeſtâ delitias, cænamque petierat, capite quaſſanti reſpondiſſe vxorem defuncti fatuum eſſe in domo, in quâ luctui opera datur, fercula quærere cœnarum. *Tunc illa capite quaſſanti, Abi, inquit, fatue, qui in domo funeſtâ cænas, & partes requiris, in quâ totijugis iam diebus ne fumus quidem viſus eſt vllus.* Vt quid enim caput hera quaſſauit, niſi quia indignata ea verba grauiter tulit? Indignationem videlicet illius Telephron contraxit, cùm non abſtinere pro defuncto, ſed eum cuſtodiens epulari, & cœnare parabat. Rectè Beroaldus hæc verba explanat. *Capite quaſſanti.* INDIGNANTIS *ſpecimen eſt, vt apud Virgilium de Turno. Ille caput quaſſans, & apud Plautum Trinummo, Quid quaſſas caput?* Indignantem mulierem ſenſit, qui defuncto ieiunij obſequium negauit, ad indignationem enim prouocant viuos, qui negligunt pietate proſequi defunctos.

Apuleius.

Beroaldus.

Execrandi populi, qui ſepultura honore priuans defunctos.

5 Hæc expendens Cœlius Rhodiginus, meritò quoſdam populos, apud quos mortuorum cadauera ſine ſepulturę honore auibus lanianda, & feris laceranda proijciebantur, vel cum riſu, & iocis, nullâ loculorum habitâ curâ, in mare præcipitabantur, vel ceruice pedibus alligatâ in ſterquilinium reijciebantur, ab omnibus execrandos appellauit. Tanta enim contrà defunctos impietas omni prorſus digna execratione apparet. *Hos vt immanitate, ac barbarie notiſſimos nemo non vituperandos,* EXECRANDOSQVE *cenſuerit.* Hactenùs ille lib. 17. cap. 19. qui facinora in mortuos patrata neminem non execrari ſatis apertè declarat.

Cœlius Rhodiginus.

Execranda Tullia, quæ ſæuijt in patrem mortuũ.

6 Idemque pluribus confirmat Alexander ab Alexandro lib. 2. dierum genialium cap. 6. Tulliæ inauditam humanitatem increpans, quæ ſu-

Digitized by Google

prà inſepulti, & adhuc cæde cruenti patris cadauer incedere carpento vecta non horruit. Quod inhumanum, & vndequaque crudeliſſimum facinus adeò ſunt homines execrati, vt locum quoque ipſum, in quo fuit impiè patratum, vicum appellare voluerint ſceleratum, æternâ nominis infamiâ, quàm deteſtabilis fuerit, & execrabilis mulieris impietas in patrem defunctum declarantes. Hæc autem verba ſunt Alexandri. *Præteruehens ipſa* (Tullia) *carpento, infeſtis furijs agitata, & muliebri ſpiritu inflata ſuprà patris defuncti corpus vulneribus, & plagis affecti, & cruentati incedere non dubitauit. Ob cuius inhumanum ſcelus, & rei fœditatem loco, tanquam nefario, & conſcelerato, ſcelerati nomen factum, ſanè* Deteſtabile Facinvs Nominis Diritate Execrantes. Vides homines deteſtabilem filiæ in mortuum patrem impietatem execrantes?

Alexander ab Alex.

Execrabilem ſe fecit magus, qui vmbram turbauit defuncti.

7 Hoc ipſum Quintilianus indicauit declamatione 10. dum ſceleratum magum, qui nocturno murmure vmbram inquietauerat defuncti, hortatus eſt, vt eâ deſineret horrido exagitare vlulatu, ne omnibus execrabilis redderetur, & inuiſus. Nihil enim æquè reddit execrabiles viuos, ac ſæuitia, quâ impiè turbant defunctos. *Huius etiam lacbrymis, planctibus huius indulge, conſule famæ tuæ.* Execrabilem Te Mage Facies, Et Invisvm, *ſi faciliùs de filio exoraris, vt includas.* Famæ ſuæ non conſulit, qui ergà mortuos impium ſe oſtendit, nam omnibus inuiſus, & execrabilis viuit, qui defunctis debita pietatis obſequia non reddit.

Quintilianus

Sciſſores cadauerum Ægyptij execrãtur.

8 His conſonat mos Ægyptiorum à Diodoro Siculo lib. 1. cap. 5. relatus, apud quos ille, qui Æthiopico lapide cadaueris latus ſcindebat, fugere ſtatim poſt ſciſſionem cogebatur, ne lapidibus, quos omnes adſtantes in eum iaciebant, obrueretur. Adeò videlicet eum execrabantur, qui ſpeciem quamdam impietatis, cadaueri vulnere illato, in mortuum exercere videbatur, vt niſi fugâ vitæ ſuæ conſuluiſſet, mortem ei lapidibus inflixiſſent. *Qui dicitur ſciſſor*, verba ſunt Diodori, *habens lapidem Aethiopicum, quantùm lex ſinit, latus aperit, ſubitoque curſu, perſequentibus, qui adſtant, lapideſque* Cvm Execratione *in eum iacientibus, fugit. Exiſtimant enim odium inhærere, cuicunque agnati corpus vulnere illato violarit.* Neceſſaria quoque opera, quæ ſpeciem quamdã crudelitatis præſeferunt in mortuos Ægyptij execrantur, & ea exercentes penè interimunt, vt oſtendant ea prorsùs execrabilia eſſe, quæ contrà defunctos impiè patrantur.

Diodorus.

Nimis execrabile Clericorum facinus in mortuos.

9 Rectè igitur Valentinianus in nouellâ, quã refert Ioannes Kirchmannus lib. 3. de funeribus Romanorum cap. 26. iuſſit Clericos ſepulchrorum violatores perpetuâ deportatione plecti, eò quia dum mortuorum cadauera lædunt, intolerandum, ac nimis execrabile facinus audent. *Intolerandum,* Nimis Execrabile, *non ferendũ induere nomen, & titulum ſanctitatis, & abundare criminibus. Quiſquis igitur ex hoc numero ſepulchrorum violator extiterit, illicò Clerici nomen amittat, & ſic ſtylo proſcriptionis addictus, perpetuâ deportatione plectatur.* Animaduerte nedùm intolerabile, & non ferendũ, ſed inſuper nimis execrabile appellari facinus, quo crudeliter clerici mortuorũ quietem violant, & ſepulchra profanant.

Valentinianus.

Aues lacerãtes cadauera mortuorum abominabiles

10 Diſtinguens Dominus à mundis animalia immunda, quibus vti populo Hebræo non liceret, inter hæc aquilam, gryphem, vulturem, aliaſque huiuſmodi aues enumerauit. *Hæc ſunt, quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda ſunt vobis, aquilam, & gryphem, & haliætum, & miluũ, ac vulturem iuxtà genus ſuum.* Leuit 11. 14. Rationem verò, cur has aues immundas declarauerit, ex eo affert Lyranus, quòd cadauera deuorant mortuorum. Debebant enim eorum animalium carnes prorſus reddi abominabiles, & immundæ, quæ homines præſumunt lacerare defunctos. *Tales aues nutriuntur cadaueribus mortuorum, & ideò carnes earum* Svnt Abominabiles. Adeò abominabiles ſunt impij contrà mortuos, vt animalia quoque irrationalia in eos crudelia immunda, atque adeò abominabilia in ſuâ lege Deus declarare voluerit.

Lyranus.

Signis abominationis notabantur nolentes fratribus pietatem exhibere defunctis.

11 Sed & in eâdem lege iuſſit, vt nolentem prolis procreatione ſemen ſuſcitare fratri defuncto coram ſenioribus populi vidua diſcalcearet, inque illius faciem ſpueret, addens verba, quibus magis illius ignominia exprimeretur. *Accedet mulier ad eum coram ſenioribus, et tollet calceamentum de pede eius, ſpuetque in faciem illius, et dicet, ſic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* Deuter. 25. 9. Cur verò bis ignominiæ ſignis hominem lex puniuit pietatem defuncto fratri denegantem? Vt innueret eum prorſus eſſe abominabilem, qui renuit pietatem exhibere defuncto; excreatio enim, & diſcalceatio ſigna erant vilitatis, & abominationis. Audiendus hìc Oleaſter. *Si quæras, quid ſignificet huiuſmodi excreatio, & diſcalceatio, putarem eſſe ſigna* Abominationis, *et vilitatis. Illa enim, in quæ expuimus, reputamus* Abominabilia, *ſimiliter viles reputamus, qui nudis incedunt pedibus.* Abominabiles Deus eos declarauit, qui pietatem fratribus nolebant impendere defunctis, ac propterea eos iuſſit calceis nudari, ac ſputis deturpari.

Oleaſter.

Onam fratri mortuo pietatem denegans rem omnibus hominibus abominandam patrabat.

12 Talem ſe exhibuit peruerſus ille Onam, qui nolens fratri defuncto filium gignere, à Deo percuſſus interijt, quem interfectum fuiſſe, quia rem deteſtabilem patrabat, ſacer ſcripturæ textus affirmat. *Et idcircò percuſſit eum Dominus, quòd rem deteſtabilem faceret.* Gen. 38. 10. Iurè autem hanc in fratrem mortuum impietatem deteſtabilem appellat, quia non tantùm coram Deo mala, ſed etiam apud homines erat abominanda: abominabilia namque ſunt viuis ea, quibus iniuria fit defunctis. Adſtipulatur Abulenſis hæc ſcribens. *Vocatur hoc deteſtabile, quia non ſolùm malum, ſed et cuicunque homini* Abominandvm. Dum fratri mortuo debitam pietatem denegabat, nedùm malè agebat, ſed crimen omnibus

Abulenſis.

nibus

nibus hominibus abominandum patrabat.

Antiqui patres poſteris commendabant ſui ſepulturam, ne illam contemnentes abominabiles redderentur.

13 Caput claudo, magnam curam cum Oleáſtro in Geneſ. 25. expendens, quâ ſancti antiquæ legis patres filijs, ac poſteris cadauerum ſuorum ſepulturam commendabant. Iacob à Ioſeph iuramentum exegit, quo certior fieret ſuum corpus ad ſepulcbrum transferendum paternum. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub fæmore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hac, condaſque in ſepulchro maiorum meorum.* Gen. 47. 29. Ioſeph ſuos fratres adiurauit, vt ſecum ſua oſſa ex Ægypto in Chananæorum terrâ ſepelienda portarent. *Cùmque adiuraſſet eos, atque dixiſſet: Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea de loco iſto, mortuus eſt.* Geneſ. 50. 24. Tobias etiam iuniorem filium, vt ſuum corpus poſt mortem humaret admonuit. *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli.* Tob. 4. 3. Vt quid tantâ ſolertiâ corpori, quod viuens neglexerant, mortuo ſepulturam parare ſtudebant? Vt quid qui viuentes animæ tantùm curam geſſerant, morientes cadaueris exequias adeò diligenter hęredibus cōmendabant? Vt quid tandem dum ſpiritu cœlum petere optabant, corpus terræ mandari cupiebant? An vt abominandam impietatem à viuis remouerent, quam exercuiſſent, ſi mortuorū cadauera extremis officijs non humaſſent? Vtique hùc ſpectauit Oleaſter. *Fuit illis curæ ſepeliri cum ſuis,* ABOMINABILE *enim reputabant, aut non ſepeliri, aut non cum ſuis.* Non ſuam, ſed poſterorum vtilitatem antiqui Patres ſpectabant, dum eis cadauerum ſuorum ſepulturam commendabant: abominabiles enim cunctis fuiſsent viui, ſi parentes in proprijs monumentis non humaſsent defunctos. Liquet igitur impios in defunctos ſuâ impietate homines prouocare ad indignationem, execrationem, & abominationem.

Oleaſter.

CAPVT XXXIII.

Præmio ab hominibus afficiuntur, qui mortuos pietate proſequuntur.

Hazael regi mortuo funeres officia perſoluens, ad regnum Syriæ à populis eſt euectus.

1 PRæmia, quibus Deus pietatem remunerat in defunctos, ſuperiori libro capite 8. explicauimus. Nunc ea oſtendimus, quibus eam homines afficiunt, vt non tantùm diuina, ſed etiam humana præmia ſibi comparare clementes ergà mortuos agnoſcant. Ægrotante Benadad Rege Syriæ, tulit Hazaël ſtragulum, & aquam infundens, ſuper vultum illius expandit. Illo autem vitâ functo, ipſe regnauit pro eo. *Cùmque veniſſet dies altera, tulit ſtragulum, & infudit aquam, & expandit ſuper faciem eius; quo mortuo, regnauit Hazael pro eo.* 4. Reg. 8. 15. Regnauit autem Hazaël, non quia de ſemine regio eſset, ſed quia cùm Benadad ſibi antè mortem ſucceſsorem non elegiſset, Syri eum regem ſuum fecerunt. *Regnauit Hazael,* inquit Abulenſis, *nam Benadad putans ſe non moriturum iuxtà verbum Eliſæi relatum ab Hazaele, non curauit diſponere de ſucceſſore in regnum, & ideò Hazael, quamquam non eſſet de ſemine regio, quia habebat aliquos fauentes ſibi factus eſt rex.* Sed quo pacto ad regnum peruenit, qui regem ſtragulo ſtrangulauerat aquâ perfuſo? Nunquid populi ſuum ſibi regem elegerunt ſui regis interfectorē? Nunquid ad regni ſolium euexerunt, qui regem regno deiecerat, & vitâ? Nunquid tandem ad regiam maieſtatem eum extulerunt, qui læſæ maieſtatis crimine fædabatur? Nequaquam; nec enim mortem attulit Regi viuo, ſed ſtragulo aquâ perfuſo funeris officium, abluens, & operiens, ei exhibuit defuncto. Quapropter Syri virum in Regem mortuum pium regiâ dignitate remunerare voluerunt. Audiamus eumdem Abulenſem quæſt. 27. hæc dicentem. *Aliqui dicunt, quòd Benadad mortuus eſt die ſequenti, & poſt mortem eius infudit Hazael ſuper vultum eius ſtragulum perfuſum aquâ, & hoc faciebat ad exhibendum officium funeris, ſcilicet, quòd lauit corpus eius, ſicuti fieri ſolet in mortuis, & operuit vultum eius linteamine perfuſo aquâ, quia ſic etiam cadauera ſindonibus obuoluuntur ad ſepeliendum.* Confeſtim Hazaël regi mortuo funeris officia perſoluit, & ex ſuâ pietate præmium tale retulit, vt à populis ad regni ſolium vnanimi fuerit conſenſu euectus.

Abulenſis.

2 Idem quoque præmium retulit Dauid, cùm ſciſſis veſtibus plorauit Saul, eiuſque filios defunctos, & cum viris, qui ſecum erant, pro eorum animabus ieiunauit. Vix enim hæc egit, & ſtatim venerunt viri Iuda, qui eum, vt ſuper ſe regnaret, vnxerunt. *Veneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret ſuper domum Iuda.* 2. Reg. 2. 4. Vide, quali præmio remunerati ſint viri iſti Dauidis pietatem exhibitam defunctis, qui confeſtim poſt illam ad regni ſolium eum euexerunt. Audi Dionyſium Carthuſianum egregiè ad rem noſtram loquentem. *Recitatur hic, qualiter Dauid peruenit ad regnum, poſtquam ſcilicet deplanxit Saul, & Ionatham, interfectoſque Iſrael.* Regnum Dauid obtinuit, cùm ſe pium defunctis exhibuit, eumque ferè adhuc in funere plorantē regio diademate viri Iuda coronauerunt, vt nobis conſtaret hominum quoque præmijs decorari, qui ſuâ decorant pietate defunctos.

Vnctus fuit Dauid in regem, cùm Saul, & filios eius mortuos plorauit.

Dion. Carth.

3 Nec tantùm regnum, verùm etiam hac pietate regni obtinuit firmitatem. Poſt mortem Abner in eius perniciem ferè totus coniurauerat populus, exiſtimans iuſſu illius cædem patratam innocentis. Quod cognoſcens Dauid, magnificâ pompâ exequias defuncto parauit, feretrum vſque ad ſepulchri locum lugubri veſte indutus eſt comitatus, mortui laudes oratione funebri explicauit, & ſe nihil guſtaturum vſque ad veſperam ſolenniter iurauit. Quæ pietatis obſequia ita populo placuerunt, vt libenter ei adhæſerint, & alium vltrà, præter ipſum, regem non quæſierint. *Omniſque populus audiuit, & placuerunt eis cuncta, quæ fecit rex in conſpectu totius populi.* 2.

Ob pietatem Abner mortuo exhibitā populus eum libenter in regem accepit.

Reg.

Digitized by Google

Reg. 3. 36. Animaduerte quæſo populum confeſtim placatum regis nuper inuiſi opera probaſſe; hoc enim pietas promeruit, quam exhibuit defuncto, vt populus ei beneuolum ſe redderet, eumque libenter in Regem acciperet. Appoſitè idem Dionyſius Carthuſianus. *Ex hoc libentiùs acceperunt eum in regem, & ſecuriùs adhæſerunt ei.* Ex quo Dauidem agnouerunt in mortuum Abner pium, omneodium depoſuerunt, eumque in ſuum regem acceperunt.

Idem.

4 Hùc fortè ſpectauit Herodes, qui Ioannis Baptiſtæ cadauer diſcipulis eius, vt illud honorificè ſepelirent, conceſſit. *Et accedentes diſcipuli eius, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud.* Matth. 14. 12. Quis crudelitatem ignorat Herodis, qui Chriſti præcurſoris caput inter epulas amputauit, qui ſacrum cruorem profanis poculis commiſcuit, qui conuiuali tempore ſpeculatoris gladio Prophetam peremit? Quo igitur pacto immane iſtud inhumanitatis monſtrum depoſitâ feritate manſueſcit, & cui abſtulit crudeliter vitam, concedit, petentibus diſcipulis, ſepulturam? An id egit, vt pietate defuncto præcurſori exhibitâ populum contrà ſe iratum placaret, ita vt à regno vlteriùs decidere non timeret? Id voluit Maldonatus, cuius hæc ſunt verba. *Illud probabile petentibus diſcipulis corpus ſpecie quadam humanitatis faciè conceſſum: volebat enim Herodes populi, quem, vt ait Euangeliſta, timebat, iram lenire.* Vt ſuum firmaret regnum, iramque populi ſedaret, humanitatis obſequia defuncto impertiuit, ſciens regnum, regnique ſtabilitatem pietate in defunctos ab hominibus frequenter obtineri.

Herodes ſepulturam permiſit corpori D. Io. Baptiſtæ, vt regni à populo ſtabilitatem obtineret.

Maldonatus.

5 Ad Dauidem redeo, eiuſque benignitatem recolo, quâ viris Iabes Galaad, miſſis nuntijs, gratias egit, atque beneficia eis conferre pro ſepulturâ Saul, & filiorum eius promiſit. *Sed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum iſtud.* 2. Reg. 2. 6. Tanto præmio virorum iſtorum pietatem dignam exiſtimauit, vt eos, ac ſi ſibi magnum aliquod beneficium contuliſſent, remunerari decreuerit. Do Abulenſem claris verbis id aſſerentem. *Promiſit* (Dauid) *ſe pro* Hoc Redditvrvm Vicem, *tanquam ſibimet hoc beneficium collatum foret.* Agnouit Dauid pietatem defunctis exhibitam præmio eſſe ab hominibus afficiendam, ideòque pietatem, quam Iabenſes Saul, & filijs eius mortuis exhibuerunt, non ſecùs, ac ſi beneficium ſibi collatum fuiſſet, gratioſâ retributione remunerauit.

Iabenſiū pietatem in defunctos tanquam beneficium ſibi collatum Dauid remunerauit.

Abulenſis.

6 Et ſanè gratioſa fuit iſta retributio, nam eis dixit, *ſed & ego reddam gratiam.* Quod explicans Dionyſius Carthuſianus ait, *Reddam gratiam, id eſt* Gratiosam Retribvtionem. Ac ſi dixiſſet, Gratis vobis pro veſtrâ pietate præmia præſtabo. Cur verò gratis, dum viri illi, vt pietatem illam exhiberent, totâ nocte ambulauerunt, caſtra hoſtium adierunt, vitamque ſuam forti, ac fortunæ commiſerunt? Quia præmium omnia ea, quæ poſſent à ſe ſperare, longè excedens, illis parabat. Audiamus Carthuſianum. *Reddam gratiam, id eſt gratioſam retributionem vltrà, quàm ſperatis à me.* Præmium adeò excellens Iabenſium pietati defunctis exhibitæ Dauid parauit, vt eorum quoque ſpem ſuperauerit, & ideò gratiæ nomine appellandum eſſe rex ipſe cenſuerit.

Pro eadem præmium illorum ſpem ſuperans eis ſtulit.

Dion. Carth.

7 Addo, quòd illos confortauit, ſeque vnctum eſſe à tribu Iuda in regem eis nuntiauit. *Confortentur manus veſtræ, & eſtote filij fortitudinis, licet enim mortuus ſit dominus veſter Saul, tamē me vnxit domus Iuda in regem ſibi.* 2. Reg. 2. 7. Quod dixit Dauid, ne animo deficerent, vtq; ſibi regiā ſemper protectionē promitteret. *Dixit hoc Dauid,* inquit Abulenſis, *ad confortandum viros Iabes, quia cùm iam non haberent regem, deficerent animo, & non reſiſterent hoſtibus, ideò dixit, quòd propter mortem Saul non conſternarentur animo,* Qvia Ipse Defenderet Eos, *ſicut defendebat Saul.* Vide quot præmijs pietatem defunctis impenſam Dauid remunerauit, qui Iabenſibus eam impendentibus, nedùm præmia congrua, nedùm retributionem ſpem eorum excedentem, ſed etiam ſuam promiſit, ac perpetuam protectionem.

Item ſuam eis protectionē promiſit.

Abulenſis.

8 Vt Chriſtum reſurgentem, ſibique in viâ occurrentem Magdalena cognouit, corruens ad pedes illius, eoſque ardenti pietate retinens, cum cæteris mulieribus adorauit. *Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Matth. 28. 9. Vbi ſciſcitandum eſt, quare potius Chriſti pedes, quàm alia eiuſdem membra voluerit hæc feruens mulier adoratione venerari. Cur non potiùs, aut caput ſpineo pro ſe diademate anteà redimitum, aut manus, quæ tot miracula diuinâ virtute patrauerant, aut pectus honorauit, quod charitatis ardore adhuc flagrabat? Cur partibus eminentioribus relictis, corruit ad imas, & pedes tenens, cætera membra omittit? An ad pedes procidere voluit, qui ad oppidum Bethaniæ perrexerant, vt mortuum fratrē ad priſtinam vitam reuocarent? Ita cenſet Simon Caſſianus lib. 5. in Euangelia cap. 15. *Procidit antè pedes, qui eam viſitaturi aduenerant, & ſuſcitare germanum.* Ad pedes procidit, quia venerant, vt ſuſcitaretur mortuus, excellentiori quodammodo remunerans adorationis honore membra illa, quæ pietatem exhibuerant defuncto.

Magdalena ad pedes ei procidit, qui venerant, vt fratrem ſuſcitarent defunctum.

Sim. Caſſian.

9 Sed nec Gentiles abſq; remuneratione pietatem defunctis exhibitam relinquebant, vndè Cimonem Athenienſem, qui Miltiadem patrem in carcere defunctum voluntarijs vinculis, vt ſepeliretur redemit, eo præmio Græci affecerunt, vt ſuum ducem eum conſtituerent, & ob tantam pietatem ad præcipuarum eueherent culmina dignitatum. Refert id Iuſtinus hiſtoricus lib. 2. his verbis. *Græci ducem conſtituunt Cimonem Athenienſem filium Miltiadis, quo duce apud Marathonē pugnatum eſt, iuuenem, cuius magnitudinem futuram pietatis documenta prodiderunt. Quippè patrem ob crimen peculatus in carcerem coniectum, ibique*

Cimonem tertris cadauer ſuis vinculis redemptū ad præcipuas dignitates Græci euexerunt.

Iuſt. Hiſt.

que

quæ defunctum trãslatis in ſe vinculis ad ſepulturam redemit. Pietatem Cimonis, quâ patrem à vinculis redemit defunctum, remunerari Græci voluerunt, quare ducem in prælio eum elegerunt, & ad præcipuas dignitates tempore pacis extulerunt.

Reprehenditur Codrus, quòd ex pietate mortuo Pompeio impenſá præmium non expectet, ſed pœnam vereatur.

10 Capiti coronidem impono verba proponens, quibus Lucanus lib. 8. Pharſaliæ Codri timorem arguit, qui poſt exequias magno Pompeio noctû celebratas, adueniente luce fugit, ac ſi pœnam ſibi pro illo pietatis obſequio infligendã vereretur.

Lucanus.

Quam metuis demens iſto pro munere pœnam,
Quo te fama loquax omnes accepit in annos?

Verè demens, qui ſibi pœnam timebat, vndè præmium expectare debebat. Quapropter ad hæc inquit Lambertus Hortenſius. *Non poteſt non exclamare poeta in timiditatem Codri vſtoris, cui cùm pro pio officio non gratia ſolùm haberi debuiſſent, verùm etiam* PRAEMIVM DEBEBATVR, *inſuper fugit aduentante luce, quaſi pœnam ob malam noxam meritus fuiſſet*. Stultum erat pœnam timere, cùm propter pietatem defuncto exhibitam præmium eſſet expectandum: præmio enim ab hominibus afficiuntur, qui mortuos pietate proſequuntur.

Lambertus Hortenſius.

CAPVT XXXIV.

Pœnis mulctantur humanis, qui ſe defunctis exhibent inhumanos.

Pœna, quibus leges ciuiles puniunt impios in defunctos.

1 VT ſuæ pietatis præmia, tùm à Deo, tùm ab hominibus referunt pij ergà defunctos, ita in eos impij non tantùm diuinis, verùm etiam pœnis mulctãtur humanis. Et ſanè quis ignorat pœnas, quas leges humanæ impijs iſtis infligunt? Seruus in ſepulchris demoliendis deprehenſus relegatione plectitur, & ad metalla damnatur. Quæ pœna lib. 9. Cod. tit. 19. imponitur. *Si ſeruus in demoliendis ſepulchris fuerit deprehenſus, ſi id ſine Domini ſcientiâ faciat, metallo addicatur, ſiu vero Domini authoritate, vel iuſſione vrgetur, relegatione* PLECTATVR. Ibidem leg. 5. decernitur, vt ij, qui ornamenta remouere audẽt de ſepulchris, tanquam ſacrilegi ſacrilegij pœnâ cohibeãtur. *Pergit audacia ad buſta defunctorum, & aggeres conſecratos, cùm & lapidem hinc mouere, & terram euertere, & ceſpitem euellere proximum ſacrilegio maiores noſtri ſemper habuerint: ſed & ornamenta quædam triclinijs, aut porticibus auferre de ſepulchris. Quibus primò conſulentes, ne in piaculum incidat contaminata religio defunctorum, hoc fieri prohibemus* POENA SACRILEGII COHIBENTES. Harmenopulus lib. 6. tit. 5. ſepulchrorum ſpoliatores manuum amputatione dixit puniendos. *Qui mortuos in ſepulchris exuunt, illis manus amputentur*. Paulus apud Cœlium Rhodiginum lib. 17. cap. 19. reos ſepulchrorum violatorum ſummo ſupplicio docet afficiendos, aut ſaltem, ſi ſint honeſtiores, relegandos, vel ad metalla damnandos. *Rei ſepulchrorum violatorum, ſi corpora ipſa extraxerint, vel oſſa eruerint, humilioris quidem fortunæ ſummo ſupplicio afficiuntur honeſtiores in inſulam deportantur, aut relegantur, aut in metalla damnantur*. Ripa de remedio contrà peſtem numer. 115. capitis pœnâ ſentit plectendos, qui cum armis, ad metalla verò damnandos, qui ſine armis aggrediuntur monumenta mortuorum. *Quâ pœnâ puniendi ſunt, qui ſepulchra aperiunt, vt cadauera ſpolient, & denudent? Reſpondeo, ſi manu armatâ id admiſerint* POENAE CAPITIS REI SVNT, *ſi ſine armis, in metallum damnantur*. Athenienſes Duces, qui prælio peremptorum militum ſepulturam neglexiſſent, capite plectebant. Quod refert Cœlius Rhodiginus lib. 17. cap. 19. *Apud Athenienſes ſepulchrorum tanta cura fuit, vt etiam peremptos bello ſi quis dux honeſtare ſepulchro neglexiſſet*, CAPITE PLECTERETVR. Alexander etiam ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 2. teſtatur ſummos duces apud Athenienſes capitis ſupplicio fuiſſe affectos, eò quòd militum cadauera ſepulturæ honore nõ decoraſſẽt. *Maxima ſpel ēdorum cadauerum cura Athenienſibus fuiſſe fertur, præcipuè bello peremptorum, ita vt qui illos inhumatos relinquerent, quouis ſupplicio dignos putarent. Iccircò ſummos duces, quia cæſos nauali pugnâ in mare deiecerant*, GRAVIVS POENIS, ET CAPITIS SVPPLICIO AFFECERE. Quin & eamdem capitis pœnam ingrato euertiatori lego impoſitam, hoc eſt ei, qui hæreditate acceptâ, renuit iuſta facere defuncto. Vndè Lilius Gyraldus lib. de vario ſepeliendi ritu ait. *Nec hoc eſt prætermittendum, euerriatorem vocari eum, teſte Feſto Pompeio, qui acceptâ hæreditate iurè iuſta facere defuncto debet, qui ſi non fecerit, ſeu quid in eâ re turbauerit*, SVO CAPITE LVAT. Quis igitur hæc legens non videt ab hominibus etiam eos puniri, qui debitã renuunt mortuis exhibere pietatem?

Codex.

Harmenopulus.

Paulus.

Ripa.

Cœlius Rhodiginus.

Alexander ab Alex.

Gyraldus.

Conciliorum pœna contrà impios in mortuos ſtatuta.

Concilium Toletanũ 4.

Concilium Meldenſe.

2 Sed & ſacræ Conciliorum leges congruis pœnis hanc impietatem punire voluerunt. Quamobrem Concilium Toletanum 4. can. 45. clericum ſepulchrorum violatorem à Clericatûs ordine iubet ſubmoueri, & penitẽtiæ triennio deputari. *Si quis Clericus in ſepulchris demoliendis fuerit deprehẽſus, quia facinus hoc pro ſacrilegio legibus publicis ſanguine vindicatur, oportet canonibus in tali ſcelere proditũ à Clericatûs ordine ſubmoueri, & pœnitentiæ triennio deputari*. Concilium verò Meldenſe cap. 72. hoc crudeliſſimum facinus tanquam morte dignum præcipit ab omnibus euitari. *Nec quiſquam oſſa cuiuslibet mortui de ſepulchro ſuo eijciat, aut ſepulturam cuiuſque temerario auſu quoquo modo violet, ſed vnumquemque in loculo ſibi à Deo præparato, atque conceſſo aduentum ſui iudicis præſtolari concedat, maximè cùm non ſolùm diuinæ leges, ſed etiam & humana apud humanam Rempublicam ſepulchrorum violatores reos mortis dijudicent*. Vides ab humanis legibus, tùm ciuilibus, tùm canonicis crudelitatem in mortuos seuerè mulctari?

Aegyptij magiſtros accu-

3 Pergo, & Ægyptiorum morem expendo, qui

ſatores mortuorũ magnâ pœnâ mulctabant.

qui antequam in arcâ defuncti cadauer condatur accuſationem permittunt volentibus crimen in vitâ patratum obijcere defuncto. Quare ſi defunctus vitam criminibus infamem duxiſſe probetur, illius cadauer ſepulturæ honore priuatur. At ſi quis mortuo falſum crimen obijciat, durâ pœnâ mulctatur; calumniã enim contrà mortuũ ſeuerè puniendã cenſent Diodori verba hunc referentis morem affero, qui lib. 1. cap. 5. hæc habet. *Antequam condatur in arcâ cadauer, permittitur lege volenti mortuum accuſare. Si quis comprobatur malè vixiſſe, iudices ſententiam ferunt; quâ cenſent corpus eius ſepulchro priuandum. Qui deprehenditur iniuſtè crimen obieciſſe*, MAGNA MVLCTATVR POENA. Magnâ pœnâ mulctandi ſunt, qui humanitatis obliti ſæuiunt in mortuos, & iccircò Ægyptij malignos accuſatores defunctorum ſeuerè mulctabant.

Diodorus.

Antigonus filium in mortuum impiũ ſceptro percuſſit, & barbarum vocauit.

4 Quod & præſtitit Antigonus, qui Alcyoneum filium in caput Pyrrhi defuncti crudeliter ſæuientem ſceptro percuſſum expulit, & nefariũ, ac barbarum appellare non dubitauit. Adeò quippè cenſebat puniendam ſæuitiam in mortuos, vt nec proprio voluerit ignoſcere filio, cùm eum vidit mortui caput inſepultum irridentem, ac ignominijs, & contumelijs afficientem. *Alcyoneus*, verba ſunt Plutarchi, *citato equo currens, caput* (Pyrrhi) *ſibi cognoſcendæ rei causâ præberi poſtulabat. Acceptum ad patrem Antigonum ſtatim detulit, & apud eum cum amicis tùm ſedentem proiecit. Antigonus, vt vidit, filium ſceptro percuſſum abegit, barbarum, & ſcelere contaminatum dicens*. Contumeliâ mortuum afficientem contumelijs Antigonus mulctauit, & quamuis propriũ filium, eum percuſſit, & barbarum, ac ſceleratum dixit.

Plutarchus.

Iudices vocabant eũ, qui nolebat ſemẽ ſuſcitare fratri defuncto, vt eum mulctarent.

5 Hùc reuocandam cenſeo pęnam, quâ ille, qui fratri defuncto ſemen ſuſcitare nolebat, iuxtà legis antiquæ præſcriptum mulctabatur. Vxor enim mortui iudices adibat, eiſque illius impietatem ſignificabat, qui ſtatim eum vocabant, & vtrum ita res ſe haberet diligenter interrogabant. *Perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit maiores natu, dicetque. Non vult frater viri mei ſuſcitare ſemen fratris ſui in Iſrael, nec me in coniugem ſumere, ſtatimque accerſiri eum facient, & interrogabunt*. Deut. 25. 8. Cur verò illos interrogabant, niſi, vt ſi reperirent reos congruâ pęnâ mulctarent? Probè Oleaſter in hunc locum. *Non dedecet Iudicem reum rogare, vt iuribus obediat, & legibus, & poſtmodum ſi renuat*, IVXTA LEGES PATRIAS PVNIRE. Prorſus puniendi ſunt, qui renuunt mortuis exhibere pietatem, & iccircò fratrem ſuperſtitem iudices vocabant, vt eum mulctarent, ſi renuiſſet fratri ſemen ſuſcitare defuncto.

Oleaſter.

A mulieribus in antiquâ lege impius in mortuum puniebatur.

6 Hinc etiam eſt, quòd vxor defuncti ſoluebat calceamentum de pede illius, inque faciem eius contumelioſa proferens verba ſpuebat. *Accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius, ſpuetque in faciem illius, & dicet, Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui*. Deut. 25. 9. Vbi vides impium in fratrem mortuum opprobrijs, & contumelijs à muliere mulctatum. Quare idem Oleaſter. *Non ſolùm*, inquit, *verbere, ſed etiam opprobrio, & dehoneſtatione debent rei aliquandò* PVNIRI, *quoniam ſæpiùs magis ſentit homo dehoneſtari, quàm mori*. Ita puniendus eſt homo, qui mortuis denegat pietatẽ, vt etiam à mulieribus in antiquâ lege opprobrijs puniretur, & contumelijs.

Idem.

Qui nõ inuigilabant cuſtodiæ mortuorum, ſubibant pœnam apud Theſſalos ſubijciebantur.

7 Aliam pęnam refert Apuleius lib. 2. metamorph, quâ ij, qui cuſtodiæ non inuigilabant mortuorum, ſeuerè apud Theſſalos mulctabantur. Siquidem ab eis membrum pro membro poſcebatur, & quidquid à ſagis mulieribus ex cadaueris vultu demorſicatum fuiſſet, ea facie ſuâ reſtaurare cogebantur. *Si qui non integrum corpus manè reſtituerit, quicquid indè decerptum, diminutumque fuerit, id omne de facie ſuâ defectum ſarcire compellitur*. Quæ magis explicans Beroaldus ait. *Tanquam* TALIONIS POENAE *ſubijciatur, quæ oculum pro oculo, dentem pro dente, membrum pro membro repoſcit*. Talionis pœnæ ſubijciebatur, qui mortuos negligenter cuſtodiebat, & amittebat vſum membrorũ, qui membra cuſtodire neglexerat defunctorum.

Apuleius.

Beroaldus.

Antonius interfici iuſſit eum, qui paludamento Brutum ſpoliauerat defunctum.

8 Quid? quòd impios in mortuos, mortis pœnâ interdũ reperio mulctatos? Bruti corpus interemptum, & proprio ſanguine cruentatum cùm inueniſſet Antonius, pietate motus tunicâ pretioſiſſimâ illud iuſſit inuolui. Quam lucri amore captus miles arripuit, & cadauer honore, quo piè decoratum fuerat, impio furto ſpoliauit. Sed non impunè id egit, nam eum poſtmodum iuſſit Antonius interfici, ſicque miſer, dum mortuum contemnere non timuit, ad mortem infœliciter properauit. Audiamus Plutarchum in vitâ Bruti hæc ſcribentem. *Brutum Antonius exanimem cùm inueniſſet, corpori præcepit paludamentum ex ſuis pretioſiſſimum inijci. Poſt cùm id interceptum comperiſſet* INTERFICI IVSSIT FVREM. Vitam amiſit, qui cadauer ſpoliauit, vt conuenienti pœnâ mulctatus vitâ per carnificem exueretur, qui paludamento auſus fuerat exuere defunctum.

Plutarchus.

Caligula capitali pœnâ eos plectebat, qui ſigna mœroris in funere ſororis non exhibebant.

9 Nec minori pœnâ Caligula eos mulctandos exiſtimauit, qui ſorori. Druſillæ pietatem denegantes, in eius funere, aut lauare, aut ridere, aut cum propinquis cęnare auſi fuiſſent. Hæc enim omnia capitali ſupplicio ſeuerè punienda decreuit. Habes id ex Suetonio in eius vitâ cap. 24. *Eâdem* (Druſillâ) *defunctâ iuſtitium indixit, in quo riſiſſe, lauiſſe, cęnaſſe cum parentibus, aut coniuge, liberiſue* CAPITALE FVIT. Adeò ſolenne apud antiquos fuit capitali pęnâ impios in defunctos plectere, vt hac pęnâ voluerit Caligula eos mulctari, qui ſigna moeroris in funere defunctę ſororis exhibere neglexiſent.

Suetonius.

Puella, quæ imprudenter in feretrum ſputum iecit, eſt igne cremata.

10 Alium adhuc affero huius impietatis in mortuos magis rigidum vltorem, imperatorem videlicet, qui puellam in feretrum Auguſtæ imprudenter ſpuentem comprehendi iuſſit, & igne,

vt

Digitized by Google

vt pęnas imprudentiæ ſuæ lueret, cremari. Rem narrat Ioannes Zonaras tom. 3. Annalium his verbis. *Cuius (Auguſtæ) funus cùm ornatu regio per forum efferretur, puella quædam barbara proſpectans, ſputum imprudens in feretrum deiecit, ob quod factum comprehenſa, & cremata Imperatrici defunctæ infœliciter parentauit.* Quis non miretur pœnas, quibus ab hominibus impietas in mortuos mulctatur, dum puella ob ætatem adhuc tenerâ excuſabilis, ob imprudentiam, quâ operata fuerat veniâ digna, & ob ignorantiam, ratione cuius contemptus omnis aberat, non valdè culpanda, rigidè interfecta, & igne fuit, dum cadaueri ſpeciem impietatis exhibuit, infœliciter cremata?

Zonaras.

Sennacherib impiū in mortuos eius filij occiderunt.

11 Placet illud, antequam caput abſoluam addere, quòd impij contrà defunctos à proprijs quoque filijs mortis pœnâ fuerunt mulctati. Iratus in Iſraëlitas rex Sennacherib, Tobiam, eo quòd eis mortuis obſequium ſepulturæ impendebat, eſt perſecutus, omnemque ſubſtantiam eius auferens, iuſſit inſuper ſatellitibus ſuis, vt eum interficerent, vnâ ſtatuens morte, & occidere hoſtem, & occiſis auferre humatorem. Verùm non ſine pœnâ temerario auſu tentauit pietatem defunctis exhibendam turbare, nam Tobias illæſus abijt, & ipſe poſt nonnullos dies à proprijs filijs interfectus occubuit. *Poſt dies verò quadraginta quinque occiderunt regem filij ipſius, & reuerſus eſt Tobias in domum ſuam, omniſque facultas eius reſtituta eſt ei.* Tob. 1. 24. Ad quæ verba in Gloſſa ordinariâ Gręcus hæc habet. *Et non tranſierunt dies quadraginta quinque, vſquequò occiderunt* EVM DVO FILII EIVS. Animaduerte impios in mortuos proprios quoque filios habere vltores, & agnoſce pœnis eos mulctari humanis, qui ſe defunctis exhibent inhumanos.

Gręcus.

CAPVT XXXV.

Ea mortui à viuis referunt, quæ viui mortuis impenderunt.

Pij ergà mortuos pios, & impij impios ergà ſe poſt mortem experientur viuos

1 HOc item ad pietatem excitandam ergà defunctos vim non modicam apud homines habere debet, quòd ea poſt mortem referent, quæ in vitâ exhibuerunt mortuis, ita vt pij ergà mortuos pios, impij verò impios ergà ſe viuos ſint experturi. Rectè monuit Chriſtus. *In quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7. 2. Quæ verba eò etiam tendunt, vt oſtendant homines poſt mortem, aut diligentes, aut negligentes alios habituros ad ſui auxilium, iuxtà diligentiam, quam adhibuerint, aut negligentiam, quam admiſerint, dum viuerent, in pietate defunctis exhibendâ. Affero verba Iodoci Clichtouei ſerm. 3. pro defunctis. *Qui hìc promptè, & libenter orat pro defunctis, hanc à Domino aſſequetur gratiam, quòd poſt mortem ſuam habebit etiam complures pro ipſo deuotè orantes. Et è conuerſo qui hìc negligentes ſunt ad orandum pro mortuis, etiam poſt mortem raros, aut nullos habebunt, qui orent pro eis ſecundùm hanc regulam Euangelicam. In quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis.* Diuinus æquitatis author, & iuſtiſſimus omnium iudex ſuffragia poſt mortem ijs exhibēda diſponit, qui ea exhibere in vitâ non neglexerunt cæteris, ijs autem qui nullam viuentes habuerunt mortuorum curam, nullam a ſuperſtitibus pietatem impendi permittit.

Iodocus Clichtoueus.

2 Firmat id Vincentius Belluacenſis parte 1. lib. 2. diſt. 12. dum ait eos poſt mortem ſuffragijs eccleſiaſticis adiuuari, qui dum viuerent, alios adiuuare feſtinabant. *Illi merentur maximè poſt mortem adiuuari ſuffragijs, qui dum viuerent, fuerunt ſoliciti pro mortuis adiuuandis.* Suffragia exhibita defunctis præmia ſunt ſolicitudinis, quâ dum viuerent, anterioribus ſunt ſuffragati mortuis, ita vt non niſi qui fuerunt pro aliorum ſuffragijs ſoliciti, cæteros habeant ad ſui auxilium ſolicitos.

Ii tantùm, qui fuerunt pro mortuis ſoliciti ſuffragijs aliorum adiuuantur.
Vincentius Belluacenſis.

3 Quod vt magis roboret, affert ibidem allatus author pœnam, quâ rigidè Religioſus quidã mulctatus eſt, qui ſuffragia, quæ Religionis ſtatuta mortuis exhibenda decernebant, negligenter ſoluebat. Suffragia enim, quæ pro eius liberatione à Purgatorio cæteri, cùm mortuus fuit, exhibuerunt, non ei, ſed alijs mortuis Deus diſtribuit, ne mortuus ſentiret ſuffragia viuorum, qui viuus animas neglexerat adiuuare mortuorum. *Religioſus quidam orationes, & Miſſas, quas ſecundùm ſuæ religionis ſtatuta ſoluere tenebatur, negligenter agebat, qui mortuus durè eſt de negligentiâ reprehenſus, & inſuper ſic punitus, quòd ſuffragia, quæ pro ipſis fiebant, iuſtus iudex diſtribuebat alijs, vt in quo peccauerat, puniretur, & ſicut ipſe mortuos fraudauerat, ſic mortuus fraudaretur, nec ipſe mortuus iuuaretur à viuis, qui viuens neglexerat, quæ debebat ſoluere pro defunctis.* Eadem verè menſurâ, quâ menſus eſt, remenſum eſt & illi, qui ſuffragijs exhibitis frui non potuit, quia ſuffragia cæteris, dum viueret, exhibere neglexit.

Suffragia denegata Religioſo qui negligebat ſuffragia exhibere mortuis.

Idem

4 Et ſanè valdè congruit, vt viuorum ſuffragijs mortui non adiuuentur, qui ſuffragia mortuis impendere viui noluerunt, vt pœnâ congruâ ſe mulctari cognoſcant, dum pro culpâ, quâ ſuffragia cęteris negauerunt, ſibi ſuffragia denegari ſentiunt. Quid enim clarius eſt, quàm quòd. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur?* Sap. 11. 17. Dum igitur in mortuos impij per hoc peccant, quòd ſuffragijs alios priuant, iuſtè per hoc torquentur, quòd & ipſi poſt mortem ſuffragijs priuentur. Quare ad rem noſtram hæc verba explicans Gregorius Britannicus ſerm. pro defunctis, inquit. *Qui negligentes ſunt orare pro mortuis, puniuntur in hoc ipſo, vt poſt mortem alij ſint negligentes orare pro ipſis.* Qui negligentiâ peccant, negligentiâ puniuntur, & qui mortuos torquent, dum pro eis non orant, in hoc torquentur, quòd non oratur pro ipſis.

Qui peccant negligentiâ in mortuos, negligentiâ, cùm mortui ſunt, torquentur.

Gregorius Britannicus.

5 Quis cædes ignorat, quibus Iaſon Ieruſalē inuadens, proprios conciues crudeliter trucidabat,

Iaſon, qui mortuos inſepultos abiecit

bat, in ſepultus poſt mortem eſt abiectus.

bat, eorumque cadauera inſepulta crudeliter abijciebat? Verùm in hoc ipſo punitus fuir, quòd qui mortuos inſepultos abiecerat, mortuus inſepultus fuit, omni ſepulchro carens, qui cæteros honore priuauerat ſepulchri. *Qui inſepultos multos abiecerat, ipſe & illamentatus, & inſepultus abijcitur: ſepulturâ neque peregrinâ vſus, neque patrio ſepulchro participans.* 2. Machab. 5. 10. Ad Lacedæmones eſt profectus, ibi refugium habere ſperans, vbi cognationem habebat, ſed ſpes eius eum fefellit, eademque mortuus retulit, quæ viuus mortuis exhibuit. Ad rem Dionyſius Carthuſianus.

Dion. Carth.

Qui inſepultos multos abiecerat, apud Spartiatas gratiam non inuenit, ſed occiſus fuit, & inſepultus. Vti alios occiderat, & inſepultos reliquerat, ita ipſe occiſus, & inſepultus fuit, eodem impietatis genere mulctatus, quo immaniter ſæuierat in mortuos.

Canes linxerunt cadauer Achab, qui cadauer Naboth canibus lingendum abiecerat.

6 Quod & contigit impio regi Achab, cuius iuſſu Naboth Iezrahelita lapidibus à populo fuit obrutus, & ſine ſepulturę honore iacuit cruore perfuſus. Eum enim reprehendens, ac Dei nomine alloquens Propheta Elias. *Hæc*, inquit, *dicit Dominus, in loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuū.* 3. Reg. 21. 19. Vbi aduertit D. Ambroſius, quòd eamdem mortuus retulit crudelitatem, quam viuus attulerat Naboth defuncto, vt qui nec mortuo pepercerat cruore perfuſo, poſt mortē mulctaretur cruore perfuſus, & qui hoſtem inſepultum abiecerat, abijceretur & ipſe ab hoſtibus inſepultus. *Diuina*, verba ſunt Ambroſij, *mouetur iuſtitia, & auarum dignâ ſeueritate condemnat. Quàm iuſta, quàm ſeuera ſententia, vt quam intulit alteri mortis acerbitatem, eam ipſe mortis ſuæ horrore diſſoluere proderetur. Inhumatum pauperem Deus aſpicit, & ideò inſepultum diuitem iacere decernit, vt & mortuus luat ſuæ iniquitatis ærumnam qui nec mortuo putauit eſſe parcendum. Itaque vulneris ſui cruore perfuſum cadauer, ſpecie funeris vitæ ſuæ prodidit crudelitatem.* Poteratnè luculentiùs ad noſtrum inſtitutum ſanctus iſte Pater hæc exarare? Eadem perfidus rex mortuus retulit, quæ mortuo præſtiterat, dum eius cadauer canes cruentatum linxerunt, qui alienum cadauer item cruentatum, & canibus abiecerat lingendum.

D. Ambroſ.

Cornelius Sylla ſuum cremari voluit cadauer, ne ab alijs erueretur, ſicut à ſe fuit erutum Marij cadauer.

7 Primus ex Romanis patricijs, qui ſuum voluerit cadauer pyræ incendio cōburi, & rogi flāmis cremari, creditur fuiſſe Cornelius Sylla, qui hoc decedens heredibus iuſſit, cùm cæterorum ſolerent cadauera integra terræ mandari. Rationem verò, cur id iuſſerit, affert Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 2. ex eo, quòd cùm Marij cadauer è ſepulchro eruiſſet, & in Anienem miſiſſet, timuit, ne idem quoque ſuo poſt mortem contingeret cadaueri, ſciens ea mortuos referre à viuis, quæ mortuis, cùm viui fuerunt, præſtiterunt. Subijcio verba Alexandri. *Primus ex patricijs Cornelius Sylla traditur, qui decedens igni ſe cremari voluit, veritus talionē, nam ipſe corpus Marij, & eruta oſſa ſubuertit, & in Anienem miſit.* Hanc etiam Gentiles attigerunt veritatem, quòd qui crudeliter, dum viuerent, ſe geſſerunt in defunctos, eamdem ſibi poſt mortem exhibitam experiantur crudelitatem.

Alexander ab Alex.

Hector, qui in Patroclum mortuum crudelia cogitauit, crudelē in ſe. cū mortuus fuit Achillem habuit.

8 Cùm Achilles Hectorē interfeciſſet dilecti Patrocli occiſorem, non iccircò eius ira quieuit, ſed in mortuum cadauer adhuc ſæuiens, illud in pedibus indecenter perforatum, & loris ignominiosè ſuſpenſum, puluere deturpatum, & cruore aſperſum crudeliter ad naues raptauit. Audiamus Homerum hæc Iliade 22. narrantem.

Homerus.

Dixit: & Hectori diuino indecentia curauit opera,
Amborum à tergo pedum perforauit neruos,
In talum à calcaneo; bouina autem ſuſpendit lora.
Ex curru autem ligauit: caput autem trahi ſiuit.
In currum autem aſcendens, ſupraque inclyta arma eleuans.
Verberabat autem expellere: hi autem non inuiti volabant;
Huius autem erat tracti puluis, circùm autem capilli
Flaui pleni erant: caput autem omne in pulueribus
Iacebat antè gratioſum.

Hoſtibus parcendum poſt mortem.

Hæc autem audiens, quis non miratur Achillis crudelitatem, qui tantâ in mortuum ſæuijt immanitate? Nonnè apud viros ſapientes muliebre, ac prorsùs vile cenſetur pugnare cum mortuis, & aduerſario contumelias irrogare defuncto? Sanè Plato dialogo 5. de Republicâ l. 31. hæc habet. *An non illiberale quoddam, cogitationiſque auaræ, muliebris, ac vilis eſſe videtur cadauer expoliare, hoſtemque putare mortui corpus, cùm aduerſarius ipſe abierit, eo, quo pugnabat, relicto?* Hoc idem exiſtimauit Pompeius, qui nullas ideò in Mithridatem defunctum cenſuit iras exercendas, de quo Dio lib. 37. Rom. hiſt. *Pompeius cum vitâ Mithridatis etiam nomen hoſtile extinctum exiſtimans, nullas in defunctum fruſtrà iras exercendas putauit, itaque nihil eius cadaueri inſultans, in patrio id ſepulchro condi iuſſit.* Idipſum Agamemnon ſenſit apud Homerum Iliade 7.

Plato.

Dio.

De mortuis autē cremare eos nequicquā recuſo;
Neque enim aliquid lucri ex cadaueribus mortuis
Fit, poſtquam occubuerint, igne gratificeris ſtatim.

Homerus.

Quibus & ea conſonant, quæ dixit Virgilius lib. 11. Æneidum.

Nullum cum victis certamen, & æthere caſſis

Virgilius.

Quintilianus item declamat. 6. inquit. *Orbitatem ſuam non intelligit, ſi vltrà hoſtium affectum, qui cæſos acie ſæpè tumularunt, vltrà tyrannos, vltrà latrones parum habet non ſepelire, niſi aliorum quoque officia præciderit.* Denique Vibulenus apud Cornelium Tacitum lib. 1. Annal. *Ne beſtes quidem*, inquit, *ſepulturam inuident.* Cum igitur adeò debita ſit pietas hoſtibus defunctis, cur adeò impiè, ac inhumanè in Hectorem mortuum ſe geſſit Achilles? Præiuit in dubio, quod aptâ reſponſione diſſoluit vetus Scholiaſtes Homeri, inquiens, quòd Hectori ſe crudelem Achilles exhibuit, quia & ipſe talem ſeſe Patroclo exhibuerat

Quintilianus.

Cornelius Tacitus.

rat

rat defuncto. *Διὰ τί Ἀχιλλεὺς θανόντα διασύρει; καὶ λέγομεν ὅτι δι' ὠμότητα ὄργε καὶ Ηετίωνα φονεύσας οὐκ ἐσύλησεν ἀλλὰ σὺν αὐτοῖς τοῖς ὅπλοις ἔθαψε. ἀλλ' ὅτι Πρότερον ὁ Ἕκτωρ εἰς τὸν Πάτροκλον ἀεικέα μήσατο ἔργα, οἷα καὶ λέγει περὶ αὐτοῦ κεφαλὴν δὲ θυμὸς ἄνωγε πῆξαι ἀνὰ σκολόπεσσι Ταμόνθ' ἁπαλῆς ἀπὸ δειρῆς. Παρανομοῦσι δ' οὐχ' οἱ ἀμυνόμενοι ἀλλ' οἱ ἄρξαντες.*

Scholiaſtes Homeri.

Cur Achilles mortuum Hectorem raptat? Reſpondemus autem, non ob crudelitatem feciſſe, qui Hectionem cùm occidiſſet non ſpoliauit, ſed cum ipſis armis ſepulturæ mandauit, ſed quia priùs Hector in Patroclum crudelia molitus fuerat, qualia de eo dicit: caput autem palo affigere à tenerâ ceruice abſciſſum cogitabat. Contrà legem verò faciunt, non qui vlciſcuntur, ſed qui authores ſunt primi. Suæ crudelitatis Hector poſt mortem pœnas luit, &c. ſicut Patroclo mortuo ſe impium exhibuerat, ita mortuus impium in ſe ſenſit Achillem.

Ne filius eum in alienâ terrâ ſepeliret, apud eum ſe Iacob excuſauit, quòd non ſepelierat in propriâ vxorem.

9 Ad ſacra denuò redeo, & expendo Iacob, antequam moreretur, filium Ioſeph ad ſe vocaſſe, eique, cur non humaſſet Rachelem vxorem in patrio ſepulchro, rationem reddidiſſe, ac ſe excuſaſſe, quòd vernum tunc tempus eſſet, & Ephratam ingrederetur. *Mihi enim, quando veniebam de Meſopotamiâ mortua eſt Rachel in terrâ Chanaan in ipſo itinere, eratque vernum tempus, & ingrediebar Ephratam, & ſepeliui eam iuxtà viam Ephrata, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.* Gen. 48. 7. Si autem quæratur, cur hæc Iacob filio Ioſeph dixerit, reſpondet Abulenſis eum timuiſſe, ne Ioſeph ſuum cadauer extrà paternum conderet ſepulchrum, ſi credidiſſet hanc pietatem eum ſine rationabili cauſâ defunctæ denegaſſe vxori. Quapropter ſe voluit excuſare, ac non ob negligentiam, ſed propter impotentiam ſe id omiſiſſe, teſtari. *Conſiderauit Iacob*, inquit Abulenſis, *quòd licet Ioſeph iuraſſet ducere corpus eius in terrâ Chanaan, tamen valdè graue ei videretur, primò quia magno labore, & expenſis indigebat, ſecundò quia Iacob maximè diligebat vxorem ſuam Rachelem, tamen cùm mortua fuiſſet in terrâ Chanaan non valdè longè ab Hebron, vbi erat duplex ſpelunca in agro, quem emerat Abraham, in quo maiores ſui ſepeliebantur, non duxit eam Iacob in illam ſpeluncam, ſed ſepeliuit in itinere.* Nouerat bonus ſenex ea homines poſt mortem recipere à viuis, quæ in vitâ exhibuerunt mortuis, quare ne filius eum in exterâ terrâ ſepeliret, ſicut ipſe in alienâ humo ſepelierat vxorem, cauſas, propter quas id egerat ſigillatim recenſere decreuit.

Abulenſis.

Poſteri Ioſeph ei datâ fidem ſeruauerunt, quia ipſe fidem patri ſeruauerat defuncto.

10 Patrem imitatus eſt filius Ioſeph, & non ſecùs ac ipſe propinquos antè mortem adiurauit, vt ſua oſſa ex Ægypto ſecum transferrent. Quod ſanè obtinuit, nam cùm Moyſes egreſſus eſt cum populo ex Ægypto, ea tulit, & proprio in ſepulchro humanda aſportauit. *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum, eo quòd adiuraſſet filios Iſrael, dicens: Viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum.* Exod. 13. 19. Cur, cùm pauidi fugerent à tyranno Iſraëlitæ, ſecum oſſa voluerunt aſportare defuncti? Cur qui vix neceſſaria ferre poterant ad viuendum, ſepulchrum effoderunt, & cadaueris oſſa eruerunt, quę ſarcinas inutiliter augerent? An id egerunt, vt fidem ei poſt mortem ſeruarent, qui mortuo fidem ſeruauerat parenti? An eius oſſa tulerunt, quia eùm patris ad proprium ſepulchrum tranſtuliſſet cadauer, eamdem ſibi meruit mortuo exhiberi pietatem? Clarè id teſtatur Lipomannus in catenâ. *Sic promiſſam Ioſeph fidem filij, vel nepotes ſeruarunt de transferendis in Chanaan oſſibus, ſicut & ipſe patri ſuo fidem ſeruauerat.* Eadem fides eſt ei ſeruata poſt mortem, quam ipſe mortuo ſeruauerat parenti, & eo modo quo ſe geſſerat, dum viueret, in mortuum, cæteri ſe geſſerunt in eum defunctum.

Lipomannus.

11 Ex his facilè dubium ſoluemus, quod oriri poteſt ex eo, quòd Propheta malus alterius prophetæ, quem deceperat, cadauer in ſuo humauerit ſepulchro. *Et poſuit cadauer eius in ſepulchro ſuo, & planxerunt eum, Heu, heu mi frater.* 3. Reg. 13. 30. Si enim quæratur, cur tantâ pietate virum proſequi voluerit mortuum, quem doloſis verbis interfecerat viuum, reſpondendum eſt ei viuenti quidem crudeliter mortem inflixiſſe, mortuo verò miſericorditer ſepulturæ honore pepercisse, vt ſibi quoque poſt mortem parceretur, & oſſa ſua honore ſepulturæ decorarentur. Subſignat D. Auguſt. lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 7. *Eum ſanè ipſe, qui deceperat, in monumento proprio ſatis honorificè ſepeliuit, ſeque ſepeliendum iuxtà oſſa eius curauit, ita ſperans parci quoque poſſe oſſibus eius, cùm veniret tempus quando ſecundùm illius hominis Dei prophetiam Ioſias rex Iuda in illâ terrâ multorum eruit oſſa mortuorum.* Sibi mortuo veniam impetrat, qui veniam mortuis concedit, ac propterea, vt ſuo cadaueri poſt mortem ab alijs parceretur, cadaueri decepti prophetæ, propheta deceptor pepercit.

Propheta, vt ſuo cadaueri parceretur, Propheta, quẽ deceperat, cadaueri pepercit.

D. Auguſt.

12 Sabinæ pręclariſſimæ matronę pietate caput obſigno, quæ à Beatâ Virgine Serapiâ ad Chriſti fidem conuerſa eâdem paulò poſt ad patibulum, vt pro Chriſto martyr occumberet, deductam ſecuta eſt, & martyrio glorioſiſſimo coronatam in ſuo monumento, extremis adhibitis pietatis obſequijs humauit. Hæc refert Ado apud Surium ſub die 29. Auguſti. *Vt verò beata Serapia glorioſiſſimo martyrio coronata eſt, illuſtriſſima Sabina colligens reliquias eius, celebratis venerabilibus exequijs, vt theſaurum ſempiternum, vel pretioſam margaritam repoſuit in monumento ſuo, quod ipſa ſibi cum ſummo ſtudio, & ornatu fecerat.* Nonnullis verò interpoſitis diebus, eamdem, quam ipſa Serapiæ martyrio coronatæ impẽderat, ei martyrij coronâ item decoratæ Chriſtiani pietatem exhibuerunt, qui ſublatum illius cadauer in eo monumento illud condiderunt, in quo ipſa fidei ſuæ humauerat magiſtram. *A Chriſtianis*, inquit idẽ author, *ſublatum corpus eius ſepultum eſt in monumento, vbi ipſa venerabiliter repoſuerat magiſtram fidei ſuæ virginem Serapiam.* Eadem pietas ei fuit

Sabina in eodem monumento condita eſt, in quo Serapiam condidit.

Ado.

Q exhi-

exhibita poſt mortem, quam ipſa virgini exhibuerat mortuæ, atque in eodem eſt condita ſepulchro, in quo eam condiderat, vt hinc quoque diſceremus ea mortuos à viuis referre, quæ viui mortuis impenderunt.

CAPVT XXXVI.

Qui diligunt viuos, debent adiuuare defunctos,

Quia Hethæi diligebant Abraham viuum, ſepulturam concesſerunt Saræ defunctæ.

1 NOn tantùm mortuis pietas ergà mortuos debetur, ſed & viuis: nec enim oſtendunt ſe diligere viuos, qui pietate nō proſequuntur defunctos. Hoc ſanè ſatis clarè innuerūt Hethæi, quos cùm Abraham deprecatus fuiſſet, vt vxori defunctæ ſepulchrum permitterent, hęc ſibi audiuit reſpondentes *In electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuū, nullusq; te prohibere poterit, quin in monumento eius ſepelias mortuū tuum.* Geneſ 23.6. Quodnam Abrahā in aliena ſepulchra ius habebat, vt poſſet, vbicumq; vellet, vxoris humare cadauer? Cur nō poterant, qui pro ſe, ac ſuis monumenta ſibi ędificauerant, alieno corpori locum in eis denegare ſepulturæ? An amor, quo Hethæi Abraham diligebant viuum, eos vrgebat, vt vxori pietatem impenderent mortuæ? Vtique id affirmauit Abulenſis, verba iſta hoc explicatu donans. *Nullus poterit prohibere, quaſi dicat* OMNES DILIGVNT TE *tantùm in ciuitate iſtâ, quòd nullus prohibere poſſet, ideſt prohibere vellet, quòd ſepelires mortuum tuū in ſepulchro ſuo.* Non poteſt pietate non proſequi mortuos, qui amore proſequitur viuos, quapropter Hethæi, qui diligebant Abraham, non potuerunt eius vxori ſepulturæ denegare honorem.

Abulenſis.

Quia Aegyptij diligebāt Ioſeph, plorauerunt Iacob defunctum.

2 Sed nec Ægyptij lachrymas in funere Iacob continere potuerunt, quem defunctum, & aromatibus piè conditum ſeptuaginta dierum ſpatio plorauerunt. *Fleuitque eum Ægyptus ſeptuaginta diebus.* Geneſ. 50. 3. Cuius luctûs cauſam dum expendo, alia non occurrit, niſi amor, quo Ioſeph eius filium diligebant, quem ſuum glorioſo nomine appellabant Saluatorem. Non enim poterant ſe ſe pios non exhibere parenti defuncto, qui tantâ filium dilectione proſequebantur viuentem. Firmat rem Dionyſius Carthuſianus hunc locum explanans. *Fleuit Ægyptus ſanctum Iacob* PROPTER AMOREM, ET REVERENTIAM IOSEPH. Amor, quo Aegyptij diligebant Ioſeph, pietatem ab eis exigebat, quâ plorarent Iacob: ſemper namq; cum amore, quo diligimus viuos, pietas cohęret, quâ proſequimur defunctos.

Dion. Carth.

Ioſeph pietatē patri mortuo à familiâ Pharaonis petijt propter amorem, quo ab eâ diligebatur.

3 Quare id optimè agnoſcens Ioſeph, cùm Pharaonis familiam eſt allocutus, vt ſibi transferendi paternum cadauer facultatem ab eo impetrarent, dixit. *Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis, eò quòd pater meus adiurauerit me, dicens. En morior, in ſepulchro meo, quod fodi mihi in terrâ Chanaan, ſepelies me.* Gen. 50. 4. Expende verba illa, *ſi inueni gratiam in conſpectu veſtro,* Quorum ſignificationem tradens Abulenſis, ait. *Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, ideſt* SI VOS DILIGITIS ME. Ac ſi diceret, ſi diligitis me, diligite & mortuum meum, eique pietatem à Pharaone impetrate: nec enim poteſt eſſe vera ergà me dilectio veſtra, niſi meum quoque patrem amplectatur defunctum.

Abulenſis.

Vt Pharao amorem oſtenderet, quo diligebat Ioſeph, eius patri mortuo paternum ſepulchrum conceſſit.

4 Nec ſanè Pharao aliam ob cauſam hanc paterni cadaueris tranſlationem Ioſeph conceſſit, niſi ob amorem, quo eum diligebat. Quo enim pacto regni neceſſitatibus mortui ſepulturam prætuliſſet, vixque illius petitionem audiens promptè reſpondiſset. *Aſcende, & ſepeli patrem tuum, ſicut adiuratus es.* Gen. 50. 6. niſi valdè illum dilexiſſet, ac pro ſolertiâ, quâ Aegyptū à fame vniuerſali præſeruauerat, ſpeciali amore proſecutus fuiſset? DILIGEBAT PHARAO, inquit idem Abulenſis, *valdè Ioſeph, & noluit eum contriſtari.* Ob amorem, quo Pharao diligebat Ioſeph, eius patri ſepulturam conceſſit defuncto: debebat nimirùm ſe pium exhibere in mortuum, vt dilectionem oſtenderet, quâ proſequebatur viuum.

Abulenſis.

Vt oſtenderēt amorem ergà Ioſ. ad patris exequias eius fratres omnes conuenerunt.

5 Hùc etiam pietas facit, quam eidem Iacob ſimul cum Ioſeph cæteri eius fratres impenderunt, qui omnes ad Chananæorum terram, vt ſolennes exequias ei celebrarent, aſcenderunt. *Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domûs Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Ægypti, domus Ioſeph cum fratribus ſuis.* Geneſ. 50. 8. Vbi ſciſcitari iuuat, cur omnes filij patrem voluerint honorare defunctum, cùm tamen aliqui ex ipſis parum ergà ſe beneuolum eum habuerint viuentem. Nonnè Ruben illius primogenitus hæc ab eo retulit, antequam moreretur? *Effuſus es, ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Gen. 49. 4. Nonnè Simeon, & Leui vaſa bellantia inquitatis appellauit? *Simeon, & Leui fratres: vaſa iniquitatis bellantia.* Gen. 49. 5. Nonnè Iſſachar aſinum vocauit inter terminos accubantem? *Iſſachar aſinus fortis, accubans inter terminos.* Gen. 49. 14. Cur igitur iſti, quos patris morientis verba læſerunt, eum mortuum vſque ad Chananæorum terram tantâ ſunt pietate comitati? Vt amorem oſtenderēt ergà fratrē viuum, dum pijs exequijs patrē honorabant defunctum. Non ſupprimo verba eiuſdem Abulenſis. *Omnes fratres vndecim Ioſeph aſcenderunt illùc, quia ſic decebat ad honorandum patrem, & dato quòd ipſi non haberent affectum ad patrem,* PROPTER AMOREM IOSEPH, *& reuerentiam facerent.* Non oſtendit amorem ergà viuos, qui ſuâ non honorat pietate defunctos; vndè vt ſuum ergà Ioſeph oſtenderent amorem, ad patris exequias filij omnes etiam læſi conuenire voluerunt.

Idem.

Dauid luxit Saul mortuū, vt oſtenderet amorem in populum.

6 Quò etiam ſpectauit pietas, quâ Dauid Saul, & filios eius in prælio interfectos, ſciſſis veſtibus, cum omnibus ijs, qui ſecum erant plorauit, atque vſque ad veſperam ieiunauit. *Apprehendes autem Dauid veſtimenta ſua*

ſcidit,

Digitized by Google

ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius, & ſuper populum Domini. 2. Reg 1. 11. Quæ omnia ideò geſſit, vt amorem oſtenderet, quo populum diligebat, dum eius principes mortuos adeò pio luctu plorabat. Affero Theodoretum in Gloſsâ ita ſcribentem.

Theodoretus

Multa erant, quæ facie-bant, vt lugeret. Ionathæ deſiderium, AMOR IN POPVLVM, *victoria impiorum alienigenarum.* Amor in populum vrgebat Dauid, vt lugeret mortuos, quia tunc dilectionem probamus ergà viuos, dum pietate proſequimur defunctos.

Gratias agit viris pro pietate defunctis Saul, & filijs exhibitâ, oſtēdit amorem, quo diligebat eorum familiam.

7 Neque ab hoc idem Dauid alienus fuit, cùm viris Iabes, qui eorumdem mortuorum cadauera, quæ Philiſthæi ad Iſraëlitarum ignominiam in muro Bethſan ſuſpenderant, noctù ſuſtulerunt, atque honorifico in ſepulchro, præcedente pompâ exequiarum, condiderunt, miſſis nuntijs gratias egit, ſuamque protectionem, & congrua eorum pietatis præmia promiſit. *Miſit ergò Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos. Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum.* 2. 5. Quorſum enim adeò viros iſtos in defunctos principes pios honorauit, niſi vt ſuum ergà familiam ſuperſtitem Saul amorem probaret, dum pietatem eius mortuis opportunè collatam ſummis laudibus attollebat? Do Abulenſem ad hunc locum ita loquentem.

Abulenſis.

Hic oſtendit Dauid AFFECTIONEM SVAM BONAM ERGA' DOMVM SAVL, *quamuis fuiſſet hoſtis eius.* Pietate in mortuos amor probatur in viuos, ideòque pietatem in Saul, & Ionatham mortuos Dauid oſtendit, vt amorem probaret, quo ſuperſtites ex eorum familiâ diligebat viuos.

Ruth, quæ magis amabat Noemi, maiorem pietatem impendit marito mortuo.

8 Hic etiam illud quadrat, quod egit Ruth, defuncto marito, quæ Noëmi ſecuta eſt ad propria remeantem, ac vt ei adhæreret, patriam, proprioſque cognatos dereliquit. Quod ſanè vt coniugis memoriam ſeruaret, eique prolis procreatione cum illius cognato nupta nomen ſuſcitaret, facere decreuit. Verùm cur ex duabus nutibus Noëmi, hanc pietatem defuncto impendere voluit marito potiùs Ruth, quàm Orpha? Cur prima firmiter nomen ſuſcitare coniugis decernit, altera vero ſocrum oſculata iterum ad ſuos redit? Cur cognatâ reuertente, dixit Ruth, *Ne aduerſeris mihi, vt relinquam te, & abeam, quocumque enim perrexeris, pergam, & vbi morata fueris, & ego pariter morabor?* Ruth. 1. 16. Maiorem pietatem Ruth exhibuit marito, quia maiori ſocrum amore proſequebatur: qui enim magis amant viuos, maiori pietate honorant defunctos. Audi B. Theodoretum hùc alludentem.

B. Theod.

Nos docet (hiſtoria Ruth) *& Noemi graues calamitates, & laudabilem conſtantiam, & fortitudinem, & nuruum temperantiam, &* IN SOCRVM AMOREM, *& præcipuè ipſius Ruth, quæ mulierem ſenio confectam, & paupertate laborantem præ-tulit parentibus propter animi pietatem, & coniugis memoriam.* Maiorem coniugis defuncti memoriam habuit Ruth quàm Orpha, quia maiori ſocrum diligebat amore, menſura namque amoris, quo diligimus viuos, eſt pietas, quâ proſequimur defunctos.

Propter amorem, quo diligebat Chriſtus Lazari ſorores, eum ad vitam reuocauit.

9 Ex hoc amore pietas orta eſt, quâ Chriſtus Lazarum ab inferis ad vitam reuocauit, cuius reſurrectionis ratio affertur, cùm dicitur. *Di ligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam* Ioan. 11. 5. Quia Chriſtus amabat ſorores viuas, Lazarum ſuſcitauit mortuum, vt per hoc nobis innuetet, amorem in viuos pietatem exigere in defunctos. Accipe Oleaſtrum hæc in cap. 7. Geneſ. ſcribentem.

Oleaſter.

QVIA DILIGEBAT IESVS *Mariam, & Martham, fratrem Lazarum à mortuis ſuſcitaſſe perhibetur.* Vides Chriſtum propter amorem, quo diligebat ſorores ſuperſtites, fratrem ſuſcitaſſe defunctum?

Tunc Thomas ſe Chriſtum diligere oſtendit, cùm pro Lazari ſuſcitatione mori nō timuit.

10 Antequam autem ad oppidum Bethaniæ illum ſuſcitaturus accederet, iter, quod agere decreuerat, ſuis diſcipulis manifeſtauit, qui per ſecuriones metuentes Iudæorum, iterum illùc pergere non audebant. At verò Thomas, vt cognouit Chriſtum eò ire, vt vitam redderet mortuo, condiſcipulos ad eundum, & ſi opus eſſet, ad moriendum cum Magiſtro eſt hortatus, *Dixit ergò Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos, eamus & nos, & moriamur cum eo.* Ioan. 11. 16. Vide quæſo diſcipuli fortitudinem, qui vitam prodigere non timuit, vt vita mortuo redderetur, qui perſecutores adire non metuit, vt defunctus ab inferis rediret, qui lapidibus à Iudæis obrui non detrectauit, vt lapide ſubmoto cadauer excitaretur à ſepulchro. In his verò maximè amor elucet, quo Thomas Chriſtum dilexit, ac propter eum tantam pietatem ergà Lazarum defunctum oſtendit. Quapropter iurè meritò ad hæc exclamat Hugo Cardigalis.

Hug. Card.

Ecce VERVS AMANTIVM AFFECTVS. Tunc verum amantes oſtendunt in viuos amorem, cùm mortuis exhibent pietatem, ac proinde ſe verè Chriſtum amare Thomas oſtendit, cùm pietatem Lazaro exhibere non timuit.

Per charitatem, quâ ſe diligebat, rogauit pater vxorem, vt ſepulturam concederet filio defuncto.

11 Quid? quòd & Gentiles hanc teſtati ſunt ſe agnoſcere veritatem? Profectò infœlix pater apud Quintilianum declam. 6. vxorem per charitatem, quâ ſe ſe mutuò coniuges proſequuntur, exotat, vt defuncto filio exequiarum officia, & oſſium ſepulturam permittere velit. Quandoquidem charitati ergà coniugem viuû pietatem debitam nouerat in filium defunctum.

Quintilianus

Adeſte vniuerſi vtriuſque ſexûs parentes, dum matrem in exequias filij rogo. Per matrimonium te vetus, & per MVTVAM CHARITATEM, *quæ vtrique noſtrûm magno conſtat, adiicio, per commune pignus, per annos pariter actos, & beneficio filij plures, per meum in te obſequium, iam mei miſerere, cuius ſoles.* Per coniugalem charitatem rogauit vxorem, vt mortuo filio ſepulchri non denegaret honorem: nam ſemper cohærent charitas

exhibita viuis, & pietas impenſa defunctis.

Populi amici Romanorum, vt ſuam oſtẽderent amicitiam, pietatẽ Numæ Regi eorum defuncto impenderunt.

Plutarchus.

12 Hinc eſt, quòd ad cohoneſtandum funus Numæ Regis Romanorum, non tantùm confluxerunt ciues Romani, ſed eorum quoq; ſocij conuenerunt, & amici, aromata, & coronas ad maiorem exequiarum celebritatem afferentes. Siquidem vt ſe Romanorum oſtenderent amicos, debebant Regi eorum muneribus parentare defuncto. Narrat id Plutarchus in Numâ his verbis. *Vitam eius (Numæ) ſocij, & Amici* POPVLI, *qui ad exequias eius conuenerunt, etiam funere cohoneſtauerunt, allatis publicè odoribus, & coronis.* Populi, qui fœdera inierant cum Romanis, & amicitiæ vinculo cum eis vniebantur, Regi eorum defuncto pietatem impenderunt, vt per miſericordiam, quam exhibebant mortuo, amicitiam teſtarentur, quâ proſequebantur viuos: nec enim verè diligit viuos, qui non ſtudet eorũ intuitu adiuuare defunctos.

Thraſyllus, vt oſtenderet ſe diligere Charitem, pietatem in maritũ eius mortuum ſimulabat.

Apuleius.

13 Quod & apud Apuleium lib. 8. Metamorph. Thraſyllus indicauit, qui vt oſtenderet ſe diligere Charitem, pietatis obſequia ſimulabat ergà Lepolemum eius maritum defunctum. *Cunctis tamen mentita pietatis officijs ſtudium contrectandæ mulieris adhibere, odioſumque* AMOREM SVVM *perperam delectando nutrire.* Dum pietatem oſtendebat in coniugem mortuum, amorem nutriebat in vxorem viuam, ſiquidem qui amorem nutrit ergà viuos, debet ſe pium exhibere in defunctos. Diſcant ergò pietatem ergà eos, qui obierunt, quicumque ſuperſtites amore proſequuntur, nam qui diligunt viuos, debent adiuuare defunctos.

CAPVT XXXVII.

Adeò fælix eſt pius ergà mortuos, vt cæteri eius inuideant fœlicitati.

Gloria comes inuidia, quę ſemper ei obijcitur.

1 HOc habet peculiare gloria, & virtus bonorum, vt liuorem, & inuidiam excitet malorum, qui alienum bonum proprium ducentes malum, dum hilares cæteri fruuntur, tabeſcentes ipſi torquentur. Quapropter non immeritò Æmilius Probus in Chabria gloriæ comitem inuidiam appellauit.

Aemilius Probus.

Etenim hoc commune vitium in magnis, liberiſque ciuitatibus, VT INVIDIA GLORIAE COMES SIT. A' quo non diſſenſit Ammianus Marcellinus lib. 17. cap. 10. cùm dixit ampliſſimam gloriam inuidiæ ſemper eſſe obiectam. *Solet ampliſſima* GLORIA OBIECTA ESSE SEMPER INVIDIAE. Ac demum Philo lib. de Ioſeph inuidiam magnarum fœlicitatum aduerſariam perpetuam appellauit. INVIDIA MAGNARVM FOELICITATVM ADVERSARIA PERPETVA. Vt igitur pateat, quanta ſit gloria, virtus, & fęlicitas eorum, qui pietatem defunctis impendunt, hanc pietatem comitem habere inuidiam, eique ſemper eſſe obiectam oſtendam.

Ammianus Marcellinus.

Philo.

Ne læderetur ab aulicorũ inuidiâ noluit Ioſeph inſcio Pharaone patrem transferre cadauer.

2 Cùm defunctum patrem, vt extremę illius voluntati morem gereret, vellet Ioſeph ad terram transferre Chananæorum, & in patrio humare ſepulchro, familiam rogauit Pharaonis, vt ſibi facultatem eundi ab eo impetraret. *Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis, eò quòd pater meus adiurauerit me, dicens, En morior, in ſepulchro meo, quod fodi mihi in terrâ Chanaan, ſepelies me. Aſcendam igitur, & ſepeliam patrem meum, & reuertar.* Geneſ. 50. 4. Vbi dignum inueſtigatione mihi videtur, cur Ioſeph, cui tota ſubijciebatur Ægyptus, cuius imperio cunctus populus obediebat, quem vno tantùm regni ſolio rex præcedebat, ab eo per aulicos eundi ad terram Chanaan petierit facultatem. Nunquid non poterat etiam inſcio rege pergere, quòcumque magis ei liberet? Nunquid interceſſione indigebat aliorum, dum ſine illius imperio, nec manum quiſquam mouebat, nec pedem? Nunquid tandem qui omnia poterat in terrâ Ægypti, hoc vnum non poterat, vt patris in paterno monumento cadauer humaret? Poterat quidem, ſed quia ex tantâ pietate mortuo patri exhibitâ inuidiam metuebat aulicorum, ne per eos gratiam regis amitteret, noluit eo inſcio exequias in alienâ terrâ celebrare genitori. Adſtipulatur Rupertus Abbas lib. 9. in Geneſim cap. 41. *Hoc vtique intendit, vt in transferendo patrem vitaret* INVIDIAM, *præcludendo os obloquentium, qui fortè dicerent, quia non diligit terram noſtram.* Gloriam, quam affert pietas in mortuum, inuidia comitatur detractorũ, à quâ ne lęderetur, noluit Ioſeph, niſi ex conſenſu Pharaonis ad proprium ſepulchrum oſſa transferre parentis.

Rup. Abb.

Reſurrectionẽ puellæ voluit Chriſtus eſſe occultam, vt inuidiam vitaret Iudæorum.

3 Huc flecto id, quòd Chriſtus geſſit, cùm ad ſuſcitandum puellam Archiſynagogi filiam patrem ſequens acceſſit. Cùm enim turbam reperiſſet tumultuantem, antequam domum ingrederetur, in quâ defuncta iacebat, omnes eiecit, prҽter nonnullos paucos, quos ſecũ intrare permiſit. *Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius, & ſurrexit puella.* Matth. 9. 25. Rationem autem afferens Abulenſis, cur turbam eiecerit, inquit id Chriſtum egiſſe, vt paucis miraculo præſentibus aliquo modo remaneret occultum. *Chriſtus voluit miraculum iſtud aliqualiter eſſe occultum, ideò voluit paucos adeſſe, qui tacere poſſent.* Cæterùm cur tantum miraculum, ex cuius notitiâ ſalus poterat oriri multorum, volebat Chriſtus eſſe occultum? An vt vitaret phariſæorum liuorẽ, qui ſi tantâ agnouiſſent mortuæ à Chriſto exhibitam pietatem, inuidiâ vrgente acerbiori odio eum perſecuti fuiſſent? Ita cenſet idẽ Abulenſis. *Hoc faciebat primò* PROPTER INVIDIAM IVDAEORVM, *ne per hoc daretur eis maior occaſio perſequendi eum antè tempus.* Ne pietate, quam defunctæ reſurrectionis miraculo Chriſtus exhibuit, inuidiã magis prouocaret Iudæorum, ratione cuius crudelius eum perſequerentur, voluit illam occultari, & coram paucis qui eam tacerent, puellæ ſuſcitationem operari.

Abulenſis.

Eamdem ob rationem in;

4 Quò item reſpexit, cùm parentibus puellæ iuſſit, vt nemini quod factum fuerat aperirent.

Et

Digitized by Google

ſit parentibus puellæ, vt eã non diuulgarent.

Et præcepit illis vehementer, vt nemo id ſciret. Marc. 5. 43. Cuius præcepti ea ratio fuit, ne Chriſti pietate in mortuos diuulgatâ, Iudæorum inuidia magis excitaretur, qui propterea truculentiori odio in eum inueherentur, mortemque illi antè ſtatutum tempus infligere conarentur. Audiamus eumdem Abulenſem quæſt. 130 in Matth. hæc ſcribentem.

Idem.

Quæretur, quare Chriſtus iuſſit parentibus iſtius puellæ, quòd nulli dicerent. Dicendum, quòd fuit, VT EVITARET INVIDIAM PHARISÆORVM, Virtute, quam exercent, & gloriâ, quam adipiſcuntur, cæteros ad inuidiam prouocant, qui ſuam mortuis pietatem impendunt, quare Chriſtus ne hanc in Phariſæis inuidiam excitaret, pietatem, quâ puellam ſuſcitauerat Archiſynagogi, iuſſit eſſe occultam.

Voluit Deus reſurrectionẽ Lazari Iudæis manifeſtari, vt magis inuidia liuore tabeſcerẽt.

5 Cùm verò tempus paſſionis appropinquauit, hanc voluit omnibus innoteſcere pietatem; ſiquidem Lazaro à mortuis reſurgente, quidam ex illis, qui præſentes aderant, Phariſæos adierunt, eiſq; cuncta, quæ Chriſtus geſſerat, narrauerunt. *Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis, quæ fecit Ieſus.* Ioan. 11. 46. Dubium hic oritur, cur Chriſtus permiſerit Iudæis narrari hæc pietatis obſequia Lazaro defuncto impenſa. Vtique adeò peruerſi erant, vt ex hoc miraculo potiùs maioris odij, quàm pœnitẽtiæ occaſionem eſſent ſumpturi. Quare igitur illud voluit eis ad amuſſim annuntiari? Vt magis inuidiæ liuore tabeſcerent, qui Chriſti operibus credere, verumque Deum illum confiteri nolebant. Aptè Oleaſter in cap. 37. Geneſ.

Oleaſter.

Aduerte non deeſſe, qui INVIDIS *bona eorum, quibus* INVIDENT *narret, quemadmodum de phariſæis apud Ioannem legimus, quibus* TANQVAM INVIDIS *voluit Deus Lazari reſurrectionem narrari.* Torquebantur inuidiâ Phariſæi, cùm Chriſti gloriam cernebant ex pietatis operibus defunctis exhibitis reſultantem, quapropter vt magis ab eâ cruciarentur, permiſit Deus eis reſurrectionem Lazari manifeſtari.

Chriſti gloria ex eo ſigno exta inuidentes phariſæi eum interficere cogitauerunt.

6 Quâ cognitâ congregauerunt concilium, eumque ab illâ die interficere cogitauerunt. *Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.* Ioannis 11. 43. Quis non miratur Iudæorum peruerſitatem, qui Chriſtum vitâ priuare ſtatuerunt, cùm cæteris ille vitam miniſtrabat? Quis non abhorret eorum inſaniam, qui vitæ largitori mortis tormenta parauerunt? Quis tandem odium non deteſtatur, quo Chriſtum interficere decreuerunt, cùm eum tanquam defunctorum viuificatorem adorare debebant? Cur tunc perſecutiones auxerunt, cum Chriſtum ergà mortuos pium cognouerunt? Quia Chriſti gloriæ inuidentes liuore cruciabantur, nec eum ſuſtinebant videre viuum, qui tantâ pietate ſuſcitauerat defunctum. Ad rem noſtram locum explicat Rupertus Abbas, cuius verba ſubiicio.

Rup. Abbas.

Propter hoc ſignum pontifices, & phariſæi INTOLERABILITER CONSVMMATA INVIDIA PERMOTI *collegerunt concilium, & ab illo die cogitauerunt vt interficerent eum.* Chriſto mortem infligere cogitauerunt, quia pietate cognitâ, quam ſigno reſurrectionis mortuo impendit, intolerabiliter ab inuidiæ cruciatibus torquebantur: torquet enim inuida malignorum corda gloria, quam ſibi ſuâ pariunt clementiâ, qui miſerentur mortuorum.

Non potuit Iudas ſine tormento inuidiæ Magdalenæ pietatem cernere ſepulturæ Chriſti exhibitam.

7 Hinc facilè rationem attingemus, cur Iudas Magdalenam cernens Chriſti caput pretioſis vnguentis ad eum ſepeliendum perfundentem, vngentis pietatem arguerit, eique indignatus aromatum iacturam obiecerit. *Dixit ergò vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denarijs, & datum eſt egenis?* Ioan. 12. 4. Non enim aliam ob cauſam mulierem increpauit, & adeò ſanctum pietatis obſequium reprehendit, niſi quia inuidiâ tabeſcens non poterat ſine indignatione honorem cernere Chriſti ſepulturæ impenſum. Argutè idem Rupertus Abbas.

Idem.

Odorem vitæ ferre non potuit, obſequium pietatis, vel honorem dignum magiſtro impenſum ſine tormento indignationis, & INVIDIAE *videre nequiuit.* Gloria, quam ſibi Magdalena pietate Chriſti ſepulturæ impenſâ pariebat, inuidum Iudæ pectus adeò cruciabat, vt acri eam voluerit increpatione obiurgare; quandoquidem tunc tormenta creſcunt inuidorum, cùm pietatem cernunt, quâ viui miſerentur mortuorum.

Ex viſione reſurrectionis defuncti Naim diſcipuli Ioannis inuidiam contrahũt, quæ vt ſanetur, mittuntur ad Chriſtum.

8 Idipſum & Ioannis diſcipuli confirmauerũt, cùm adoleſcentulum Naim Chriſti virtute ſuſcitatum cognouerunt. Nam protinùs magiſtro quę cumque viderant à Chriſto pietatis obſequia exhibita defuncto nuntiauerunt. *Et nuntiauerunt Ioanni diſcipuli eius de omnibus his* Luc. 7. 18. Hæc verò aduertit D. Ambroſius in Gloſsâ non ſincero eos corde nuntiaſſe, ſed inuidiâ vrgente: ſtatim enim gloria, quâ propter pietatem illam Chriſtum populi extulerant, inuidia comitata eſt horum diſcipulorum. *Nunciauerunt*, inquit Ambroſius, *non ſimplici corde, ſed* INVIDIA STIMVLANTE. Quod cernens Ioannes, eos miſit ad Ieſum, qui eorum inuidiam curaret, & corda è quibus liuor expelli non poterat, ſuorum verborum, & ſignorum efficaciâ ſanaret. *Et conuocauit duos de diſcipulis ſuis Ioannes, & miſit ad Ieſum, dicens, Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Luc. 7. 19. Quæ verba explicans idem Ambroſius, hæc ibidem addit.

D. Ambroſ.

Sed quia INVIDIA ADHVC EXPELLI NEQVIBAT, *mittit eos ad Ieſum, vt hac occaſione videant ſigna, & correcti credant in Ieſum.* Protinùs ac viderunt Chriſtum glorioſo reſurrectionis miraculo mortuo adoleſcenti pietatem exhibentẽ, eam diſcipuli Ioannis contraxerunt indè inuidiam, vt non niſi per acceſſum ad Chriſtum, & viſionem ſignorum eius potuerit è cordibus eorum hic prauus affectus expelli.

Agathocles per inuidiam Gelonis mortui monumẽta deſtruxit.

9 Sed placet huius veritatis probationes à profanis etiam ducere authorum ſententijs. Geloni, qui viuens res Siculas opportunè, ac prudenter admini-

acminiſtrauerat, ſepulchrum populus mirificio peris eſtruxit. Quod cùm Agatochles conſpexiſſet, diruit, ac turres, quas miro artificio erexerant, ſolo æquauit. Quod ſi cauſa quæratur, cur mauſoleum adeò magnificũ demolitus fuetit, in promptu eſt reſponſio Dioduri Siculi lib. 11. Bibliothecæ, qui per inuidiam eum id egiſſe affirmat. *Cadauer eius* (Gelonis) *in vxoris agro conditum loco Nouem turres dicto, operum turris, vel aggeris mirâ magnitudine, ac immenſo labore molium ſtrues extabat. Vniuerſa verò Ciuitas funus comitata ad eum vſque locum perduxit, qui ab vrbe ducenta aberat ſtadia. Eo illic condito, populus illi ſepulchrum elegans, mirificique operis extruxit, titulisque heroicis Gelonis nomen commendauit. Ea monumenta fuere poſteà à Chartaginenſibus diruta, cùm Agathocles* PER INVIDIAM *erutas turres ſolo æquauit.* Adeò glorioſum eſt pietatem impendere mortuis, vt huius pietatis perpetua ſit comes inuidia, quamobrem pietati à populo Siculo Geloni mortuo exhibitæ inuidens Agathocles, illius monumenta liuidè aboleuit.

Diodorus.

Vibulenus deprecans pro mortuo inuidiam conciuit.

10 Nec item à re noſtrâ eſt alienum id, quod Vibulenus geſſit, cùm fratrem ab hoſtibus interfectum, & ſine ſepulturæ honore abiectum plorans, ſingulorum pedibus aduoluebatur, & extremum pietatis officium cadaueri feris obiecto implorabat. Eam enim ſuis precibus in populo conciuit inuidiam, vt eiuſdem pietatis gloriam cæteri quoque optantes, ad quærendum cadauer omni ſtudio incumberent. Rem dabo, vt eam habet Cornelius Tacitus lib. 1. Annalium. *Incendebat hæc fletu, & pectus, atque os manibus verberans, mox disiectis, quorum per humeros ſuſtinebatur, præceps, & ſingulorum pedibus aduolutus, tantum conſternationis,* INVIDIAEQVE *conciuit, vt pars militum, gladiatores, qui è ſeruitio Blæſi erant, pars cæteram eiuſdem familiam vincirent, alij ad quærendum corpus effunderentur.* Animaduerte militem pro mortuo deprecantem, aliorum inuidiam adeò prouocaſſe, vt pietati cadaueri exhibendæ vacauerint, nè gloriæ eſſent expertes, quæ indè reſultabat.

Cornelius Tacitus.

Vxor tumulo inuidẽs, quod cadauer tegebat mariti.

11 Quid? quòd rebus quoque omni ſenſu carentibus homines inuiderunt, dum ſuam eo modo, quo poterant, ergà mortuos pietatem oſtenderunt? Certè vxor Antiſtij Ruſtici apud Martialem lib. 9. epigr. 31. dum mortuum patrio tumulo commendauit maritum, ſepulchro inuidit, quod caros cineres amplecti, atque ſeruare intrà ſinum ſuum debebat. Quare cecinit Poëta.

Martialis.

Cumque daret ſanctam tumulis, quibus INVIDET *vrnam*
Viſa ſibi eſt rapto bis viduata viro.

Tumuli quoque mortuorum cadauera contegentes inuidiam interdum excitarunt: adeò nempè miſericordiæ in defunctos comes indiuidua eſt inuidia, vt rebus etiam ſenſu prorsùs carentibus homines quandoque inuiderint, cùm eas pietatis quadam ſpecie cadauera ſeruantes, & amplectentes expenderunt.

12 Dum caput claudo, Quintiliani verba, quibus declamatione 6 matrem alloquitur in filij funere impiã, eiq; iuſta exequiarũ denegantẽ, expendo. *Detracta eſt fortunæ* INVIDIA, *quando ſuo quoq; iudicio mater poſt amiſsũ filiũ parũ miſera eſt.* Adeò nimirùm perpetua pietatis ergà defunctos eſt comes inuidia, vt tunc inuidia fortunæ detrahatur, cum hæc viuis pietas detrahitur. Quare impiam matrem filio mortuo pietatis viſcera, & funeris officia negantem, iurè arguit, veluti fortunæ inuidiæ cauſam detrahentem. Cùm ergò inuidia ſit perpetua pietatis ergà defunctos comes, quis negabit adeò fœlicem eſſe pium ergà mortuos, vt cæteri eius inuideant fœlicitati?

Tunc fortuna detrahitur inuidia, cùm detrahitur viuis pietas ergà defunctos.

Quintilianus

CAPT XXXVIII.

Miſerum eſt pietatem non exhibere defunctis.

Miſeria eos cruciabat qui cadauera martyrum ſepelire non poterant.

1 VT pietatem in mortuos fœlicitas conſequitur, & gloria, ita huius pietatis defectum calamitas comitatur, & miſeria. Expendens D. Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap 8. tyrannorum immanitatem, qui ſanctorum martyrum corpora feris lanianda, & canibus deuoranda proijciebant, nihil indè ait damni martyribus obueniſſe, licet magna miſeria ſuperſtites fratres cruciaret, qui funeris officia ſanctis non poterant præſtare defunctis, quandoquidem magna miſeria eos cruciat, qui mortuis debitam nequeunt exhibere pietatem. *Cùm eos, qui occiſi fuerant, in dilaceratione membrorum ſuorum, in conflagratione oſſium, in diſperſione cinerum miſeria nulla contingeret, iſtos tamen, qui nihil illorum ſepelire poterant,* MAGNA MISERIA *cruciabat, quia nullo modo illis ſentiẽtibus, ipſi quodam modo ſentiebant, & vbi iam illorum nulla erat paſſio, erat iſtorũ miſera cõpaſſio.* Miſeri erant, dum mortuis pietatẽ exhibere nõ poterant: miſerè namque torquentur, qui debito mortuos honore non proſequuntur.

D. Auguſt.

Pœnâ torquebantur, qui mortuis pietatis officia exhibere nequibant.

2 Quod confirmans Euſebius Cæſarienſis lib. 11. cap. 6. dixit apud Alexandriam Catholicum eſſe non honori fuiſſe, ſed pœnæ, cùm non poſſent fideles Catholici ob crudelium hominũ immanitatem fratrum corpora ſepelire mortuorũ. Et ſanè in tantâ miſeriâ conſtituti acerbiſſimam non poterant non ſuſtinere pœnam. *Non honori erat Catholicum eſſe, ſed* POENAE, *præcipuè apud Alexandriam, vbi ne ſepeliendis quidem corporibus mortuorum libera facultas fidelibus erat.* Miſera eſt eorum conditio, qui mortuos non poſſunt debitâ proſequi pietate, quod cùm Catholici tunc temporis apud Alexandriam non poſſent, iurè miſeri, ac pœnæ propter hoc dicuntur fuiſſe ſubiecti.

Euſebius Cæſarienſis.

Iacob miſerabili luctu filium Ioſeph plorabat, quia quem mortuum credebat, ſepelire nõ poterat.

3 Hinc fruſtrà filij Iacob congregati ſunt, vt eius dolorem lenirent, qui filium ſuum Ioſeph à feris laniatum putabat. Nam infœlix pater conſolationem accipere noluit, & luctum vſque

quò

Digitized by Google

quò ad inferos poſt mortem deſcenderet, proſequi deereuit. *Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere, ſed ait, deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Gen. 37. 35. Quamobrem tam atrox dolor cor eius occupauit, vt nec à cunctis liberis vnà congregatis conſolationem accipere voluerit? Nonnè dolor, quo mortui lugentur, ſpe reſurrectionis futuræ leniri, ac æternæ fœlicitatis promiſſione debet mitigari? Cur igitur Iacob cõſolationes omnes reſpuit, & filium, quem defunctum credidit, lugere vſque ad mortem conſtituit? Non tam filij mortem, quàm ſuam plorabat miſeriam, ac infœlicitatẽ, dũ eius cadauer quod à beſtijs deuoratum putabat, ſepulchro inferre nequibat. Accinit Philo Hebræus lib. de Ioſeph his verbis pium ſenem lamentabiliter inducens loquentẽm. *Nihil præſenti caſu intolerabilius, qui totum animi mei robur ſubuertit, atque deiecit. Quis enim luctus poteſt eſſe maior, aut* MISERABILIOR? *Veſtis pueri ad patrem perlata eſt: ex ipſo non membrum, non fruſtum, non vel minimæ reliquiæ: totam deuorarunt beſtiæ, nihil ſupereſt, quod ſepulchro inferatur.* Rectè cæteris omnibus luctibus miſerabiliorẽ luctum dixit, quo filium plorabat, quem ſepulturæ officijs honorare non poterat: intolerabili enim miſeriâ lugens cruciatur, qui ei, quem luget, pietatem non poteſt exhibere defuncto.

Philo Heb.

Maxima ciuium Ieruſalem miſeria fuit inhumata proijcere corpora mortuorum.

4 Quapropter prædicens Chriſtus miſerias, quibus poſt ſuam mortem vrbs Ieruſalem mulctanda erat, ait. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Luc. 19. 43. Verùm quæ fuit omnibus maior vrbis huius in tantâ calamitate miſeria? Vtique inhumata proijcere præ copiâ interfectorum ciuiũ cadauera mortuorum. Annuit D. Vincentius Ferrerius ſermon. 1. Dom. 10. Trinit. *Non poterant ſepelire corpora, ſed proijciebant de muro in foſſatum, & in tantũ repleuerunt foſſatũ, quòd aſcendebant æqualitatẽ muri. Ecce quare dicit Chriſtus, venient dies in te, id eſt contrà te.* Simplicia quidem, & non phalerata verba, ſed tamen inſtituto noſtro valdè accõmodata. Ratio potiſſima, cur Chriſtus ſuper Ieroſolymorum vrbem fleuerit, eiuſq; aduerſitates pio luctu plorauerit, fuit miſeria, quâ erant excruciandi habitatores, qui non potuiſſent debito ſepulturæ officio, & ſolitis exequiarũ obſequijs ciuium honorare cadauera mortuorum.

D. Vinc. Ferr.

Anguſtiâ Magdalena torquebatur, quia Chriſti cadaueri funeris officiũ exhibere non poterat.

5 Hanc ob cauſam Magdalena circà Domini ſepulchrum ſolicita, omnem reſpuens conſolationem plorabat, & Angelis, cur ploraret, interrogantibus reſpondit. *Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio, vbi poſuerunt eum.* Ioann. 20. 13. Dum nempè, vbi Chriſti cadauer eſſet neſciebat, nequaquam aromatum perfuſione illud honorare poterat, & hoc eius afflictionem magis augebat. Probè Albertus Magnus. *Neſcimus vbi poſuerunt eum, ac ſi dicat,* HAEC EST ANGVSTIAE CAVSA, *quòd neſcimus, vbi eum inueniam, vt officium funeris ei impendam.* Anguſtiâ Magdalena torquebatur, quia ignorans, vbi Chriſti cadauer eſſet, non poterat ei funeris obſequia exhibere: in anguſtijs enim, & miſerijs morantur, qui debitâ mortuos pietate non proſequuntur.

Alb. Magnus.

Iudæi oppreſſionem patiũtur cùm mortuos non ſepeliunt.

6 Cum his ea cohærent, quæ Dominus Iudæis per Iſaiam eſt comminatus, cùm denuntiauit eos vario mortis genere interituros. Ad eam enim miſeriam illos prædixit peruenturos, vt mortui nec plangerentur, nec ſepelirentur à viuis, ſed in ſterquilinium eorum cadauera à volucribus, ac beſtijs deuoranda proijcerentur. *Mortibus ægrotationum morientur, non plangentur, & nõ ſepelientur, in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt, & gladio, & fame conſumentur, & erit cadauer eorum in eſcam volatilibus cæli, & beſtijs terræ.* Ierem. 16. 4. His enim magnam indicat populi oppreſſionem, & miſeriam, qui nec mortuos ſepelire, nec eis debita pietatis obſequia præſtare curaret. *Tantam enim* OPPRESSIONEM *patiuntur*, inquit Hugo Cardinalis, *quòd nullus proximo compatietur.* In eo Iudæi opprimebãtur, quòd mortuorum cadauera nõ ſepelirent, miſeriam enim, & oppreſſionem patitur, qui ſuâ defunctis pietate non compatitur.

Hugo Card.

Onam miſerabilis, quia renuit fratri pietatem exhibere defuncto.

7 Quare & infœlix ille Onam, qui mortuo fratri prolis procreatione ſemen ſuſcitare noluit, ad eam peruenit miſeriam, vt ſe ipſum filijs priuaret, atque à Domino percuſſus interiret. *Et idcircò percuſſit eum Dominus, eò quòd rem deteſtabilem faceret.* Gen. 38. 10. Ad quæ verba inquit Abulenſis. *Adhuc iſte* MISERABILIOR ERAT, *quia ſe filijs priuabat, vt filium ſuum mortuum primogenitum priuaret.* Vides miſeriâ eum infœliciter oppreſſum, qui renuit fratri pietatem exhibere defuncto?

Abulenſis.

Miſera mater, quæ noluit, miſer & pater, qui nõ potuit filium ſepelire defunctum

Quintilian.

8 Iurè igitur pius pater apud Quintilianum declamatione 6. in vxorem inuectus, qui extrema exequiarum officia filio denegabat mortuo, legemque afferebat, quâ iubebatur, vt inſepultus ille abijceretur, qui parentes dereliquiſſet, eam miſeram appellauit. *At iſta legem recitat, & in cadauer filij perorat. Tace, tace* MISERA, *ita tu iſtud optaſti?* Miſera verè, quæ filio, cui antèquam naſceretur viſceribus vitam impertierat, potuit, cùm defunctus eſt, pietatis viſcera denegare, obſequijs eum priuans ſepulturæ, cui exordia conceſſerat vitæ. Quin & pater ipſe ibidem ſe miſerum appellauit, qui ſtatim exequias celebrare, funus parare, ac ſepulturæ officia filio præſtare ob matris immanitatẽ non potuit. *Eſt ne hæc vxor mea? Eſt ne ille filius noſter? Liceat dubitare, ſi fieri poteſt. Et ſanè vix tam dignoſcendam ſpeciem vetuſtas reliquit, ſed attritæ manus, & tumida veſtigia vinculorum, & teſtis longæ captiuitatis macies, infœlicia argumenta, conſentiunt.* MISERVM ME *certus luctus eſt, Filium agnoſco, vxorem non agnoſco.* Nunquid poterat elegantiùs eorum miſeria explicari, qui debitam mortuis, aut nolunt,

aut

Digitized by Google

aut non poſſunt exhibere pietatem ?

Parentes miſeriam ſuam gementes, quòd non poſſent funera curare filiorum.

Quintil.

9 His valdè ſimilia ſunt, quæ alius habet pater apud eumdem Quintilianum declamat. 11. qui ſe miſerum appellat, quòd ei non licuerit filiorum cadauera in ſepulchra maiorum ſuis manibus inferre, ac eorum exequias funebri pompâ celebrare. MISER EGO, *nec ad cadauera accesſi, non in ſepulchra maiorum meis manibus intuli nec licuit ſuper ipſa corpora proclamare, non feci.* Quam miſeriam plorabat, & apud Ouidium Epiſt. 11. Canace ſcribens Macareo.

Ouidius.

Nate dolor matris, rapidarum præda ferarum,
Hei mihi natali dilacerate tuo.
Nate parum fauſti miſerabile pignus amoris
Hæc tibi prima dies, hæc tibi ſumma fuit.
Non mihi te licuit lachrymis perfundere iuſtis
In tua non tonſas ferre ſepulchra comas.

Nec ab his querelis aliæ diſcrepauerunt, in quas Euryali mater apud Virgilium lib. 9. Aeneid. erupit, quæ filio non poterat ſepulturæ officia exhibere.

Virgilius.

Heu terrâ ignotâ canibus data præda latinis,
Alitibuſque iaces, nec te tua funera mater
Produxi, preſsiue oculos, aut vulnera laui.

Donatus.

Ad quæ verba inquit Donatus. *Addidit augmentum; præter orbitatē quippè acceſserat aliud*, QVOD GEMERETVR VEHEMENTER, *quòd iaceret inſepultus ignotis in terris relictus & canibus Latinis, & auibus præda.* Adeò miſerum eſt funera non curare ſuorum, vt hoc vehementer gemendum, & veluti acerbiſſimum animi vulnus inconſolabiliter ſit plorandum.

Sicyonij calamitoſum duxerunt Aratū intrà ſuā vrbem nō humare defunctum.

Plutarchus.

10 Id nouerant & Sicyonij, qui Aratum ſuæ vrbis conditorem, & ſeruatorem apud Achæos vitâ functum, ad ſua ſepulchra transferre decreuerunt, Achæoſque vt id permitterent, flexerūt, nimis calamitoſum ducentes, viro, cui tantum debebant, pretioſum in patriâ non extruere monumentum. Do Plutarchum in Arato hæc loquentem. *Cùm fato functus* (Aratus) *Aegij in ſeptimadecimâ præturâ eſset, contenderentque Achæi, illic vt iuſta ei, & monumenta pro vitæ dignitate fierent*, CALAMITOSVM *duxerunt Sicyonij, niſi conditum corpus apud ipſos foret, flexeruntque Achæos, vt id permitterent.* Calamitoſum eſt debitâ mortuos non proſequi pietate, quare ne hac torquerentur Sicyonij calamitate, Aratum defunctum in conſpicuo ſuæ vrbis loco exequiarum pompâ honorare, ac honorifico ſepulchro tradere voluerunt.

Apud Thraces ingentē calamitatē ducebant vxores nō mactari ad tumulū mariti.

11 Mos quoque Thracum ſententiam noſtrā confirmat, apud quos defunctorum vxores inter ſe certant, quæ nam à marito adhuc viuente præ alijs diligeretur. Quod cùm iudices, corā quibus lis agitur, decreuerint, quæ victoriam aſſequitur, ab omnibus ornatur, & ad coniugis tumulum deducta mactatur, vbi etiam vnà cum viro ſepelitur. Cæteræ verò vxores, quæ hoc barbarum obſequium viro non exhibent, id pro magnâ calamitate ducunt, ac proinde ſummo pudore afficiuntur. Rem narrat Herodotus lib. 5. his verbis. *Singuli plures vxores habent, quorum vbi quis deceſſit, diſceptatio magna fit inter vxores acri amicorum circà hanc rem ſtudio, quænam dilecta fuerit à marito præcipuè. Quæ talis iudicata eſt, & hunc honorem adepta, ea à viris, ac mulieribus exornata, ad tumulum à ſuo propinquiſſimo mactatur, vnaque cum viro humatur, cæteris vxoribus id ſibi* PRO INGENTI CALAMITATE *ducentibus, nam id eis ſummo dedecori datur.* Apud barbaros quoque Thraces calamitoſum ducitur pietatem non exhibere defunctis, vndè quæ vxores marito mortuo ſuam vitam non ſacrificant, ingenti ſe calamitate affligi arbitrantur, vt hinc quoque pateat, miſerum eſſe pietatem non exhibere defunctis.

Herodotus.

CAPVT XXXIX.

Diuitiarum lucra ſibi comparat, qui pietatis obſequia mortuis præparat.

Saltem lucri gratiâ eſt pietas mortuis exhibenda.

1 AB Æſopi fabulâ Capitis huius initium duco, & à diuite incipio, vt diuitias explicem, quas homines ſibi comparant, dum mortuis pietatem impendunt. Fingit igitur argutus iſte philoſophus diuiti duas fuiſſe filias, quarum alterā vitâ functam præficæ ad id conductæ vehementer lugebant. Quod cū cerneret filia ſuperſtes, mirata, quòd alienæ magis mortuam plorarent, quàm propinquæ, apud matrem queſta eſt, quòd maiorem ſorori pietatē exhiberent mulieres nullâ ei cognatione coniunctæ, quàm neceſſariæ. At mater, Ne mireris, inquit, filia, quæſtus enim gratiâ noſtram tantoperè iſtæ mulieres lugent defunctam. *Diues*, verba ſunt Aeſopi Fab. 122. *duas habens filias, alterâ mortuâ, præficas conduxit. Cùm verò altera filia dixiſset, vt nos miſeræ, ipſæ, ad quas pertinet luctus, lamentari neſcimus, hæ verò non neceſſariæ ſic vehementer plangunt. Mater ait, Ne mirare filia, ſi hæ ita lamentantur: nam* NVMORVM GRATIA ID AGVNT. Homines igitur hoc capite hortor, vt ipſi quoque præficas imitentur, & ſi alias ob cauſas renuant miſereri mortuorum, id ſaltem lucri gratiâ, quod ex hac pietate proueniet, agere non detrectent.

Aeſopus.

Eſau ſepeliit patrem diuitiarum cauſâ acquiſitur.

2 Cùm Eſau, & Iacob valdè opulenti eſſent, ac ſimul ob diuitiarum copiam ſine iurgio habitare non poſſent, receſſit ille à fratre, atque ad Montem Seir, vt ibi maneret, aſcendit. Eò autem fertur omnes tranſtuliſſe diuitias, quas acquiſierat in terrâ Chanaan. *Tulit autem Eſau vxores ſuas, & filios & filias, & omnem animam domus ſuæ, & ſubſtantiam, & pecora, & cuncta, quæ habere poterat in terrâ Chanaan, & abijt in alteram regionem, receſſitque à fratre ſuo Iacob.* Gen. 36. 6. Quo autem pacto diuitias iſtas in terrâ Chananæorū acquiſiuit, niſi exhibendo pietatem patri defuncto, cumque in terrâ illâ ſimul cum fratre in ſepulchro paterno humādo? Audi Cardinalem Caietanum claris id verbis tradentem.

Com-

Digitized by Google

Caietanus.

Completo officio ſepulturæ paternæ tanquam primogenitus accepit facultates Iſaach, & transſtulit eas in Seir. Protinus ac pium ſepulturæ officium patri mortuo exhibuit, paternas diuitias acquiſiuit, vt nobis innoteſceret pietate, quâ miſerentur mortuorum, copiam homines comparare diuitiarum.

Populum ſepelientem cadauera mortuorum terræ vbertate Deus ditauit

3 Quod expertus eſt Dauid, cùm populũ cernens longâ ciborum penuriâ laborantem, Domini oraculo conſulto, ſeptem filios Saul, ſcelus vlciſcens, quo pater eorum Gabaonitas interfecerat, crucibus in montis vertice affixit. Cùm enim virorum iſtorum cadauera in patibulis diù inſepulta reliquiſſet, ſtatim ac ea terræ mandauit, ac ſepulchrali exequiarum pompâ honorauit, miſericorditer eſt Deus populo repropitiatus. *Colligentes oſſa eorum, qui affixi fuerant, ſepelierunt ea cum oſſibus Saul, & Ionathæ filij eius, in terrâ Beniamin, in latere, in ſepulchro Cis patris eius, feceruntque omnia, quæ præceperat rex, & repropitiatus eſt Deus terræ poſt hæc.* 2. Reg. 21. 14. Cur verò dicitur Deus populo repropitiatus, niſi quia ſterilitatem abſtulit, pluuiam conceſſit, & frugũ vbertatem, atque annonæ copiam ei liberaliter tribuit? Nimirùm tunc priſtinam fertilitatem, quâ diteſcerent, Iſraëlitæ meruerunt, cùm ſepulturæ obſequia mortuis impenderunt. Subnecto verba Petri Comeſtoris lib. 2. Reg. cap. 20. *Depoſuit oſſa de patibulis, & tollens oſſa Saul, & Ionathæ de Iabes Galaad, & oſſa eorum, qui affixi fuerant, ſepeliuit eos in ſepulchro Cis patris eorum. Quo facto reddidit Deus vbertatem terræ.* Tunc populũ Deus ditauit, eique terræ vbertatem conceſſit, cùm ille ſepulturæ honores defunctis exhibuit; diuitias enim ſibi comparat, qui ſuâ mortuos pietate honorat.

Petrus Com.

Qui ſuſcitabat nomen defuncti, eius diuitias lucrabatur.

4 Ruth Moabitidem, propinquiore cognato eam ducere nolente, Booz, vt nomen filiorum generatione mortuo conſanguineo ſuſcitaret, accepit, ſtatimque Noëmi ſocrus ipſius Ruth omnia, quæ fuerant mariti, & filiorum, ei tradidit. *At ille maioribus natu, & vniuerſo populo, Teſtis vos, inquit, eſtis hodie, quòd poſſederim omnia, quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon, tradẽte Noemi, & Ruth Moabitidem vxorem Mahalon in coniugium ſumpſerim, vt ſuſcitem nomen defuncti in hereditate ſuâ, ne vocabulum eius de familiâ ſuâ, ac fratribus de populo deleatur.* Ruth. 4. 9. Quamobrem Noëmi, vt ditaret Booz, ſe omnibus defunctorum facultatibus priuauit? Cur vt diuitias nouo ſuæ nurûs marito pararet, ad paupertatem ſe redegit? Quare demum, quam ſibi ex mariti, filiorumque bonis congregauerat ſubſtantiam, alteri vltrò conceſſit? Quia lex præcipiebat, vt exhibenti prolis procreatione pietatẽ defuncto, defuncti bona, diuitiæ, ac iura, tanquam præmia pietatis, quam exhibebat, mox traderentur. Egregiè Abulenſis in cap. 4. Ruth. quæſt. 56. ERAT LVCRVM *ex hac ſuſcitatione, quia qui ſuſcitabat ſemen alterius, ſuccedebat in omnibus poſſeſſionibus eius, vt patet hic in literâ de Booz, qui accepit Ruth vxorem defuncti, &* CVM EA SVSCEPIT BONA DEFVNCTI. Vt nobis conſtaret eos diuitiarum lucra ſibi cõparare, qui mortuis pietatem exhibent, iuſſit Deus, vt ſuſcitanti nomẽ defuncti eiusdem bona tribuerentur, vt ſuã cernens lucroſam pietatem, ad eam libenter exhibendam lucro ſaltem duceretur.

Abulenſis.

Ioſeph Arimathæũ Chriſti ſepultura diuitem effecit.

5 Solertiam expendens D. Paulinus Epiſt. ad Alethium, quâ Ioſeph Arimathæus Chriſti cadauer ad ſepulturam petiit, pretioſis aromatũ ſtructuris liniuit, ac piâ lachrymarum effuſione plorauit, aduertit inſuper diuitem eum non ſine myſterio in Euangelio appellari. *Cùm autem ſerò factum eſſet, venit quidam homo diues ab Arimathæâ nomine Ioſeph.* Matth. 27. 57. Poſſet quis hic ſciſcitari, cur diuitias huius viri nobis voluerit ſacer Euangeliſta nuntiare. Nunquid nobis expediebat ſcire, Chriſtum diſcipulos habuiſſe diuites, atque opulentos? Nonnè meriti æqualis, ac fortè maioris fuiſſet pauperis obſequiũ Chriſti ſepulturæ impenſum? Quid igitur intererat huius diſcipuli diuitias explicare, dum pietas explicabatur, quâ Chriſto defuncto ſepulturæ officia præſtitit? Hoc actum eſt, vt nobis innoteſceret eum, pietate, quam exhibuit mortuo magiſtro, copiam ſibi comparaſſe diuitiarum. Egregiè D. Paulinus. *Pro Chriſti corpus obſequio muneratus, nec iudicem pro iniuriâ dominici corporis interpellare veritus, & pio ſumptu pretioſi velaminis, et ſepulchri noui* DIVES DOMINI SEPVLTVRA. Ioſeph Arimathæum Chriſti ſepultura diuitem effecit: eos namque Deus diuitiarum copiâ remunerat, qui ſuas, vt mortuorum miſereantur, diuitias effundere non verentur.

D. Paulinus.

Non perduntur, ſed ſeruantur diuitiæ, quæ pro mortuis funduntur.

6 Quinimò eaſdem illas diuitias, quas vt ergà mortuos ſe pios oſtendant, effundunt, non amittunt, ſed ſeruant. Chriſtum Bethaniæ cum diſcipulis, & Lazaro cœnantem pretioſo, & piſtico vnguento Maria Magdalena perfudit, ita vt vniuerſa domus fragrantiam redoluerit odoris. Quod cùm cerneret Iudas, indignatus, quòd non poſſet ex vnguenti venditione lucrari, vngentis religionem turbare, ac veluti parum in pauperes piam auſus eſt acri eam reprehenſione obiurgare. Quapropter Chriſtus in eum inuectus, iuſſit, vt ad honorem ſepulturæ ſuæ ſineret vnguentum illud ſeruari. *Dixit ergò Ieſus, ſine illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.* Ioannes 12. 7. Verùm quo pacto ſeruare poterat mulier vnguenta, quæ iam, vt honoraret Chriſti ſepulturam, effuderat? Hoc fuit vnguenta ſeruare, ad honorandam ſepulturam Chriſti ea effundere; diuitias enim ſuas tunc homines ſeruant, cùm eas, vt mortuis pietatem impendant, effundunt. Præclarè Hugo Cardinalis. *Sine, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud, id eſt effundat,* QVOD EST SERVARE, *tunc enim* SERVATVR, *& reponitur theſaurus, cùm benè erogatur, & hoc dixit, quia dixerat Iudas, Vt quid perditio hæc? Dominus eum dicit, quòd* EST SERVATIO, NON PERDITIO. Poterat ne ad rem noſtram a-

Hugo Card.

Digitized by Google

ptiora verba purpurati Prælati calamus exarare? Non perduntur, ſed ſeruantur, quæ pro mortuis diuitiæ funduntur; nam pius ergà mortuos, non tantùm nouas comparat, verùm etiã, quas fundit, diuitias ſeruat.

Ramum aureum poſt ſepulturã, defuncti Aeneas inuenit.

7 Proſequor, & diuitias, quas homines ex pietate defunctis impenſâ lucrantur, profanorũ quoque authoritate ſtabilio. Virgiliũ autem latinorum poëtarum principem primo loco affero, apud quem lib. 6. Æneidum Sibylla Æneam alloquens, qui ad inferos, vt patrem videret, deſcendere cupiebat, iuſſit ei, vt aureum ex luco diſcerperet ramum, quo munere Proſerpinam placare poſſet inferorum Reginam.

Virgilius.

Sed non antè datur telluris operta ſubire,
Auricomo quàm quis diſcerpſerit arbore fætus.
Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit.

Sed quid, vt hunc ramum decerpere poſſet, ei præſcripſit agendum? Vt antè omnia defuncti cadauer humaret, ei præcepit. Non poterat quippè, niſi pietate defuncto exhibitâ rami aurei diuitias comparare.

Præterea iacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu neſcis) totamque mœſtat funere claſſem,
Dum conſulta petis, noſtroque in limine pendes:
Sedibus hunc refer antè ſuis, & conde ſepulchro.

Debuit Aeneas, vt aureum ramum, quo deſcenderet ad inferos, decerperet, mortuo priùs pietatem exhibere Miſeno, vt nobis conſtaret, aurũ, & diuitias eos comparare, qui miſerentur defunctorum.

Merces ijs, qui pietatem exhibebant mortuis ſoluta.
Nonius.
Lucillius.
Feſtus.
Horatius.

8 Hinc eſt, quòd antiquitùs ijs merces ſoluebatur, qui pietatem defunctis impendebant. Vndè Nonius cap. 1. loquens de Præficis, ait. *Præficæ dicebantur apud veteres, quæ adhiberi ſolent funeri* MERCEDE CONDVCTAE, *vt & flerent, & fortia facta laudarent*, & Lucillius ſat. 22. apud eumdem. MERCEDE QVAE CONDVCTAE *flent alieno in funere præficæ*, & iterum idem Nonius cap. 2. ADDVCTA PRETIO *mulier, quæ præfica diceretur*, & Feſtus. *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum* CONDVCTAE, & Horatius in Arte Poëticâ

Vt qui CONDVCTI plorant in funere dicunt,
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo

Lambinus.
Aldus Man.
Alex. ab Al.
Val. Max.

Ad quæ Dionyſius Lambinus ait. *Vt præficæ mulieres, quæ* MERCEDE CONDVCVNTVR, *vt mortuos lugeant, & collaudent*, & Aldus Manutius. *Præficæ vocabantur mulieres, in funeribus*, ACCEPTA MERCEDE, *plorantes*. Alexander item ab Alexandro lib. 3. dierum genalium cap. 7. inquit. *Præficaſque, quæ luctui præeſſent aduocare, vel* PRETIO CONDVCERE *ſolebant, quæ cantu, & funebri carmine lamentarentur, vitamque, & præclara geſta, ſũmaſque virtutes non ſine miſeratione laudarent*. Valerius quoque Maximus lib. 5. c. 2. Libitinarios quæſtui viuentes dixit. QVAESTVM *contempſerunt, nulli alij rei, quàm* QVAESTVI VIVENTES. Ex quibus vides lucrum, quod ex pietate defunctis exhibitâ ſibi tùm viri, tùm mulieres comparabant

Cuſtodi cadauerum mun tradibi.
Apuleius.

9 Quæ confirmauit & Apuleius lib. 2. Metamorphoſeon, dum cuſtodibus mortuorum pretium Theſſaliæ tradi affirmauit. *Conſpicor medio foro procerum quemdam ſenem. Inſiſtebat lapidem, claraque voce prædicabat. Si quis mortuum ſeruare vellet*, DE PRETIO LICERETVR. Et rurſùs infrà pretium referens, quod ſoluebatur, ſubdit. *His cognitis animum meum commaſculo, & illicò accedens præconem. Clamare, inquam, iam deſine. Adeſt cuſtos paratus, cedo præmium*, MILLE *inquit*, NVMI *deponentur tibi*. Ex quibus ſatis colligitur apud antiquos quoque pios ergà defunctos pecuniarum lucra ſibi ſuâ pietate comparaſſe.

Archiepiſcopus Biſuntinus pecuniam parauit ſui cadaueris curatoribus.
D. Pet. Dam.

10 Hùc ſpectabat Archiepiſcopus ille Biſuntinus, quem laudat D. Petrus Damianus epiſt. 50. quòd ſepulchrum ſibi ædificans, in eius angulis numos repoſuerit, quibus pietas remuneranda eſſet eorũ, qui ſuo cadaueri iuſta perſoluiſſent. *Illud autem, fateor, mihi præ omnibus placuit, quia ſepulchrum tuum mihi tunc oſtendiſti, à te velut hodie ſuſcipiendum, accuratiſſimè præparatum; vbi tanquam* VESPILLONVM MERCES *quini numorum ſolidi per quatuor altrinſecùs angulos in ſudario ſunt ligati, vt inter exequias funeris, in ipſo quoque pietatis opere ſepultoribus tuis videatur remuneratio non deeſſe*. Adeò ſanctiſſimus iſte præſul debitã nouit exhibentibus pietatem mortuis pecuniarũ mercedem, vt eam illis, qui ſuum cadauer humaſſent, parare voluerit, antequam ex hac vita migraret.

Dona collata eis, qui Mardonij cadauer ſepelierũt.
Herodotus.

11 Quâ mercede neque illi ſunt fruſtrati; qui Mardonij in prælio cœſi cadauer tumularunt, quibus ab Artonte illius filio ingentia dona collata fuiſſe teſtatur Herodotus lib. 9. *Poſtero die cùm Mardonij cadauer non extaret, incertum, à quibus hominibus ſubtractum, audiui tamen iam diuerſos illum ſepeliſſe, et ob id permultos ſcio* INGENTIA DONA *ab Artonte Mardonij filio accepiſſe*. Pietatis ſuæ præmium acceperunt, & qui defuncti cadauer ſepulchro donauerunt, ingentia dona ex tali ſepulturâ collegerunt.

Mulier in mortuum ſua opulentã dotem ex ſua pietate retulit.
Paul Iouius.

12 Quod & contigit infimæ notæ meretriculæ, quæ Ioannis Mariæ Vicecomitis cadaueri crudeliter proiecto, quos poterat, opportunæ præſtitit benignitatis effectus. Non amiſerat hęc mulier cum honeſtate pietatem, quapropter defuncto compatiens adeò immaniter abiecto, & ſine ſepulturæ honore contempto, multis recentium roſarum floribus eius corpus contexit, eoque munere ſuam ergà illum miſerationem declarauit. Nec ſanè abſque lucro adeò tempeſtiuam exercuit in mortuum pietatem, nam illam ſucceſſor defuncti Philippus remunerauit, & opulentam mulieri dotẽ, vt poſſet honeſtum inire cõiugiũ, donauit. Hęc narrat Paulus Iouius in vitâ Ioannis Mariæ his verbis. *Infimæ ſortis meretrix tempeſtiuæ pietatis officium vſurpans, totum cadauer multâ recenti roſâ contexit. Indè poſteà à Philippo ſucceſſore* OPVLENTAM DOTEM, *vt honeſtè*

nuberet

Digitized by Google

nuberet, ingenua charitatis nomine habere promeruit. Diteſcunt, qui ſuâ mortuos pietate honorant, vndè infimæ ſortis meretricula opulentam lucrata eſt dotem, cùm tempeſtiuam defuncto exhibuit pietatem.

[E]tiam inuiti [d]e pietate in [d]efunctos lucrari coguntur.

13 Obſeruo inſuper, dum caput abſoluo, adeò cum pietate in defunctos diuitias cohærere, ac lucrum, vt homines quandoque licet inuiti coacti ſint ex hac pietate lucrari. Poſtulauerat Abraham agrum, in quo vxorem ſepeliret defunctam, quem ei Ephron libenter obtulit, & coram omni Hethæorum populo donauit. *Agrum trado tibi, & ſpeluncam, quæ in eo eſt, præſentibus filijs populi mei, ſepeli mortuum tuum.* Gen. 23. 11. Adhuc tamen aduerto, quòd Ephron ex tali agro quadringentos argenti ſiclos lucratus eſt, quos ei Abraham dedit. *Quod cùm audiſſet Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat, audientibus filijs Heth, quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Gen. 23. 16. At quo pacto hanc ſibi pecuniam Ephron comparauit, dum Abrahæ agrum, & ſpeluncam gratis donauit? Nunquid ex muneribus lucra proueniũt pecuniarum, vt tunc Ephron ditior ſit effectus, cùm Abrahæ agrum donauit? Si donauit, cur pro eo quadringentos argenti ſiclos recepit? Quia eum Abraham ad recipiendum coëgit. Audi D. Hieronymum in Glo. *Pretio victus eſt, vt ſepulchrum venderet, & ACCIPERET ARGENTVM, LICET COGENTE ABRAHAM.* Quia Ephron ſe oſtendit ergà defunctam Abrahæ vxorem adeò pium, vt pro illius ſepulturâ gratis agrũ obtulerit, & ſpeluncam, eum Abraham, licet inuitum coëgit, vt argentum acciperet, vt videlicet agnoſceremus ita lucrum conſequi pietatem defunctis exhibitam, vt ex hac pietate inuiti quoque homines quandoque lucrari cogantur. Diteſcit igitur, qui miſeretur mortuorum, & diuitiarum lucra ſibi comparat, qui pietatis obſequia mortuis præparat.

[D.] Hieron.

CAPVT XL.

Romanorum æmulatur gloriam, qui defunctorum veneratur memoriam.

[P]ilatus Chri[ſt]i cadaueri [ſe]pulturæ honorem cõceſ[ſi]t, quia Ro[m]anus erat, [&] Romanorũ [le]gibus guber[n]abat.

1 IDeò Romanũ eſſe pietatem exhibere defunctis oſtendere decreui, vt ſciant ſe poſſe per eam obtinere, quod cupiunt, ij qui aut armis, aut literis, aut moribus Romanos æmulantur. Et ſanè Romanos ergà defunctos clementiſſimos fuiſſe promptitudo in primis oſtendit, quâ Pilatus iuſſit Chriſti defuncti cadaueri exequiarum iuſta perſolui, & ſelputuræ honores exhiberi. Vix enim Ioſeph Arimathæus corpus ab eo poſtulauit magiſtri, vt in ſuo illud humaret monumento, moxque ille annuens diſcipuli petitioni præcepit à cruce cadauer deponi, & poſtulanti piè ſepeliendum præberi. *Acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus.* Matth. 27. 58. Miror, quòd Pilatus tantâ benignitate Chriſti cadaueri ſepulturæ conceſſerit honorem! Miror, quòd Iudæi, qui licet inuitum eum quodammodo coëgerant damnare Chriſtum viuum, non item illũ cogerent in eumdem ſæuire defunctum! Miror tàdem, quòd potius voluerit vnius diſcipuli exaudire petitionem, quàm omnium Phariſæorũ approbare crudelitatem! Addò quòd Chriſtus tanquam ſeductor crucis morte fuit interemptus. *Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens, Poſt tres dies reſurgam.* Matth. 27. 63. Seductores autem ſepulchrales non obtinebant honores, ſed etiam poſt mortem mulctati abijciebantur inſepulti. Quare hunc morem afferẽs Theophylactus in Matth. 27. dixit. *Cùm vt ſeditioſus eſſet occiſus, reliquum erat, vt inſepultus abijceretur.* Cur igitur hunc morem Pilatus noluit ſequi, ſed iuſſit, vt Chriſti cadauer Ioſeph Arimathæo humandum traderetur? Hanc exhibuit mortuo clementiam, quia Romanus præſes erat, & Romanorũ legibus gubernabat. Appoſitè Ioannes Lorinus in c. 8. Actuum Apoſtolorum. Sepultus eſt *ex præſidis indulgentiâ, & clementiâ, qui* ROMANORVM *legibus gubernabat.* Romanum eſt, pietate proſequi mortuos, vndè quia Pilatus Romanus erat, & Romanorum legibus gubernabat, Chriſto ſepulturam conceſſit defuncto.

Theophylact.

Lorinus.

2 Et quidem leges Romanorum maximam defunctorum curam geſſiſſe, profani quoque nobis tradũt authores. Quapropter Plutarchus lib. de mulierum virtutibus Romanam affert legem, quâ ſtatuebatur omnes cuiuſcumq; ſexûs defunctos publicè laudibus attolli. ROMANAM LEGEM *maximè probo, quòd mulieres itidem, vt viros publicè poſt mortem meritis laudibus affici iubet.* Quam legem primò à Romanis ortum habuiſſe pluribus probat Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 5. Antiquitatum Romanarum. *Quòd* ROMANORVM *vetus inuentum ſit in clarorum virorum funere virtutes illorum laudare, nec à Græcis hoc primò inſtitutum eſſe, è communi hiſtoriâ compertum habeo, quam poetæ antiquiſsimi, & ſcriptores nobiliſsimi ad nos transmiſerunt, nam certamina quidem tùm gymnica, tùm equeſtria in illuſtrium virorum funeribus ab amicis inſtituta narrant, vt ab Achille in Patrocli funere, & antè ab Hercule in funere Pelopis, at laudes eis dictas fuiſſe nemo prodidit, præter Atheniensium tragicos, qui adulantes vrbi ſuæ, ſepelienti Oedipodas Theſeo id quoque affinxerunt.* Quin & paulò infra ſubdit, nedùm antiquitate, verùm etiam amplitudine legem Romanorum ſtatuta ſuperaſſe Athenienſium, iſti quippè ſolùm in bello mortuos, illi verò quoſcumque præclarè vitâ functos funebribus laudibus attollebant. *Athenienſes ijs tantùm, qui in bellis periſſent, funebres laudationes inſtituiſſe videntur, ex vnâ obitûs virtute, etiamſi in cæteris fortè nihil fuiſſet, fortem virum cenſendum eſſe iudicantes.* ROMANI *verò omnibus claris viris, ſiue illi bello adminiſtrando præfuiſſent, ſiue rempublicam in magiſtratu prudentibus conſilijs, & factis egregijs adminiſſent, eum honorem*

Romanorũ leges defunctorum curam geſſerunt.

Plutarchus.

Dion. Halic.

norem habuerunt, non tantùm in bello defunctis fato, ſed quemcumque vitæ ſortitis exitum. Vide igitur ſuis legibus Romanos pietatem exhibuiſſe defunctis, quorum virtutem quocumque mortis genere terminatam funebrium laudum honore cõmendandam primò, & præ alijs prudenter ſanxerunt.

Appij Claudij filius petijt, vt iuxtà leges Romanorum patrẽ ſibi liceret laudare defunctum. Dion. Halic.

3 Hinc apud eũdem Dionyſium Halicarnaſſeum lib. 9. filius Appij Claudij, qui mortem ſibi proprijs manibus conſciuerat, à Tribunis, & Conſulibus petijt, vt patrem ſibi liceret laodatione funebri ex populi Romani inſtituto laudare. *Allato autem in foro cadauere, filius eius adijt Tribunos, & Conſules, petijtque, vt ſibi populum ad concionem legitimam conuocarent, ſibique in eâ more maiorum, &* Ex Popvli Romani Conſvetvdine *patrem oratione funebri, quæ in viros bonos haberi ſolet, ornare permitteren:*. Mores, inſtituta, & conſuetudinem propoſuit Romanorum, qui ſemper ſuis legibus defunctis pietatem exhibuerant, vt poſſet ipſe quoque iuxta illas mortuum laudatione funebri commendare genitorem.

Mores varij Romanam ergà defunctos teſtantes pietatem.

4 Ex his legibus varij apud eoſdem Romanos mores prouenerunt, quibus ſuam ergà mortuos teſtabantur pietatem. Nam & ſorores fratribus, & matres filijs detonſos crines in ſignum mœroris imponebant. Quem morem narrat Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 7. *Morem* A' Romanis *vſurpatum legimus, vt ſorores defunctis fratribus, & matres filijs atratæ in acerbo funeris luctu cũ flebili vociferatione detonſos crines corpori imponerent.* Alium item morem author idem eodem loco recenſet, quo diebus luctûs pellibus veſtiebantur, & illi, ad quos funeris cura ſpectabat, prætextam pullam induebant. *Pellibus quoque veſtiri* Romanos *diebus luctûs, & qui funus facerent, cuiuſque cura, & procuratio funeris erat, prætextam pullam induere, apud multos inuenio.* Polybius etiã lib. 6. narrat in eorum funeribus faſces, ſecures, & reliqua defunctorum, dum viuebant, inſignia præceſſiſſe, vt maiori pompâ exequiæ celebrarentur. *Faſces, & ſecures, & reliqua principalibus conſueta, ſecundùm dignitatem cuiuſque, præcedunt in funere* Romanorvm *, qui dum in viuis eſſent, in Republicâ eminebant.* Boëthius quoque lib. 6. apud Theatrũ vitæ humanæ vol. 3. lib. 9. ſcribit apud Romanos principes magno ſumptu elatos, eorumque funera celebri pompâ ducta. *Maximus legatus Britanniæ Scotorum Regis Eugenij à ſe victi, cæſique funus magno ſumptu* Romanorvm *principũ more extulit.* Herodianus tandẽ lib. 4. eos ait ſuos imperatores conſecraſſe defunctos. *Mos eſt* Romanis *conſecrare imperatores, qui ſuperſtitibus filijs, vel ſucceſſoribus moriuntur.* Quis igitur hæc legens, Romanam non admiratur ergà defunctos pietatem.

Alex. ab Al.

Polybius.

Boëthius.

Herodianus.

Pietatem defunctis exhibentes, ciues fiebant Romani.

5 Sed illud inſuper eſt aduertendum, quòd tãtâ in mortuos pietate Romani flagrabant, vt ſeruos, & famulos in dominorum funeribus pios illicò ciues Romanos declararent. Diſce id ex Imperatore Iuſtiniano lib. 7. Codicis tit. 6. de Latinâ libertate. *Sed & qui Domini funus pileati antecedunt, vel in ipſo lectulo ſtantes cadauer ventilare videntur; ſi hoc ex voluntate fiat, vel teſtatoris, vel heredis, fiant* Illicò Cives Romani. Adeò iuſtiſſimus Imperator cenſuit Romanum eſſe pietatem impendere mortuis, vt infimæ quoque ſortis homines, dummodò pietatem mortuis exhiberent, ciues voluerit declarare Romanos.

Iuſtinianus.

Ioſeph Arimathæus curiæ Romanorũ officia adminiſtrans Chriſtum ſepeliuit defunctum.

6 Sed iam ad ſacros authores redeamus, & poſt laudatam Romanam ergà Chriſtum defunctum Pilati pietatem, Ioſeph Arimathæi fortitudinem commendemus, qui magiſtri cadauer audacter petere, ac nouo, & lapideo monumento mandare non timuit. *Et accepto corpore Ioſeph, inuoluit illud in ſindone mundâ, & poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petrâ.* Matth. 27. 59. Quis non miretur ſtrenuum diſcipuli animum, qui potuit, perſequentibus Phariſæis, torquentibus militibus, blaſphemantibus turbis, & præ metu fugientibus Apoſtolis, honores Chriſti corpori tantâ ſolertiâ parare ſepulchrales? Vndè hoc ei robur inditum, vt virum adeò celebri exequiarum pompâ honoraret, quem nouerat à populo veluti ſeditioſum damnatum, interemptũ, crucifixum? Hæc laudabili auſu egit, quia nobilis decurio erat. *Venit Ioſeph ab Arimathæâ nobilis decurio.* Marc. 15. 43. Quòd ſi quis interroget, quiſnam eſſet, & quodnam munus hic decurio gereret, habebit Ludolphum Carthuſianum lib. de vitâ Chriſti 2. par. cap. 65. his verbis reſpondentem. *Ioſeph Arimathæus decurio, ideſt de ordine curiæ, & officia curiæ imperij* Romanorvm *adminiſtrans*. A' Romanis, quorum officia, & imperia, vt decurio, adminiſtrabat, didicerat vir iſte pietatem in mortuos, ideòque nihil odiũ turbæ metuens, aut Phariſæorum, magiſtrum honorificè, ac Romano more voluit ſepelire defunctum.

Lud. Carth.

Fœlicitas matrona Romana defunctorum martyrum corpora ſepeliri mandauit. Breu. Rom.

7 Hanc pietatem imitata eſt nobilis matrona Fœlicitas, quæ corpora ſanctorum martyrum Marij, Marthæ, Audifacis, & Abacum ceruicibus abſciſſis combuſta colligi præcepit, & Romanâ magnificentiâ in ſuo prædio ſepeliuit. Quamobrem illius miſerationem commẽdans Breuiarium Romanum die 19. Ianuarij, ait. *Eorum corpora conijciuntur in ignem, quæ ſemiuſta Fœlicitas matrona* Romana *nobilis colligenda, & in ſuo prædio ſepelienda curauit.* O' verè ingenuã, & Romanâ nobilitate præditam matronam, quæ tantâ pietate defunctorum martyrum cadauera ſepulturæ obſequiis honorari præcepit. Et ſanè antiquarum matronarum viſa eſt pietatẽ æmulari Romanarum, quarum pietatem in funere Poplicolæ deſcribens Plutarchus, inquit. Matronae Romanae *eum, velut amiſſum filium, vel fratrem, vel communem parentem luxere.* Porrò matronæ quoque Romanæ, Romanum eſſe pietatem impendere mortuis, ſuâ pietate oſtenderunt.

Plutarchus.

Populus Romanus cũ ceteris exequiis Fabiolæ celebrauit.

8 Nec minùs Romana ergà defunctos pietas tunc apparuit, cùm Fabiola nobilis mulier debi-

tum

Digitized by Google

tum Chriſto ſpiritum exhalauit, & ſarcinâ corporis depoſitâ, volauit ad Cœlum. Ad cuius exequias honorandas tanta Romanorũ multitudo confluxit, vt rectè dixerit Diuus Hieronymus in eius Epitaphio ſuos in illius funere conſpexiſſe Romam in vnum populos congregatos. *Audio præcedentium turmas, & cateruatim in exequijs eius multitudinem confluentem. Non plateæ, non porticus, non imminentia deſuper tecta capere poterant proſpectantes.* TVNC SVOS IN VNVM POPVLOS ROMA CONSPEXIT. Animaduerte Romanorum pietatem, qui vt matronæ defunctæ funus honorarent, plateas, porticus, tecta denique ipſa cateruatim confluentes oppleuerunt, eique luctu communi iuſta perſoluerunt.

D. Hieron.

9 Quin etiam maiores huius pietatis effectus in funere Conſtantini exhibuerunt, cùm publicè lugentes balnea, & fora clauſerunt, ſpectacula ſummouerunt, & preces cum gemitu pro illius animâ Deo fuderunt. Audiamus Euſebium Cæſarienſem lib. 4. vitæ Conſtantini cap. 69. hæc ſcribentem. *Vt verò Imperatorem vitâ functum eſſe Senatus, populuſque* ROMANVS; *ac tota imperatoria ciuitas accepiſſet, cùm hac famâ nihil ſibi grauius, aut luctuoſius accidere poſſe exiſtimarent, nullum dolori, & lamentationi modum ſtatuebant. Nam balnea clauſa, & fora, publica item ſpectacula ſummota, & præterea omnia, quæ per vitæ otium, & tranquillitatem facere ſolebat animus pacatus, & nullâ perturbatione impeditus.* Et infrà cap. 71. preces referens, quas pro animâ defuncti fundebant. *Iam populus*, inquit, *frequens vnà cum ſacerdotibus non ſine lachrymis, & ſanè magno cum gemitu, preces pro animâ imperatoris Deo fundebant: in quo & illi gratum, atque optatum pio principi officium præſtabant.* O' egregiam Romanorum in ſuum imperatorem defunctum pietatem, quâ cunctas omittentes delitias, ſoli vacauerunt luctui, eius cadauer ſolennibus honorantes exequijs, & animam precibus adiuuantes effuſis.

Romani in funere Conſtantini ſolum vacauerunt luctui, & precibus.

Euſeb. Cæſar.

10 Dum verò pietatem Romanam in Imperatoris exequiis recolo, ea nequeo ſupprimere, quæ duces omnes Romani antiquitùs in funeribus exhibebant Imperatorum. Præmiſſis namque militibus, curribus ipſi circumuecti, ſuprema defuncto munera deferebant, eumque conſecratum cum cæteris numinibus colebant. Hoc debemus Herodiano lib. 4. *Neque gens eſt, neque ciuitas, neque qui honore vllo, aut dignitate præcellat, quin certatim pro ſe quiſque ſuprema illa munera principis honori deferant. Vbi verò ingens aromatum aceruus aggeſtus eſt, ac locus omnis expletus, tùm circà ædificium illud adequitant, vniuerſis equeſtris ordinis certâ quadam lege, ac recurſu, motuque Pyrrichio, numeroque in orbem decurrentibus. Currus item circumaguntur inſeſſi purpuratis rectoribus, qui perſonas ferunt ducum omnium* ROMANORVM, *principumque illuſtrium.* Quis nõ miratur pompæ magnificentiam, quâ ſuam Romani teſtabantur in defunctum imperatorem pietatem?

Pompa, quâ Romani ſuâ eſtabâtur in defunctum imperatorem pietatem.

Herod.

11 Imò & antè Imperatores conſimili pompâ conſueuerant Reges honorare defunctos; quare Romulus Romanorum rex, & conditor Tatij cæſi cadauer è Lauinio magno ſomptu Romam detulit, & in Auentino ſolenni funeris pompâ humauit. Sicque factum eſt, vt exequias Regis Sabinorum egregiâ pietate Rex celebrauerit Romanorum. Refert hoc Plutarchus in Romulo. *Ille* (Romulus) *corpus Tatij magno honore* ROMAM *delatum tumulauit in Auentino ad Armiluſtrium.* Quis igitur poſthac Romanam ergà mortuos audebit denegare clementiam, dum Romanorum conditorem tantâ in defunctum agnoſcit pietate flagrantem?

Romulus pietate flagrans in Tatium defunctum.

Plutarchus.

12 Rectè igitur Valerius Maximus lib. 5. c. 1. clementiam expendens, quâ Pauli, Gracchi, & Marcelli defunctorum cadauera iuſſit Annibal honorificè tumulari, eum Romanâ tunc manſuetudine vſum fuiſſe affirmat. Omninò enim Romana eſt manſuetudo, quâ pietas exhibetur defunctis. *Admirabilem Annibalis vocem pro funeribus Romanorum ducum arbitria ſtatuentis expreſſit; quia aliquantò ei plus gloriæ Paulus, & Gracchus, & Marcellus ſepulti, quàm oppreſſi attulerunt; ſiquidem illos Punico aſtu decepit,* ROMANA MANSVETVDINE HONORAVIT. Romana eſt manſuetudo, quâ viri pii defunctorum miſerentur, vnde Annibal, qui hoſtes Punico aſtu ſuperauit, eoſdem mortuos Romanâ manſuetudine honorauit.

Annibal Romanâ manſuetudine hoſtes defunctos humauit.

Val. Maxim.

13 Et ſanè Romanæ pietatis eſt, vt amicos, & hoſtes honorare defunctos. Nam Caium Marcium ab audaciſſimis Tullii amicis lapidibus cõciſum, & miſerè interemptum, nedùm Volſci, cũ quibus militauerat, ſed etiam Romani, contrà quos aliquando acriter pugnauerat, exequiarum pompâ honorauerunt, & publico, ac priuato luctu plorauerunt. Exiſtimauerunt namq; Romanum eſſe, non tantùm amicis, verùm etiam hoſtibus pietatẽ exhibere defunctis. Præclarè Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 8. Antiq. Roman. *Non Volſci ſolùm mortem eius luxerunt, & colunt, vt virum olim optimum, verùm etiam* ROMANI, *vbi eum caſum cognouerunt, accipientes pro magno Reipublicæ infortunio, priuatim, ac publicè luxerunt hominem, & eorum matronæ, vt in domeſticorum, & neceſſariorum luctu moris eſt, poſito auro, & purpurâ, ornatuque cætero, atro amictu ſunt vſæ per annum integrum.* Quid exaggeratius dici poterat pro clementiâ Romanorum ergà defunctos?

Caium Marcium non tãtùm Volſci, ſed luxerunt, & Romani.

Dion. Halic.

14 Sed & Centurio eamdem teſtatus eſt pietatem, qui Chriſtum commendans in cruce defunctum, apertis verbis eum Dei filium prędicauit. *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodiẽtes Ieſum, viſo terræmotu, et his, quæ fiebant, timuerunt valdè dicentes; Verè filius Dei erat iſte.* Matth. 27. 54. Mirum, quòd homo Ethnicus, & Gentilis, qui Chriſtum cuſtodierat morientem, eum tantâ pietate laudaret mortuum! Vt quid occiſum laudauit, cuius occiſioni cum cæteris conſenſerat?

Centurio ciuis Romanus Chriſtũ ſuâ fide commendauit mortuum.

ſenſerat? Vt quid mortuum prædicauit, cuius morti cum ſuis militibus in Iudæorum gratiam aſtiterat? Vt quid tandem pius fuit ergà Chriſtum defunctum, qui crudeliter ſæuierat in viuũ? Nunquid hanc fide ſuâ Chriſto mortuo pietatem exhibuit; quia Romanus ciuis fuit, vt ipſe quoque oſtenderet Romanum eſſe pietate proſequi defunctos? Hùc alluſiſſe videtur Lucius Dexter in Chronico ad annum Chriſti 34. apud Cornelium à Lapide in Matth. 27. *Centurio credidit, qui* FVIT CIVIS ROMANVS, *baptizatuſque à Beato Barnabâ factus eſt tertius Mediolanenſis Epiſcopus*. Romanum ſemper fuit mortuis impendere pietatẽ, quamobrem licet Centurio Romanus Chriſtum cum Iudæis perſecuutus fuiſſet viuum, eum tamen poſteà veræ fidei confeſſione commendauit defunctum.

Lucius Dext.

15 Non debeo autem, dum Romanum Centurionem commendo Romanorum militum laudes præterire, qui ſub Cæcinâ duce poſt cladem acceptam ſuorum commilitonum reliquijs inſigni pietate ſuprema ſoluerunt. Quorum ſolertiã in inſtaurandis nobili cultu ſplendidiſſimi funeris exequiis referens Cornelius Tacitus lib. 1. Annalium, hæc nobis tradit. ROMANVS, *qui aderat exercitus, ſextum poſt cladis annum, trium legionũ oſſa, nullo noſcente, alienas reliquias, an ſuorũ humo tegeret, omnes, vt coniunctos, vt conſanguineos, auctâ in hoſtem irâ, mœſti ſimul, & infenſi condebant*. Vide Romanorum militum clementiam, qui poſt ſextum cladis annum defunctos ſocios obliuioni haud tradiderunt, ſed eis non obſcurâ ſummi doloris ſignificatione parentare voluerunt.

Militum Romanorum pietas in commilitones defunctos.

Corn. Tacit.

16 Sed iam tempus eſt, vt caput abſoluam, quod præſto, dum reprehenſionem recolo, quâ Chriſtus Phariſæorum, & Scribarum hypocriſim redarguit, ſepulchris eos comparans dealbatis. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus ſpecioſa, intùs verò plena ſunt oſſibus mortuorum*. Matth. 23. 27. Vbi Romanorum ſtudiũ, quo defunctis monumenta omni ornamentorum genere inſtructa ædificabant, innuiſſe videtur. Quò reſpexit in Bibl. veter. Patrum Chriſtianus Druthmarus cap. 56. Expoſitionis in Matthęum his verbis. *Dicit, quòd ſimiles ſint ſepulchris, quæ erant à foris dealbata de calce, & marmoribus ornata, & picta coloribus: intùs autem plena erant omni ſparcitiâ, ideſt immunditiâ. Apud antiquos aliarum gentium grande ſtudium fuit monumenta patrũ ornare, quod & in monumentis* ROMANORVM *adhuc apparet*. Egregia ſemper fuit ergà defunctos Romanorum pietas, quam vt oſtenderent, ſuperbas eis monumentorum moles omni artificio elaboratas conſtruebant. Romanam ergò imitetur pietatem, qui Romanum admiratur valorem, ſciatque illos Romanorum æmulari gloriam, qui defunctorum venerantur memoriam.

Romani ornatas monumentorum moles mortuis ædificabant.

Chriſt. Drut.

* * * *

CAPVT XLI.

Ad altiora ſurgit, qui ad mortuos per pietatem declinat.

1 CHriſti ſententia eſt. *Qui ſe humiliat, exaltabitur*. Luc. 14. 11. Quam in pietate quoque mortuis impensâ locũ habere demonſtro, dum eos, qui ſe humiliant, mortuos adiuuantes, qui apud inferos in imis terræ partibus morantur, exaltari, & ad altiora cõſurgere oſtendo. Sæpè verba expendimus, quibus Hethæi Abrahæ pro Saræ vxoris defunctæ ſepulturâ deprecanti reſponderunt. Nunc denuò aduerto illos principis titulo eum honoraſſe. *Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos*. Gen. 23. 6. Hebraicè verò נשיא אלהים אתה בתכינו. Vbi aduertendum dictionem נשיא eleuationem ſignificare, ſuamque trahere originem à verbo נשא, quod idem eſt, ac *eleuo*. Princeps autem per eam ſignificatur, eò quòd cæteris eminet, & præ alijs ratione ſuæ dignitatis eleuatur. Vt igitur Hethæi ſignificarent Abraham pietate, quâ vxoris defunctæ ſepulturam quærebat, ſuprà cæteros eleuatum fuiſſe, principem illum, & נשיא appellanerunt. Hæc omnia Oleaſter apprimè confirmat. *Dictio* נשיא, *ab* ELEVATIONE *ortum habet, & principem ſignificat, quòd inter alios* ELEVATVS *ſit*. Statim ac Abraham ſuam ergà mortuam vxorem pietatem oſtendit, princeps, & eleuatus honorifico titulo appellatus fuit, euehuntur enim, & ad altiora eleuantur, quicumque ſuâ mortuis pietate ſuffragantur.

Abraham eleuatus ob pietatem, quã defunctæ vxori exhibuit.

Oleaſter.

2 Hanc etiam ob cauſam poſt luctum, quo eamdem vxorem ſuam defunctam plorauit, dicitur Abraham à funeris officio ſurrexiſſe. *Cumque ſurrexiſſet ab officio funeris*. Gen. 23. 3. Nec enim vacat myſterio, quòd potiùs verbum ſurgendi ſacer hiſtoricus adhibere voluerit, quàm verbum recedendi, vel aliud huic ſimile, ſed illud nobis innuitur, quòd poſtquam Abraham defunctam vxorem ſuâ pietate luxit, magis eleuatus eſt, & ad altiora ſurrexit. Non ſupprimo verba Franc. Mendozę in 1. Reg. c. 4. *Nõ dicitur receſſiſſe, ſed* SVRREXISSE, *hoc eſt ad* ALTIOREM, *perfectioremque viuendi ſtatum euaſiſſe*. Ad altiora ſurgit, qui mortuis pietatem impendit, ideòque Abraham poſt pietatem exhibitam mortuæ vxori, non receſſiſſe, ſed ab officio funeris dicitur ad altiora ſurrexiſſe.

Eadem pietate ad altiori vivendi ſtatum euaſit.

Franc. Mend.

3 Addo, quòd ager quoq; ille, quẽ ab Ephron Hethæo emptum ſepulturæ vxoris Abraham deſtinauit, à frugũ germinatione ad cadauerum receptionem translatus, ad ſortem altiorem ſurrexit. *Et confirmatus eſt ager, & antrum, quod erat in eo Abrahæ in poſſeſſionem monumenti à filijs Heth*. Gen. 23. 10. Obſeruo Hebraicam phraſim pro eo, quod nos legimus, *Et confirmatus eſt*, habere ויקם, quod idẽ eſt ac, *et ſurrexit*, קום enim *ſurgere* propriè ſignificat. Quapropter Card. Caiet. hunc

Ager ſurrexit, cum mortui cadauer recepit.

Caietanus.

locum

locū vetſans ait. *Iuxtà Hebræū habetur, Et* SVRREXIT *ager.* Adeò verū eſt, quòd ad altiora euehūtur, qui mortuis exhibent pietatem, vt res quoq; ſenſu omni prorſus carentes ſurgere dicantur, cùm mortuorum cadauera intrà ſinum ſuum ſepulta hoſpitantur.

Excelſis cō runtur, i mortuo m miſeren.

4 Hic ea quadrant, quæ habet Matthęus, cædem ſcribens, quâ Herodes, vt Chriſtum interficeret, in pueros omnes crudeliter ſęuiit in finibus Bethleemiticis à bimatu, & infrà genitos. Ieremię ſcilicet Propbetiam tunc dicit fuiſſe impletam, quâ prædixerat luctum matrum pro filijs interemptis pietate maternâ emiſſum. *Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam, dicentem, Vox in Rama audita eſt ploratus, & vlulatus multus. Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Matth. 2. 18. Vbi aduertendum eſt Rama locum fuiſſe in Iudæâ excelſum à ſuâ eleuatione hoc nomine appellatum רום enim, & רמם ſignificat *eleuari*, & *exaltari*

Theophylact.

Vndè ad hunc locum Theophylactus hęc habet. *Rama locus fuit Paleſtinæ* EXCELSVS: *nomen euim hoc* EXCELSVM *ſignificat, ſuitque in ſorte tribus Beniamin, qui fuit filius Rachel. Rachel autem ſepulta fuit in Bethleem. Dicit igitur Propheta Bethleem Rachel, eò quòd in illâ ſepulta fuit Rachel, fletum autē, & ploratū aud tum fuiſſe* IN EXCELSO. Ita pietate defunctis exhibitâ homines extolluntur, vt in excelſo commorari dicantur, cùm pio luctu, & ſepulchrali lamentatione illos honorant.

Ad excelſa ... dunt, qui ... ſeruit pieta ... impen- dunt.

5 Afferò adhuc ad idem comprobandum id, quod geſſerunt viri Beniamio, qui ſocijs prælio à cæteris Iſraë itis peremptis ſuperſtites fuerunt. Hi ergò cùm numerum non excederent ſexcenteſimum, ad ſolitudinem fugerunt, & menſibus quatuor in petrâ Remmon ſederunt. *Remanſerunt itaque de omni numero Beniamin, qui euadere potuerunt, & fugere in ſolitudinem ſexcenti viri, ſederuntque in petrâ Remmon menſibus quatuor.* Iud. 20. 47. Quid verò in hac petrâ tanto tempore iſti viri egerunt? Socios, quos in prælio amiſerant, piâ lachrymarum effuſione luxerunt. Audi Petrum Comeſtorē lib. Iudicum cap. 23. id aſſerentem. *De omni numero Beniamin ſoli ſexcenti remanſeruut, qui ſederunt in petrâ Emor, & planxerunt planctu magno quatuor menſibus.* Obſeruatione autem dignum eſt, quod Magiſtri Scholaſticæ hiſtoriæ Scholiaſtes aduertit, hanc petram locum excelſum fuiſſe, ac eumdem cum Rama, vbi filios ſuos interfectos Rachelem ploraturam Ieremias prædixit. *Petra hac* EXCELSA FVIT. *Rama autem* EXCELSVM *ſonat, vndè de planctu iſtorum plangentium filios ſuos dicitur in Euangelio, Vox in Rama audita eſt ploratus, & vlulatus multus.* Expende omnia excelſa eſſe, vbi de pietate agitur, quæ mortuis exhibetur; ad excelſa enim tendunt, qui ſuam defunctis pietatem impendunt.

Petr. Comeſt.

Iob ſurrexit, ... pro filijs mortuis orauit.

6 Hinc Iob dicitur ſurrexiſſe, cum filiorum, filiarumque morte cognitâ, tonſo capite in terram corruit, & ſciſſis veſtibus mortuos plorauit. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit.* Iob. 1. 20. Poſſet autem quis hic dubitare, cur dicatur ſurrexiſſe, dum pronus corruit, vt adoraret, in terram. Nunquid ſurrexit, dum cecidit, ita vt ſimul, & cecidiſſe dicatur, & ſurrexiſſe? Ita ſanè; ſurrexit enim, vt dignitatem meritorum attolleretur, dum cecidit, vt animabus mortuorum ſuffragaretur. Siſto verba Diui Ioannis Chryſoſtomi homiliâ 3. de patientiâ Iob. *Bonum verbum* SVRREXIT; *non enim decidit plagâ, ſed* SVRREXIT PIETATIS VIRTVTE. Erigit viuos pietas ergà defunctos, vndè Iob erectus tunc ſurrexit, cùm in terram, vt adorans pro filijs mortuis oraret, ſciſſis veſtibus corruit.

D. Io. Chryſ.

7 Hùc etiam verba referenda ſunt Archangeli Raphaëlis ita ſeniorem Tobiam alloquentis. *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tuâ, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Tob. 12. 12. Agnoſce quantùm euectæ ſint beati ſenis orationes, quæ Archangelum habere meruerunt latorem, cuius miniſterio ad verticem aſcenderunt Cœlorum. Aduerte, quanti meriti fuerint preces, quas Deo Angelicæ manus obtulerunt. O' excelſam pietatis ergà defunctos efficiam, cuius virtute ad excelſum Cœlorum habitaculum Tobiæ preces, & operationes aſcenderunt. Eleganter Diuus Auguſtinus in Gloſsâ. *Defunctos, inquit, ſepelire non metuiſti,* ASCENDERVNT *ad Dominum opera tua, quia relicto prandio reddidiſti mortuum ſepulturæ.* Tobiæ orationes aſcenderunt ad dominum, quia ipſe ad foueas, & ſepulchra, vt cadauera humaret mortuorum, deſcendebat: ad altiora enim ſemper aſcendit, qui ad mortuos per pietatem deſcendit.

Tobiæ operationes aſcenderunt ad Deum, cùm mortuorū cadauera ſepeliuit.

D. Auguſt.

8 Tabitham lauerunt mortuam viduæ, quæ ab eius charitate, dum viuebat, ſuſtentabantur, & lotam poſuerunt in cœnaculo, duos viros ad Petrum mittentes, qui mortem nuntiarent diſcipulæ, illumque, vt ad eas venire dignaretur, deprecarentur. *Factum eſt autem in diebus illis, vt infirmata moreretur, quam cùm lauiſſent, poſuerunt eam in cœnaculo.* Act. 9. 37. Cœnaculum fuiſſe ſuperiorem domûs partem vbi cœnitari conſueuerat (præterquàm quòd nomen Græcum ὑπερῷον latino correſpondens apertè id teſtatur, nam ὑπὲρ ſignificat *ſuper*, & *ſuprà*) multi paſſim docent authores, inter quos Feſtus ait. *Cœnacula dicuntur, ad quæ ſcalis* ASCENDITVR. D. Hieronymus in cap. 41. Ezechielis loquens de hoc ipſo cœnaculo, in quo Tabitham collocarunt, inquit. *Cœnaculum templi, ad quod de anguſtioribus* AD ALTIORA CONSCENDIMVS, *illud puto eſſe, quod in Regum volumine Elias habuit, & Eliſæus, & in Apoſtolorum actibus Tabitha, idest δόρκας, et damula noſtra poſſedit, quæ bonis operibus ad ſumma conſcenderat.*

Tabitham in ſuperiori domus parte viduæ collocarunt, vt ſublimitatem innuerēt, qui eam ſuſcitabat.

Cœnacula erant in ſuperiori parte domus.

Feſtus.

D. Hieron.

R 2 Ly-

Digitized by Google

Lyranus.

Abulenſis.

Lyranus in cap. 41. Ezechielis, vbi loquitur de cœnaculo templi, dixit. *In coenaculum templi deferebat per gyrum, ideſt per circularem* ASCENSVM. Abulenſis in 3. Reg. cap. 6. *Aſcenſus, qui erat in pariete, erat cochléa, ideſt circularis, &* ASCENDEBATVR *per illum ad primum coenaculum, ideſt tabulatum, vel deambulatorium, & continuatâ cochleâ* ASCENDEBATVR *ad ſecundum coenaculum, quod vocatur medium, & indè ad tertium.* Et rursùs in 2. Paralipom. cap. 3. *Vocantur coenacula duæ* DOMVS SVPERIORES *templi.* Et iterum in 3. Reg. cap. 17. *Vocatur coenaculum quædam domus* ALTA, *in quâ erat lectus Eliæ, & diuerſorium, vbi ipſe manebat; erat autem ibi* SVPERIOR PARS *domûs.*

Caietanus.

Diſtinctio inter cœnaculũ, & cœnationẽ.

Lau. Valla.

Caietanus in cap. 20. Actum Apoſtolorum. *Cecidit de tertio coenaculo* ALTITVDO LOCI *explicatur.* Hinc Laurentius Valla lib. 4. Elegantiarum cap. 22. cœnaculum diſtinguit à cœnatione, quòd cœnaculum in ſuperiori, cœnatio verò in inferiori eſſet parte domûs. *Coenaculum locus ad coenandum* IN PARTE SVPERIORI, *coenatio locus ad coenandum, ſed in imo potiùs.* Cùm ergo cœnaculum ſuperiorem partem domûs ſignificet, & mortui, vt faciliùs efferantur, ſoleant collocari in inferiori, dubium hîc oritur, cur viduæ in cœnaculo Tabithâ collocauerint defunctam. Quod ſanè dubium aptâ

Hugo Card.

reſponſione diluit Hugo Cardinalis inquiens id ſanctas mulieres egiſſe, vt loci ſublimitate Petri ſublimitatem indicarent, qui reſurrectionis miraculo vitam erat communicaturus Tabithæ. Poſuerunt eam in cœnaculo, vel propter *altitudinem meriti, vel* PROPTER SVBLIMITATEM *miraculi futuri.* Sublimis eſt, & ſublimes eos reddit, qui illam exercent, pietas ergà defunctos, quam ſublimitatem vt ſanctæ viduæ innuerent, Tabitham in loco ſublimi collocauerunt Petri precibus mox reſuſcitandam.

Vt Chriſtus attolleret ſua miracula noluit Archiſynagogi filiam curare viuã, ſed ſuſcitare mortuam.

9 Cùm turba multa circà mare conueniſſet ad Chriſtum, venit ad eum Iairus Archiſynagogus, & ad pedes illius humiliter procidens, multis eum precibus orauit, vt duodennem puellam, quam vehementer diligebat, mortali ægritudine laborantem, & iam in extremis labijs animam habentem, curare dignaretur. Annuit Chriſtus, verumtamen non ſtatim ad iacentem, & moribundam perrexit, ſed mulieri, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, ſanitatem reddens, diſtulit ad Archiſynagogi domum accedere, donec puella morbo ſuccumbens animam efflaret. *Adhuc eo loquente, veniunt ad Archiſynagogum, dicentes, Quia filia tua mortua eſt, quid vltrà vexas magiſtrũ?* Marc. 5. 35. Hîc ſciſcitari iuuat, cur cũ Chriſtus patrem exaudire vellet, non illicò filiam curauerit adhuc viuam, ſed potiùs eam voluerit ſuſcitare defunctam. Nonnè poterat ſtatim patrem audiens deprecantem, filiam ſanare ægrotantem? Nonnè poterat abſens expellere morbum, qui potuit præſens expellere mortem? Nonnè tandem poterat diuino imperio vitam detinere fugientem, & mortem arcere appropinquantem? Cur ergò id non egit, ſed puellam mori, & patris dolorem eius morte augeri permiſit? Vt magis attolleretur miraculum, dum puellam non ſanaret ægrotam, ſed ſuſcitaret defunctam. Scitè Simon Caſſianus lib. 5. in Euangelia cap. 14. *Moriebatur iſta duodennis puella, nec Chriſtus antè mortem voluit ſubuenire, vt per reuocationem à morte* ATTOLLERETVR *miraculum.* Pietatis ergà defunctos eſt attollere pios, quare Chriſtus ipſe, vt ſua magis attolleret miracula, non curare viuam, ſed puellam voluit ſuſcitare mortuam.

Simon C

Altior Chriſti poteſtas apparuit, ad mortuorum auxilium per pietatem declinauit.

10 Idipſum contigit, cùm Centurionis fidem admiratus, poſtquam eius puerum paralyſi laborantem curauit, ad Ciuitatem Naim profectus, viduæ adoleſcentulum, quem veſpillones efferebant, ad vitam reuocauit. *Et ait; adoleſcens, tibi dico, ſurge, & reſedit qui erat mortuus, & cæpit loqui.* Luc 7. 15. Vide quæſo, quomodo ab inferioribus ad ſuperiora pergit, & à minoribus ad maiora homines paulatim attollit. Centurionis ægrotum primò magnâ poteſtate curat, ac deindè viduæ defunctum maiori virtute reſuſcitat, ſicque fidem noſtram ſenſim attollens, altitudinem ſuæ poteſtatis tunc maximè oſtendit, cùm reſurrectionis miraculo, cunctis mirantibus, mortuo vitam donauit. Adeſt Diuus Gregorius Nyſſenus in catenâ hæc ad rem noſtram ſcribens. *Reſurrectionis experimentum non ita verbis, ſicut operibus à ſaluatore didicimus, qui ab inferioribus inchoans opus miraculi, fidem noſtram aſſuefacit ad maiora. Primò quidem in ægritudine deſperatâ ſerui Centurionis reſurrectionis incæpit poteſtatem. Poſt hæc* ALTIORI POTESTATE *ducit homines ad fidem reſurrectionis, dum ſuſcitauit filium viduæ, qui ferebatur ad monumentum.* Adeò attollit pietas exhibita defunctis, vt ipſius Chriſti poteſtas altior apparuerit, cùm ad mortuorum auxilium per pietatem declinauit.

D. Greg. Nyſ.

Magdalenã ſuæ ſepulturæ honorem exhibentem ſumma laudũ præconia Chriſtus eleuauit.

11 Non igitur mirandum, quòd Magdalena ſuper Chriſti caput vnguenta effundens, & propinquæ magiſtri ſepulturæ funereos honores exhibens, tot ſit ab eodem Chriſto laudibus euecta, eiuſque nomen per vniuerſum orbem, vbicumque prædicatur Euangelium, commendetur. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Matth. 26. 13. Has enim laudes iurè merebatur, quam ergà ſuam ſepulturam tantâ pietate ſolicitam ſuâ miſericordiâ Chriſtus eleuauit. Rectè Diuus Vincentius Ferrerius ſermone de Sãctâ Mariâ Magdalenâ. *Ieſus Chriſtus manu ſuæ miſericordiæ* EAM ELEVAVIT. Ad altiora eleuantur, qui mortuos pietate proſequuntur, & icciricò Chriſtus Magdalenam cernens vnguentorum effuſione ſuæ ſepulturæ anticipatâ curâ pietatem exhibentem, ad ſumma eam laudum præconia eleuauit.

D. Vinc. Ferr.

12 Quin

Eam horis canonicas recitantem angeli eleuabãt.

12 Quin & propter eamdem pietatem ad altiora illam euexit. Nam cùm cæteris feruentior ad Chriſti monumentum perrexiſſet, ibique alijs recedentibus pietate flagrans perſeueraſſet, adeò ingentia retulit à reſurgente Magiſtro ſuæ pietatis præmia, vt angelicis manibus ad ſolitarium locum tranſlata, ibi ab Angelis cùm Horas canonicas recitabat ſimul ſecum modulantibus à terrâ eleuaretur. Id refert ibidem idem Sanctus Vincentius Ferrerius. *Septem horis canonicis Angeli veniebant, & in qualibet horâ cantantes vocibus corporalibus* ELEVABANT EAM. O' miram pietatis ergà defunctos excellentiam, quæ adeò Magdalenam extulit, vt Angelicis manibus à terrâ eleuari mereretur.

Idem.

Iudas ad ſuperiora eleuatus pro mortuorum animabus offerri ſacrificium curauit.

13 Præceperat Indas dux Machabæorum, vt cadauera militum bello peremptorum terræ cũ honoribus exequiarum mandarentur, & in paternis humarentur ſepulchris. Quæ cùm piè ſuperſtites milites exequerentur, ſub tunicis interfectorum donaria inuenerunt idolorum, ratione quorum (ea enim lex prohibebat) illos in prælio corruiſse cognouerunt. Verumtamen Iudas factâ ſtatim collatioue, argentum Ieroſolymam miſit, vt pro mortuorum delictis libamina offerrentur in templo ſacrificiorum. *Et factâ collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè, & religioſè de reſurrectione cogitans.* 2. Machabæorum 12.43. Hæc expendens Hugo Etbetianus in Bibliothecâ veterum patrum lib. de regreſſu Animarum cap. 15. rectè aduertit non niſi magnâ ſpe ad ſuperiora eleuatum hæc geſſiſſe fortiſſimum ducem Machabæorum. Cur enim vir adeò pius ad altiora non eueheretur, dum tantâ ergà defunctos pietate flagrabat? *Iudas Machabæus vir iuſtus, Deique amicus extitit. Hic vir, cùm multis, & magnis ſæpiſſimè miſericordiam Domini precibus conſecutus fuerit,* SPE AD SVPERIORA ELEVATVS, *pro mortuis etiam offerre ſacrificium piâ deuotione cenſuit.* Non cùm cætera rogando obtinuit, ſed tantùm cùm pro mortuorum animabus offerri ſacrificia curauit, ſtrenuus hic vir ad ſuperiora dicitur eleuatus; vt cognoſcamus ad ſuperiora eos eleuari, qui ſuâ ſtudent pietate adiuuare defunctos.

Hugo Ether.

Codrus omnium laudibus euectus, quia Pompeij humauit.

14 Hoc & profani agnouerunt authores, quapropter Lucanus lib. 8. Pharſaliæ Codri pietatem commendans, quâ Magni Pompeij cadauer abiectum conſtructâ pyrâ, cremauit, & erecto tumulo, terræ mandauit, dixit eum ab omnibus æternis laudibus euehendum.

Lucanus.

Quam metuis demens iſto pro munere pœnam,
Quo te fama loquax omnes accepit in annos?
Condita laudabit Magni ſocer impius oſſa.

Lamb. Hort.

Quæ magis explicans Lambertus Hortenſius, inquit. *Vt meritò laudibus* VEHARIS, *quòd contempto periculo Pompeium cremaris.* Laudibus omnium eſt euectus, cùm Pompeij cadauer extremo pietatis officio cremauit, nam ſemper euehit viuos pietas, quæ oſtenditur ergà defunctos.

Cùm mortuos Latini, & Teucri ſepelierunt, lux diei dicitur elata.

15 Firmat hæc etiam Virgilius, qui lib. 11. Aeneid. referens, quomodo ſtatutis inter Latinos, & Teucros indueijs, corpora vtrinque ſunt humata militum interfectorum, Auroram diei, quâ mortuis eſt ſummâ pietate parentatum, lucem extuliſſe diſertè affirmat.

Virgilius.

Aurora intereà miſeris mortalibus almam
EXTVLERAT LVCEM, referens opera, atque labores
Iam pater Aeneas, iam curuo in littore Tarchon
Conſtituere pyras, & corpora quiſque ſuorum
More tulere patrum, ſubiectiſque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine Cœlum

Vbi obſeruat Seruius Poëtam, quotieſcunque deſcribit Auroram, ſermone ſemper vti rebus, de quibus agit, idoneo. Quare hic quoque, quia funera, exequias, & parentalia narrabat mortuis militum ſuperſtitum pietate ſolenniter exhibita, vſus eſt verbo extollendi, & Auroram ſuam cecinit extuliſſe lucem, oſtendens eos extolli, qui ſepulturâ, funeribus, & exequijs exhibent pietatẽ defunctis. Subdo verba Seruij. *Aſinius Pollio inducit vbique Virgilium in diei deſcriptione ſermonem aliquem ponere aptum præſentibus rebus, vt hoc loco,* QVIA FVNERVM, ET SEPVLTVRARVM RES AGITVR, DIXIT, EXTVLERAT. *Item in quarto, quia eſt nauigaturus Aeneas, & relicturus Didonem, dicit Tithoni croceum linquens aurora cubile.* Dum ergo Poëtæ quoque agnouerunt pietatem ergà defunctos homines attollere, agnoſcamus & nos eum ad altiora ſurgere, qui ad mortuos per pietatem declinat.

Seruius.

CAPVT XLII.

Perfectioribus viris comparantur, qui mortuos pietate proſequuntur.

Sanctum Sunamitis mulier cenſuit Eliſæum, cũ ſuſcitauit mortuum.

1 DVm probo viros pios ergà defunctos iuſtioribus æquari, & perfectioribus, ordinatè procedo, eoſque comparari Sanctis, Patriarchis, Prophetis, Martyribus, & Apoſtolis oſtendo. Primò igitur miraculum reſurrectionis expendo, quo Eliſæus Sunamitidis mulieris mortuo filio vitam reſtituit. Quem cùm ſuis precibus viuificaſſet, viuumque matri tradidiſſet, hæc ſtatim ad pedes Prophetæ corruit, eumque humiliter adorauit. *Venit illa, & corruit ad pedes eius, et adorauit ſuper terram, tulitque filium ſuum, et egreſſa eſt.* 4. Reg. 4. 37. Sæpè mulier iſta Eliſæum viderat, allocuta fuerat, monita eius audierat, quin & eum in domo ſuâ hoſpitio exceperat, nec tamen vnquam legitur eum adoraſſe, niſi poſtquam mortuum ad ad vitam reuocauit. Cur iſtud? An quia tunc cenſuit, Prophetam ſanctum, cùm eum agnouit in mortuum pium? Hæc profectò eſt mens Abulenſis, cùm huius adorationis cauſam afferens, ait. *Nunc verè apparebat, quòd Eliſæus* ERAT VIR SANCTVS, *cùm potuiſſet ſuſcitare*

Abulenſis.

puerum iſtum à morte. Pietas, quam Eliſæus exhibuit mortuo, eum ſanctis æqualem, ac propterea dignum adoratione oſtendit, quapropter confeſtim eum tanquam ſanctum mulier Sunamitis adorauit.

Sanctus idem Propheta apparuit, cùm poſt mortem mortuum ſuſcitauit.

2 Hoc idem aliud miraculum confirmat, quo poſt mortem à cadauere mortem fugauit, eique in ſuo monumento commoranti vitam reſtituit. Nam cùm quidam, vt ſepulchro mandarent, illud extuliſſent, & latrunculos ad ſe venientes vidiſſent, timuerunt, & ne illorum aduentum expectarent, terram effodere noluerunt, ſed in ſepulchro Eliſæi corpus proiecerunt. Protinùs autem ac tetigit oſſa prophetæ, ad priſtina vitæ munera redijt, & in ſepulchro mirabiliter animatus reſurrexit. *Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſæi. Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſæi, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.* 4. Reg. 13. 21. Prædixerat Eliſæus Ioas Regi Iſraël victoriam, quam relaturus erat aduersùs regem Syriæ bella gerens, cùmque confeſtim hoc dicto mortuus eſſet, vix apud Iſraëlitas hoc credebatur. Vt igitur Deus à Prophetá ſuo mēdacij notam amoueret, eumque mentitum non eſſe oſtenderet, hanc ei gratiam contulit, vt poſſet poſt mortem mortuum corpus reuocare ad vitam. Quod vt populus agnouit, illicò eum veridicum, & virum ſanctum exiſtimauit. Appoſitè idem Abulenſis. *Quia prædixerat Eliſæus, quòd Rex Ioas ter pugnaret contrà Syriam, & præualeret, & illicò mortuus eſt, putarent Iſraelitæ, quòd fortè hoc euenturum non erat, quia nondum viderant illud euenire, nec videbantur ipſi diſpoſiti ad hoc, vt poſſent præualere contrà Syriam, & ſic diffiderent de verbis Eliſæi, & ſic anxiarentur. Voluit ergò Deus* OSTENDERE SANCTITATEM ELISAEI *poſt mortem.* Ne putarent Iſraëlitæ Eliſæum non vera dixiſſe, voluit Deus eum oſtendere ſanctum, ac proindè ab omni mendacio alienum, quod quidem egit, dum illum mortui ſuſciratorem reddidit, æquatur enim ſanctis, qui ſuam exhibet pietatem defunctis.

Idem.

Sanctæ viduæ ſunt appellatæ, dum pro defunctâ orationes fundebant.

3 Mortuâ Tabithâ, viduæ, quas, dum viſerat, ſuis facultatibus nutrierat, Petrum aduocauerunt, qui tunc temporis Lydiæ morabatur. Cùmque aduenisset, eum omnes circumſteterūt, & veſtes, ac tunicas, quas à defunctæ charitate receperant, illi oſtenderunt, orantes, vt mulierem adeò piam priſtinam ad vitam Apoſtolicâ virtute reuocaret. *Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cùm aduenisset, duxerunt illum in coenaculum, & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.* Act. 9. 39. Has verò preces à ſanctis mulieribus effuſas rectè aduertit Gloſſa interlinearis, nam ſanctis in hac vitâ cōparabantur, dum tantâ pietate pro defunctâ deprecabantur SANCTAE *pro ſanctâ ſanctum precantur.* Sanctæ viduæ ſunt appellatæ, dum pro defunctâ orationes fundebant: ſanctis enim æquantur, qui mortuos pietate proſequuntur.

Gloſſa interl.

Booz, quia propinquo defuncto pietatem impendit, inter Patriarchas eſt numeratus.

4 Sed & in Patriarcharum catalogo, qui defunctis pietatem exhibent numerari merentur. Teſens Diuus Matthæus Chriſti Genealogiam, inter Patriarchas, ex quibus ortum duxit, enumerauit etiam Booz, qui Ruth Moabitidi nupſit. *Salmon autem genuit Booz de Rahab, Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Matth. 1. 5. Quòd ſi quæratur, cur inter Patriarchas tot virtutibus inſignes, tot laudibus conſpicuos, totque meritis ornatos vir iſte aggregari meruerit, reſpondendum puto id eum obtinuiſſe, quia Ruth vxorem ducens, propinquo ſuo mortuo nomen prolis procreatione ſuſcitauit. Quam reſponſionem approbat Diuus Petrus Damianus Epiſtolâ 97. his verbis. *Ille, cui iure propinquitatis accipere Ruth competebat vxorem. Cedo, inquit ad Booz, iure propinquitatis. Neque enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo. Ille quippè vanus, & gloriæ cupidus proprio nomini poſteritatem familiæ conabatur extendere; Booz autem vir bonus, & iuſtus famam proprij nominis paruipendens diuina tantummodo legis contentus eſt mandata ſeruare. Sed ecce illius, qui ſuam poſt ſe memoriam anhelabat in poſteritate relinquere ne nomen quidem agnoſcitur, hic autem non ſolùm in Patrum, ſed* IN PATRIARCHARVM CATALOGO CVM GLORIA NVMERATVR. Patriarchis æquatur, qui mortuorum miſeretur, & iccircò Booz inter Parriarchas cum gloriâ eſt numeratus, quia ſuperſtitem propinqui vxorem ducens, ei nominis ſuſcitatione pietatem impendit defuncto.

D. Pet. Dam.

Dum Ioſeph Arimathæus Chriſtum humauit, nulli patriarchis ſui nominis minor apparuit.

5 Nec minorem gloriam adeptus eſt Ioſeph ille Arimathæus, qui propter ſepulturæ obſequia, quæ Chriſto exhibuit mortuo, tot in Euangelio laudum præconijs commendatur. *Accepto corpore Ioſeph, inuoluit illud in ſindone mundâ, et poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petrâ.* Matth. 27. 59. Huius viri nomen expendens Magnus Albertus in cap. 15. Marci, aduertit prædeceſſores habuiſſe duos viros eodem nomine appellatos omnium virtutum ornamentis inſtructos, Ioſeph ſcilicet filium Iacob, qui à fratribus venditus, & à crimine immunis Chriſtum præfigurauit, & Ioſeph virum Mariæ, qui vir iuſtus, & ſanctitatis fulgore conſpicuus eidem Chriſto paterna obſequia impendit. Vtrique autem patriarchæ Ioſeph iſte apparuit æqualis, cùm mortuo magiſtro, mortis pericula contemnens, & Iudæorum perſecutiones non metuens, eſtrema pietatis officia exhibuit. *In nullo,* verba ſunt Alberti Magni, *à virtutibus prædeceſſorum nominis ſui minor apparuit. Sicut enim Ioſeph* PATRIARCHA *captiuitatem, et venditionem Chriſti, et ſalutem gentium per Chriſtum factam virtutibus ſuis præfigurauit, et ſicut Ioſeph nutritius Domini diligenter obſecutus fuit, ita iſte nunc* PARIBVS VIRTVTIBVS *mortuo Domino officium funeris impendit.* Dum Chriſtum egregiâ pietate humauit, ſui nominis patriarchis nequaquam minor apparuit, ſed paribus

Albert. Mag.

vir-

virtutum ſplendoribus effulſit.

Non fuit Samuele Prophetâ, cuius erat cõciuis, inferior.

6 Quòd ſi nomine conſiderato, eius patriã ex pēdere velimus reperiemus, eum à Ramathâ ortũ habuiſſe, indèq; Arimathæum appellatũ fuiſſe. Quam patriam & Samueli Prophetę contigiſſe conſtat, de cuius patre dicitur. *Fuit vir vnus de Ramathaim ſophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana* 1. Reg. 1. 1. Vt autem vir iſte in nullo patriarchis ſui nominis minor apparuit, ita nec in aliquo Prophetæ ſuæ Ciuitatis inferior extitit, ſed eum in omnibus, & Patriarchis, & Prophetis illius pietas reddidit æqualem. Audiendus iterum idem Albertus Magnus, qui eodem loco hæc etiam ſcribit. *Ab Arimathæâ. Eſt lau s à patriâ, & gente. Hæc, enim erat ciuitas Samuelis,* CVI ISTE IN NVLLO FVIT INFERIOR, *ſed probant ſe tanti conciuis conſortem, & tanti iudicis in omni dignitatis honore heredem.* O' virum omnium cõmendatione dignum, qui pietate mortuo magiſtro exhibitâ, nec minor Patriarchis, nec fuit inferior Prophetis.

Idem.

Vt Chriſtum vidit mortuũ ſuſcitantem, magnũ eum Prophetam populas appellauit.

7 Pergens Ieſus ad ciuitatem Naim, adoleſcentem reperit, quem extrà vrbem efferebant defunctum, eiuſque matrem aſpiciens multas lachrymas effundentem, miſericordiâ motus tetigit loculum, ſtatimque vitam mortuo, & mortuum reddidit matri. Quod cùm turba vidiſſet, Deum magnificauit, magnumque Prophetam ſurrexiſſe affirmauit. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes; Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis.* Luc. 7. 16. Hæc verba expendens Dionyſius Carthuſianus, obſeruat populum prædicaſſe Chriſtum Iſaiæ, Ieremiæ, cæteriſque maioribus Prophetis æqualem; dum enim pietatem defuncto impendit, illicò præcipuis Prophetis turbis etiam, quæ illum non nouerant, æqualis apparuit. *Reor, quòd nomen Prophetæ ſumpſerunt communiter, intendentes, quòd Chriſtus eſſet* MAGNVS PROPHETA, *quemadmodum Elias, & Eliſæus, ac alij quidam fuerunt.* Adeò euehuntur, qui mortuis exhibent pietatem, vt etiam Prophetis comparentur, quare vt populus vidit Chriſtum mortuo adoleſcenti vitam reddentem, protinùs magnum eum Prophetam appellauit.

Elias habitus eſt Propheta cùm mortuum ſuſcitauit.

8 Hinc etiam mulier illa, cuius filium Elias ad vitam reuocauit, ei dixit. *Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.* 3. Reg. 17. 24. Quibus verbis voluit vidua iſta indicare, ſe tunc verè credidiſſe Eliam eſſe Prophetam Domini, cùm eum vidit mortuo filio pietatem reſurrectione impendentẽ. Prophetis quippè comparantur, qui mortuorum miſerentur. Ad rem Abulenſis. *In hoc, quòd ſuſcitaſti puerum, cognoui, quòd es vir Dei, id eſt* PROPHETA, *quia alioquin non potuiſſes ſuſcitare eum.* Pietate, quâ ſuſcitauit mortuum, vir Dei, & verus Propheta Domini habitus eſt Elias, nam æquales cenſentur Prophetis, qui pietatem exhibent defunctis.

Abulenſis.

Magdalena,

9 Cùm Apoſtoli aduersùs Magdalenam indignati, quòd ſuper Chriſti caput vnguenta pretioſa fudiſſet, quorum pretium erat pauperibus diſtribuendum, eam acribus verbis increparent, illos Chriſtus tanquam importunos redarguit, & mulieris pietatem defendens, id eam teſtatus eſt egiſſe, vt propinquam ſui cadaueris aromatum effuſione honoraret ſepulturam. *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Matth. 26. 12. Quòd ſi quæratur, quomodo nouerit Magdalena Chriſti corpus tã citò eſſe humandum, quid aliud eſt reſpondendum, niſi, quòd hæc mulier Chriſti mortem, & ſepulturam breui futuram eſſe, per Prophetiam prædixerit? Profectò ita reſpondet Euthymius, cuius hæc ſunt verba. *Ad ſepeliendum me fecit, hoc eſt ad ſepulturam meam, tanquam quæ* PROPHETIZAVIT *mortem meam breui futuram.* Cùm pietatem Chriſti exequijs anticipatâ vnctione Magdalena exhibuit, Prophetarum gloriâ præfulſit, nam Prophetis comparantur, qui pietatis obſequijs mortuos proſequuntur.

cùm Chriſti ſepulturam honorauit, ad Prophetarum gloriam peruenit.

Euthymius.

Viui Martyres appellati, qui Martyrũ cadauera ſepeliebant.

10 Pergo, & viros ergà defunctos pios martyribus etiam æquales oſtendo. Inuictos Chriſti martyres pro veræ fidei confeſſione cæſos Iuuentinum, & Maximum pij quidam Chriſtiani ſunt admirati, & eorum cadauera ſine ſepulturæ honore proiecta conſpicientes, mortis pericula contempſerunt, & ea efferentes exequiarum pompâ curauerunt. Hos autem Martyres commendans D. Ioannes Chryſoſtomus homiliâ, quam de illorum laudibus conſcripſit, viuos eos Martyres appellauit. Nec immeritò ſanè, ad martyrum enim gloriam peruenerunt, cùm martyrum cadauera tantâ pietate ſepelierunt. *Poſt beatam illam cædem quidam etiam cum ſalutis periculo athletas illos optimos rapuerunt* ETIAM IPSI VIVI MARTYRES, *vt illorum reliquias curarent decenter, nam quamuis non occidebantur, optabant tamen mori potius, quàm vt corpora illa relinquerent inhumata.* Pietas in defunctos ita æquat martyribus viros pios, vt dum hanc pietatem exercent, viui mereantur martyres appellari.

D. Ioannes Chryſoſt.

Chriſtiani mortuos ſepelientes miſericordia martyrum conſequebantur.

11 Hùc etiam ſpectabat Euſebius Cæſarienſis lib. 7. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 19. Chriſtianorum laudans pietatem, qui, peſte graſſante, defunctis exportandis vacabant, & eorum cadauera mortis diſcrimini ſe ſe obijcientes humabant. Dixit quippè hos viros tantâ flagraſſe pietate in defunctos, quia ex eâ miſericordiæ martyrium conſequi ſperabant. *Semetipſos huiuſcemodi mortibus inſerebant,* MISERICORDIAE EX HOC MARTYRIVM *capere præſumentes, & dum curandis ægris, defunctis exportandis, humaniſque corporibus operam dabant, inſequebantur penè eos, quos ſuis humeris ad ſepulchra deuexerant.* Nouerant eos æquari martyribus, qui pietate proſequuntur defunctos, & ideò mortis imminentia pericula ſpernentes, vt martyrum gloriam conſequerentur mortuorum corpora piâ ſolertiâ ſepeliebant.

Euſeb. Cæſar.

Magdalena à

12 Caput abſoluo, dum probo pios ergà de

functos

Digitized by Google

Chriſto propter pietatẽ, quà ſuam ſepulturam honerauit Apoſtola effecta.

functos Apoſtolis etiam æquari. Stabat ad Chriſti monumentum plorans, & magiſtro, quem adhuc defunctum credebat, aromatum ſtructurá pietatis obſequia exhibere cupiens Magdalena. Chriſtus verò vt conſolationum præmijs mulieris pietatem remuneraret, ei apparuit, & vt Apoſtolis reſurrectionem ſuam nuntiaret præcepit. *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.* Ioan. 20. 17. Quid autem hoc fuit, niſi Magdalenam Apoſtolicæ dignitatis participem efficere? Vtique cùm Apoſtolorum eſſet fidei Chriſti myſteria nuntiare, Apoſtola Magdalena effecta eſt, cui à Chriſto iuſſum eſt, vt ſuam Apoſtolis nuntiaret reſurrectionem. Subſignat D. Vincentius Ferrerius ſermone de ſanctâ Mariâ Magdalenâ. *Officium maus eſt, quòd* EAM FECIT APOSTOLAM, *quod eſt altius Officium, & principale.* Pietate, quam defuncto magiſtro exhibuit, ad Apoſtolorum dignitatem Magdalena peruenit, vt videlicet agnoſceremus ad Sanctorũ, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, & Apoſtolorum gloriam eos pertingere, qui ſe ſe clementes oſtendunt in defunctos. Ex quibus elicere poſſumus perfectioribus viris illos comparari, qui mortuos pietate proſequuntur.

D. Vincẽtius Ferrerius.

CAPVT XLIII.

Cæteris præferuntur, qui ſuam proferunt ergà mortuos pietatem.

Turba cùm Chriſtum viderunt in mortuos piũ, eum Ioanni prætulerunt.

1 HVc eos aduoco, qui cæteris præferri geſtiunt, illiſque ſuadeo, vt pietatem defunctis exhibeant, per quá ſe poſſe facilè obtinere, quod cupiunt, agnoſcent. Cùm Chriſtus defunctum Naim ſuæ diuinitatis virtute ad vitam reuocauit, diſcipuli Ioannis Baptiſtæ ad magiſtrũ confeſtim perrexerunt, eique ſignum, quo mortuo vitam reddiderat, nuntiauerunt. *Et nuntiauerunt Ioanni diſcipuli eius de omnibus his.* Luc. 7. 18. Vbi quærendum cenſeo, cuius rei gratiâ hæc ſuo retulerint magiſtro. Nùm vt eum, qui adeò mirabile ſignum patrauerat, debitis laudum præconijs commendarent? Nùm vt Ioannes tanti viri diſcipulos eos eſſe permitteret? Nùm vt Chriſti fidem reſurrectionis miraculo confirmatam, magiſtro annuente, amplecterentur? Nequaquam; ſed vt dolorem, quo torquebantur, ei aperirent, dum cernebant Chriſtum propter eam pietatem defuncto exhibitam ſuo à populis præferri magiſtro. Adeſt Dionyſius Carthuſianus ad locum iſtum hęc proferens. *Et nuntiauerunt Ioanni diſcipuli eius de omnibus his, dolentes, quòd Ieſus ita præfulgeret, famaretur, ac* PRAEFERRETVR *magiſtro eorum Ioanni.* Præferuntur cæteris, qui pietatem impendunt defunctis, quare ſimul ac turbæ Chriſtum agnouerunt in mortuos adeò pium, vt eis reſurrectione vitam reſtitueret, cunctis eum prætulerunt, & Ioanne ipſo, cuius ſanctitatem adeò commendabant, maiorem, & ſanctiorem prædicauerunt.

Dion. Carth.

Populi etiam magnum eum dixerũt, qui magis quàm cæteri ſanctitate præfulgebat.

Dion. Carth.

2 Quapropter Deũ cum timore magno glorificantes, dicebant; *Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis.* Luc. 7. 16. Quorum verborum ſenſum nobis tradens idem Carthuſianus, ait per hæc eos innuere voluiſſe, Chriſtum præ omnibus alijs ſanctitate, ac potentiâ inter illos fulgere. *Propheta magnus, hoc eſt magnæ ſanctitatis, & poteſtatis, ſurrexit in nobis, ideſt inter nos apparuit, &* PRAEFVLSIT. Tunc inter homines Chriſtus præfulſit, cùm pius in mortuos vitam eis communicauit, vt videlicet per hoc innueret, quòd qui mortuis pietatem exhibent, cæteris glorioſiùs in Eccleſiâ Dei virtute coruſcant, & ſanctitate præfulgent.

Chriſtum Lazarum ſuſcitantem Prophetis omnibus prætulerunt.

3 Hinc eſt, quòd cùm idem Chriſtus Lazarum quatriduanum, & fętentem à monumento prodire, ac ad viuos remeare iuſſit, obuiam ei turba proceſſit, veſtimenta ſternens in viâ, ramos præcidens de arboribus, & lætis ei vocibus acclamans. *Cùm audiſſent, quia venit Ieſus Ieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, & clamabant. Hoſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael.* Ioan. 12. 13. Quid his præconijs, honoribus, & acclamationibus turbæ ſignificabant? An ſe de Chriſto maiorem, quàm de Prophetá opinionem habere innuebant? Ita cenſet D. Ioannes Chryſoſtomus homiliá 65. in Ioan. 12. *Ramos autem palmarum, & oliuarum, & veſtimenta ſubſtrauerant, oſtendentes,* MAIOREM IAM DE EO, QVAM DE PROPHETA *ſe opinionem habere.* Vix turbæ agnouerunt Chriſtum in defunctum amicum pium, & ſtatim Ieroſolymam ingredienti glorioſè obuiauerunt, eumque Prophetis omnibus prætulerunt.

D. Ioannes Chryſoſt.

Elias excellentior eſt habitus omnibus Prophetis, cùm defunctum ſuſcitauit.

4 Quod & Eliæ præſtitit vidua illa, cuius filius defunctus eius precibus vitam denuò impetrauerat. Hæc enim antè Prophetæ pedes corruens, ſe tunc verè cognoſcere virum Dei eum eſſe confeſſa eſt. *Dixitque mulier ad Eliam; Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuum verum eſt.* 3. Reg. 17. 24. At nonnè anteà mulier iſta Eliam Prophetam, & virum Dei eſſe cognouerat, dum nec hydriam farinæ deficientem, nec lecythum olei vidit propter illius preces imminutum? Cur ergò tunc tantùm virum Dei, & Prophetam ſe illum cognoſcere dicit, eùm defuncto filio ſuis precibus vitam priſtinam reddidit? Nouerat quidem mulier & anteà Eliam eſſe Prophetam, ſed cùm eum vidit ergà mortuũ reſurrectionis miraculo pium, cæteris omnibus Prophetis excellentiorem eum eſſe cognouit, quod vt demonſtraret, *Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu,* glorioſis vocibus exclamauit. Siſtenda ſunt hìc verba Epiſcopi Abulenſis hunc ſenſum clariſſimè tradentis. *Mulier iſta non dixit hoc ad demonſtrandum Eliam eſſe Prophetam, ſed* MAXIMVM PROPHETARVM, *nam per hoc quòd Elia loquente repletus eſt lecythus oleo, & hydria fariná, apparuit eum eſſe Prophetam, iſtud*

Abulenſis.

tamen

Digitized by Google

tamen ſignum non erat ſpeciale, quia ſimilia, & maiora fecerant alij Prophetæ, nullus tamen Prophetarum ſuſcitauerat aliquem mortuum antè Eliam, ideò per hoc quòd ipſe mortuum ſuſcitauit, apparuit eum eſſe EXCELLENTIOREM OMNIBVS PROPHETIS *præcedentibus, & ſic dixit mulier, Nunc in iſto cognoui, quia vir Dei es tu, ideſt quòd es ſpecialiter vir Dei,* PLVSQVAM ALII PROPHETAE. Præfert homines cæteris pietas exhibita mortuis, ideòque cùm Elias defuncto pietatem exhibuit, cunctis alijs viris Dei excellentior, & maximus eſt habitus omnium Prophetarum.

Cæteris mulieribus Magdalena præfertur, quæ cæteris prior ad monumentum venit.

5 Statim poſt Sabbatum cum aromatibus, vt Chriſti cadauer vngerent, ad monumentum eius mulieres profectæ, Angelos inuenerunt, qui eas ad Apoſtolos, vt illis myſterium nuntiarent reſurrectionis, miſerunt. Has autem mulieres proprio earum nomine recenſens D. Lucas, cæteris Mariam præfert Magdalenam, eamque nominat priorem. *Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc.* Luc. 24. 10. Cur verò cæteris Magdalenam præferr, niſi quia cæteris prior, & feruentior ad Chriſti monumentum cucurrit, atque ibidem præ cæteris plorans perſeuerauit? Adſtipulatur D. Bonauentura in hunc locum. *Mariam Magdalenam ſignanter* ALIIS PRAEMITTIT, *quia ipſa feruentiùs alijs dilexit, & prior, vt traditur, ad monumentum venit, & præ cæteris diutiùs perſeuerauit.* Quæ prior defuncto pietatem impendere voluit, cæteris mulieribus in Euangelio præferri debuit, quia ſemper cæteris præferuntur, qui feruentiori pietate mortuos proſequuntur.

D. Bonauentura.

Pietas ergà defunctos Apoſtolis Magdalenam prætulit.

6 Quid? quòd hanc mulierem Apoſtolis ipſis Chriſtus prætuliſse videtur? Nonnè Apoſtolis, Chriſto iubente, reſurrectionis myſterium nuntiauit, & quæcumque ab eo audierat ſummâ fidelitate retulit? *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Venit Maria Magdalene, annuntians diſcipulis, quia vidi Dominũ, & hæc dixit mihi.* Ioan. 20. 17. Fuit igitur Apoſtolis Magdalena prælata, dum Apoſtolorum facta eſt Apoſtola, in eo etiam eis præmiſſa, quòd cùm Apoſtoli ad peccatores, & infideles mitterentur, ipſa miſsa fuit ad Apoſtolos de Chriſti reſurrectione adhuc dubios, & perplexos conuertendos. Debemus hæc omnia D. Vincentio Ferrerio ſerm. de S. Mariâ Magdalenâ. *Petrus, & Paulus, & alij fuerunt Apoſtoli, ideſt miſsi ad peccatores, ſed* MARIA MAGDALENA APOSTOLORVM APOSTOLA *ſcilicet miſſa ad conuertendos Apoſtolos dubios de Chriſti reſurrectione.* O' mirâ pietatis ergà defunctos efficaciam, quæ ipſis Apoſtolis mulierem potuit præferre peccatricem.

D. Vincent. Ferrer.

Primæ mulieres Chriſtum reſurgentem viderunt, quia illi mortuo, eiuſque ſe-pulchro aſtiterunt.

7 Quin & omnes mulieres in hoc Apoſtolis prælatæ videntur, quòd antequam Apoſtolis appareret, eis Chriſtus à morte rediuiuus ſe manifeſtauit, cùm eas ad monumentum vidit, vt ſuo cadaueri pietatem exhiberent, diligenti ſolertiâ profectas. *Et exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno currentes nuntiare diſcipulis eius. Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens, Auete.* Matth. 28. 9. Vide quæſo, quomodo Chriſtus religioſam mulierum pietatem, quâ vt aromatibus eius cadauer perfunderent, ad monumentũ properauerant, remuneratus fuerit. Nam omnibus alijs eas prætulit, & priùs, quàm cæteris reſurrectionis myſterium illis manifeſtauit. Egregiè Theophylactus in cap. 23. Lucæ. *Diſcipuli quidem fugerunt, mulieres autem condemnatum, & maledictum genus permanent, ac ſpectant hæc omnia, & iuſtificatione, ac benedictione illâ* FRVVNTVR PRIMAE, *ſicut & reſurrectione.* Primæ mulieres Chriſtum reſurgentem videre meruerunt, quia cæteris fugientibus, Chriſto mortuo, eiuſque ſepulchro perſeuerantes aſtiterunt.

Theophyl.

Præficæ, quæ præſtabãt miſericordiam defunctis, hoc nomine appellatæ, quòd cæteris præficerentur.

8 Addo, vt profani quoque authores aliquam nobis afferant huius veritatis probationem, mulieres, quæ apud Gentiles mortuos lamentari, eos commendare, aliaque in funeribus pietatis obſequia conſueuerant exhibere, Præficas appellatas fuiſse. Cuius nominis ea ratio eſt, quòd præeſsent, ac præferrentur viuis, dum parentalia obſequia exhibebant defunctis. Hinc Feſtus ait. *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris plangendi modum, quaſi* IN HOC IPSVM PRAEFECTAE, & Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Præficaſque,* QVAE LVCTVI PRAEESSENT, *aduocare, vel pretio conducere ſolebant, quæ cantu, & funebri carmine lamentarentur, vitamque, & præclara geſta, ſummaſque virtutes non ſine miſeratione laudarent.* En à Gentilibus quoque cæteris mulieres præpoſitas, quæ luctu, cantu, & laudibus miſerebantur mortuorum.

Feſtus.

Alexander ab Alex.

Archiſynagogus cæteris præfuit, qui pietatem defunctæ puellæ implorauit.

9 Dum Chriſtus circà mare turbam docebat, quæ multa eò confluxerat, vt eius verbis inſtrueretur, acceſſit ad illum Archiſynagogus, humiliterque deprecatus eſt, vt filiæ ſuæ defunctæ manum imponens, eam ad vitam reuocare dignaretur. *Hæc illo loquente, ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens. Domine filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet.* Matth. 9. 18. Huius autem principis dignitatem explicat Dionyſius Carthuſianus, dũ ait eum vnum ex illis fuiſse, qui domibus præerant, in quibus vacare conſueuerant Hebræi lectioni, orationi, conſilio, & laudibus diuinis. *Habebant Iudæi certas domos, ſeu templa, non ad ſacrificia offerenda, ſed ad vacandum orationi, lectioni, conſilio, & laudibus Dei, & hæ domus vocatæ sũt synagogæ,* QVI VERÒ PRAEERANT *synagogis, & eis, qui ad synagogas cõfluxerunt, nominabantur Archiſynagogi, quorum vnus extitit Iairus iſte.* Eorum qui præſunt, eſt pietatem exhibere defunctis, quamobrem Archiſynagogus, qui ſynagogæ præerat, & illis, qui ad ſynagogam conueniebant, ad Chriſtum acceſſit, vt pro mortuâ puellâ preces effunderet, ac diuinam pro illâ pietatem exoraret. Imò aduertit inſuper Theophylactus

Dion. Carth.

lactus caput 8. Lucæ explicans, Iairum non vulgarem fuiſſe Archi ſynagogum, ſed ex primis eorum fuiſſe. *Acceſſit item & princeps quidam ſynagogæ, non vulgaris, neque abiectus*, Sed Ex Primis. Quod ſanè magis confirmat, cæteris eos præferri, qui defunctis pietatem impendunt.

Theophyl.

Centurio, qui militibus præerat, pietatē exhibuit Chriſto mortuo.

10 Inter eos, qui Chriſto defuncto pietatem exhibuerunt, non infimum obtinet locum Centurio, qui ſtatim ac eum vidit è vitâ ſublatum, exclamauit, & quem cum cæteris perſecutus fuerat viuum, cum paucis commendauit, & verum Deum confeſſus eſt mortuum. *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè filius Dei erat iſte*. Matth. 27. 54. Porrò quis ignorat Centurionem ab eo dictum, quòd centū militibus præeſſet? *Centurio*, inquit Theophylactus in cap. 15. Marci, *hoc eſt* Qvi Centvm Praeerat, *videns, quòd tam potenter, & ſicut Dominus mortis expiraſſet, admiratus eſt, & confeſſus*. Mortuum Chriſtum qui præerat ſuâ confeſſione admiratus laudauit, vt per hoc quoque nobis innoteſceret ad eos pertinere, qui præſunt, pietatem exhibere defunctis.

Theophyl.

Prima ſeſſio eis promittitur, qui ſepeliunt defunctos.

Eſdras.

11 Sed præſtat promiſſionem quoque recolere, quæ 4. Eſd. 2. fit eis, qui ſepulturæ obſequio ſe ſe pios ergà mortuos oſtendunt. *Mortuos vbi inueneris, ſignans commenda ſepulchro, & dabo tibi* Primam Sessionem *in reſurrectione meâ*. Agnoſce hìc, vtrùm cæteris præſerantur, qui mortuos pietate proſequntur, dum prima ſeſſio illis promittitur, qui eorum cadauera extremis exequiarum officijs honorant, & conſuetâ pietate ſepulchro commendant.

Hethæi Abraham ſuum principem appellauerunt, cùm eum viderunt in defunctam vxorem piū, quia plus quàm hominem eum exiſtimauerunt.

12 Pergo, & addo ita cęteris præferri eos, qui mortuis pietatē impendunt, vt dū eam exercent, plusquàm homines eſſe videantur. Abraham ſepulchrū petentē, in quo defunctā vxorē ſepeliret, ita Hethæi honorauerunt, vt non tantùm omnia ſua ſepulchra ei obtulerint, ſed inſuper illū principem ſuum appellauerint. *Reſponderunt filij Heth, dicentes. Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuū tuū*. Gen. 23. 6. Miror, quòd virum peregrinum, & qui nec prædium habebat, in quo poſset cadauer tumulare defuncti, tanto proſecuti fuerint honore Hethæi, vt ſuum principem eum appellare voluerint. Quo pacto princeps, qui, vt agrum obtineret, humiliter ſupplicabat? Nunquid principes prædijs egent ſubditorum, vt ſuarum cadauera ſepeliant vxorum? Principem eum appellauerunt, & vt talem honorauerunt, quia dum illum tantâ pietate cognouerunt ſepulturam curare defunctæ vxoris, quiddam humano faſtigio præſtantius in eo conſpexerunt. Do Philonem Hebræum lib. de nobilitate ita loquentem. *Honorabant eum quaſi ſuum principem, ſuſpicientes ingenium*, Avgvstivs Hvmano Fastigio. Hominibus præferuntur, eiſque auguſtiores humanitatem tranſcendere videntur, qui ſuâ mortuos pietate honorant, & iccircò Abraham cernentes Hethæi ob hanc pietatem hominibus maiorem, ſuum eum principem appellauerunt.

Philo Hebræus.

Vidua Naim plusquàm fœmina apparuit filio pietatem exhibens defuncto.

13 Vidit Chriſtus, dum vrbem Naim ingrediebatur, viduam matrem vnicum filium, qui tunc efferebatur ad ſepulchrum, amarè plorantē, quare miſericordiâ motus, vt viduam conſolaretur lugentem, filium ſuſcitauit defunctum. *Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi; Noli flere, & acceſſit, & tetigit loculum*. Luc. 7. 13. Expende miram lachrymarum huius mulieris efficaciam, quæ tantâ potuerūt facilitate vitam filio impetrare defuncto. Quæ vnquam materno vis fuit luctui, vt ad pietatem repentè pietatis inclinauerit authorem? Quam habuerunt oculi plorantes eloquentiam, quâ Chriſto efficaciter perſuaſerint, vt reſurrectionis miraculo vitam reſtitueret adoleſcenti? Deſinat hæc mirari, quę viduam iſtam pluſquàm fœminam ratione pietatis, quam mortuo filio exhibuit, apparuiſſe agnoſcit. Nec enim mirum eſt, quòd pluſquam fœmina Chriſtum pluſquàm hominem ad ſuorum lachrymas inclinauerit oculorum, & ad filij reſurrectionem conuerterit defuncti. Subſignat diſertis verbis D. Ambroſius. *Hic locus ad vtramque redundat gratiam, & vt citò flecti diuinam miſericordiam matris viduæ lamentatione credamus, eius præcipuè, quæ vnici filij vel labore, vel morte frangatur, cui tamen viduæ grauitatis meritum exequiarum turba conciliet, & vt hanc viduam populorum turbâ ſeptam* Plvs Videri Esse, Qvam Foeminam, *quæ reſurrectionem vnici, & adoleſcentis filij ſui lachrymis meruerit impetrare*. Ita cæteris præfertur, qui ſe benignum oſtendit ergà defunctos, vt ipſam tranſcendere videatur humanitatem, vndè vidua, quæ ſuis lachrymis filio pietatem exhibuit defuncto, pluſquàm fœmina apparuit, ideòque mortui reſurrectionem facilè obtinuit.

D. Ambroſius

Magdalena in omnibus fuit prima, quia Chriſtū honorauit mortuum.

14 Non poſsum hìc omittere verba, quibus Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 51. præmia recenſet, quæ Magdalenæ apud Chriſti monumentum ploranti, ac perſeueranti collata fuerunt. Cùm enim Chriſtus ei primò poſt reſurrectionem ſuam apparuiſſet, dixit illi, vt quæcumque à ſe audierat, Apoſtolis nuntiaret. *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum*. Ioan. 20. 17. Vbi ſanctus Pater aduertit hanc à Chriſto ſanctam mulierem ſuæ pietatis accepiſſe mercedem, vt omnium prima à mœrore ad gaudium reuocaretur, & antè cæteros Chriſti reſurrectionis, & aſcenſionis myſteria nuntiaret. Quæ namque omnibus prior, ac feruentior fuit in exhibendo Chriſto mortuo pietatem, prior etiā fuit in recipiendo ab eodem reſurgente mercedem. Sed iam tanti Patris verba exſcribamus. *Mercedem perſeuerantiæ, lachrymarumque ſuarum duplicem illicò reddidit. Nam* In Ea Prima *vniuerſum mulierum genus, vt in ſuperioribus etiam diximus, à mœrore, & lachrymis ad lætitiā reuocatur*,

D. Cyrill. Alex.

& que-

& quemadmodum in Paradiſo, quoniam diabolo mulier miniſtrauit, in doloribus parituram ſe filios audiuit, ita nunc in horto à maledictione liberata plorare probibetur: hæc igitur vna merces eſt. Altera, quia mittitur ad diſcipulos nuncia, vt eis hoc Euangelium afferat, quòd Chriſtus iam reſurrexit, & aſcendat ad patrem, vt veluti prima mulier, quia diabolo miniſtrauit, & ſe, & mulierum genus vnà perdidit, ſic & hæc mulier, quia Chriſto miniſtrauerit, muliebre genus à maledictione In Se Prima *liberet*. Nonnè religio fuiſſet aliquod ex his elegantiſſimis verbis omittere, ex quibus patet hanc mulierem in omnibus prælatam, & primam fuiſſe, quia egregiam magiſtro pietatem exhibuit defuncto. Hæc igitur cùm ita ſe habeant, verè, ac rectè aſſerere poſſumus, quòd cæteris præferantur, qui ſuam proferunt ergà mortuos pietatem.

CAPVT XLIV.

Euehuntur ad regna Cælorum, qui ſuâ pietate miſerentur mortuorum.

Antequam Chriſtus ad Cælos aſcenderet ad inferos deſcendit, vt animas adiuuaret mortuorum.

1 Viam oſtendo, per quam poſſint homines ad regionem peruenire viuorum. Hæc autem eſt miſericordia, quâ miſeriæ compatiuntur mortuorum. Quod vt probem, obſeruo in primis Chriſtum, poſtquam tribus horis in crucis patibulo ſuſpenſus ignominiosè pependit, mortuum eſſe, animamque illius, dum cadauer nouo, ac lapideo in monumento condebatur, apud inferos remanſiſſe. *In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicauit*. 1. Petri 3. 19. Mirum, quòd Cœlorum Dominus, ſpiritum emittens, ad ſublimia eum non euexerit habitacula Cœlorum, ſed ad ima demiſerit penetralia inferorum? Cur dum ſpiritum in paternas manus commendauit, ad paterni eum non extulit regni ſolium? Cur qui Cœlum viuens & prædicauerat, & promiſerat, Cœlum moriens non adijt, ſed infernum? Cur tandem qui author erat lucis, ad loca tenebrarum horrore infœlicia deſcendit? Vt priùs animas adiuuaret mortuorum, quàm aſcenderet ad excelſa Cœlorum. Præclarè Rupertus Abbas lib. 8. in Geneſim cap. 36. *Priùs ad inferna deſcendit, & mortuis vitam, vinctis ſolutionem reddidit*, Deinde Coelos Ascendit, *adorandus ab omnibus, qui iam erant in Cælo, hominum ſpiritibus, & angelis ſanctis*. Per pietatem, quæ impenditur mortuis, gloria obtinetur, quæ promittitur viuis, quod vt nos Chriſtus doceret, non antè ad regna voluit aſcendere Cœlorum, quàm ad inferna deſcenderet, vt animas egregiâ pietate liberaret mortuorum.

Rup. Abbas.

Petrum, Iacobum, & Ioannem voluit Chriſtus eſſe præſentes puellæ reſurrectioni, quia gloria radio erant in Tabor fruituri.

2 Eandem quoque docuit veritatem, cùm poſtquam ad domum peruenit Archiſynagogi, cuius filiæ defunctæ priſtinam vitam erat redditurus, omnes eiecit, nec ſecum quemquam intrare permiſit, præter patrem, & matrem puellæ, ac tres tantùm Apoſtolos, Petrum, Iacobum, & Ioannem. *Et cùm veniſſet domum non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ*. Luc. 8. 51. Interrogatione dignum eſt, cur cæteris eiectis Apoſtolis, hos tres voluerit adeſſe miraculo reſurrectionis. Vtique ſi hoc agebat, vt magis in fide confirmarentur, ſibique firmiùs crederent vitæ authori, qui poterat vitam communicare defunctis, omnes vocare debebat Apoſtolos, vt omnes hoc ſigno ad fidei proficerent augmentum. Si eos voluit eſſe præſentes, vt vitæ miſerias expenderent, quibus iam adhuc teneræ ætatis puella cruciata fuerat, neq; tam proficuâ conſideratione cæteri priuandi videbantur Apoſtoli. Si tandem tres iſtos intrare permiſit, vt ſuâ compaſſione pietatem impenderent defunctæ, eamdem quoque ab alijs congeuum fuiſſet exigere pietatem. Cur igitur cæteris Apoſtolis cum turbis eiectis, ſolos intrare ſecum permiſit Petrum, Iacobum, & Ioannem? Hos tres tantùm Apoſtolos, tanquam cæteris eminentiores, erat Chriſtus aſſumpturus, quibus in vertice mōtis Tabor Transfigurationis myſterium oſtenderet, ac cœleſtis gloriæ radium manifeſtaret, ideòque illos voluit reſurrectiuni adeſſe defunctæ, vt per pietatem, quâ mortuæ compaterentur puellæ, illius gloriæ qualicumque viſione digni redderentur, illi enim cœleſti gloriâ fruuntur, qui ſuâ mortuos pietate proſequuntur. Argutè Dionyſius Carthuſianus. *Non permiſit intrare ſecum quēquam, niſi Petrum, Ioannem, & Iacobum; hos enim Chriſtus fecit ſibi familiariores, & cæteris eminentes*, Vnde Transfigvrationi Eivs Interfvervnt. Quia tres iſti Apoſtoli gloriæ quodam radio erant in Tabor fruituri, voluit Chriſtus eos ſuâ præſentiâ, & miſeratione puellæ pietatem exhibere defunctæ, vt per hoc innueret homines ad fruitionem gloriæ non peruenire, niſi pietate præmiſsâ, quâ miſereantur defunctorum.

Dion. Carth.

Viris Iabes Galaad nuntiauit Dauid æternam beatitudinem, cùm pietatem defunctis exhibuerunt.

3 Iurè igitur cognitâ pietate, quam Saul, & filijs eius defunctis viri Iabes Galaad exhibuerant, cadauera eorum ab hoſtilibus muris rapientes, & in propriâ regione ſepulchralibus obſequijs donantes, nuntios Dauid miſit, qui eis debitas gratias agerent, illoſque certiores redderent, quòd miſericordiam, & veritatem à Domino pro tantâ pietate conſequerentur. *Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam, & veritatem*. 2. Reg. 2. 6. Miſericordiam quidem illos conſecutos fuiſſe nos quoque ſupra cap. 17. probauimus; miſericordiam enim conſequuntur, qui defunctorum miſerentur. At quid eſt veritas iſta, quam eos conſecuturos eſſe pro ſuâ pietate Dauid affirmat? An veritatis nomine veram diuinitatis notitiam, æternam gloriæ participationem, & ineffabilem beatitudinis fœlicitatem appellauit? Hæc ſanè mens fuit Dionyſij Carthuſiani hoc explicātis Dauidis uerba donantis. *Retribuet vobis Dominus veritatem, ideſt* Veram Mercedem, Ac Svmmae Veritatis Bea-

Dion. Carth.

TMA

TAM NOTITIAM. Beatitudinem ſibi acquirunt, qui mortuis pietatem impendunt, ideòque ſimul ac Dauid pietatem nouit, quam viri Iabes exhibuerant defunctis, veræ mercedis præmia, & æternæ beatitudinis gaudia eis nuntiauit.

Iacob poſteris terram promiſſionis pollicitus eſt, cũ ſui corporis defuncti eis curam mandauit.

4 Idipſum Iacob figurauit, cùm filium Ioſeph adiurauit, vt ſuum poſt mortem cadauer ex Ægypti regno ad paternum transferet ſepulchrum, quod in terrâ ſitum erat Chananæorum. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub fœmore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hac, condaſque in ſepulchro maiorum meorum*. Gen. 47. 29. Non tantâ ſolertiâ ſanctus hic patriarcha ſui cadaueris translationem à filio petijt, quia immodicè cuperet potiùs in proprio, quàm in alieno humari ſepulchro, ſed id egit, vt dum eius poſteri mortuo parenti pietatis obſequia impenderent, ad terram promiſſionis faciliùs peruenirent. Quapropter idem fuit illis hanc præcipere pietatem, ac certam ſpem de terrâ promiſſionis obtinendâ eiſdem polliceri. Annnit D. Ioannes Chryſoſtomus homiliâ 66. in Geneſim his verbis. *Patriarcha hoc non ſimpliciter voluit fieri, ſed ſpem bonam illis pollicens, quòd & ſui vel ſerò aliquãdo redituri eſſent* IN TERRAM PROMISSIONIS. Terram promiſſionis promiſit, quibus curam ſui corporis defuncti commendauit, vt innueret cœleſtem promiſſionis terram tunc acquiri, cùm defunctis pietatis obſequia religioſæ deuotionis officio exhibentur.

D. Ioannes Chryſoſt.

D. Pij tantum ergà mortuos ad arcam aſcendunt Eccleſia triumphantis.

5 Quod & ſignificauit columba, quæ diluuij tempore cùm terræ ſuperficiem aquæ operirent, coruo non reuertente, ad arcam eſt reuerſa. *Quæ cùm non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam: aquæ enim erant ſuper vniuerſam terram, extenditque manum ſuam, & apprehenſam intulit in arcam*. Geneſ. 8. 9. Poteſt quis hìc meritò dubitare, cur columbâ reuertente, coruus ad arcam non fuerit cum eâ reuerſus. Si non potuit columba locum, vbi requieſceret pes eius, reperire, quomodo coruus eum inuenit? Si omnem terræ ſuperficiem aquæ operiebant, vbi moratus eſt, qui vltrà non petijt arcam? Si denique diluuiũ totum contexerat orbem, vbi hæc auis à volatu fatigata inſedit? Nodum ſoluit Rupertus Abbas lib. 4. in Geneſim cap. 23. dum ait coruum cadaueribus mortuorum, ex quorum carnibus paſci voluit, inſediſſe, columbam verò noluiſſe, aut pedibus calcare, aut roſtro cadauera vulnerare mortuorum, ideòque columba illata eſt in arcam, coruus verò extrà eam remanſit. *Non mirum coruus, qui iuxtà literam non reuerſus eſt, quòd inuenire potuit, & columba non inuénit, vbi requieſceret, licet decreſcentibus aquis iam apparuiſſent cacumina montium. Coruus namque faciliùs requieſcere potuit, quia cadauera abundè inuenit: columba verò, quia & cadaueribus non paſcitur, & ſi ad ſedendum aliquod montis iugum inuenire potuit, tamen abſque victu requieſcere non potuit*. Sæuijt in cadauera coruus, ideòque in arcam non eſt illatus, abſtinuit ab impietate in defunctos columba, & iccircò arcam intrare promeruit. Non vacant hæc myſterio, ſed arca triumphantem Eccleſiam ſignificat Cœlorum, vt enim in arcâ multæ factæ ſunt manſiones. *Manſiunculas in arcâ facies*. Gen. 6. 14. ita in Cœlotum regno multæ reperiuntur manſiones. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt*. Ioan. 14. 2. Hinc Hugo Cardinalis in Geneſ. 6. ait. *Manſiunculas fac Chriſto in eccleſiâ militante, quia ibi diuerſitas meritorum, &* IN TRIVMPHANTE, *quia ibi diuerſitas præmiorum*. Non igitur Coruus, qui crudeliter ſæuijt in defunctos, ſed columba, quæ in mortuos pia noluit cadauera calcare, aut vorare illorum, ad arcam perrexit, quia non impij ergà mortuos, ſed in eos miſericordes ab arcâ eccleſiæ militantis ad arcam aſcendunt Eccleſiæ triumphantis.

Rup. Abbas.

Hugo Card.

Idem eſſe videtur aſſiſtere ſepulchro, & manere in Cœlo.

6 Ad Chriſti monumentum, vt pietatem magiſtri cadaueri pretioſis vnguentis exhiberent, mulieres profectæ, Angelos inuenerunt ſepulchri cuſtodes, quæ illis reſurrectionis gaudia nuntiauerunt. *Et factum eſt dum mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt ſecùs illas in veſte fulgenti*. Luc. 24. 4. Quis non miratur, quod Angeli ſuperni ciues Cœli terreni fierent cuſtodes monumenti? Quid Angelis, qui fruuntur vitâ immortali, cum ſepulchris, quæ hominum ſunt ædes mortuorum? Quid agebant in ſepulchro, quorum habitatio ſemper fuit in Cœlo? Audi reſpondentem D. Ioannem Chryſoſtomum in Pſalmum 2. *Ad ſepulchrum*, TANQVAM APVD COELVM, *manebant*. Adeò certi ſunt, quòd ad Cœlum peruenient, qui defunctis pietatem exhibentes, circà ſepulchra morantur, vt idem eſſe videantur aſſiſtere ſepulchro, & manere in cœlo, quare Angeli apud ſepulchrum, tanquam apud Cœlum manebant.

D. Ioannes Chryſoſt.

Angeli pluribus allocuti ſunt mulieres circà ſepulchra commorantes, tanquam ſuæ concines.

7 A' quibus Angelis diſcedendum non puto quin priùs verba expendã, quæ plurima cũ mulieribus habuerũt, quæ ad monumentũ perrexerant, vt Chriſti cadauer pretioſis aromatibus lenirẽt. Dixerunt ergò illis viuentem non eſſe quærendum cum mortuis, Chriſti corpus in ſepulchro conditum reſurrexiſſe à morte rediuiuum, oportuiſſe filium hominis crucifigi, & iterùm die tertiâ viuificari, hùc verba tetendiſſe, quibus, cùm adhuc in Galilæâ erat, eas fuerat allocutus, & tandem ita congruum fuiſſe, vt ea, quæ de Chriſto Prophetæ locuti fuerant, adamuſſim implerentur. *Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas, Quid quæritis viuentem cum mortuis? non eſt hic, ſed ſurrexit, recordamini, qualiter locutus eſt vobis, cùm adhuc in Galilæâ eſſet, dicens, quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertiâ reſurgere*. Luc. 24. 5. Cur Angeli, qui hominibus, & raròapparere conſueuerant, & cùm apparebant, vix pauculis verbis eos alloqui ſolebant, de tot rebus cum mulieribus iſtis

Digitized by Google

colloquuntur? Cur qui vno, aut altero verbo reſurrectionis myſterium eis nuntiare poterant, tot verborum multitudine illas affari voluerunt? Cur demum poſt nuntiatam reſurrectionem, & mortis neceſſitatem, & prophetarum eis explicauerunt prædictionem? Pluribus allocuti ſunt has mulieres, quia illas in Paradiſo erant habituri conſortes. Accipe Simonem Caſſianum lib. 14. in Euangelia cap. 4. ad rem noſtram hæc loquentem. *Superni ciues blandâ voce loquuntur*, QVAS EXPECTABANT HABERE CONCIVES IN SVPERIS. Vt viderunt mulieres tantâ pietate circà ſepulchra commorantes, agnouerunt ſtatim eas futuras eſſe ſibi in æternâ gloriâ conſortes, ac propterea pluribus, ac familiariter, veluti ſi iam fuiſſent earum conciues, alloqui voluerunt.

Simon Caſſia.

Ioſeph Arimathaus propter pietatem Chriſto mortuo exhibitâ beatus appellatus.

8 Nec malè ſuas conciues mulieres ergà mortuos adeò pias Angeli exiſtimauerunt, nam ſpem adeò firmam æternæ beatitudinis habent, qui defunctis pietatem exhibent, vt ratione ipſius in hac vitâ poſſint quodammodo appellari beati. Magno pietatis ardore Ioſ. Arimat. ergà Chriſtũ defunctum flagrauit, qui eius cadauer auſus eſt à Pilato petere, ac in ſuo lapideo, ac nouo monumento condere, dum ad huc iniurijs, blaſphemijs, & irriſionibus bacchabantur, & inſaniebant Scribæ, ac Phariſæi. *Audacter introiuit ad Pilatum, & petijt, corpus Ieſu*. Marc. 15. 43. O' fœlicem audaciam, quâ dum terræ cadauer mandauit, Cœli fœlicitatem acquiſiuit, dumque petijt à Præſide corpus defuncti, obtinuit à Deo regnum Paradiſi. Verè ſuâ pietate, quod expectabat impetrauit, nam *& ipſe erat expectans regnum Dei* Marc. 15. 43. quapropter iam meritò poſt tantæ pietatis exercitium beatitudinem certiſſimâ ſpe aſſecutus, poterat appellari beatus. Patronum habeo hac in re Rupertum Abbatem lib. 13. in Ioan. cap. vltimo de iſto pio viro ita loquentem. *Cùm* BEATVS ISTE DISCIPVLVS *tollit magiſtri ſui corpus, rectè Iudæorum calumniam non veretur*. Beatitudinem adeò pietate defuncto magiſtro exhibitâ ſibi comparauit, vt adhuc viuens iurè beati fuerit appellatione donatus. Quod confirmans etiam Theophylactus in cap. 15. Marci hæc ſcribit. BEATVS IOSEPH *adhuc legi ſeruiens Chriſtum Deum agnouit, ideò & laudatum audet facinus*. His & ea conſonant, quæ habet Tertullianus lib. 4. contrà Marcionem cap. 42. *Ioſeph corpus fuiſſe nouerat, quod totâ pietate tractauit, ille Ioſeph, qui non conſenſerat in ſcelere Iudæis*, BEATVS VIR, *qui non abijt in conſilio impiorum*. Ex quibus iam liquet, quàm certè pij ergà defunctos obtineant beatitudinem, dum adhuc in hac vitâ degentes propter ſuam pietatem beati appellari merentur.

Rup. Abbas.

Theophyl.

Tertullianus

Beatum quoque Dauid eum in ſpiritu appellauit

9 His addo, quæ habet D. Paulinus Epiſtolâ ad Alethium, expendens verba illa Dauidis. *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus*. Pſal. 40. Quis eſt iſte vir, quem Dauid beatum prædicat, ex eo, quòd egeni, & pauperis miſeretur? An Ioſeph Arimathæus, qui Chriſti pauperis, egeni, & in ligno Crucis veſtibus quoque denudati miſertus, eius corpus de cruce depoſitum ſindone inuoluit, aromatibus condiuit, & honorifico in ſepulchro tumulauit? Audi Diuum Paulinum. *In Euangelio, quo ille tartareus contemptor Lazari diues prætermiſſus eſt, illum ab Arimathiâ Ioſeph diuitem nominari videmus*. BEATVS ENIM EST, *qui ſpecialiter intellexit ſuper egenum, & pauperem, pio Chriſti corpus obſequio muneratus*. O' vim pietatis ergà defunctos præclaram, quâ tantâ facilitate homines æternâ fœlicitate donati beantur.

D. Paulinus.

Lugentes defunctos beati appellati.

10 Apoſtolos ſuos Chriſtus hortabatur ad luctum, beatos dicens eos, qui lugent, quoniam ipſos conſolationum gaudia expectant. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*. Matth. 5. 5. Quinam verò eſt luctus iſte, qui beat lugentes, niſi luctus, quo pietas exhibetur defunctis? Nimirùm adeò certè beatitudinem conſequuntur, qui mortuorum miſerentur, vt dum eos actu lugent, iurè beati dicantur. Adeſt Hugo Florenſis ſermone 1. de Animabus. *Quia hodie* (hæc autem dicebat in die Commemorationis defunctorum) *cythara noſtra in luctum debet verti, & organum noſtrum in vocem flentium commutatur, nihil ad præſens de gaudio dicemus, nam* BEATI, QVI LVGENT, *quoniam ipſi conſolabuntur*. Gaudia obtinent beatorum, qui memoriam honorant mortuorum, ita vt etiam dum in hac vitâ commorantur, propter ſuam pietatem beati appellari mereantur.

Hugo Florenſis.

Oraculum profanum beatam patriam dixit, dummodo pietatẽ exhiberet Hectori defuncto.

Pauſanias.

11 Hoc, quod dicimus, oracula quoque profana confirmant, vndè Pauſanias in Bœoticis narrat Hectoris corpus ex Ilio Thebas fuiſſe tranſlatum, oraculo conſulente, vt eam defuncti Ducis cadaueri Thebani exhiberent pietatem, ſi patriam ſuam ſemper cuperent eſſe beatam. Hæc ſunt verba Pauſaniæ Oraculi verba referentis. *Eſt etiam ad eam, quæ Oedipodia appellatur, aquam Hectoris Priami filij apud Thebanos monumentum, eius enim oſſa ex huiuſmodi Oraculo ab Ilio ſe deportaſſe tradunt.*

Excelſa incolitis Cadmi qui mœnia Thebas,
Si patriam optatis NVNQVAM NON ESSE
BEATAM
Ex Aſiâ transferte domum magni Hectoris oſſa
Hic Iouis imperio Heroem ſua iuſta manebunt.

Animaduerte profanis quoque vocibus beatam appellatam patriam, ſi honorifico ſepulchro pietatem exhiberet defuncto. Adeò quippè verum eſt pietate in defunctos beatitudinem comparari, vt profana quoque oracula, quamuis alioqui falſa, non deſtiterint hanc teſtari veritatem.

Nigrum indumentum pro defunctis ſomniatum ſalutem apud profanos protendit.

12 Ab hoc non eſt alienum, quod narrat Artemidorus lib. 2. de Inſomnijs cap. 3. nigras veſtes in ſomnijs protendere ſalutem. Cuius rei rationem eam reddit, quòd ijs vti ſoleant, qui mortuos luctu, & exequijs honorant. Ita enim efficax eſt ad ſalutem obtinendam pie-

Digitized by Google

Lyranus.

Lyranus in cap. 41. Ezechielis, vbi loquitur de cœnaculo templi, dixit. *In coenaculum templi deferebat per gyrum, ideſt per circularem* ASCENSVM.

Abulenſis.

Abulenſis in 3. Reg. cap. 6. *Aſcenſus, qui erat in pariete, erat cochléa, ideſt circularis, & ASCENDEBATVR per illum ad primum coenaculum, ideſt tabulatum, vel deambulatorium, & continuatâ cochleâ ASCENDEBATVR ad ſecundum coenaculum, quod vocatur medium, & indè ad tertium.* Et rursùs in 2. Paralipom. cap. 3. *Vocantur coenacula duæ* DOMVS SVPERIORES *templi.* Et iterum in 3. Reg. cap. 17. *Vocatur coenaculum quædam domus* ALTA, *in quâ erat lectus Eliæ, & diuerſorium, vbi ipſe manebat; erat autem ibi* SVPERIOR PARS *domûs.*

Caietanus.
Diſtinctio inter cenaculũ, & cenationẽ.
Lau. Valla.

Caietanus in cap. 20. Actum Apoſtolorum. *Cecidit de tertio coenaculo* ALTITVDO LOCI *explicatur.* Hinc Laurentius Valla lib. 4. Elegantiarum cap. 22. cœnaculum diſtinguit à cœnatione, quòd cœnaculum in ſuperiori, cœnatio verò in inferiori eſſet parte domûs. *Coenaculum locus ad coenandum* IN PARTE SVPERIORI, *coenatio locus ad coenandum, ſed in imo potiùs.* Cùm ergo cœnaculum ſuperiorem partem domûs ſignificet, & mortui, vt faciliùs efferantur, ſoleant collocari in inferiori, dubium hìc oritur, cur viduæ in cœnaculo Tabithâ collocauerint defunctam.

Hugo Card.

Quod ſanè dubium aptâ reſponſione diluit Hugo Cardinalis inquiens id ſanctas mulieres egiſſe, vt loci ſublimitate Petri ſublimitatem indicarent, qui reſurrectionis miraculo vitam erat communicaturus Tabithæ. Poſuerunt eam in cœnaculo, vel propter *altitudinem meriti, vel* PROPTER SVBLIMITATEM *miraculi futuri.* Sublimis eſt, & ſublimes eos reddit, qui illam exercent, pietas ergà defunctos, quam ſublimitatem vt ſanctæ viduæ innuerent, Tabitham in loco ſublimi collocauerunt Petri precibus mox reſuſcitandam.

Vt Chriſtus attolleret ſua miracula noluit Archiſynagogi filiam curare viuã, ſed ſuſcitare mortuam.

9 Cùm turba multa circà mare conueniſſet ad Chriſtum, venit ad eum Iairus Archiſynagogus, & ad pedes illius humiliter procidens, multis eum precibus orauit, vt duodennem puellam, quam vehementer diligebat, mortali ægritudine laborantem, & iam in extremis labijs animam habentem, curare dignaretur. Annuit Chriſtus, verumtamen non ſtatim ad iacentem, & moribundam perrexit, ſed mulieri, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, ſanitatem reddens, diſtulit ad Archiſynagogi domum accedere, donec puella morbo ſuccumbens animam efflaret. *Adhuc eo loquente, veniunt ad Archiſynagogum, dicentes, Quia filia tua mortua eſt, quid vltrà vexas magiſtrũ?* Marc. 5. 35. Hìc ſciſcitari iuuat, cur cũ Chriſtus patrem exaudire vellet, non illicò filiam curauerit adhuc viuam, ſed potiùs eam voluerit ſuſcitare defunctam. Nonnè poterat ſtatim patrem audiens deprecantem, filiam ſanare ægrotantem? Nonnè poterat abſens expellere morbum, qui potuit præſens expellere mortem? Nonnè tandem poterat diuino imperio vitam detinere fugientem, & mortem arcere appropinquantem? Cur ergò id non egit, ſed puellam mori, & patris dolorem eius morte augeri permiſit? Vt magis attolleretur miraculum, dum puellam non ſanaret ægrotam, ſed ſuſcitaret defunctam.

Simon Caſſ.

Scitè Simon Caſſianus lib. 5. in Euangelia cap. 14. *Moriebatur iſta duodennis puella, nec Chriſtus antè mortem volait ſubuenire, vt per reuocationem à morte* ATTOLLERETVR *miraculum.* Pietatis ergà defunctos eſt attollere pios, quare Chriſtus ipſe, vt ſua magis attolleret miracula, non curare viuam, ſed puellam voluit ſuſcitare mortuam.

Altior Chriſti poteſtas apparuit, cũ ad mortuorũ auxilium per pietatem declinauit.

10 Idipſum contigit, cùm Centurionis fidem admiratus, poſtquam eius puerum paralyſi laborantem curauit, ad Ciuitatem Naim profectus, viduæ adoleſcentulum, quem veſpillones efferebant, ad vitam reuocauit. *Et ait; adoleſcens, tibi dico, ſurge, & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui.* Luc 7. 15. Vide quæſo, quomodo ab inferioribus ad ſuperiora pergit, & à minoribus ad maiora homines paulatim attollit. Centurionis ægrotum primò magnâ poteſtate curat, ac deindè viduæ defunctum maiori virtute reſuſcitat, ſicque fidem noſtram ſenſim attollens, altitudinem ſuæ poteſtatis tunc maximè oſtendit, cùm reſurrectionis miraculo, cunctis mirantibus, mortuo vitam donauit.

D. Greg. Nyſſ.

Adeſt Diuus Gregorius Nyſſenus in catenâ hæc ad rem noſtram ſcribens. *Reſurrectionis experimentum non ita verbis, ſicut operibus à ſaluatore didicimus, qui ab inferioribus incboans opus miraculi, fidem noſtram aſſuefacit ad maiora. Primò quidem in ægritudine deſperatâ ſerui Centurionis reſurrectionis incæpit poteſtatem. Poſt hæc* ALTIORI POTESTATE *ducit homines ad fidem reſurrectionis, dum ſuſcitauit filium viduæ, qui ferebatur ad monumentum.* Adeò attollit pietas exhibita defunctis, vt ipſius Chriſti poteſtas altior apparuerit, cùm ad mortuorum auxilium per pietatem declinauit.

Magdalenã ſuæ ſepulturæ honorem exhibentem ad ſumma laudũ præconia Chriſtus eleuauit.

11 Non igitur mirandum, quòd Magdalena ſuper Chriſti caput vnguenta effundens, & propinquæ magiſtri ſepulturæ funereos honores exhibens, tot ſit ab eodem Chriſto laudibus euecta, eiuſque nomen per vniuerſum orbem, vbicumque prædicatur Euangelium, commendetur. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Matth. 26. 13. Has enim laudes iurè merebatur, quam ergà ſuam ſepulturam tantâ pietate ſolicitam ſuâ miſericordiâ Chriſtus eleuauit.

D. Vinc. Ferr.

Rectè Diuus Vincentius Ferrerius ſermone de Sãctâ Mariâ Magdalenâ. *Ieſus Chriſtus manu ſuæ miſericordiæ* EAM ELEVAVIT. Ad altiora eleuantur, qui mortuos pietate proſequuntur, & iccircò Chriſtus Magdalenam cernens vnguentorum effuſione ſuæ ſepulturæ anticipatâ curâ pietatem exhibentem, ad ſumma eam laudum præconia eleuauit.

12 Quin

Digitized by Google

Eam horas canonicas recitantem angeli eleuabãt.

12 Quin & propter eamdem pietatem ad altiora illam euexit. Nam cùm cæteris feruentior ad Chriſti monumentum perrexiſſet, ibique alijs recedentibus pietate flagrans perſeueraſſet, adeò ingentia retulit à reſurgente Magiſtro ſuæ pietatis præmia, vt angelicis manibus ad ſolitarium locum translata, ibi ab Angelis cùm Horas canonicas recitabat ſimul ſecum modulantibus à terrâ eleuaretur. Id refert ibidem idem Sanctus Vincentius Ferrerius. *Septem horis canonicis Angeli veniebant, & in qualibet horâ cantantes vocibus corporalibus* ELEVABANT EAM. O' miram pietatis ergà defunctos excellentiam, quæ adeò Magdalenam extulit, vt Angelicis manibus à terrâ eleuari mereretur.

Idem.

Iudas ad ſuperiora eleuatus pro mortuorum animabus offerri ſacrificium curauit.

13 Præceperat Iudas dux Machabæorum, vt cadauera militum bello peremptorum terræ cũ honoribus exequiarum mandarentur, & in paternis humarentur ſepulchris. Quæ cùm piè ſuperſtites milites exequerentur, ſub tunicis interfectorum donaria inuenerunt idolorum, ratione quorum (ea enim lex prohibebat) illos in prælio corruiſse cognouerunt. Verumtamen Iudas factâ ſtatim collatioue, argentum Ieroſolymam miſit, vt pro mortuorum delictis libamina offerrentur in templo ſacrificiorum. *Et factâ collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè, & religioſè de reſurrectione cogitans.* 2. Machabæorum 12.43. Hæc expendens Hugo Etherianus in Bibliothecâ veterum patrum lib. de regreſſu Animarum cap. 15. rectè aduertit non niſi magnâ ſpe ad ſuperiora eleuatum hæc geſſiſſe fortiſſimum ducem Machabæorum. Cur enim vir adeò pius ad altiora non eueheretur, dum tantâ ergà defunctos pietate flagrabat? *Iudas Machabæus vir iuſtus, Deique amicus extitit. Hic vir, cùm multis, & magnis ſæpiſſimè miſericordiam Domini precibus conſecutus fuerit,* SPE AD SVPERIORA ELEVATVS, *pro mortuis etiam offerre ſacrificium piâ deuotione cenſuit.* Non cùm cætera rogando obtinuit, ſed tantùm cùm pro mortuorum animabus offerri ſacrificia curauit, ſtrenuus hic vir ad ſuperiora dicitur eleuatus; vt cognoſcamus ad ſuperiora eos eleuari, qui ſuâ ſtudent pietate adiuuare defunctos.

Hugo Ether.

Codrus omnium laudibus euectus, quia Pompeiũ humauit.

14 Hoc & profani agnouerunt authores, quapropter Lucanus lib. 8. Pharſaliæ Codri pietatem commendans, quâ Magni Pompeij cadauer abiectum conſtructâ pyrâ, cremauit, & erecto tumulo, terræ mandauit, dixit eum ab omnibus æternis laudibus euehendum.

Quam metuis demens iſto pro munere pœnam,
Quo te fama loquax omnes accepit in annos?
Condita laudabit Magni ſocer impius oſſa.

Lucanus.

Quæ magis explicans Lambertus Hortenſius, inquit. *Vt meritò laudibus* VEHARIS, *quòd contempto periculo Pompeium cremaris.* Laudibus omnium eſt euectus, cùm Pompeij cadauer extremo pietatis officio cremauit, nam ſemper euehit viuos pietas, quæ oſtenditur ergà defunctos.

Lamb. Hort.

Cùm mortuos Latini & Teucri ſepelierunt, lux diei dicitur elata.

15 Firmat hæc etiam Virgilius, qui lib. 11. Aeneid. referens, quomodo ſtatutis inter Latinos, & Teucros inducijs, corpora vtrinque ſint humata militum interfectorum, Auroram diei, quâ mortuis eſt ſummâ pietate parentatum, lucem extuliſſe disertè affirmat.

Aurora interea miſeris mortalibus almam
EXTVLERAT LVCEM, referens opera, atque labores
Iam pater Aeneas, iam curuo in littore Tarchon
Conſtituere pyras, & corpora quiſque ſuorum
More tulere patrum, ſubiectiſque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine Cælum

Virgilius.

Vbi obſeruat Seruius Poëtam, quotieſcunque deſcribit Auroram, ſermone ſemper vti rebus, de quibus agit, idoneo. Quare hic quoque, quia funera, exequias, & parentalia narrabat mortuis militum ſuperſtitum pietate ſolenniter exhibita, vſus eſt verbo extollendi, & Auroram ſuam cecinit extuliſſe lucem, oſtendens eos extolli, qui ſepulturâ, funeribus, & exequijs exhibent pietatẽ defunctis. Subdo verba Seruij. *Aſinius Pollio inducit vbique Virgilium in diei deſcriptione ſermonem aliquem ponere aptum præſentibus rebus, vt hoc loco,* QVIA FVNERVM, ET SEPVLTVRARVM RES AGITVR, DIXIT, EXTVLERAT. *Item in quarto, quia eſt nauigaturus Aeneas, & relicturus Didonem, dicit Tithoni croceum linquens aurora cubile.* Dum ergo Poëtæ quoque agnouerunt pietatem ergà defunctos homines attollere, agnoſcamus & nos eum ad altiora ſurgere, qui ad mortuos per pietatem declinat.

Seruius.

CAPVT XLII.

Perfectioribus viris comparantur, qui mortuos pietate proſequuntur.

Sanctum Sunamitis mulier cenſuit Eliſæum, cùm ſuſcitauit mortuum.

1 DVm probo viros pios ergà defunctos iuſtioribus æquari, & perfectioribus, ordinatè procedo, eoſque comparari Sanctis, Patriarchis, Prophetis, Martyribus, & Apoſtolis oſtendo. Primò igitur miraculum reſurrectionis expendo, quo Eliſæus Sunamitidis mulieris mortuo filio vitam reſtituit. Quem cùm ſuis precibus viuificaſſet, viuumque matri tradidiſſet, hæc ſtatim ad pedes Prophetæ corruit, eumque humiliter adorauit. *Venit illa, & corruit ad pedes eius, et adorauit ſuper terram, tulitque filium ſuum, et egreſſa eſt.* 4. Reg. 4. 37. Sæpè mulier iſta Eliſæum viderat, allocuta fuerat, monita eius audierat, quin & eum in domo ſuæ hoſpitio exceperat, nec tamen vnquam legitur eum adoraſſe, niſi poſtquam mortuum ad ad vitam reuocauit. Cur iſtud? An quia tunc cenſuit, Prophetam ſanctum, cùm eum agnouit in mortuum pium? Hæc profecto eſt mens Abulenſis, cùm huius adorationis cauſam afferens, ait. *Nunc verè apparebat, quòd Eliſæus* ERAT VIR SANCTVS, *cùm potuiſſet ſuſcitare puerum*

Abulenſis.

puerum iſtum à morte. Pietas, quam Eliſæus exhibuit mortuo, eum ſanctis æqualem, ac propterea dignum adoratione oſtendit, quapropter confeſtim eum tanquam ſanctum mulier Sunamitis adorauit.

Sanctus idem Propheta apparuit, cùm poſt mortem mortuum ſuſcitauit.

2 Hoc idem aliud miraculum confirmat, quo poſt mortem à cadauere mortem fugauit, eique in ſuo monumento commoranti vitam reſtituit. Nam cùm quidam, vt ſepulchro mandarent, illud extuliſſent, & latrunculos ad ſe venientes vidiſſent, timuerunt, & ne illorum aduentum expectarent, terram effodere noluerunt, ſed in ſepulchro Eliſæi corpus proiecerunt. Protinùs autem ac tetigit oſſa prophetæ, ad priſtina vitæ munera redijt, & in ſepulchro mirabiliter animatus reſurrexit. *Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſæi. Quod cùm tetigiſſet oſsa Eliſæi, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos*. 4. Reg. 13. 21. Prædixerat Eliſæus Ioas Regi Iſraël victoriam, quam relaturus erat aduersùs regem Syriæ bella gerens, cùmque confeſtim hoc dicto mortuus eſſet, vix apud Iſraëlitas hoc credebatur. Vt igitur Deus à Prophetá ſuo mẽdacij notam amoueret, eumque mentitum non eſſe oſtenderet, hanc ei gratiam contulit, vt poſſet poſt mortem mortuum corpus reuocare ad vitam. Quod vt populus agnouit, illicò eum veridicum, & virum ſanctum exiſtimauit. Appoſitè idem Abulenſis.

Idem.

Quia prædixerat Eliſæus, quòd Rex Ioas ter pugnaret contrà Syriam, & præualeret, & illicò mortuus eſt, putarent Iſraelitæ, quòd fortè hoc euenturum non erat, quia nondum viderant illud euenire, nec videbantur ipſi diſpoſiti ad hoc, vt poſſent præualere contrà Syriam, & ſic diffiderent de verbis Eliſæi, & ſic anxiarentur. Voluit ergò Deus OSTENDERE SANCTITATEM ELISAEI *poſt mortem*. Ne putarent Iſraëlitæ Eliſæum non vera dixiſſe, voluit Deus eum oſtendere ſanctum, ac proindè ab omni mendacio alienum, quod quidem egit, dum illum mortui ſuſcitatorem reddidit, æquatur enim ſanctis, qui ſuam exhibet pietatem defunctis.

Sanctæ viduæ ſunt appellatæ, dum pro defunctâ orationes fundebant.

3 Mortuâ Tabithâ, viduæ, quas, dum vixerat, ſuis facultatibus nutrierat, Petrum aduocauerunt, qui tunc temporis Lydiæ morabatur. Cùmque aduenisſet, eum omnes circumſteterũt, & veſtes, ac tunicas, quas à defunctæ charitate receperant, illi oſtenderunt, orantes, vt mulierem adeò piam priſtinam ad vitam Apoſtolicâ virtute reuocaret. *Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cùm aduenisſet, duxerunt illum in coenaculum, & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas*. Act. 9. 39. Has verò preces à ſanctis mulieribus effuſas rectè aduertit Gloſſa interlinearis, nam ſanctis in hac vitâ cõparabantur, dum tantâ pietate pro defunctâ deprecabantur SANCTAE *pro ſanctâ ſanctum precantur*.

Gloſſa interl.

Sanctæ viduæ ſunt appellatæ, dum pro defunctâ orationes fundebant: ſanctis enim çquantur, qui mortuos pietate proſequuntur.

Booz, quia propinquo defuncto pietatem impendit inter Patriarchas eſt numeratus.

4 Sed & in Patriarcharum catalogo, qui defunctis pietatem exhibent numerari merentur. Texens Diuus Matthæus Chriſti Genealogiam, inter Patriarchas, ex quibus ortum duxit, enumerault etiam Booz, qui Ruth Moabitidi nupſit. *Salmon autem genuit Booz de Rahab, Booz autem genuit Obed ex Ruth*. Matth. 1. 5. Quòd ſi quæratur, cur inter Patriarchas tot virtutibus inſignes, tot laudibus conſpicuos, totque meritis ornatos vir iſte aggregari meruerit, reſpondendum puto id eum obtinuiſſe, quia Ruth vxorem ducens, propinquo ſuo mortuo nomen prolis procreatione ſuſcitauit. Quam reſponſionem approbat Diuus Petrus Damianus Epiſtolâ 97. his verbis.

D. Pet. Dam.

Ille, cui iure propinquitatis accipere Ruth competebat vxorem. Cedo, inquit ad Booz, iure propinquitatis. Neque enim poſteritatem familia mea delere debeo. Ille quippè vanus, & gloriæ cupidus proprio nomini poſteritatem familiæ conabatur extendere; Booz autem vir bonus, & iuſtus famam proprij nominis paruipendens diuinæ tantummodo legis contentus eſt mandata ſeruare. Sed ecce illius, qui ſuam poſt ſe memoriam anhelabat in poſteritate relinquere ne nomen quidem agnoſcitur, hic autem non ſolùm in Patrum, ſed IN PATRIARCHARUM CATALOGO CUM GLORIA NUMERATUR. Patriarchis æquatur, qui mortuorum miſeretur, & iccircò Booz inter Patriarchas cum gloriâ eſt numeratus, quia ſuperſtitem propinqui vxorem ducens, ei nominis ſuſcitatione pietatem impendit defuncto.

Dum Ioſeph Arimathæus Chriſtum humauit, in nullo patriarchis ſui nominis minor apparuit.

5 Nec minorem gloriam adeptus eſt Ioſeph ille Arimathæus, qui propter ſepulturæ obſequia, quæ Chriſto exhibuit mortuo, tot in Euangelio laudum præconijs commendatur. *Accepto corpore Ioſeph, inuoluit illud in ſindone mundâ, et poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petrâ*. Matth. 27. 59. Huius viri nomen expendens Magnus Albertus in cap. 15. Marci, aduertit prædeceſſores habuiſſe duos viros eodem nomine appellatos omnium virtutum ornamentis inſtructos, Ioſeph ſcilicet filium Iacob, qui à fratribus venditus, & à crimine immunis Chriſtum præfigurauit, & Ioſeph virum Mariæ, qui vir iuſtus, & ſanctitatis fulgore conſpicuus eidem Chriſto paterna obſequia impendit. Vtrique autem patriarchæ Ioſeph iſte apparuit æqualis, cùm mortuo magiſtro, mortis pericula contemnens, & Iudæorum perſecutiones non metuens, extrema pietatis officia exhibuit.

Albert. Mag.

In nullo, verba ſunt Alberti Magni, *à virtutibus prædeceſſorum nominis ſui minor apparuit. Sicut enim Ioſeph* PATRIARCHA *captiuitatem, et venditionem Chriſti, et ſalutem gentium per Chriſtum factam virtutibus ſuis præfigurauit, et ſicut Ioſeph nutritius Domini diligenter obſecutus fuit, ita iſte nunc* PARIBUS VIRTUTIBUS *mortuo Domino officium funeris impendit*. Dum Chriſtum egregiâ pietate humauit, ſui nominis patriarchis nequaquam minor apparuit, ſed paribus

vir-

Digitized by Google

virtutum ſplendoribus effulſit.

Non fuit Samuele Propheta, cuius erat ciuitas inferior.

6 Quòd ſi nomine conſiderato, eius patriã ex pĕdere velimus reperiemus, eum à Ramathã ortũ habuiſſe, indéq; Arimathæum appellatũ fuiſſe. Quam patriam & Samueli Prophetę contigiſſe conſtat, de cuius patre dicitur. *Fuit vir vnus de Ramathaim ſophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana* 1. Reg. 1. 1. Vt autem vir iſte in nullo patriarchis ſui nominis minor apparuit, ita nec in aliquo Prophetæ ſuæ Ciuitatis inferior extitit, ſed eum in omnibus, & Patriarchis, & Prophetis illius pietas reddidit æqualem. Audiendus iterum idem Albertus Magnus, qui eodem loco hæc etiam ſcribit. *Ab Arimathæâ. Eſt laus à patriâ, & gente. Hæc, enim erat ciuitas Samuelis,* CVI ISTE IN NVLLO FVIT INFERIOR, *ſed probans ſe tanti conciuis conſortem, & tanti iudicis in omni dignitatis honore heredem.* O virum omnium cõmendatione dignum, qui pietate mortuo magiſtro exhibitâ, nec minor Patriarchis, nec fuit inferior Prophetis.

Idem.

Vt Chriſtum vidit mortuũ ſuſcitantem, magnũ eum Prophetam populus appellauit.

7 Pergens Ieſus ad ciuitatem Naim, adoleſcentem reperit, quem extrà vrbem efferebant defunctum, eiuſque matrem aſpiciens multas lachrymas effundentem, miſericordiâ motus tetigit loculum, ſtatimque vitam mortuo, & mortuum reddidit matri. Quod cùm turba vidiſſet, Deum magnificauit, magnumque Prophetam ſurrexiſſe affirmauit. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes; Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis.* Luc. 7. 16. Hæc verba expendens Dionyſius Carthuſianus, obſeruat populum prædicaſſe Chriſtum Iſaiæ, Ieremiæ, cæteriſque maioribus Prophetis æqualem; dum enim pietatem defuncto impendit, illicò præcipuis Prophetis turbis etiam, quæ illum non nouerant, æqualis apparuit. *Reor, quòd nomen Prophetæ ſumpſerunt communiter, intendentes, quòd Chriſtus eſſet* MAGNVS PROPHETA, *quemadmodum Elias, & Eliſæus, ac alij quidam fuerunt.* Adeò euehuntur, qui mortuis exhibent pietatem, vt etiam Prophetis comparentur, quare vt populus vidit Chriſtum mortuo adoleſcenti vitam reddentem, protinùs magnum eum Prophetam appellauit.

Elias habitus eſt Propheta cùm mortuum ſuſcitauit.

8 Hinc etiam mulier illa, cuius filium Elias ad vitam reuocauit, ei dixit. *Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.* 3. Reg. 17. 24. Quibus verbis voluit vidua iſta indicare, ſe tunc verè credidiſſe Eliam eſſe Prophetam Domini, cùm eum vidit mortuo filio pietatem reſurrectione impendentē. Prophetis quippè comparantur, qui mortuorum miſerentur. Ad rem Abulenſis. *In hoc, quòd ſuſcitaſti puerum, cognoui, quòd es vir Dei, id eſt* PROPHETA, *quia alioquin non potuiſſes ſuſcitare eum.*

Abulenſis.

Pietate, quâ ſuſcitauit mortuum, vir Dei, & verus Propheta Domini habitus eſt Elias, nam æquales cenſentur Prophetis, qui pietatem exhibent defunctis.

Magdalena.

9 Cùm Apoſtoli aduerſus Magdalenam indignati, quòd ſuper Chriſti caput vnguenta pretioſa fudiſſet, quorum pretium erat pauperibus diſtribuendum, eam acribus verbis increparent, illos Chriſtus tanquam importunos redarguit, & mulieris pietatem defendens, id eam teſtatus eſt egiſſe, vt propinquam ſui cadaueris aromatum effuſione honoraret ſepulturam. *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Matth. 26. 12. Quòd ſi quæratur, quomodo nouerit Magdalena Chriſti corpus tã citò eſſe humandum, quid aliud eſt reſpondendum, niſi, quòd hæc mulier Chriſti mortem, & ſepulturam breui futuram eſſe, per Prophetiam prædixerit? Profectò ita reſpondet Euthymius, cuius hæc ſunt verba. *Ad ſepeliendum me fecit, hoc eſt ad ſepulturam meam, tanquam quæ* PROPHETIZAVIT *mortem meam breui futuram.* Cùm pietatem Chriſti exequijs anticipatâ vnctione Magdalena exhibuit, Prophetarum gloriâ præfulſit, nam Prophetis comparantur, qui pietatis obſequijs mortuos proſequuntur.

Cùm Chriſti ſepulturam honoraret, ad Prophetarum gloriam peruenit.

Euthymius.

Viui Martyres appellati, qui Martyrũ cadauera ſepeliebant.

10 Pergo, & viros ergà defunctos pios martyribus etiam æquales oſtendo. Inuictos Chriſti martyres pro veræ fidei confeſſione cæſos Iuuentinum, & Maximum pij quidam Chriſtiani ſunt admirati, & eorum cadauera ſine ſepulturæ honore proiecta conſpicientes, mortis pericula contempſerunt, & ea efferentes exequiarum pompâ curauerunt. Hos autem Martyres commendans D. Ioannes Chryſoſtomus homiliâ, quam de illorum laudibus conſcripſit, viuos eos Martyres appellauit. Nec immeritò ſanè, ad martyrum enim gloriam peruenerunt, cùm martyrum cadauera tantâ pietate ſepelierunt. *Poſt beatam illam cædem quidam etiam cum ſalutis periculo athletas illos optimos rapuerunt* ETIAM IPSI VIVI MARTYRES, *vt illorum reliquias curarent decenter, nam quamuis non occidebantur, optabant tamen mori potiùs, quàm vt corpora illa relinquerent inhumata.* Pietas in defunctos ita æquat martyribus viros pios, vt dum hanc pietatem exercent, viui mereantur martyres appellari.

D. Ioannes Chryſoſt.

Chriſtiani mortuos ſepelientes miſericordiæ martyrium conſequebantur.

11 Huc etiam ſpectabat Euſebius Cæſarienſis lib. 7. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 19. Chriſtianorum laudans pietatem, qui, peſte graſſante, defunctis exportandis vacabant, & eorum cadauera mortis diſcrimini ſe ſe obijcientes humabant. Dixit quippè hos viros tantâ flagraſſe pietate in defunctos, quia ex eâ miſericordiæ martyrium conſequi ſperabant. *Semetipſos huiuſcemodi mortibus inſerebant,* MISERICORDIAE EX HOC MARTYRIVM *capere præſumentes, & dum curandis ægris, defunctis exportandis, humani iſque corporibus operam dabant, inſequebantur penè eos, quos ſuis humeris ad ſepulchra deuexerant.* Nouerant eos æquari martyribus, qui pietate proſequuntur defunctos, & ideò mortis imminentia pericula ſpernentes, vt martyrum gloriam conſequerentur mortuorum corpora piâ ſolertiâ ſepeliebant.

Euſeb. Cæſar.

Magdalena à

12 Caput abſoluo, dum probo pios ergà defunctos

functos

Digitized by Google

Chriſto propter pietatē, quā ſuam ſepulturam honorauit Apoſtola effecta. functos Apoſtolis etiam æquari. Stabat ad Chriſti monumentum plorans, & magiſtro, quem adhuc defunctum credebat, aromatum ſtructurâ pietatis obſequia exhibere cupiens Magdalena. Chriſtus verò vt conſolationum præmijs mulieris pietatem remuneraret, ei apparuit, & vt Apoſtolis reſurrectionem ſuam nuntiaret præcepit. *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.* Ioan. 20. 17. Quid autem hoc fuit, niſi Magdalenam Apoſtolicæ dignitatis participem efficere? Vtique cùm Apoſtolorum eſſet fidei Chriſti myſteria nuntiare, Apoſtola Magdalena effecta eſt, cui à Chriſto iuſſum eſt, vt ſuam Apoſtolis nuntiaret reſurrectionem. Subſignat D. Vincentius Ferrerius ſermone de ſanctâ Mariâ Magdalenâ. *Officium maius eſt*, quòd EAM FECIT APOSTOLAM, *quod eſt altius Offitium, & principale*. Pietate, quam defuncto magiſtro exhibuit, ad Apoſtolorum dignitatem Magdalena peruenit, vt videlicet agnoſceremus ad Sanctorū, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, & Apoſtolorum gloriam eos pertingere, qui ſe ſe clementes oſtendunt in defunctos. Ex quibus elicere poſſumus perfectioribus viris illos comparari, qui mortuos pietate proſequuntur. *D. Vincentius Ferrerius.*

CAPVT XLIII.

Cæteris præferuntur, qui ſuam proferunt ergà mortuos pietatem.

Turbæ tùm Chriſtum viderunt in mortuos piū, eum Ioanni prætulerunt.

1 HVc eos aduoco, qui cæteris præferri geſtiunt, illiſque ſuadeo, vt pietatem defunctis exhibeant, per quā ſe poſſe facilè obtinere, quod cupiunt, agnoſcent. Cùm Chriſtus defunctum Naim ſuæ diuinitatis virtute ad vitam reuocauit, diſcipuli Ioannis Baptiſtæ ad magiſtrū confeſtim perrexerunt, eique ſignum, quo mortuo vitam reddiderat, nuntiauerunt. *Et nuntiauerunt Ioanni diſcipuli eius de omnibus his*. Luc. 7. 18. Vbi quærendum cenſeo, cuius rei gratiâ hæc ſuo retulerint magiſtro. Nùm vt eum, qui adeò mirabile ſignum patrauerat, debitis laudum præconijs commendarent? Nùm vt Ioannes tanti viri diſcipulos eos eſſe permitteret? Nùm vt Chriſti fidem reſurrectionis miraculo confirmatam, magiſtro annuente, amplecterentur? Nequaquam; ſed vt dolorem, quo torquebantur, ei aperirent, dum cernebant Chriſtum propter eam pietatem defuncto exhibitam ſuo à populis præferri magiſtro. Adeſt Dionyſius Carthuſianus ad locum iſtum hęc proferens. *Et nuntiauerunt Ioanni diſcipuli eius de omnibus his, dolentes, quòd Ieſus ita præfulgeret, famaretur, ac* PRAEFERRETVR *magiſtro eorum Ioanni.* Præferuntur cæteris, qui pietatem impendunt defunctis, quare ſimul ac turbæ Chriſtum agnouerunt in mortuos adeò pium, vt eis reſurrectione vitam reſtitueret, cunctis eum prætulerunt, & Ioanne ipſo, cuius ſanctitatem adeò commendabant, maiorem, & ſanctiorem prædicauerunt. *Dion. Carth.*

Proph etā magnum eum dixerūt, quia magis quam cæteri ſanctitate præfulgebat.

2 Quapropter Deū cum timore magno gloriſicantes, dicebant; *Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis*. Luc. 7. 16. Quorum verborum ſenſum nobis tradens idem Carthuſianus, ait per hæc eos innuere voluiſſe, Chriſtum præ omnibus alijs ſanctitate, ac potentiâ inter illos fulgere. *Propheta magnus, hoc eſt magnæ ſanctitatis, & poteſtatis, ſurrexit in nobis, id eſt inter nos apparuit*, & PRAEFVLSIT. Tunc inter homines Chriſtus præfulſit, cùm pius in mortuos vitam eis communicauit, vt videlicet per hoc innueret, quòd qui mortuis pietatem exhibent, cæteris glorioſius in Eccleſiâ Dei virtute coruſcant, & ſanctitate præfulgent. *Dion. Carth.*

Chriſtum Lazarum ſuſcitantem Prophetis omnibus prætulerunt.

3 Hinc eſt, quòd cùm idem Chriſtus Lazarum quatriduanum, & fœtentem à monumento prodire, ac ad viuos remeare iuſſit, obuiam ei turba proceſſit, veſtimenta ſternens in viâ, ramos præcidens de arboribus, & lætis ei vocibus acclamans. *Cùm audiſſent, quia venit Ieſus Ieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, & clamabant, Hoſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael.* Ioan. 12. 13. Quid his præconijs, honoribus, & acclamationibus turbæ ſignificabant? An ſe de Chriſto maiorem, quàm de Prophetâ opinionem habere innuebant? Ita cenſet D. Ioannes Chryſoſtomus homiliâ 65. in Ioan. 12. *Ramos autem palmarum, & oliuarum, & veſtimenta ſubſtrauerant, oſtendentes*, MAIOREM IAM DE EO, QVAM DE PROPHETA *ſe opinionem habere*. Vix turbæ agnouerunt Chriſtum in defunctum amicum pium, & ſtatim Ieroſolymam ingredienti obuiam exierunt, eumque Prophetis omnibus prætulerunt. *D. Ioannes Chryſoſt.*

Elias excellentior eſt habitus omnibus Prophetis, cùm defunctum ſuſcitauit.

4 Quod & Eliæ præſtitit vidua illa, cuius filius defunctus eius precibus vitam denuò impetrauerat. Hæc enim antè Prophetæ pedes corruens, ſe tunc verè cognoſcere virum Dei eum eſſe confeſſa eſt. *Dixitque mulier ad Eliam; Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuum verum eſt*. 3. Reg. 17. 24. At nonnè antea mulier iſta Eliam Prophetam, & virum Dei eſſe cognouerat, dum nec hydriam farinæ deficientem, nec lecythum olei vidit propter illius preces imminutum? Cur ergò tunc tantùm virum Dei, & Prophetam ſe illum cognoſcere dicit, cùm defuncto filio ſuis precibus vitam priſtinam reddidit? Nouerat quidem mulier & anteà Eliam eſſe Prophetam, ſed cùm eum vidit ergà mortuū reſurrectionis miraculo pium, cæteris omnibus Prophetis excellentiorem eum eſſe cognouit, quod vt demonſtraret, *Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu*, glorioſis vocibus exclamauit. Siſtenda ſunt hic verba Epiſcopi Abulenſis hunc ſenſum clariſſimè tradentis. *Mulier iſta non dixit hoc ad demonſtrandum Eliam eſſe Prophetam, ſed* MAXIMVM PROPHETARVM, *nam per hoc quòd Elia loquente repletus eſt lecythus oleo, & hydria farinâ, apparuit eum eſſe Prophetam, iſtud* *Abulenſis.*

tamen

tamen ſignum non erat ſpeciale, quia ſimilia, & maiora fecerant alij Prophetæ, nullus tamen Prophetarum ſuſcitauerat aliquem mortuum antè Eliam, ideò per hoc quòd ipſe mortuum ſuſcitauit, apparuit eum eſſe EXCELLENTIOREM OMNIBVS PROPHETIS *præcedentibus, & ſic dixit mulier, Nunc in iſto cognoui, quia vir Dei es tu, id eſt quòd es ſpecialiter vir Dei,* PLVSQVAM ALII PROPHETAE. Præfert homines cæteris pietas exhibita mortuis, ideòque cùm Elias defuncto pietatem exhibuit, cunctis alijs viris Dei excellentior, & maximus eſt habitus omnium Prophetarum.

Cæteris mulieribus Magdalena præfertur, quæ cæteris prior ad monumentum venit.

5 Statim poſt Sabbatum cum aromatibus, vt Chriſti cadauer vngerent, ad monumentum eius mulieres profectæ, Angelos inuenerunt, qui eas ad Apoſtolos, vt illis myſterium nuntiarent reſurrectionis, miſerunt. Has autem mulieres proprio earum nomine recenſens D. Lucas, cæteris Mariam præfert Magdalenam, eamque nominat priorem. *Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc.* Luc. 24. 10. Cur verò cæteris Magdalenam præfert, niſi quia cæteris prior, & feruentior ad Chriſti monumentum cucurrit, atque ibidem præ cæteris plorans perſeuerauit? Adſtipulatur D. Bonauentura in hunc locum. *Mariam Magdalenam ſignanter* ALIIS PRAEMITTIT, *quia ipſa feruentiùs alijs dilexit, & prior, vt traditur, ad monumentum venit, & præ cæteris diutiùs perſeuerauit.* Quæ prior defuncto pietatem impendere voluit, cæteris mulieribus in Euangelio præferri debuit, quia ſemper cæteris præferuntur, qui feruentiori pietate mortuos proſequuntur.

D. Bonauentura.

Pietas ergà defunctos Apoſtolis Magdalenam prætulit.

6 Quid? quòd hanc mulierem Apoſtolis ipſis Chriſtus prætuliſſe videtur? Nonnè Apoſtolis, Chriſto iubente, reſurrectionis myſterium nuntiauit, & quæcumque ab eo audierat ſummâ fidelitate retulit? *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Venit Maria Magdalene, annuntians diſcipulis, quia vidi Dominũ, & hæc dixit mihi.* Ioan. 20. 17. Fuit igitur Apoſtolis Magdalena prælata, dum Apoſtolorum facta eſt Apoſtola, in eo etiam eis præmiſſa, quòd cùm Apoſtoli ad peccatores, & infideles mitterentur, ipſa miſſa fuit ad Apoſtolos de Chriſti reſurrectione adhuc dubios, & perplexos conuertendos. Debemus hæc omnia D. Vincentio Ferrerio ſerm. de S. Mariâ Magdalenâ. *Petrus, & Paulus, & alij fuerunt Apoſtoli, id eſt miſſi ad peccatores, ſed* MARIA MAGDALENA APOSTOLORVM APOSTOLA *ſcilicet miſſa ad conuertendos Apoſtolos dubios de Chriſti reſurrectione.* O mirâ pietatis ergà defunctos efficaciam, quæ ipſis Apoſtolis mulierem potuit præferre peccatricem.

D. Vincent. Ferrer.

Primæ mulieres Chriſtum reſurgentem viderunt, quia illi mortuo, eiuſque ſepulchro aſtiterunt.

7 Quin & omnes mulieres in hoc Apoſtolis prælatæ videntur, quòd antequam Apoſtolis appareret, eis Chriſtus à morte rediuiuus ſe manifeſtauit, cùm eas ad monumentum vidit, vt ſuo cadaueri pietatem exhiberent, diligenti ſolertiâ profectas. *Et exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno currentes nuntiare diſcipulis eius. Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens, Auete.* Matth. 28. 9. Vide quæſo, quomodo Chriſtus religioſam mulierum pietatem, quâ vt aromatibus eius cadauer perfunderent, ad monumentũ properauerant, remuneratus fuerit. Nam omnibus alijs eas prætulit, & priùs, quàm cæteris reſurrectionis myſterium illis manifeſtauit. Egregiè Theophylactus in cap. 23. Lucæ. *Diſcipuli quidem fugerunt, mulieres autem condemnatum, & maledictum genus permanent, ac ſpectant hæc omnia, & iuſtificatione, ac benedictione illâ* FRVVNTVR PRIMAE, *ſicut & reſurrectione.* Primæ mulieres Chriſtum reſurgentem videre meruerunt, quia cæteris fugientibus, Chriſto mortuo, eiuſque ſepulchro perſeuerantes aſtiterunt.

Theophyl.

Præfica, quæ præſtabãt miſericordiam defunctis, hoc nomine appellata, quod cæteris præficerentur.

8 Addo, vt profani quoque authores aliquam nobis afferant huius veritatis probationem, mulieres, quæ apud Gentiles mortuos lamentari, eos commendare, aliaque in funeribus pietatis obſequia conſueuerant exhibere, Præficas appellatas fuiſſe. Cuius nominis ea ratio eſt, quòd præeſſent, ac præferrentur viris, dum parentalia obſequia exhibebant defunctis. Hinc Feſtus ait. *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris plangendi modum, quaſi* IN HOC IPSVM PRAEFECTAE, & Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Præficaſque,* QVAE LVCTVI PRAEESSENT, *aduocare, vel pretio conducere ſolebant, quæ cantu, & funebri carmine lamentarentur, vitamque, & præclara geſta, ſummaſque virtutes non ſine miſeratione laudarent.* En à Gentilibus quoque cæteris mulieres præpoſitas, quæ luctu, cantu, & laudibus miſerebantur mortuorum.

Feſtus.

Alexander ab Alex.

Archiſynagogus cæteris præfuit, qui pietatem defunctæ puellæ implorauit.

9 Dum Chriſtus circa mare turbam docebat, quæ multa eò confluxerat, vt eius verbis inſtrueretur, acceſſit ad illum Archiſynagogus, humiliterque deprecatus eſt, vt filiæ ſuæ defunctæ manum imponens, eàm ad vitam reuocare dignaretur. *Hæc illo loquente, ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens. Domine filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet.* Matth. 9. 18. Huius autem principis dignitatem explicat Dionyſius Carthuſianus, dũ ait eum vnum ex illis fuiſſe, qui domibus præerant, in quibus vacare conſueuerant Hebræi lectioni, orationi, conſilio, & laudibus diuinis. *Habebant Iudæi certas domos, ſeu templa, non ad ſacrificia offerenda, ſed ad vacandum orationi, lectioni, conſilio, & laudibus Dei, & hæ domus vocatæ ſũt ſynagogæ,* QVI VERÒ PRAEERANT *ſynagogis, & eis, qui ad ſynagogas cõfluxerunt, nominabantur Archiſynagogi, quorum vnus extitit Iairus iſte.* Eorum qui præſunt, eſt pietatem exhibere defunctis, quamobrem Archiſynagogus, qui ſynagogæ præerat, & illis, qui ad ſynagogam conueniebant, ad Chriſtum acceſſit, vt pro mortuâ puellâ preces effunderet, ac diuinam pro illâ pietatem exoraret. Imò aduertit inſuper Theophy-

Dion. Carth.

lactus

Digitized by Google

lactus caput 8. Lucæ explicans, Iairum non vulgarem fuiſſe Archiſynagogum, ſed ex primis eorum fuiſſe. *Acceſſit item & princeps quidam ſynagogæ, non vulgaris, neque abiectus*, Sᴇᴅ Eх Pʀɪᴍɪs. Quod ſanè magis confirmat, cæteris eos præferri, qui defunctis pietatem impendunt.

Theophyl.

Centurio, qui militibus præerat, pietatē exhibuit Christo mortuo.

10 Inter eos, qui Chriſto defuncto pietatem exhibuerunt, non infimum obtinet locum Centurio, qui ſtatim ac eum vidit è vitâ ſublatum, exclamauit, & quem cum cæteris perſecutus fuerat viuum, cum paucis commendauit, & verum Deum confeſſus eſt mortuum. *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè filius Dei erat iſte*. Matth. 27. 54. Porrò quis ignorat Centurionem ab eo dictum, quòd centū militibus præeſſet? *Centurio*, inquit Theophylactus in cap. 15. Marci, *hoc eſt* Qᴠɪ Cᴇɴᴛᴠᴍ Pʀᴀᴇᴇʀᴀᴛ, *videns, quòd tam potenter, & ſicut Dominus mortis expiraſſet, admiratus eſt, & confeſſus*. Mortuum Chriſtum qui præerat ſuâ confeſſione admiratus laudauit, vt per hoc quoque nobis innoteſceret ad eos pertinere, qui præſunt, pietatem exhibere defunctis.

Theophyl.

Prima ſeſſio eis promittitur, qui ſepeliunt defunctos.

Eſdras.

11 Sed præſtat promiſſionem quoque recolere, quæ 4. Eſd. 2. fit eis, qui ſepulturæ obſequio ſe ſe pios ergà mortuos oſtendunt. *Mortuos vbi inueneris, ſignans commenda ſepulchro, & dabo tibi* Pʀɪᴍᴀᴍ Sᴇssɪᴏɴᴇᴍ *in reſurrectione meâ*. Agnoſce hìc, vtrùm cæteris præferantur, qui mortuos pietate proſequntur, dum prima ſeſſio illis promittitur, qui eorum cadauera extremis exequiarum officijs honorant, & conſuetâ pietate ſepulchro commendant.

Hethæi Abraham ſuum principem appellauerunt, cùm eum viderunt in defunctam vxorem piū, quia plus quàm hominem eum exiſtimauerunt.

12 Pergo, & addo ita cęteris præferri eos, qui mortuis pietatē impendunt, vt dū eam exercent, plus quàm homines eſſe videantur. Abraham ſepulchrū petentē, in quo defunctá vxorē ſepeliret; ita Hethæi honorauerunt, vt non tantùm omnia ſua ſepulchra ei obtulerint, ſed inſuper illū principem ſuum appellauerint. *Reſponderunt filij Heth, dicentes. Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuū tuū*. Gen. 23. 6. Miror, quòd virum peregrinum, & qui nec prædium habebat, in quo poſſet cadauer tumulare defuncti, tanto proſecuti fuerint honore Hethæi, vt ſuum principem eum appellare voluerint. Quo pacto princeps, qui, vt agrum obtineret, humiliter ſupplicabat? Nunquid principes prædijs egent ſubditorum, vt ſuarum cadauera ſepeliant vxorum? Principem eum appellauerunt, & vt talem honorauerunt, quia dum illum tantâ pietate cognouerunt ſepulturam curare defunctæ vxoris, quiddam humano faſtigio præſtantius in eo conſpexerunt. Do Philonem Hebræum lib. de nobilitate ita loquentem. *Honorabant eum quaſi ſuum principem, ſuſpicientes ingenium*, Aᴠɢᴠsᴛɪᴠs Hᴠᴍᴀɴᴏ Fᴀsᴛɪɢɪᴏ. Hominibus præferuntur, eiſque auguſtiores humanitatem tranſcendere videntur, qui ſuâ mortuos pietate honorant, & idcircò Abraham eertentes Hethæi ob hanc pietatem hominibus maiorem, ſuum eum principem appellauerunt.

Philo Hebræus.

Vidua Naim pluſquàm fœmina apparuit filio pietatem exhibens defuncto.

13 Vidit Chriſtus, dum vrbem Naim ingrediebatur, viduam matrem vnicum filium, qui tunc efferebatur ad ſepulchrum, amarè plorantē, quare miſericordiâ motus, vt viduam conſolaretur lugentem, filium ſuſcitauit defunctum. *Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi; Noli flere, & acceſſit, & tetigit loculum*. Luc. 7. 13. Expende miram lachrymarum huius mulieris efficaciam, quæ tantâ potuerūt facilitate vitam filio impetrare defuncto. Quæ vnquam materno vis fuit luctui, vt ad pietatem repentè pietatis inclinauerit authorem? Quam habuerunt oculi plorantes eloquentiam, quâ Chriſto efficaciter perſuaſerint, vt reſurrectionis miraculo vitam reſtitueret adoleſcenti? Deſinat hæc mirari, quę viduam iſtam pluſquàm fœminam ratione pietatis, quam mortuo filio exhibuit, apparuiſſe agnoſcit. Nec enim mirum eſt, quòd pluſquam fœmina Chriſtum pluſquàm hominem ad ſuorum lachrymas inclinauerit oculorum, & ad filij reſurrectionem conuerterit defuncti. Subſignat diſertis verbis D. Ambroſius. *Hic locus ad vtramque redundat gratiam, & vt citò flecti diuinam miſericordiam matris viduæ lamentatione credamus, eius præcipuè, quæ vnici filij vel labore, vel morte frangatur, cui tamen viduæ grauitatis meritum exequiarum turba conciliet, & vt hanc viduam populorum turbâ ſeptam* Pʟᴠs Vɪᴅᴇʀɪ Essᴇ, Qᴠᴀᴍ Fᴏᴇᴍɪɴᴀᴍ, *quæ reſurrectionem vnici, & adoleſcentis filij ſui lachrymis meruerit impetrare*. Ita cæteris præfertur, qui ſe benignum oſtendit ergà defunctos, vt ipſam tranſcendere videatur humanitatem, vndè vidua, quæ ſuis lachrymis filio pietatem exhibuit defuncto, pluſquàm fœmina apparuit, ideòque mortui reſurrectionem facilè obtinuit.

D. Ambroſius

Magdalena in omnibus fuit prima, quia Christū honorauit mortuum.

14 Non poſſum hìc omittere verba, quibus Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 51. præmia recenſet, quæ Magdalenæ apud Chriſti monumentum ploranti, ac perſeueranti collata fuerunt. Cùm enim Chriſtus ei primò poſt reſurrectionem ſuam apparuiſſet, dixit illi, vt quæcumque à ſe audierat, Apoſtolis nuntiaret. *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum*. Ioan. 20. 17. Vbi ſanctus Pater aduertit hanc à Chriſto ſanctam mulierem ſuæ pietatis accepiſſe mercedem, vt omnium prima à mœrore ad gaudium reuocaretur, & antè cæteros Chriſti reſurrectionis, & aſcenſionis myſteria nuntiaret. Quæ namque omnibus prior, ac feruentior fuit in exhibendo Chriſto mortuo pietatem, prior etiā fuit in recipiendo ab eodem reſurgente mercedem. Sed iam tanti Patris verba exſcribamus. *Mercedem perſeuerantiæ, lachrymarumque ſuarum duplicem illicò reddidit. Nam* Iɴ Eᴀ Pʀɪᴍᴀ *vniuerſum mulierum genus, vt in ſuperioribus etiam diximus, à mœrore, & lachrymis ad lætitiā reuocatur,*

D. Cyrill. Alex.

& quæ-

& quemadmodum in Paradiſo, quoniam diabolo mulier miniſtrauit, in doloribus parituram ſe filios audiuit, ita nunc in horto à malediſtione liberata plorare probibetur: hæc igitur vna merces eſt. Altera, quia mittitur ad diſcipulos nuntia, vt eis hoc Euangelium afferat, quòd Chriſtus iam reſurrexit, & aſcendat ad patrem, vt veluti prima mulier, quia diabolo miniſtrauit, & ſe, & mulierum genus vnà perdidit, ſic & hæc mulier, quia Chriſto miniſtrauerit, muliebre genus à maledictione In Se Prima *liberet*. Nonnè religio fuiſſet aliquod ex his elegantiſſimis verbis omittere, ex quibus patet hanc mulierem in omnibus prælatam, & primam fuiſſe, quia egregiam magiſtro pietatem exhibuit defuncto. Hæc igitur cùm ita ſe habeant, verè, ac rectè aſſerere poſſumus, quòd cæteris præferantur, qui ſuam proferunt ergà mortuos pietatem.

CAPVT XLIV.

Euehuntur ad regna Cælorum, qui ſuâ pietate miſerentur mortuorum.

Antequam Chriſtus ad Cælos aſcenderet ad inferos deſcendit, vt animas adiuuaret mortuorum.

1 Viam oſtendo, per quam poſſint homines ad regionem peruenire viuorum. Hæc autem eſt miſericordia, quâ miſeriæ compatiuntur mortuorum. Quod vt probem, obſeruo in primis Chriſtum, poſtquam tribus horis in crucis patibulo ſuſpenſus ignominiosè pependit, mortuum eſſe, animamque illius, dum cadauer nouo, ac lapideo in monumento condebatur, apud inferos remanſiſſe. *In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicauit*. 1. Petri 3. 19. Mirum, quòd Cœlorum Dominus, ſpiritum emittens, ad ſublimia eum non euexerit habitacula Cœlorum, ſed ad ima demiſerit penetralia inferorum! Cur dum ſpiritum in paternas manus commendauit, ad paterni eum non extulit regni ſolium? Cur qui Cœlum viuens & prædicauerat, & promiſerat, Cœlum moriens non adijt, ſed infernum? Cur tandem qui author erat lucis, ad loca tenebrarum horrore infœlicia deſcendit? Vt priùs animas adiuuaret mortuorum, quàm aſcenderet ad excelſa Cœlorum. Præclarè Rupertus Abbas lib. 8. in Geneſim cap. 36. *Priùs ad inferna deſcendit, & mortuis vitam, vinctis ſolutionem reddidit*, Deinde Coelos Ascendit, *adorandus ab omnibus, qui iam erant in Cælo, hominum ſpiritibus, & angelis ſanctis*. Per pietatem, quæ impenditur mortuis, gloria obtinetur, quæ promittitur viuis, quod vt nos Chriſtus doceret, non antè ad regna voluit aſcendere Cœlorum, quàm ad inferna deſcenderet, vt animas egregià pietate liberaret mortuorum.

Rup. Abbas.

Petrum, Iacobum, & Ioannem voluit Chriſtus eſſe præſentes puellæ reſurrectioni, quia gloriæ radio erant in Tabor fruituri.

2 Eamdem quoque docuit veritatem, cùm poſtquam ad domum peruenit Archiſynagogi, cuius filiæ defunctæ priſtinam vitam erat redditurus, omnes eiecit, nec ſecum quemquam intrare permiſit, præter patrem, & matrem puellæ, ac tres tantùm Apoſtolos, Petrum, Iacobum, & Ioannem. *Et cùm veniſſet domum non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ*. Luc. 8. 51. Interrogatione dignum eſt, cur cæteris eiectis Apoſtolis, hos tres voluerit adeſſe miraculo reſurrectionis. Vtique ſi hoc agebat, vt magis in fide confirmarentur, ſibique firmiùs crederent vitæ authori, qui poterat vitam communicare defunctis, omnes vocare debebat Apoſtolos, vt omnes hoc ſigno ad fidei proficerent augmentum. Si eos voluit eſſe præſentes, vt vitæ miſerias expenderent, quibus iam adhuc teneræ ætatis puella cruciata fuerat, neq; tam proficuâ conſideratione cæteri priuandi videbantur Apoſtoli. Si tandem tres iſtos intrare permiſit, vt ſuâ compaſſione pietatem impenderent defunctæ, eamdem quoque ab alijs congruum fuiſſet exigere pietatem. Cur igitur cæteris Apoſtolis cum turbis eiectis, ſolos intrare ſecum permiſit Petrum, Iacobum, & Ioannem? Hos tres tantùm Apoſtolos, tanquam cæteris eminentiores, erat Chriſtus aſſumpturus, quibus in vertice mõtis Tabor Transfigurationis myſterium oſtenderet, ac cœleſtis gloriæ radium manifeſtaret, ideòque illos voluit reſurrectioni adeſſe defunctæ, vt per pietatem, quâ mortuæ compaterentur puellæ, illius gloriæ qualicumque viſione digni redderentur, illi enim cœleſti gloriâ fruuntur, qui ſuâ mortuos pietate proſequuntur. Argutè Dionyſius Carthuſianus. *Non permiſit intrare ſecum quẽquam, niſi Petrum, Ioannem, & Iacobum; hos enim Chriſtus fecit ſibi familiariores, & cæteris eminentes*, Vnde Transfigvrationi Eivs Intervervnt. Quia tres iſti Apoſtoli gloriæ quodam radio erant in Tabor fruituri, voluit Chriſtus eos ſuâ præſentiâ, & miſeratione puellæ pietatem exhibere defunctæ, vt per hoc innueret homines ad fruitionem gloriæ non peruenire, niſi pietate præmiſsâ, quâ miſereantur defunctorum.

Dion. Carth.

Viris Iabes Galaad nuntiauit Dauid æternam beatitudinem, cùm pietatem defunctis exhibuerunt.

3 Iurè igitur cognitâ pietate, quam Saul, & filijs eius defunctis viri Iabes Galaad exhibuerant, cadauera eorum ab hoſtilibus muris rapientes, & in propriâ regione ſepulchralibus obſequijs donantes, nuntios Dauid miſit, qui eis debitas gratias agerent, illoſque certiores redderent, quòd miſericordiam, & veritatem à Domino pro tantâ pietate conſequerentur. *Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam, & veritatem*. 2. Reg. 2. 6. Miſericordiam quidem illos conſecutos fuiſſe nos quoque ſuprà cap. 17. probauimus; miſericordiam enim conſequuntur, qui defunctorum miſerentur. At quid eſt veritas iſta, quam eos conſecuturos eſſe pro ſuâ pietate Dauid affirmat? An veritatis nomine veram diuinitatis notitiam, æternam gloriæ participationem, & ineffabilem beatitudinis fœlicitatem appellauit? Hæc ſanè mens fuit Dionyſij Carthuſiani hoc explicatu Dauidis verba donantis. *Retribuet vobis Dominus veritatem, ideſt* Veram Mercedem, Ac Svmmae Veritatis Bea-

Dion. Carth.

Digitized by Google

TAM NOTITIAM. Beatitudinem ſibi acquirunt, qui mortuis pietatem impendunt, ideòque ſimul ac Dauid pietatem nouit, quam viri Iabes exhibuerant defunctis, veræ mercedis præmia, & æternæ beatitudinis gaudia eis nuntiauit.

Iacob poſteris terram promiſſionis pollicitus eſt, cũ ſui corporis defuncti eis curam mandauit.

4 Idipſum Iacob figurauit, cùm filium Ioſeph adiurauit, vt ſuum poſt mortem cadauer ex Ægypti regno ad paternum transferet ſepulchrum, quod in terrâ ſitum erat Chananæorum. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub fæmore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hac, condaſque in ſepulchro maiorum meorum.* Gen. 47.29. Non tantâ ſolertiâ ſanctus hic patriarcha ſui cadaueris translationem à filio petijt, quia immodicè cuperet potiùs in proprio, quàm in alieno humari ſepulchro, ſed id egit, vt dum eius poſteri mortuo parenti pietatis obſequia impenderent, ad terram promiſſionis faciliùs peruenirent. Quapropter idem fuit illis hanc præcipere pietatem, ac certam ſpem de terrâ promiſſionis obtinendâ eiſdem polliceri. Annuit D. Ioannes Chryſoſtomus homiliâ 66. in Geneſim his verbis. *Patriarcha hoc non ſimpliciter voluit fieri, ſed ſpem bonam illis pollicens, quòd & ſui vel ſerò aliquãdo redituri eſſent* IN TERRAM PROMISSIONIS. Terram promiſſionis promiſit, quibus curam ſui corporis defuncti commendauit, vt innueret cœleſtem promiſſionis terram tunc acquiri, cùm defunctis pietatis obſequia religioſæ deuotionis officio exhibentur.

D. Ioannes Chryſoſt.

D. Pij tantùm ergà mortuos ad arcam aſcendunt Eccleſiæ triumphantis.

5 Quod & ſignificauit columba, quæ diluuij tempore cùm terræ ſuperficiem aquæ operirent, coruo non reuertente, ad arcam eſt reuerſa. *Quæ cùm non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam; aquæ enim erant ſuper vniuerſam terram, extenditque manum ſuam, & apprehenſam intulit in arcam.* Geneſ. 8. 9. Poteſt quis hic meritò dubitare, cur columbâ reuertente, coruus ad arcam non fuerit cum eâ reuerſus. Si non potuit columba locum, vbi requieſceret pes eius, reperire, quomodo coruus eum inuenit? Si omnem terræ ſuperficiem aquæ operiebant, vbi moratus eſt, qui vltrà non petijt arcam? Si denique diluuiũ totum contexerat orbem, vbi hæc auis à volatu fatigata inſedit? Nodum ſoluit Rupertus Abbas lib. 4. in Geneſim cap. 23. dum ait coruum cadaueribus mortuorum, ex quorum carnibus paſci voluit, inſediſſe, columbam verò noluiſſe, aut pedibus calcare, aut roſtro cadauera vulnerare mortuorum, ideòque columba illata eſt in arcam, coruus verò extrà eam remanſit. *Non mirum coruus, qui iuxtà literam non reuerſus eſt, quòd inuenire potuit, & columba non inuénit, vbi requieſceret, licet decreſcentibus aquis iam apparuiſſent cacumina montium. Coruus namque faciliùs requieſcere potuit, quia cadauera abundè inuenit: columba verò, quia & cadaueribus non paſcitur, & ſi ad ſedendum aliquod montis iugum inuenire potuit, tamen abſque victu requieſcere non potuit.* Sæuijt in cadauera coruus, ideòque in arcam non eſt illatus, abſtinuit ab impietate in defunctos columba, & iccircò arcam intrare promeruit. Non vacant hæc myſterio, ſed arca triumphantem Eccleſiam ſignificat Cœlorum, vt enim in arcâ multæ factæ ſunt manſiones. *Manſiunculas in arcâ facies.* Gen. 6. 14. ita in Cęlorum regno multæ reperiuntur manſiones. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Ioan. 14. 2. Hinc Hugo Cardinalis in Geneſ. 6. ait. *Manſiunculas fac Chriſto in eccleſiâ militante, quia ibi diuerſitas meritorum, &* IN TRIVMPHANTE, *quia ibi diuerſitas præmiorum.* Non igitur Coruus, qui crudeliter ſæuijt in defunctos, ſed columba, quæ in mortuos pia noluit cadauera calcare, aut vorare illorum, ad arcam perrexit, quia non implj ergà mortuos, ſed in eos miſericordes ab arcâ eccleſiæ militantis ad arcam aſcendunt Eccleſię triumphantis.

Rup. Abbas.

Hugo Card.

Idem eſſe videtur aſſiſtere ſepulchro, & manere in Cœlo.

6 Ad Chriſti monumentum, vt pietatem magiſtri cadaueri pretioſis vnguentis exhiberent, mulieres profectæ, Angelos inuenerunt ſepulchri cuſtodes, quæ illis reſurrectionis gaudia nuntiauerunt. *Et factum eſt dum mente conſternata eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt ſecùs illas in veſte fulgenti.* Luc. 24. 4. Quis non miratur, quod Angeli ſuperni ciues Cœli terreni fierent cuſtodes monumenti? Quid Angelis, qui fruuntur vitâ immortali, cum ſepulchris, quæ hominum ſunt ædes mortuorum? Quid agebant in ſepulchro, quorum habitatio ſemper fuit in Cœlo? Audi reſpondentem D. Ioannem Chryſoſtomum in Pſalmum 2. *Ad ſepulchrum,* TANQVAM APVD COELVM, *manebant.* Adeò certi ſunt, quòd ad Cœlum peruenient, qui defunctis pietatem exhibentes, circà ſepulchra morantur, vt idem eſſe videantur aſſiſtere ſepulchro, & manere in cœlo, quare Angeli apud ſepulchrum, tanquam apud Cęlum manebant.

D. Ioannes Chryſoſt.

Angeli pluribus allocuti ſunt mulieres circà ſepulchra commorantes, tanquam ſuas concines.

7 A` quibus Angelis diſcedendum non puto quin priùs verba expendã, quę plurima cũ mulieribus habuerũt, quę ad monumentũ perrexerant, vt Chriſti cadauer pretioſis aromatibus lenirẽt. Dixerunt ergò illis viuentem non eſſe quærendum cum mortuis, Chriſti corpus in ſepulchro conditum reſurrexiſſe à morte rediuiuum, oportuiſſe filium hominis crucifigi, & iterùm die tertiâ viuificari, hùc verba tetendiſſe, quibus, cùm adhuc in Galilæâ erat, eas fuerat allocutus, & tandem ita congruum fuiſſe, vt ea, quæ de Chriſto Prophetæ locuti fuerant, adamuſſim implerentur. *Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas, Quid quæritis viuentem cum mortuis? non eſt hic, ſed ſurrexit, recordamini, qualiter locutus eſt vobis, cùm adhuc in Galilæâ eſſet, dicens, quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertiâ reſurgere.* Luc. 24. 5. Cur Angeli, qui hominibus, & raro apparere conſueuerant, & cùm apparebant, vix pauculis verbis eos alloqui ſolebant, de tot rebus cum mulieribus iſtis

collo-

Digitized by Google

colloquuntur? Cur qui vno, aut altero verbo reſurrectionis myſterium eis nuntiare poterant, tot verborum multitudine illas affari voluerunt? Cur demum poſt nuntiatam reſurrectionem, & mortis neceſſitatem, & prophetarum eis explicauerunt prædictionem? Pluribus allocuti ſunt has mulieres, quia illas in Paradiſo erant habituri conſortes. Accipe Simonem Caſſianum lib. 14. in Euangelia cap. 4. ad rem noſtram hæc loquentem. *Superni ciues blandâ voce loquuntur*, QVAS EXPECTABANT HABERE CONCIVES IN SVPERIS. Vt viderunt mulieres tantâ pietate circà ſepulchra commorantes, agnouerunt ſtatim eas futuras eſſe ſibi in æternâ gloriâ conſortes, ac propterea pluribus, ac familiariter, veluti ſi iam fuiſſent earum conciues, alloqui voluerunt.

Simon Caſſia.

Ioſeph Arimathæus propter pietatem Chriſto mortuo exhibitã beatus appellatus.

8 Nec malè ſuas conciues mulieres ergà mortuos adeò pias Angeli exiſtimauerunt, nam ſpem adeò firmam æternæ beatitudinis habent, qui defunctis pietatem exhibent, vt ratione ipſius in hac vitâ poſſint quodammodo appellari beati. Magno pietatis ardore Ioſ. Arimat. ergà Chriſtũ defunctum flagrauit, qui eius cadauer auſus eſt à Pilato petere, ac in ſuo lapideo, ac nouo monumento condere, dum ad huc iniurijs, blaſphemijs, & irriſionibus bacchabantur, & in'aniebant Scribæ, ac Phariſæi. *Audacter introiuit ad Pilatum, & petijt, corpus Ieſu*. Marc. 15. 43. O' fœlicem audaciam, quâ dum terræ cadauer mandauit, Cœli fœlicitatem acquiſiuit, dumque petijt à Præſide corpus defuncti, obtinuit à Deo regnum Paradiſi. Verè ſuâ pietate, quod expectabat impetrauit, nam *& ipſe erat expectans regnum Dei* Marc. 15. 43. quapropter iam meritò poſt tantæ pietatis exercitium beatitudinem certiſſimâ ſpe aſſecutus, poterat appellari beatus. Patronum habeo hac in re Rupertum Abbatem lib. 13. in Ioan. cap. vltimo de iſto pio viro ita loquentem. *Cùm* BEATVS ISTE DISCIPVLVS *tollit magiſtri ſui corpus, rectè Iudæorum calumniam non veretur*. Beatitudinem adeò pietate defuncto magiſtro exhibitâ ſibi comparauit, vt adhuc viuens iurè beati fuerit appellatione donatus. Quod confirmans etiam Theophylactus in cap. 15. Marci hæc ſcribit. BEATVS IOSEPH *adhuc legi ſeruiens Chriſtum Deum agnouit, ideò & laudatum audet factus*. His & ea conſonant, quæ habet Tertullianus lib. 4. contrà Marcionem cap. 42. *Ioſeph corpus fuiſſe noverat, quod totâ pietate tractauit, ille Ioſeph, qui non conſenſerat in ſcelere Iudæis*, BEATVS VIR, *qui non abijt in conſilio impiorum*. Ex quibus iam liquet, quàm certè pij ergà defunctos obtineant beatitudinem, dum adhuc in hac vitâ degentes propter ſuam pietatem beati appellari merentur.

Rup. Abbas.

Theophyl.

Tertullianus

Beatum quoque Dauid eum in ſpiritu appellauit

9 His addo, quæ habet D. Paulinus Epiſtolâ ad Alethium, expendens verba illa Dauidis. *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus*. Pſal. 40. Quis eſt iſte vir, quem Dauid beatum prædicat, ex eo, quòd egeni, & pauperis miſeretur? An Ioſeph Arimathæus, qui Chriſti pauperis, egeni, & in ligno Crucis veſtibus quoque denudati miſertus, eius corpus de cruce depoſitum ſindone inuoluit, aromatibus condiuit, & honorifico in ſepulchro tumulauit? Audi Diuum Paulinum. *In Euangelio, quo ille tartareus contemptor Lazari diues prætermiſſus eſt, illum ab Arimathiâ Ioſeph diuitem nominari videmus*. BEATVS ENIM EST, *qui ſpecialiter intellexit ſuper egenum, & pauperem, pio Chriſti corpus obſequio muneratus*, O' vim pietatis ergà defunctos præclaram, quâ tantâ facilitate homines æternâ fœlicitate donati beantur.

D. Paulinus.

Lugentes defunctos beati appellati.

10 Apoſtolos ſuos Chriſtus hortabatur ad luctum, beatos dicens eos, qui lugent, quoniam ipſos conſolationum gaudia expectant. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*. Matth. 5. 5. Quinam verò eſt luctus iſte, qui beat lugentes, niſi luctus, quo pietas exhibetur defunctis? Nimirùm adeò certè beatitudinem conſequuntur, qui mortuorum miſerentur, vt dum eos actu lugent, iurè beati dicantur. Adeſt Hugo Florenſis ſermone 1. de Animabus. *Quia hodie* (hæc autem dicebat in die Commemorationis defunctorum) *cythara noſtra in luctum debet verti, & organum noſtrum in vocem flentium commutar ur, nihil ad præſens de gaudio dicemus, nam* BEATI, QVI LVGENT, *quoniam ipſi conſolabuntur*. Gaudia obtinent beatorum, qui memoriam honorant mortuorum, ita vt etiam dum in hac vitâ commorantur, propter ſuam pietatem beati appellari mereantur.

Hugo Florenſis.

Oraculum profanum beatam patriam dixit, dummodo pietatẽ exhiberet Hectori defuncto.

Pauſanias.

11 Hoc, quod dicimus, oracula quoque profana confirmant, vndè Pauſanias in Bœoticis narrat Hectoris corpus ex Ilio Thebas fuiſſe translatum, oraculo conſulente, vt eam defuncti Ducis cadaueri Thebani exhiberent pietatem, ſi patriam ſuam ſemper cuperent eſſe beatam. Hæc ſunt verba Pauſaniæ Oraculi verba referentis. *Eſt etiam ad eam, quæ Oedipodia appellatur, aquam Hectoris Priami filij apud Thebanos monumentum, eius enim oſſa ex huiuſmodi Oraculo ab Ilio ſe deportaſſe tradunt.*

Excelſa incolitis Cadmi qui mœnia Thebas,
Si patriam optatis NVNQVAM NON ESSE BEATAM
Ex Aſiâ transferte domum magni Hectoris oſſa
Hic Iouis imperio Heroem ſua iuſta manebunt.

Animaduerte profanis quoque vocibus beatam appellatam patriam, ſi honorifico ſepulchro pietatem exhiberet defuncto. Adeò quippè verum eſt pietate in defunctos beatitudinem comparari, vt profana quoque oracula, quamuis alioqui falſa, non deſtiterint hanc teſtari veritatem.

Nigrum indumentum pro defunctis ſomniatum ſalutem apud profanos protendit.

12 Ab hoc non eſt alienum, quod narrat Artemidorus lib. 2. de Inſomnijs cap. 3. nigras veſtes in ſomnijs protendere ſalutem. Cuius rei rationem eam reddit, quòd ijs vti ſoleant, qui mortuos luctu, & exequijs honorant. Ita enim efficax eſt ad ſalutem obtinendam pie-

tas impenſa defunctis, vt etiã ſomniata videatur protendere ſalutem. Subdo Artemidori verba. *Τὸ δὲ μέλαν ἱμάτιον σωτηρίαν προσημαίνει. οὐ γὰρ οἱ ἀποθανόντες, ἀλλ' οἱ πενθοῦντες τοὺς ἀποθνήσκοντας τοιούτοις χρῶνται. Nigræ veſtes in ſomnijs* SALVTEM PROTENDVNT; *non enim mortui, ſed qui mortuos lugent ijs vtuntur*. Attende quâ fiduciâ pijs ergà defunctos promiſerint ſalutem authores quoque profani, dum hanc etiam in ſomnijs tantùm exhibitam pietatem ſalutis indicium eſſe voluerunt.

Artemidorus

13 Sed quid quæro profanos authores, dum rationem ipſam habeo veritatem, quam probo, clarè confirmantem. Nonnè ratio naturalis dictat ea nobis tribui, quæ alijs tribuenda cenſemus? Nonnè dixit Chriſtus, *In quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis?* Matth. 7. a. Dum igitur pij ergà mortuos æternam gloriam ſuis ſuffragijs eorum animabus procurant, cur non eamdem gloriam ſibi conferendam eſſe firmiter credent? Profectò æternâ mercede vacuum abire non congruit, qui alijs æternam mercedem ſuâ pietate acquirit. Hinc ſcribens Diuus Paulinus ad Aletium, qui multis coniugem defunctam ſtudebat adiuuare ſuffragijs, tantam ei dixit parari gratiam in Cœlis, quantam mortuæ vxori pietatem exhibebat in terris. Cœleſtem enim ſibi gloriam comparat, qui eam defunctorum animabus procurat. *Tantum tibi gratiæ* IN COELESTIBVS *parat, quantùm tu illi à terrenis opulentiæ ſuggeris.* Gloriam adipiſcimur, cùm defunctis gloriam ſuffragijs noſtris elargimur, opulentia enim, quâ miſeremur mortuorum, ad regna nos extollit Cœlorum.

Aletius gloriam cœleſtẽ ſibi comparauit, dum eã ſuffragijs defunctæ vxori procurauit.

D. Paulinus.

14 Capiti finem impono, illud referens, quod narrat Diuus Petrus Damianus Epiſtula 52. fratri contigiſſe, qui quotidie, vt Purgatorij animabus aliquod ſuis precibus auxilium afferret, defunctorum officium, religioſâ pietate recitabat. Hunc pium virum poſt mortem ſupremi Iudicis tribunali aſtantem, dæmonum turba vehementer accuſabat, & multa crimina, quibus eccleſiaſticæ inſtitutionis regulam neglexerat, ei opponebat. At verò Beata Virgo Maria omnibus Sanctorum choris circumſepta eius accuſatoribus ſeſe oppoſuit, & accuſatum propter pietatem, quam Purgatorij animabus impenderat, ad ęternæ gloriæ fruitionem euexit. Sicque factum eſt, vt per eamdem pietatem, quâ gloriam mortuorum animabus acquiſierat, gloriam ſibi gauderet Beatæ Virginis, ac omnium ſanctorum interceſſione acquiſitam. Subijcio verba Diui Petri Damiani. *Beata Regina mundi ſemper Virgo Maria, & omnes ſanctorum chori cum eâ valenter occurrunt, ſe ſeque ad illius auxilium concorditer interponunt. Hic, inquiunt, noſter Capellanus, ac miniſter extitit, quòdque defunctorum ſemper exequijs libenter interfuit, nobis omnibus proculdubio miniſtrauit. Abſit igitur, vt in impiorum manus iſte deueniat, qui pijs ergà nos ſtudijs inſudabit. Sic igitur beatæ Virginis precibus, omniumque ſupplicatione Sanctorum,* IN EORVM MERVIT TRANSIRE CONSORTIVM. Euge ſerue bone, & fidelis æternùm tuæ pietatis præmijs fruere, & qui gloriam in terris mortuorum animabus tuis ſuffragijs comparaſti, gloriam poſſide in Cœlis beatâ ſemper immortalitate duraturam. Vtinam te ſequamur, tuis veſtigijs hæreamus, tuam pietatem imitemur, & (vt cum Diuo Auguſtino ſermone 44. ad fratres in eremo loquar) *feſtinemus pro defunctis exorare, vt & ipſi feſtinent nos ad ſe vocare*. Sic enim fiet, vt nos quoque tecum æternæ gloriæ conſortio fruamur, & re ipsâ in nobis etiam experiamur, quòd euehuntur ad regna Cœlorum, qui ſuâ pietate miſerentur mortuorum.

Religioſus, qui quotidie recitabat officium defunctorum, tranſlatus inuitis dæmonibus ad gloriam.

D. Petrus Damianus.

D. Auguſt.

CAPVT XLV.

Qui pietatis ergà defunctos exercitio vacant, nobile, atque inſigne opus exercent.

1 ACcedant, qui ſuam ſatagunt præclaris geſtis illuſtrare nobilitatem, ſciantque pietate, quâ miſerentur mortuorum, nobilitatem cõmendari viuorum. Quod in primis authoritate ſtabilio Ciceronis, qui diſertis verbis teſtatur laudationes mortuorum ad illuſtrandam nobilitatem olim ſeruari conſuetas. Exiſtimabant quippè antiqui, ac ſapientes rerum cenſores veram tunc familiæ nobilitatem maximè illuſtrari, cùm laudationibus, & monumentis pietatis extrema obſequia exhibebantur defunctis. Audiamus eius verba, quæ in Bruto habentur. *Nonnullæ mortuorum laudationes fortè delectant, & hercules hæ quidem extant. Ipſæ enim familiæ ſua, quaſi ornamenta, ac monumenta ſeruabant, & ad vſum, ſi quis eiuſdem generis occidiſſet, & ad memoriam laudum domeſticarum, &* AD ILLVSTRANDAM NOBILITATEM SVAM. Nobilitatẽ ſuam illuſtrat, qui ſuâ mortuos pietate honorat, ideòque antiqui ad ſuam illuſtrandam nobilitatem monumenta, & laudationes multâ diligentiâ ſeruabant mortuorum.

Antiqui ad illuſtrandam nobilitatem ſeruabant laudationes, & monumenta mortuorum.

Cicero.

2 Hæc patricij agnoſcentes Romani, vt ſuam illuſtrarent nobilitatem, præclarè iſtam exercebant pietatem. Quamobrem in funeribus Imperatorum, non quoſcumque, ſed primâ nobilitate conſpicuos viros, & illuſtres mulieres defuncti corporis lecto vtrinque iubebant adſtare cuſtodes. Exiſtimantes ſcilicet pietatem defunctis exhibitam ad eos maximè ſpectare, qui familiæ ſplendore, ac virtutum nobilitate præcellunt. Rem dabo, vt eam tradit Herodianus lib. 4. *Vtrinque autem gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinem extructi, in quibus alterâ ex parte puerorum chorus eſt* E NOBILISSIMIS, ATQVE PATRICIIS, *alterâ* FOEMINARVM ILLV-

In funeribus imperatorum nobiles vtriuſque ſexus defunctos cuſtodiebant & canebant.

Herodianus.

ſTRIVM *hymnos in defunctum, pæanaſque canentium, vrendo, ac lamentabili carmine emodulatos*. Vides primæ nobilitatis perſonas ex vtroque ſexu in mortuorum exequijs funereo luctu, aſſiduâ cuſtodiâ, & lamentabili carmine illis pietatem exhibentes?

Agrippina nobilitate princeps Germanici defuncti cineres honorauit.

3 Sed recolenda eſt & Agripinæ mulieris nobiliſſimæ pietas, quam Germanico exhibuit extincto, cuius reliquias, licet luctu fatigata, & valetudine infirma proprio ſinu tulit, & honorificè ſepeliendas egregiâ miſeratione curauit. Quâ pietate, vt ſuam valdè commendauit nobilitatem, ita omnium meritò excitauit admirationem. Narrat id Cornelius Tacitus lib. 2. Analium his verbis. *At Agrippina, quamquam defeſſa luctu, & corpore ægro, omnium tamen, quæ vltionem morarentur, intolerans, aſcendit claſſem cum cineribus Germanici, & liberis, miſerantibus cunctis, quòd fœmina* NOBILITATE PRINCEPS, *pulcherrimo modò matrimonio inter venerantes, gratanteſque aſpici ſolita, tunc ferales reliquias ſinu ferret incerta vltionis, anxia ſui, & infelici fœcunditate fortunæ toties obnoxia*. Quid poterat ad rem noſtram clarius deſiderari, dum non ſolùm nobilis, ſed nobilitate princeps fœmina tantâ fertur pietate cineres honoraſſe defuncti.

Cornelius Tacitus.

Miſeni oſſa Chorinæus vir nobilis humanda collegit.

4 Miſeni cremato cadauere, ac reliquijs vino ablutis, oſſa Chorinæus in cado legit honorificè ſepulchro iam ingenti mole conſtructo mandanda. Cuius pietatem laudans Virgilius lib. 6. Aeneid. cecinit.

Virgilius.

Poſtquam collapſi cineres, & flamma quieuit,
Relliquias vino, & bibulam lauere fauillam,
Oſſaque lecta cado texit Chorinæus aheno.

Quis verò iſte fuerit Chorinæus, explicat Iodocus Aſcenſius, inquiens. *Et Chorinæus* VIR ILLE NOBILIS *texit oſſa Miſeni collecta, aut electa ex alijs, quæ cum eius oſſibus erant*. Vir nobilitate præſtans eam defuncto humanitatem impendit; nobilium enim eſt pietatem exhibere defunctis.

Iodocus Aſcēſius.

In funere Blæſillæ nobilium ordo præibat.

5 Verùm, ne profanis tantùm authoribus hanc videar ſtabilire veritatem, ex ſacris etiam authoribus nonnulla, quæ noſtrum probent inſtitutum decerpo. Et primò D. Hieronymum affero Epiſtolâ 25. Blæſillæ funus, ac exequias deſcribentem. Sanctam videlicet mulierem, dum feretro ad ſepulchrum efferretur, nobilium ordine præeunte, honoratam fuiſſe affirmat. *Poſtquam autem, ſarcinâ carnis abiectâ, ad ſuum anima reuolauit authorem, & in antiquam poſſeſſionem diù peregrinata conſcendit, ex more parantur exequiæ, &* NOBILIVM ORDINE PRAEEVNTE, *aureum feretro velamen obtenditur*. Cæteris nobilitate præeſt, qui pietate defunctis exhibitâ præfulget, & iccircò qui nobilitate prędìti erant, in funere Blæſillæ pietatem exhibentes feretrum præcedebant.

D. Hierony.

Nobiliores Aegypti proceres Iacob mortuo exequias celebrauerunt.

6 Defunctum patrem, vt eius iuſſa impleret, ad terram Chananæorum Ioſeph transferre decreuit, vt eius cadauer in paterno humaret monumento. Cùm igitur à Pharaone proficiſcendi facultatem impetraſſet, poſt luctum abijt, & cū eo cuncti maiores natu terræ Aegypti, vt vna defunctum ſenem plorarent, ac ſepelirent, perrexerunt. *Quo aſcendente ierunt cum eo omnes ſenes domûs Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Aegypti*. Gen. 50. 7. Sed qui fuerunt iſti maiores natu, qui, vt defuncto patri parentarent, vſque ad terram Chananæorum tantâ pietate cum filio peregrinari voluerunt? Audi Abulenſem egregiè ad rem noſtram reſpondentem. *Ierunt cum eo omnes ſenes domûs Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Aegypti, ideſt qui* DE MAIORI GENERE, VEL NOBILIORI *erant*. Omnes nobiliores Aegypti proceres cum Ioſeph, vt pias eius genitori exequias celebrarent, aſcenderunt, vt nobis conſtaret eos, qui maiori nobilitate ſunt illuſtres, maiori etiam pietate in defunctos eſſe debere conſpicuos.

Abulenſis.

Nobiles erāt Iudæi, qui ad Lazari monumentum perrexerunt.

7 Ex his facilè dignoſcemus quales fuerint Iudæi, qui ad Martham, & Magdalenam in fratris morte acceſſerunt, vt eas lugentes conſolarētur, & defuncti funus præſentiâ ſuâ honorarent. *Iudæi ergò, qui erant cum eâ in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam, dicentes, quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi*. Ioan. 11. 31. Dum enim ad Monumentum cum Magdalenâ, vt plorarent, perrexerunt, & tantam ergà mortuum Lazarū pietatē oſtenderūt, nobilitatē, quâ prędìti erant, declarauerunt. Nobiliter enim operatur, ſeque nobilem eſſe declarat, qui mortuis pietatē impendere feſtinat. Non ſupprimam verba Caietani locum iſtum ita explicantis. *Perſonæ* NOBILES *erant Iudæi iſti, vt pote qui venerant ab Ieruſalem adhoc, et erant in aulâ cum Mariâ dominâ oppidi ad conſolandum eam*. Nobiles erant, dū pio luctu defunctū honorabant, quia nobilitatis præſtant ſplendore, qui mortuis pietatis obſequia præſtāt.

Caietanus.

Ioſeph Arimathæus ob ſuam nobilitatem facultatem ſepeliendi Chriſtū impetrauit.

8 Nec minori prędìtus fuit nobilitate Ioſeph Arimathæus, qui Chriſti cadauer vnguentis piè oblinitum, & exequiarum pompâ religiosè honoratum in proprio ſepeliuit monumento. Quod profectò Euangelium teſtatur, dum ait. *Venit Ioſeph ab Arimathæâ nobilis decurio*, Marc. 15. 43. Nobilis ſanè, vndè ob ſuam nobilitatem à præſide Pilato facultatem Chriſtum ſepeliendi tantâ facilitate impetrauit. Hanc enim propter nobilitatem, quâ prędìtus erat eum obtinuiſſe Lyranus in cap. 27. Matthæi affirmat. *Ioſeph erat homo valens, et* NOBILIS, *propter quod Pilatus petitioni eius voluit acquieſcere*. Nobilium petitiones facilè exaudiuntur, quare Pilatus Ioſeph Arimathæo Chriſti corpus humandum citò conceſſit, quia eum nobilitate præditum eſſe cognouit.

Lyranus.

Ob Chriſti ſepulturam inſignior eſt effectus.

9 Quòd ſi tantâ nobilitate fulgebat, antequā Chriſti cadauer humaret, multò nobilior, & inſignior factus eſt, cùm ei tot pietatis obſequia tantâ religione impendit. Nam ſuam magis illuſtrat nobilitatem, qui defunctis exhibere ſtudet pietatem. Probè Euthymius in cap. 27. Mat. *Inſignis erat et antea Ioſeph, ſed* INSIGNIOR FACTVS EST,

Euthymius.

Digitized by Google

eò quòd Chriſti corpus auſus ſit accipere, illudque honorare. Inſignes fiunt, qui mortuis pietatem impendunt, & quia Ioſeph iam fuerat antè inſignis, ob Chriſti ſepulturam inſignior eſt effectus.

Inſignior effecta eſt Magdalena per id quòd ad Chriſti monumentũ pia cucurrit.

10 Recenſens D. Marcus eos, quibus Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem à morte rediuiuus apparuit, ait eum primò appàruiſſe Mariæ Magdalenæ. *Surgens autem manè primâ Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de quâ eiecerat ſeptem dæmonia.* Marc. 16. 9. Quo loco ſtatim dubium ſe ſe offert, quo pacto dicat Marcus Chriſtum ſoli Mariæ Magdalenæ primò apparuiſſe, cùm Matthæus omnibus mulieribus, quæ ad monumentum perrexerant, ſimul eum apparuiſſe affirmet. *Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens, Auete; illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Matth. 28. 9. Quod tamen dubium aptâ reſponſione diſſoluit Euthymius, docens per Mariam Magdalenam alteram quoque Mariam, quæ cùm eâ erat, ſignificatam fuiſſe, recenſens enim Euangeliſta mulierem inſigniorem, alteram quoque minùs inſignem recenſere cenſetur. Inſignior autem erat Magdalena, quia cæteris feruentior, omnes in pietate Chriſto mortuo exhibitâ præceſſit, & citiùs ad monumentum feſtina cucurrit. *Quærendum* (verba ſunt Euthymij) *quomodo hoc loco ſcriptum eſt, quòd apparuerit primùm Mariæ Magdalenæ, ſiquidem apparuit primùm, non ſolùm Magdalenæ, ſed etiam alteri Mariæ Iacobi, & Ioſeph, veluti narrauit Matthæus. Dicendum ergò eſt, quòd per Magdalenam alteram quoque ſignificauit; frequenti enim eſt in vſu apud Euangeliſtas per perſonam, quæ* INSIGNIOR *eſt eam intelligere, quæ minùs nota eſt.* INSIGNIOR AVTEM ERAT MAGDALENA *in hoc, quòd feſtinauit, & præceſſit ad monumentum.* Pietas, quâ, vt Chriſtum mortuum honoraret, ad eius monumentum Magdalena cucurrit, eam cunctis alijs mulieribus inſigniorem effecit; inſigniores enim ſemper efficiuntur, qui ſuâ mortuos pietate proſequuntur.

Euthymius.

Baaſa ſepultus eſt in Therſâ, quæ Regni metropolis, ac cæteris vrbibus inſignior erat.

11 Hinc obſeruo in Ciuitatibus inſignioribus Regnorum maiorem ſemper fuiſſe defunctis impenſam pietatem. Mortuus eſt Baaſa rex Iuda, & regijs exequijs honoratus, in vrbe Therſâ ploratus eſt, atque ſepultus. *Dormiuit ergò Baaſa cum patribus ſuis, ſepultuſque eſt in Therſâ.* 3. Reg. 16. 6. Hanc autem ciuitatem regni metropolim tunc fuiſſe aduertit Abulenſis, ideòque Reges in eâ & regnaſſe viuos, & ploratos, ac ſepultos fuiſſe defunctos. *Illa ciuitas erat* METROPOLIS REGNI *pro tunc, quouſque Samaria amplificata fuit, & ibi reges regnabant, & ſepeliebantur.* In Ciuitate, quæ regni metropolis, ac cæteris omnibus ciuitatibus inſignior erat, Regum defunctorum exequiæ celebrabantur, & ſepulchra conſtruebantur; nam vrbes quoque amplitudine, ac nobilitate inſigniores maiorem defunctis conſueuerant exhibere pietatem.

Abulenſis.

Achab in Samariâ, quæ tunc erat metropolis regni conditus fuit.

12 Quapropter cùm Samaria facta eſt regni metropolis, in eâ cæperunt ſepeliri cadauera Regum, eiſque iuſta perſolui exequiarum. Vndè cùm Achab rex Iſraël ſagittæ ictu percuſſus fatis conceſſit, elatus eſt in Samariam, vbi eum in Regum ſepulchro humauerunt. *Mortuus eſt autem rex, & perlatus eſt in Samariam, ſepelieruntque regem in Samariâ.* 3. Reg. 22. 37. Quem locum explicans idem Abulenſis, hæc habet. *Erat Samaria* METROPOLIS REGNI, *& ſepeliebantur ibi reges, ideò Achab ductus eſt illùc ad ſepeliendum.* Vt inſigniores perſonæ pietatem exhibebant mortuis, ita & in inſignioribus ciuitatibus eorum funera ducebantur, & iccircò in ciuitate, quæ regni metropolis erat, regum ſepulchra extruebantur, in quibus eorum cadauera conderentur.

Idem.

Ex Ieroſolymâ, quæ metropolis erat, multæ nobiles perſonæ ad impetrandam Lazaro vitã conuenerant.

13 Hùc flectendum eſt, quod ait Ioannes, multos ex Iudæis, Lazaro defuncto, profectos fuiſſe Bethaniam, vbi mortuus fuerat, cùm Bethaniæ oppidum parum ab vrbe Ieroſolymâ diſtaret. *Erat autem Bethania iuxtà Ieroſolymam quaſi ſtadijs quindecim. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt conſolarentur eas de fratre ſuo.* Ioannis 11. 18. Nec enim otiosè oppidum iſtud iuxtà Ieroſolymam fuiſſe deſcribitur, quæ Ciuitas regni metropolis erat, ſed vt oſtendatur multas nobiles perſonas inde potuiſſe facilè Bethaniam proficiſci ad impetrandam Lazaro mortuo reſurrectionis miraculo vitam. Nam perſonæ tam nobiles vrbem adeò inſignem incolentes, vt nobilitatem, quâ erant præditæ, illuſtrarent, non omiſiſſent ſuis precibus pietatem exhibere defuncto. Id notauit Albertus Magnus in hunc locum. *Duo dicuntur, ſcilicet locus, vbi* MVLTAE SOLENNES PERSONAE *conuenire poterant ad impetrandum miraculum, & multitudo eorum, qui conuenerant. Dicit ergò, Erat autem Bethania locus, in quo defunctus fuit iuxtà Ieruſalem,* QVAE ERAT METROPOLIS. Ex nobili vrbe nobiles perſonæ ad ſuffragandum ſuis precibus Lazaro mortuo conuenerunt, quia & nobile, & nobilium eſt precibus, & ſuffragijs adiuuare defunctos.

Albertus Magnus.

In Rama luctus magnus factus eſt pro mortuis, quia in ſorte Beniamin metropolis erat.

14 In Rama fletum, & ploratum multum factum fuiſſe pro mortuis dicitur Matth. 2. 17. *Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam dicentem. Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus; Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Rationem autem, cur hoc luctu defuncti ſint in Rama honorari, affert idem Albertus ex eo, quòd hæc ciuitas ex tribu Beniamin metropolis erat. *Attende, quòd Rama eſt ciuitas Saul in ſorte Beniamin, ſicut dicitur Ioſue. 18. quæ* QVIA METROPOLIS FVIT, *ibi maximus fuit ploratus.* Attende particulam cauſalem, *quia*, ideò enim tam pio luctu in Rama parentatum eſt defunctis, quia ciuitas erat reliquis nobilior, & omnium illius tribûs metropolis, quò enim nobiliores ſunt vrbes, eò maiorem debent defunctis pietatem.

Idem.

16 His

Viri Iabes ſub nobili quercu Saul, & filios eius humauerunt.

15 Ab hoc non eſt alienum, quòd viri Iabes Galaad cadauera Saul, & filiorum eius in nemore Iabes ſub quercu ſepelierunt. *Conſurrexerunt ſinguli virorum fortium, & tulerunt cadauera Saul, & filiorum eius, attuleruntque ea in Iabes, & ſepelierunt oſſa eorum ſubter quercum, quæ erat in Iabes.* 1. Paralip. 10. 12. Quam quercum magnitudine, ac ſpecie nobilem fuiſſe Gaſpar Sanctius in lib. 1. Reg. cap. 31. affirmat. *Additur, ſepultum ſubter quercum, quæ erat in Iabes, quæ videtur eſſe, aut magnitudine, aut ſpecie* NOBILIS, *quaſi ſpectoſiſſimus locus in eo nemore electus eſſet pro regiâ ſepulturâ.* Locum nobilem pro ſepulturâ defunctorum elegerunt, vt ex loci quoque nobilitate conſtaret, quàm nobile ſit mortuis exhibere pietatem.

Gaſpar Sanctius.

Marcellus in nobiliſſimo gymnaſio ſepultus.

16 His addo, quæ habet Seruius Sulpicius ad Ciceronem ſcribens lib. 4. Epiſt. 12. Deſcribens funus, quo Marcello defuncto ipſe cum amicis exequiarum iuſta perſoluerat, dixit ſe Athenis in omnium nobiliſſimo gymnaſio mortui condidiſſe cadauer, & curaſſe, vt eius memoriæ nobiliſſimum ibidem ab Athenienſibus erigeretur monumentum. *Nos* NOBILISSIMO *orbis terrarum gymnaſio Academiæ, locum delegimus, ibique eum combuſſimus, poſteâque curauimus, vt iidem Athenienſes in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent.* Nobiliſſimum elegerunt locum, in quo cadauer comburerent, eique monumentum ædificarent, vt nexum oſtenderent, quo pietas defunctis exhibita cum uerâ nobilitate cohæret.

Seruius Sulpicius.

Nobilius eſt ſuffragari animabus mortuorum quàm miniſtrare corporibus regum.
Ioannes Bromyardus.

17 Vt ot in fine Capitis verbis Ioannis Bromyardi, qui nobilitatem operum, quibus animabus mortuorum ſuffragamur, fulcit hoc argumento in ſummâ Prædicantium Verbo Executor. *Si nobilitas magna eſt officium habere ad ſeruiendum regis corpori,* QVANTÒ NOBILIVS VIDETVR *ſeruire ipſis animabus, quæ ciues, imò reges erunt patriæ, & curiæ cæleſtis?* Nobile cenſent homines in curiâ miniſtrare corporibus regum, & nobile nõ cenſebunt in Eccleſiâ ſuffragari animabus mortuorum, quæ tandem Purgatorij pœnis expletis, æternâ fœlicitate donatæ ſempiterno fruentur regno Cœlorum? Abſit ad hominibus cordatis adeò veſana opinio, fatendum enim prorsùs eſt, quòd qui pietatis ergâ defunctos exercitio vacant, nobile, atque inſigne opus exerceant.

CAPVT XLVI.

Magnanimitate, ac fortitudine præſtant; qui mortuis miſericordiæ obſequia præſtant.

Ioſeph, & Nicodemus, Chriſtum ſepelientes, ſe magnanimos oſtendeunt.

1 AD pietatem defunctis exhibendam eos hortor, qui nobiliſſimas virtutes magnanimitatem, & fortitudinem ſectantur, & oſtendo verè magnanimos, ac fortes illos eſſe, qui mortuis ſe ſe clementes oſtendunt. Et ſanè ſi virorum geſta, qui Chriſti cadaueri ſepulturæ obſequia impenderũt, expendamus, quis eorum iurè non admirabitur magnanimitatem? Præſidem non timent, ſcribas non metuunt, phariſæos contemnunt, turbas non verentur, & omnibus inuitis, ei, quem vt ſeditioſum crucis morte mulctauerunt, ſepulchrales exhibent religioſâ pietate honores. *Acceperunt ergò corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Ioan. 19. 40. Nunquid animi ſui robur nobilioribus poterant oſtendere geſtis? Nunquid ſuam poterant magis declarare magnanimitatem? O' viros intrepidos, ac omni pauore depoſito verè imperterritos, conſtantes, atque magnanimos! Audiamus quibus eos verbis commendet D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 41. *Non vnum ſolummodò* MAGNO ANIMO *ad ſepeliendum ſanctiſſimum Chriſti corpus, ſed alterum etiam exponit veniſſe, authoritate quaſi legis rem muniens.* Magno animo ad Chriſtum ſepeliendum iſti viri acceſſerunt, nec enim non poterant ſe ſe oſtendere magnanimos, dum omnia contemnebant, vt magiſtro pietatem exhiberent defuncto.

Cyrill. Alex.

Thomas mortem contemnens, vt ſuſcitaretur Lazarus, ſuam declarauit magnanimitatẽ.

2 Nec minorem Apoſtolus Thomas oſtendit magnanimitatem, cùm cæteris apoſtolis ad oppidum Bethaniæ, vbi Lazarus erat à morte reuocandus, cum Chriſto proficiſci renuentibus perſuaſit, vt vnà ſecum irent, & mortẽ cum magiſtro, ſi opus eſſet, vt defunctus excitaretur, oppeterent. *Dixit ergò Thomas, qui dicitur Didymus ad condiſcipulos, Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Ioan. 11. 16. Hæc ſanè impauidi, ac magnanimi viri verba fuerũt, mortis pericula, vt vita mortuo redderetur amico, ſpernentis. Quis enim magnanimitatis expers vitâ amittere, ac certo mortis periculo ſe ſe obijcere decernit? Egregiè huius Apoſtoli magnanimitatem, eius verba expendens, Cardinalis attigit Caietanus. MAGNI FERVORIS, IMPAVIDIQVE ANIMI *verba ſunt hæc Thomæ.* Suam oſtendit magnanimitatem, qui ſuam defunctis exhibet pietatem, ac proindè Thomas in mortuum Lazarum adeò pius, vt pro eo mortem ſubire non detrectaret, ſe magnanimum eſſe tantâ pietate declarauit.

Caietanus.

Pios ergà defunctos detractores quoq; magnanimos fatentur.

3 Addò, quòd ita ſe ſe magnanimos declarant, qui mortuis pietatem impendunt, vt ad ſuã confitendam magnanimitatem ipſos quoque cogant detractores. Verba expendamus, quibus Iudas Iſcariotes, Chriſti proditor Magdalenam increpauit, quæ ſuper caput illius ad honorandã cadaueris eius ſepulturam liberaliter effudit. *Dixit ergò vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus, Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis?* Ioan. 12. 4. O' veritatis admirabilem efficaciam, quæ ipſa quoq; detractorũ ora vera verba proferre interdum compellit! Quid enim fuit vnguenti valorem declarare, niſi vngentis magnanimitatem manifeſtare? Quid agis ò Iuda? Nonnè vides tuis verbis magnum mulieris animum laudari, quam

carpere credis? Vtique dum ais eam in vnguenti emptione trecentos inſumpſiſſe denarios, illius magnanimitatem, quæ tanto non pepercit ſumptui, fateris, & ex detractore laudator, dum eam arguis vt prodigam, laudas vt magnanimã. Ita ſanè; mulieris namque ſepulchrales honores præclarâ pietate impendentis detractor ipſe non potuit non commendare magnanimitatem. Eleganter D. Ioannes Chryſoſtomus in Matth. 26. *Cùm dixiſſent vendi trecentis denarijs vnguentum illud potuiſſe, quantùm ipſa in vnguentum illud insũpſiſſet aperuerunt, & ſic* MAGNANIMITATEM EIVS MANIFESTARVNT. Vides ipſos quoque detractores mulieris laudare magnanimitatem ad ſepulturæ honorem pretioſa vnguenta fundentem?

D. Ioannes Chryſoſt.

Magnanimitatem, & fortitudinem mulieres Chriſto mortuo aſſiſtentes oſtenderunt.

4 Pergo, & mulierum conſtantiam expendendam aſſumo, quâ & morienti, & mortuo Chriſto aſtiterunt, & vbi eius cadauer à ſepultoribus conderetur, diligenter aſpexerunt. *Maria autem Magdalene, & Maria Ioſeph aſpiciebant, vbi poneretur.* Marc. 15. 47. Hæc autem agebant, vt Iudæis abeuntibus, quibus etiam vt abirent pecuniâ ſuaſerant, mortuum Chriſti corpus amplecti, vnguentis perfundere, & alijs pietatis obſequijs proſequi valerent. Quibus profectò cum liberalitate magnificentiam, & cum fortitudine magnanimitatem oſtenderunt. Diſco id ex Victore Antiocheno in Gloſsâ, cuius hæc ſunt verba. *Mulieres aſſident, & accuratè, vbi Dominus ponatur obſeruant, quò Iudæis, quorum furiam muneribus tam fortè deliniuerant, abeuntibus, demortuum Chriſti corpus liberiùs complecti, attrectareque queant. Oſtendunt hæ autem ad mortem vſque* MAGNAM ANIMI FORTITVDINEM, *& charitatem, magnamque in pecuniarum impensâ liberalitatem, & magnificentiam.* Magnum animum, ac virili fortitudine præditum pietate, quam Chriſto mortuo impenderunt, mulieres iſtæ oſtenderunt; ſuam enim & magnanimitatem, & fortitudinẽ oſtendunt, qui ſuam defunctis clementiam, & pietatem impendunt.

Victor Antiochenus.

Viri Iabes Galaad fortiſſimi fuerunt, quia pietatem defunctis impenderunt.

5 Et ſanè ſi à probatâ magnanimitate ad cõprobandam eorum fortitudinem, qui ſe ſe defunctis pios exhibent, tranſire velimus, non deerunt nobis fortiſſima, tùm ex ſacris, tùm ex profanis authoribus pro hac fortitudine argumenta. Vt verò à ſacris incipiam, quis ignorat viros Iabes Galaad, qui totâ nocte ambulantes cadauera Saul, & filiorum eius è Phariſæorum muro ſuſtulerunt, & ad propria, vt honorificas eis celebrarent exequias, deduxerunt, fortiſſimos in ſacris Regum voluminibus appellari? *Quod cùm audiſſent habitatores Iabes Galaad, quæcumque fecerant Philiſthijm Saul, ſurrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerũt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan.* 1. Reg. 31. 12. Cur autem fortiſſimi appellantur viri iſti, niſi quia ſe ſe mortis diſcrimini, vt defunctis pietatem impenderent, obiecerunt? Audiatur Abulenſis, qui ait virorum iſtorum opus fuiſſe. *Opus* MAGNAE FORTITVDINIS, *ſcilicet, quia ſe expoſuerunt ad mortem, introeundo in terram hoſtilẽ, vt tollerent indè iſta cadauera.* Fortiter operantur qui defunctorum miſerentur, vndè viri fortiſſimi, & magnæ fortitudinis opus aggreſſi dicuntur Iabenſes, dum tantam exhibuerunt defunctis cadaueribus pietatem.

Abulenſis.

Ratione huius fortitudinis valdè meruerunt.

6 Hinc eſt, quòd quærens idem Abulenſis, vtrùm iſti viri hac pietate meruerint, reſpondet magnum fuiſſe meritum illorum; non enim poterat magni non eſſe meriti opus, quod adeò excellentem fortitudinem præſeferebat. *Opus meritorium eſt, quod fit ſecundùm virtutem, & quantò aliqua virtus laudabilior eſt, tantò eſt opus eius magis meritorium, viri tamen Iabes expoſuerunt ſe hîc ad mortem, introeundo in terram Philiſthinorum, vt indè auferrent cadauera Saul, & filiorum ſuorum, quod eſt opus* FORTITVDINIS: *eſt autem* FORTITVDO *de excellentiſſimis virtutibus, ideò iſti nimis meruerunt.* Fortitudo, quâ viri Iabes defunctorum cadaueribus honorem ſepulturæ impenderunt, eorum meritum auxit, ita vt valdè meruerint propter fortitudinem, cùm eam viriliter exercuerunt pietatem.

Idem.

Hanc fortitudinem agnoſcentes Philiſthæi milites reſiſtere noluerunt.

7 Ex hac autem fortitudine ortum eſt, quòd Philiſtæi hanc auſi non fuerint impedire pietatem, ſed permiſerint ſibi violenter auferri, quæ ſuſpenderant, cadauera mortuorum. Certè probabilitatis ſpeciem habere non videtur, quòd muri Philiſthæorum ſine militum cuſtodiâ nocturno tempore deſererentur, dum adhuc bellum vrgebat Iſraëlitarum. Cur igitur milites iſti cadauera diripientibus non reſtiterunt, aut interficientes, aut ſaltem eos à muris eijcientes? Adeò ne ignaui erant mœnium cuſtodes, vt ſinerent hoſtes aſcendere, ac pro libito ſua cadauera efferre? Non ignauiæ militum, ſed fortitudini hoc tribuendum eſt Iabenſium, quibus non potuerũt Philiſthæi murorum cuſtodes obſiſtere, dum ſuâ defunctis exhibebant pietatem. Hæc loquitur Ioſeph Hebræus in Gloſsâ in 1. Reg. 31. *Deponentes corpora Saul, & filiorum eius, detulerunt in Iabes, hoſtibus* PROPTER FORTITVDINEM EORVM *prohibere non valentibus, aut præſumentibus.* Cernentes milites Philiſthæi viros Iabes in defunctos adeò pios, ex hac pietate fortitudinem eorum arguerunt, ideòq; contrà eos pugnare, aut illis reſiſtere noluerunt.

Ioſeph Hebræus.

Eamdem fortitudinem Dauid commendauit.

8 Hanc eamdem illorum pietatem Dauid commendauit, cùm eis gratias agens pro pietatis obſequijs Regi, & filijs eius defunctis collatis, eos eſt hortatus, vt filij fortitudinis eſſent. *Confortentur manus veſtræ, & eſtote filij fortitudinis.* 2. Reg. 2. 7. Quorum verborum ſenſum tradens Abulenſis, ait hoc eis Dauidem innuere voluiſse, vt ſicuti ſe ſe fortiſsimos in ſepulturâ cadauerum mortuorum oſtenderant, ità in prælio contrà ſuperbos hoſtes fortitudinis eiuſdem ſpecimen exhiberent. *Eſtote viri fortitudinis, id eſt oſtendentes fortitudinem in vobis, vt ſicut* FVISTIS FORTES *in educendo Dominum veſtrum de terrâ hoſtili, ita ſitis fortes ad reſiſtendum hoſtibus.* Agnoſce

Abulenſis.

a Rege

Digitized by Google

à Rege fortiſſimo fortitudinem eorum commendatam, qui ſuâ pietate cadauera honorauerunt defunctorum, nam fortitudinis laude honorari merentur, qui ſuâ mortuos pietate honorant.

Dauid fortē ſe oſtendit, cùm Saul mortuum plorauit.

9 Nec ſolùm hanc fortitudinem commendauit Dauid, ſed etiam exercuit, dum audiens Regem Saul in monte Gelboë interfectum, veſtimenta ſua ſcidit, & cum omnibus, qui ſecum erant, funereo luctu plorauit. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua, ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius.* 2. Reg. 1. 11. Quo quidem luctu non tantùm iuſtum, & innocentem, ſed etiam conſtantem ſe oſtendit, ac fortem. Habet id Rupertus Abbas lib. 2. in libros Regum cap. 20. *Occulta cordis manifeſtus iuſtitia actus defendit, dum ipſe plangit, & per pœnam, vel mortem eius, qui nuntiauerat, nemini ſuorum exultandum eſſe decernit. Rectè igitur canat, securè tanat, & dicat* Fortis David. *Domine Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Obſerua Dauidem tunc fortem vocari, cùm plorat abiectum, & regem luget interfectũ, nam tunc fortitudinis laudes merentur viri, cùm id agunt, vt ſuâ pietate adiuuentur defuncti.

Rup. Abbas.

Suam fortitudinem Ioſeph Arimathæus oſtendit, cùm Chriſti corpus humauit.

10 Idipſum expertus eſt Ioſeph Arimathæus, qui cùm Chriſti cadauer in ſuo monumento ſepeliendum à præſide poſtulauit, fortiter id geſſiſſe, & audacter ad Pilatum acceſſiſſe deſcribitur. *Audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu.* Marc. 15. 43. Verè audacter, nam ſummam fortitudinem oſtendit, cùm ſe mortis periculo, vt mortuum ſepeliret, obiecit. Verba hic quadrant D. Ioannis Chryſoſtomi, quæ referuntur in catenâ in cap. 27. Matth. *Inſpice autem huius viri* Fortitvdinem, *in mortis enim periculum ſe tradidit, inimicitias ad omnes aſſumens propter beneuolentiam Chriſti, & non ſolùm audet corpus Chriſti petere, ſed & ſepelire.* Suam tunc maximè diſcipulus iſte fortitudinē oſtendit, cùm Chriſti cadauer à præſide petijt, atque in proprio monumento humauit.

D. Io. Chryſ.

Chriſtus in reſurrectione Lazari fremens diuinā fortitudinem oſtendit.

11 Lazarum ſuſcitaturus ad oppidum Bethaniæ Chriſtus perrexit, vbi lachrymas effundens plorauit amicum, & ſpiritu fremens turbauit ſeipſum. *Ieſus ergò vt vidit eam plorantem & Iudæos, qui venerant cum eâ plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum*, Ioan. 11. 33. Fremuit ob pietatem, quâ miſerebatur defuncti, & hoc fremitu inſignem declarauit ſuæ diuinitatis fortitudinem. *Quòd fremit*, inquit Rupertus Abbas, *diuinæ* Fortitvdinis, Et Fortissimae *diuinitatis eſt.* Diuinitatis tunc oſtendit Chriſtus, quâ pollebat, fortitudinem, cùm ſuam oſtendit ergà mortuum amicum pietatem, ille namque veram fortitudinem oſtendit, qui pietatis obſequia defunctis impendit.

Rup. Abbas.

Ob eam fortitudinem.

12 Sed illud inſuper in hac eâdem reſurrectione Lazari obſeruandum puto, quòd à Chriſto ad vitam reuocatus prodijt è monumento manus, & pedes inſtitis ligatus. *Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata*, Ioan. 11. 44. Quæ ſanè prodeuntis deſcriptio miram Chriſti eum reuocantis fortitudinem declarauit. Egregiè idem Rupertus Abbas. *Quid ergò nobis Euangeliſta hac prodeuntis deſcriptione innuit, niſi* Magnam Fvisse Fortitvdinem *vocis, vel clamoris, qui mortuum ligatum ad viuos excuſſit, & excutiendo de mortuo viuum fecit?* Magnam fortitudinem ſuam magnopere declarant, qui defunctos adiuuare feſtinant.

Lazarus prodijt ligatus.

Idem.

13 Quam fortitudinem etiam Gentiles admirati eos exiſtimabant fortiſſimos, qui pietate proſequebantur defunctos. Hinc Dionyſius Halicarnaſſeus funus, & pompam deſcribens, quâ Bruti cadauer in vrbem relatum fuit, milites, qui laudes canentes, & lachrymas effundentes illud efferebant coronam fortitudinis glorioſiſſimo nomine appellauit. *Bruti corpus* Corona Fortitvdinis *decoratum* Fortissimi *exercitus equites cum multis laudibus, & lachrymis in vrbem retulerunt.* Ita ille lib. 5. Antiquit. Roman. Veræ fortitudinis laudem meruerunt, qui tam egregiam ſuo duci pietatem exhibuerunt, magnum enim exhibet ſpecimen fortitudinis, qui plurima defunctis impendit obſequia pietatis.

Milites Bruti cadauer vna lachrymis efferentes fortiſſimi appellati.

Dion. Halicarnaſſeus.

14 Hanc item veritatem fulcit Plutarchus in M. Antonio, humanitatem illius commendans, quâ corpus interfecti Archelai, cum quo bellum geſſerat, accuratè quæſiuit, & inuentum regio funere honorauit, ratione cuius pietatis apud milites Romanos eum habitum fuiſſe fortiſſimum affirmat. *Nec verò obſcura ad vulgus humanitas eius aduerſùs Archelaum defunctũ extitit, Nam cùm familiaritas ei cum illo, & ius hoſpitij interceſſiſſet, bellum cum viuente geſſit neceſſariò, corpus interfecti requiſitum regio cultu funerauit. Hinc magnam ſui memoriam Alexandrinis reliquit, et apud milites Romanos habitus eſt* Fortissimvs. Obſerua milites quoque hanc attigiſſe veritatem, vt habendi ſint fortiſſimi, qui ſunt ergà mortuos clementiſsimi.

Marcus Antonius ergà cadauer Archelai pius habitus fortiſſimus.

Plutarchus.

15 Poſtremo loco addo, quod Lyſias in oratione funebri apud Cerdam in lib. 11. Aeneidũ habet, fortium quidem eſſe viuos perſequi hoſtes ſed timidorum eos contemnere defunctos. Vt enim fortitudinis laudem acquirunt pij, ſic timiditatis notam contrahunt impij aduerſùs defunctos. Πέμψαντες κήρυκας, ἐδέοντο αὐτῶν δοῦναι τῶν νεκρῶν ἀναίρεσιν, νομίζοντες ἀνδρῶν τῶν ἀγαθῶν εἶναι ζῶντας τοὺς ἐχθροὺς τιμωρήσασθαι, ἀπιστούντων δὲ σφίσιν αὐτοῖς ἐν τοῖς τῶν τεθνεώτων σώμασι τὴν εὐψυχίαν ἐπιδείκνυσθαι. *Miſſis præconibus eos deprecantur, vt mortuos humari ſinerent; exiſtimabant enim* Virorvm Fortivm *eſſe viuos hoſtes perſequi vſque ad vltionem,* Timidorvm *autem, et ſuis viribus diffidentium in defunctorum corpora virtutem oſtentare.* Non fortium, ſed timidorum eſt pietatem denegare defunctis, nam illi magnanimitate, ac fortitudi-

Non fortium ſed timidorũ eſt pietatem denegare defunctis.

Lyſias.

ne

ne præſtant, qui mortuis miſericordiæ obſequia præſtant.

CAPVT XLVII.

Pium opus exercet, qui defunctos adiuuare ſtudet.

Dolor, quo pro mortuis viui triſtantur, multam includit pietatem.

1 VT egregiam huius operis pietatem declarem, obſequia, quæ defunctis exhiberi ſolent, ſigillatim expendo, eaque omnia ſummam pietatem redolere oſtendo. A' dolore autem, quo poſt propinquorum, aut amicorum mortem eruciantur viui, exordiar, cui multam ineſſe pietatem quis vnquam ſanæ mentis poterit inficiari? Monet nos D. Paulus, vt pro mortuis non contriſtemur, ſicut infideles triſtantur, qui ſpem reſurrectionis non habent. *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* 1. ad Theſſalonic. cap. 4. 13. Vbi

D. Thomas.

D. Thomas lect. 2. extrema verba expendit, & non quamlibet, ſed tantùm immodicam, & inordinatam triſtitiam Apoſtolum prohibere affirmat; nec enim triſtari, ſed tantùm triſtari, vt ij triſtantur, qui ſpem reſurrectionis non habent, prohibemur. *Videtur Apoſtolus benè concedere triſtari pro mortuis, aliquid tamen prohibere, ne ſcilicet inordinatè triſtemur, vndè dicit, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* Non ſanè moderatam prohibuiſſet Paulus triſtitiam, quam vndequaque nouerat pietate refertam. Audi quæſo ab eodem Angelico Doctore, quantam triſtitia, & dolor pro mortuis in ſe inuoluat pietatem. *Quòd aliquis triſtetur, ſcilicet de mortuis,* HABET PIETATEM; *primò propter defectum corporis deficientis: debemus enim eos diligere, & corpus propter animam. Eccleſiaſt. 41. O' mors quàm amara eſt memoria tua; ſecundò propter diſceſſū, & ſeparationē, quæ doloroſa eſt amicis. 1. Reg. 15. Siccinè ſeparat amara mors? tertiò, quia per mortem fit cōmemoratio peccati. Ad Rom. 6. Stipendia peccati mors; quartò quia fit commemoratio mortis noſtræ Eccl. 7. In illâ enim finis cunctorum monetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum ſit. Sic ergò triſtandum, ſed moderatè.* Ecce igitur, quàm præclaram includit, dolor, quo pro mortuis viui triſtantur, pietatem.

Dolor, quo dolemus pro mortuis, dolor dicitur pietatis.

2 Hoc agnoſcens D. Ambroſius lib. de Viduis, valdè illas commendat, quòd pullatis veſtibus, mœſtâ fronte, lacbrymis aſſiduis, & funereâ pompâ, maritum pietatis dolore lugeant defunctum. Eſt namque pietatis dolor, dolor, quo viui plorant defunctos. *Ipſe lugubris habitus, pompa funebris, fletus aſſiduus, & mœſtæ fronti inarantibus rugis impreſſa triſtitia petulantium premit oculos, reſtinguit libidines, procaces auertit aſpectus; bonus cuſtos pudoris* PIETATIS DOLOR. Adeò egregiam dolor pro mortuis redolet pietatem, vt ratione ipſius dolor pietatis iurè appellari mereatur.

D. Ambroſ.

Ad probum virū ſpectat pias pro mortuis lachrymas effundere.

3 Quòd ſi hunc dolorem lachrymæ conſequūtur, lachrymas item iſtas pietatis plenas eſſe oſtendemus. Mortuam vxorem Iudas plurimis lachrymis plorauit, nec niſi multis elapſis diebus conſolationem accipiens à luctu ceſſauit. *Euolutis autem multis diebus mortua eſt Sua vxor Iudæ, qui poſt luctum conſolatione ſuſceptâ, aſcendebat ad tonſores ouium ſuarum.* Geneſ. 38. 12. Ex quibus Iudæ lachrymis arguit Abulenſis, quòd ad quemcumque virum morum probitate, ac pietatis laude conſpicuum ſpectat lachrymas effundere in funeribus mortuorum. Piæ ſcilicet ſunt lachrymæ illæ, quibus à ſuperſtitibus memoria eorū, qui obierunt, honoratur. PIAS LACHRYMAS *ad funera amicorum, & cæterorum effundere ad quemlibet probum virum pertinet.* Piæ ſunt, quę in funeribus mortuorum lachrymæ funduntur, ideòque ijs maximè congruunt, qui probitate præditi pietatem ſectantur.

Abulenſis.

Quia Chriſt' fons pietatis erat, pias lachrymas in morte Lazari effudit.

4 Hùc ſpectant lachrymæ, quas in Lazari morte coram ſororibus eius, & Iudæis Chriſtus effudit. *Et lachrymatus eſt Ieſus.* Ioan. 11. 35. Voluit namque pias mortuo amico vt homo impendere lachrymas, cui priſtinam vt Deus redditurus venerat vitam. Decebat quippè, vt & luctu oſtenderet humanitatis pietatem, & reſurrectione declararet diuinitatis poteſtatem. Do Rupertum Abbatem has lachrymas ita commēdantem. *Vſque ad lachrymas quoque vera dolentibus condeſcendit humanitas, & eidem, quem, vt Deus ſuſcitaturus erat,* PIAS VT HOMO ANTE IMPENDIT LACHRYMAS. Ruperto quoque adſtipulatur Alcuinus, qui hæc in catenâ pro his lachrymis protulit. QVIA FONS PIETATIS ERAT, *flebat pro parte humanitatis, quem reſuſcitare poterat per potentiam diuinitatis.* Conueniebat, vt fons pietatis pias in amici morte lachrymas effunderet, ſuoque luctu declararet pium eſſe lachrymas in funeribus effundere amicorum.

Rup. Abbat.

Alcuinus.

Tunc Chriſt' affectum pietatis oſtēdit, cùm pro Lazaro lachrymas effudit.

5 Poſt has verò lachrymas multi ex Iudæis, qui aderant, infidelitatem reliquerunt, & in eius diuinitatem crediderunt. *Multi ergò ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum.* Ioan. 11. 45. Quid autem obdurata peruerſorum corda conuertit, & ad fidei veritatem ſubitâ mutatione deduxit, niſi pius affectus, quo Chriſtus in amici funere lachrymas effudit? Impios traxit pius pro mortuo luctus, & lapidea corda Iudæorum aqua molliuit lachrymarum. Eleganter D. Auguſtinus ſerm. 104. de Tempore. *Poſt lachrymas Domini multi ex populo Iudæorum crediderunt. Vicit ex parte incrudelitatem Iudæorū* DOMINICAE PIETATIS AFFECTVS, *& diſcordes mentes eorum molliuit prima fuſio lachrymarum.* Tunc veræ affectum pietatis Chriſtus oſtendit, cùm pro mortuo amico lachrymas effudit, ac propterea tunc obdurata Iudæorum corda molliuit.

D. Auguſ.

Pietatis viſcera oſtēdit qui pro mor-

6 Arripuerant Nadab, & Abiu filij Aaron thuribula, eiſque ignem alienum contra Domini pręceptum impoſuerant, quapropter igne de-

uoran-

tuit lachrymas effundit. uorante à Deo mulctati, ſceleris pœnas combuſti luerunt. Præcepit autem Dominus Iſraëlitis, vt pro defunctis lachrymas effunderent, & incendium diuinitùs excitatum lugerent. *Fratres veſtri, & omnis domus Iſrael plangant incendium, quod Dominus ſuſcitauit.* Leuit. 10. 6. Quo loco quærit Abulenſis, cur pro eis voluerit Deus lachrymas effundi, quos ipſe incendio mulctauerat, & pro delicto patrato interfecerat. Videtur potiùs fuiſſe gaudendum, quòd ſuæ Deus declaraſſet iuſtitiæ rigorem, ne cæteri poſthac eius præceptis contraire auderent. Cur igitur omni domui Iſraël adeò vniuerſalem luctũ præcepit? Quia quomodocumque homines vitâ fungantur, non debent eis defunctis pietatis viſcera denegari. Quia verò lachrymæ, quæ pro eis funduntur, egregiè viuorum pietatem declarant, ideò iu defunctorum funere lachrymas iuſſit effundi. Subdo Abulenſis verba, qui quæſt. 12. ita loquitur.

Abulenſis. *Debent iſti plangere incendium illud, quoniam quamquam ipſi ſciant Deum influxiſſe mortem illam agentem à propoſito, tamen dolere debent, quòd illi miſerabiles perierint, ſic enim pro parentibus, & caris lugemus, nam etſi nobis cognitum ſit Deum voluiſſe illos occidere,* PIETATIS TAMEN VISCERA NEGANDA NON SVNT. Pietatis viſcera oſtendit, qui pro mortuis lachrymas effundit, vndè ne pietatis viſcera Iſraëlitæ fratribus mortuis denegarẽt, eis præcepit, vt illorum mortem lugerent.

Ioſeph lachrymis effuſis pium teſtificatus eſt in mortuum patrem affectum.

7 Rectè igitur Ioſeph patrem ſuum cernens defunctum, ſuper vultum illius ruens, eique oſcula multa impertiens, plurimas ab oculis lachrymas fundebat. *Quod cernens Ioſeph, ruit ſuper faciem patris, flens, & deoſculans eum.* Gen. 50. 1. Bonæ quippè fuerunt lachrymæ iſtæ, ac filialis ergà mortuum patrem pietatis indices non obſcuræ. Accinit D. Paulinus Epiſt. ad Pammachiũ. *Bonæ* LACHRYMAE PIETATIS, *quas Ioſeph iuſtus impendit patri.* *D. Paulinus.* Lachrymæ ſunt pietatis, quas pro mortuis viui effundunt, quare vt ſuam ergà mortuum genitorem pietatem Ioſeph oſtenderet, his eum lachrymis honorare decreuit. Quod imitatus Imperator Honorius in obitu patris Theodoſii, pium, quo eum proſequebatur, multarum lachrymarum effuſione teſtificari voluit affectum. Quas lachrymas laudans D. Ambroſius concione de obitu Theodoſii, lugentem his alloquitur Auguſtum. *Flet Honori* *D. Ambroſ.* *germen Auguſtum, &* LACHRYMIS PIVM TESTIFICARIS AFFECTVM. Eâ pietate præditæ ſunt lachrymæ, quæ pro defunctis effunduntur, vt earũ effuſione pium viui teſtificentur affectum.

Auſonius carminibus in defunctorum laudem pietatem coluit.

8 Pergo, & linguæ obſequia, quæ defunctis impenduntur, expendo, quæ præclaræ pietatis teſtimonia eſſe Petrus Crinitus in primis teſtatur lib. 5. de Poëtis latinis cap. 85. Auſonium laudans, qui ſuis carminibus laudes patris celebrauit, eiuſque obitum plorauit. *Parentem habuit nomine Auſonium, profeſſione medicum, multiſque, ac varijs honoribus illuſtratum, quod Poeta* *Pet. Crinit.* *Auſonius teſtatur eo carmine, quo* PIETATEM SVAM PROFESSVS EST *in deplorando obitu patris*. Quod agnouit, & ipſe Auſonius, qui in parentalibus. 3. ſuis carminibus ergà parentes mortuos ſe ſoluiſſe pietatem profitetur, eamdemque colere, alios laudans propinquos, decernit.

Auſonius.

CVLTA MIHI EST PIETAS *patre primùm, & matre vocatis,*
Dicere ſed reaſit, tertius Arborius.

Idem quoq; teſtatur laudans materterã car. 25.

Te quoque Dryadiam materteram
Flebilibus modulis
Germanâ genitus, propè filius
ORE PIO *veneror*

Denique conſobrinam defunctam commendans carm. 18. inquit

Filia nam fuit hac amitæ
Quam celebrat SVB HONORE PIO
Nænia carmine funereo

Ex quibus iam manifeſtè patet, quantâ referta ſint pietate obſequia defunctis ore, ac voce impenſa.

Aeneas, quia pius, clamore in funere Miſeni fremebat

9 Quod item declarauit Virgilius lib. 6. Aeneidum, cùm Aeneæ commendauit pietatem eo, quòd in funere Miſeni ſimul eum exercitu militarem clamorem, vt pompam augeret exequiarum, attollebat.

Ergò omnes magno circum clamore fremebant
Præcipuè PIVS AENEAS *Virgilius.*

Iod. Aſcenſ. Ad quæ Iodocus Aſcenſius ait. *Ergò quia talis, ac tantus interierat vir, & iuſſerat Sibylla illi officium funebre debere exſolui, omnes Troiani fremebant circùm cadauer Miſeni, & præcipuè fremebat Aeneas* PIVS, *ſcilicet* QVIA PIVS. Pium eſt ore, ac vocibus adiuuare defunctos, & iecircò Aeneas, quia pius erat, oris obſequia clamore, ac fremitu Miſeno defuncto inter alios præcipuus impendebat.

Opus pietatis Martha exercuit, cum pro defuncti ſuſcitatione orauit.

10 Sed maiorem ore ſuo Martha oſtẽdit pietatem, cùm defunctum adoleſcentem aquis obrutum ſuis precibus ad vitam reuocauit, Dominum Ieſum Chriſtum enixè obſecrans, vt eum ſuſcitare dignaretur, ſicut Lazarum olim ſuâ pietate ſuſcitauerat quatriduanum. Quæ preces & mortuo vitam impertierunt, & Marthæ pietatem ſummoperè declarauerunt. Accinit D. Vincentius Ferrerius ſerm. de Sanctâ Marthâ his verbis. *D. Vinc. Fer.* *Beata Martha ſuſcitauit eum, deuotè orando Ieſum Chriſtum, quòd ſicut ipſe voluit ſuſcitare Lazarum fratrem ſuum, ita vellet ſuſcitare illum iuuenem. Ecce quomodo exercebat* OPERA PIETATIS. Opera pietatis exercebat, dum pro defuncto preces effundebat, pietatem enim exercent, non tantùm, qui ex corde triſtitiam, & ex oculis lachrymas, verùm etiam, qui ex ore preces effundunt.

Pia fuit deuotio, quâ Magdalena Chriſti corpus ad honorem ſepulturæ perfudit.

11 Tranſeo ad vnctionem, quâ ſolebant, antequam ad ſepulchrum efferrentur, cadauera perfundi mortuorum, quam maximæ pietatis fuiſſe teſtatur in primis memoria, quam Chriſtus voluit in toto mundo haberi vnguentorum, quæ ſuper caput ſuum ad honorem ſepulturæ Magdalena

Digitized by Google

lena effudit. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Matth. 26. 13. Cur enim hanc adeò voluit commendari vnctionem, niſi quia egregiam vngentis mulieris redolebat pietatem? Subſignat Gloſſa Ordinaria his verbis Magdalenæ pietatem declarans. *Maria* PIAE DEVOTIONIS *adepta eſt gloriam.* Pia fuit deuotio, quâ Christi corpus Magdalena, vt ſepulturam eius honoraret, vnxit; & propter hanc pietatem in toto mundo prædicatur, & gloriam adepta eſt immortalem.

Gloſſa Ord.

12 Eamdem pietatem oſtenderunt mulieres, quæ vt vngerent Chriſti cadauer, ad ſepulchrum eius ſummo mane perrexerunt. Quas Angelus blandis verbis alloquens eſt ſolatus, & ab eis timorem, qui iam cordibus illarum irrepſerat, ſermone opportuno eiecit. *Reſpondens autem Angelus, dixit mulieribus, Nolite timere vos.* Matth. 28. 5. Quòd ſi quis inquirat, cur iſte Angelus ſolatus ſit mulieres, qui tanto terrore concuſſit milites, in promptu eſt reſponſio Seueriani in catenâ, qui ait, quòd milites exterruit, qui ſepulchrū cuſtodiebāt ſtudio crudelitatis, mulieres verò ſolatus eſt, quæ vnguenta detulerant, obſequio pietatis. *Exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt, velut mortui, cuſtodiebant enim crudelitatis ſtudio, non pietatis obſequio. Stare enim non poteſt, quem conſcientia deſtituit, impellit reatus, hinc eſt, quòd Angelus percellit impios,* PIOS ALLOQVITVR, ET SOLATVR. Blandis verbis allocutus eſt Angelus mulieres, vt congruâ earum pietatem mercede remuneraret, nam dum, vt vngerent Chriſti cadauer acceſſerant, ingens pietatis ſpecimen exhibuerant.

Angelus ſolatus eſt mulieres propter pietatem, quâ venerant ad ſepulchrum, vt Chriſtum vngerent.

Seuerianus.

13 Hanc funereæ vnctionis pietatem cognouit & Tibullus, qui lib. 3. Elegiâ 2. pias manus appellat, quæ ſepulchralibus liquoribus perfuſæ cadauera vngunt defunctorum.

Manus, quæ cadauera vngebant, piæ appellate.

Tibullus.

Sed veniat caræ matris comitata dolore:
Moereat hæc genero, mæreat illa viro.
Præfatæ antè meos manes, animamque precatæ,
Perfuſæque PIAS *antè liquore manus.*

Adeò pietatem declarabant vnctiones, quibus cadauera perfundebantur mortuorum, vt poëtæ quoque pias appellauerint manus, quæ iſtud obſequium præſtabant.

14 Venio nunc ad ſepulturam, obſequiū adeò pium, vt eo angelicas laudes mereantur, & Deo valdè accepti homines efficiantur. Teſtantur id Archangeli Raphaëlis verba, quibus Tobiam extollens *Quia*, inquit, *acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te,* Tob. 12. 13. Cur enim tot laudibus beatus iſte ſenex ab Angelo commendatur, Deoque adeò acceptus prædicatur, niſi quia ſepeliens cadauera interfectorum, egregium pietatis opus exercuit, & vt mortuos honoraret, mortis pericula contempſit? Audi Prudentium hymno 10. ad defunctorum exequias in Biblioth. veterum Patrum eius pietatem his carminibus attollentem

Tobias ab Angelo commendatus, & Deo acceptus fuit propter pietatem, quâ corpora mortuorū ſepeliuit.

Sancti ſator ille Tobiæ
Sacer, ac venerabilis heros
Qui tacta cadauera paſſim
Miſerans tegit aggere terræ
Opus exhibet ille benignum
Chriſto PIVS *Omnipotenti.*

Prudentius.

Pius Tobias extitit, dū ſepulturæ obſequia mortuis præſtitit, nam ſuam declarat pietatem, qui mortuis exhibet humationem.

15 Quā item declarauit Ioſeph Arimathæus, cùm audacter ad Pilatum introiuit, Chriſti cadauer poſtulauit, illudque in proprio monumento humauit. *Et accepto corpore Ioſeph, inuoluit illud in ſindone mundâ, & poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petrâ.* Matth. 27. 59. Cuius quanta fuerit pietas, explicat Tertullianus lib. 4. contrà Marcionem cap. 42. *Ioſeph corpus fuiſſe honerat, quod* TOTA PIETATE *tractauit.* Adeò pium eſt ſepulturæ obſequio miſereri mortuorū, vt totâ pietate agat, qui hoc pietatis officium præſtat.

Chriſtum Ioſeph ſepeliens totâ pietate illius cadauer tractauit.

Tertull.

16 Mortuus eſt Abraham, cùm ad extremā perueniſſet ſenectutem, eiuſque cadauer Iſaach, & Iſmaël filij vnà ſepelierunt. *Et ſepelierunt eū Iſaach, & Iſmael filij ſui in ſpeluncâ duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron filij Seor Hethæi è regione Mābre.* Gen. 25. 9. Quâ ſepulturâ filialis pietatis ergà patrem præclarum ſpecimen exhibuerunt, nā quod mortuis exhibetur officium humationis, ingentis, & ſingularis eſt indicium pietatis. Aptè Lyppomanus in hunc locum. *Sepultura maiorum* PIETATIS FILIORVM *indicium eſt, & gratitudinis.* Sepulturā mortuorum pietas indicatur viuorum, vndè tunc ſuam filij ergà parentem pietatem indicauerunt, cùm eum ſepulturæ officiis honorauerunt.

Sepultura maiorum indiciū eſt pietatis filiorū.

Lyppomanus.

17 Fulciunt id, quod probamus, etiam Hebręi, vndè Rabbi Iſaach in מנורת המאור cap. 1. נר שלישי ait, quòd mortuorum cadauera, cùm efferuntur, comitari, ac ſepulchro mandare opus eſt pietatis tùm viuis præſtitum, tùm mortuis impenſum. Non tantùm enim mortui, ſed & mortuorum propinqui ac amici comitantis, ac ſepelientis pietate fruuntur. לויה למת וקבורתו היא גמילות עם החיים ועם המתים. *Comitari, ac ſepelire mortuū eſt* OPVS PIETATIS *viuis exhibitū, & mortuis.* Animaduerte, quantæ pietatis author ſit, qui ſepulturę obſequiis honorat defunctos, dum non ſolùm ergà mortuos, ſed etiam pietatem exercet in viuos.

Sepeliēs mortuos, non tātùm mortuis, ſed etiam pietatē exhibet viuis.

Rab. Iſaach.

18 Sed neque Gentiles hanc ignorauerunt ſepelientium defunctos pietatem, vndè Pauſanias in Atticis refert Athenienſes pium ſemper putaſse terræ mandare corpora vitâ functorum, ac proptereà Perſarum quoque hoſtium cadauera ſepulturæ honore donaſſe. *Perſæ quidem in pugnâ cæſi vt humarentur, ſe curaſſe dicunt Athenienſes, quòd ſemper* PIVM ESSE *exiſtimarint mortuos terræ mandare.* Virgilius quoque lib. 6. Aeneid. pium Aeneam vocauit, cùm defuncto Miſeno ingenti mole ſepulchrum conſtruxit.

Gentiles pietatem ſtatuērūt eorū, qui ſepeliunt defunctos.

Pauſanias.

At

Virgilius.

At Pivs Æneas *ingenti mole ſepulchrum.*
Impoſuit, ſuaque arma viro, remumque, tuban.q́;

Donatus.

Ad quæ ait Donatus.. *Hoc loco benè poſuit* Pivm, *quoniam comiti, ac familiari ſuo condebat memoriã.* Hùc etiam ea tendunt, quæ ibidem fingit Poëta, non poſſe mortuos paludem Stygiam tranſire, ſed centum annos errare, niſi terræ cadauera eorum mandentur.

Virgilius.

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Tranſportare priùs, quàm ſedibus oſſa quierunt;
Centum errant annos, volitantq́; hæc littora circũ.

Quæ profectò excogitauit, ne viui cadauera mortuorum abijcerent, ſed pietatem eis honore ſepulturæ impenderent; valdè pium enim agnouit ſepulturę obſequijs honorare defunctos. Quare Iodocus Aſcenſius carmina iſta explicans, hæc addit. *Quia* Pivm Est *defunctorum cadauera ſepelire, ne inſepulta relinquerentur, dicit vmbras eorum, qui ius ſepulturæ non obtinuerant, centum annos errare.* Ouidius etiam Epiſt. Sappho ad Phaonem piam vocat matrem, quæ filij defuncti funera curat.

Iodoc. Aſc.

Ouidius.

Non aliter, quàm ſi nati Pia Mater *adempti*
Portet ad extructos corpus inane rogos.

Raph. Volat.

Vbi Raphaël Volaterranus *Non tantùm*, inquit, *mater, ſed* Qvae Pia Etiam Est, *& vnicè filium amauit.* Denique Lucanus lib. 8. Pharſaliæ Codrum hortatur Magni Pompeij humatorem, vt eius percuſſores adeat, non pœnam; ſed laudem, ex ſuâ pietate proculdubio conſecuturus.

Lucanus.

I modo ſecurus veniæ, faſſuſque ſepulchrum
Poſce caput.

Lamb. Hort.

Quo loco Lambertus Hortenſius hæc habet. *Hortatur eum, vt ſecurus eadem viâ Ptolemæum, & percuſſores adeat, & eadem viâ caput humandum petat, nihil periculi futurum, imò laudem apud Cæſarem conſecuturum* Propter Pietatem. Quis igitur hæc audiens, iurè negare poteſt ingentem ſepulturæ obſequia defunctis exhibita redolere pietatem?

Beſtiæ ſepulchris immorantes pietatem exercere dicuntur.
Aelianus.

19 Quid? quòd beſtiæ quoque, dum ſepulchris immorantur, pietatem exercere dicuntur? Profectò Aelianus canum fidelitatem ergà ſuos dominos referens, hoc voluit lib. 6. de Hiſtor. Animal. cap. 25. *Beſtiæ quoque* Non Minvs Pio Qvodam, Et Innato Amore *flagrant, cuius rei teſtimonia ſunt huiuſmodi, quæ ſequuntur. Erigonæ canis ſuæ dominæ ſepulturâ affecta immortuus eſt. Ille verò Silanionis tyranni, non à ſepulchro domini ſui, nec vi, nec vllis blandimentis abſceſſit.* Vide beſtias quoque pium quemdam oſtendere amorem, cùm ſepulturæ obſequijs, eo modo, quo poſſunt, honorant defunctos.

Iudas Machabæus pietatẽ ſecutus curauit, vt ſacrificia pro animabus mortuorum offerrentur.

20 Poſtremo loco de ſacrificijs ago, quæ pro mortuorum animabus offeruntur, quarum oblationum pietatem ſtrenuus ille dux Iudas Machabæus oſtendit, qui pro mortuorum militum peccatis duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam, vbi Deo ſacrificia offerrentur. *Et factâ collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium.* 2. Machab. 12. 43. Quod quidẽ haud egiſſet, niſi morem offerendi ſacrificia pro defunctis, tanquam pium approbaſſet. Ad rẽ Ioãnes Echius lib. de Purgatorio in confutatione Luteri. *Iudas Machabæus pro defunctis non obtuliſſet, niſi hic* Pivs Inter Ivdaeos Mos *fuiſſet.* Pius eſt mos quo pro mortuorum animabus Deo ſacrificatur, ideòque Iudas Machabæus, qui pietatem colebat, eum ſecutus, curauit, vt pro mortuis militibus ſacrificia Ieroſolymæ offerrentur.

Io. Echius.

Gentiles cenſebant pietatem exerceri, cùm ſacrificia offerebantur pro defunctis.

21 Quin & Gentiles pietatem exercere, cùm pro mortuis ſacrificia offerebant, autumabant. Quamobrem de his ſacrificijs agens Ouidius lib. 2. Faſtorum cecinit

Ouidius.

Hunc morẽ Aeneas PIETATIS *idoneus author*
Attulit in terras iuſte Latine tuas.
Ille patris genio ſolennia dona ferebat;
Hinc Populi RITVS *edidicere* PIOS.

Paul. Marſus

Quæ Paulus Marſus explicans, ait. *Poeta aſſignat origĩnẽ huius moris* Pietati Æneae. Ea ineſt pietas ſacrificijs, quæ pro defunctis offeruntur, vt Gentiles quoque pietatem agnouerint exerceri, cùm pro eis ſacrificatur. Quare cùm dolore, lachrymis, vocibus, vnctionibus, ſepulturâ, & ſacrificijs pietas mortuis exhibeatur, reliquum eſt, vt pium opus exerceat, qui defunctos adiuuare ſtudet.

CAPVT XLVIII.

Miſericordia mortuis præſtita eſt magna, maior, & maxima.

Magnam reputauit miſericordiã quã ſibi mortuo Iacob fieri poſtulauit.

1 MAgnam eſſe miſericordiam, quæ defunctis exhibetur, oſtendit in primis Iacob, qui mortis diem cernens appropinquantem, filium Ioſeph exorauit, vt ſuum ad terram Chananæorum cadauer trãſferret, vt in paterno cum maioribus humaretur ſepulchro. Quod vt obtineret, plurima verba multiplicauit, & iuramentum inſuper ab eo exegit. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manũ tuam ſub fæmore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto.* Gen. 47. 29. Nonnè ſatis erat beato iſti ſeni filium videre ſuis citò precibus abſq; dilatione promptè annuentem? Nonnè ſufficiebat eius, quod optabat, ab eo flagitare promiſſionem? Cur inſuper iuramentum exegit, eumque ſub fœmore ſuo manum ponere coëgit? An id egit, quia magnã ab eo poſtulabat miſericordiam, dum ſibi defuncto pietatẽ impẽdi volebat? Ita cenſet Abulenſis. *Facies mihi miſericordiam, id eſt facies mihi aliquid tale, quod ego reputabo ad* Magnam Misericordiam, *& magnum bonum meum, ſi ſepelias me in ſepulchris maiorum meorum.* Magna eſt miſericordia, quæ impenditur mortuis, vndè cùm ſibi mortuo Iacob miſericordiam poſtularet à filio, magnam eam miſericordiam reputabat, ac proindè vt illam abſque difficultate obtineret, iuramentum exegit.

Abulenſis.

2 Nec

Ioſeph magnâ ſolicitudine miſertus eſt patris defuncti.

2 Nec ſanè ſpes eius illum fefellit, nam Ioſeph, annuente Pharaone, cum omnibus primoribus regni Ægypti, curribus, equitibus, & plurimâ turbâ comitatus ad terram Chanaan eius cadauer tranſtulit, illudque in proprio ſepulchro ibi collocauit. *Dixitque ei Pharao: Aſcende, & ſepeli patrem tuum, ſicut adiuratus es. Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domûs Pharaonis, cunctique maiores natu terra Aegypti.* Gen. 50. 6. Sed cur tot laboribus, & expenſis ad ſepeliendũ paternum cadauer Ioſeph perrexit? Cur tantam ſecum turbam, vt patri exequias celebraret, aſſumpſit? Cur demùm non ſolus, aut à paucis comitatus, ſed cum equitibus, curribus, & populo multo ire decreuit? Vt magnam oſtenderet, quâ paternum funus curabat pietatem. Rectè Lyranus in Gloſsâ morali. *Deſcribitur* MAGNA SOLICITVDO *Ioſeph de ſui patris implendâ voluntate, quantùm ad eius ſepulturam, quam adimpleuit cum magnis valdè laboribus, & expenſis.* Magnam tam multa turba oſtendit miſericordiam Ioſeph, quâ cæteros quoq; ad honorandas paternas exequias attraxit.

Lyranus.

Viri Iabes magnam miſericordiã Saul, eiuſque filijs defunctis exhibuerunt.

3 Mortuum Saul in muro vrbis Philiſthæi ſuſpenderant, vt ibi ſepulchralium expers honorũ, à coruis, cæteriſque volucribus laniatus, ignominiam augeret Iſraëlitarum. Quod cùm agnouiſsẽt viri Iabes, ad hoſtium mœnia noctù perrexerunt, & regium cadauer ſublatum, & ad ſuam vrbem relatum honorificè ſepelierunt. *Ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntq; Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni, & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes*: 1. Reg. 31. 12. Hanc virorum iſtorum miſericordiam commendans Dauid, ad eos dixit. *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum.* 2. Reg. 2. 5. Poteſt hìc dubitari, cur Dauid adeò iſtam laudauerit Iabenſium miſericordiam. Quam ob cauſam tot aliorum præclara geſta ſilentio præterijt, & hanc miſericordiam miſſis nuntijs commendauit? Nùm id egit, quia dum hæc miſericordia defuncto exhibita fuit, vndequaque magnam, ac præclaris laudibus dignam eam eſſe conſpexit. Hùc ſpectauit Abulenſis. *Erat autem iſta* MISERICORDIA MAGNA, *tam ex parte virorum Iabes, quàm ex parte Saul. Ex parte illorũ patet, quia expoſuerunt ſe ad mortẽ, introeundo in terrã Philiſthinorũ, vt indè educerent cadauera, ex parte Saul fuit* MAGNA MISERICORDIA, *quia erat magnum vituperium, quòd cadauer eius, & filiorum ſuorum corpora ſuſpenſa eſſent in terrâ hoſtili, nunquam habitura ſepulturam.* Magna eſt miſericordia, quâ defunctis pietatis obſequia impenduntur, ac propterea dum viri Iabes Regem Saul, eiuſque filios defunctos humauerunt, magnam eis miſericordiam, ideòque regijs laudibus dignam exhibuerunt.

Abulenſis.

Exiſtimauit populus magnum abſtinentia ſuffragiũ, quo Dauid ieiunauit pro Abner defuncto.

4 Sed & Dauid magnam exhibuit in morte Abner miſericordiam, cùm eius exequijs nobili funeris pompâ celebratis, à quocumque cibi genere pro animâ illius abſtinere vſque ad veſperã publico iuramento decreuit. *Cùmque veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid clarâ adhuc die, iurauit Dauid, dicẽs: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi antè occaſum ſolis guſtauero panem, vel aliud quicquam.* 2. Reg. 3. 35. Quo loco quærit Abulenſis, vtrùm, cùm id iurauit Dauid, aliquid illâ die comediſſet. Reſpondet autem nihil vſque ad illam horam eum comediſſe, nam alioqui non cenſuiſſet populus magnum ſuffragiũ, vt reuerà cenſuit, abſtinentiam eius vſque ad Solis occaſum, cùm omnes, qui iam comederunt, ſoleant vſque ad Solis occaſum abſtinere. *Aliquis fortè dicet, quòd iam Dauid comederat illâ die, ſed non ſtat, quia tunc non videbatur aliquid facere, quòd abſtineret à cibo vſque ad ſolis occaſum, quia ſic nos quotidie facere conſueuimus, Dauid tamen iurauit ſuper hoc, & populus putauit iſtud eſſe* ALIQVID MAGNVM, *ideò nondum comederat illâ die.* Exiſtimauit populus magnum eſſe abſtinentiæ ſuffragium, quo Dauid pro mortuo ieiunauit, nam magnæ ſunt opera miſericordiæ, quæ pro defunctorum animabus exhibentur.

Idem.

Magnũ erat beneficiũ, quo frater ſuperſtes miſerebatur defuncti.

5 Iuſſit Deus in lege veteri, vt aliquo ſine liberis mortuo, frater ſuperſtes illius vxorem duceret, eique nomen prolis procreatione ſuſcitaret. *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſrael.* Deuter. 25. 5. Vbi ſi quæramus, cur præceperit Deus hoc obſequium defuncto fratri à ſuperſtite præſtandum, in promptu eſt reſponſio Caietani in cap. 38. Geneſ. qui ait Deum id pręcepiſſe, quia magnum cenſebatur beneficiũ defuncto collatum, quòd eius nomen a fratre filiorũ generatione in populo ſuſcitaretur MAGNVM BENEFICIVM *cenſueuerunt conferri mortuo ſine liberis, ſi frater mortui vices mortui ageret, cognoſcẽdo relictam, ad ſuscitandum ſemen mortuo.* Memoria, quâ ſuſcitatione ſeminis nomen in populo ſeruabatur defuncti, magnum apud Iſraëlitas cenſebatur beneficium; & iurè quidem, nam magna ſemper ſunt beneficia, quibus à viuis miſericordiæ obſequia exhibentur defunctis.

Caietanus.

Apparuit Chriſtus magnꝰ in clementiâ, cùm defunctũ ad vitam reuocauit.

6 Poſtquam Chriſtus ingrediens ciuitatem Naim adoleſcenti mortuo, quem efferebant ad ſepulchrum, vitam reſtituit, eleuantes turbæ voces ſuas, eum magnum Prophetam eſſe prædicauerunt. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes, Quia propheta magnus ſurrexit in nobis.* Luc. 7. 16. In quo autem eum eſſe magnum cognouerunt, niſi in eo, quòd magnâ clementiâ, & miſericordiâ mortuum reuocauit ad vitam? Ita cẽſet Hugo Cardinalis. MAGNVS *ſapientiâ potentiâ*, CLEMENTIA. Tunc in clementiâ magnus Chriſtus apparuit, cùm defuncto vitam impertiuit, vt nobis innueret, quàm ſit magna miſericordia, & clementia, quâ viui

Hugo Card.

benignè

benignè miſerentur mortuorum.

Abraham pietatem exhibens vxori defunctæ princeps Dei, hoc eſt magnus eſt appellat⁹.

7 Hinc eſt, quod petens Abrahã ab Hethæis pro defunctâ vxore ſepulturam, princeps Dei eſt ab eis appellatus. *Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos*. Gen. 23. 6. Principem autem Dei eũ appellauerunt, non quia principem eum cenſerent, ſed quia ratione pietatis, quam defunctæ vxori exhibebat, magnum illum exiſtimauerũt. Hùc voco verba Oleaſtri. *Porrò, quòd dicitur princeps Dei, idem eſt, quod* MAGNVS. Magnus eſt in miſericordiâ, qui mortuorum miſeretur, ac proindè vt Hethæi magnam Abrahæ oſtenderẽt miſericordiam, quâ Saræ mortuæ ſepulchrum quærebat, eum principem Dei, hoc eſt virum magnum dixerunt.

Oleaſt.

Abraham magno fletu plorauit mortuam vxorẽ.

8 Addo, quòd cùm idem Abraham in funere plorauit vxoris defunctæ, dicitur non tantùm fleuiſſe, verùm etiam pietatis ductu planxiſſe. *Venitque Abraham, vt plangeret, & fleret eam*. Gen. 23. 2. Hebraicè autẽ dicitur ויבא אברהם לספר לשרה ולבכתה. Rectè autem obſeruat Oleaſ. diſcrimen inter verbum בכה, & vrbem ספר, quod illud ſignificet ſimplicem fletum, hoc autem fletum magnis eiulatibus, & vocibus emiſſum. Quare vt intelligeremus magnam fuiſſe miſericordiã, quâ mortuam vxorem Saram plorauit, non tantùm verbo, quod ſignificat ſimplicem fletum, ſed eo etiam voluit vti, quod magnum indicat ploratum. Audiamus Oleaſt. ספר *eſt* MAGNO EIVLATV, *& vocibus flere* בכה *verò propriè flere, ſeu lachrymari*. Magnâ pietate Abraham vxorem plorauit mortuam, ideòque magno eiulatu, magniſque vocibus luctum pro eâ celebrauit. Quibus addere poſſumus ea, quæ habet Abulenſis. *Abraham* MAGNOS HONORES, ET SVMPTVS *fecit in funere Saræ*. His etiam ea conſonant, quæ habet Virgilius lib. 6. Aeneid. Miſeni funus deſcribens, militeſque cum Aenea eius mortem magno clamore plorantes afferens.

Oleaſter.

Abulenſis.

Virgilius.

Ergò omnes MAGNO CIRCVM CLAMORE *fremebant*.

Vbi vides magnitudinem pietatis militaris magno clamore in exequiarum põpâ emiſſo declarari.

Magno item fletu Iacob cum familiâ Deboram plorauit defunctam.

9 Hìc etiam luctus quadrat, quem in morte Deboræ Iacob cum vniuerſâ familiâ ſuâ emiſit. A quo locus nomen ſuum ſumpſit, & à fletu, quo mortuã honorauerunt, Quercus fletûs eſt appellatus. *Eodem tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercũ vocatumq́; eſt nomen loci illius Quercus fletûs*. Gen. 35. 8. Ex quo nomine licet colligere cum Lyrano valdè magnum fuiſſe fletum, quo defunctam iſtam plorauerunt, qui potuit loci mutare appellationem. *Vocatum eſt nomen loci ſepultu æ illius quercus fletûs, ex quo patet, quòd factus fuit fletus* MAGNVS, *& notabilis pro eâ*. Adeò magna fuit miſericordia, quâ Deboram plorauerunt defunctam, vt magno fletu eam honorantes, ſuis lachrymis nouum nomen potuerint tribuere loco.

Lyranus.

Magnus etiã fuit fletus, quo Aegyptij fleuerunt Iacob mortuũ.

10 Quod & contigit in fletu, quo cum Ioſeph Aegyptij Iacob plorauerunt defunctum, qui fletu magno eum honorauerunt, & planctum Aegypti habitatores illius loci à tam magno fletu eũ appellauerunt. *Quod cùm vidiſſent habitatores terræ Chanaan, dixerũt; Planctus magnus eſt iſte Aegyptijs, & idcircò vocatum eſt nomen loci illius planctus Aegypti*. Gen. 50. 11. Ad quæ ait Abulenſis. *Dixerunt* PLANCTVS MAGNVS *eſt Aegyptijs, hoc ſenſerant in experientiâ, & mirabantur, quòd venientes Aegyptij tam acerbè plangerent, & ideò putabãt aliquod magnum malum Aegyptijs accidiſſe, & quia factum fuerat ibi aliquid notabile, appellauerunt nomen loci illius, Planctus Aegypti*. Quia magnâ Aegyptij miſericordiâ fleuerunt defunctum, ab eâ nomen loci habitatores mutuauerunt, & vt nunquam tantæ pietatis memoria deficeret, eũ planctum Aegypti nuncupauerunt.

Abulenſis.

Aliquid magnum auſus eſt Ioſeph, cũ mortuo pietatem impendit magiſtro.

11 Magna etiam fuit miſericordia, quã Chriſti cadaueri Ioſeph exhibuit, qui ad Pilatum acceſſit, ac Iudæis inuitis magnificâ exequiarum pompâ illud honorauit. *Venit Ioſeph ab Arimathæâ nobilis decurio, qui & ipſe erat expectans regnũ Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu*. Marc. 15. 43. Verè audacter introiuit, nam magnam auſus eſt exercere miſericordiam, dum omnia contemnens mortis pericula, mortuum ſepulchralibus obſequijs honorauit magiſtrum. Adſtipulatur D. Ioan. Chryſoſtomus apud Hugonem Cardinalem in c. 16. Marci. *Qui primitùs occultabatur, nunc denique* ALIQVID MAGNVM *auſus eſt*. Magnum fuit auſum, quo feruens iſte diſcipulus pietatem defuncto parauit; ſiunt enim ex magnâ pietate, quæcumque in mortuorum gratiam à viuis exhibentur.

D. Io. Chryſ.

Quæcumque ad mortuorũ honorem ſpectant magna appellantur.

12 Hanc ob cauſam quæcumque in mortuorum exeqoijs adhibentur, ac pro eorum honore ſiunt, appellari magna obſeruo. Magnus dicitur fletus quo rex Dauid, eiuſque ſerui Amnon interfectum ab Abſalon plorauerunt. *Sed, & rex, & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu* MAGNO *nimis*. 2. Reg. 13. 36. Vbi Abulenſis. *Dauid, inquit, & filij ſui fecerunt planctum* MAGNVM. Magna dicuntur obſequia, quæ Chriſto ad honorem ſepulturæ Magdalena impendit, vndè Rupertus Abb. in c. 12. Ioan. ea dixit *myſtica* MAGNAE PIETATIS *miniſteria*. Magna dicitur quercus, ſub quâ Saul, & filiorum eius cadauera viri Iabes humauerunt. Quapropter Abul. in 1. Paralip. c. 10. ait. *Ibi erat quædam quercus* VALDE MAGNA, *& famoſa, & ſub illâ ſepulti ſunt iſti, & factum eſt hoc ad ſolennitatem, quia voluerunt viri Iabes facere ſepulchrum honorabile Saul, & filijs ſuis, & ad hoc elegerunt locum honorabilem*. Magni dicuntur ſumptus, quibus exequię celebratę ſunt Iacob in Aegypto defuncto. Quod affirmat Lyr. in c. 49. Geneſis. *Sciebat, quòd hoc non poterat ſine* MAGNIS SVMPTIBVS *& labore fieri*. Magnum dicitur donum, quo Pilatus Ioſeph Arimathęo Chriſti cadauer ſepeliẽdum eſt largitus. Idque Theoph. in c. 27. Matth. teſtatur. *Porrò pro* MAGNO DONO *donatum eſt illi corpus*. Magna deniq; omnia dicũtur, quib⁹ Chri-

Abulenſis.

Rup. Abbat.

Abulenſis.

Lyranus.

Theophylact.

cadaueri pietatis obſequia ſunt impenſa. Hoc autem docet Origenes in cat. in c. 27. Matth. *Non autem ſortuitò ſcriptum eſt, quoniam inuoluit corpus in ſindone mundâ, & poſuit in monumento nouo, & quòd aduoluit lapidem* Magnvm, *quoniam omnia quæ ſunt circà corpus Ieſu, munda ſunt, & noua, &* Omnia Magna Valdè. Animaduerte cuncta, quæ pietatem redolent ergà defunctos, magna sẽper appellari, vt huius miſericordiæ magnitudinem agnoſcamus ex hoc quoque quòd inſtrumenta, quibus exercetur, appellari magna mereantur.

Origenes.

Magna item ea dixerunt profani authores.

13 Sed & Gentiles huius magnitudinem pietatis attigerunt, ac propterea ipſi quoq; illa, quæ in funeribus adhibebãtur mortuorum, appellare magna ſolebant. Magnum dixit Plutarchus in Aemilio ſludium, quo funus eius eſt celebratum. *Funus eius* Magno Cvm Civivm Stvdio, *deſiderioque factum eſt.* Magnas appellauit Iuſt. hiſt. lib. 12. impenſas, quibus funera extulit Alexander militum in prælio cum Dario peremptorum. *Alexãder in perſequendo Dario amiſſos milites* Magnis Fvnervm Impensis *extulit*. Magni pretij aſſerit iterum Plutarchus in Marco Antonio paludamentum, quo Bruti cadauer contegi præcepit. *Bruto* Magni Pretii *paludamentum ſuum purpureum iniecit, & cuidam liberto ſuo commiſit eius funerandi curam*. Magnum vocauit ſumptũ Henricus Boëthius lib. 6. apud Theatrum Vitæ humanæ vol. 3. lib. 9. quo Eugenij Scotorum regis funus à Maximo Britanniæ legato eſt elatũ. *Eugenij à ſe victi, cæſique funus* Magno Svmptv *Romanorum principum more extulit*. Magna eſt pietas, quæ defunctis exhibetur, & idcircò quæ ad eam exercendam ſpectant, magna tùm à ſacris, tùm à profanis authoribus iurè appellantur.

Plutarchus.

Iuſt. Hiſtor.

Plutarchus.

Henr. Boeth.

Maior fuit miſericordia, quam Ruth exhibuit marito mortuo, quàm ea, quã impendit viuo.

14 Venio nunc ad alteram Capitis partem, & probo, non tantùm magnam, ſed & maiorem eſſe miſericordiam, quæ defunctis exhibetur. Quod ſanè Booz oſtendit, cùm Ruth Moabitidi, quæ defuncto marito nomen ſuſcitare quærebat, dixit. *Benedicta filia es à Domino, & priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti*. Ruth. 3. 10. Quænam fuit hæc poſterior miſericordia, quam priori prætulit, eáq; maiorem declarauit? An miſericordia prior fuit ea, quam viuo, poſterior verò illa, quã mortuo exhibuit marito? Vtique, & ideò poſteriorem prætulit priori, quia maior eſt miſericordia, quæ impenditur defunctis, quàm illa, quæ exhibetur viuis. Accinit Abulenſis quæſt. 24. in hunc locum. *Quia miſericordia prima præſtita eſt Mahalon viuenti, & etiam Noemi viuenti, miſericordia autem iſta præſtabatur Mahalon mortuo, ſcilicet vt non deleretur nomen eius,* Ideò Erat Maior. Maior erat miſericordia, quæ viro exhibita eſt mortuo, quàm ea, quæ illi eſt impenſa viuo, ac proindè huic illam prætulit, ac maiorem Booz declarauit.

Abulenſis.

Mulieres eauero fuerunt in miſericordiâ maiores.

15 Poſſum id etiam confirmare mulierũ pietate, quæ miſertæ Chriſti defuncti, cæteris abeuntibus, remanſerunt, & contrà ſepulchrum diligenti ſtudio perſeuerantes vnanimiter ſederunt. *Erat autem ibi Maria Magdalena, & altera Maria ſedentes contrà ſepulchrũ*. Matth. 27. 61. Res mira! Viri fugiunt, mulieres permanent; fortior ſexus recedit, imbecillior perſeuerat; qui ſunt robuſtiores metuunt, quæ verò infirmiores non verentur. Vndè tantũ harum mulierũ animo robur inſedit, vt non tantùm viuo, ſed etiam mortuo, reliquis fugientibus, aſſiſtere voluerint magiſtro? Cur cũ aliis non abierunt, ſed veluti ſi eſſent ſepulchri cuſtodes contrà illud ſederunt? Vt maiorẽ oſtenderent chraritatẽ, dũ non ſolùm viui, ſed etiam Chriſti miſerebantur defuncti. Aptè Origenes in cat. *Iſtæ autem, quaſi* Maiores In Charitate, *neque his, quæ poſteà geſta ſunt, defuerunt*. Maiorẽ oſtendunt charitatem, & miſericordiam, qui miſerentur mortuorum, quapropter mulieres maiores cæteris in charitate fuerunt, quia Chriſtum non derelinquerunt defunctum.

quia Chriſti ſepulchro aſſiterunt.

Origenes.

Chriſtus mortuos excitaturus maiora ſe dixit effecturum.

16 Firmauit hoc etiã ipſe Chriſtus, cùm poſt ſanatum ad piſcinã ægrotum, Iudæis liuore, atq; inuidiâ rabeſcentibus, dixit ſe maiora opera effecturũ. *Pater enim diligit filium, et omnia demõſtrat ei, quæ ipſe facit, & maiora his demonſtrabit ei opera, vt vos miremini*. Io. 5. 20. Quænam verò hæc maiora opera eſſent, ſubdit. *Sicut enim pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius, quos vult viuificat.* Maior eſt miſericordia, quâ quis miſeretur mortuorũ eâ, quâ miſeriæ compatitur viuorum, ideòque Chriſtus, qui ſanitatem reddiderat viuis, maiora ſe dixit effecturum, cùm vitã reſtitueret mortuis. Diſce id ex Euth. *Quia paralytici mẽbra confirmauerat, magnũ quidẽ erat, quod factum erat, ſed etiam mortuum excitaturus erat, & ideò ait, quòd etiã* Maiora *his demonſtrabit ei opera.* Maiora sũt opera miſericordiæ, quæ conferuntur mortuis, quàm quæ impenduntur viuis, vndè Chriſtus ipſe maiora cenſebat opera, quibus adiuuabat mortuos, quam ea, quibus curabat viuos.

Euth. m.

A profanis quoque authoribus maior appellatur miſericordia, quæ impenditur defunctis.

17 Quòd ſi à profanis aliqua pro hac veritate mutuare velimus, audiamus, quid Pauſanias dicat in Laconicis de honore, quẽ funeri Ageſilai mortui Lacedæmonij præſtiterunt. *Erat iã admodum ſenex Ageſilaus: quare in ipſo itinere ſatum illũ oppreſſit ſuum. Cadauer eius in patriam reportatũ Lacedæmonij* Maiore *multò, quàm aliorum Regum ſepulturæ, & funeris honore decorarunt*. Audiamus, quid Plut. in Põpeio referat de exequiis, quas Iuliæ Caeſ. filiæ in Campo Martio celebrauit. *Parauerat omnia Pompeius ad efferẽdam eam in Albano, verùm coegit eum populus, vt eam in Campo Martio funeraret magis miſeratione iuuenculæ, quàm Pompeij, aut Cæſaris gratiâ, atque ex illis ipſis* Maiorem Honoris Partem *viſus eſt populus abſenti tribuiſſe Cæſari, quàm Pompeio præſenti*. Audiamus tandem, quid ſentiat Seruius in lib. 6. Aeneidum, celeritatem narrans, quã Aeneas cum militibus Miſeno mortuo rogum extruxerunt. Maiorem *de ipſis diligentiam, ac laborem exigebat meritum mortui, præter queſtus enim, ac fletus maturabant funeri neceſſaria*. Vides,

Pauſanias.

Plutar.

Seruius.

non

Digitized by Google

non à ſacris tantùm, ſed etiam à profanis authoribus maiorem appellari miſericordiam, quæ impenditur defunctis?

Maxim. ũ pietatis officiũ eſt ſepultura mortuorum.

18 Sed iam tempus eſt, vt maximam quoque hanc miſericordiam eſſe oſtendam. Quod placet primò Lactantij Firmiani authoritate probare, qui lib. 6. diuinarum inſtitutionũ c. 12. cùm omnia enumeraſſet miſericordiæ opera, quę impendenda ſunt viuis, vltimum, ac omnium maximum aſſerit eſſe illud, quod exhibetur defunctis. *Vltimum illud, & MAXIMVM PIETATIS OFFICIVM peregrinorum, & pauperum eſt ſepultura.* Magna quidem ſunt omnia, quæ charitate vrgente ab hominibus iuſtis exercentur, miſericordiæ opera, ſed omnium maximum eſt illud, quo miſeriæ compatiuntur mortuorum.

Lactantius.

Anima Purgatorij maximâ miſericordiâ ſublondãtur.

19 Et ſanè ſi quò maior eſt miſeria, eò etiam maior eſt miſericordia, quâ eam pij homines propellere ſtudent, ſicuti miſeria, quâ mortui torquentur in Purgatorio, eſt omnium maxima, ita etiam omnium maxima erit miſericordia, quam eis fideles ſuis ſuffragijs impendunt. Hoc argumento vtitur Io. Bromyardus in ſum. prædicantium verbo Mors, eoque homines ad pietatẽ defunctis exhibendam hortatur. *Miſericordia facta illis in* PVRGATORIO EST MAXIMA, *quia illi in maximis ſunt miſerijs, & pœnis, propter quas miſerias dicere poſſunt, Miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Maximam miſeriam maxima comitatur miſericordia, ita vt ſicut maximis animę Purgatorij torquentur pœnis, ita eis viuentes fideles maximâ pietate ſuffragentur.

Io. Bromyar.

Maximo fletu plorauerũt Iſraelitæ Moyſen defũctum.

20 Moyſen iubente Deo in terrâ Moab defũctum triginta diebus Iſraëlitæ luxerunt. *Fleueruntque eum filij Iſrael in campeſtribus Moab triginta diebus, & completi ſunt dies planctûs lugentium Moyſen.* Deuter. 34. 8. Quem quidem adeò ſolẽnem luctum, veluti ſuo duci, ac paſtori populus clementer impendit. Ex harum autem lachrymarũ tam copioſâ effuſione arguit Oleaſter maximum fuiſſe fletum illum, & maximo vniuerſaliter omnes prælatos, ac paſtores defunctos luctu eſſe plorandos. *Deflendi ſunt* MAXIMO FLETV *boni prælati, & paſtores.* Maximus fuit fletus, quo populus Hebræus Moyſis miſertus eſt defuncti, & maximâ nos quoque illum imitantes proſequi debemus pietate defunctos.

Oleaſter.

Maximũ artificẽ, vt monumentum ædificaret Hephæſtioni mortuo Alexander vocauit.

21 Hùc facere videtur, quòd Alexander Magnus, vt Hephæſtioni ſuperbum extrueret monumentum, Staſicratem omnium artificum, qui tunc viuerent, maximum vocauit. Exiſtimabat enim maximum artificem maximæ congruere pietati. Refert id Plutarchus in Alexandro his verbis. *Decem millia talentorum in eius* (Hephæſtionis) *ſepulturam, & monumentum impendere cùm animum induxiſſet, artificio autem, & ornatu apparatûs impendiũ ſuperare,* MAXIMVM OMNIVM ARTIFICVM *Staſicratem requiſiuit, cuius in magnificentiâ, & nouitate inſolenti tentandâ audaciam cognitam habebat.* Cùm maximam pietatem mortuo amico impendere decreuiſſet, maximum omnium artificum ad ſe vocauit, vt maximę miſericordiæ opus maximi viri miniſterio perficeretur. His igitur conſtitutis, iam liquet miſericordiam mortuis præſtitam eſſe magnam, maiorem, & maximam.

Plutarchus.

CAPVT XLIX.

Magnificè agunt, qui defunctis pietatem impendunt.

Magnificẽtiâ Ioſeph præfulſit, cùm patris exequias celebrauit.

1 A Magnitudine pietatis in defunctos tranſeo ad eius magnificentiam, & oſtendo eos magnificè operari, qui defunctos adiuuare conantur. Quod vt probem, exequias primò expendo, quas genitori defuncto Ioſeph patriarcha in regno celebrauit Ægypti. Pretioſâ vnguentorum ſtructurâ eius cadauer cõdiuit, ſeptuaginta diebus vnà cum Ægyptijs eum plorauit, rege annuente ad paternum ſepulchrũ corpuſculum extulit, currus, & equites in itinere ſecum aſſumpſit, à primoribus Aegypti comitatus ad exequiarum pompam acceſſit, & ad ſepulchrum perueniens ibi denuò luctum iterauit. Cui autem hæc legenti meridianâ luce clarior non apparet magnificentia, quâ patrem defunctum ſuperſtes filius honorauit. Quis negabit magnificentiæ laude tunc Ioſeph præfulſiſſe, cùm tantâ pietate genitorem humauit? Vtique non niſi cæcus adeò coruſcantem poteſt non videre virtutẽ. Siſto hìc verba Ioſeph Hebræi, qui lib. 2. Antiq. Iudaic. cap. 14. ita loquitur. *Ioſeph verò, permittente rege, deportatum patris corpus in Hebronem* MAGNIFICÈ *ſepeliuit.* Magnificè Ioſeph egit, cùm celebri pompâ genitorem humauit, nam qui ſua defunctos pietate adiuuare ſtudent, magnificentiæ ſemper laude præfulgent.

Ioſeph Hebr.

Dauid cum filijs magnificas exequias Amnon mortuo celebrauerũt.

2 Quod etiam tunc apparuit, cùm Dauid ſimul cum filijs ſuis mortuum Amnon plorauit, quem ploratum fuiſſe magnum nimis ſacra Regum hiſtoria teſtatur. *Cùmque ceſſaſſet loqui, apparuerunt & filij Regis, & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt; ſed & Rex, & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis.* 2. Reg. 13. 36. Sed cur dicitur hic ploratus magnus, niſi quia eo magnificas defuncto celebrauerũt exequias? Audiatur Abulenſis. *Dauid & filij ſui fecerunt planctũ magnum, & duxerunt corpus Amnon de Baalhaſor, & ſepelierunt in Ieruſalem, celebraueruntque* MAGNIFICAS EXEQVIAS. Oſtendunt magnificentiã, qui mortuis exhibent clemẽtiam, quare magnificas celebrauerunt exequias, qui tantâ pietate Amnon fleuerunt defunctum.

Abulenſis.

Magnifico funere Iudas Machab. elatus.

3 Cùm Iudas fortiſſimus dux Machabæorum ſtrenuè aduerſùs hoſtes in prælio certaret, lethaliter ab eis vulneratus, pręclaris geſtis conſpicuus glorioſâ morte occubuit. Quod cernens populus Iſraël, magno planctu eum diebus multis plorauit; Ionathas autem, & Simon fratres eius, in paterno illum ſepulchro more maiorum condiderunt. *Et Ionathas, & Simon tulerunt Iudam*

Digitized by Google

fratrem ſuum, & ſepelierunt eum in ſepulchro patrum ſuorum in ciuitate Modin, 1. Machab. 9. 19. Quod ſanè publico luctu, ac magnifico funere geſtum fuiſſe, teſtatur Ioſeph Hebræus lib. 12. Antiquit. Iudaic. cap. 19. Nec enim ſine magnificentiæ laude tanta poterat ſubſiſtere pietas duci exhibita defuncto. *Simon autem, & Ionathas fratres, inducijs factis, recepto Iudæ cadauere, delatum in Modin vicum* MAGNIFICO FVNERE, *intulerunt monumento patrio, & publico luctu per multos dies honorauerunt eius memoriam*. Præclaram magnificentiam oſtenderunt, cùm ſummâ defuncti funus pietate proſecuti ſunt, & eius memoriam ſolenni exequiarum pompâ honorauerunt.

Ioſeph.

Romana magnificentia in ſepulchris, & ludis funebribus.

4 Romanorum pietatem recenſet Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. quî ergà defunctos clementiſſimi, eorum imagines domi ſeruabant, æreas eis columnas cum trophæis, ac titulis erigebant, res geſtas literatis lapidibus incidebant, aliaque multa exhibebant ſuæ dilectionis teſtimonia. Quæ omnia Romanam redoluiſſe magnificentiam, nemo proculdubio ignorat. *Domi quoque*, inquit Alexander, *& in loco celebri, defuncti imagines, in memoriam poſteritatis plerumq; cereas, aut marmoreas, vel æneas, columnas quoque cum trophæis, & titulis, ac* MAGNIFICENTISSIMIS *decretis, publico conſilio erigere, & res geſtas monumentis inſcalpere, leuandi deſiderij causâ antiquo more ſeruatum eſt.* Sepulchra, & monumenta mortuorum magnificentiam oſtendebant Romanorum, nam ibi magnificẽtia cernitur, vbi mortuis miſericordia impenditur. Quá item magnificentiam ludi funebres exhibebant, quibus ijdem Romani memoriam item honorare conſueuerant mortuorum. De quibus loquens eodem loco idem Alexander, ait. *Eos quidem ludos* APPARATV MAGNIFICO *continuis nouem diebus, in hiſque gladiatorum paria, qui venalem ſanguinem habebant, Romam exhibuere.* Agnoſce magnificum dictum apparatum, quo Romani ludentes in funeribus, ſuis parentabãt defunctis, redolent enim magnificentiam, quæcumque ob miſerationem mortuorum à viuis obſequia eshibentur.

Alex. ab Alex.

Idem.

Magnificẽtiſſimo funere à populo eſt elatus Conſtantinus.

5 Hæc eadem Romanorum magnificentia in funere apparuit Cõſtantini Imperatoris, quod quidem adeò celebri, ac piâ pompá eſt elatum, vt nedùm magnificum, ſed etiam magnificentiſſimum iurè meruerit appellari. Subdo verba Caroli Sigonij has exequias lib. 5. de Occidentali imperio deſcribentis. *Elatus eſt* FVNERE MAGNIFICENTISSIMO, *ac planè regio. Præterea, ipſo duce Conſtantio, peditum ordines; indè longo agmine armati milites ſucceſſere.* Vide, quantam oſtendit populus Romanus ergà ſuum Imperatorem magnificentiam, cùm ei ſummâ pietate, ac celebri pompâ parentauit defuncto.

Carolus Sig.

Britanni ſuo duci magnificum ædificauerunt ſepulchrum.

6 Sed & Britannorum magnificentia claruit, cùm duci ſuo Aurelio Ambroſio in prælio contrà Saxones cæſo, ſuperbæ molis ædificauerunt ſepulchrum, &glorioſum eò loci vbi ceciderat poſuerunt monumentum. Do Polydorum Virgilium lib. 3. hiſtoriæ Anglicæ id narrantẽ. *Britanni duci ſuo Aurelio Ambroſio de republicâ benemerito* MAGNIFICVM *poſuerunt ſepulchrum, factum ad exemplum coronæ, ex magnis quadratis lapidibus eò loci, vbi pugnando ceciderat, vt tanti ducis virtus, ne obliuioni eorum, qui tunc erant, aut reticentiâ poſterorum inſepulta eſſet.* Magnificum fuit, quo viri defuncti memoriam honorauerunt, ſepulchrum, nam magnificè operantur qui pietatis obſequijs ergà defunctos afficiuntur.

Polyd. Virg.

Pelops magnificentiæ ſpecimẽ exhibuit, cùm procis Hippodamiæ ſepulchrum ædificauit.

7 Tranſeo ad Græcos, inter quos Pelops, præclarum exhibuit ſpecimen magnificentiæ, cùm procis Hippodamiæ commune, atq; illuſtre multis impenſis erexit monumentum. Quod cõmendans Pauſanias in Eliacis dixit. *Pelops commune omnibus monumentum* OPERIS MAGNIFICENTIA *ſpectandum erexit, cùm vt ipſis eum procis honorem haberet, tùm vt Hippodamiæ ipſius nomen illuſtrius celebraretur.* Animaduerte operis, quo defunctis pietatẽ exhibuit, magnificentiã, & agnoſce Græcos quoq; hac pietate fuiſſe magnificè operatos.

Pauſanias.

Vticenſes magnificè honorauerunt Catonẽ mortuũ.

8 Non cenſeo hic omittendos Vticenſes, qui dum nihil Cæſaris victoris iram metuentes, Catonis cadauer ſplendidis extulerunt exequijs, valdè magnificè ſunt operati. Affero verba Plutarchi in Catone minore. *Quo autem ſpatio non crederes eum caſum reſciſcere omnes domeſticos potuiſſe, adfuerunt ad fores trecenti, ac mox populus Vticenſis concurrit, ac vnâ voce benefactorem, ſeruatorem, ſolum liberum, ſolum inuictum appellabant, eaque agebant, cùm nunciaretur adeſſe Cæſarem. Caeterùm neque metus eos, neque aſſentatio victoris, neque mutua diſſenſio, vel diſcordia ab honorando retardauit Catone, ſed corpus eius* MAGNIFICE' EXORNATVM, *& ſplendidis elatum exequijs funerauerunt iuxtà mare, vbi nunc ſtatua eius enſem tenens poſita eſt.* Pulchra verba, quibus Vticenſium magnificentia eleganter explicatur, quâ Catonem ſupremis pietatis obſequijs honorauerũt defunctũ.

Plutarchus.

Ægyptij ſepulchra conſtruentes præſignem oſtendebant magnificentiam.

9 Quid dicã de Ægyptijs, qui cùm in domorum ædificatione pompam vitarent, ſepulchra tamen mortuorum ſuperbis molibus erigebant, & pulcherrimis monumentis eorum memoriam excolebant? Nonnè egregiam præſeferebãt magnificentiã, dum tantã ergà mortuos oſtendebãt clementiam? Aſſerit id Cœlius Rhodig. lib. 17. Antiquar. lect. cap. 20. his verbis. *Ægyptios legimus* PRAESIGNI MAGNIFICENTIA *conſtruere ſepulchra conſueuiſſe, quamquam in domorum ædificatione incurioſi admodùm forent.* Præſigni magnificentiâ excellebant, qui tantâ pietate mortuos honorabant, quandoquidem pietatem, quâ miſerentur mortuorum, ſemper magnificentia comitatur viuorum.

Cœl. Rhodig.

Magnificentiùs Chriſtus Lazarum ſuſcitauit mortuum, quam curaſſet ægrotum.

10 Sed iam ad ſacra redeamus, & Chriſtũ ad oppidum Bethaniæ cum diſcipulis, vt Lazarum defunctum ſuſcitet, pergentem ſequamur, & quæramus, cur potiùs ei vitam mortuo, quam ſanitatẽ conferre voluerit ægroto. Cur amicũ mortis angoribus torqueri permiſit, quẽ tãta poterat fa

cilitate

cilitate priuſquàm moreretur, crigere iacentē,& ſanare infirmū? Cur nuntijs ab ægri ſororibus ad eum miſſis, non ſtatim properauit, vt mortali ægritudine laborantem ſuæ diuinitatis virtute refocillaret? Cur demùm eius infirmitate auditâ, biduo adhuc manſit in eodem loco, vt euſq; differret ſuum aduentum, quò iam in monumento fœteret, ad quem ibat, quatriduanus? *Vt ergò audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus* Io. 11. 6. Id Chriſtus egit, vt magnificentiùs operaretur, vitam communicans defuncto, quàm operatus fuiſſet, ſanitatem largiens ægroto. Patronum habeo hac in re Rupertum Abbatem. *Nunc* MAGNIFICENTIVS *glorificabitur filius Dei, cùm cadauere ſepulto, iamque fœtente experimentum dabitur, quòd in horâ nouiſſimâ verè omnes, qui in monumentis ſunt, procedent ad vocem eius*. Magnificentiùs ergà mortuos pietas exercetur, quàm ergà viuos, quapropter, vt ſuã magis Chriſtus oſtenderet magnificentiam, Lazarum potiùs voluit ſuſcitare mortuum, quàm ſanare viuum.

Rup. Abbas.

Iudas Machabæus magnificus eſt habitus, cùm pro mortuis offerri ſacrificia curauit.

11 Summis laudibus in ſacrâ Machabæorũ hiſtoriâ dux eorum Iudas à Spiritu ſancto attollitur, quarum ſi ratio requiratur, quę alia occurret, niſi pietas, quâ pro defunctis militibus collationē fecit, ac ſacrificia offerri curauit? *Factâ collatione duodecim millia drachmas argēti miſit Ieroſolymã offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium*. 2. Mach. 12. 43. Hac pietate ſummè commendari, ac magnificentiæ laude in ſanctis codicibus præfulgere promeruit. Quod obſeruans D. Io. Damaſcenus oratione de ijs, qui in fide obdormierunt, hæc habet. *In hoc facinore, vt in omnibus alijs, à diuiniſſimâ ſcripturâ*, ET MAGNIFICVS, *& admirabilis habetur*. Facinus, quo mortuorum animabus eſt ſuffragatus, & pro illis offerri ſacrificia curauit, eũ adeò extulit, vt ex ſuâ clementiâ magnificentiæ laudes retulit; magnificus namque habetur, qui ſuâ mortuos pietate proſequitur.

D. Ioan. Damaſcenus.

Scribæ, ac Phariſæi magnificè monumenta Prophetarum ornauerunt.

12 Quid? quòd Scribæ, ac Phariſæi quoq; qui pietatem ſimulabant erga Prophetas defunctos, & à patribus ſuis interfectos, magnificè monumēta eorũ exornaſſe dicuntur? Vtiq; Chriſtus eos alloquens dixit. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypochritæ, quia ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum*. Matth. 23. 29. Quæ poſtrema verba explicans Hugo Card. magnificentiam per ea ſignificari exiſtimat, & à Scribis, & Phariſæis magnificè ornata fuiſſe Prophetarum, ac iuſtorum ſepulchra affirmat. *Monumēta prophetarum, qui ab eis occiſi ſunt*, MAGNIFICE *ornando*. Etiam dum pietatem ſimulabant, magnificè ſe gerebant, adeò namque cum pietate in defunctos cohæret magnificentia, vt tunc quoq; cenſeatur haberi, cùm ſimulata eis impenditur clementia.

Hugo Card.

Mulieres magnificentiam oſtenderũt, cũ Chriſto mortuo pietatem exhibuerunt.

13 Caput obſigno pietate, quâ mulieres Chriſto mortuo aſtiterunt, & contrà eius monumentum, dum cęteri timore correpti fugiebant, ſederunt. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria ſedentes contrà ſepulchrum*. Matth. 27. 61. Miror, quòd imbelles mulieres perſeuerare auderent, dum reliqui Iudæorum iram metuentes recedebant! Quomodo Scribarum rabiem, Phariſæorum crudelitatem, & militum petulantiã nõ timuerũt? Omnia mortis pericula contempſerũt, & virili pectore, vt poſſent Chriſti cadauer pretioſis aromatibus perfundere, locum, in quo condebatur, obſeruantes, propè illud remanſerunt. O' non effœminatum fœminarũ animum, quę nõ muliebri imbecillitate, ſed virili præditæ robore, vt mortuo pietatis obſequia impenderent, fortiter mortē ſpreuerunt. Profectò veræ, non tantùm deuotionis, verùm etiam magnificentiæ laudem meruerũt, dum tantâ Chriſto mortuo pietate parentauerunt. Egregiè Victor Antioch. in Gloſ. in c. 15. Marci. *Oſtenderunt hæ autem ad mortē vſque magnam animi fortitudinē, et charitatem magnã, magnamq; in pecuniarum impenſâ liberalitatem, &* MAGNIFICENTIAM. Tunc magnificentiam mulieres oſtenderunt, cùm Chriſto mortuo pietatem exhibuerunt, nam magnificè agunt, qui defunctis pietatem impendunt.

Victor Antio.

CAPVT L.

Religioſè operatur, qui defunctos pietate proſequitur.

Religioſè honoratur memoria mortuorum.

1 ANtequàm Auſonius parentalia ſcriberet, quibus propinquorum, & amicorum mortem pio carmine ploraret, eorumq; laudes mœſtâ muſâ caneret, præfatus eſt, opuſculum, quod exhibebat, non iucunditatē, nec amœnitatem, ſed affectionem continere, at religionē. *Hoc opuſculum, nec materiá amœnum, nec appellatione iucundum. Habet mœſtã* RELIGIONEM, *quâ carorum meorum obitus triſti affectione cõmemoro*. Hanc eamdem materiã in capite iſto ipſe quoq; aſſumo, & oſtendo, quam viui exercent, religionem, dum mortuis exhibent pietatē.

Auſonius.

Iacob, vt ſuã religionem teſtaretur, mortuæ vxori tumulũ erexit.

2 Mortua eſt in itinere propter partûs difficultatem Rachel vxor Iacob, dumq; vitam parturiens filio cõmunicauit, vitam ſucumbens dolori amiſit. Quod cernens Iacob magnificas illi exequias celebrauit, & honorificum ſuper ſepulchrum eius titulum erexit. *Erexitq; Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius: hic eſt titulus monumenti Rachel vſque in præſentem diem*. Gen. 35. 20. Cuius tituli cauſam quis ignorat fuiſſe religionem? Celebrem namq; tumulum, & ſuper tumulum magnificum erexit titulum, quo religioſum præſtaret defunctæ vxori pietatis obſequium. Accinit D. Paulinus Epiſt. ad Pammachium. *Iacob dilectam illam, & expectatam Rachel, & tumulo celebri honorauit, & titulo, vt* RELIGIOSVM *& præſenti dolori ſolueret, & poſteris teſtaretur officium*. Religioſum præſtat officium qui ſuâ pietate defunctos honorat, quare vt ſuam Iacob teſtaretur religionem, celebri monumento, ac titulo defunctę vxori exhibuit pietatem.

D. Paulinus.

3 Hùc ſpectauit & Magdalena, cùm Chriſtũ Bethanię recumbentē pretioſo vnguēto perfudit,

Multa fuit

Magdalenæ religio, quæ Chriſti ſepulturam vnguẽtis honorauit

eaque vnctione ſepulturam illius honorauit. *Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti preti ſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* Matth. 26. 7. Vbi quærendum eſt, cur fineret Chriſtus adeò pretioſa vnguenta ſuper caput ſuum fracto alabaſtro effundi. Cur has admiſit delicias, qui ad hoc venerat, vt pro peccatis noſtris eligeret pœnas? Cur qui omnem euitabat ſuperfluitatem, ſuperfluam, quam tantùm delicatiores adhibebant, fieri ſibi permiſit vnctionem? Cur demùm corpus voluit aromatibus perfundi, quod mox erat in Cruce pro noſtrâ ſalute ſanguine perfundendum. Hoc permiſit, vt multam mulieris ad ſepulturæ honorem eius corpus vngentis approbaret religionem. Hoc debeo D. Ioanni Chryſoſt. in catenâ ita loquenti. *Dominus mentem mulieris videns, permiſit,* MVLTA ENIM ERAT EIVS RELIGIO, *& ineffabile ſtudium ideircò condeſcendens conceſſit ſuper caput ſuum vnguentum effundi.* Non prohibuit mulieri vnctionem, quia eâ Chriſti ſepulturam honorans, multam oſtendit religionem: non enim poterat non eſſe multa eius religio, quæ ſepulturam tantâ pietate honorabat.

D. Io. Chryſ.

Ob hanc religionem eam Chriſtus commendauit, & commendari præcepit.

4 Hanc etiam ob cauſam adeò magnificis laudibus euexit, ac in toto mundo eamdem vnctionem celebrari præcepit. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Matth. 26. 13. Hoc enim egit, vt religioſam mulierem debito præmio afficeret, ac tantę religionis opus ſilentio ſupprimi nõ permitteret. Quod approbat D. Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 3. RELIGIOSAE *mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat.* Religioſam ſe ſe mulier hæc oſtendit, cùm pretioſis vnguentis Chriſti ſepulturam honorauit, vnde vt Chriſtus eius commendaret religionem, coram diſcipulis eam laudauit, & vbicumq; prędicatur Euang., illius memoriâ honorari iuſſit.

D. Auguſt.

Irreligioſi ſunt, qui pietatem defunctis exhibitã impedire conantur.

5 Vt verò mulier ſe religioſam, Chriſti ſepulturam honorans, oſtendit, ita Iudas proditor ſe valdè irreligioſum eſſe, illud reprehendens pietatis obſequium, declarauit. *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* Ioan. 12. 6. O' planè, improbum non ſolùm, ſed & irreligioſum furem, qui ſub ſpecie pietatis auaritiam tegere ſtudebat, & vt ſibi pecuniam raperet, ſepulturæ obſequium impedire conabatur. Verè irreligioſus extitit, dum tam religioſæ mulieris vnctionem reprehendit. Verba hic ſunt exſcribenda Sancti Gaudentij Brixienſis Epiſcopi Tract. 13. de Natali Domini in Biblioth. veter. Patrum. IRRELIGIOSVS *nimium, & ſatis importunus diſpoſitor auari fraudatoris affectu, crimen videlicet proprium, ſub ſpecie religionis dum tegere conatur, expreſſit,* IRRELIGIOSVS *planè, atque importunus.* Adeò verum eſt eos religioſè operari, qui mortuis pietatem impendunt, vt ſint planè irreligioſi, qui eam impedire conantur.

S. Gaudētius.

Mulieres Chriſti ſepulto aromata parantes ſe religioſas oſtenderunt.

6 Pergo, & mulierum pietatem, quæ aromata ferentes, ad Chriſti monumentum, cùm adhuc tenebræ eſſent, perrexerunt, expendo. Dicuntur igitur ea portaſſe ad ſepulchrum, quæ iã parauerant, vnguenta. *Vnâ autem Sabbati valdè diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerant, aromata.* Luc. 24. 1. At quandò hæ iſtę mulieres parauerunt vnguẽta? Profeſtò Sabbato hæc tunc opera licere non cenſebant, eo autem vix tranſacto ad monumentum cucurrerunt. Quod nam igitur tempus, quo hæc aromata pararent, habuerunt? Ipſam diem, quâ crucifixus eſt Chriſtus, nam poſtquam ſepulturæ illius aſſiterunt, ſtatim antequam Sol occumberet, dum adhuc licebat, vnguenta emerunt, & miſcuerũt, & eâ celeritate, ac ſtudio ſuam religionem declarauerunt. Opportunè Venerabilis Beda in Gloſ. in c. 16 Marci. RELIGIOSAE MVLIERES *ſepulto Domino, cùm licuit operari, idest vſque ad Solis occaſum vnguenta parauerunt.* Religioſas ſe ſe oſtenderunt, cùm ſepulto Domino pietatis obſequia impenderunt, ſemper enim religio mortuis exhibitam pietatem comitatur.

Beda.

Religio ſepultur. quã Tobias corpora humabat mortuorum.

7 Hanc itidem religionis laudem ſanctus promeruit ille Tobias, qui concaptiuis fratribus cõpatiens, eorum cadauera egregiâ pietate ſepeliebat, hocque pietatis obſequium ita cæteris omnibus præferebat, vt prandium ipſum interdum diſtulerit, & ieiunus mortuo exequias celebrauerit. *Statimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, tollenſque illud portauit ad domum ſuam occultè, vt dum Sol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum.* Tob. 2. 3. Quam accuratam ſolicitudinẽ ſancti ſenis expendẽs D. Paulin. Epiſt. ad Pammachium, & ſepelientem commendat, vt religioſum, & ſepulturam extollit ſanctâ religione refertam. *Negligens ventris, quia diligens animæ, maluit corpore eſurire, quàm ſpiritu, vt nobis quoque eſſet exemplo, quo præcepimus ieiunare cibo carnis, vt ſanitatem animæ conſeramus. Quare* BONA RELIGIO SEPVLTVRAE. Cohæret cum pietate defunctis impensâ religio, vndè ſuam quoque habet ſepultura religionem.

D. Paulin.

Religioſa fuit pietas, quã diſcipuli Ioannis eius cadauer ſepelierũt

8 Decollauit Herodes, cùm diem natalis ſui epulari accubatione celebraret, Io. Baptiſtam, & inter epulas crudeliter præcurſoris Chriſti ſanguinem effundens, puellæ ſaltatrici caput donauit Prophetę. Vix autem hoc ferale inauditę inmanitatis deſcribitur flagitium, & ſtatim diſcipulorum pietas refertur, qui magiſtri corpus tulerunt, & honorifico in ſepulchro condiderũt. *Et accedentes diſcipuli eius, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud.* Matthæi 14. 12. Vbi aduertit Ludolphus Carthuſianus libro de vitâ Chriſti par. 1. cap. 66. tyranni ſæuitiæ piorum opponi clementiam, & poſt Herodis impietatem diſcipulorum cõmendari religionem, qui cadauer ab impio rege immaniter cruentatum religioſis exequiarũ obſequijs honorarę ſtatuerunt. *Contrà Herodis impietatẽ, qui Ioannẽ propter veritatẽ decollauerat, & inſepultũ reliquerat, commendatur diſcipulorũ*

Lud. Carth.

Re

Digitized by Google

RELIGIOSA, et officioſa pietas, quia hoc audito venerũt, & tulerunt corpus eius è carcere, quod rex ipſis reddi iuſſit, & ſepelierunt illud reuerenter, vt decuit. Vt ſæuus, ac impius Herodes fuit occidens, ita pij, ac religioſi fuerunt diſcipuli humantes, nam religioſum præſtant officium, qui mortuis exhibent humanitatis obſequium.

Iudas Machabæus ob ſummam religionẽ pro defunctis militibus ſacrificia offerri currauit.

9. Confirmat idipſum Iudæ Machabæi pietas, qui pro militibus in prælio cæſis factâ collatione, animabus eorum ſuffragatus eſt oblatione ſacrificiorum. *Et factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè, & religiosè de reſurrectione cogitans.* 2. Machab. 12.43. Vides religioſam fuiſſe cogitationem, quâ pro peccatis mortuorum ſacrificia offerre Deo decreuit. Porrò ſummam oſtendunt religionem, qui mortuorum animabus cogitant ſuffragijs impendere pietatem. Subdo verba D. Ioannis Damaſceni oratione de ijs, qui in fide obdormierunt.

Ioannes Damaſcenus.

Iudas ille Machabæus in Sion ciuitate Regis magni, vt cognouit populum ſibi ſubditum à Philiſthæis hoſtibus occiſum, & ſcrutatione factâ, inuenta idola in ſinibus ſuorum, ſtatim pro vnoquoque eorum ad Dominum, qui ad miſerandũ facilis, & paratus, munera propitiatoria attulit, ſanè OB SVMMAM RELIGIONEM, *fraternamque charitatem.* Summam oſtendit religionem, cùm fraternam defunctis exhibuit charitatem, nam charitas, quæ impenditur mortuis, cum religione cohæret, quæ exercetur à viuis.

Gentiles iura manium religioſiſſimè colebant, & ad interpretes religionũ reijciebant. Cicero.

10 Hoc innuere voluerunt Gentiles, dum ſummâ religione iura manium colebant, & Februario menſe mortuorum animabus parentabant. Quem morem ab eis religioſiſſimè ſeruatum fuiſſe teſtatur Cicero lib. 2. de Legibus his verbis. *Venio nunc ad manium iura, quæ maiores noſtri, & ſapientiſſimè inſtituerunt, &* RELIGIOSISSIME *coluerunt. Februario autem menſe, qui tunc extremus anni menſis erat, mortuis parentari voluerunt.* Ex quo etiam factum eſt, vt & Plato, eodem Cicerone teſte ibidem, iuſta funerum ad interpretes reiecerit religionum. *Sed videamus Platonem, qui iuſta funerum reijcit ad interpretes* RELIGIONVM. Adeò quippè cenſebant cum Religione cohærere obſequia mortuorum, vt ad eos, quorum eſt interpretari religionem, funera reiecerint, quibus ergà mortuos tenebantur ſuam teſtari pietatem.

Codrus religioſè lapidi nomen inſcripſit Pompeij, ne ſepulchrũ eius violaretur.

11 Poſtquam Codrus Pompeij Magni cadauer cremauit, ac pro loci opportunitate iuſta ei exequiarum perſoluit, oſſa illius in tumulo propè litus maris erecto humauit. Quem ne incautè prætereuntes nautæ violarent, lapidi nomen, & laudes inſcripſit defuncti. Quod narrans Lucanus lib. 8. Pharſaliæ, cecinit.

Lucanus.

Nautaque ne buſtum religato fune moueret
Inſcripſit ſacrum ſemiuſto ſtipite nomen.
Hic ſitus eſt magnus, placet hoc fortuna ſepulchrũ
Dicere Pompeij, quo condere maluit illum,
Quàm terrâ caruiſſe ſocer.

Quod Epitaphium, cùm eò tetenderit, vt impietatem arceret à mortuo, religiosè poſitum fuiſſe Lambertus Hortenſius affirmat. *Canere ſtuduit* RELIGIOSE *Codrus pius in Pompeium, ne à nautis temerè violaretur eius ſepulchrum.* Religioſo cecinit carmine, dum, vt mortui ſepulchrũ cuſtodiret cecinit, religioſa enim prorsùs omnia ſunt, quibus pietatem exhibemus defunfunctis.

Lambertus Hortenſius.

Quæ pertinẽt ad mortuos, religioſa dicuntur.

12 Quapropter in lege quoque religioſus dicitur luctus, quo defunctum maritum vidua mulier deplorat. Vndè Iuſtinianus in Codice lib. 5. tit. de ſecundis nuptijs ait. *Si qua mulier nequaquam* LVCTVS RELIGIONEM *priori viro nuptiarum feſtinatione præſtiterit, ex iure quidem notiſſimo ſit infamis.* Cicero etiam lib. 2. de Legibus religioſa dixit iura ſepulchrorum. *Priuſquam in eos iniecta gleba eſt, locus ille, vbi crematum eſt corpus, nihil habet religionis. Iniectâ glebâ tumulis, & humatus eſt, & gleba vocatur, ac tùm denique multa* RELIGIOSA IVRA *complectitur.* Nec non Feſtus ex Galli Alij ſententiâ religioſum dixit ſepulchrum. RELIGIOSVM SEPVLCHRVM, *vbi mortuus ſepultus, aut humatus ſit, ſatis conſtare ait.* Auſonius item in præfatione ad Edylium 2. titulum defunctorum honori dicatum vocat religioſum. *Sequitur ergò hanc ſummam Dei venerationem Epicedion patris mei, titulus à Græcis authoribus defunctorum honori dicatus, non ambitioſus, ſed* RELIGIOSVS. Demùm Quintilianus declam. 6. pietatem nobis innatam quâ miſeremur mortuorum, cum religione dixit noſtris animis fuiſſe ingenitam. *Nobis aduerſus exanimes genuit non ſolùm miſerationem, quæ cogitationi noſtræ ſubit, ſed etiam* RELIGIONEM. Ex quibus conſtat nexus, quo cum religione pietas cohæret ergà defunctos.

Iuſtinianus.

Cicero.

Feſtus.

Auſonius.

Quintilianus

Hebræi hoſtibus quoque religioſè concedebant ſepulturam.

13 Non igitur mirum, quòd iuſſerit Deus in lege veteri Hebræis, vt hominem morti adiudicatum, & propter ſua delicta in patibulo ſuſpenſum eadem die deponerent, ac ſepulchrali honore donarent. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eâdem die ſepelietur.* Deut. 21. 22. Quamuis enim legis diuinæ tranſgreſſores, vt hoſtes, Hebræi haberent, ideòque tam acri pœnâ eos mulctarent, religio tamen ſuadebat, vt hoſtibus quoq; defunctis obſequia ſepulturæ cõcederent. Rectè Lilius Gregorius Gyraldus ſyntagmate de vario ſepeliendi ritu. *Illud vtique Iudæi* RELIGIOSE *antiquitùs obſeruarunt, vt nec hoſtem quidem inſepultum dimitterent.* Ita ex religione mortuis pietas debetur, vt hoſtibus etiam poſt mortem clementię obſequia ſint ab Hebręis religiosè impenſa.

Gyraldus.

Inimica Thiſbes Cnemon. cadauer humauit.

14 Ab hoc non eſt alienum, quod narrat Heliodorus lib. 2. Aethiopicorum cap. 5. Cnemonem cum ſocijs inimicam Thiſben à latrone interfectam humaſſe, ac eius, quæ tot ei ſtruxerat inſidias, lachrymis, ac luctu exequias peregiſſe. Quod ſanè ob religionem geſſit, quâ ſe teneri cẽ-

ſebat

Digitized by Google

ſebat ad pietatem hoſtibus etiam defunctis exhibendam. *Cùm deliberatorum quæ verſimilia erant expoſuiſſent, ac facilè viro leui perſuaſiſſent, corpus autem Thisbes in alueum quemdam impoſuiſſent, & quantum pulueris ex tabernaculis relictum fuerat, id totum ſuprà illam aggeſſiſſent, & ea, quæ fieri aſſolent* PROPTER RELIGIONEM, *eo apparatu, quem tempus ſuppeditabat, peregiſſent, lachrymiſque, ac luctu pro omnibus ceremonijs parentaſſent, Thermutim ad id conſilium perficiendum, quod anteà fuit conſtitutum, emiſerunt.* En inimicæ mulieris cadauer propter religionem humatum, & extremis pietatis officijs honoratum.

Heliodorus.

15 Sed nec Sinarum hic cenſeo prætereundã pietatem, qui magnifica erigentes monumenta, & ſepulturæ apparatũ ingenti, ac funebri pompâ inſtruentes, nunquam apparent religioſiores, quàm cùm defunctorum memoriam honorant. Rem dabo, vt eam refert Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap. 7. *In nullo ſunt* RELIGIOSIORES, *quàm dum ijs parẽtant, tam in lugubri veſte induendâ (in quâ etiam à cæteris nationibus diſcrepant) quàm in feretro quoque, ac ſarcophago è materiâ pretioſiore concinnando, in apparatu ſepulturæ, quem veriùs pompam dixeris pro facultatibus, fortuniſque, & ſæpè ſuprà vires aſſurgunt.* Ibi religio emicat, vbi pietas ergà defunctos coruſcat, & iccircò qui ſunt in eos clementiores apparent etiam ob eam clementiam religioſiores.

Sinæ in nullo ſunt religioſiores, quàm dum mortuis parentant.

Nicolaus Trigautius.

16 Caput claudo, addens adeò religionem comitari pietatem defunctis exhibitam; vt à religione tradita dicantur obſequia, quæ defunctis à ſuperſtitibus exhibentur. Hinc morem, quo antiquitùs in funeribus mortuorum tubâ, & tibiâ iuxtà eorum qualitatem canebatur, à religione iuſſum tradit Lactantius in lib. 6. Thebaidis Statij. IVBET RELIGIO, *vt maioribus mortuis tubâ, minoribus tibiâ caneretur.* Et Plinius lib. 2. Naturalis Hiſtoriæ cap. 54. dixit religionem tradere, vt homines fulminati terrâ condantur. *Hominem ita exanimatum cremari fas non eſt, conditerrâ* RELIGIO TRADIT. Iubet, ac tradit religio pietatis obſequia, quæ defunctis exhibentur, ita vt qui defunctos adiuuant, nedùm pietatem, ſed etiam exerceant religionem. Dum igitur tantâ mortui religione honorantur, reliquum eſt, vt religioſè operentur, qui defunctos pietate proſequuntur.

Obſequia quæ defunctis impenduntur à religione tradita dicuntur

Lactantius.

Plinius.

CAPVT LI.

Sanctè cogitant, qui defunctos adiuuare procurant.

Sancta eſt in ſe cogitatio orãdi pro mortuis.

1 VT ſanctitatem huius operis oſtendam, placet exordiri, ab eo, quod Spiritus ſanctus in ſacris Machabæorum voluminibus poſt ſcriptam Iudæ fortiſſimi ducis pietatem, quâ ſacrificiorum oblatione militum mortuorum ſuffragatus eſt animabus, grauiter concludit. *Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* 2. Machab. 12. 46. Hoc profectò ſanctitatem pietatis exhibitæ defunctis valdè commendat, quòd non tantùm oratio, ſed & orandi pro ipſis cogitatio ſancta dicatur. Quadrant hic verba Hugonis Florenſis ſerm. 1. de Animabus. *Cogitatio orandi pro mortuis* EST SANCTA IN SE. Sancti ſunt, qui clementiam ergà mortuos colunt, & ſanctè cogitant, qui obſequia cogitant eis exhibere pietatis.

Hugo Florenſis.

2 Ex eo autem, quòd ſancta eſt iſta cogitatio, fit etiam, quòd ſit ſalubris, quamobrem ſancta dicitur & ſalubris; nec enim poteſt non eſſe cogitanti ſalubris cogitatio plena ſanctitatis. In quo autem præcipuè ſit illi ſalubris, niſi in eo, quòd ſuâ cum ſanctificat ſanctitate? Audi Lucam Tudenſem in Bibliothecâ veterum patrum lib. 1. cap. 17. ita loquentem. *Nota, quòd non ſolùm dixit,* SANCTA *eſt cogitatio, ſed ſalubris, videlicet quia* SANCTVM FACIT COGITANTEM. Tantâ pollet ſanctitate cogitatio, quâ quis pro defunctis orare decernit, vt non tantùm ſit ſancta in ſe, verùm etiam cogitanti ſalubris effecta, eum quoque reddat inter homines ſanctum.

Eadem cogitatio ſanctificat cogitantem.

Lucas Tudenſis.

3 Quòd ſi adeo ſancta eſt ſola cogitatio, quâ pro defunctis exorare cogitamus, quam inuoluet ſanctitatem oratio pro eis effuſa, & operatio quâ illis obſequia ſuffragiorum impenduntur? Profectò ſi ſancta eſt cogitatio, reliquum eſt, vt ſanctior ſit oratio, & ſanctiſſima operatio. Clariſſimè id teſtatur eodem loco idem Lucas Tudenſis. *Si* SANCTA, *& ſalubris eſt cogitatio, multò validior,* SANCTIOR, *& ſalubrior erit oratio, & plurimùm* SANCTISSIMA, *atque ſaluberrima operatio.* O egregiam, & vndequaque præclaram pietatis ergà defunctos ſanctitatem, quæ ſanctas cogitationes, ſanctiores orationes, & ſanctiſſimas habet operationes.

Cogitatio pro defunctis ſancta, oratio ſãctior, & operatio eſt ſanctiſſima

Lucas Tudenſis.

4 Rectè igitur D. Paulinus ad Pammachium ſcribens, qui defunctam vxorem pio luctu plorauerat, & eccleſiaſticis ſuffragijs adiuuerat, ſanctas lachrymas appellat, quas tantâ charitate pro mortuæ coniugis animâ vbertim effuderat. Cur namque ſanctæ non eſſent lachrymæ illæ, quibus pietatis viſcera defunctæ clementer exhibebat? *Iccircò & tuæ frater lachrymæ* SANCTAE, *& piæ, quia ſimili affectione manarunt, & dignam caſti cubilis flevere conſortem, non diffidentiâ reſurrectionis, ſed deſiderio charitatis.* Sancta ſunt, quæcumque pietatis obſequia defunctis impenduntur, ac propterea lachrymæ in funere mortuæ vxoris effuſæ iurè lachrymæ ſanctæ appellantur.

Sanctæ lachrymæ, quibus Pammachius plorauit vxorem defunctã

D. Paulinus.

5 Imminente ſuâ paſſione ad oppidum Bethaniæ Chriſtus perrexit, vbi Lazarum è monumento quatriduanum reuocauit ad vitam. Hic autem Magdalena pretioſi aromatis alabaſtrum afferens, recumbentis magiſtri pedes vnxit, & ſuis capillis extersit. Quæ vnguenta pro ſuæ ſepulturæ honore effuſa Chriſtus ipſe teſtatus eſt, mulieris pietatem à proditoris calumniâ defendens.

Sanctã Magdalena exhibuit miniſteriũ, cùm pro ſepulturâ Chriſti vnguentum effudit.

Dixit

Digitized by Google

Dixit ergò Ieſus, ſine illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud. Ioan. 12. 7. Hæc accuratè ſpeculatur Abbas Rupertus, & Magdalenam ſancto magnæ pietatis miniſterio vnguenta illa fudiſſe affirmat. Portò non niſi ſancta miniſteria exhibere poterat, dum ſtudio diligenti ſepulturæ memoriam honorabat. *In hac cœnâ diligentius ſpeculemur ea, quæ Domino noſtro exhibita ſunt* SANCTA, *& myſtica magnæ pietatis miniſteria. Fecerunt, inquit, ei cœnam ibi. Domus, vt prædictum, eſt Simonis eſt, Martha miniſtrat, Lazarus vnus ex recumbentibus, Maria pretioſum ſuper caput, & pedes Domini effundit vnguentum.* Sanctè Magdalena miniſtrauit, dum pro Chriſti ſepulturâ vnguētum effudit, omnia enim ſancta ſunt miniſteria, quibus pietatis obſequijs defuncti honorantur.

Rup. Abbas.

Tunc mulieres ſanctæ vocatæ, cùm ad Chriſti monumentum perrexerunt.

6 Hinc & mulieres illæ magnam ſanctitatem oſtenderunt, quæ, vt Chriſtum honorarent, ad eius monumentum perrexerunt, & vnguenta, quibus cadauer vngerent, ſecum tulerunt. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in primâ Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum.* Matth. 28. 1. Verè enim ſanctæ fuerunt, quæ tantam pietatem defuncto magiſtro impendere curauerunt. Probè Rabanus in catenâ. *Quod dictum eſt, quia* SANCTAE MVLIERES *veſpere Sabbati, quæ luceſcit in primâ Sabbati, venerunt videre ſepulchrum, ita intelligendum, quòd veſpere quidem venire cæperunt, ſed luceſcente mane in primâ Sabbati ad ſepulchrum peruenerunt, id eſt veſpere aromata parauerunt, quibus corpus domini vngere deſiderabant, ſed aromata veſpere præparata mane ad ſepulchrum detulerunt.* Animaduerte mulieres tunc ſanctas vocatas, cùm Chriſto mortuo pietatem parauerunt, acquirit enim ſanctitatem, qui mortuis parat pietatem.

Rabanus.

Sancti patres diligenter ſepeliebant cadauera mortuorum.

7 Amiſit Iacob, cùm pergeret Ephratam, vxorem dilectam Rachelem, quam honorificè ſepeliuit, & ſuper ſepulchrum eius titulum erexit. *Erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius: hic eſt titulus monumenti Rachel vſque in præſentem diē.* Geneſ. 35. 20. Cur verò tantâ diligentiâ monumentum Iacob ædificauit vxori? Cur titulum in itinere, vt defunctę memoriam ſeruaret, erexit? An quia ſanctus erat, & ad ſanctos defunctorum curam habere ſpectabat? Hæc proculdubio mens fuit Lyrani hunc locum ita explicātis. *Ex quo patet, quòd ab antiquo fuerunt* SANCTI PATRES *diligentes de ſepulturâ notabili, vt ſic mortui in memoriâ hominum remanerent, ad orandum pro ipſis.* Sanctorum eſt pietatem impendere mortuis, & iccircò patres, qui erant ſancti, valdè accuratè memoriam ſeruabant defunctorum.

Lyranus.

Sāctus Elias apparuit, cū filium Sunamitidis ſuſcitauit.

8 Nouit hoc mulier quoque illa, cuius filium Elias à morte ad vitam reuocauit, quæ hoc ſigno viſo, procidit ad pedes illius, eumque virum Dei appellauit. *Dixitque mulier ad Eliam, Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.* 3. Reg. 17. 24. Quā ob cauſam tunc eum virum Dei dixit, cùm erga mortuum filium pium cognouit? Nonnè antea quoque vir Dei erat, qui Prophetiæ dono illuſtris futura prædicebat? Vtique, ſed tamen poſt reſurrectionis miraculum præcipuè virum Dei Prophetam appellauit, quia propter pietatem, quam defuncto exhibuit, eius ſanctitatem cognouit. Aptè Caietanus. *Credidit ex hoc facto, quòd verè cor Eliæ erat* SANCTVM *coram ſummo iudice.* Tunc virorum Dei ſanctitas eminet, cùm defunctis pietatem impendunt; exhibitio enim huius pietatis veræ teſtimonium eſt ſanctitatis.

Caietanus.

Prophetam ſāctitatis magnæ Chriſtū cenſuerunt, cùm vitam largitus eſt adoleſcentulo Naim.

9 Quod etiam ex eo patet, quòd Chriſtum adoleſcentulo, qui extrà vrbem Naim efferebatur ad ſepulchrum, vitam largientem Prophetā magnum eſſe turbæ dixerunt. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes, Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis.* Luc. 7. 16. In quo autem magnum eum prædicauerunt? An magnum dixerunt in ſanctitate, quem tam magnum conſpiciebant in pietate? Profectò id voluit Dionyſius Carthuſianus. *Propheta magnus, hoc eſt* MAGNAE SANCTITATIS, *& poteſtatis ſurrexit in nobis.* Vbi magna eſt erga defunctos pietas, ibi magna eſt etiam ſanctitas, ac proptereà turbæ magnæ ſanctitatis Prophetam eum dixerunt, cùm tam magnam pietatem defuncto exhibentem eum viderunt.

Dion. Carth.

Sanctâ vnctione Magdalena Chriſtū perfudit ad ſepulturam eius honorandam.

10 Ex his facile erit rationem afferre, cur diſcipulos in Magdalenam, quòd vnguenta ſuper Chriſti caput ad ſepulturam eius honorandam effudiſſet, indignatos adeò acriter ipſe Chriſtus obiurgauerit, ac mulieris pietatem ſummis laudum præconijs extulerit. *Ieſus autem dixit, ſinite eam, quid illi moleſti eſtis? Bonum opus operata eſt in me.* Marc. 14. 6. Quare namque non merebātur obiurgationem, qui tā ſanctam reprehendere audebant vnctionem? Sancta erat illa vnguentorum effuſio, quâ Chriſti ſepultura honorabatur, ideòque commendanda erat, illis, qui eam turbare conabantur, acri reprehenſione increpatis. Præclarè Origenes in catenā. *Doluerunt de proditione vnguenti, quod poterat venundari multo pretio, & dari pauperibus, tamen non debebat fieri hoc, quia conueniens erat, vt ſuper caput Chriſti funderetur,* SANCTA, *& decenti infuſione, vndè ſequitur, Bonum opus operata eſt in me.* Sanctá vnctione Chriſtū Magdalena perfudit, cùm ad ſepulturam illius honorandam vnguenta effudit.

Origenes.

Eccleſia ſtatuit, vt cadauera ſepelirētur in tēplis, vt viui ſanctis orationibus adiuuarent defunctos.

11 Ad hanc pietatis ergà mortuos ſanctitatē Eccleſia reſpexit, quæ defunctorum cadauera, non in agris, aut montibus, ſed in ciuitatibus, & oppidis ſepeliri mandauit. Quod profectò egit, vt viui ad Eccleſias in vrbibus ſæpè conuenientes, memoriam haberent mortuorum, & ſanctitatem acquirerent, dum pijs precibus pro eorum animabus orarent. Valde ſanctum enim eſſe cernebat orationum ſuffragijs adiuuare defunctos. Hæc debeo Abulenſi in cap. 13. Exodi ita ſcribenti. *Nunquam fuit conſuetudo ſepeliendi intrà ciuitates, & oppida vſque ad tempus Eccleſiæ*

Abulenſis.

cleſiæ primitiuæ, vbi conſtitutum eſt, quia fideles conueniebant ad orandum ad Eccleſias, & PRO MORTVIS ORARE VALDE' SANCTVM, atque religioſum erat. Sanctum eſt opus, quo defunctorum animæ adiuuantur, quod vt fideles exercerent, voluit Eccleſia in templis cadauera humari, & ſepulchra ædificari, quæ intuentes facilius recordarentur mortuorum, eiſque ſuis precibus ſuffragarentur.

Antoninus Pius ſanctè cadauer ſepeliuit Adriani.

12 Hæc prorsùs non ignorauerunt Gentiles, quare Iulius Capitolinus in Antonnio Pio pompâ referens, quâ defunctum Adrianum Imperator ille verè pius Romam tulit, ac in hortis Domitijs magnificè humauit, id pietatis obſequium ſanctè illum mortuo præſtitiſſe teſtatur his verbis. *Adriano apud Baias mortuo, reliquias eius Romam peruexit SANCTE', ac reuerenter, atque in hortis Domitij collocauit.* Non tantùm reuerenter, ſed & ſanctè cadauer tranſtulit, vt illud honorificè ſepeliret, nam ſanctè geruntur omnia, quæ in defunctorum gratiam efficiuntur.

Iulius Capitolinus.

Sepulchra, & vrnæ ſanctitatis titulo inſigniebantur.

Cicero.

13 Ab hac huius pietatis ſanctitate ortum eſt, quòd ſepulchra, in quibus cadauera condebantur mortuorum, ſancta dicerentur, vndè Cicero Philippicâ 9. ait. *SEPVLCHRORVM SANCTITAS in ipſo ſolo eſt, quod nullâ vi moueri, neq; deleri poteſt, atque vt cætera extinguuntur, ſic SEPVLCHRA FIVNT SANCTIORA vetuſtate.* Confirmant hoc idem verba Feſti. *Similiter de muro, & ſepulchro debere obſeruari, vt eadem, & ſacra, & SANCTA, & religioſa fiant.* Vrnas item in quibus cineres cadauerum ſeruabant, ſanctas reperio appellatas. Martialis Epigr. 31. lib. 9.

Feſtus.

Martialis.

Cùmque daret SANCTAM tumulis, quibus inuidet, vrnam
Viſa ſibi eſt rapto bis viduata viro.

Adeò quippè ſanctè credebant mortuis exhiberi pietatem, vt ea etiam, quibus hæc pietas exercebatur, ſancta voluerint appellari. Cohæret ergò ſanctitas cum pietate defunctis impensâ, & ſanctè cogitant, qui defunctos adiuuare procurant.

CAPVT LII.

Honorificè ſe gerunt, qui defunctos pietate honorant.

Iacob honorificè Deboram ſepeliuit.

1 HOc etiam præclari animi viros ad pietatem vrgere debet ergà defunctos, quòd honorificum opus exercent, dum ſua eis obſequia impendunt. Cùm Iacob, Deo iubente, Luzam perueniſſet, vbi morbo inualeſcente defuncta eſt Debora nutrix Rebeccæ, eam ſub quercu ſepeliuit, quam quercum fletûs appellauit, *Eodem tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercum, vocatumque eſt nomen loci illius Quercus fletûs.* Geneſ. 35. 8. Sed cur loci appellationem mutauit, & à luctu ei nomen impoſuit? An vt nouum nomen pietatem, quâ ibi honorificè humauerat defunctam matris nutricem, teſtaretur. Sanè hoc exiſtimauit Lyranus. *Vocatum eſt nomen loci illius, Quercus fletûs, quia ibidem Iacob principaliter fleuit matrem ſuam, pro cuius honore nutricem eius HONORIFICE' SEPELIVIT.* Honorificè operatur, qui defunctos pietate proſequitur, ideòque Iacob, qui tantam ſuo luctu ergà Deboram oſtendit pietatem, eam honorificè ſepeliuit.

Lyranus.

Iuſſit Moyſes, vt cadauera Nadab, & Abiu honorificè ſepelirentur.

2 Hoc voluit Moyſes, cùm vocatis filijs Oziel, præcepit, vt Nadab, & Abiu filios Aaron igne diuinitùs emiſſo conſumptos efferrent, & extrà caſtra portarent. *Vocatis autem Moyſes Miſaele, & Eliſaphan filijs Oziel patrui Aaron, ait ad eos, Ite, & tollite fratres veſtros de conſpectu ſanctuarij, & apportate extrà caſtra.* Leuit. 10. 4. Verùm quò erant hæc efferenda mortuorum cadauera? Nunquid ſummi ſacerdotis filij, quia fuerant à Deo mulctati, erant ſine pompâ exequiarum ignobiliter abijciendi? Nunquid quos viuos ignis priuauerat vitâ, mortuos voluit Moyſes priuare ſepulturâ? Nequaquam, ſed iuſſit eos ad locum efferri, in quo præclaris pietatis obſequijs honorificè ſepelirentur. Adſtipulatur Dionyſius Carthuſianus. *Apportate extrà caſtra ad locum, in quo* HONORIFICE' SEPELIANTVR. Honorifica eſt pietas, quæ defunctis exhibetur, quare dum iuſſit Moyſes, vt mortuorum cadauera extrà caſtra ſepelienda efferrentur, honorificè eos iuſſit ſepulturâ humari.

Dion. Carth.

Aaron in montis vertice honorificè ſepultus.

3 Nec ſolùm iuſſit, ſed & hanc honorificam ſepulturam Moyſes exhibuit. Nam cùm frater eius Aaron ſuæ infidelitatis pœnas luens, in montis vertice, Deo iubente, ſpiritum emiſit, ipſe Moyſes Eleazarum nepotem pontificalibus veſtibus indutum ad populum deduxit. *Cùmque Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in montis ſupercilio, deſcendit cum Eleazaro.* Num. 20. 28. Hæc videns populus credidit, quòd Moyſes, & Eleazarus Aaron interfeciſſent, quapropter orta eſt ſeditio quę tamen ſtatim ceſſauit, cùm montium cacuminibus inclinatis, viderunt Aaron defunctum in vertice montis honorificè ſepultum. Hæc refert ex Rabbi Salomone Abulenſis. *Inclinata ſunt autem tunc cacumina montium, & viderunt omnes de populo Aaron* HONORIFICE' SEPVLTVM, *& tunc ceſſauit ſeditio.* Honorificè ſe gerit, qui mortuis pietatem impendit, ac proptereà Moyſes, & Eleazarus, qui extrema pietatis officia defuncto Aaron lugẽtes exhibuerũt, eũ honorificè ſepelierũt.

Abulenſis.

Abraham à filijs honorificè ſepultus.

4 His conſonant exequiæ, quas patri defuncto Iſaach, & Iſmaël celebrauerunt, quem poſt luctum in agro, quem ipſe ab Ephron emerat, ſepelierunt, & iuxtà Saræ vxoris cadauer in ſpeluncâ eum condiderunt. *Et ſepelierunt eum Iſaach, & Iſmael filij ſui in ſpeluncâ duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron filij Seor Hethæi è regione Mambre, quam emerat à filijs Heth, ibi ſepultus eſt ipſe, & Sara vxor eius.* Gen. 25. 9. Quæ omnia honorificè geſta fuiſſe claris teſtatur verbis Lyran. *Finis au-*

Lyranus.

tem,

Digitized by Google

autem, & conſummatio ipſiur Abrahæ deſcribitur in hoc, quòd ordinatione factâ de filijs ſuis, & de bonis, SEPVLTVS EST HONORIFICE'. Honorificè patri mortuo à ſuperſtitibus filijs extrema ſunt pietatis officia perſoluta; honorificè quippè operantur viui, cùm ea operantur, quibus honorentur defuncti.

Aegyptij Ioſeph honorificè tumulauerunt.

5 Mortuus eſt Ioſeph in Ægypto, eiuſque cadauer aromatibus conditum, exequijs celebratis, ibidem eſt ſepultum. *Mortuus eſt expletis centum decem vitæ ſuæ annis, & conditus aromatibus, repoſitus eſt in loculo in Aegypto.* Geneſ. 50. 25. Quæ obſeruans Abulenſis, aduertit Ægyptios ergà ſui regni Præfectum benè affectos, voluiſſe mortuo quoque ſigna ſui exhibere amoris, & iccircò luctu, aromatibus, & cæteris pietatis obſequijs eius cadauer honorificè condidiſſe. *Adhuc in morte Ioſeph manebat tenera affectio Aegyptiorum ad eum, ideò honorauerunt eum valdè,* TVMVLANTES HONORIFICE', *& condientes aromatibus.* Obſerua quæſo Aegyptios honorificè mortuum tumulantes, quem amore, ac pietate proſequuntur, & agnoſce, quàm ſe gerant honorificè, qui ſuâ mortuos pietate ſtudent honorare.

Abulenſis.

Vt Ioſeph Arimathæus Chriſtum honorificè ſepeliret, mortis pericula contempſit.

6 Adhuc recenti ſanguine conſperſi lapides rubeſcebant Caluariæ, adhuc verbis blaſphemis redundantia ora inſaniebant Scribarum, adhuc inuido liuore percitæ iræ bacchabantur Phariſæorum, cùm Ioſeph Arimathæus ad Pilatum audacter acceſſit, & vt ſibi Chriſti corpus humare liceret, ſupplici oratione poſtulauit. *Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu.* Luc 23. 52. Quis non miratur ingentem huius viri fortitudinem, qui hæc auſus eſt humanitatis obſequia Chriſto exhibere defuncto? Quis non miratur, quòd qui fuerat occultus Chriſti, dum adhuc viuebat, diſcipulus, poſt eius mortem, mortis diſcrimini ſe ſe objiciens, ſuam ergà illum cunctis declararet fidelitatem? Quis demùm non miratur eum iram non timuiſſe Iudæorum, qui ne à ſynagogâ expelleretur, ſuum manifeſtè ſequi timuerat magiſtrum? Deſinat mirari, qui nouit beatum hunc virum in fide per Chriſti paſſionem roboratum, eum honorificè voluiſſe in proprio humare monumento. Hoc enim vt præſtaret, & iram Scribarum, & inimicitiam Phariſæorum, & odium plebis, & omnia tandem mortis pericula fortiter contempſit. Habeo Dionyſium Carthuſianum huius rei aſſertorem. *Petijt corpus Ieſu, ideſt licentiam deponendi, ſepeliendique illud, uam & Ioſeph iſte, viſis tot mirabilibus, animatur fuit* AD HONORIFICE' SEPELIENDVM *corpus Chriſti.* Honorificè voluit gratus iſte diſcipulus defuncti magiſtri ſepelire cadauer, quod vt ageret, mortis pericula ſubire non recuſauit.

Dion. Carth.

Nicodemus, vt Chriſtum honorificè ſepeliret, tulit aromatum mixturam ad vngendum eius cadauer.

7 Quin & Nicodemus eò reſpexit, pretioſam ferens aromatum mixturam, quâ corpus deliniret magiſtri. *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum.* Ioan. 19. 39. Cur namque voluit Chriſtus, vt vir quoque iſte ſuum, & præſentiâ, & vnctione veneraretur cadauer, niſi quia honorificam ſibi mortuo volebat exhiberi ſepulturam? Adeſt idem Dionyſius Carthuſianus. *Inſuper tractat Euangeliſta de Chriſti ſepulturâ, quam voluit Chriſtus* HONORIFICE' *fieri.* Honorificè impenduntur defunctis obſequia humanitatis, quamobrem vnguentis, quibus ſancti viri Chriſti cadauer vnxerunt, illud honorificè ſepelierunt.

Idem.

Propheta malus virū Dei honorificè ſepeliuit.

8 Decepit Propheta malus alium Prphetam, qui miſſus à Deo ad Ieroboam, ei prædixerat altaris ſubuerſionem; fingens enim Angelicum ſermonem, eum ad vrbem, vt ſecum manducaret, ac biberet contrà Dei præceptum, reduxit. Hinc Deus inobedientem virū repentinâ morte mulctauit, ſeuum leonem, qui eum interficeret, immittens. Quod cùm agnouiſſet Propheta malus ſtatim ad cadauer in viâ proiectum acceſſit, illudque poſt luctum in proprio monumēto humauit. *Et poſuit cadauer eius in ſepulchro ſuo, & planxerunt eum, Heu, heu mi frater.* 3. Reg. 13. 30. Cur tantâ pietate virum Dei, quem deceperat, deceptor Propheta ſepeliuit? Cur eius mortem plorauit, cui ſuo mortem intulerat mendacio? Cur denique pius extulit mortuum, quē dolosus fefellerat viuum? Vt honorificè operaretur, dum mortuo Prophetæ debitam pietatem exhiberet. Præclarè D. Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 7. *Eum ſanè ipſe, qui deceperat, in monumento proprio ſatis* HONORIFICE' SEPELIVIT. Quem impiè fefellerat viuum, honorificè ſepeliuit mortuum, honorificè namque ſe gerit, quicumque mortuis pietatem impendit.

D. Auguſt.

Michael cum Diabolo altercatus eſt, vt honorifica corpori Moyſis tribueretur ſepultura.

9 Diabolum cum Archangelo Michaële de Moyſis corpore altercaſſe Iudas affirmat Apoſtolus in Epiſtolâ num 9. *Cùm Michaël Archangelus, cum Diabolo diſputans, altercaretur de Moyſi corpore non eſt auſus iudicium in ferre blaſphemiæ.* Quæ verò hæc fuit altercatio, quâ pro corpore Moyſis cū principe tenebrarū princeps altercatꝰ eſt militiæ cœleſtis? Eam explicat Oecumenius, dum ait Diabolum noluiſſe permittere, vt Moyſis cadauer honorificam Angelorum manibus conſequeretur ſepulturam. *Non permittebat, vt ille* HONORIFICAM *conſequeretur ſepulturam.* Vides honorificam appellari, quâ mortui cadauer Angeli decorauerunt, ſepulturam? Honorificè quippè agunt, quicumque defunctis pietatis obſequia impendunt.

Oecumenius.

Chriſtiani Martyrum corpora honorificè ſepeliebant.

10 Hinc eſt, quòd Chriſtiani viri, qui Martyrum cadauera ſepeliebant, honorificè, hoc pietatis opus exhibentes, ſe gerebant. Quod ſanè ſæpiſſimè teſtatur Breuiarium Romanum. Quare agens de ſepulturâ quadraginta martyrum ſub die 9. Martij, ait, *Combuſtis illis, eorum reliquiæ proiectæ in profluentem, cùm mirabiliter in vnum confluxiſſent locum, ſaluæ, & integræ repertæ* HONORIFICO *ſepulchro conditæ ſunt.* Rurſus martyrium commendans beati Marcellini, & ſociorū die 26. Aprilis. *Quorum, inquit, proiecta corpora, cùm triginta ſex dies iuſſu Imperatoris ſepulturâ*

Breuiarium Romanum.

caruiſ-

Digitized by Google

caruiſſent, beatus Marcellus à ſancto Petro in ſomnis admonitus, Presbyteris, ac Diaconis, hymnis, & luminibus adhibitis HONORIFICE SEPELIENDA *curauit*. Iterum Baſilidis, & ſociorum agonē deſcribens die 12. Iunij *Quorum corpora feris obiecta, nec ab illis tacta à Chriſtianis* HONORIFICE SEPVLTA SVNT. Denuò Florentiæ pietatem laudans die 15. Iunij, quæ ſanctorum martyrum Viti Modeſti, & Creſcentiæ cadauera humauit. *Eorū reliquias Florentia nobilis fœmina vnguentis conditas* HONORIFICE SEPELIVIT. Item narrans tranſlationem cadauerum ſanctorum martyrum Nazarij, & Celſi, die 28. Iulij. *Conſperſa recenti ſanguine ſunt inuenta, tanquam ſi paulò ante martyriū paſſi eſſent, vndè in vrbem translata,* HONORIFICO *ſepulchro contecta ſunt*. Auguſtini quoque defuncti recenſens tranſlationem die 28. Auguſti. *Cuius corpus primùm in Sardiniam delatum, deindè à Luitprando Longobardorum rege magno pretio redemptū, Ticinum translatum eſt, ibique* HONORIFICE CONDITVM. Diligentiā etiam Iuſti extollēs, quâ Nicomedis Martyris cadauer accuratè requiſitum ſepulchro tradidit die 15. Septembris. *Cuius corpus, cùm idem comes in profluentem Tiberim proijci imperaſſet, Iuſtus Nicomedis clericus diligenter conquiſitum, ad muros vrbis viâ Nomentanâ.* HONORIFICE IN SEPVLCHRO CONDIDIT. Denique die 16. eiuſdem menſis Maximam Chriſtianam mulierem commendat, quòd ſanctorum martyrū Euphemiæ, Luciæ, ac Geminiani cadauera honorificè humauerit. *Quorū corpora Maxima mulier Chriſtiana* HONORIFICE SEPELIVIT. Vide quęſo, an luculentiora poſſint pro hac veritate exhiberi teſtimonia.

David filios Saul honorificè ſepeliri mandauit.

11 Septem filios Saul, vt Gabaonitas Dei iuſſu placaret, Dauid crucibus affixit, vtque famem à populo arceret, quæ triennio eum afflixerat, in patibulis inſepultos reliquit. Vix tamen pluuia de Cœlo deſcendens terrę vbertatem conceſſit, & ſtatim præcepit, vt cum Rege in paterno ſepulchro humarentur. *Et colligentes oſſa eorum, qui affixi fuerant, ſepelierunt ea cum oſſibus Saul, & Ionatha filij eius in terrâ Beniamin, in latere, in ſepulchro Cis patris eius.* 2. Reg. 21. 14. Vbi aduertit Abulenſis quòd licet ad placādum Deū hi viri fuerint ignominioſè in patibulis affixi, eo tamen placato ſtatim fuerunt honorificè ſepulti. *Hìc ponitur ſuſpenſorum honorabilis tumulatio, nam quamquam paſſi fuiſſent poenam vilem, & vituperoſam, vt placaretur Deus in illis, poſteà placato Deo* HONORIFICE SEPVLTI SVNT. Quos in patibulis ſuſpenderant, Deo placato depoſuerunt, quoſque ignominioſè affixerant, honorificè ſepelierunt, nam honorificè agunt, qui ſepulturę obſequia mortuis impendunt.

Abulenſis.

Honorificum eſſe pietatem exhibere defunctis ex profanis authoribus probatur.

Plutarchus.

12 Sed placet inſuper hoc profanorum Doctorum authoritate roborare. Plutarchus igitur funus referens, quo ab Achæis Philopœmenes eorum prætor eſt elatus, hæc habet. HONORIFICO, *vt par erat, funere eſt elatus, & iuxtà monumentum Meſſeniorum captiui ſunt lapidibus cooperti* Aelianus lib. 12. variæ hiſtoriæ c. 55. *Afri eos, qui ab Elephantis, vel in venationibus, vel in prælijs interfecti ſunt,* HONORIFICIS SEPVLTVRIS *proſequuntur*. Idem cap. 64. *Repreſſit impetum Perdicca Ptolemæus, etenim facto ſimulacro Alexādri effigiem referente, veſte regiâ id exornauit, & entaphijs* HONORIFICENTISSIMIS. Ioannes Cuſpinianus in vitâ Pertinacis apud Theatrum vitæ humanæ vol. 1. lib. 1. *Iulianus ſucceſſor illius corpus eius* HONORIFICENTISSIME FVNERAVIT. Ex quibus iam patet, quàm honorificè ſe gerant qui ſuâ pietate mortuos honorant.

Aelianus.

Cuſpinianus.

CAPVT LIII.

Quàm mala ſit impietas ergâ defunctos, declaratur.

Magna eorū peruerſitas, qui animas à Purgatorio eripere nō ſtudent.

1 QVemadmodum religionem, & ſanctitatem explicauimus, quâ pietas ergâ mortuos prædita eſt, ita malitiam, ac peruerſitatem nunc declaramus, quæ impietatem in eoſdem comitatur. Quam vt faciliùs explicet Dionyſius Carthuſianus dialogo de Iudicio Animæ, exemplo vtitur, quod eam maximè declarare videtur. Si enim videns quis proximum ſuum in medio ardentiſſimæ fornacis æſtuantem, nec à flammarum incendio ſe liberare valentem, non curaret, cùm poſſet, indè illum eripere nonnè peruerſiſſimus, & ab omni humanitate cenſeretur alienus. Quænam igitur erit eorum malitia, & peruerſitas, qui parentum, propinquorum, atque amicorum animas in Purgatorij fornace atroci flammarum incendio crematas, ſuis non curāt adiuuare precibus, opportunis negligūt liberare ſuffragijs? Vtique peruerſiſſimi ſunt, qui hac impietate in mortuos crudeliter ſæuiunt. *Si quis,* inquit Carthuſianus, *videret quēquam mortalium, quamuis ignotum, & alienum, imò & inimicum in medio æſtuantiſſimæ fornacis iacere, & poſſet ei ad euadendum ſuccurrere, nec tamen ſuccurreret, nonnè ab omnibus durus, immiſericors, ac crudeliſſimus reputaretur? Quanta eſt ergò eorum negligentia, immiſericordia, atque* PERVERSITAS, *qui detentis in* PVRGATORIO *animabus non condolent, neque auxiliantur, præſertim parentibus, propinquis, notis, benefactoribus, et amicis.* Magna profectò eſt eorum peruerſitas, qui ſuis ſuffragijs defunctorum animas, è pœnis, quas patiuntur, eripere non ſtudent.

Dion. Carth.

Valdè peccat, qui defunctis pietatem negat.

2 Poſtquam Dominus Nadab, & Abiu temerè ignem alienum thuribulis imponentes igne ſubitò emiſſo mulctauit, præcepit Moyſes filijs Iſraël, vt defunctorum funera ducentes, piis eos lachrymis lugerent. *Fratres veſtri, & omnis domus Iſrael plangant incendium, quod Dominus ſuſcitauit.* Leuit. 10. 6. Quòd ſi aliquis quærat, cur eos quos ipſe incendio punierat, voluerit Deus à populo exequiarum pompâ, & lachrymarum effuſione honorari, reſpondet Abul. quæſt. 12. id egiſſe, ne debitam defunctis pietatem negantes

valdè

valdè peccarent. Valdè namque peccat, qui in propinquorum funeribus pietatis ſuffragia exhibens non plorat. *Si aliquis funera patris, aut fratrum deplorare nollet, nec eis quicquam condolere, quoniam nouit à Deo mortem illatam fuiſſe,* VALDE' IN HOC PECCAT; *non enim aliquis Deo repugnat, quia mortem aliquibus ab eo inflictam deplorat.* Valdè peccat, qui debitam defunctis pietatem negat, quod peccatum vt auerteret à populo, iuſſit Moyſes, vt homines incendio à Deo crematos piè lugeret.

Abulenſis.

Impietas in defunctos naturæ humanæ modum excedit, & omnẽ pietatem excludit.

D.Thomas.

3 Hinc rectè D. Thomas 2. 2. queſt. 142. art. 4. ad 3. docet impietatem contrà defunctos vitiũ eſſe humanæ naturæ modum excedens, atque adeò magis, quàm cætera vitia exprobrabile. Grauiora namque ſunt peccata, quibus lædimus mortuos, quàm ea, quibus offendimus viuos. *Illa vitia, quæ excedunt modum humanæ naturæ, ſunt magis exprobrabilia, ſicut ſi aliquis delectaretur in comeſtione carnium humanarum.* Adeò debita ſunt mortuis pietatis, ac ſepulturæ obſequia, vt qui hanc eis miſericordiam denegat, naturæ humanæ modum ſuâ ſęuitiâ excedat. Quod & innuit Caſsiodorus lib. 6. Variarum Epiſt. 8. cùm eos, qui bona diripiunt defunctorum ab omni pietate alienos appellauit. *Nam etſi cadauera furta non ſentiunt, ab omni pietate alienus eſſe dignoſcitur, qui aliquid mortuis abrogaſſe monſtratur.* Animaduerte huius impietatis peruerſitatem, quæ omnem pietatem excludens, homines reddit ab humanitate prorſus alienos.

Caſſiodorus.

Atro[illegible] delictum, quo viui ſæuiunt in mortuos.

4 Huius atrocitatē delicti nobis innuit Magdalena, quæ cùm ad ſepulchrum, vt Chriſti cadauer piâ vnguenti effuſione perfunderet, properaſſet, lapidemque à monumento, in quo magiſtri corpus non erat, ſublatum conſpexiſſet, ad Apoſtolos feſtina cucurrit. *Cucurrit ergò, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis, Tulerunt Dominũ de monumento, & neſcimus, vbi poſuerunt eum.* Ioan. 20. 2. Sed cur adeò feſtino greſſu à monumento mulier iſta receſſit? Cur non perſeuerauit, vt quæreret, nam fortè contingeret, vt inueniret? Cur quæ noctis tenebras, militum cuſtodiā, mortis denique pericula non metuerat, lapidem ſublatum videns, timere videtur, & ſepulchrum deſerens, ad cœnaculũ pergit? Credidit Iudæos Chriſti cadauer ob inuidiam ſuſtuliſſe, ac ne pietatis obſequijs honoraretur, ad locum ignobilẽ tranſtuliſſe, tantique flagitij atrocitate perculſa, illicò diſcipulis illud nuntiauit. Accipe D. Cyrillum Alexandrinum lib. 12. in Ioan. cap. 44. *Venit ad monumentum, cùmque lapidem, quo tegebatur, reuolutum inſpiceret, ſuſpicatur corpus Domini ſublatum fuiſſe, Iudæoſque id ex inuidiâ feciſſe. Cuius rei* ATROCITATE *perculſa, ad chariſſimos Domini diſcipulos curſu tetendit.* Atrocitas delicti, quo putabat Iudæos in Chriſtum ſæuijſſe, Magdalenam exterruit, eamque ad Apoſtolos confugere coëgit; ſunt enim atrociſsima delicta, quibus viui humanitatis obliti ſæuiunt in defunctos.

D.Cyr. Alex.

5 Id, quod licet etiam ex eo colligere, quod Cornelius Tac. lib. 14. Annalium habet, mortem ſcribens Octauiæ vxoris Neronis, quam ſuæ impius imperator immolauit immanitati. Nec eo contentus, in mortuam inſuper ſæuijt, eiuſq; caput amputatum per vrbem ad ignominiam circumferri præcepit, quæ ſæuitia iurè atrocior appellari meretur eâ, quâ infœlici coniugi, venis exſolutis, cum ſanguine vita eſt adepta. *Reſtringitur vinculis, venæque eius per omnes artus exſoluuntur, & quia preſsus pauore ſanguis tardius labebatur, præferuidi balnei vapore enecatur. Additurque* ATROCIOR SAEVITIA, *quòd caput amputatum, latumque in vrbem Poppæa vidit.* Sæuijt atrociùs Nero, cùm vxori mortuæ iniuriam, quàm cùm viuæ intulit mortē; maior enim eſt atrocitas, & peruerſitas, quâ contemnuntur mortui, quàm ea, quâ lęduntur, & ſpernuntur viui.

Atrocior eſt ſæuitia, quâ offenduntur mortui, quã ea, quâ lædũtur viui.

Cor. Tac.

6 Ex his lucem accipient verba, quibus Ioannes teſtatur Chriſti mortui latus lanceâ fuiſſe à milite vulneratum. *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius, & ille ſcit, quia vera dicit, vt & vos credatis.* Ioannis 19. 35. Quæ item vt magis roboret, prophetias affert, ac ſcripturas, quæ Spiritu ſancto dictāte hoc vulnus Chriſti cadaueri prædixerunt infligendum. Quorſum tot argumenta pro vulnere hoc facer affert Euang.? Cur adeò laborat, vt hoc opprobrium ſuo credatur magiſtro illatum? Nunquid timebat, ne non crederetur in latere vulneratus, qui fuerat in manibus, ac pedibus plagis affectus? Ita ſanè, deterius namque fuit, atque atrocius contumelijs afficere, ac vulnerare mortuum, quàm pœnis torquere, & crucifigere viuum. Cùm igitur tam improbi facinoris vix credibilis eſſet atrocitas, eam & ſcripturis roborare, ac prophetijs voluit Ioannes confirmare. Debentur hæc D. Ioanni Chryſoſtomo homil. 84. in Ioannem. *Vides, quantam adhibet diligentiam, vt credatur, quod turpe, & ignominioſum videbatur? Illudere enim mortuo,* QVAM IPSVM CRVCIS SVPPLICIVM LONGE' PEIVS EST. *Veruntamen hoc dixi, inquit, & magnâ quidem diligentiâ, vt credatis.* O' peruerſam contrà defunctos impietatem, quæ ad eam peruenit atrocitatem, vt vix poſt plurima argumenta credatur, & Chriſti crucifixione longè peior exiſtimetur.

Crudelitas in Chriſtum mortuum longè peior eius crucifixione.

D.Io. Chryſ.

7 Mortuum Herodem vt Archelaus defuncti filius, & in regno ſucceſſor magnificâ efferret funeris pompâ, nihil, quod exequiarum ſolennitatem augere poſſet, omiſit. Feretrum gemmis, & auro diſtinxit, cadauer purpurâ velauit, caput aureo diademate coronauit, manum ſceptro ditauit, propinquos lecti cuſtodes adhibuit, milites præeuntes, ac ſequentes innumeros collegit, pretioſas aromatum mixturas cremauit, populo ferales epulas exhibuit, & denique corpus ad honorificum ſepulchrum per ducenta ſtadia portauit. Quæ omnia egit, vt Iudæorum quorum recens rex erat, morem ſequeretur, qui his pietatis obſequijs defunctis parentare conſueuerant, &

Impius apud Iudæos æſtimabatur qui negligebat pietatis obſequia exhibere defunctis.

Ioſeph Heb.

ea omittere prorsùs impium ducebant. Teſtatur hoc Ioſeph Hebræus lib. 2. de bello Iudaico c. 1. *Turbarum autem nouarum principium fuit Archelao Romam proficiſcendi neceſſitas. Diebus enim ſeptem in lugendo patrem conſumptis, epuliſque feralibus prolixè populo exhibitis (Hic autem mos apud Iudæos neceſſariò multos ad inopiam redegit, nam qui cum neglexerat* IMPIVS ÆSTIMABATVR*) candidâ veſte indutus procedit ad templum*. Magna eſt impietas debitis obſequijs fraudare defunctos, ideòque impius cenſebatur, qui hæc eis exhibere quocumque prætextu renuebat.

Peſſimus, & indigniſſimus fuit rex Aegypti, qui oblitus eſt Ioſeph defuncti.

8 Quâ impietate iurè notatus eſt Rex ille Ægypti, qui beneficiorum immemor, quæ a Ioſeph defuncto regnum acceperat, eius intuitu non dilexit, ſed inuidiâ tabeſcens oppreſſit populum Iſraëlitarum. *Surrexit intereà rex nouus ſuper Aegyptum, qui ignorabat Ioſeph, & ait ad populum ſuum, Ecce populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt, venite, ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur*. Exod. 1. 8. O' peſſimum virum, qui tot ſibi collata beneficia obliuioni tradens, mortuo clementiæ obſequia non præſtitit, ſed eius poſteros ingenti crudelitate afflixit. Iurè contrà illum inuectus Abulenſis PESSIMVS ERGO ILLE REX, inquit, ET OMNI INDIGNITATE INDIGNIOR, *qui cùm quotidiana in ſe Ioſeph beneficia experiretur, quintam partem prouentuum Aegypti annuatim percipiens, quod diſpoſitione prouidâ Ioſeph reditibus regis olim fuerat attributum, benefactorem Ioſeph, quem ipsa beneficia neceſſariò demonſtrabant, ingratæ mentis ægritudine tabefactus, nunquam in recordationem ſuam, ſaltem tenui rimulâ redacebat*. Peſſimus vtique, atque indignus fuit, dum mortuo ingratus extitit, peſsimè namque, ac prorsùs indignè ſe gerunt, qui mortuorum obliti, eorum beneficijs debitas gratias habere ſuâ pietate non ſtudent.

Abulenſis.

Inhoneſtum valdè eſt ſepulchra violare mortuorum.

9 Quò ſpectauit etiam idem Abulenſis, cum aduertit agrum, quem Abrabam emit ab Ephrō Hethæo, vt cadauer in eo ſepeliret mortuæ vxoris, fuiſſe illi confirmatum in poſſeſſionem monumenti. *Et confirmatus eſt ager, & antrum, quod erat in eo, Abrahæ in poſſeſſionem monumenti à filijs Heth*. Gen. 23. 20. Nec enim otiosè adduntur verba illa in *poſſeſſionem monumenti*, ſed vt innuatur, non ad alium vſum agrum ei fuiſſe conceſſum, quam ad ſepulturam cadauerum, nam cùm Hethæi quoque ſua ſepulchra illi agro propinqua haberent, valdè inhoneſtum fuiſſet, quòd Abraham per ea curribus, iumentis, & alijs ad colendum agrum neceſſarijs tranſiret. Vt igitur hic ei tranſitus prohiberetur, ager eſt ei venditus tantùm in poſſeſſionem monumenti. *Cùm ibi ſepulchra facta eſſent, nullo modo vendidiſſet Ephron ad alios vſus, maximè quia ſi conceſſiſſet ad alium vſum, ſcilicet ad colendum agrum, magna iniuria fieret Ephroni, quòd ſepulchra ſua conuerterentur in vſus profanos, & etiam omnibus alijs Hethæis, quia tunc fortè oporteret quadrigas, & iumenta ad cultum neceſſaria tranſire per ſepulchra aliorum, quod* VALDE' ESSET INHONESTVM. Valdè ab honeſtate recedit, qui mortuos lædens, eorum ſepulchrorum violator exiſtit, vndè ne viderentur Hethæi quid inhoneſtum Abrahæ permittere, non ad alium vſum, ſed tantùm ad mortuorum ſepulturam agrum ei vendiderunt.

Idem.

Improbiſſimus fuit Iudas, qui Magdalenã Chriſtum ad honorem ſepulturæ vngentem momordit, et hoc perfidiam ſuam prodidit.

10 Non eſt hic prætereunda Iudæ audacia, qui Magdalenam ad honorandam Chriſti ſepulturam ſuper eius caput aromata pretioſa fundentem redarguit, & veluti ſi pauperes pecuniâ fraudaſſet, quam inſumpſerat, acriter increpauit. *Dixit ergò vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus. Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denarijs, & datum eſt egenis*. Ioannis 12. 5. Quæ quidem verba, cùm eò tenderent, vt pietatis obſequijs magiſtri ſepulturam fraudarent, improbiſſima fuerunt. Gaudeo Sanctum Gaudentium eſſe in Bibliothecâ veterum patrum tractat. 13. de Natali Domini huius veritatis aſſertorem. *Quod ad honorem Chriſti factum fuerat, non modò ſuperfluum computauit, verùm etiam* SERMONE IMPROBISSIMO *reprehendit*. Improbiſſimus fuit ſermo, quo pietatem Chriſti ſepulturæ impenſam reprehendit, nam non tantùm improbi, ſed & improbiſſimi ſunt, qui pietatem defunctis exhibendam impedire decernunt. His addenda ſunt, quæ docet Diuus Paulinus Epiſtolâ 4. ad Seuerum in hoc proditorem perfidiam ſuam maximè prodidiſſe, quòd vt ſuis furtis augmentum acquireret, Chriſti ſepulturæ vnguenta demere ſtudebat. *Traditor, antequam proderet Dominum,* PERFIDIAM SVAM PRODIDIT, *quem non pauperum, ſed furtorum ſuorum cura commouerat, & liuor mentis infidæ, vt vnguentum illud, quantumlibet pretioſum, dominici tamen ſanguinis comparatione viliſſimum, pretioſius corpore ſalutari iudicans, indignaretur in fœminam piè prodigam, quam ipſe Dominus bonum in ſe opus teſtatur operatam*. Perfidiam ſuam prodit, qui debita mortuis obſequia contemnit, vndè in hoc perfidus proditor Iudas apparuit, quòd vnguenta pro Chriſti ſepulturâ effuſa non effundenda eſſe ore blaſphemo aſſerere non dubitauit.

S. Gaudent.

D. Paulinus.

Lycaon ſceleratus, qui ſæuijt in obſidē mortuum.

11 Fingit Ouidius lib. 1. metamorphoſeon Iouem, hominis ſpecie ſimulatâ, ad Lycaonis regiam profectum fuiſſe, cui perfidus rex humana cadaueris membra deuoranda apponens, eum adeò irritauit, vt ab eo humanitatem abſtulerit, illiuſque domum incendio crematam euerterit

Nec contentus eo eſt, miſſi de gente Moloſſâ
Obſidis vnius iugulum mucrone reſoluit,
Atque ita ſemineces partim ferue̅ntibus artus
Mollit aquis, partim ſubiecto torruit igni,
Quos ſimul impoſuit menſis, ego vindice flammâ
In dominum dignos euerti tecta penates.

Ouidius.

Ad

Digitized by Google

Ad quę obſeruat Raphaël Volaterranus dignam verè fuiſſe, vt cœleſtibus flammis euerteretur, domum, quæ Dominum excipere potuit adeò ſceleratum. *Dignos penates, qui incenderentur cùm tam* SCELERATVM *Dominum pati poſſent* Horrenda ſcelera patrat, qui contrà defunctos impius eorum memoriam contemnit, quamobrem Lycaonem in defunctum obſidem impium, tanquam ſceleratum, domûs incendio, ac ferinâ rabie Iuppiter mulctauit.

Raphael Vol.

12 His ea conſonant, quæ habet Caſſiodorus lib. 6. Variarum Epiſtolâ 8. dum mortuorum ſepulchra ſceleratâ ſcrutatione à viuis detegi affirmat. *Defunctorum quin etiam ſacram quietem æquabilia iura tua conſcientiæ commiſerunt, ne quis veſtita marmoribus ſepulchra nudaret, ne quis cineres alienos, aut longinquitate temporis, aut voraci flammâ conſumptos* SCELERATA PERSCRVTATIONE *detegeret.* Vide hic quoque ſceleratam appellatam impietatem, quâ temerè ſepulchra violantur mortuorum.

Sceleratũ eſt detegere ſepulchra mortuorum. Caſſiodorus.

13 Addo in fine Capitis, vt ſceleris huius grauitatem magis declarem, elegantia verba, quibus apud Quintilianum declamatione 10. infœlix homo, qui vt famis neceſſitati occurreret, cadauera vorauerat defunctorum, ſuam deteſtatur ſæuitiam, ſuique ſceleris aperit enormitatem. *Nullas iam ſpero fruges, propitios Deos non mereor. Quomodo me à* SCELERE MEO *diuellerem? in quas vltimas terras, quæ inhoſpitalia maria conderem? Meum ſanè conſcientiâ verunt animum* SCELERVM FACES, *& quoties facta reputaui, flagella mentis ſonant, vltrices video furias, & in quamcumque me partem conuerti, occurrunt vmbræ meorum.* Non poterat ſanè, vt elegantiùs, ita nec exaggeratiùs grauitas ſcelerum, quibus viui ſæuiunt in mortuos, deſcribi. His itaque conſtitutis, crudelitas eorum, qui delinquunt in mortuos apparet, & quàm mala ſit impietas ergà defunctos declaratur.

Scelerum faces impiorum contrà defunctos animum vrunt.

Quintil.

CAPVT LIV.

Iniquum, ſacrilegum, & monſtruoſum eſt pietatem denegare defunctis.

1 SAnctam ſæpè diximus pietatem, quâ ſuffragiorum obſequia mortuis impenduntur. *Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* 2. Machabęorum 12. 46. Ex hac autem ſanctitate pietatis impietatis contrà defunctos iniquitatem arguit Ioannes Bromyardus in ſummâ prædicantium verbo Executor his verbis. *Si ſancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, per argumentum à contrario ſenſu* INIQVVM, ET PROFANVM EST *defunctos negligere.* Vt ſanctum eſt exhibere, ita iniquum eſt pietatem denegare defunctis.

Vt ſanctũ exhibere, ita iniquum eſt pietatem denegare defũctis.

Ioan. Brom.

a Iſraëlitis contrà Syros pugnantibus lethaliter vulneratus eſt rex Achab, & ſanguine per currum defluente, vitam emiſit. Cùm verò currum in Samariæ piſcinâ lauarent, cruorem eius canes linxerunt. *Et lauerunt currum eius in piſcinâ Samariæ, & linxerunt canes ſanguinem eius.* 3. Reg. 22. 38. Obſeruat autem Diuus Ambroſius in Gloſſâ in 3. Reg. cap. 21. hæc accidiſſe perfido regi, propter iniquitatem, quâ Naboth Iezrahelitæ non pepercit defuncto, dum eum inſepultum iacere permiſit. *Inhumatum pauperem Deus aſpicit, & idcò inſepultum diu tem iacere decernit, vt & mortuus luat* SVAE INIQVITATIS *ærumnam, qui nec mortuo putauit eſſe parcendum.* Iniquè Achab egit, dum mortuo Naboth non pepercit, vndè vt eius iniquitatem congruâ pœnâ Deus mulctaret, eum militibus interficiendum, eiuſque ſanguinem canibus tradidit lingendum.

Iniquè Achab egit, dũ mortuo Naboth non pepercit.

D. Ambr.

3 Videns Iudas vnguenta, quibus Magdalena Chriſti corpus, vt ſepulturam eius honoraret, perfudit, indignatus eſt, acriterque illam increpauit, quòd pecuniam piè pauperibus erogandam inutiliter inſumpſiſſet. *Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis.* Ioannis 12. 5. Quæ verba expendens Rupertus Abbas, aduertit non curam pauperum, aut amorem egenorum, ſed iniquitatem præſeferre, ac dolum. Nam cum eò tenderent, vt debitum ſepulturæ Chriſti obſequium turbarent, non poterant non iniquè, ac doloſè proferri. Quapropter Chriſtus mulieris pietatem defendens, opportunâ reprehenſione obſtruxit os loquentis iniquâ. *Dixit ergò Ieſus, ſine illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.* Ioann. 12. 7. Accipe verba Ruperti. *Non eſt timor Dei, vel cura egenorum antè oculos eius, ſed verba oris eius* INIQVITAS, *& dolus, & in cubili ſuo* INIQVITATEM *meditatur.* Cùm pietatem ad ſepulturam honorandam exhibitam reprehendit, iniquitatem meditatus eſt corde, ac locutus eſt ore, nam meditatur, ac loquitur iniquitatem, quicumque turbare conatur mortuis exhibendam pietatem.

Iniquitatem meditatus eſt Iudas, cùm Magdalenam reprehendit Chriſti corpus ad honorem ſepulturæ vngentem.

Rup. Abbas.

4 Ne crucifixorum cadauera Sabbati ſolennitatem turbarent, dum adhuc in patibulis inſepulta penderent, iuſſit Pilatus, petentibus Iudęis, vt eorum crura frangerentur. Quod cùm milites aggreſsi eſſent, latronum quidem adhue viuentium crura fregerunt, ſed vt viderunt Chriſtum iam mortuum, à crurifragio abſtinuerunt, & lanceâ latus eius crudeliter vulnerauerunt. *Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua.* Ioan. 19. 34. Hanc veſanam militum immanitatem, qui mortuo quoque contumelias inferre non metuebant, grauibus verbis obiurgat D. Io. Chryſoſt. in Matth. 24. eamque cæteris omnibus iniquiorem iurè appellauit. *Quid his omnibus* INIQVIVS

Nihil iniquius poteſt impietate in defunctos excogitari.

D. Io. Chryſ.

V 2 *vnquam*

vnquam excogitari poteſt, qui eò impietatis deuenerunt, vt mortuum iam corpus vexarent? Adeò iniquum eſt impietate perſequi defunctos, vt nihil hac iniquitate poſſit iniquius excogitari.

Magna fuit iniquitas Iudæorum Christi defunctum criminantiũ.

5 Sed neq; ab hac Iniquitate principes ſacerdotum, ac phariſæi fuerunt immunes, qui Pilatũ poſt Chriſti mortem adeuntes, eum ſeductorem vocauerunt, ac præſidem, vt militum cuſtodiâ ſepulchrum muniret, rogauerunt. *Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens, Poſt tres dies reſurgam.* Matth. 27. 63. In quibus verbis quis maximam non agnoſcit Iudæorum iniquitatem, qui mortuum quoq; accuſare, ac ſeductorem appellare non deſtiterunt? Audi Sim. Caſſianũ lib. 13. in Euang. c. 128. MAGNA INIQVITAS *hominum, magna vilitas Iudæorum, qui etiam mortuum criminari non ceſſant, ſeductorem Chriſtum corã præſide appellantes.* Magnam Iudæi conceperunt iniquitatem, cùm aduerſus mortuũ Chriſtum exercuerunt impietatem; iniquum enim eſt pro pietate contumelias inferre defuncto.

Sim. Caſſian.

Ab vtroque iure damnatur, vt ſacrilega impietas contrà defunctos.

6 Nec tantùm iniqua, ſed & ſacrilega eſt impietas, quà mortui contemnuntur. Quod ſanè probare licet ex iuribus, tùm ciuilibus, tùm etiam eccleſiaſticis. Ex ciuilibus quidem, nam Iuſtinianus lib. 9. Codicis tit. 19. hæc habet. *Cùm & lapidem hinc mouere, & terram euellere proximum* SACRILEGIO *maiores noſtri ſemper habuerint, ſed & ornamenta quædam tricliniis, aut parieticibus auferre de ſepulchris.* Et paulò infrà idem crimen violantium ſepulchra deteſtans, ſubdit. *Hoc fieri prohibemus pœnâ* SACRILEGII *cohibentes.* Ex iuribus verò eccleſiaſticis poſſumus hoc confirmare, cùm Concilium Toletanum 4. can. 45. de hoc eodem crimine loquens, dicat. *Facinus hoc* PRO SACRILEGIO *legibus publicis ſanguine vindicatur.* Vides ab vtroque iure damnari, vt ſacrilegam impietatem contrà defunctos?

Iuſtinian.

Conc. Tolet.

Sacrilegus putabatur, qui Paulæ defunctæ nõ reddidiſſet vltimũ pietatis officium.

7 His addo, quæ habet D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ Matris Epiſtolâ 27. qui funus deſcribens, quo pontificum humeris eius cadauer eſt elatum, & pſallentium vocibus comitatum, omnem inquit Palæſtinarum vrbium turbam ad exequias defunctę conueniſſe, ac ſacrilegium putaſſe illi extrema non perſoluere pietatis officia. SACRILEGVM *putabant, qui non tali fœminæ vltimum reddidiſſet officium.* Animaduerte igitur non tantùm iniquum, ſed & ſacrilegum eſſe debitis pietatis obſequijs fraudare defunctos.

D. Hieron.

Inaudita crudelitatis mõſtrum eſt denegare pietatẽ defunctis.

8 Reliquum eſt, vt hoc idem monſtruoſum eſſe oſtendam. Id autem diſertis verbis teſtatur Quintilianus, qui declamatione 6. matris impietatem increpans, quæ filij cadaueri legis cuiuſdam prætextu ſepulturæ obſequia permittere nolebat, ita eam perſtringit, vt eius immanitatem monſtruoſam eſſe affirmet. *Iſta legem recitat, & in cadauer filij perorat. Tace, tace miſera. Ita tu iſtud optaſti? Sola ſcilicet calamitatibus noſtris adhuc deficit culpa, vt cùm ſæuitia nimia quoque fœlicitati turpis ſit, procedat* INAVDITVM ANTEA' MONSTRVM, *miſera crudelis.* O' elegantiſſima, & ad rem noſtram comprobandam aptiſſima oratoriæ facultatis præceptoris verba. Non impium, non iniquum, non ſacrilegum tantùm, ſed & monſtruoſum eſt, quin & inauditæ crudelitatis monſtrum facinus, quo debita pietas denegatur defunctis.

Quintil.

Monſtra committuntur, cũ defuncti contemnuntur.

9 Hinc & declamatione 10. idem Author Magi ſæuitiam, qui vmbram defuncti execrabilibus alligauerat verbis, redarguens, reprehendit, vt crudelem, nefariam, ac portentoſam. *Itaque ipſam vmbram tam catenis alligare, tam clauſtris, non dico crudele,* EST PORTENTOSVM, *nefarium.* Et ſimilia repetens declamatione 12. dum viuos luget mortuorum cadaueribus famis tempore paſtos. *Vidit*, inquit, *nos vulneribus paſtos, & ad euiſcerata corpora illuxit. Publicè* MONSTRA COMMISSA SVNT, *& inexpiabile nefas vno ore ciuitas fecit.* Monſtrum committit, qui contrà humanitatem pugnans, defunctos contemnit; vndè crimina in mortuos patrata, monſtruoſa, & portentoſa, nomine illorum immanitati congruo, appellantur.

Idem.

Eadem veritas ex Iuuenalis ſententiâ confirmatur.

10 Quò item reſpexit Iuuenalis lib. 5. Satyrâ 5. hanc eamdem crudelitatem carpens, & nonnullorum ſæuitiam vituperans, qui hoſtes nedùm interficere, ſed & audent interfectos deuorare.

Iuuenalis.

Aſpicimus populos, quorum non ſufficit iræ
Occidiſſe aliquem, ſed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus eſſe cibi, quid diceret ergò
Vel quò non fugeret, ſi nunc HAEC MONSTRA *videret.*
Pythagoras?

Monſtrum prorsùs eſt crudelitas, quâ viui ſæuiunt in mortuos, quare ſtatuere iam proculdubio licet, iniquum, ſacrilegum, & monſtruoſum eſſe pietatem denegare defunctis.

CAPVT LV.

Crudeliſſimi ſunt, qui mortuis pietatem non impendunt.

Summã exercent crudelitatẽ, qui denegant mortuis pietatẽ.

1 VT crudelitatem eorum oſtendam, qui renuunt clementiæ obſequia mortuis exhibere, Caput exordiar à verbis, quibus res Dauid tyrannorum ſæuitiam redarguit, qui populum Dei grauiter perſequentes, varijs pœnarum generibus eum torquebant. *Effuderunt ſanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Ieruſalem, & non erat, qui ſepeliret.* Pſal. 78. 3. Vbi memorat poſt pœnas inflictas viuis obſequia ſepulturæ negata defunctis, vt maximam eorum oſtenderet crudelitatem, qui neque cadaueribus parcebant mortuorum. Egregiè D. Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 2. *Dicitur quidem in Pſalmo, Poſuerunt mortalia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus Cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ, effuderunt ſanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Ieruſa-*

D. Auguſt.

lem

lem, & non erat, qui ſepeliret, ſed magis AD EXAGGERANDAM CRVDELITATEM *eorum, qui iſta fecerunt, non ad eorum inſoelicitatem, qui iſta perpeſſi ſunt*. Sæuitiam exaggerat crudelium, qui eos in mortuos quoque ſæuijſſe demonſtrat; magna enim eſt immanitas, & crudelitas mortuis non impendere pietatem. Quare & Remigius eumdem locum explicans, ait. *Et non erat, qui ſepeliret, vt ſic notetur* MAGNA IMMANITAS, ET CRVDELITAS *eorum*. Quibus & ſubſignans Incognitus *Hic oſtenditur*, inquit, *quòd occiſorum corpora dimittebantur inſepulta, quod erat ſignum* CRVDELITATIS MAXIMAE, *ſæuire namque in viuos crudelitas eſt, ſed in mortuos ſæuire* SVMMAE CRVDELITATIS *eſt indicium*. Summę fuit crudelitatis indicium cadauera ſine ſepulturæ honore abijcere; ſummam enim exercent crudelitatem qui denegant mortuis pietatem.

Remigius.

Incognitus.

a Cum his ea cohærent, quæ habet Euſebius Cæſarienſis lib. 8. cap. 7. tyrannorum enarrans impietatem, qui poſt illatam martyribus diris cruciatibus mortem, cadauera eorum à viris pijs humata effodiebant, & in mare, vt ſepulchrales honores amitterent, proijciebant. Quâ impietate quis ignorat perfidos illos in maximam crudelitatis rabiem exarſiſſe veſanos? *In tantum verò*, inquit Euſebius, *apud eos* RABIES CRVDELITATIS *exarſit, vt regios pueros martyres effectos, cùm ſecundùm humanitatis ordinem fuiſſent ſepulturæ mandati, effoderent denuò, & corpora eorum proijcerent in mare.* Non ſimplici exardent crudelitate, ſed crudelitatis excandeſcunt rabie, qui ſæuiẽtes cõtrà defunctos, pietatis officijs eos defraudant.

Rabie crudelitatis excãdeſcunt qui pietate defraudant defunctos.

Euſebius Cæſarienſis.

3 Rectè igitur D. Ambroſius in eos inuectus, qui mortuorum cadauera pro pignore tenebant, eiſque ſepulturæ honorem, donec fœnus expoſcerent, negabant, adeò crudele facinus patrantes carnificibus duriores appellat. *Dixi itaque; Tenete reum veſtrum, & ne vobis poſſit elabi, domum ducite, claudite in cubiculo veſtro* CARNIFICIBVS DVRIORES, *quoniam, quem vos tenetis, carcer non ſuſcipit, exactor abſoluit*. Ita ille lib. de Tobia c. 10. Eò ſcilicet crudelitatis perueniunt, qui ſæuiunt in defunctos, vt ipſorum quoque carnificum ſæuitiam ſuâ ſuperent immanitate.

Impij contrà defunctos sũt carnificibus crudeliores.

D. Ambroſius

4 Enumerans Eccleſia inſtrumenta pœnalia, quibus & ſuam compleuit paſſionem, & noſtram Chriſtus perfecit redemptionem, & lignum, cui affixus, & ferrum, quo fuit impiè transfixus, dulce appellat.

Nimia fuit Iudæorum crudelitas, quâ Chriſtũ lanceâ vulnerauerunt defunctum.

Dulce ferrum, dulce lignum
Dulce pondus ſuſtinent.

At verò lanceam, quâ fuit vulneratus, non laudat, ſed eius mucronem dirum vocat.

Quæ vulnerata LANCEAE
MVCRONE DIRO, criminum
Vt nos lauaret ſordibus,
Manauit vndâ, & ſanguine.

Cur verò dulce Crucis lignum, dulce clauorum ferrum, non autem dulcis, ſed dirus lanceæ mucro appellatur? Si ad ſacri corporis contactum claui dulceſcunt, & ligna, cur lancea quoque innatâ feritate depoſitâ non dulceſcit? Nonnè lanceam, vt lignum, & clauos cruor diuinus perfudit? Nonnè ſi lancea latus, claui manus, & pedes transfixerunt Redemptoris? Vndè igitur hoc diſcrimen, vt dulces claui, dulce lignum, dirus verò lanceæ mucro nuncupetur? An quia Crux, & claui cruciauerunt viuum, lancea verò ſæuijt in Chriſtum defunctum? Ita profectò; adeò enim crudelia, & dira ſunt, quæ ſæuiunt in mortuos, vt eorum comparatione dulceſcere videantur, quæ cruciant viuos. Huc alluſiſſe videtur Ludolphus Carthuſianus lib. de vitâ Chriſti 2. par. cap. 64. *In quo etiam patet* NIMIA IPSORVM CRVDELITAS, *quia non ſatiati pœnis, quas Chriſto viuenti inflixerant, etiam mortuum vulnerare conati ſunt.* Nimia fuit crudelitas Iudæorum, quâ Chriſtum lanceâ vulnerauerunt defunctum, ideòque licet claui dulces, & dulce lignum, dira tamen dicitur lancea, quâ in eum ſæuierunt mortuum.

Ludolphus Carthuſ.

5 Quin & in eo rabies crudelitatis illorum apparuit, quòd cùm in Chriſti morte terra tremeret, ſol obſcuraretur, lapides concuterentur, monumenta reſerarentur, velum templi ſcinderetur, aliaque ſigna multa diuinitùs exhiberentur, illique cuncta cernerent, & timore percuſſi pauerent, non tamen mortuo, & pendenti Chriſti cadaueri ſepulturæ obſequia exhibuerunt. Quorum crudelitatem redarguens D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioan. cap. 40. *Vide*, inquit, *hinc quoque*, QVANTA CRVDELITAS *in Iudæorum animis fuerit, quippè qui nec mortuo quidem Chriſto parentare voluerunt, quem Chriſtum eſſe non ignorabant, cuius ſigna, miraculaque multa viderunt, quamuis liuoris ſtimulo agitati nihil indè vtilitatis fuerint conſecuti. Ad condemnationem ergò illorum, & maximè Ieroſolymitarum Ioſeph Arimathæus Ieſu corpus ſepulturâ honorat.* Multa fuit impiorum Iudæorum crudelitas, qui neque mortuo Chriſto parcentes, ei poſt tot ſigna ſepulturæ obſequia negauerunt.

Multa fuit crudelitas Iudæorum, qui Chriſtũ poſt multa ſigna nõ ſepelierũt.

D. Cyrillus Alexandrinus.

6 Cadauera Saul, & filiorum eius Philiſthæi ſuſtulerant, & ad ciuitatem Bethſan tranſlata crucibus affixerant, vt ad Iſraëlitarum dedecus penderent, & à volucribus inſepulta lacerarentur. Quod cernentes viri Iabes, totâ nocte ambulauerunt, eaque indè ſurripientes, exequiarum pompâ, & ſepulturæ honore decorauerunt. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntque Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni, & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes.* 1. Reg. 31. 12. Quòd ſi quæratur, cur tot ſe periculis obiecerint, & mœnia hoſtium aggredi non metuerint, vt mortuorum cadaueribus honorem ſepulturæ præberent, reſpondet Ioſeph Hebræus id eos egiſſe, quia nimis crudele cenſebant ligmis affixa, & ſepulchralium honorum expertia pendere cadauera defunctorum. Audiamus eius verba in Gloſ. relata. *Viri Iabes* CRVDELE

Viri Iabes cadauera ſepelierunt Saul, & filiorum eius, quia crudele cenſebant ea omittere inſepulta.

Digitized by Google

Ioſeph Heb. IVDICANTES *Saul cum filijs inſepultos deſpicere, totâ nocte iter agentes, & accedentes ad muros hoſtium, & deponentes corpora Saul, & filiorum eius, detulerunt in Iabes.* Magnam crudelitatem cenſebant viri Iabes mortuos deſpicere, ac ſine ſepulturę honore abiectos, & in patibulis affixos omittere, ac propterea omnia mortis pericula contemnentes, eos indè ſuſtulerunt, atque honorificè ſepelierunt; nimis enim crudele eſt debita mortuis denegare obſequia humanitatis.

Crudelitas Achab, qui Naboth mortuum inſepultum omiſit.

7 Huius crudelitatis pœnas luit perfidus ille Achab, qui Naboth Iezrahelitam lapidibus obrui præcepit, ac inſuper eius cadauer ſanguine perfuſum, vt à canibus lingeretur, inſepultum abiecit. Quas quidem pœnas Elias ei prædixit. *Hæc*, inquiens, *dicit Dominus in loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum.* 3. Reg. 21. 19. Vbi vides auari, atque impij Regis crudelitatem, quâ & interfecerat viuum, & inſepultũ abiecerat mortuum, dignâ ſeueritate à Deo mulctatam. Rectè D. Ambr. in Gloſ. *Nec mortuo putauit eſſe parcendum. Itaque vulneris ſui cruore perfuſum cadauer, ſpecie funeris vitæ ſuæ prodidit* CRVDELITATEM. Suã impius Rex prodidit crudelitatem; cùm mortuo non parcens, eius cadaueri negauit pietatem, vndè & pœnas tantæ crudelitati congruas, vulneris cruore, ac mortis acerbitate perſoluit. *D. Ambroſ.*

Hectoris crudelitas in Patroclum mortuum.

8 Similes pœnas Hector luit ab Achille interfectus, & ad naues indignè raptatus, cùm Patrocli cadauer inſepultum abijcere, ac vulturibus laniandum relinquere decreuit. Nam eum alloquens apud Homerum Iliade 16. dixit,

Homerus.

haſtá verò ipſe
Inter Troianos bellicoſos excello, qui ab ipſis arceo
Diem neceſſarium, te autem hîc vultures edent.

Quam ob crudelitatem ab Achille tantâ ſeueritate fuiſſe mulctatum, docet Scholiaſtes vetus Homeri in Iliad. 22. Homeri his verbis. Πρότερον ὁ Ἕκτωρ εἰς τὸν Πάτροκλον ἀεικέα μήσατο ἔργα, οἷα καὶ λέγει περὶ αὐτοῦ κεφαλὴν δὲ ἑ θυμὸς ἄνωγε πῆξαι ἀνὰ σκολόπεσσι ταμόνθ' ἁπαλῆς ἀπὸ δειρῆς. *Prius Hector in Patroclum* CRVDELIA MOLITVS FVERAT, *qualia de eo dicit: caput autem palo affigere à tenerâ ceruice abſciſſum cogitabat.* Crudelia cogitauerat Hector, dum Patroclum ſtatuerat contemnere defunctum, eamque ob cauſam crudeliter eſt ab Achille interfectus, & ignominioſè poſt mortem raptatus. *Schol. Hom.*

Gens crudelis, quæ Palinurum nõ ſepeliuit.

9 Eamdem expreſſit crudelitatem Virgilius lib. 6. Aeneidos, apud quem Palinurus Aeneam alloquens ad inferos profectum, cum eo queritur, quòd ſuum cadauer aquis obrutum, & iam litori propinquans gens crudelis prædæ intenta nequaquam ſepulturæ obſequio donauerit.

Virgilius.

Paulatim adnabam terræ, iam tuta tenebam,
NIGENS CRVDELIS *madidâ cum veſte grauatum,*
Prenſantemque vncis manibus capita aſpera montis
Ferro inuaſiſſet, prædamque ignara putaſſet.

Verè fuit gens iſta crudelis, quæ mortuum iam terram tenentem inſepultum abijcere, ac ſine exequiarum honore potuit iterum in mare proijcere. Accinit Seruius. *Rectè dixit* CRVDELEM GENTEM, *de ſepulturâ enim loquebatur, quam ſibi dolebat non exhibitam. Illi, qui venerant, ſi humanitatem retinerent, non quærere prædam de mortuo, ſed ſepulturam defuncto procurare debuerant.* Eò crudelitatis peruenerunt, qui ſepulturam defuncto Palinuro negauerunt, vt amiſiſſe videantur humanitatem, cùm hanc renuerunt impendere pietatem. *Seruius.*

Crudelitas in defunctos contra ipſam hoſtium pugnat humanitatem.

10 His ea conſonant, quæ Cicero habet oratione pro Milone, crudelitatem amplificans, quâ P. Clodij cadauer ſine exequiarum pompâ canibus dilaniandum fuerat abiectum. *Tu inimiciſſimum* MVLTÒ CRVDELIVS *etiam punitus es, quã erat humanitatis meæ poſtulare. Tu P. Clodij cruentum cadauer eiecisti domo, tu in publicum eiecisti, tu ſpoliatum imaginibus, exequijs, pompâ, laudatione, infœliciſſimis lignis ſemiuſtulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.* Vides crudelitatem, quâ defuncti debitis fraudantur pietatis obſequijs cõtrà ipſam hoſtium quoq; pugnare humanitatem. *Cicero.*

Sæuitia in mortuos exemplar eſt crudelitatis.

11 Quid? quòd crudelitas in defunctos, crudelitatis, ac ſæuitiæ iurè appellatur exemplar? Neronis crudelitatem Suetonius deſcribens, omnia fatetur ſe non poſſe illius ſæuitiæ facinora enumerare, quapropter ad ea ſola, quæ pręcipua erant in eo crudelitatis exemplaria, ſermonem coarctat. Inter hæc autem impietatem recenſet quâ propinquorum luctum pro capite damnatis immani ſæuitiâ prohibebat. Porrò prohibitio defunctis exhibendæ pietatis, nedùm crudelitas, ſed exemplar eſt crudelitatis. *Sigillatim* CRVDELITER FACTA *eius exequi longum eſſet, generatim velut exemplaria ſæuitiæ enumerare ſat erit. Nullus à pœnâ hominum ceſſauit dies, ne religioſus quidem, ac ſacer. Animaduerſum in quoſdam ineunte anno nouo, accuſati, damnatique multi cum liberis, atque etiam vxoribus ſuis. Interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent.* Hucuſque Suetonius in Tiberio cap. 61. Ex cuius verbis apparet exemplaria eos exhibere crudelitatis, qui mortuis renuũt obſequia impendere pietatis. *Suetonius.*

Ferrei reputantur, qui defunctos propinquos pietate non proſequuntur.

12 Pergo, & ferreos eos reputari, qui denegant mortuis pietatem, oſtendo. Præcepit Deus in lege veteri ſacerdotibus, ne funeribus mortuorum ſe contaminarent. Permiſit eis tamen, vt conſanguineos, & propinquos conſuetâ exequiarum pompâ lugerent. *Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis, ac propinquis, id eſt ſuper patrem, & matrem, & filium, & filiam, fratrem quoque, & ſororẽ virginem, quæ non eſt nupta viro.* Leuit. 21. 2. Hic oritur dubiùm, cur horum funeribus aſſiſtere Deus permiſerit ſacerdotes, cùm eorum quoque aſpectu, non ſecùs ac intuitu aliorum, polluerẽtur. Verùm occurrit Procopius in Gloſ. dicens hoc Deum eis conceſſiſſe, ne ſacerdotes à populo ferrei reputarentur, dum ſuos non lugerent *Procopius.*

humanâ

Digitized by Google

humanâ pietate defunctos. *Ne quis verò ſacerdotes* Reputet Ferreos, *in quos nullus cadat luctus, ſtatuit, ad quas perſonas accedere fas ſit, præcipuè cùm lex dicat, bonora patrem, & matrem.* Ferrei fuiſſent ſacerdotes reputati, ſi ſuorum funeribus non aſtitiſſent, nam ferrei reputantur, qui propinquos defunctos pietate non proſequuntur.

Hæretici animabus Purgatorij ſuffragia negantes tyranni ſunt omnium crudeliſſimi.

13 Coronidem capiti huic imponant verba Ioannis Echij, qui homil. 3. in die Animarum perfidos carpens hæreticos, qui negant Animas Purgatorij fidelium viuentium ſuffragijs poſſe adiuuari, tyrannos eos appellat omnium, qui vnquam vixerint, crudeliſſimos, in eo maximè ſuam crudelitatem oſtendentes, quòd nolunt animas in ſummâ neceſſitate conſtitutas opportunis ſuffragiorum auxilijs à pietate fidelium ſubleuari. *Sunt* Tyranni Omnivm Crvdelissimi *ex ijs, qui vnquam vixerunt, quòd nolunt iuuari animas in ſummâ neceſſitate conſtitutas.* Omniū prorsùs crudelitatem ſuperat, qui defunctis pietatem denegat, ita vt crudeliſſimi tyranni mereantur nūcupari, qui ſuffragijs animas Purgatorij fraudare ſtultè procurant. Itaq; adeò verum eſt crudeliter contemni defunctos, vt crudeliſſimi ſint, qui eis pietatem non impendunt.

Io. Echius.

CAPVT LVI.

Excuſandi ſunt, qui rationabilem ob cauſam ergà defunctos minùs pij videntur.

Iacob apud Ioſeph ſe excuſauit, quòd non ſepeliſſet Rachelem in patrio monumento.

1 Adeò immane, ac graue facinus eſt impietas in defunctos, vt ea etiam, quę rectè fiunt, neceſſariò ſint excuſanda, ſi aliquam huius impietatis ſpeciem habere videantur. Cùm ad extremam ſenectutem Iacob perueniſſet, & mortali ægritudine laborans diē poſtremum expectaret, aduenienti ad ſe Ioſeph, dixit, quòd Rachel mortua erat, cùm ipſe eum eâ de Meſopotamiâ veniret, in terrâ Chanaan, & vernum tempus eſſet, quapropter eam ſepeliuit iuxtà viam Ephratæ. *Mihi enim quando veniebam de Meſopotamiâ, mortua eſt Rachel in terrâ Chanaan, in ipſo itinere, eratque vernum tempus, & ingrediebar Ephratam, & ſepeliui eam iuxtà viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethleem*, Gen. 48. 7. Hic ſciſcitari iuuat, quorsùm hæc filio ſuo dixerit Iacob, antequam moreretur. Cur de patris morte, quæ imminebat, dolenti, matris mortem, quæ præterierat, enarrauit? Cur tunc materni meminit obitûs, cùm paternos filio debebat amplexus? Cur demùm dum moriebatur, mortem, & ſepulturam memorauit vxoris? An id egit, vt ſe excuſaret, quòd Rachelem in patrio ſepulchro non humaſſet, quia cùm iter ageret, & vernum tempus eſſet, non potuiſſet hoc ei exhibere obſequium pietatis? Ita cenſet Dionyſius Carthuſianus. Excvsat Se *ſanctus Iacob de hoc, quòd non ſepeliuit matrem Ioſeph Rachelem in ſepulchro maiorum, in quo ipſemet petijt ſepeliri.* Excuſatione indigent ea, quæ minùs piè videntur exerceri erga defunctos, vndè Iacob voluit, antequam moreretur, ſe excuſare, quòd vxoris cadauer in patrio non ſepeliſſet monumento.

Dion. Carth.

Booz ſe excuſauit, quòd non ſtatim contrahens cum Ruth nomen ſuſcitaret defuncti.

2 Quò etiam verba reſpexerunt, quibus Booz allocutus eſt Ruth, quæ illius coniugium expoſtulauerat ad ſuſcitandum nomen defuncti mariti. *Nec abnuo me propinquum, ſed eſt alius me propinquior.* Ruth. 3. 12. His enim ſe Booz excuſauit, quòd non ſtatim ad exhibendam pietatem defuncto coniugium cum ea iniret, quia ſupererat adhuc alius, ad quem iure maioris propinquitatis ex vi legis hæc ſuſcitatio nominis defuncti pertinebat. Subdo verba, quæ habet in hunc locum Abulenſis. *Reſpondet in hoc ipſi Ruth, quia Ruth iure cognationis diceret, quòd teneretur eam Booz accipere in vxorem. Et reſpondet, quòd verū eſt, quòd eſſet propinquus, & tamen iure propinquitatis non competit ei accipere illam in vxorem, quia alius erat propinquior, & ſuſcitatio ſeminis defuncti pertinet ad propinquiorem ſemper.* Ne Booz videretur ergà defunctum propinquum minùs pius, dum ſtatim cum ſuperſtite illius vxore matrimonium ad eius nomen ſuſcitandum non contrahebat, cauſam, cur id ageret attulit, ſeque, quòd nuptias differret, vt legi obtemperaret, ac propinquiori cederet, excuſauit.

Abulenſis.

Cœleſti prodigio Ioſue à crudelitate in defunctos excuſatur.

3 Prœliabatur Ioſue aduersùs Reges Amorrhæorum, qui ſuos milites cæde ab Iſraëlitis proſtratos cernentes, terga cum paucis, qui ſupererant, verterunt, & ſuæ ſaluti fugà conſulere ſtatuerunt. At lapides magni de Cœlo deſcendētes eos percuſſerunt, quoſque gladius non peremerat, lapidea grando interficiebat. *Cùmque fugerent filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Bethoron, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de Cœlo vſque ad Azeca, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filij Iſrael*, Ioſue. 10. 11. Hic dubitare licet, cur Deus lapidibus percuſſerit, quos gladio poterant interimere inſequentes Iſraëlitæ. Nonnè maiorem ſibi gloriam populus comparaſſet, ſi cunctos hoſtes ſuos proprijs manibus debellaſſet? Quid opus erat prodigiis cœleſtibus eos cędere, quos iam ad internecionem cędebant milites Hebræi? Non vt Amorrhæos vinceret, ſed vt Ioſue excuſaret, Deus lapides miſit, cùm enim eſſet Reges Amorrhæorum interfecturus, eoſque mortuos, ſuper ſtipites ad ignominiam ſuſpenſurus, prodigia requirebantur cœleſtia, quæ illum à crudelitate excuſarent, dum ſæuire videbatur in defunctos. Habet id Rupertus Abbas lib. 1. in Ioſue cap. 22. *Parum erat apud homines tantum victorem, qui nec mortuis parceret, ſed mortuorum quoque colla pedibus calcare præciperet, mortuoſque patibulis affigeret,* De Crvdelitate Excvsari *prædicto teſtimonio, vel præcepto legis, niſi etiam defenderetur in præſentiarum nouo, & inaudito miraculo iuſti Dei, Cùm, inquit fugerent*

Rup. Abbas.

gerent

gerent filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Bethoron, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de Coelo. Excuſandus fuit Dux, qui videbatur crudeliter ſæuire in defunctos, vndè ad illius excuſationem cœleſti prodigio ſe iubente id agi Deus oſtendit.

Magdalena excuſatur, quòd non ſtatim vnxerit Christi cadauer.

4 Commendans Ioannes Magdalenæ pietatem, quâ vt Chriſti cadauer pretioſis aromatum mixturis deliniret, ad eius monumentum, cùm adhuc tenebræ non receſſiſſent, properauit, dixit eam vnâ Sabbati ad hoc miſericordiæ obſequium fuiſſe profectam. *Vnâ autem Sabbati Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum.* Ioan. 20. 1. Cuius diei deſcriptio, quid aliud fuit, quàm moræ mulieris excuſatio, quæ non ſtatim aromata detulerat, ſed ad tertiam diem vnctionem diſtulerat? Porrò cùm dicitur vnâ Sabbati perrexiſſe, innuitur lege Sabbati, ne ſtatim illud pietatis obſequium defuncto exhiberet, detentam fuiſſe. Ad hæc eleganter D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 44. *Non remanſiſſet domi, nec à monumento abſuiſſet diligentiſſima illa mulier, niſi lege Sabbati detenta fuiſſet. Quo die iam exacto, & altero die appropinquante, curriculo venit ad monumentum.* Excuſauit mulierẽ Euãgeliſta, ne in mortuum minùs pia videretur, quia lege Sabbati detenta cadaueris non vacauerat vnctioni.

D. Cyr. Alex.

Chriſtus excuſatur, quòd non niſi poſt quatriduum vitam reddiderit Lazaro.

5 Quid? quòd ipſum quoque Chriſtum, cùm non ſtatim defuncto pietatem exhibuit, idem Euangeliſta excuſauit? Antequam Lazari mortem, & reſurrectionem enarret, Ieſum inquit Martham, Mariam, & ipſum quoque Lazarum præcipuè dilexiſſe. *Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum.* Ioan. 11. 5. Cur verò hæc ſcripſit? Quid noſtra intererat amorem cognoſcere, quo Chriſtus fideles iſtos diligebat? Dicturus erat, quòd Chriſtus, non ſtatim, ſed poſt quatriduum mortuum Lazarum ad vitam reuocauit, ideòque præmittere voluit excuſationem, oſtendens, quòd non ob defectum amoris, ſed myſterij gratiâ vitam diſtulerat reſtituere defuncto. Probè Caietanus. *Ne putares, quòd Ieſus ex minore ergà has mulieres, aut Lazarum amore tardauerit ire ad curandum, ſeu reſuſcitandum Lazarum, excludit huiuſmodi cauſam Euangeliſta, narrans amorem Ieſu ergà ſingulos.* Adeò excuſanda ſunt ea, quæ minorem ergà defunctos redolere videntur pietatem, vt ipſum quoque Chriſtum excuſauerint Euangeliſtæ, cùm hanc eis pietatem celeriter non impendit.

Caietanus.

Excuſatur Aeneas, quòd ſocios non ſepelierit mortuos.

6 Ad Gentiles tranſeo, quos etiam huiuſmodi excuſationes attuliſſe reperio. Fingit Virgilius Æneam ad inferos deductum, multos ibi conſpexiſſe, qui obeuntes ſepulchralibus non fuerant obſequijs honorati. Inter quos ex ſuis vidit Leucaſpim nauis rectorem, & Orontem claſſis Lyciæ ductorem, quos procellam perdidiſſe, ac maris fluctus ait obruiſſe. Audiamus eius carmina lib. 6. Æneidos.

Cernit ibi moeſtos, & mortis honore carentes
Leucaſpim, & Lyciæ ductorem claſſis Orontem.
Quos ſimul à Troiâ ventoſa per æquora vectos
Obruit Auſter, aqua inuoluens nauemq; viroſq;

Virgilius.

Hæc autem docet Donatus Poëtam narraſſe, vt Aeneam excuſaret, quòd amicos obſequio ſepulturæ non honoraſſet, quos à fluctibus raptos non poterat, vt cupiebat humare. *Hoc dictum duas texuit cauſas, vna eſt, vt legenti reuocaret in memoriam, qui eſſent iſti, vel vbi, aut quando, aut quâ vi interijſſe viderentur, altera ne eſſet Aeneæ vitium, quòd ſuos non tradidiſſet ſepulturæ. Ipſi ſunt, inquit, quos ab ipſo ſeparauerunt ſæua naufragia, proindèque humare non potuit, quos cum ipſis nauibus procella perdiderat, quod vitium purgatur, nec Aeneam aſpergit, quos non habuit in præſenti, ſepelire non potuit, vt pote, quos ventorum procella preſſerat, & immenſi per diuerſa rapuerant fluctus.* Aduerte Aeneam excuſari, qui mortuis ſocijs videbatur non exhibuiſſe pietatem.

Donatus

Excuſatur item, quòd nõ humauerit Palinurum.

7 Similem quoque attulit ibidem Poëta excuſationem pro Aenea, qui Palinuri cadauer non ſepelierat, dum ipſum quoque ait puppi excidiſſe, atque vndis abreptum perijſſe.

Ecce gubernator ſe ſe Palinurus agebat,
Qui Libyco nuper curſu, dum ſidera ſeruat,
Exciderat puppi, medijs effuſus in vndis

Virgilius.

Ad quæ idem Donatus hæc habet. *Ab huius quoque caſu* EXCVSATVR AENEAS, *quoniam inſepultum conſtabat eſſe etiam Palinurum; ſi enim effuſus eſt naui, cùm eſſet ipſe quoque Aeneas in pelago, quomodo ergo ſepeliri potuit, quem exceperat latitudo pelagi, & in litorum ignota tranſuexerat?* Vides in omnibus, quæ minorem præſeferre videbantur Aeneæ in mortuos pietatem, eum à Poëta, ſingulorum cauſis allatis, excuſatum?

Donatus.

Codrus tenuitatem funeris excuſat, quo ſepulturâ honorat Pomp.

8 Sed & Codrus, dum Magni Pompeij cadauer humauit, funeris tenuitatem excuſauit, ſeque dixit inter metûs anguſtias humilem celeriter tumulum erexiſſe, ne aut belluæ, aut hoſtes temerario auſu in mortuum ſæuirent.

ne ponti bellua quicquam,
Ne fera, ne volucres, ne ſæui Cæſaris ira
Audeat, exiguam, quantũ potes, accipe flammã

Lucanus.

Hæc defunctum Pompeium, dum eius patrio ritu cadauer cremabat, alloquebatur Codrus apud Lucanum lib. 8. Pharſaliæ. Quæ magis explicans Lambertus Hortenſius, hæc addidit. EXCVSAT *præſentem tenuitatem funeris partim à neceſſario, partim à pio, ne à piſcibus abſumatur in mari, ne rapacibus auibus præda relinquatur, aut Cæſar in corpus ſæuiat.* Nouerat Codrus excuſanda eſſe, quæcumque in defunctos exerceri minùs piè videntur, ideòque ad excuſandam tenuitatem funeris, quo parentabat Pompeio, & neceſſitatem attulit, & pietatem.

Lambertus Hortenſius.

Nero ſe excuſauit, quòd celeri, & priuato funere parentarit Britannico mortuo.

9 Sed & Nero, licet crudelitatis monſtrum, crudelitatem tamen conatus eſt excuſare, quâ ſæuijt in defunctos. Vndè cùm Britannicum fratrem ſuo iuſſu veneno interfectum celeri funere, ac priuatis exequijs extuliſſet, id apud populum excuſauit, pro ſe afferens antiquum morem, quo

acerba

Digitized by Google

acerba funera citò ab oculis ſubtrahebantur.

Corn. Tacit.

Narrat hoc Cornelius Tacitus lib. 3. Annalium. *Feſtinationem exequiarum edicto Cæſar defendit, id à maioribus inſtitutum referens, ſubtrahere oculo acerba funera, neque laudationibus, aut pompâ detinere.* Cùm itaque Nero etiam actionem minùs piam in defunctum excuſare voluerit, quis poſthac negabit, adeò crudelem eſſe impietatem in defunctos, vt excuſandi ſint qui rationabilem ob cauſam ergà defunctos minùs pij videntur.

CAPVT LVII.

Vitia capitalia deuitant, qui ergà mortuos pietate flagrant.

Archiſynagogus ſuperbiâ deſerens humilitatem coluit, cùm pro filiâ mortuâ rogauit.

1 Vitia capitalia ea dicuntur, à quibus cætera omnia vitia oriuntur, hæcque ſeptem, ſanctis cunctis Patribus, ac Theologis conſentientibus, enumerantur, videlicet Superbia, Inuidia, Ira, Auaritia, Accidia, Gula, Luxuria. Quæ omnia pietate, quæ defunctis exhibetur, euitari hoc capite oſtendo. À Superbiâ igitur, quæ initium fuit omnis peccati, initium duco, & obſeruo principem ſynagogæ, cuius filia defuncta fuerat, ad Chriſtum acceſſiſſe, atque ad illius pedes, dum pro mortuæ reſurrectione rogabat, cecidiſſe. *Et ecce venit vir, cui nomen Iairus & ipſe princeps ſynagogæ erat, & cecidit ad pedes Ieſu, rogans eum, vt intraret in domum eius.* Luc. 8. 41. Miror, quòd ſynagogæ princeps tantæ apud Iudæos authoritatis, & excellentiæ, ad Chriſti pedes corruens eum adoraret! Quo pacto qui ſuperbiſſimis præerat in ſynagogâ Iudæis, omni depoſitâ ſuperbiâ, tàm inſignis coram Chriſto ſpecimen exhibet humilitatis? An dum pro mortuâ preces effudit, ſuperbiam dimiſit, & humilitatis virtutem acquiſiuit? Hoc ſanè docuit his verbis Abulenſis. *Volebat iſte princeps placare Chriſtum, vt dignaretur filiam eius ſanare, quod per humilitatem putabat habere poſſe, ideò adorauit eum.* Humilitatem coluit, atque à Phariſæorum ſuperbiâ receſſit, cùm Chriſtum pro filiâ defunctâ orauit, qui enim ſuâ pietate mortuos adiuuat, ambitionem, & ſuperbiam deuitat.

Abulenſis.

Sunamitis pro mortuo filio Eliſæum orans à ſuperbiâ ſe oſtēdit alienam.

2 Quod & præſtitit mulier Sunamitis, quæ ad Eliſæum pergens, vt ſuis precibus vitam ab eo impetraret, pedes illius apprehendit. *Cùmque veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius.* 4. Reg. 4. 27. Id autem egit, vt ſe ab omni ſuperbiæ faſtu alienam, veræque humilitati oſtēderet, dum pro mortuo rogabat, adhærentem. Annuit idem Abulenſis. *Apprehendit pedes eius, quaſi miſericordiam petens in aliquâ calamitate, vt ſic ſuaderet Eliſæo facere, quod ipſa petebat, nam tunc corda generoſa naturaliter maximè perſuadentur, quando illi, qui aliquid petunt, maximè ſe humiliant; non poterat autem eſſe maior humiliatio, quàm quòd mulier proijceret ſe ad pedes Eliſæi.* Ò ſanctam ergà defunctos pietatem, quæ ſuperbiam expellens, adeò heroicam animis hominum inſerit humilitatem.

Idem.

Priamus ſuperbiam ſepoſuit, cùm pro ſepulturâ Hectoris orauit.

3 Hùc ſpectauit & Homerus, cùm Iliade 24. Priamum ſenem pro Hectoris filij ſepulturâ orātem ad Achillis pedes prouolutum, eiuſque genua inducit apprehendentem.

Hos autem latuit ingreſſus Priamus magnus; propè verò aſtans
Manibus Achillis prehendit genua, & oſculatus eſt manus
Graues homicidas, quæ ei multos occiderant filios.

Homerus.

Animaduerte laudabilem Priami humilitatem, qui dum ſepulturam filio poſtulat defuncto, faſtum ſeponit, & hoſtis genua ſuppliciter apprehendens, manus filiorum ſuorum homicidas exoſculatur. Superbiam igitur vitiorum capitalium caput ſuperant, qui defunctos adiuuare feſtinant.

Inuidia deponitur, cùm pietas mortuis impenditur.

4 Venio ad Inuidiam, quam pietate defunctis impensâ extingui, verba in primis oſtendunt, quibus Ruben allocutus eſt fratres, cùm puerum Ioſeph non reperit in ciſternam veterem propter inuidiam ab eis proiectum. *Puer non comparet, & ego quò ibo,* Gen. 37. 30. Quorum verborum ſenſum tradens Philo lib. de Ioſeph. ait. *Viuit ne puer, an extinctus eſt? Si non ſupereſt, ſaltem cadauer oſtendite, vt deplorando, calamitatem leuiorem faciam. Solatium erit videre vel mortuum. Cur mortuum quoque odio proſequimur?* CERTÈ MORTVIS NEMO INVIDAT. Hortabatur fratres Ruben, vt ſi Ioſeph interfecerant, ſaltem cadauer oſtenderent, eique iuſta exequiarum ſoluentes, inuidiam, quâ viuentem perſecuti fuerant, deponerent; nouerat quippè tunc liuorem ceſſare inuidiæ, cùm defunctis clementię obſequia exhibentur.

Philo Hebr.

Hoſtes non inuident, cùm hoſtibus mortuis ſepulturam concedūt.

5 Hinc Vibulenus apud Cornelium Tacitum lib. 1. Annalium impietatem Blæſo exprobrans, qui fratris cadauer interfectum, & cruore perfuſum abſque ſepulturæ honore abiecerat, dixit ne hoſtes quidem inuidiæ liuore tabeſcere, dum ſepulchrales hoſtibus interemptis concedunt honores. *Reſponde Blæſe, vbi cadauer abieceris? Ne hoſtes quidem* SEPVLTVRAM INVIDENT. Ceſſant inuidiæ tormenta, cùm apparent ergà mortuos humanitatis obſequia, ideòque hoſtes ampliùs non inuident, cùm mortuis, quibus inuidebant, ſepulturæ honores concedunt.

Corn. Tac.

Athenienſes mortuos laudantes ab inuidia labe ſe oſtendebant alienos.

6 Idipſum firmat Demoſthenes oratione aduersùs Leptinem, Athenienſium pietatem commendans, quâ glorioſè pro patriâ in bello cæſos publicè ſepeliebant, & funebribus laudationibus præclara eorum geſta extollebant. Quibus, vt virorum fortium virtutem præmio ſe afficere innuebant, ita ſe ab omni labe inuidiæ alienos declarabant. Inuidiam enim excludunt, qui mortuis pietatem impendunt. Sed iam Demoſthenis verba proferamus. *Sol ex vniuerſo genere mortalium eos, qui pro patriâ in bello occubuere, ſepelitis publicè, ac funebribus orationibus ornatis facta fortium virorum. Hoc verò huiuſmodi eſt, vt indicet homines, qui virtutem magnifaciant, non qui virtutis honoribus* INVIDEANT. Ab inuidia non torquetur,

Demoſthenes.

Digitized by Google

quatur, qui defunctos pietate proſequitur, per obſequia namque huius pietatis tormenta expelluntur liuoris.

Iſmael iram depoſuit, cùm patrem ſepeliuit.

7 Tranſeo ad iram, quam item pietas, quæ defunctis exhibetur, expellit. Cùm ad extremam ſenectutem perueniſſet, defunctus eſt Abrabam, cuius cadauer Iſaach, & Iſmaël eius filij, religioſá pietate celebratis exequijs, in proprio monumento condiderunt. *Et ſepelierunt eum Iſaach, & Iſmael filij ſui in ſpelunca duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron Hethæi è regione Mambre*. Gen. 25. 9. Hic antem obſeruat Oleaſter, quòd licet Iſmaël fuiſſet à patre, dum viueret, expulſus, & hæreditate quamuis primogenitus priuatus, iniuriæ tamen immemor, cùm eum defunctum ſepeliuit, omnem iram depoſuit. *Aduerte Iſmaelem iniuriæ ſibi illatæ à patre immemorem, cùm opus fuit eum ſepelire, licet noſſet ſe cum matre ab eo abiectum, & maiorem natu hereditate pulſum*. Iram deponunt, qui mortuis pietatē impendunt, vndè tunc Iſmaël omnis iniuriæ immemor iram depoſuit, cùm patrem defunctum vnà cum fratre ſepulturæ honore donauit.

Oleaſter.

Hoſtium odia & ira ceſſant cùm impietatem abhorrēt in defunctos.

8 Hoc idem ſecutus M. Antonius Bruti hoſtis cadauer purpureo texit paludamento, illudque tradidit ſepeliendum liberto. Quod agens, omne odium depoſuit, iramque compeſcens, eum, non vt hoſtem, ſed vt ciuem honorauit. Debeo id Valerio Maximo lib. 5. cap. 1. *M. Antonij animus talis humanitatis intellectu non caruit. M. enim Bruti corpus liberto ſuo ſepeliendum tradidit, quòque honoratiùs cremaretur, iniici et ſuum paludamentum iuſſit, iacentem, non hoſtem, ſed ciuem*, DEPOSITO exiſtimans ODIO. Quid clarius? Iram odiumq; Antonius depoſuit, cùm Brutum mortuum honorauit, ab irâ enim recedunt, qui ſuâ mortuos pietate honorant. His verò ſubſignans Demoſthenes oratione de Coronâ *Quis etiam*, inquit, *ignorat omninm, viuentes omnes inuidiæ, vel plùs, vel minùs eſſe obnoxios, in defunctos autem etiam hoſtium odia conquieſcere?* Vides hoſtium quoque, dum impietatem abhorrent in defunctos, odia côquieſcere, iraſque ceſſare?

Val. Max.

Demoſthenes.

Pompeius Mithridati ſepulturam concedens iram omnem depoſuit.

9 Affero adhuc ad hanc eamdem rem comprobandam inſigne Pompeij facinus, qui hoſtem Mithridatem mortuum pietate proſecutus, eius cadauer in patrio ſepulcbro humari præcepit, hocque præclarę clementię obſequio iram ſe omnem deponere oſtendit. Egregiè hoc egregium miſericordiæ officium Dio deſcribit li. 37. Rom. Hiſt. *Pompeius cum vitâ Mithridatis etiam nomen hoſtile extinctum exiſtimans, nullas in defunctum fruſtrà* IRAS *exercendas putauit, itaque nihil eius cadaueri inſultans, in patrio id ſepulchro condi iuſſit*. Dum ſepulturam defuncto permiſit, nullas ampliùs in eum iras exercendas putauit; ab iræ quippè abſtinet exercitio, qui ergà defunctos pietatem exercet.

Dio.

Ioſeph ab auaritiâ ſe alienum declarauit, cùm Chriſti cadauer ſepeliuit.

10 Pergo, & auaritiam quoque hac pietate cohiberi oſtendo. Diues fuit Ioſeph ille Arimathæus, qui Chriſtum cernens defunctum, à Pilato eius cadauer poſtulauit, & in lapideo, ac nouo monumento humauit. Iurè antem dicitur ad Pilatum audacter ingreſſus. *Audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu*. Marc. 15. 43. laudabiliter enim audax fuit, dum Iudæorum odium concitare, atque à diuitijs decidere non timuit. Omnem quippè Auaritiæ affectum depoſuit, & diuitias amittere, vt mortuo magiſtro pietatem impenderet, non curauit. Appoſitè Theophylus in catenâ. *Audet auſum laudabilem; non enim excogitauit, à diuitijs decidam, & expellar à Iudæis, ſi corpus petam eius, qui eſt blaſphemus condemnatus*. Cùm Chriſti cadauer ſepeliuit, amorem diuitiarum contempſit, & ab Auaritiæ vitio prorſus alienum ſe oſtendit.

Theophylus.

Aurum contempſit, Pilato illud donās vt Chriſtum ſepelire poſſet.

11 Quòd ſi quæratur, cur Pilatus tantâ ei facilitate corpus Chriſti conceſſerit, qui cùm damnatus eſſet vt ſeditioſus, erat ſine ſepulturæ honore abijcendus, reſpondet Theophylactus eum id egiſſe, quia cùm Ioſeph diues eſſet, aurum ei dedit, muneribuſque illum placauit. *Porrò pro magno dono donatum eſt illi corpus, nam cùm vt ſeditioſus eſſet occiſus, reliquum erat, vt inſepultus abijceretur. Verùm cùm Ioſeph diues eſſet, veriſimile eſt, quòd Pilato aurum dederit*. Vide igitur, quantùm ab auaritiâ bic diſcipulus abfuit, dum Chriſto mortuo pietatem exhibuit, qui aurum contempſit, illudque & Pilato donauit, & in vnguentis, quibus cadauer vngeret, impendit.

Theophyl.

Libitinarij quæſtum contempſerunt, cùm mortuis pietatem exhibuerunt.

12 Quid? quòd ij quoque, qui tantùm quæſtui viuunt, auaritiam dimiſerunt, quæſtumque contempſerunt, cùm pietatem defunctis exhibuerunt? Profectò commendans Valerius Maximus lib. 5. cap. 2. Libitinariorum pietatem, qui funus Hirtij, & Panſæ gratuito miniſterio, & proprijs impenſis extulerunt, hæc protulit. *Quorum quidem quæſtum contempſerunt, nulli alij rei, quàm quæſtui viuentes*. En homines quæſtui viuentes quæſtûs effecti pietate defunctis exhibitâ contemptores; hæc nimirùm pietas auaritiam prorſùs expellit, & auariſſimos quoque nebulones quæſtûs reddit magnanimos contemptores.

Val. Max.

Ab omni Accidia, ac pigritiæ notâ ſe immunem Petrus oſtendit, cùm mortuâ Tabitham ſuſcitauit.

13 Proſequor, & etiam Accidiam demonſtro hac pietate fugari. Mortua fuerat diſcipula nomine Tabitha, & multę viduæ fideles, quas dum viueret ſuâ charitate ſuſtentabat, ſe prorſùs deſtitutas plorabant. Quare cùm eam lauiſſent, atque in cœnaculo collocaſſent, miſerunt viros ad Petrum, qui eum rogarent, vt veniens vitam ſuis precibus reſtitueret defunctæ. Quod audiēs Petrus, illicò ſurrexit, & cum illis ipſis, qui miſſi fuerant, iter aggrediens, ad mortuam peruenit, eamque feruenti oratione ad vitam reuocauit. *Miſerunt duos viros ad eum, rogantes, Ne pigreris venire vſque ad nos; Exurgens autem Petrus venit cum illis*. Act. 9. 38. Animaduerſione dignum eſt, quòd Petrus, dum iuit, vt mortuæ pietatem impertiret, citò perrexit, & ab omni accidiæ, aut pigritiæ notâ ſe immunem oſtendit. Accidiam enim ſuperat, qui mortuis pietatem præparat. Ad rem D. Cyprianus lib. de opere,

D. Cyprianus

re, & eleemoſynis. *Ad cadauer exanime Petrus accitus eſt, qui cùm impigrè pro Apoſtolicâ humanitate veniſſet, circumſteterunt eum viduæ flentes, & rogantes.* Impigrè venit, qui vt vitam defunctæ largiretur, aduenit, omnem enim excutit pigritiam, qui mortuis impendit clementiam.

Otium mulieres fugerant, cùm mortuo Christo vnguenta parauerant.

14 Hinc mulieres illæ, quæ Chriſtum ſecutæ fuerant crucem baiulantem, & ad Caluariæ montem, vt cruci affigeretur, pergentem, aromata emerunt, & ad Magiſtri monumentum, vt eius cadauer vngerent, venerunt. *Et cùm tranſiſſet Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum.* Marc. 16. 1. Quod ſanè dum præſtiterunt, amorem ſuum in Chriſti morte otioſum non eſſe declarauerunt. Diſco id ex Simone Caſſiano lib. 13. in Euangelia cap. 129. *Parauerunt aromata, non enim eſſe poteſt in abſentiâ dilecti otioſus legitimus amor.* Otium, & accidiam mulieres abiecerunt, cùm vnguenta pro Chriſti ſepulturâ parauerunt; otium enim fugit, qui pietatem ergà mortuos ſequitur.

Simon Caſſ.

Dum Sunamitis pro filio defuncto Eliſæum orauit, nō ſegnis, vel pigra, ſed diligens, ac feſtina fuit.

15 Impetrauit à marito Sunamitis, mortuo filio, facultatem adeundi Eliſæum, ſtatimque puero ſecum proficiſcenti iuſſit, vt properaret, ac ne ſibi moram faceret. *Strauitque aſinam, & præcepit puero, Mina, & propera, ne mihi moram facias in eundo, & hoc age, quod præcipio tibi.* 4. Reg. 4. 24. Ex quibus verbis magnam mulieris huius diligentiam, ac ſolicitudinem arguit Abulenſis, quæ ſtatim ad Eliſæum properare cupiebat, vt ille ſtatim ſuo vitam reſtitueret defuncto. *Volebat mulier iſta citò ire ad Eliſæum, vt ipſe citò veniret, & ſuſcitaret puerum.* Animaduerte mulierem, cùm mortuo pietatem procurat, non ſegnē, aut pigram, ſed in omnibus diligentem, ac feſtinam, ſegnitiem quippè, ac accidiam abijcit, qui mortuis pietatem impendit.

Abulenſis.

Eodem modo ſe geſſerunt milites Troiani in funere Miſenì.

16 Hac eadem feſtinatione, ac diligentiâ præditos deſcribit Virgilius lib. 6. Æneidos milites in funere Miſeni exequias celebrantes.

tùm iuſſa Sibyllæ
(Haud mora) feſtinant flentes, aramq; ſepulchri
Congerere arboribus, cæloque educere certant.

Virgilius.

Ad quæ Naſcimbænus hæc habet. *Troianorū ſtudium, atque diligentiam in ſtruendâ Miſeno pyrâ breui oratione complectitur.* Vides omnem abeſſe accidiam, & pigritiam, ſolamque conſpici ſolertiā, ac diligentiam, dum pietatis officijs honorantur defuncti?

Naſcimbænus

Iudith gulæ appetitū ſubiecit, cùm ergà mortuum maritum pia fuit.

17 Sed Gula quoque abeſt, cùm hæc pietas adeſt, ad quod probandum affero ieiunium, quo ſe affligebat Iudith, dum maritum defunctum viduitatem colens plorauit. Hæc enim, dum vt coniugis memoriam veneraretur, alteri nubere noluit, gulæ appetitum rationis legi ſubijciens, cunctis diebus, præter Sabbata, & feſta ieiunauit. *Ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter ſabbata, & neomenias, & feſta domûs Iſrael.* Iudith. 8. 6. Vbi notat D. Ambroſius lib. de Viduis, ſabbatis quoque, ac feſtis non tam eam elegiſſe refectionem, quàm honoraſſe religionem, nam dū mortuum maritum lugebat vidua, à gulæ prorsùs vitio erat aliena. *A' diebus enim viri ſui, quibus ille defunctus eſt, veſtem iucunditatis depoſuit, mœroris aſſumpſit, per omnes dies intenta ieiunio, ſabbato tantùm, ſacratarumque temporibus feriarum, non refectioni indulgens, ſed religioni deferens.* O' miram ſanctæ viduæ mortuum maritum plorantis abſtinentiam, quâ gulæ vitium abiecit, & ieiunium adeò diuturnum ſeruauit.

D. Ambr.

Abſtinent Hebræi à carnibus, & vino, dum plorant defunctos.

18 Hanc Iudith abſtinentiam aliquo modo ſectari videntur Hebræi, qui, cùm lugent mortuum, carnes non comedunt, & à vino abſtinent, eo tempore gulæ vincentes appetitum, quo exhibent mortuis pietatis officiū. Teſtatur hoc Rabbi Ioſeph in libro cui titulus שלחן ערוך, his verbis מי שמת לו מת שהוא חיב להתאבל עליו קודם קבורה אוכל בבית אחר ואינו אוכל בשר ואינו שותה יין *Cui mortuus eſt quiſpiā, quē ex lege plorare tenetur, antequàm ſepeliatur, in aliâ domo comedat, à carnibus autem, & vino abſtineat.* A' cibis, ac potionibus abſtinent delicatioribus, dum mortuos plorant, ſeque declarant à gulæ vitio remotos, dum ſe oſtendunt ergà defunctos, quos lugent, clementes.

Rabbi Ioſeph.

Sinæ, dū mortuis parentāt à cibis abſtinēt delitatis.

19 Hæc item obſeruant Sinæ, qui exequias celebrantes defunctorum, nefas ducunt carnes comedere, aliaue condita edulia adhibere, atq; aquâ contenti vini omninò reſpuunt delicias. Refert hoc Nicolaus Trigautius lib. 1. de expeditione chriſtianâ apud Sinas, qui loquens de ſolennitate, quâ funera celebrant, & de ijs, quæ in luctu faciunt *Carne*, inquit, *veſci nefas, alioue edulio benè condito, vino minimè vtuntur, nec balneis.* Dum mortuis parentant, gulæ vitium ſuperant, & abſtinentes à delicatioribus, cibis vtuntur tantummodò neceſſarijs.

Nic. Trig.

Cùm Magdalena Chriſti ſepulturam honorauit, luxuriam ſuperauit.

20 Poſtremum ex vitijs capitalibus eſt Luxuria, & ipſa quoque pietate defunctis exhibitâ ſuperatur. Probat id Magdalenæ conuerſio, quæ omnes venereas delectationes, quibus anteà militauerat, relinquens, criminum ſuorum maculas copioſâ lachrymarum effuſione deleuit. *Lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat.* Luc. 7. 58. Quid enim eam ex impudicâ caſtam, & ex meretrice reddidit honeſtam, niſi pietas, quâ vnguentum effudit, vt Chriſti ſepulturam honoraret? Audi D. Ioannem Chryſoſtomum homiliâ de proditione Iudæ. *Vnguentum ſuprà caput Domini effudit, paulò antè meretrix, ſubitò pudica proceſſit.* Simul ac ſepulturam Chriſti honorauit, luxuriam Magdalena ſuperauit, & meretricia deferens oblectamenta, ad pudicitiæ virtutem ſe conuertit.

D. Ioannes Chryſoſtom.

Mulieres veſtes luxurioſas in funere deponentes.

21 Id etiam apud mulieres contingebat Romanas, quæ cùm veſtes valdè ornatas, ac luxurioſas adhiberent, eas in funeribus deponebant, oſtendentes ſe luxuriam ſuperare, cùm piè plorarent Defunctos. Hæc ſunt verba Varronis lib. 1. de vitâ P. Romani apud Ioannem Kirchmannum lib. 2. de funeribus Romanorum cap. 17.

Ex

Ex quo mulieres in aduerſis rebus, ac luctibus, cùm omnem veſtitum delicatiorem, ac LVXVRIOSVM *poſteà inſtitutum ponunt, ricinia ſumunt.* Luxurioſa deponebant, cùm defunctis pietatis obſequia exhibebant; luxuriam enim vincit, qui mortuis miſericordiam impendit. Hæc igitur, ſi rectè, ac ſigillatim animaduertantur, concludendum erit, quòd vitia capitalia deuitant, qui ergà mortuos pietate flagrant.

Varro.

CAPVT LVIII.

Cogendi ſunt viui ad pietatem ergà defunctos.

Cogi poſſunt viui ad ſepulturam mortuorum.

1 QVoniam pietatem viuorum tot titulis debitam defunctis oſtendi, reliquum eſt, vt illud etiam probem, quòd illi, quos aut nihil, aut parum mouent allatæ rationes, ad eam amplectendam ſint à cæteris religiosè cogendi. Quærit Ioan. Franciſcus Ripa Tract. de remedijs præſeruatiuis contrà peſtem, an poſſint ſubdiri per ſuperiores compelli ad ſepeliendum cadauera defunctorum, & reſpondet, quòd ſi nullus adeſſet, qui ſpontè hoc pietatis officium mortuo vellet exhibere, poſſent principes ad illud cogere etiam inuitos. Ex eo autem ſuam ſententiam probat, quòd ſi publicæ vtilitatis cauſâ poſſunt homines cogi ad conducendum ad carceres delinquêtes, multò magis ad cadauera ſepelienda poterunt compelli. *Ex cauſâ publicâ vtilitatis poſſunt ſubditi cogi ad conducendum delinquentes ad carceres, cur ergò etiam* COGI *non poterunt conducere ad ſepulturam? Quid tenendum? Arbitror, quòd iſta vltima opinio ſit verior, ſanè tamen, & modeſtè intellecta, intelligo ergò eam veram eſſe, ſi nullus reperiatur, qui ſpontè velit tale officium exercere.* Cùm debitâ pietate fraudantur defuncti; eorumque cadauera inſepulta iacent, ac abiecta, ſunt ad eam viui per vim compellendi, vt qui nolunt mortuis miſericordiæ obſequia exhibere amoris, ac naturalis pietatis gratiâ, ea cogantur exhibere inuiti.

Ripa.

Si aliquis Abraham prohibuiſſet, qui in ſepulchro ſuo ſepeliret vxorem, eum ad id concedendum Hethæi coegiſsēt

2 Hoc innuere voluerunt Hethæi, cùm Abrahæ locum, in quo pro ſepulturâ defunctæ vxoris monumentum erigere poſſet, ab eis poſtulanti, ſua omnia ſepulchra obtulerunt, dixeruntque neminem eſſe, qui poſſet eum impedire, ne in ſepulchro illius cadauer ſepeliret vxoris. *In electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum, nulluſque te prohibere poterit, quin in monumento eius ſepelias mortuum tuum.* Gen. 23. 6. Dubitare hìc liceat, cur non poſſet aliquis ex Hethæis Abraham impedire, ne in ſuo monumento Saræ cadauer humaret. Cur non poterat aliquis ei dicere, Hoc pro meis monumentum ædificaui, non pro defunctis alienis? Cur alius non poterat eum increpare, inquiens, Hæc ſunt monumenta Hethæorum, non ſepulchra Hebræorum? Cur tandem non poterat quis ei reſpondere, Si proprium vis humare mortuum, proprium tibi erige monumentum? Quia ſi quiſpiam hæc Abrahæ dixiſſet, cæteri eum ad pietatem exhibendam mortuę mulieri compuliſſent, & vt proprium concederet ſepulchrum etiam inuitum coëgiſſent. Tradit hoc Abulenſis. *Nullus te prohibere poterit, quia dato, quòd aliquis de populo prohibere te vellet à ſepulchro ſuo, ciuitas tamen* COGERET EVM *ad dandum tibi.* Cogendi ſunt viui ad pietatem ergà defunctos, quapropter ſi aliquis renuiſſet ſui ſepulchri oblatione pietatem impendere mortuę vxori Abrahę, tota illum ad eam exhibendam ciuitas coëgiſſet.

Abulenſis.

Abraham precibus coegit Ephron, vt ſibi venderet pro ſepulturâ defunctæ coniugis agrum

3 Noluit tamen Abraham in ſepulchris oblatis vxoris cadauer humare, ne cum infidelium cadaueribus corpus miſceretur mulieris adeò ſanctæ, ac fidelis. Quamobrem Ephron rogauit, vt ſibi agrum venderet, in quo erat ſpelunca, vbi ſepelire poſſet vxorem, eique proprium erigere monumentum. Quod audiens Ephron, ſtatim agrum, & ſpeluncam ei coram vniuerſo populo conceſſit. *Agrum trado tibi, & ſpeluncam, quæ in eo eſt, præſentibus filijs populi mei, ſepeli mortuum tuum.* Gen. 23. 11. Quòd ſi quis infidelis, ac barbari miretur humanitatem, ac liberalitatem, qui tam citò aduenæ, ac peregrini preces exaudiuit, agnoſcat eum hanc pietatem defunctæ mulieri exhibuiſſe à precibus Abrahæ coactum. Siſtenda hìc verba Hugonis Cardinalis. *Precibus* COGEBAT *Ephron, vt venderet ei agrum illum.* Nouerat Abrahā homines eſſe cogendos ad pietatē ergà defunctos, vndè cùm defunctæ coniugi ab Ephron pietatem exhiberi optaret, ad id ſuis eum precibus coëgit.

Hugo Card.

Iacob, vt ſibi defuncto pietatem impenderet, iuramento coegit Ioſeph.

4 Quod & egit Iacob, cùm ſe morti propinquum cernens, vocauit filium ſuum Ioſeph, & ab eo iuramentum exegit, quòd ſuum ex regno Aegypti ad Chananæorum terram cadauer transferret. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub ſemore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum patribus meis,* Gen. 47. 29. Nonnè ſeni, ac morienti patri ſatis erat, quòd obſequentiſſimus filius ei promitteret cadaueris ad paternum ſepulchrum translationem? Vt quid præter promiſſionem iuramentum quoque ab eo exigere voluit? An vt iuramento filium cogeret ad ea implenda, quę promittebat. Ita cenſet Oleaſter. *Parum curant filij, quicquid parentes iniūxerint, nouerat que hoc prudens ſenex, ideò filium iurare* COGIT *implere, quæ vult.* Ne Ioſeph, vt cæteri agere conſueuerant filij, defuncti poſt mortem obliuiſceretur parentis, eum, vt ſibi promiſſam pietatem impenderet, iuramento coëgit.

Oleaſter.

Hebræos Deus cogit ſepelire mortis addictos.

5 Præcepit Deus in veteri lege, vt homines propter ſua delicta morti adiudicati, & in patibulis ignominiosè appenſi, eâdem die, quâ crucifigebantur, ſepulturæ honore donarentur. *Quādo peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur.* Gen. 21. 22. Cur tam citò iuſſit Deus eos humari, qui dum legem tranſgrediebantur, vt hoſtes à populo habebantur? Cur adeò celerem

voluit

voluit eis exhiberi poſt mortem pietatem? Cur demùm vix morte ſecuta, corum præcepit cadauera ſepeliri? Vt Hebræos cogeret ad exhibendum illud pietatis officium defunctis, quos viuẽtes habuerant, vt hoſtes. Rectè Lambertus Hortenſius in lib. 8. Lucani. *Apud Hebræos etiam hoſtem ſepelire* COGEBANTVR. Celerem præcipiens Deus Hebræis damnatorum ſepulturam, ad illud eos obſequium coëgit, vt quibus abſtulerant vitam, non auferrent ſepulchrorum honorem.

Lamb. Hort.

Vxor defũcti cogebatur nubere cum eius fratre, vt illi nomen ſuſcitaret.

6 Hùc etiam præceptum ſpectauit, quo iuſſit, vt ſuperſtes fratris defuncti vxorem duceret, eique filiorum generatione ſemen ſuſcitaret. Quod ſi renueret, iuſſit, vt coram Hebræorum ſenatu diſcalcearetur, conſpueretur, & æternâ ignominiâ notaretur. *Si reſponderit, nolo eam vxorem accipere, accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius, ſpuetque in faciem illius, & dicet, ſic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* Gen. 25. 9. Quam ob cauſam tot voluit eum ignominijs affici, qui fratris defuncti nomen ſuſcitare abnueret? Cur dum multorum aliorum præceptorum legis præuaricatoribus nulla infamiæ, aut ignominiæ pœna eſt impoſita, iſtius præcepti tranſgreſſori tot erant opprobrij notæ inurendæ? Id ſapienter Deus decreuit, vt vxor, & frater ſuperſtites ad ignominiam vitandam mortuo ſemen excitare, ac pietatem exhibere cogerentur. Præclarè D. Ambroſius in catenâ in cap. 20. Lucæ. *Secundùm legis literam nubere* COGITVR ETIAM INVITA, *vt defuncti ſemen excitet frater.* Tot pœnas coniugium in gratiam defuncti nolentibus inire infligi Deus præcepit, vt ob timorem earum ea connubia recuſare non auderent, ac mortuis propinquis miſericordiam exhibere cogerentur.

D. Ambroſ.

Cogebantur mulieres viduetatem ſeruare donec frater defuncti aptus fieret nuptijs, eique pietatem exhiberet.

7 Facit etiam ad hanc rem id, quod Iudas dixit nurui ſuæ Thamar, poſtquam mortui ſunt Her, & Onam filij ſui, cum quibus ea matrimonij contractum inierat. *Eſto vidua in domo patris tui, donec creſcat Sela filius meus.* Gen. 38. 11. Ex quibus verbis apparet, quòd mulieres cogebantur expectare in viduitate, donec frater defuncti mariti ad nuptialem ætatem perueniret, cum quo nuptias poſteà ducentes, ei nomen piè ſuſcitarent. Infert id Caietanus. *Perpende prudens lector arctitudinem moris illius temporis, vt tanta fuerit vis moris ſuſcitandi ſemen fratri mortuo, quòd puella vidua relicta* COGERETVR *expectare, donec leuir ſuus creſceret, & ad ætatem nuptialem perueniret.* Cogebantur mulieres viduitatem ſeruare, donec frater defuncti nuptijs aptus fieret, vt tunc ſimul cum eo prolis procreatione mortuo pietatem exhiberet, ideòque Iudas nurum Thamar coëgit, vt in paternâ domo vidua permaneret.

Caietanus.

Thamar ab amore, quo maritum proſequebatur, coacta eſt eius nomen ſuſcitare.

8 Dum autem de Thamar incidit ſermo, illud omittere non debeo, quòd cernens non tradi ſibi Selam fratrem defuncti mariti, qui ad ætatem iam peruenerat nuptiarum, lugubrem veſtem depoſuit, habitumque meretricium aſſumpſit, ſeditque in biuio vultum ſuum operuit, ne à ſocero cognoſceretur, quem expectans, cum eo rem veneream habuit, duoſque filios ex illo congreſſu concepit. *Quæ depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrum & mutato habitu, ſedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam, eo quòd creuiſſet Sela, & non eum accepiſſet maritum.* Gen. 38. 14. Hanc autem mulierem excuſat B. Theodoretus, quòd non voluptatis, ſed ſobolis causâ ſe meretricem ſimulauerit, & cum ſocero coierit, nam cùm defuncti fratri deſponſata non fuerit, coacta eſt ex eo filios procreare, vt mortui nomẽ ſuſcitaret mariti. Hæc ſunt verba Theodoreti. *Illuſtre nimiùm erat genus Abrahæ propter eam, quam colebat, pietatem. Quod probè ſciens Thamar, dabat operam, vt ex eâ progenie liberos procrearet. Cùm igitur ſocer non eam deſponſaſſet filio ſuo poſtremo, metuens, ne decederet, quemadmodum & fratres eius,* COACTA EST ILLA *furari procreandæ ſobolis occaſiones, eò quòd illas palam ſumere prohiberetur.* Amor, quo maritum proſequebatur defunctum, mulierem coëgit, vt ei nomen ſobolis procreatione ſuſcitaret.

Theodoretus.

A ſocero coacta ſeruare temperãtiam, vt nomeũ ſuſcitaret mortuo marito.

9 Sed & illud expendendum puto, quòd cùm hæc mulier in fornicatione deprehenſa fuiſſet a ſocero ad ignem damnata, iamque ad rogum comburenda produceretur, miſit Iudæ annulum, armillam, & baculum, quas res pro arrhabone antè congreſſum ei tradiderat. *Quæ cùm duceretur ad pœnam, miſit ad ſocerum ſuum, dicens, De viro, cuius hæc ſunt, concepi; cognoſce cuius ſint annulus, & armilla, & baculus.* Gen. 38. 25. Quod ſapienter egit, vt ſocerum increparet, quòd filij matrimonium ei denegans, temperantiam ſeruare illam cogeret, quam ipſe meretricios expetens amplexus non ſeruabat. Adeſt idem Theodoretus. *Propterea redarguit illa ſocerum ſuum, qui cùm minimè temperans eſſet, eam tamen temperantiam ſeruare* COGERET. Agnoſce hinc quoque mulierem temperantiam ſeruare coactam, donec fratri defuncti copulata mariti, ei nomen ſuſcitaret; dum enim agitur de pietate defunctis exhibendâ, nedum hortandi, ſed etiam ſunt homines ad eam impendendam cogendi.

Idem.

Hebræi coacti commendare Moyſem mortuum.

10 Mortuo Moyſe, populus Iſraël, qui adeò inſignem amiſerat ducem, ingenti cum luctu plorauit. *Fleueruntque eum filij Iſrael in campeſtribus Moab triginta diebus.* Deut. 34. 8. Aduertit autem Oleaſter in hoc luctu Hebræos valdè commendaſſe Moyſem, eiſque verba illa tribuit. *Et non ſurrexit vltrà Propheta in Iſrael, ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem in omnibus ſignis, atque portentis.* Deut. 34. 10. At cur Hæbræi, quos nunquam legitur commendaſſe Moyſen viuentem, tot eum laudum præconijs commendauerunt defunctum? Quia id agere ob tanti ducis amiſſionem ſunt coacti. Rectè Oleaſter. *Nuſquam legimus Iſraelitas ducem ſuum in vitâ laudaſſe, quoniam ingratiſſimi erant, nunc verò illum commendare* COACTI SVNT. Coguntur viui ſuâ honorare pietate defunctos, vndè Hebræi, qui Ducem ſuum ingrati non laudauerant viuũ,

Oleaſter.

laudibus extulerunt, ac præconijs celebrauerunt mortuum.

Dauid coegit Ioab ad plangendum Abner mortuū.

11 Cùm Dauid cognouiſſet mortem Abner quem Ioab impiè interfecit, amicum maximo luctu plorauit extinctum, eique celeberrimâ exequiarum pompâ, quibus ipſe ſciſſis veſtibus intereſſe voluit, piè parentauit. Quod autem hoc in funere præcipuè aduertendum cenſeo, eſt, quòd iuſſit Ioab defuncti, qui efferebatur, interfectori, vt cum cæteris veſtes ſcinderet, ſaccum indueret, & antè boſtis exequias ploraret. *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum; ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite antè exequias Abner.* 2. Reg. 3. 31. Obſerua quæſo prudentiſſimum, ac ſanctiſſimum regem, inimicum quoque, ac homicidam, ad pietatem exhibendam coëgiſſe hoſti, & interfecto. Sunt enim viui etiam inuiti ad pietatem ergà defunctos compellendi. Probè Abulenſis. *Voluit* (Dauid) *quòd planctus ſuus communis eſſet ad omnes, ideò* COMPVLIT *Ioab plangere*. Compulit Dauid Ioab inuitum ad plorandum hoſtem defunctum, vt nobis innueret viuentes eſſe cogendos ad pietatem, quæ debetur mortuis.

Abulenſis.

Archiſynagogus ab afflictione coact⁹ humiliter pro filiâ defunctâ Chriſtum rogauit.

12 Acceſſit Archiſynagogus ad Chriſtum, vt eum pro filiâ ſua defunctâ rogaret, ſimul autem, ac eum vidit, cecidit ad pedes illius, cumque humiliter ſupplex adorauit. *Et ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipſe princeps ſynagogæ erat, & cecidit ad pedes Ieſu*. Luc. 8. 41. Quis huic viro ſuaſit, vt coram Chriſto procidens, eum humiliter adoraret? Quis eius obtudit ſuperbiam, vt adeò ſe deprimeret, qui cæteris erat in ſynagogâ præfectus? Quis tandem eum docuit tantâ illum proſequi reuerentiâ, quem Iudæi reliqui contemnebant? Neceſſitas, & afflictio eum coëgit, vt maiori efficaciâ vitam à Chriſto defunctæ filiæ ſuis precibus impetraret. Hæc fuit mens Theophylacti hunc locum ita verſantis. *Accidit ad pedes Ieſu vrgente neceſſitate, quamuis enim ſine illâ oportebat procidere, & agnoſcere Deum eſſe Ieſum, attamen & afflictio* COGIT *homines, vt meliora ſectentur*. Coactus eſt ab afflictione Archiſynagogus humiliter ad Chriſtum accedere, vt ſuæ pietatem exhiberet defunctæ.

Theophyl.

Petrus ab amore coactus ter ad Chriſti monumentū tucurrit.

13 Cùm Petro mulieres nuntiaſſent Chriſti corpus abeſſe à monumento, ſtatim ad illud cucurrit. *Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumētum*. Luc. 24. 12. Aduertit autem Euthymius ad illud ter perrexiſſe; primò quidem ſolum, deindè ſimul cum Ioanne, tertiò verò iterùm ſolum. Cur verò toties Apoſtolorum princeps ad Chriſti ſepulchrum cucurrit, niſi quia eum ad id amoris vehementia cogebat? *Apparet ergò*, inquit Euthymius, *quòd tertiò venerit Petrus ad monumentum, primùm quidem ſolus, poſtmodum verò cū Ioanne, prout ipſe Ioannes ſcripſit. Cùm autem reuerſi eſſent, rurſus* COACTVS EST *ſolus currere, neq; enim hunc ſuſtinere permiſit amoris vehementia*. Ab amoris vehementiâ coactus Chriſto Petrus pietatem impendit defuncto, & ad illius monumentum citò, & ſæpè recurrit.

Populus coegit Pompeiū vxorem in cāpo Martio ſepelire.

14 Sed placet à profanis quoque ſumere huius veritatis probationes, & primò à Plutarcho, qui Iuliæ Cæſaris filiæ, quam Pompeius maritus in Albano ſepelire funere priuato volebat, exequias deſcribens, populum ait Romanum coëgiſſe Pompeium, vt in campo Martio eam efferret, ac celebri pompâ tumularet. *Cùm in Albano coniugem ſepelire Pompeius ſtatuiſſet, populus* VI EVM COEGIT *in campū Martium funus ducere*. Vide maritū ad pietatem defunctæ mulieri exhibēdam, & ad eam cum pompâ efferendam ab vniuerſo populo Romano coactum.

Plutarchus.

Mulieres Meſſeniæ coactæ à Lacedæmonijs funeribus intereſſe mortuorum.

15 Nec minùs poſſum ex ijſdem authoribus mulieres ad hanc pietatem probare coactas. Affero autem Ælianum lib. 6. variæ hiſtoriæ cap. 1. qui narrat Lacedæmonios Meſſeniorum, quos ſuperauerant, mulieres coëgiſſe, in funera prodire, & alienos quoque mortuos lugere. *Lacedæmonij Meſſenijs ſuperatis, omnium, quæcumque in Meſſeniâ erant, dimidiatam partem ſibimetipſi ceperunt, & mulieres liberas in funera prodire* COEGERVNT, *& alienos, nec quicquam ad ſe pertinētes mortuos lugere*. Mulieres compulerunt, quæ ad funera ire abnuebant, & etiam inuitas alienis defunctis pietatem exhibere coëgerunt.

Aelianus.

Burdegalēſes coacti Præfectum regium, quem interfecerat, honorificè humare.

16 Dignum eſt etiam memoriâ id, quod Burdegalenſibus contigit, qui aduersùs regium præfectum inſurgentes eum interfecerant. Fuerunt enim coacti eius cadauer proprijs vnguibus refodere, ac magnifico funere honorare mortuum, quem impijs manibus trucidauerant viuum. Rēdabo, vt eā narrat Sleidanus lib. 21. apud Theatrum vitæ humanæ lib. 9. vol. 3. *Burdegalenſes propter ſalinas, & vectigalia rebelles Præfectum regium à ſe interfectum proprijs vnguibus refodere, & honorifico funere proſequi* COACTI FVERE. Cogendi ſunt homines ad pietatem erga defunctos, quapropter hoſtes quoque inuiti eorum, quos interfecerant, funera proſequi fuerunt coacti.

Sleidanus.

Sinæ coguntur triennio parentes mortuos lugere.

17 Addendum etiam eſt illud, quod Sinarum mores referens, ſcribit Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap. 7. adeò videlicet in funeribus parentum ſe pios exhibere populos illos, vt quilibet, magiſtratum licet præcipuum gerat in Republicâ, mortuo parente, ad patriam redire, illumque triennio domi lugere, antequam ad priorem dignitatem redeat, cogatur. Exiſtimant quippè ſuperſtites filios ad pietatem defunctis parentibus exhibendā legibus eſſe cogendos. *Reuerti autem* (in funere parentum) *etiam per leges* COGITVR *filius, quantumuis magnam gerat in Republicâ dignitatem, etiam præſidum tribunalium, quos ſuprà Cramſciu vocari diximus, imò etiam Colaorum, domique triennem luctum explere, nec antè ad priorem Magiſtratum admittuntur*. Nec dū ſacræ, ſed & profanæ teſtātur hiſtoriæ cogendos eſſe viuos ad pietatem erga defunctos, ita vt etiam inuiti eam exhibere cogantur.

Nic. Trigau.

Milites coa-

18 Reliquum eſt, vt à Poëtis quoque nonnul

la de-

Ꝺi Pallantis funus curaue runt. la decerpamus. Virgilius ergò lib. 11. Aeneid. militum pietatem in Pallantis funere commendans ita cecinit.

Virgilius.

> *Haud ſegnes alij crates, & molle feretrum*
> *Arbuteis texunt virgis, & vimine querno,*
> *Extructoſq́; toros obtentu frondis inumbrant.*

Donatus. Horum autem ſedulitatis cauſam afferens Donatus, eos dixit ad illam pietatem à propriâ humanitate, atque à Regis pręcepto fuiſſe coactos. *Humanitate ſimul, & regis iuſſione* COGENTIBVS, *non erant ſegnes, hoc eſt properantes aggredi neceſſaria.* Pium milites exhibuerunt Pallantis cadaueri officium propriâ humanitate, ac alienâ vrgente iuſsione, coacti.

Creon cogendus bello ad mortuorum ſepulturam. *Statius.* 19 Hùc etiam tendit Statius lib. 12. Thebaid, apud quem Hornitus hac loquitur

> *bello* COGENDVS, *& armis*
> *In mores, hominemque Creon.*

Lactantius. Quid verò iſtud eſſet, ad quod cogendus erat Creon, Lactantius explicat. *In mores, hominemque, ideſt in humanam conſuetudinem, hoc eſt vt mortuos ſepulturæ concedat, bello* COGENDVS EST *Creon.* Quid illuſtrius poterat ad rem noſtram afferri? Nonnè meridianâ luce clarius ex his apparet, viuos ad pietatis obſequia defunctis impendenda eſſe cogendos?

Codrus Pompeij cadauer ſepelire à pietate coactus. 20 Lucani authoritate caput, ac librum abſoluo, qui referens lib. 8. Pharſaliæ miſericordiam, quâ Codrus Magni Pompeij cadauer cremauit, eiuſque funus, quâ poterat, ſolennitate duxit, finem combuſtioni imponere, & corpus, dum tutum ab hoſtibus, ac opportunum tempus erat, ſepelire, à pietate cecinit illum fuiſſe coactum. Do eius carmina.

Lucanus.

> COGIT *pietas imponere finem*
> *Officio, ſemiuſta rapit, reſolutaque nondùm*
> *Oſſa ſatis neruis, & inuſtis plena medullis*
> *Aequoreâ reſtinxit aquâ*

Vt officium, quod incœperat, pietatis perficeret, & extrema parentalia exhiberet, Codrum pietas ipſa coegit. Dum igitur & Hiſtorici, & Poëtę, & ſacri, & profani authores teſtantur ad miſericordiam in mortuos eſſe homines compellendos, quis audebit inficiari cogendos eſſe viuos ad pietatem ergà defunctos? Cogendi omninò ſunt, eoſque, tùm ea, quæ hoc capite diximus, tùm etiam, quæ hoc in libro exarauimus, cogere ad eam deberent, vt vniuerſalis, & militantis Eccleſiæ clementiam mortuorum animabus debitam ſequerentur, ſeque hac pietate veros huius Eccleſiæ filios eſſe teſtarentur.

FINIS LIBRI SECVNDI.

Digitized by Google

R. P.
D. CHRYSANTHI SOLARII
PLACENTINI CLE.[ci] REG.[ris]
PENTATEVCHVS MORTVORVM.
LIBER TERTIVS.
De Purgantis Eccleſiæ efficacitate ad pietatem ergà mortuos excitandam.

Aduocatur Eccleſia mortuorum, vt pietatem exci tet viuorum.

INFERIOREM Animarũ purgantium Eccleſiam adeo, & qui vt mortuos adiuuarem ſuperioribus Libris ad Cœlos aſcendi, ac terram peragraui, ad inferos hoc, quem nunc aggredior, deſcendo, vt ad ſubleuandas animas mortuorum pœnæ quoque proficiant, quas patiuntur, inferorum. A' mortuis ipſis rationes, propter quas eis debent ſuffragia exhiberi, deduco, & Eccleſiam aduoco defunctorum, vt ad ſui miſerationem pietatem excitet viuorum. Adſint omnes, qui ſe mortales eſſe agnoſcunt, ſuæque mortalitatis memores, mortuos adire non abnuant, vt mortuis pietatem impendant.

CAPVT I.

Maior mortuis pietas debetur, quàm viuis.

Tobias maiori ſolertiâ ſepulturæ vacabat, quàm hoſpitalitati.

1 MOrtem in mortuis antè omnia expendo, eiſque magis, quàm viuis, noſtram deberi pietatem, quia mortui ſunt, oſtendo. Seruabant Iſraëlitæ in captiuitate quoque poſiti patrium morem, & feſtiuitates, quas eis Deminus per Moyſen præceperat, debitâ ſolennitate celebrabant. Cùm igitur dies feſtus Domini aduenifſet, ac epulas delicatiores ob eius hilaritatem Tobias paraſſet, quia valdè hoſpitalitatem diligebat, concaptiuos fratres, cum quibus paratum alimentum ſumeret, per filium accerſiuit. Accidit autem, vt reuerſus filius cum conuiuis, patri nuntiauerit quemdam Hebræum iugulatum in plateâ iacere inſepultũ. Quapropter pius ſenex cibum deſeruit, & ad mortuum proficiſcens, quos aduocauerat, hoſpites in domo reliquit. *Statimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, tollenſque illud portauit ad domum ſuam occultè, vt dum ſol occubuiſſet cautè ſepeliret eum.* Tob. 2. 3. Expende hìc ſancti ſenis piam ſolertiam, qui magis de funere, quàm de conuiuio ſolicitus, clementior in mortuos extitit, quàm in viuos, & priùs defunctum honorare, quàm hoſpites nutrire decreuit. Hoſpitalitati ſepulturam prætulit, ſuoque nos exemplo docuit, maiorem mortuis exhibendam eſſe miſericordiam, quàm viuis. Hùc flecti poſſunt verba D. Ambroſij, lib. de Tobia cap. 1. *Hoc illi quotidianum opus, & magnum quidem. Nam ſi viuentes operire nudos lex præcipit, quantò* MAGIS *debemus operire defunctos? Si viantes ad longiora in domum deducere ſolemus, quantò* MAGIS *in illam terram profectos, vndè iam non reuertuntur?* Maiori ſolertiâ ſepulturæ Tobias vacauit, quàm hoſpitalitati, quia miſericordiæ viſcera magis mortuis exhibenda ſunt, quàm viuis.

D. Ambroſ.

Ergà Saul mortuum ſe magis pium David exhibuit, quàm ergà viuum.

2 Cùm mortem Saul in monte Gelboe infeliciter interfecti Dauid agnouiſſet, veſtimenta ſua ſcidit, lachrymas vbertim effudit, ieiunio vſq; ad veſperã ſe afflixit, epicedion illi cecinit, & omnia, quæ poterat, miſericordiæ obſequia exhibuit. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua, ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperã ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius.* 2. Reg. 1. 11. O' miram ſancti Regis pietatem, qui hoſtem plorare, atq; adeò celebri exequiarum pompâ ei parentare decreuit! Cur verò id egit, niſi vt oſtenderet ſe Regi, cui magnum honorem exhibuerat viuo, multò maiorem miſericordiã impendere defuncto. Accinit B. Theodoretus quæſtione 2. *Quem reuerebatur viuum,* MVLTÒ MAGIS *miſeretur mortui.* Ergà Saul mortuum

B. Theodor.

ſe

Digitized by Google

mortuum ſe magis pium Deus oſtendit quàm ergà viuum, quia maiori ſunt pietate mortui honorandi, quàm viui.

Nathan potius honorare voluit Beliar mortuũ, quã adiuuare Dauid viuum.

3 Peccauit Dauid alienam cognoſcens vxorem, iubenſque, vt liberiùs eâ frueretur, occidi maritum; pergens autem ad eum Nathan propheta, parabolâ propoſitâ, eius ingratitudinem increpauit, multaque incommoda illi ex patrato peccato euenienda prædixit. *Itaque hæc dicit Dominus, Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tuâ, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius.* 2. Reg. 12. 11. Hic percontari libet cur Nathan, qui prophetiæ dono præditus Dauidis fragilitatem nouit, amoremque præcognouit, quo Bethſabee immodicè proſequebatur,eũ, antequam peccaret, non adierit, & culpã, quam imminere videbat, ab illo arcere non ſtuduerit. Nonnè melius fuiſſet culpam, antequam patraretur, impedire, quàm eam patratam increpare? Nonnè ſatius fuiſſet Regem à flagitio abſtrahere, quàm flagitio inquinatum redarguere? Ita ſanè, ideòque Nathan, vt id ageret, ad Regem proficiſcebatur, ſed mortuum reperiens in viâ inſepultum, tantiſper moratus eſt, donec eum ſepulturæ obſequio decoraret, eoque tempore Dauid ſe peccato coinquinauit. Hæc D. Epiphanio debemus lib. de vitâ, & interitu Prophetarum. *Præſciebat Nathan ille propheta, quòd Rex Dauid in Bethſabee ardore plus æquo tranſgrederetur, confeſtim igitur Gabath relictâ Hieroſolymam contendit, quò eumdem à tanto facinore regem abſtraheret. Sed ecce impedimento fuit Beliar, nam cùm exanimẽ eum in itinere nudum reperiſſet, tantiſper cunctatus eſt, quoad terræ mandaret, ne indignis admodum modis corpus hominis ab animalibus brutis, ac belluis dilaniaretur.* Maiorem Nathan miſericordiam Beliar mortuo exhibuit, quàm Dauid viuo, vndè potiùs illum voluit ſepulturâ honorare, quàm hunc ſuo conſilio adiuuare.

D. Epiphan.

Maiorem pietatem diſcipuli exhibuerũt Tabithæ mortuæ, quàm ei viuæ.

4 Mortuâ Tabithâ, quæ ſuis eleemoſynis Chriſtianis viduis neceſſaria ſuppeditabat, miſerunt ſtatim diſcipuli ad Petrum duos viros, rogantes, vt veniret, ac mortuæ vitam ſuis precibus impertiret. *Cùm autem propè eſſet Lydda ab Ioppe, diſcipuli audientes, quia Petrus eſſet in eâ, miſerunt duos viros ad eum, rogantes, Ne pigriteris venire vſque ad nos.* Act. 9. 38. Obſeruo autem hos diſcipulos maiorem Tabithæ mortuæ pietatem exhibuiſſe, quàm ægrotæ, nam cùm Petrus non multùm abeſſet, noluerunt eum accerſire, vt curaret viuam, quem tamen vocauerunt, vt ſuſcitaret defunctam. Obſeruauit hoc & Oecumenius in hunc locum. *Fecerunt omnia, quæ in mortuo fieri conſueuerunt, & tunc Petrum accerſiuerũt; hoc autem non fecerunt, priuſquam moreretur, indignum ducentes ob talia vexare diſcipulos, & à prædicatione auellere.* Maiori conſueuerunt pietate proſequendam eſſe mortuam, quàm viuam, & iccircò qui Petrum non aduocauerunt, vt ſanitatem impertiret viuç, illum accerſiuerunt, vt vitam reſtitueret defunctæ.

Oecumenius.

Magis doluit Magdalena, quòd Chriſt. eſſet ſublatus mortuus, quàm quòd fuiſſet interfectus viuus.

5 Ad monumentum Magdalena profecta, vt vnguento Chriſti cadauer deliniret, cùm illud non inueniſſet, ſublatũ credens, vberrimâ lachrymarum effuſione plorabat. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergò fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum.* Ioan. 20. 11. Nuſquam legitur Magdalenam ploraſſe, cùm Chriſtus ad mortem duceretur, à Iudęis torqueretur, & clauis impiè crucifigeretur. Cur igitur quem non plorauit patientem, luxit omnis paſſionis expertem? An id egit vt maiorem ſuis lachrymis pietatem impenderet mortuo, quam viuo, magiſque ſe dolere oſtenderet, quòd nulla remaneret memoria defuncti, quàm quòd vita ſublata eſſet interfecti? Hoc ſanè Gloſſa ordinaria innuere videtur. PLVS DE SVBLATO, *quàm de occiſo plorat, quia tanti magiſtri, cuius vita ſubtracta fuerat, nec memoria remanebat, & iſte dolor ibi eam tenebat.* Magis doluit, quòd Chriſti corpus ſublatum, quàm quòd interfectum fuiſſet, nam maiorem magiſtro mortuo miſericordiam impendit, quàm viuo.

Gloſſa.

Apoſtoli, qui mori timuerũt pro Chr. viuo morti ſe obiecerũt pro eo mortuo.

6 Tali ergò dolore mulier iſta correpta cucurrit ad Petrum, & Ioannem, qui cùm audiſſent Chriſti cadauer ſublatum, ſtatim ad monumentum perrexerunt. *Exijt ergò Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum.* Ioan. 20. 3. Quis horum non miratur diſcipulorum fortitudinem, qui à cœnaculo exire, ac ad monumẽtum, quod armati milites cuſtodiebant, peruenire non metuerunt? Quo pacto intrepidi ad Chriſti ſepulchrum perrexerunt, qui trepidi, eùm raperetur ad mortem, fugerunt? Cur milites non timuerunt ſepulchrum cuſtodientes, quos timuerant magiſtrum interficientes? Quia maiorem Chriſto crucifixo pietatem impendentes, quàm viuenti, qui fugerant à viuo, mortem ſubire appetebant pro defuncto. Siſto verba D. Athanaſij homiliâ de ſemente. *Fugerunt quidẽ à viuo, ſed ita vt pro eodem crucifixo mortem appetant.* Maiori amore Chriſtum dilexerunt crucifixum, quàm adhuc in hac vitâ degentem, vndè qui mortem detrectauerunt ſubire pro viuo, mortis diſcrimini ſe obiecerunt pro defuncto.

D. Athanaſ.

Maiorem Ioſeph Arimathæus amorẽ oſtendit ergà Chriſtũ mortuum, quàm ergà viuum.

7 Quod antè ipſos geſſerat etiam Ioſeph Arimathæus, qui ad Pilatum audacter acceſſit, & corpus Chriſti ſepeliendum in ſuo monumẽto ab eo poſtulauit. *Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu.* Luc. 24. 52. Vide quæſo diſcipulum Chriſtum manifeſtè ſepelientem mortuum, quem non niſi occultè ſequebatur viuum. Vide illum, cùm agitur de mortui ſepulturâ Iudæorum perſecutiones contemnentem, qui anteà è ſynagogâ illorum expelli verebatur. Vide tandem eum Phariſæorum odia non curantem, qui ea priùs tantâ cautelâ vitare ſtudebat, & agnoſce maiori pietate magiſtrum proſecutum illũ fuiſſe mortuũ, quàm viuũ. Adſtipulatur D. Aug. in catenâ. *In extremo illo officio funeri exhibẽdo minùs videtur curaſſe de Iudæis, quamuis ſoleret in Domino audien-*

D. Auguſt.

do eorum inimicitias deuitare. Maiorem Ioſeph ergà Chriſtum mortuum dilectionem oſtendit, quã ergà viuũ, quiq; Iudæos metuens, occultè illum ſequebatur viuentem, omnia contemnens, manifeſtè ſepeliuit eum defunctum.

Milites minori proſecuti ſunt iniuriâ Chriſtũ mortuum, quàm latrones adhuc viuos.

8 Quid? quòd milites ipſi, qui eum crucifiserant, ſi non maiorem pietatem, ſaltem minorem impietatem in Chriſtum mortuum exercuerunt, quàm in viuum? Ne Sabbati feſtiuitatem pendentium cadauerum ignominia funeſtaret, Crucifisorum crurifragium, & depoſitionem de patibulis à Pilato Iudæi petierunt. Quapropter miſſi milites, cùm latronum crura fregiſſent, Chriſtum intuentes mortuum, ab illâ impietate abſtinuerunt, eiuſque crura intacta reliquerunt. *Venerunt ergò milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.* Ioann. 19. 33. Cur ſicuti Chriſti crura milites non fregerunt, ita & ijs, qui cum eo crucifisi fuerant, non pepercerunt? Quia latrones adhuc viui, Chriſtus verò iam erat defunctus: maiorem autem mortuo, quàm viuentibus pietatem exhibere voluerunt. Accinit Rupertus Abbas. *Ad Ieſum autem cùm veniſſent, non fregerunt eius crura. Benè, nec enim opus erat, vt ſuper dolorem vulnerũ eius quicquam apponerent, in quo iam ſenſuum nihil reſtabat.* Crura quidem latronum fregerunt viuentium, ſed Chriſto, in quo nec ſenſus, nec vita erat, eam irrogare noluerunt ignominiam, minori proſequentes iniuriâ mortuum, quàm viuos.

Rup. Abbas.

Maioribus laudibus extulit Senatus Titum mortuum, quàm vnquam vllum extuliſſet viuum.

9 Quòd ſi Gentiles quoque ad hanc veritatẽ confirmandam accerſire velimus, proferam, quod in funere Titi geſtum fuiſſe narrat Suetonius in eius vitâ cap. 11. Senatum videlicet, ſtatim vt eius mortem cognouit, ad curiam profectum tot eum laudibus extuliſſe, vt æqualibus, nec eum, nec alios vnquam commendauerit viuentes. *Senatus priuſquam edicto conuocaretur, ad Curiam concurrit, obſeratiſque adhuc foribus, deindè apertis, tantas mortuo gratias egit, laudeſque, quantas congeſſit ne viuo quidem vnquam, atque præſenti.* Maioribus laudum præconijs Titum Senatus commendauit defunctum, quàm vllum vnquam commendaſſet viuentem, exiſtimans maiori pietate honorandos eſſe mortuos, quàm viuos.

Suetonius.

Milites maiorem curam cadauerum habentes, quã corporum viuentium.

10 Id, quod cenſuerunt quoque apud Iuſtinum hiſtoricum lib. 3. milites Lacedæmoniorũ à Tyrtæo ad bellum contrà Meſſenios animati, qui cùm prælium aggrederentur, magis fuerunt de cadauerum ſepulturâ, quàm de corporum curâ ſoliciti, quique vitam prælantes ſpernebant, humationem poſt mortem non contemnebant. Cenſebant videlicet maiori curâ tractanda, & feruentiori amore proſequenda cadauera mortua, quàm corpora viua. *Itaque tantum ardorem* (Tyrtæus) *militibus iniecit, vt non de ſalute, ſed de ſepulturâ ſoliciti teſſeras, inſculptis ſuis, & patrum nominibus dextero brachio deligarent, vt ſi omnes aduerſum prælium conſumpſiſſet, & temporis spatio confuſa corporum lineamenta eſſent, ex indicio titulorum tradi ſepulturæ poſſent.* Maiorem ſepulturæ curam habuerunt, quàm vitæ, quique mori non recuſabant, poſt mortem ſine ſepulchrali honore abijci renuebant.

Iuſt. Hiſtor.

Aegyptij incurioſi in ædificatione domorum, deligentes erant in conſtructione ſepulchrorum.

11 Idipſum firmauerunt Ægyptij, qui cùm pro viuis magni artificij domos erigere negligerent, pro mortuis ſumptuoſiſſima ſepulchra conſtruebant, maiori ſolertiâ ędificantes monumenta defunctorum, quàm habitacula viuorum. Teſtatur id Cœlius Rhodiginus lib. 17. antiq. lect. cap. 20. his verbis. *Aegyptios legimus præſigni magnificentiâ conſtruere ſepulchra conſueuiſſe, quamquam in domorum ædificatione incurioſi admodum forent.* Incuriam, quam admittebant ædificia conſtruentes pro viuis, expellebant, dum cenotaphia ædificabãt pro mortuis, maiori exiſtimantes curâ, & pietate defunctos proſequendos eſſe, quàm viuos.

Cœl. Rhodig.

Res etiam inſẽſata magis in mortuos quã in viuos apparent quodãmodo piæ.

12 Addo in fine capitis, quòd res quoq; omni ſenſu carentes maiorem ſuo modo videntur mortuis exhibere pietatem, quàm viuis. Narrat Plinius lib. 24. cap. 5. picem cedriam ex cedro magnâ emiſſam huius eſſe naturæ, vt corpora viuentia corrumpat, mortua vero diù incorrupta conſeruet, vitam quodammodo conferens defunctis, quam auferre conſpicitur à viuis. *Cedrus magna, quam cedrelaten vocant, dat picem, quæ cedria vocatur, dentium doloribus vtiliſſimam. Cedri ſuccus ex eâ quomodo fiat, diximus, magni ad lumina vſus, ni capitis dolorem inferret. Defuncta corpora incorrupta æuis ſeruat, viuentia corrumpit, mira differentia, cùm vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vitâ ſit.* Aſpicerem inſenſatam quodammodo piam ergà mortuos, quæ impia videtur in viuos, & ex hac quoque innatâ humoris propenſione diſce, maiorem mortuis pietatem deberi quàm viuis.

Plinius.

CAPVT II.

Damnum, quod ex pœnâ damni Purgatorij Animabus reſultat, explicatur.

Pœnam damni communis Theologorum aſſenſus in Purgatorio admittit.

1 DVplici pęnâ fidelium defunctorum animæ in Purgatorio torquentur, alterâ, quâ Dei viſione priuantur, quamque pœnam damni communiter Theologi nuncupãt, alterâ verò, quâ creaturæ corporeæ, tanquam diuinæ iuſtitiæ inſtrumenta, diuinitùs eleuatæ, illas torquent, hancque Scholaſtici pœnam sẽſûs appellant. Sapientiſſimè autem vtraque pœnâ mulctantur, vt quæ præuaricantes auerſæ sũt a Deo, eius priuatione puniantur, quæque per peccatum conuerſæ ſunt ad Creaturas, earum operatione torqueantur. Has pœnas, vniuerſis cum eo Theologis aſſentientibus, ſtabiliuit D. Thomas in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. *In* PVRGATORIO *erit duplex pœna, vna* DAMNI, *in quantùm*

D. Thomas.

ſci-

Digitized by Google

ſcilicet retardantur à diuinâ viſione, alia ſenſûs, ſecundum quod ab igne corporali puniuntur. Cùm igitur de vtráque pœnâ mihi ſit agendum, à primâ exordior, & quàm atrociter animæ ab eâ torqueantur, oſtendo.

Grauiſſima eſt pœna damni, quæ neceſſariò beatitudinem excludit.

2 Et ſanè hanc pœnam cæteris omnibus eſſe grauiorem ex eo patet, quòd quæcumque aliæ pęnę, quę poſsũt excogitari, poſsũt ab animâ beatâ tolerari abſq; eo, quòd beatitudinem, ac Dei fruitionem amittat, vndè Chriſtus, quem in paſſione dolores inferni circumdederunt, ſemper Deum vidit, & inter infernalia tormenta paradiſi gaudia non amiſit. At verò pœna damni beatitudinem neceſſariò excludit, & impoſſibile protſùs eſt, quòd qui eâ torquetur, diuinâ viſione fruatur; quapropter Chriſtus alias quidem pœnas ſuſtinuit, ſed hanc, ne Dei viſione priuaretur, minimè tolerauit. Quis igitur his cognitis non concludet pœnam damni cæteris omnibus poenis grauiorem eſſe, atque atrociorem? Vtique id concluſit D. Bernardinus Senenſis ſerm. 63. de Purgatorio cap. 3. iuxtà nouiſſimam impreſſionem. *Maior eſt* Poena Damni, *quàm ſenſûs ſecundùm Hieronymum, cuius ratio eſt, quia magis obuiat æternæ fœlicitati, eo quòd* Cum Poena Damni Beatitudo Incompossibilis Est, *non autem cũ poenâ ſenſus, ſicut patet in paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius anima in paſſione, & ſemper beata fuit.* Maior eſt pœna, quæ maiori opponitur bono, quare grauiſſima erit pœna damni, quæ beatitudinem, bonum omnium bonorum maximum neceſſariò excludit.

D. Bernard.

Lymbus propter pęnam damni miſeria lacus appellatus.

3 Hæc pœna ſanctorum Patrum lymbũ antè Chriſti aduentum adeò reddidit infœlicem, vt quamuis nulla ibi eos alia pœna torqueret, lacus miſeriæ ſit appellatus. Magnâ quippè animæ cruciabantur miſeriâ, quibus corporeis vinculis ſolutis, Deum non licebat intueri. Hinc de Patre loquens Chriſtus, qui eum de lymbo virtute diuinâ eduxerat *Eduxit*, inquit, *me de lacu miſeriæ.* Pſal. 39. 3. Verè lacus fuit miſeriæ, qui ſuos pœnâ damni miſerè torquebat habitatores. Rectè Hugo Cardinalis. *Eduxit me de lacu miſeriæ, ideſt de Lymbo, vbi tenebantur, &* Erat Eis Miseria Non-Videre Deum, *quem deſiderabant.* Adeò miſerum eſt Deum non intueri, ac pœnâ damni torqueri, vt nomen ab hac pœnâ limbus acceperit, eumque lacum miſeriæ Chriſtus appellauerit.

Hugo Card.

Eamdem ob cauſam eum tenebras Iob appellauit.

4 Quin & Iob tenebras eum nuncupauit. *Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtraui lectulum meum.* Iob. 17. 13. Si autem quis miretur, quòd locus, qui propter tranquillitatem, & quietem ſinus eſt dictus. *Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Luc. 16. 22. tenebrarum nomine appelletur, deſinat mirari, agnoſcens in eo pœnâ damni animas mulctatas nondum Chriſti ſanguinis pretio redemptas. Tenebras quippè incolebant, quæ Dei vultum intueri nequibant. Annuit Ludolphus Carthuſianus lib. de vitâ Chriſti 2. par. cap. 16. *Qui locus propter ſui tranquillitatem ſinus eſt dictus, ſicut & ſinus maris dicitur locus quietus à ventis, & tempeſtatibus, & dicebatur Abrahæ, quia ipſe fuit prima via credendi, & primus publicè prædicauit fidem vnius Dei; hunc appellauit Iob* Tenebras Respectu Visionis Dei, *vel pro tædio expectandi Saluatorem, dicens, In tenebris ſtraui lectulum meum.* Licet omni quiete, ac tranquillitate in Lymbo animæ fruerentur, dum tamen Deum non videbant, in tenebris morari dicebantur, ab vnicâ, ſed grauiſſimâ pœnâ infœliciſſimum numen loco ſortiente.

Ludolphus Carthuſ.

Deus iratus auerſione vultus ſui animas punit.

5 Huius pœnæ grauitatem expreſſit & Dauid cùm Deum exorans, dixit. *Faciem tuam Domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in irâ à ſeruo tuo.* Pſal. 26. 9. Cur non vult ſãctus propheta Deum à ſe iratum declinare? Nonnè hoc ſeruo eſt optandum, vt dominus iratus à ſe declinet, ne illius iram ſeueritate pœnarum experiri cogatur? Vt quid ergò Deum potiùs Dauid non orat, vt à ſe in irâ declinet? Audiamus de hoc eodem D. Auguſtinum dubitantem. *Poſſet illi fortè reſponderi hoc modo. Quid times, ne declinet à te in irâ? Magis ſi à te declinauerit in irâ, non in te vindicabit: ſi incurras in illum iratum, vindicabit in te. Opta ergò potiùs, vt declinet à te in irâ, non acredat. Quid vonit enim? quid deſiderat?* Audiſti eleganter dubitantem? Audi ſapientiſſimè reſpondentem. *Ira eius non eſt, niſi* Aversio Vultus Eius. Tunc Deus iraſcitur, cùm vultum ſuum auertit; nec enim maiori poteſt eius ira pęnâ mulctare, quàm ſui vultûs auerſione.

D. Auguſt.

Velut inimici torquentur, qui Dei viſione priuantur.

6 Hanc item pœnã ſanctus Iob lugebat, cùm diuinum vultum cernere cupiens, clamabat; *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Iob. 13. 24. Eâ ſeueritate Deus punit, cùm faciem ſuam abſcondit, vt veluti ſi eſſent inimici torqueantur, qui hac pœnâ mulctantur. Quare Iob tunc doluit ſe reputari vt inimicum, cùm ſibi celari aduertit Dei vultum. Appoſitè D. Gregorius Magnus lib. 11. in Iob cap. 21. *Illam faciem, quam timuit in culpâ, excitatus requirit ex poenâ, vt iam caliginem cæcitatis ſuæ fugiat, atque hoc ipſum, quòd authorem ſuum non videt, grauiter perhorreſcat. Quo videlicet deſiderio compunctus ſanctus vir clamat: Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? quia ſi vt amicum aſpiceres, tuæ me* Visionis Lumine *non priuares:* Seueriſſimè flagellat, & tanquam ſi ei eſſet inimicus punit, quem ſuæ viſionis lumine Deus priuat.

D. Gregor.

Omni ſolatio ſe populus deſtitutum cognouit, cùm Dei præſentiã ſibi de futurã intellexit.

7 Moyſi præcepit Deus, vt ad terram promiſſionis cum populo aſcenderet, ſe autem dixit cum eis non profecturum, ſed Angelum ſui loco miſſurum. *Mittam præcurſorem tui Angelum, vt eijciam Chananæum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebuſæum, & intres in terram fluentem lacte, & melle. Non enim aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne fortè diſperdam te in viâ.* Exod. 33. 3. Hæc autem cùm populus audiuiſſet, omnia ornamenta depoſuit

poſuit

poſuit, Deique ſermonem peſſimum exiſtimans, vberrimis lachrymis plorauit. *Audienſque populus ſermonem hunc peſſimum, luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.* Esod. 33. 4. Rationem verò afferens Abulenſis, cur eo mœrore ſe populus afflixerit, & propter hæc verba tamdiù plorauerit, hoc ait contigiſſe, quia populus Iſrael omni ſolatio ſe deſtitutum credidit, cùm Dei præſentiâ ſe priuatum agnouit. *Ratio ſui luctûs erat, quia cùm Deus diceret ſe non aſcenſurum cum eis, putauerunt ſe* OMNI SOLATIO DESTITVTOS. Omni ſolatio deſtituuntur, qui Dei præſentiâ priuantur, & iccircò hac priuatione Iſraëlitæ mulctati depoſitis ornamentis luctui vacauerunt.

Abulenſis.

8 Aduertendum eſt etiam cum Dionyſio Carthuſiano hunc Dei ſermonem peſſimum fuiſſe appellatum. *Audienſque populus ſermonem hunc peſſimum.* Quod ideò factum eſt, vt ſeueritas inueretur pœnæ, quam Deus verbis illis populo comminabatur. Subdo verba Carthuſiani. *Audiens populus ſermonem hunc peſſimum, hoc eſt valdè malum, loquendo de malo poenæ, quia comminatorius fuit, & iuſtæ vindictæ prænuntius, luxit ſua deplorando peccata, & metuendo deſtitutionem gratioſæ protectionis, atque* PRAESENTIAE DEI. Peſſimum arbitratus eſt populus ſermonem, qui priuationē comminabatur Dei præſentiæ; omnium enim malorum peſſimum eſt Dei præſentiâ, & viſione priuari.

Peſſimus eſt dictus ſermo qui priuationem comminabatur Dei præſentiæ.

Dion. Carth.

9 Addit Cardinalis Caietanus hunc ſermonē multam Dei oſtendiſſe clementiam, qui populo terram largiebatur lacte, ac melle manantem, & Angelum cum eo præcurſorem mittebat. Verumtamen iurè peſſimus eſt nuncupatus, cùm ſuam Deus eo præſentiam negaret; peſſimè namque ſe habet, etiamſi cæteris bonis abundet, qui diuinæ præſentiæ priuatione mulctatur. *Quamuis* (verba ſunt Caietani) *multæ clementiæ verba diuina eſſent, quia tamen* DEVS NEGABAT AFFVTVRAM PRAESENTIAM SVAM, *malum ſimpliciter, & abſolutè habitum eſt verbum iſtud, vt pote negans præcipuum bonum, diuinam videlicet præſentiam inter eos.* Diuinâ cariturus præſentiâ, cætera bona populus paruipendebat, nulla namque bona eſſe videntur, vbi Dei præſentia deſideratur.

Peſſimè ſe habet, etiamſi cæteris bonis abundet, qui Dei præſentiæ priuatione mulctatur.

Caietanus.

10 Pergo, & adeò grauem hanc pœnam eſſe affirmo, vt eius comparatione mortis tormenta contemnātur, ac leuiſſima videantur. Poſtquam Cain impius pium Abel fratrem occidit, eum Deus puniuit, & à facie ſuâ profugum eiecit. Ille verò vt ſenſit ſe hac pœnâ mulctatum, dixit ad Dominum. *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tuâ abſcondar, & ero vagus, & profugus in terrâ: omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Gen. 4. 14. Quibus verbis ait Lyranus Cain mortem à Deo petijſſe, ac propterea eam optaſſe, vt miſeriæ finis imponeretur, quâ eum eiectio illa mulctaſſet. *Cain videns ſe* DERELICTVM A' DEO, ET IN TANTA MISERIA CONSTITVTVM, *deſiderauit citò mori, vt ſua miſeria terminaretur, & ideò quaſi mortem deſiderans, dixit Domino, omnis, qui inuenerit me, occidet me, petens à Domino, vt iſtud fieret.* Vt ſua deſineret miſeria, mortem optabat, eligens potiùs vitâ, quàm Dei præſentiâ priuari.

Tormenta mortis huius pœna comparatione lenia ſunt.

Lyranus.

11 Quin & Paulus Apoſtolus hùc ſpectauit, cùm diſſolui cupiebat, vt eſſet cum Chriſto. *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Ad Philip. 1. 23. Tolerabiliorem nimirùm exiſtimauit mortem, quam Chriſti abſentiam quoad eius viſionem, & ideò mori optabat, vt Chriſtum, non abſentem haberet, ſed præſentem. Do D. Anſelmum hunc locum ita explicantem. *Iccircò diſſolui deſiderat, vt cum Chriſto poſſit eſſe.* Adeò Paulum torquebat deſiderium, quo Chriſtum abſentem videre cupiebat, vt hac pœnâ mortis pœnam cenſeret minorem, ideòque mori optaret, vt Chriſtum videret.

Vt à Chriſto non abeſſet Paulus mori optabat.

D. Anſelmus

12 Non igitur mirum, quòd Deus populo Hebræo, qui veneratione Idolorum eius maieſtatem grauiter læſerat, grauiſſimam pœnam infligere decernens, faciei ſuæ abſconſionem ſit ei comminatus. *Et ait, Abſcondam faciem meam ab eis.* Deut. 31. 20. Cùm enim hæc ſit pœna omnium atrociſſima, pro culpâ omnium grauiſſimâ, qualis eſt idolatria, erat irroganda. Subſignat Gloſſa ordinaria in hunc locum. *Ait abſcondam faciem meam ab eis. Nihil grauius eſt, quàm* VISIONE DEI PRIVARI, *vndè ne proijcias me à facie tuâ, itē ne auertas faciem tuam à me.* Vt pœnam cæteris omnibus grauiorem ingrato populo Deus comminaretur, priuationem ſuæ viſionis eſt ei comminatus, huius namque pœnæ atrocitas reliquarum omnium ſuperat ſeueritatem pœnarum. Cùm igitur tantâ hæc pœna torqueat ſeueritate, iam ex his remanet ſufficienter damnum, quod ex pœnâ damni Purgatorij animabus reſultat explicatum.

Vt grauiſſimâ pœnam populo Hebræo comminaretur, faciei ſuæ abſconſionem eſt ei comminatus.

Gloſſa Ord.

CAPVT III.

Pœnâ ſenſus, quâ purgantur, grauiſſimè Animæ Purgatorij torquentur.

1 LIcet atrocitas pęnæ damni grauitatem pœnę ſenſûs excedat, adhuc tamen hæc quoque grauiſſimè animas torquet in inferioribus ergaſtulis patrata delicta purgantes. Quam ſanè grauitatem voces illæ oſtendunt, quas Purgatorij animas emittere diuina oracula teſtantur, quaſque illarum nomine toties ingeminant. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Iob. 19. 21. Profectò à dolore vrgetur, qui clamorem emittit, vndè non adeò magnos, ac multos animæ illæ emitterent clamores, niſi grauiſſimi, atque atrociſſimi eas torquerent dolores. Audi Ioannem à Sancto Geminiano concione 10. funebri. *Qui ſentit* DOLORES MAGNOS, *emittit clamores; in eorum igitur perſona clamant oracula diuina, Miſeremini mei, miſeremini mei.* Magni Purgatorij animas torquent dolores, à quibus vt liberentur, magnos emittunt clamores,

Animæ Purgatorij emittunt clamores, quia magni eos torquent dolores

Ioannes à S. Geminiano.

miſera-

miſerabilibus vocibus fidelium viuentium ſuffragia implorantes.

Tempus purgationis, tempus dicitur tribulationis.

2 Hinc rectè tempus, quo Animæ illæ purgantur, tempus dicitur tribulationis. *Domine miſerere noſtri, te enim expectauimus, eſto brachium noſtrum in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.* Iſa. 33.2. Voces quippè ſunt iſtæ Animarum Purgatorij, afflictiones, ac tribulationes, quibus torquentur, exprimentes. Aſſerit id Hugo Florenſis ſerm. 2. de Animabus. *Eſto brachiũ noſtrum in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis, quod eſt* Tempvs Pvrgationis, *in quo fideles Dei defuncti per tribulationes, & afflictiones purgantur à peccatis ſuis.* Tempus purgationis tempus dicitur afflictionis, & tribulationis, quia multis tribulationibus affliguntur animæ, quæ poſt hanc vitam igne purgantur.

Hugo Flor.

Multa anim. Purgatorij replent miſeria

3 Idipſum innuere voluit ſanctus Iob, cùm dixit. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs.* Iob. 14.1. Breuem hominis vitam deſcribit, cui mors multis miſerijs referta ſuccedit. Quæ autem ſunt miſeriæ iſtæ, quibus adeò poſt hanc breuiſſimam vitam homo torquetur? An miſeriæ Purgatorij, quibus iuſti ex hac vitâ decedentes, dum tormentis purgantur, multipliciter torquentur? Ita idem Hugo Florenſis eodem ſerm. 2. *Repletur multis miſerijs, ecce multiplicitas afflictionis; animæ enim iuſtorum* In Pvrgatorio Pvniuntvr Mvltiplicitate Poenarvm. Multæ replent miſeriæ, quas multiplices affligunt pœnæ, multis enim cruciatibus torquentur animæ, quæ Purgatorij tormentis cruciantur.

Idem.

Pœnæ Purgatorij, quia atroces, & multæ, igni comparantur & aquæ.

4 Hùc etiam idem Author flectit verba Dauidis, quibus Deum, vt ſe ab aquis multis eriperet, enixè rogauit. *Emitte manum tuam de alto: eripe me, & libera me de aquis multis.* Pſal. 14.37. Aquas nimirùm multas pœnas dixit Purgatorij, quæ interdùm ignis propter acerbitatem, interdùm verò aquæ dicuntur propter multiplicitatẽ. Poenae Pvrgatorii *quandoque dicuntur aquæ propter abundantiam, quandoque ignis propter acerbitatem.* Et multæ, & acerbæ ſunt pœnæ, quæ animas torquent in Purgatorio, & iccircò igni, & aquæ comparantur, vt igne atrocitas, & aquâ earum explicetur multiplicitas.

Idem.

Item Leonibus, vt exprimatur earum atrocitas, cõparantur.

5 Sed & Leoni eas reperiu comparatas, quãobrem pro animabus Purgatorij Deum deprecans in ſacrificio Miſſæ Eccleſia *Domine*, inquit, *Ieſu Chriſte libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore Leonis.* In quo Dauidis verba imitata videtur, qui pariter has poenãs Leonibus comparauit, dum iuſtum ab eis ereptum hæc induxit præ gaudio loquentem. *Eripuit animam meam de medio catulorum leonum.* Pſal. 56.5. Cur verò Leonibus pœnæ Purgatorij comparantur, niſi vt earum ſæuitia, & atrocitas exprimatur? Nimirùm vt Leo animal eſt ſæuum, & ferox, ita pœnæ Purgatorij ferociter ſæuiunt in animas, quas purgãt, eaſque ineffabilibus cruciatibus torquent. Diſco id ex D. Bonauentura ſerm. 3. de mortuis. *Leo eſt animal terribile, & ſæuum, vndè per Leones ſæuiſſimæ illæ* Poenae Pvrgatorii *ſignificantur, quæ omnibus Leonibus terribiliores ſunt.* Leonibus pœnæ Purgatorij comparantur, vt hac ſimilitudine terribilia tormenta, quibus Animas purgant, nonnihil exprimantur.

Eccleſia.

D. Bonau.

Quaslibet alias pœnas, quãtumuis grauis ac diuturnas, excedũt

6 Caput abſoluo illud referens, quod de D. Gregorio narrat Petrus de Natalibus lib. 3. catalogi cap. 193. Angelum videlicet ei apparuiſſe atque optionem dediſſe, vt aut biduò in Purgatorio cruciaretur, aut plurimis morbis, dum viueret, ſemper premeretur. Sanctiſſimus verò æquè, ac prudentiſſimus Pontifex maluit in hac vitâ diù torqueri, quàm in Purgatorio breuiter cruciari, agnoſcens quamlibet licet breuem Purgatorij pęnam omnes quamuis diuturnas excedere huius ſæculi pænas. *Angelus ei apparuit, & quia pro damnato orauerat, duarum ei poenarum optionem dedit, aut biduò in* Pvrgatorio *cruciari, aut in vitâ ſuâ infirmitatibus fatigari, qui primo ſpreto, ſecundum elegit, vt ità deinceps ſemper, aut febribus, aut podagrâ, aut ſtomachi occupatione, aut varijs membrorum doloribus preſſus fuit.* Quaſcumque potiùs alias, quàm poenas Purgatorij ſapienter elegit, nam adeò ſunt atroces poenæ, quibus Animæ purgantur, vt ſuâ grauitate reliquas omnes, quantumuis graues, ac diuturnas, excedant. Conſtat igitur nedùm poenâ damni, ſed etiam poenâ ſenſus, quâ purgantur, grauiſſimè Animas Purgatorij torqueri.

Petrus de Natalibus.

CAPVT IV.

Grauiſſimè à Diabolo poenis Inferni Animæ Purgatorij torquentur.

Statuitur Animas Purgatorij à dæmonibus torqueri.

1 Scio celebrem eſſe Theologorum nobilium ſententiam, animas in Purgatorio Dæmonum miniſterio nõ torqueri, tùm quia Dæmones animas non torquent, niſi vt eas ad culpam inducant, tùm quia non purgationis, ſed odij gratiâ eas cruciarent, tùm demum quia decere non videtur, animas iuſtas, & ſanctas, quæ vſque ad extremum conflictum dæmones vicerunt, ab eis torqueri, quorum victrices extiterunt. Quasquidem rationes cùm facile ſit diluere, mihi potiùs aſſerendum videtur, dęmones eſſe Animarum Purgatorij tortores. Cùm enim in puniendis peccatis poſt hanc vitam diuinæ iuſtitiæ ſint miniſtri, non eſt cur animas non torqueant, quæ ad Purgatorium, vt propter peccata puniantur, deſcendunt. Hæc inſuper ſentẽtia ex multis reuelationibus colligitur, quibus animæ, quæ viuentibus apparuerunt, vt ſuffragia peterent, ſe dæmonibus traditas eſse, vt cruciarentur, fatebantur, quas quidem, cùm paſſim obuiæ ſint, hìc exſcribere omitto. Verba ſanè non omittam, quibus hanc ſtatuit opinionẽ Syneſius in Bibliothecâ veterum Patrum Epiſtolâ 44. Daemones *quidam expiandis ſceleribus præſunt,*

Digitized by Google

Syneſius.

ſunt, eamdem in animis hominum artem exercentes, quam in ſordidis veſtibus fullones habent. Ex quibus apparet Dęmonum miniſterio ſcelera expiari, & ſordes purgari animarum. Idem docuit Hugo Etherianus lib. de regreſſu animarum cap. 13. apud quem Anima Purgatorij pœnis cruciata de dæmonibus loquens hæc fatur. *Carnifices ſubſtantiæ meæ remedio ab omni abducere nituntur, ideò compedibus vinciunt, ſtringunt catenis, & in me multiplicia crudelitatis genera exercent*. Poterant ne clariùs ad rem noſtram hæc exarari?

Hugo Etherianus.

Ad facinoroſas pertinet poteſtates Animas mulctare Purgatorij.

2 Pergit D. Athanaſius in catenâ Græcâ in cap. 1. Iob, & hoc aduertit diſcrimen inter eos, quos Deus mittit, vt beneficia conferat, & illos, quibus peccatorum pœnam committit, quòd primi Angeli cęleſtes, & poſtremi ſint dæmones infernales. Ad quod comprobandum, principum ſimilitudine vtitur, qui cùm ſubditos vocant, vt honorent, nobiles viros, cùm verò, vt puniant, ſatellites adhibere conſueuerunt. *Quemadmodum apud nos principes, quando cum honore quempiam accerſunt, honeſtos homines mittere conſueuerunt, quandò verò cum ignominiâ abſtrahunt, crudeles quoſdam ſatellites, ita Deus ad ſanctos quidem Angelos mittit miniſtros ad ſalutem, quandò verò poenâ coercere vult*, FACINOROSIS PRÆCIPIT POTESTATIBVS. Facinoroſi dæmones miniſtri ſunt, quibus Deus homines pęnâ coërcet, quare cùm animæ ad Purgatorium mittantur, vt pro patratis culpis congruis pęnis torqueantur, ſequitur eas dæmones habere ſuarum pęnarum miniſtros, ac tortores.

D. Athan.

Animæ ad Purgatorium ab Angelis ducuntur, vbi à Dæmonibus torquentur.

3 Confirmat hæc omnia Hugo Florenſis ſer. 2. de Animabus, obſeruans Chriſtum ductum quidem à ſpiritu ſancto in deſertum, ſed ibi à diabolo fuiſſe tentatum. *Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo.* Matth. 4. 1. Idem autem animabus iuſtis contingere ait ex hac vitâ migrantibus, quas ad Purgatorium ſpiritus ſancti, hoc eſt Angeli deducunt, pęnis autem ſpiritus mali, videlicet Dæmones torquent. *Puniuntur miniſtrorum terrore; ſicut enim dicimus, quòd Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu ſancto, vt tentaretur à diabolo, ita credimus, quòd Animæ iuſtorum ducantur ad* PVRGATORIVM *miniſterio Angelorum ſanctorum, vt ibi* PVRGENTVR MINISTERIO ANGELORVM MALORVM. Ducuntur quidem iuſtorum animæ ad Purgatorium ab Angelis, ſed ibi torquentur à Dæmonibus, vt dum ſuis tormentis diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciunt, ſuos habeant diuinæ iuſtitiæ miniſtros tortores. Quapropter nec verum eſt Dęmones torquere tantùm, vt prouocent ad culpam, cùm puniant etiam, vt tanquam Dei ſatellites debitam peccatis exigant pęnam, nec refert, quòd ex odio animas Purgatorij affligant, dummodo per has afflictiones iſtę purgentur, nec indecens eſt animas iuſtas dæmones, quos vicerunt habere tortores, nam ſicut eos perfectè non vicerunt, ſed leuiter ſaltem interdum, eis tentantibus, corruerunt, ita conuenit, vt leuiter, hoc eſt temporaliter ab illis torqueantur. Torquentur igitur à Dæmonibus Animæ Purgatorij, quarum pęnæ grauiores redduntur, dum à talibus miniſtris infliguntur.

Hugo Flor.

Dæmones dicuntur Domini crudeles, quia crudeliſſimè torquent & nihil eſt eis crudelius

4 Comminatus eſt Dominus Aegypto, ſe illã derelicturum, & in manus dominorum crudeliũ traditurum. *Et tradam Aegyptum in manu Dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum.* Iſa. 19. 4. Qui verò ſunt iſti domini crudeles, quibus rex præſidet fortis, niſi dæmones, qui Diabolo ſubduntur, qui fortis à Chriſto eſt appellatus? *Quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi priùs alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiet?* Matth. 12. 29. Rectè autem Dæmones dicuntur Domini crudeles, quia in animas crudeliter ſæuiunt, quæ illis torquendæ traduntur. Hunc ſenſum tradit D. Hieronymus li. 7. in Iſaiam. *Dominus tradidit eos in manu dominorum crudelium iuxtà illud Apoſtolicum, Quos tradidi ſatanæ, vt diſcant non blaſphemare, quò ſeruitute duriſſimâ oppreſſi ad clementiſſimum Dominum reuertantur*. *Pulchrèque* DAEMONES CRVDELES DOMINOS VOCAT, QVIBVS NIHIL CRVDELIVS EST. *Rex quoque fortis, qui dominus eſt eorum, perſpicuè Diabolus intelligitur, quem & in Euangelio Dominus fortem vocat, quo vincto, & oppreſſo, vaſa domus eius, & præda diripitur*. Vt magis Deus Aegyptios torqueret, Dæmonibus, qui ſunt Domini crudeles, quibuſque nihil reperitur crudelius, eos tradidit torquendos, creſcit enim grauitas tormentorum, cùm talium infliguntur miniſterio dominorum.

D. Hieron.

Magna fuit miſeria viri, quem Diabolus arreptum torquebat.

5 Egreſſo Chriſto ad terram Geraſenorum vir occurrit, quem Dæmonium torquebat, huius autem Dominus miſertus, immundo ſpiritui pręcepit, vt ab eo exiret. *Præcipiebat enim ſpiritui immundo, vt exiret ab homine.* Luc. 8. 29. Miror, quòd cùm Chriſtus, non niſi rogatus, miracula operaretur, hunc à Diabolo arreptum, nullo rogante, ſanaret! Cur tantam ergà virum iſtum oſtendit Chriſtus pietatem, vt nullis præcedentibus precibus, à ſpiritu eum liberaret immundo? Vt quid tam celerem infœlici huic ægroto conceſſit, nemine vrgente, ſalutem? Magna patiẽtis miſeria diuinam ad celerem ſui curationem prouocauit miſericordiam. Adeſt Albertus magnus. *Hoc eſt ſecundum, in quo deſcribitur miſeria mouens miſericordem Dominum ad faciendum miraculum*. Magna deſcribitur miſeria, cùm vir à Diabolo deſcribitur cruciatus, & talis, vt valeat abſque precibus diuinam ad ſe inclinare miſerationem.

Albertus Magnus.

Chananæa magnã Chriſto miſeriam commemorauit, dum filiã ſuam à dæmonio vexatam dixit.

6 Hanc miſeriam mulier Chananæa Chriſto aperuit, cùm ad eum accedens, vt filiæ, quam Diabolus torquebat, ſanitatem impetraret, eam dixit à dæmonio malè vexatam. *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa, clamauit, Dicens ei Miſerere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Matth. 15. 22. At nunquid ignorabat Chriſtus Chananeæ filiam à dæmonio arripiente vexari? Nonnè omnia oculis eius nuda

erant,

Digitized by Google

erant, atque aperta? Nonnè id etiam mulier iſta cognouit, quæ ad eum tantâ fide acceſſit? Cur igitur ſimpliciter pro filiâ miſericordiam non petijt, ſed inſuper eam à Dæmonio vexari addere decreuit? Id egit, vt maximam infœlicis puellæ commemorans miſeriam, diuinam faciliùs poſſet obtinere miſericordiam. Probè Abulenſis quæſt. 66. *Dixit, malè vexatur, ad notandum conditionem* DAEMONIS, *qui torquebat eam, quia erat ſæuus nimis, ideò durè eam torquebat*. Durè torquet, quos cruciat Dæmon; nec enim poteſt ſæuus non eſſe hominum tortor, qui adeò crudelis eſt humani generis hoſtis.

Abulenſis.

PermiſitChriſtus dæmones porcos ſuffocare, vt dæmonis in homines ſæuitiã oſtenderet.

7 Hoc innuere voluit Chriſtus, cùm petentibus Dæmonibus, qui hominem infœliciter arripiebant, ne ſe in abyſſum mitteret, ſed potiùs permitteret, vt in gregem porcorum intrarent, quod petebant conceſſit, gregemque ab eis crudeliter arreptum in ſtagnum præcipitem abire, ac ſuffocari permiſit. *Exierunt ergò dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, & impetu abijt grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.* Luc. 8. 33. Vbi quærendum eſt, cur Deus, vt preces exaudiret dæmonum, gregem permiſerit ſuffocari porcorum. Quare hoc damnum Geraſenis intulit, vt diaboli deſideria impleret? Nunquid permittendum erat, vt hominibus, ad quos grex ille pertinebat, noceret, ne in abyſſum truderetur? Non vt dæmonum deſideria perficeret, ſed vt eorum ſæuitiam declararet, Chriſtus id permiſit, oſtendens, quàm grauiter ſæuiant, cùm poſſunt, in homines, qui adeò crudeliter ſæuierunt, cùm licuit, in porcos. Egregiè D. Petrus Chryſologus ſerm. 16. *Traditur vile pecus, non pro voluntate* DAEMONVM, *ſed vt tali facto innoteſcat, quomodo in* HOMINES SAEVIVNT. Permiſit, Chriſtus, vt dæmones animalia bruta ſuffocarent, quatenùs ex crudelitate, quâ in illa ſæuierunt, ſæuitiam colligeremus, quâ homines, quos crudeliſſimè odio habent, affligunt.

D. Petrus Chryſologus.

Qui ab Antichriſto torquebuntur cæteros martyres ſuperabũt quia perſonaliter cum Satana pugnabunt.

8 Fortitudinem commendat D. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 15. ſanctorum martyrum, qui antè diem vniuerſalis, & extremi iudicij Antichriſti pœnas contemnentes, in veræ fidei confeſſione vſque ad mortem perſeuerabunt, eoſque cæteris cunctis martyribus præferendos eſſe affirmat. *Nunquid autem non beatus martyr erit, qui tunc pro Chriſto martyrium pertulerit? Ego verò illum ſuper omnes martyres eſſe dixerim.* Cur verò ſuper omnes martyres erit, qui martyrij coronã tunc temporis acquiret? *Nam*, ſubdit, *qui anteà præceſſerunt, cum hominibus illis tantùm certamen erat, qui verò tempore Antichriſti patientur, perſonaliter* CVM SATANA PVGNABVNT. Cæteros omnes martyres in gloriâ ſuperabunt, quia non cum hominibus, ſed cum dæmonibus certabunt, ſuarumque poenarum crudeliſſimum miniſtrum Satanam habebunt.

D. Cyr. Ier.

Paſſio Chriſti amarior fuit quia Iudas, qui Diabolus erat, eum tradidit.

9 Ea recenſens Dionyſius Carthuſianus, quæ Chriſti paſſionem grauiorem reddiderunt, atque atrociorem, illud etiam recenſet, quòd ſuæ mortis proditorem diſcipulum habuerit authorem. *Paſſio Chriſti*, inquit in Pſal. 24. *amarior fuit, quia à diſcipulo vendebatur*. At hoc potiùs Chriſti paſſionem lenire, quàm grauiorem reddere videbatur. Quæ mors poteſt excogitari ſuauior eâ, quam manus inferunt inimicorum? Nonnè Phædra apud Senecam Tragicum in Hippolyto manibus eiuſdem Hippolyti, quem amabat, mori cupiebat?

Dion. Carth.

Hippolyte, nunc me compotem voti facis,
Sanas furentem. Maius hoc meo voto eſt,
Saluo vt pudore manibus immoriar tuis.

Seneca.

Nonnè hęc eſt hominum conditio, vt potiùs amicorum, quàm inimicorum manibus occumbere velint? Sanè Abulenſis in 1. Reg. cap. 20. quęſt. 15. dixit. *Iſta omnium hominum conditio eſt, quòd præeligant mori manibus amicorum, quàm inimicorum*. Nonnè id etiam Dauid firmauit, qui Ionathæ amici manibus mori optabat? *Si autem eſt iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me*. 1. Reg. 20. 8. Cur igitur amarior dicta eſt Chriſti paſſio, quia diſcipulus ab eo dilectus illius miniſter fuit? Nodum ſoluemus, ſi quis eſſet diſcipulus hic, expendemus. Dixit ergò Chriſtus. *Nonnè ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus* DIABOLVS *eſt? Dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem, hic enim erat traditurus eum, cùm eſſet vnus ex duodecim*. Ioan. 6. 70. Diabolus Iudas erat, ideòque Chriſti paſſionem amariorem reddebat, amariſſimum enim eſt Diabolum paſſionis, & poenarum habere miniſtrum. Grauiſſimas profectò, & atrociſſimas in Purgatorij carcere Iuſtorum animæ pœnas experiũtur, quæ tamen per id, quòd à Diabolo crudeliſſimo tortore infliguntur, grauiores redduntur, atque atrociores.

Abulenſis.

10 Quin & ex eo grauiùs, atque atrociùs animæ Purgatorij torquentur, quòd à Diabolo eiſdem poenis cruciantur, quibus Animæ damnatorũ puniũtur, ita vt nõ niſi ratione æternitatis à tormentis reproborum tormenta purgantium diſcriminentur. Quam ſtatuit veritatem D. Thomas in 4. diſt. 21. quęſt. 1. art. 1. his verbis. *Locus* PVRGATORII *eſt locus inferior inferno coniunctus, ita quòd* IDEM IGNIS SIT, *qui damnatos cruciat in inferno, & qui iuſtos in* PVRGATORIO *purgat*. Cum illo etiam ſentit D. Antoninus. 1. par. tit. 5. cap. 5. qui loquens de igne Purgatorij, ait. *Dicitur non eſſe æternus, non quidem quantùm ad ſubſtantiam, ſed quantùm ad officium, quia ignis ille non habet purgare electos, niſi in diem Iudicij, permanet tamen poſteà, quia* IDEM EST IN SVBSTANTIA CVM IGNE INFERNI, *vnde Gregorius dicit*, SVB EODEM IGNE *palea fumigat, & aurum rutilat*. Idem ignis, qui ſanctos punit, reprobos affligit, & eiſdem poenis animę iuſtorum cruciantur in Purgatorio, quibus ſpiritus damnatorum torquentur in Inferno. Quod ſanè purgantium non modicùm auget calamitatem animarum.

Pœnæ Purgatorij ſunt eædem cum pœnis inferni.

D. Thomas.

D. Antonin.

D. Gregorius

11 Antequam Chriſtus in Cruce ſpiritum emitteret, clamans ad Patrem, ſe ab eo derelictum

Chriſtus ſe à Deo derelictũ

eſſe

clamauit, quia ijs pœnis afflictus fuit, quibus inimici Dei mulctabantur.

eſſe vehementer indoluit. *Et circà horam nonam clamauit Ieſus voce magnâ, dicens, Eli, Eli lamaſabacthani, hoc eſt Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me?* Matth. 27.46. Cuius querelæ cauſa quænam alia fuit, niſi vt ſuarum pœnarum atrocitatem explicaret, dum iiſdem crucis tormentis quibus inimici Dei mulctari conſueuerant, torquebatur? Hoc videlicet adeò eius dolorem auxit, vt cùm in cæteris pœnis tanquàm agnus coram tondente ſe obmutuiſſet, in hac tamen ſe à Deo derelictum eſſe ingenti voce clamauerit. Accipe Dionyſium Carthuſianum ad rem noſtram ita loquentem. *Dicit ſe Chriſtus à Deo derelictum, non quòd priuatus eſſet gratiâ, vel gloriâ, ſed quia tam grauiter patiebatur, ac ſi peccator, & à Deo contemptus fuiſſet.* Similia quoque Ludolphus item Carthuſianus habet lib. de vitâ Chriſti 2. par. ca. 63. *Hoc dixit, vt magnitudinem ſuæ pœnæ oſtenderet, ita enim grauiter dolebat, ac ſi non Dei filius, ſed inimicus eſſet.* Tunc Chriſtus clamauit, cùm ſe, ac ſi Dei eſſet inimicus, torqueri ſenſit, atrociſſimè namque iuſtus punitur, cùm illis pœnis, quibus inimici Dei mulctantur, affligitur. O' igitur atrociſſimam Animarum Purgatorij pœnam, quę iiſdem tormentis purgantur, quibus inimici Dei, ac reprobi in inferno mulctantur.

Dion. Carth.

Ludol. Carth.

Animæ Purgatorij, quòd torqueantur ac ſi eſſent damnatæ, queruntur.

12 Huius pœnæ grauitate Iob aliquantùm oppreſſus, dum à Satana torquebatur, clamauit ipſe quoque ad Deum. *Noli me condemnare.* Iob. 10.2. Quæ verba explicans Dionyſius Carthuſianus, ait. *Noli me condemnare, id eſt noli me in pœnis his tam dirè punire, quaſi eſſem damnata.* Animæ Purgatorij verba iſta eſſe affirmat, quibus de hoc piè cum Deo queritur, quòd tam dirè, totque pœnis, ac ſi eſſet damnata, torqueatur. Hoc enim maximè animarum Purgatorij dolores adauget, quòd iiſdem pœnis purgentur, quibus, ſi eſſent damnatæ, mulctarentur.

Dion. Carth.

De hoc dolēt, quòd dolores inferni eas circumdent.

13 Hoc expreſſit etiam Dauid, cùm ſe doloribus inferni circumdatum doluit. *Dolores inferni circumdederunt me.* Pſal. 17.6. Quæ verba protulit inducens animam Purgatorij loquentem & quòd inferni doloribus crucietur, lamentantem. Querulis enim his vocibus pœnæ atrocitatem, quæ illam affligit, mœſta deplorat. Rectè Guillelmus Pepinius ſerm. in die defunctorū. *Animæ in* PVRGATORIO *detentæ clamant, & eiulāt quotidiè, primò quidem propter indicibilem dolorem, quem patiuntur, Dolores inferni circumdederunt me. Iſta ſunt verba Animæ exiſtentis in* PVRGATORIO, *quæ ita loquitur, eò quòd* IGNES PVRGATORIJ, ET INFERNI SVNT EIVSDEM SPECIEI. Hoc eſt, quod maximè Animas Purgatorij clamare, ac eiulare cogit, quòd inferni doloribus circumdatæ, illis pœnis purgentur, quibus damnati mulctantur. Cùm ergò harum ſanctarum animarum dolores ex inferni tortoribus, ac tormentis adeò creſcāt, rectè diximus grauiſſimè à Diabolo pœnis inferni Animas Purgatorij torqueri.

Guillelmus Pepinius.

CAPVT V.

Ex conſortio Dæmonum Animarum Purgatorij dolores augentur.

1 EO' tendit Caput iſtud, vt oſtendat ex ſolo conſortio Dæmonum, licet ab eis, vt bonæ notæ ſentiunt Authores, non torquerentur, valdè fore Animas Purgatorij affligendas. Nec enim Sententiæ iſtius Doctores negant, Dæmones animabus aſſiſtere, quæ purgantur, imò diſertis id verbis vnanimi conſenſu affirmant. Quare D. Thomas in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. ait. *Ipſi* DAEMONES, *qui de pœnis hominum lætantur, eas concomitantur, &* ASSISTVNT PVRGANDIS, *tùm vt de eorum pœnis ſatientur, tùm vt in eorum exitu à corpore aliquid ſuum ibi reperiāt.* & D. Antoninus 1. par. tit. 5. cap. 5. *Ipſi ſiquidē* DAEMONES *poteſtatem non habent torquendi animas purgandas, ſicut animas damnatas, cùm fuerunt in præſenti eorum victores, ſed* ASSISTENTES ANTE' EAS *irrident, & inſultant eis de ſuppliciis ſuis.* Aſſiſtunt Animabus Purgatorij dæmones, quarumque fuerunt, dum viuerent, tentatores, fiunt poſt mortem, donec purgentur, conſortes.

Authores, qui negant Animas Purgatorij à Dæmonibus torqueri eorum præſentiam in Purgatorio admittunt.

D. Thomas.

D. Anton.

2 Quo conſortio quàm grauiter eas affligant explicat Hugo Etherianus lib. de Animarum regreſſu ab inferis cap. 9. his verbis. *Si homines horrendos conſpicantes veremur,* ANGELOS MINISTROS: *virtutes inflexibiles* COMINVS VIDENTES *quid non patiemur?* Argue, quantum affligat viſio dæmonum, dum adeò intolerabilis, & horrendus eſt aſpectus hominum crudelium. Profectò Animæ illæ hac viſione ita torquentur, vt hæc ſola ſine alijs pœnis abundanter ſufficiat ad tormentum. Hinc loquens idem Pater ibidem de morientibus ægrotis, quibus Dæmones apparent. *Formidabile*, inquit, *eſt myſterium mortis, quando quærit animam exercitus ille horribilis. Incutit timores, formas mutat, delicta improperat, ad ſe trahit exeuntē, interminans lugubria, vt antè tormentum* TALIS MOLESTIA SVFFICIENS SIT AD CRVCIATVM. Vide quantam afferat moleſtiam ſolus dæmonum improperantium, & inſultantium aſpectus, quæ talis eſt, vt ſola ſine alio tormento ſufficeret ad cruciatum.

Moleſtia, quā patiuntur, videntes Dæmones, eſt ſufficiens ad tormentum Purgatorij cruciatum.

Hugo Eth.

3 Hanc moleſtiam explicauit Iob, dum ſe per viſiones horrore concuti doluit. *Per viſiones horrore me concuties.* Iob. 7. 14. Hæc porrò verba ſunt Animę Purgatorij, quę dæmonum viſione cruciata, illo intuitu queritur ſe horrore concuſſam. Magno quippè animę iuſtę, dum ſæuos illos, & infernales aſpiciunt miniſtros, eorum horrore deterrentur. Siſto hic verba Hugonis Florenſis ſerm. 2. de Animabus. *Ibi purgantur miniſterio angelorum malorum, quamuis eorum intentioni non ſit animarum purgatio, ſed earum afflictio. Iſtorum miniſtrorum infernaliū* HORRIBILIS EST VISIO, QVAE EST MAGNA CRVCIATIO. *Iob. 7. Per viſiones horrore me concuties.* Ex conſortio dæmonum,

Viſione Dæmonum horrore concutiuntur.

Hugo Flor.

num,

Digitized by Google

num, qui ſibi aſſiſtunt, animæ Purgatorij valdè cruciantur, dumque illos intuentur, ſibi horrificis modis inſultantes, ſuaſque poenas irridentes, magna moleſtiâ torquentur.

Earum miſeria augentur ex hoſtiū infernalium irriſione.

4 Cùm Nicanor venerabilem ſenem Raziā Iudæum apprehendere ſtatuiſſet, ac milites quingentos, qui eum caperent, miſiſſet, elegit iſte potiùs conſtantiſſimo animo ſibi mortem inferre, quàm hoſtium contumelias, & irriſiones tolerare. Itaque cùm iam hoſtes in eius domum irruerent, ianuamque diſrumperent, proprijs manibus gladio ſe confodit, atque in turbas hoſtium ſe conſtanter præcipitauit. *Cùm iam comprehenderetur, gladio, ſe petijt, eligens nobiliter mori potiùs, quàm ſubditus fieri peccatoribus, & contrà natales ſuos indignis iniurijs agi. Sed cùm per feſtinationem non certo ictu plagam dediſſet, & turbæ intrà oſtia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitauit ſemetipſum viriliter in turbas* 2. Machabęor. 14. 42. O' virilem ſenis conſtantiam, qui potiùs glorioſâ morte occumbere, quàm ab hoſtibus illudi, atque irrideri elegit. Obſeruo autem hìc quantâ pręclaros animos hoſtium irriſiones afficiant moleſtiâ, dum ad eam vitandam mortis tormenta libenter eliguntur. Diſce autem hinc quàm crudeliter ab hoſtium infernalium irriſione Animæ Purgatorij torqueantur, dum adeò graui moleſtiâ propter iniurias hoſtium humanorum homines afficiuntur, vt potiùs mortem ſubire, quàm eas tolerare decernant. Arguit hoc ex allato Raziæ facinore D. Antoninus 1. par. tit. 5. cap. 5. his verbis. *Secunda afflictio* (animarum Purgatorij) *eſt* DAEMONIS IRRIDENTIS, *Solet enim homini eſſe valdè anguſtioſum, cùm videt inimicum ſuum inſultare, & irridere de pœnis eius, & propter hoc Razias vir venerabilis, & magnæ opinionis in populo Iſrael, ne captus illuderetur ab inimicis, proiecit ſe ex feneſtrâ inter turbas*. Irridentur ab hoſtibus infernalibus, qui eis aſſiſtunt, animæ in Purgatorio, hiſque irriſionibus earum cruciatus, & miſeriæ valdè augentur.

D. Antonin.

Has irriſiones figurabāt quibus Aegyptij illudebāt Iſraelitis.

5 Et ſanè quid poteſt diabolicis irriſionibus excogitari crudelius? Iuſſit Pharao nouus rex Ægypti populo ſuo, vt populum opprimeret Hebræum, eiſque magiſtros operum præpoſuit, qui laborantes oneribus affligerent, & pigros verberibus cruciarent. Cùm autem Ægyptij odio haberent Iſraëlitas, illos libenter affligebant, eiſque inſuper illudebant. *Oderantque filios Iſrael Aegyptij, & affligebant illudentes eis*. Exod. 1. 13. Hic autem aduertit Abulēſis grauiorem, & cæteris omnibus intolerabiliorem poenam Iſraëlitarum illam fuiſſe, quâ illuſiones ſuſtinere cogebantur, & irriſiones Ægyptiorum. *Grauior, ac cæteris intolerabilior labor erat magna illuſio, & inſultatio Aegyptiorum*. At verò quinam per Aegyptios præfectos Iſraëlitis inſultantes, niſi dæmones animabus illudentes exprimuntur? Audi Cyrillum in catenâ Lippomani. *Operum verò præfectos, eorum videlicet, quæ ſibi maximè placent*, SATANAM, ET IMPVROS DAEMONES *conſtituit*. Omnium poenarum, quas ab Ægyptijs patiebantur Iſraëlitæ, maxima erat irriſio, & inſultatio pręfectorum, quia tunc animæ iuſtæ maximè affliguntur, cùm eas dæmones irrident, et de poenis, quas ſuſtinent, inſultantes lætantur.

Abulenſis.

Cyrillus.

6 Reprobos ad æternos infernalium flammarum ardores Chriſtus in die iudicij condemnans, eos ad ignem eijciet Diabolo, eiuſque miniſtris paratum. *Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*. Matthæus 25. 41. Dubium hìc oritur, cur extrema illa verba ſit Chriſtus additurus, *qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*. Nonnè ſufficeret in illâ horribili ſententiâ ignis facere mentionem, & ignis æterni? Quid refert hoc inſuper explicare, quod ignis ille paratus eſt Diabolo, & angelis eius? Hoc addetur, vt magis grauitas poenæ damnatorum declaretur, qui atrociùs cruciabuntur, dum infernales hoſtes habebunt in eodem igne conſortes. Reſponſio eſt Abulenſis in cap. 25. Matth. quæſt. 326. *Declaratur, qualis ſit poena damnatorum hominum ſcilicet, quòd non ſoli ardebunt, ſed cum hominibus erunt* DAEMONES, *& ſic* MAGIS CRVCIABVNTVR HOMINES EX TALI CONSORTIO. Dæmonum conſortium, animarum, quæ patiuntur, valdè auget cruciatum, ideòque ignis damnatorum, non ſimplex ignis æternus dicitur, ſed ignis æternus dæmonibus paratus.

Ignis damnatorū dicitur diabolo paratus, vt oſtendatur grauitas pœnæ, quâ torquentur, dum dæmones habēt conſortes.

Abulenſis.

7 Dæmoniacum ferociſſimum à dæmonum legione Chriſtus liberauit, qui egredientes ab homine, ingreſſi ſunt, Chriſto permittente, gregem porcorum. Hi autem ſtatim arrepti ſe pręcipites in aquas dederunt, & ſuffocati vitam amiſerunt. *Exierunt ergò Dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, & impetu abijt grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt*. Luc. 8. 33. O' infoelix dæmonum conſortium, quod nec porci quidem tolerare potuerunt, ſed potiùs in fluctibus vitam amittere, quàm eorum ſocietatem admittere voluerunt. Subdo aurea D. Petri Chryſologi verba, qui ſerm. 17. ita loquitur. *Demergi in mari, & fluctibus maluit deperire, quàm eius immunditiam pati, & putredinem tolerare*. Agnoſce, quàm graui cruciatu animas Purgatorij torqueat conſortium Dęmonum, quod nec ſuſtinere potuit grex porcorum, ſed maluit ſe aquis præfocare, quàm adeò vehementi poenâ torqueri.

Conſortium dæmonum ſuſtinere non potuit grex porcorum.

D. Pet. Chryſ.

8 Poſt Chriſti reſurrectionem Angelus de Cęlo deſcendens, lapidem monumenti reuoluit, & ſuper eum ſedit. Adeò autem milites, qui ſepulchrum cuſtodiebant, ſuo aduentu exterruit, vt facti ſint velut mortui. *Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui*. Matthæi 28. 4. Mirum videtur, quòd

Angelus aſpectu terribilis milites, qui cuſtodiebant ſepulchrum magno timore affecit.

Y ſatelliti

Digitized by Google

ſatellitibus iſtis tantum incuſſerit Angelus timorem? Ergò beatos cœleſtis patriæ ciues homines verentur? Ergò timent mortales, cù n ſpiritus vident, quos in æthereis thalamis ſperant habere conſortes? Timuerunt milites, & præ timore penè mortui facti ſunt, quia eos Angelus terribili aſpectu reſpexit. Debetur hoc Euthymio. *Præ timore Angeli exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui, fuit enim aſpectus terribilis.* Terribilem Angeli aſpectum ſuſtinere milites non potuerunt, ſed tanquam mortui præ timore ceciderunt.

Euthymius.

9 Quem timorem expertus eſt quoq; Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ, cùm ei Angelus in templo apparuit à dextris altaris. *Apparuit autem illi Angelus Domini, ſtans à dextris altaris incenſi, & Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum.* Luc. 1. 12. Hoc videlicet ſibi proprium Angeli vendicant, vt hominibus, quibus apparent, metum, ac timorem ſemper incutiant. Rectè D. Vincentius Ferrerius ſerm. 3. de Sancto Ioanne Baptiſtâ. *Zacharias tremens timuit, quia conditio eſt ſpiritûs, ſiue boni, ſiue mali terrere, & incutere terrorem, quando apparet, ideò dicit Beatus Lucas de Virgine Mariâ. Et turbata eſt in ſermone eius.* Terrent, licet boni, & electi, cùm hominibus apparent Angeli, vndè magno timore Zacharias eſt affectus, cùm ſibi thus offerenti Angelum aſpexit præſentem.

Angelum Zachariæ videns timore magno eſt affectus.

D. Vin. Ferr.

10 Confirmat hoc ipſum id, quod contigit Dauidi, cum eleuans oculos, Angelum vidit gladium manu tenens contrà Ieruſalem euaginatum. Confeſtim enim, ſimul cum ſenioribus procidit in terram. *Leuanſque Dauid oculos ſuos, vidit Angelum Domini ſtantem inter Cœlum, & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & verſum contrà Ieruſalem, & ceciderunt tam ipſe, quàm maiores natu veſtiti cilicijs proni in terram.* 1. Paralip. 21. 16. Quod proculdubio propter timorem contigit, quem intuentes Angelum terribili vultu ſe aſpicientem, contraxerunt. *Poterat eſſe ex timore, quia videntes Angelum in cultu terribili, & cum gladio euaginato caderent in terram, & dicendum, quòd iſta eſt veritas, nam propter maximum timorem Dauid non ſe potuit ſuſtinere, ſed cecidit in terram.* Hæc ad allatum locum profert Abulenſis. Ex quibus apparet, quo terrore, qui terribiles Angelorum vultus intuentur, concutiantur.

Angelum terribili aſpectu videns Dauid pronus in terram præ timore cecidit.

Abulenſis.

11 Quinimò talis fuit hic Dauidis timor, vt nimiùm perterritus non potuerit ad altare pergere, vt Deum oraret, ſed coactus ſit in areâ victimas immolare. *Et non praualuit Dauid ire ad altare, vt ibi obſecraret Deum, nimio enim fuerat terrore perterritus, videns gladium Angeli Domini.* 1. Paralip. 21. 30. Ad quæ ait Caietanus. *Non tam ad excuſandum Dauidem, quàm ad manifeſtandum punitionem ipſius ſcribitur, quòd tam perterritus fuit, videndo percuſſorem Angelum, vt redditus fuerit impotens ad eundum ad altare Dei, quod erat in excelſo Gabaon, vt hinc intelligamus non paruam ægritudinem contraxiſſe indè Dauidem.* Animaduerte quanto timore percuſſerit Angelus Dauidem, qui eo viſo talem ægritudinem contraxit, vt nec ad altare Dei aſcendere potuerit.

Ex timore perculſus ad templum dei aſcẽdere non potuit.

Caietanus.

Vſque ad mortem hic timor in eo perſeuerauit.

12 Sed hîc non poſſum aliam Dauidis ægritudinem præterire, quâ ita opprimebatur, vt licet veſtibus operiretur, calefieri non poſſet, quapropter adoleſcentem virginem, quæ illum foueret, ſerui ei quæſierunt. *Cùmque operiretur veſtibus, non calefiebat; dixerunt ergò ei ſerui ſui: Quæramus Domino noſtro regi adoleſcentulam virginem, & ſtet coram rege, & foueat eum.* 3. Reg. 1. 1. Iſtius autem ægritudinis Angelus idem, qui ei apparuit cauſa fuit, nam talem ex eius viſione timorem contraxit, vt vſque ad mortem iſte in eo timor perſeuerauerit, ideòque ampliùs calefieri non potuerit. Adeſt Abulenſis quæſt. 2. *Alia cauſa etiam ponitur ex timore, ſcilicet quia numerato populo, cùm vidit Dauid Angelum percutientem, timuit valdè, & cecidit in terram, & in tantum indè conturbatus eſt, quòd vſque ad mortem manſit in eo iſte timor, & iſta infrigidatio.* Vides, quo timore Angeli etiam boni homines afficiant, quaque ægritudine illos torqueant, quibus apparent, quoſque terribili aſpectu intuentur? Agnoſce igitur, quem terrorem incutiant Animabus Purgatorij Angeli mali, dum adeò terrent homines, cùm eos terribili vultu aſpiciunt, Angeli boni. Profectò maxima eis ex tali aſpectu moleſtia cõſurgit, vndè veriſſimum eſt ex conſortio dæmonum Animarum Purgatorij dolores augeri.

Abulenſis.

CAPVT VI.

Magnum qui purgantur ſuſtinent cruciatum, quia in animâ cruciantur.

1 Quemadmodum Anima præſtatior eſt, ac nobilior corpore, ita pœnæ, quibus illa torquetur, longè sũt illis grauiores, quæ corpus affligunt. Quare cùm illi, qui cruciantur in Purgatorio, in animâ torqueãtur, hoc etiam ex capite pœnæ grauitatem colligere licet, quâ mulctantur. Et ſanè cum dolor ſit ſenſus læſionis, quo magis ſenſu pollebit, qui dolet, eò etiam grauius dolebit. Vndè cùm Anima ita ſenſu polleat, vt ab eâ omnis corporis ſẽſus proueniat, cùm hęc torquebitur immediatè, grauiſſimo, & atrociſſimo dolore procul dubio punietur. Hæc omnia licet authoritate comprobare D. Thomæ, qui grauitatem pœnarum Purgatorij hac ratione arguens, ita loquitur in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. *Cùm dolor non ſit læſionis ſenſus, tantò aliquis magis dolet de aliquo læſiuo, quantò magis eſt ſenſitiuum, vndè læſiones, quæ ſunt in locis maximè ſenſibilibus, ſunt maximum dolorem cauſantes. Et quia totus ſenſus corporis eſt AB ANIMA, ideò ſi in ipſam ANIMAM aliquod læſiuum agat, de neceſſitate oportet, quòd maximè affligatur, & ideò oportet, quòd pœna PVRGATORII,* quantùm

Pœna Purgatorij animas excedit quia animam affligit.

D. Thomas.

Digitized by Google

quantùm ad pœnam damni, & ſenſûs excedat omnem pœnam iſtius vitæ. Omnem pœnam pœna Purgatorij excedit, quia non corpus, ſed animam ſenſûs omnis fontem affligit.

Tribulatio Animæ omnimodâ tribulato affert afflictionem.

2 Hanc pęnæ grauitatem, quâ tribulatur anima, expreſſit Moyſes, cùm extremis monitis populum ſubiectum inſtruens, eum hortatus eſt, vt totâ tribulatione animæ ſuæ Deum requireret. *Cùmque quæſieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Deut. 4. 29. Cur potiùs tribulationem animæ à populo Moyſes poſtulauit, quàm afflictionem corporis? Cur eum non monuit, vt ſaccum indueret, vt ieiunio ſe affligeret, vt humi cubaret? Nonnè hæc ſunt pęnitentium opera, quibus Deum per peccatum amiſsũ inuenire, offenſumque ſtudent placare? Quare igitur non hæc quibus, corpus torquetur, ſed ſolam populo animæ ſuadet afflictionem? Quia tribulatio Animæ omnimodam tribulato affert doloris afflictionem. Accipe verba Dionyſij Carthuſiani. *Si tamen toto corde quæſieris, & totâ tribulatione animæ tuæ, hoc eſt* Cvm Omnimoda Afflictione *pœnitentialis doloris.* Omnimodã petebat Moyſes doloris afflictionem, & quia hæc habetur, cùm tribulatur anima, ideò non corporis, ſed animæ tribulationem poſtulauit.

Dion. Carth.

Eliſæus noluit mulierẽ à ſuis pedibꝰ amoueri, quia cũ eius anima in amaritudine eſſet, magnâ torquebatur amaritudine.

3 Properauit Sunamitis mortuo filio ad Eliſæum, & pedes Prophetæ apprehendens, plorauit. Quam cùm vidiſſet Giezi, acceſſit, vt eam amoueret, ſed Eliſæus ei præcepit, vt illam dimitteret. Quam conſolationem ſe illi permittere dixit, quia anima eius in amaritudine erat. *Et ait homo Dei, dimitte illam, anima enim eius in amaritudine eſt.* 4. Reg. 4. 27. Aduertit hìc Abulenſis Eliſæum mulieres non conſueuiſſe admittere ad tactum pedum ſuorum, licet huic Sunamitidi peculiariter id permittere voluerit ratione magnæ amaritudinis, quę illam affligebat, cùm in amaritudine eius anima eſſet. *Prohibuit Eliſæus Giezi amouere illam de pedibus ſuis, quia illa erat* IN AMARITVDINE MAGNA, *& conſolabatur manendo ad pedes eius, ideò licet conſuetudo Eliſæi eſſet, quòd nulla fœmina tangeret pedes eius, tamen huic voluit permittere ſpecialiter.* Magna eſt amaritudo, quæ animam torquet, quare cùm cerneret Eliſæus hanc mulierem in amaritudine animæ eſſe, ne tantæ amaritudini nouam adderet afflictionem, noluit eam à ſuis pedibus amoueri.

Abulenſis.

Adeò magna èſt animæ amaritudo, vt penè homines cogat limites excedere rationis.

4 Addo ita grauem eſſe Animæ amaritudinem, vt penè homines cogat excedere, ne dolori ſuccumbant, limites rationis. Abſente Dauide Amalecitæ vrbem Siceleg ablatâ prædâ incenderunt, & inſuper omnes virorum, & militum, qui cum eo erant, vxores captiuas duxerunt. Hæc vt populus agnouit, adeò irâ excanduit, vt lapidibus regem obruere ſtatuerit. Sed cur Dauidem regem tam ſanctum, ac beneuolum populus interficere, ac lapidare volebat? Cur viri adeò fideles, qui principem in prælio tuebantur, ei mortem infligere decreuerunt? Quia propter vxorum, & filiarum captiuitatem amaritudinem animę contraxerant eorum. *Et contriſtatus eſt populus valdè, volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima vniuſcuiuſque viri, ſuper filijs ſuis, & filiabus.* 1. Reg. 30. 6. Animaduerte autem, quanta ſit animæ amaritudo, quæ hos viros proprium regem interficere, ac rationis limites excedere penè cogebat. Annuit Abulenſis. *Iſta eſt ratio, quare vellent lapidare Dauid, quaſi dicat cùm Dauid eſſet vir bonus, nullo modo vellent viri ſui lapidare eum, cùm parati eſſent mori pro ipſo, vbicumque ille vellet, ſed amaritudo cordis commouerat eos ad hoc volendum, quod aliàs non erant volituri, ſcilicet, quia* Anima *cuiuslibet erat amara nimis, &* Cogebantvr Penè Ex Hoc Egredi Limites Rationis. Ita ſunt atrocia tormenta, quibus anima torquetur, & ita ſuâ eam reddunt afflictione amaram, vt doloris grauitate oppreſſa limites penè cogatur excedere rationis.

Idem.

Cætera tormenta comparata cum pœnis animæ parua videntur.

5 Virtutem Iob, qui iuſtitiam ſectabatur, pietatemque colebat, Deus valdè coram Satana commendauit, qui cùm laudibus inuideret, falſum ei crimen obiectauit, illumque non rectitudinis, ſed bonorum temporalium gratiâ virtutem ſectari affirmauit. Quare petijt à Deo, vt eum tribulationibus peteret, nam tunc illius bonitatem ſtabilem non eſſe conſpiceret. Sed verba, quibus hoc petijt, animaduerſione mihi digna videntur. *Extende paululùm manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi.* Iob. 1. 11. Ergò paululùm putat Diabolus manum extendi, cùm pueri gladio, & oues incendio interficiuntur? Nunquid parum eſt armenta rapere Sabæos, & camelos inuadere Caldæos? Nunquid parum eſt, vento irruente domum ruere, ac filios, filiaſque adhuc veſcentes interficere? Nunquid tandem parum eſt omnia bona temporalia in ictu oculi ſimul infęliciter amittere? Vtique parua hæc omnia patientiſſimi viri tormenta Satanæ videbantur, quia cùm eius animam torquere optaret, ſolum animæ tormentum multum, cætera vero ei comparata parua cenſebat. Adſtipulatur D. Gregorius Magnus. *Paulùm manum poſtulat extendi, quia exteriora ſunt, quæ appetit conterı, neque enim Satanas facere ſe aliquid multum putat, niſi cùm* In Anima Savciat. Sunt adeò graues Animæ cruciatus, vt eorum comparatione, parui cæteri appareant, & nullius ferè momenti cenſeantur.

D. Gre. Mag.

Tanquã paruum malum non eſt timendum, quod infligitur corpori, comparatione illius, quo anima torquetur.

6 Idipſum innuit Chriſtus, cùm Apoſtolis ſuaſit, ne tyrannos timerent, qui corpus quidem occidere, animam verò torquere non poſſunt. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Matth. 10. 28. Vt quid enim hoc dixit, niſi vt ſuis oſtenderet diſcipulis minimam eſſe pœnam, quâ cruciatur

corpus ei comparata, quæ animam torquet, ita vt mors ipſa corporis parui ſit facienda, ſi cum pœnâ comparetur, quæ animam affligit. Hunc ſenſum tradit Abulenſis quæſt, 116. in hunc locum. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, quaſi dicat* Parvvm Malvm Est, *quod poſſunt vobis inferre, ideò non timeatis*. Paruum malum eſt, quod infligitur corpori, pœnæ comparatum, quâ torquetur anima, ideòque ab homine non timendum.

Abulenſis.

Chriſtus contriſtatus animæ pœnam ſuſtinuit, vt maiorẽ oſtenderet patiendi ardorem.

7 Aſſumpſit Chriſtus, priuſquam à Iudæorum ſatellitibus caperetur, Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & valdè contriſtatus animæ ſuæ dolorem eis aperuit. *Tunc ait illis, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*. Matth. 26. 38. O' miram & egregiam Redemptoris noſtri pietatem, qui pro noſtrâ ſalute nedùm voluit in corpore tormẽtis cruciari, ſed etiam in animâ triſtitiâ torqueri. Scilicet modicæ illi viſæ fuiſſent corporis pœnæ, niſi anima quoque pauoris, ac triſtitiæ pęnâ cruciaretur. Subſignat D. Bernardus ſerm. 1. de Beato Andrea. *Quid magnum fuerat Domine Ieſu, ſi accedenti horâ intrepidus ſtares? An non longè glorioſius fuit, vt non modò paſſio corporis, ſed etiam cordis affectio pro nobis ſtaret?* Tunc glorioſiùs Chriſti amor triumphauit, magnumque patiendi ardorem oſtendit, cùm pro nobis contriſtatus angores animæ libenter ſuſtinuit, nam animæ poenæ longè maiorem, quàm corporis tormenta afferunt dolorem.

D. Bern.

Vt corpore, ita & animâ pati voluit vſq; ad mortem.

8 Hinc autem factum eſt quod ille timuerit, qui alios ne timerent, hortabatur. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*. Matth. 10. 28, *Ego ſum, nolite timere*. Matth. 14. 27. *Nolite timere puſillus grex*. Luc. 12. 32. Non enim aliam ob cauſam timuit, niſi vt animæ doloribus torqueretur, qui corporis tormenta propinqua cernebat. Annuit Caietanus. *Tunc ait illis; Triſtis eſt anima mea. Quod intùs ſentit, ſermone manifeſtat, vt ipſo teſte cognoſcamus, quòd verè habuit animam paſſibilem, quòd vtitur animo, non ſtoico, ſed paſſibili, vſque ad mortem intenſiuè propter magnitudinem triſtitiæ, & extenſiuè, quia ſicut continuè vſque ad horam mortis paſſus eſt in corpore, ita continuè triſtatus eſt in animo.* Non corporis tantùm, ſed animæ Chriſtus dolores elegit, vt dum in animâ torqueretur, atrociora pro nobis tormenta ſubiret.

Caietanus.

B. Virgo Regina martyrũ fuit, quia in animâ paſſa eſt.

9 Caput claudo rationem quærens, cur à ſanctâ Matre Eccleſiâ Beata Virgo Maria Regina martyrum appelletur. *Regina Martyrũ ora pro nobis*. Quiſnã gladius eius pectus confodit? Quis eam tyrannus interfecit? Audi. *Et benedixit illis Symeon, & dixit ad Mariam matrem eius. Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Luc. 2. 35. Gladius doloris, qui animam pertranſiuit Virginis, eam martyrem, imò pluſquam martyrem, & martyrum reginam reddidit, cùm enim atrociùs torqueant animæ poenæ, quàm corporis dolores, glorioſius martyrium virgo ſubijt, quæ animâ paſſa eſt, quàm cæteri martyres, qui corpore poenas ſuſtinuerunt, ideòque nedùm martyr, ſed martyrum regina nuncupatur. Hùc ſpectauit D. Hieronymus ſermone de Aſſumptione Beatę Marię. *Quod verè paſſa ſit, teſtatur Symeon Propheta loquens ad eam. Et tuam, inquit, ipſius animam pertranſibit gladius. Ex quo conſtat, quòd ſuprà martyrem fuerit, alij namque ſancti, & ſi paſſi ſunt pro Chriſto in carne, tamen in animâ, quia immortalis eſt, pati non potuerunt. Beata verò Dei genetrix, quia in eâ parte paſſa eſt, quæ impaſſibilis habetur, ideò, vt ita fatear, quia ſpiritualiter, & atrociùs paſſa eſt gladio paſſionis Chriſti,* Plvs Qvam Martyr Fvit. Pluſquam martyr, imo Regina Martyrrm Maria fuit, quia non corpore, ſed anima paſſa eſt, animæ namque tormenta non martyrem, ſed plus quàm martyrem eum reddunt, quem torquent. Dum igitur adeò ſunt atroces animæ pęnæ quis negabit magnum eos, qui purgantur, ſuſtinere cruciatum, quia in animâ cruciantur?

D. Hieron.

CAPVT VII.

Ratione loci, vbi Animæ Purgatorij torquentur, grauiora tormenta fiunt, quibus puniuntur.

Purgatorium eſt in centro terræ.

1 PVrgatorij locum in terræ centro communiter Theologi conſtituunt, ita vt animæ ſub terrâ purgent peccata, quibus in terrâ Deum læſerunt. Hinc D. Thomas in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. ait. *Locus* Pvrgatorii Est Locvs Inferior *inferno coniunctus, ita quòd idem ignis ſit, qui damnatos cruciat in inferno, & qui iuſtos in* Pvrgatorio *purgat*. D. Bernardinus ſerm. 63. cap. 2. *Dicuntur quatuor eſſe habitacula* Svb Hac Habitabili Terra, *quorum tria diſtinguuntur ſecundùm triplex genus peccati, ſcilicet infernus, & hic debetur culpa mortali, lymbus, & hic debetur originali, ac* Pvrgatorivm, *& hic veniali*. D. Bonauentura in 4. diſt. 20. par. 1. quæſt. 6. *Concedendum igitur eſt, quòd* Locvs Pvrgatorii Est Inferivs *ſecundum legem communem*. D. Vincentius Ferrerius ſer. 2. Dom. 15. poſt feſtum Trinitatis. *Sciendum eſt, quòd* Pvrgatorivm Est In Corde Terrae. Et, ne innumeros congeram Doctores, ferè omnes in hac doctrinâ conueniunt, quòd animarum iuſtarum delicta in terræ centro purgentur. Vndè huius quoque loci ratione grauiores poenæ fiunt, quibus torquentur.

D. Thomas.

D. Bernard.

D. Bonauen.

D. Vinc. Fer.

Locus Purgatorij ſuâ ignobilitate animas torquet.

2 Sanè locus, in quo electorum animæ gloriâ donantur, ſuperior eſt, vt ex nobilitate quoque loci gaudia creſcant beatorum. Cùm igitur locus, in quo animæ purgantur, huic ſit oppoſitus, & non Cęlo propinquus, ſed in intimo terrarum corde reconditus, reliquum eſt, vt ſit valdè ignobilis, & ſuâ eos torqueat ignobilitate, qui purgantur. Hoc vtitur argumento, vt poenam probet, quam ſuâ ignobilitate animabus, quę purgantur, Purgatorij locus affert, D. Bon. in

4. diſt.

Digitized by Google

4. diſt. 20. par. 1. quæſt. 6. *Locus pœnæ eſt locus ignobilis, ſicut locus gloriæ eſt nobilis, & iterum culpæ in quantùm huiuſmodi locus debetur inferior; ſed* LOCVS PVRGATORII EST POENALIS LOCVS, *& purgationi debitus ratione culpæ; ergò debet eſſe ignobilis.* Locus ignobilis eſt locus Purgatorij, cùmq; animarum pœnis ſit deputatus, ſuâ euadit ignobilitate pœnalis.

Purgatorium eſt locus triſtior, quia eſt inferior.

3 Idipſum nomen inferi ſignificat, quod pro Purgatorio ſæpè conſtat vſurpari, locum enim ſignificat inferiorem, ideòque vt cæteris grauiorem, ita cunctis triſtiorem. Huius nominis originem tradit D. Iſidorus lib. 15. Orig. cap. 9. *Inferus appellatur, eò quòd infrà ſit. Sicut autem ſecundùm corpus, ſi ponderis ſui ordinem teneant, inferiora ſunt omnia grauiora, ita ſecundùm ſpiritum* INFERIORA SVNT OMNIA TRISTIORA. Vt pondere ſuo grauiora, ita ſunt inferiora loca tenebris, & fœtore triſtiora, vndè ſequitur, quòd hac quoque ratione Animæ Purgatorij valdè triſtentur, quòd in inferioribus locis torqueantur.

D. Iſidorus.

Nihil habet locus ille ſuaue.

4 Quòd ſi ex Grecâ linguâ huius vocis originem deducere velimus, idem prorsùs conſtabit, nam inferus dicitur ἄδης, videlicet tenebroſus ab a priuatiuo, & εἴδω, quod eſt video, vndè Etymologicus ait locum eſſe, ἐν ᾧ οὐδὲν βλέπομεν, *in quo nihil videtur*. Locus verò, in quo nihil videtur, quique prorsùs eſt tenebroſus, quid, niſi triſtitiam poteſt habitantibus afferre, ac pœnam? Audiēdus D. Auguſtinus lib. 12. de Geneſi ad literam cap. 34. *In Græcâ linguâ origo nominis, quo appellantur inferi, ex eo quòd nihil ſuaue habeant, reſonare perhibetur.* Omninò inſuaues, ac ratione tenebrarum ſunt inferi pœnales, quare cùm apud inferos animæ purgentur, ratione loci quoque, in quo puniuntur, valdè cruciantur.

Etymologicus

D. Auguſt.

Loco tenebroſo cætera exprimuntur intolerabilia tormenta.

5 Oſtendit quoque Chriſtus, quantam locus tenebroſus afferat incolis pœnam, dum parabolam regis propoſuit, qui fecit nuptias filio ſuo. Res enim ingreſſus, vt diſcumbentes videret, vt hominem vidit nuptiali veſte non indutum, acribus eum verbis reprehendit, & ob ruborem, & confuſionem obmuteſcentem, in tenebras mitti præcepit. *Tunc dixit rex miniſtris; Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Matth. 22. 13. Miror, quòd cùm homo iſte infœlix ad inferos torquendus traderetur, ad ſolas tenebras damnatus dicatur? Nunquid ſolæ cruciant apud inferos tenebræ? Nonnè ibi ſæuiunt ignis atrocitas, glaciei frigiditas, dæmonum aſpectus, & alia innumera omnium generum tormenta? Cur igitur ſolas memorat Chriſtus tenebras, cæteras, quibus cruciandus erat, pœnas omittens? Non omiſit, ſed luculenter expreſſit, cùm tenebras commemorauit; adeò enim locus tenebroſus affligit, vt eius nomine omnes, atque intolerabiles dolores eſprimantur. Accipe verba D. Ioannis Chryſoſtomi humil. 70. in Matthæum. *Cùm nihil ad ſatisfaciendum afferat, à ſeipſo condemnatus, ad pœnam rapitur adeò atrocem, vt dici non poſſit. Noli cùm tenebras audiens, hoc ſolo illum puniri æſtimare, vt in* LOCO TENEBROSO *concludatur, præſertim cùm ſubijciatur, vbi eſt fletus, & ſtridor dentium. Intolerabiles quippè dolores his verbis ſignificantur.* Adeò cruciat locus tenebroſus, vt cùm omnia, & intolerabilia ſunt explicanda tormenta, loci ſufficiat mentionem facere tenebroſi.

D. Ioannes Chryſoſtomus

Dæmones dixerunt Chriſtum veniſſe ad ſui tormentum, quia timebant ab eo ad inferos detrudi.

6 Hunc locum dæmones metuebant, cùm ore hominum, quos arripuerant, ad Chriſtum clamauerunt. *Quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei? Veniſti huc antè tempus torquere nos?* Matth. 8. 29. Quodnam dæmonibus Chriſti præſentia tormētum afferebat? An non etiam ſuis antequam Chriſtus veniret, mulctabantur pœnis? Cur igitur tantùm, dum Chriſtum vident, clamant, einſq; ſe preſentiâ cruciari declarant? Quia timebant, ne ab hominibus eiecti ad tenebroſa inferorum loca Chriſti virtute truderentur. Ita quippè Dæmones torquet locus inferorum, vt proptereà Chriſtum ad ſui tormentum veniſſe aſſererent, quia trudi ab eo ad inferos metuebant. Tradit hunc ſenſum Dionyſius Carthuſianus. *Ideò potiſſimùm dixerunt, vt reor, veniſti antè tempus torquere nos, quoniam* VEREBANTVR IN INFERNVM RETRVDI, *in quem nouerant ſe in die iudicij retrudendos.* Nimis affligunt obſcura, & tetra loca inferorum, quare licet Dæmones omnia ſecum etiam in terrâ deferrent infernalia tormenta, magis tamen torqueri metuebant, cùm ad ea loca eijci verebantur.

Dion. Carth.

Vt inferos effugerent, porcos inuadere optauerunt.

7 Quamobrem Chriſtum enixè rogauerunt, vt ſe in gregem mitteret porcorum. *Dæmones autem rogabant eum, dicentes, ſi eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Matth. 8. 31. Vide quæſo, quàm ſordidum aueant locum principes tenebrarum. Vt quid ò ſpiritus verè immundi animalium corpora ingredi optatis adeò immundorū? Quid vobis cum porcis, vt eorum gregem inuadere tantoperè cupiatis? Non vt porcos inuaderent, ſed vt inferos effugerent, hanc optauerunt dæmones inuaſionem, longè namque minùs eos torſiſſet recedere ad porcos, quàm expelli ad inferos. Aptè idem Carthuſianus. *Talis fuit petitio, velut ſi reus timens patibulum, quærat gladium, quia inter duo mala minùs malum eligitur.* Petierunt Dæmones, vt ſibi porcos inuadere liceret, nam minus malum cenſebant inuadere porcos, quàm recedere ad inferos.

Idem.

Animalia ex locis ſubterraneis fœtorē contrahunt, & horrorem.

8 Iuſſit Deus populo Iſraël, vt murem, muſtelam, talpam, lacertam, aliaque huius generis animalia immunda, & polluta reputaret, atque ab eis abſtineret. *Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his, quæ mouentur in terrâ, muſtela, & mus, & crocodilus, ſingula iuxtà genus ſuum, mygale, & chamæleon, & ſtellio, & lacerta, & talpa.* Leuit. 11. 29. Vbi Abulenſis rationem affert, cur Deus hæc animalia declarauerit immūda es eo, quòd ſub terrâ ferè ſemper morantur, ex quo loco fœtorem quemdam contrahunt, atque horrorem. Audi eius verba quæſt. 3 in locum allatum. *Alia animalia immunda ſunt, quoniam*

Abulenſis.

niam in loco immundo habitant, ſicut talpæ, & mures, vtrique enim ſub terrâ, aut ſemper, aut communiter viuunt, vndè Ex His Locis Qvemdam Horrorem Trahvnt, Et Foetorem: *talia igitur etiam vetari decuit.* Declarauit Deus animalia immunda, quę in locis habitant ſubterraneis, quia ex illis fœtidum contrahunt horrorem. Tã infœlix nimirum eſt habitatio ſubterranea, vt animalia quoque ratione carentia horrorem ex eâ contrahant, ac fœtorem.

Cùm Deus hominem puniuit miſericorditer egit, quia non ſub terram, ſed in terram eũ ire præcepit.

9 Ex his lucem accipient verba, quæ habet D. Bernardus ſerm. de Sancto Martino, ſententiam expendens, quâ Deus Adam poſt vetiti fructûs comeſtionem puniuit. *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de quâ ſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Gen. 3. 19. Docet enim mellifluus hic pater, hanc ſententiam iuſtitiæ rigorem pietatis benignitate temperaſſe, atque miſericordiæ, ac indulgentiæ plenam fuiſſe. *Terra es, & in terram ibis. Grauis equidem ſententia, ſed non ſine grandis miſericordiæ temperamento. Dura admodum, ſed ſi merita penſes, indulgentiæ plena.* Sed quo pacto indulgentiæ, ac miſericordiæ plena ſententia, quæ hominem ad labores damnauit, & in terrã poſt labores reuerti præcepit? Audi. *Siquidem non minùs iuſtè peccanti diceretur, Terra es, ſed ex hoc ſub terram ibis.* Dum hominem, vt ſub terram habitaret, non eiecit, ſed in terram tantùm reuerti præcepit, plenam indulgentiâ, & miſericordiâ ſententiam Deus protulit, nam adeò ſunt infœlicia loca ſubterranea, vt dummodo ad ea homo non trudatur, miſericorditer iudicetur, etiamſi per mortem in terram reuerti iubeatur. Diſce igitur hinc, quàm grauiter Animæ Purgatorij ex eo crucientur, quòd in ſubterraneo loco torqueantur.

D. Bern.

Sola carceris Purgatorij pena, etiamſi omnis alia deeſſet, ſufficeret, vt grauiter animas puniret.

10 Hunc cruciatum ſimilitudine regis tenebroſo carceri mancipati explicat D. Antoninus 1. par. tit. 5. cap. 3. Si namque Rex intrà carcerẽ clauderetur, indèque exire prohiberetur, nonnè licet aliâ non torqueretur pœnâ, hoc ſolum carceris tormentum magnum ei dolorem irrogaret? Animę iuſtorum ex hac vitâ ſine labe culpę mortalis decendentium Reginæ ſunt, quibus intuitu meritorum regna debentur Cęlorũ. Quo igitur dolore cruciabuntur, dum non ad Regnum euehuntur, ſed ad carcerem truduntur, & in infimo inferorum ergaſtulo detinentur? Vtique talis eſt hæc pęna, vt etiamſi nullâ aliâ torquerentur, hæc ſola ſufficeret, vt grauiter mulctarentur. *Si Rex*, inquit D. Antoninus, *ponatur in carcere, etiamſi nullâ aliâ penâ ſenſibili cruciaretur, ex hac ſolùm incarceratione multùm doleret. Cùm igitur Anima ſit nobiliſſima Regina, & ſibi competat locus Cœli Empyrei, & videat ſe detruſam ad centrum terræ, qui locus eſt infernus infimus omniũ*, Ex Tali Carcere HAbet Magnam Poenam. Magnam affert pęnam ſpiritibus iuſtorum carcer inferorum, vndè ratione quoque loci, vbi Animæ Purgatorij torquentur, grauiora tormenta ſunt, quibus puniuntur.

D. Antonis

CAPVT VIII.

Dum ignis ardore purgantur, atrociter in Purgatorio animæ torquentur.

Ignis in Purgatorio, vt inſtrumentũ diuinæ iuſtitiæ animas torquet.

1 AB igne animas in Purgatorio torqueri, tradit disertè D. Paulus 1. Cor. 3. 15. *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Vbi particula *quaſi* non eſt ſimilitudinis nota, ſed veritatis expreſſio, qualis eſt apud Ioannem cap. 1. 14. *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Id quod aduertit D. Antoninus 1. par. tit. 5. cap. 5. *Salui fiunt ſic tamen quaſi per* Ignem Pvrgatorii *tranſeuntes. Nec tamen quaſi ibi eſt nota ſimilitudinis, ſed eſt expreſſio veritatis, vt illud quaſi vnigeniti à Patre.* Quòd ſi quæratur, quomodo poſſit ab igne corporeo ſpiritualis anima torqueri, breuiter erit reſpondendum, ignem non virtute naturali hoc agere, ſed vt inſtrumentum diuinitùs ad animas cruciandas eleuatum. Vndè idem D. Antoninus 1. par. tit. 1. cap. 1. ait. *Quòd anima damnati patiatur in inferno, vel* Pvrgatorio Ab Igne, *hoc agit ignis, non naturaliter, ſed vt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ acerbiſſimè cruciāns.* Cruciantur animæ Purgatorij ab igne, qui cùm agat, vt diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum ſupernaturaliter eleuatum, eas atrociſſimè torquet.

D. Antonin.

In die Iudicij Ignis à Deo emiſſus loco Purgatorij iuſtorũ animas purgabit.

2 Et ſanè homines igne purgari poteſt indè quoque colligi, quòd in extremo iudicij die illum deus præmittet. *Ignis antè ipſum præcedet.* Pſal. 96. 3. Vt quid enim mundum iudicaturus ignem Deus emittet, niſi vt homines iuſtos leuibus venialium culparũ maculis inquinatos eo purget? Ita cenſet Petrus de Natalibus lib. 1. Catalogi cap. 2. Ignis *autem vehementiam Dominus præmittet propter hominem purgationem, vt ſit tunc bonis viuentibus in locum* Pvrgatorii. Ignis eſt animarum hominum iuſtorum culpas purgare, vndè cùm Purgatorium in extremo iudicij die deficiet, ignis à Deo emiſſus eius loco ſuccedet, iuſtorumq; culpas atroci combuſtione abſterget.

Pet. de Nat.

Gentiles igne mortuos purgari credẽtes.

3 Hanc veritatem Gentiles quoque aliquo modo attigere, dum mortuorum cadauera pyris conſtructis igne cremabant. Hoc enim agebant, quia defunctos flammis purgari, & per ignem ad Cœlum euehi credebant. Rem præclarè vrget Cœlius Rhodiginus libro. 17. antiq. lect. cap. 21. *Exuſtionis affertur ratio nõ vna, alijs opinantibus quod in nobis diuinũ eſt* Igneo Velvti Vehicvlo Ad Svperna Svvectvm *cœleſtibus inſeri, ſubſidente, quod terrenum eſt, a ijs in eo* Pvrificationem *quamdam intelligi maluerunt, quoniam ſit ignis ἀγνιστικὸν quoddam, ideſt* Expvrgandi *vim habens, & purgationes, quas catharmos vocant, non citrà ignem fiebant.* Vides profanos quoq; idolorum cultores purgationem per ignẽ fieri crediſſe, ac inter tenebras gentilitatis hãc

Cœl. Rhod.

veritatem

Digitized by Google

veritatem, quòd mortui per flammas ad Cælos euehantur, agnouiſſe?

Anima Purgatorij ab igne potiſſimùm dicũtur cruciari, quia eius pœna eſt grauior cæteris.

4 Purgat igitur iuſtorum animas ignis, eaſq; dum purgat, atrociſſimè torquet. Quapropter hinc factum eſt, quòd licet animæ illæ ab alijs quoque corporibus torqueantur, potiſſimè tamen igne cruciari dicantur. Nam cùm ignis tormentum cæterorum omnium ſit atrociſſimũ, ab eo reliquę pęnę, quibus torquentur, nomen ſumpſerũt. Subdo verba Vincentij Bell., qui in ſpeculo morali lib. 2. par. 1. diſt. 11. ita loquitur. *Quamuis alia forſitan elementa, vel elementata corpora ad cruciatum animarum concurrant, tamen* IGNIS, *quoniam inter omnia elementa minus habet de materiâ, ſubtilior, & purior eſt, magis eſt actiuus, & penetratiuus, &* MAGIS AFFLICTIVVS, *ideò magis dicuntur* IGNE, *quàm alio materiali, corpore cruciari.* Potiùs ab igne, quàm à cæteris corporibus animæ Purgatorij torqueri dicuntur, quia cruciatu atrociori ab igne, quàm à reliquis puniuntur.

Vincentius Belluacenſis.

Ignis nomine quæcumque grauis pœna appellatur.

5 Nuntiatum eſt Iudæ, quòd Thamar nurus eius fornicata fuiſſet, quamobrem confeſtim ille iuſſit, vt quæ Dei legem violauerat, ignis cruciatu pœnas patrati delicti lueret, ac flammis combuſta mulctaretur. *Ecce autem poſt tres menſes nuntiauerunt Iudæ, dicentes, Fornicata eſt Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumeſcere. Dixitque Iudas: Producite eam, vt comburatur.* Geneſ 38. 24. Nimis rigidè videtur Iudas tuliſſe contrà nurum ſententiam, dum flammis eam iuſſit comburi. Sanè pœnam, quâ ſtatuerat Deus hoc delictum puniri in lege, non combuſtio fuit, ſed lapidatio. *Eijcient eam extrà fores domûs patris ſui, & lapidibus obruent viri ciuitatis illius, & morietur, quoniam fecit nefas in Iſrael, vt fornicaretur in domo patris ſui.* Deut. 22. 21. Cur ergò Iudas hanc pœnam mutauit, & non lapidibus obrui, ſed flammis exuri nurum fornicantem pręcepit? Non pœnę qualitatem mutauit, ſed eius atrocitatem declarauit. Adeò atrox eſt pœna, quam ignis affert, vt eius nomine cuiuſcumque ſeueriſſimæ pœnæ rigor exprimatur, quare vt Iudas pœnæ ſeueritatem declararet, quâ nurum fornicantem mulctabat, dum eam, vt lapidaretur à populo, damnabat, hanc lapidationem voluit appellare combuſtionem. Fauet Hugo Cardinalis. *Producite eam, vt comburatur, ideſt moriatur,* IGNIS ENIM PONITVR PRO QVALIBET POENA GRAVI. Grauiſſima eſt pœna, quam combuſtione ignis infligit, ideòque apta, vt ſuo nomine cuiuſcumque licet atrociſſimæ pœnę ſeueritatem declaret.

Hugo Card.

Lapidatio Achan combuſtio eſt appellata.

6 Ex his facilè rationem afferemus, cur cùm iuſſiſſet Deus, vt Achan, qui eius violans præceptum, inter hoſtium ſpolia nonnulla furatus fuerat, igne combureretur. *Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehenſus, comburetur igni cum omni ſubſtantiâ ſuâ, quoniam præuaricatus eſt pactum Domini, & fecit nefas in Iſrael.* Ioſue. 7. 15. populum eum lapidibus obruerit. *Lapidauitque eum omnis Iſrael.* Ioſue. 7. 25. Porrò nequaquam Dei præceptum populus neglexit, ſed ignis nomine grauiſſimam lapidationis pœnam iuberi cognouit. *Non eſt putandum*, inquit idem Hugo, *populum neglexiſſe præceptum Domini, quo præcepit igne eſſe comburendum, nam* IGNIS IN SACRA SCRIPTVRA PRO GRAVI POENA *ſolet accipi.* Animaduerte quæſo grauitatem pœnæ ignis, quâ reliquarum omnium ſeueritas declaratur pœnarũ.

Idem.

Ioannes ignis nomine omnia inferni tormenta expreſſit.

7 Prædicabat Ioannes Baptiſta in deſerto iuxtà Iſaiæ vaticinium pœnitentiam, & populo ad ipſum confluente, Phariſæos vnà cum Sadduceis increpauit, eoſque monuit, vt dignos pœnitentiæ fructus facerent. Metaphorâ verò vſus arboris, dixit ad radicem ſecurim poſitam eſſe, omnemque arborem bonum fructum non faciẽtem excidendam eſſe, atque in ignem mittendã. *Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergò arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 3. 10. Aduertit autem hìc Abulenſis nomine ignis omnes pœnas explicari, quibus cruciantur in inferno damnati. *Sicut arbor mala ſucciditur, & in ignem mittitur, ita homines iniqui non facientes fructum pœnitentiæ tolluntur de terrâ à Deo, & mittuntur in ignem æternum, per quem Deus* FIGVRAVIT OMNES POENAS INFERNI. Solam pœnam ignis Ioannes commemorat, & omnes inferni pœnas explicat, ita enim grauis eſt pœna, quam ille infligit, vt eâ reliquæ omnes infernales pœnæ ſufficienter declarentur.

Abulenſis.

Idẽ Chriſtus in die iudicij aget.

8 Quare Chriſtus etiam in extremo die iudicij ad infernalia tormenta damnatos eijciens, ignis tantummodò pœnam commemorabit. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. 41. Non ſolo igne, ſed alijs quoque innumeris pœnis in inferno damnati punientur, verùm quia omnium infernalium pœnarum atrociſſima eſt ignis, ideò eius nomine cunctæ ſufficienter exprimuntur. Placent verba, quibus hunc locum explicat Dionyſius Carthuſianus. *Per* IGNEM *infernalem* INTELLIGVNTVR CAETERA GEHENNAE SVPPLICIA, *de quibus ait Pſalmiſta, Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Tam atrociter ſæuit in animas ignis, vt ſolum eius nomen ſufficiat, vt omnia exprimantur inferni tormenta. Vndè Caietanus etiam in hunc locum *Ignis*, inquit, *inter omnia corpora vehementiùs cruciat, & quia poena illa eſt* MAXIMA *ex ſuo genere, ideò* IGNIS *nominata eſt nobis.* O grauiſſimam ergò, & atrociſſimam ignis pœnam.

Doyn. Carth.

Caietanus.

Igne incredibilem doloris magnitudinẽ Paulus expreſſit.

9 Non ergò mirum, quòd D. Paulus Apoſtolus, vt dolorem exprimeret, quo in fratrum ſcandalo, ac ruinâ torquebatur, vſtionis metaphorâ vteretur, ſuumque animum comburi affirmaret. *Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* 2. Cor. 11. 29. Quibus verbis teſtatur D. Io. Chryſ. homiliâ 25. in hunc locũ, incredibilẽ eũ doloris magnitudinem, quo pro fratribus angebatur, declaraſſe. *Vide rurſus incredibilem quandam doloris magnitudinem, quę quidem in hoc* INFLAMMATIONIS *vocabulo indicata eſt.*

Digitized by Google

eſt. *Incendor, inquit, atque ardeo. Quod quidem maius omnibus, & grauius erat.* Incredibilem,& omnibus, quos patiebatur, grauiorem dolorem ignis combuſtione Paulus expreſſit,vt enim ignis atrocitas reliquarum pœnarum grauitatem excedit,ita omnibus eſt aptior ad quamcumque doloris magnitudinem exprimendam.

Magnâ Lunaticus torquebatur miſeriâ,dum ſæpè cadebat in ignem.

10 Obtulerat infœlix pater lunaticum filium Apoſtolis, vt eum curarent, atque ab eius corpore dæmonium expellerent, quod cùm propter incredulitatem non potuiſſent, acceſſit ad Chriſtum, eumque rogauit, vt ſui miſeretur filij, qui ſæpè cadebat in ignem. *Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur, nam ſæpè cadit in ignem.* Matth. 17. 15. Obſerua rationem, quare malè pateretur, ex igne aſſumpſiſſe, Chriſtoq; maximam narraſſe miſeriam,vt eum ad poſtulatam prouocaret miſericordiam. Subſignat Abulenſis. *Ponitur ad mouendum Chriſtum ad miſerendum, erat enim* MAGNA MISERIA. Magnam affert ignis pœna miſeriam, vndè magnâ torquebat Dæmon hunc filium miſeriâ, dum eum frequenter proijciebat in ignem.

Abulenſis.

In terribilem Dei furor exardeſcit vltionem, cùm torquet igne delinquentes.

11 Hinc eſt, quòd cùm Deus graues comminatus eſt hominibus pęnas eoſque magnis miſerijs torquere decreuit, ignem in furore ſuo ſucenſum dixit. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* Deut. 32. 22. Ignis namque nomine magnam vltionem, quâ exarſit contrà peccatores, expreſſit. Aptè Abulenſis. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, ideſt in irâ meâ exarſit contrà eos* MAGNA VINDICTA, *quæ ſignatur nomine* IGNIS. Ex ignis pęnâ magna Dei arguitur ira,non enim magis diuinusfuror in terribilem exardeſcit vltionem,quàm cùm igne torquet delinquentes.

Idem.

Pœna ignis, quâ Sodomæ ciues Deus puniuit,diuinam indignationem oſtendit, & pœnâ diluuij grauior fuit.

12 Quam vltionem ſenſerunt Sodomæ habitatores, quos Deus ignem de Cęlo emittens conſumpſit. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de Cœlo.* Gen. 19. 24. Quæ ſanè pęna magnam eius indignationem oſtendit, qui tam atrociter peccatores mulctauit. Accinit D. Bonauentura in cap. 10. Lucæ. *Dominus fuit illis* VALDE INDIGNATVS, *ſecundùm quod dicit, quòd pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de Cęlo.* Tunc ſe Deus oſtendit valdè indignatum, cùm pęnâ ignis torquet peccatores, quia cùm hæc pęna ſit omnium atrociſſima,omnium eſt etiam aptiſſima, vt diuinam declaret indignationem. Quare comparans Diony. Carthuſianus pęnam, quâ Sodomæ habitatores Deus puniuit, cum eâ, quâ diluuij tempore orbem vniuerſum aquis obruit, hac valdè illam grauiorem fuiſſe affirmat. *Pœna Sodomorum* GRAVIOR FVIT POENA IN DILVVIO *ſubmerſorum, quia & pœna* IGNIS *præſertim ſulphurei acerbior eſt ſubmerſione in aquâ, propter quod multi, vt poenam* IGNIS *euaderent proſilierunt in gurgitem.* Grauior fuit ignis pęna, quâ Sodomæ ciues Deus conſumpſit, quàm aquæ diluuium, quo cunctos homines deleuit, nam pęna, quam ſuâ combuſtione ignis infligit, cæteras omnes poenas excedit.

D. Bonau.

Dion. Carth.

Ignis violentior eſt apud inferos, quàm alibi.

13 Quòd ſi tanta eſt vbique ignis poena, quãta erit poena, quâ ſpiritus torquet ignis inferorũ? Certè cuiuſcumque alterius ignis violentiã ignis ille ſuperat, non tantùm quia punit vt diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum, ſed etiam quia in corde terræ ſolidiorem habet materiam, & per Antiperiſtaſim in loco frigidiſſimo roboratur, quare propter naturalem quoque rationem eius afflictio grauior euadit. Hanc rem explicat optimè Abulenſis quæſt. 520. in c. 25. Matth. ILLE IGNIS ERIT VIOLENTIOR, ET FORTIOR *apud inferos, etiam naturaliter, quàm alibi. Nam ignis fortificatur ex conditione rei ignitæ, nam quantò res ignita eſt ſolidior, & compactior, tantò actio fortior, & inteſior caliditas. Alia etiam intenſionis cauſa eſt, ſcilicet per Antiperiſtaſim, qualis ibi erit. Nam erit illa concauitas in corde terræ, & quia ibi eſt locus valdè frigidus, cùm terra ſit nimis frigida, & ibi ſit elongata ab omni calore, frigiditas totius terræ circũſtantis faciet congregari virtutem ignis, & erit ignis efficacior in actione, & intenſior in calore.* O' miſeriam ergò incredibilem Animarum Purgatorij, quæ tantâ violentiâ, & robore ab igne cruciantur inferorum. Verè dum ignis ardore purgantur, atrociter animæ illæ torquentur.

Dion. Carth.

CAPVT IX.

Frigoris tormento cruciantur Animæ, quæ in Purgatorio mulctantur.

Frigore cruciãtur Animæ in Purg.

1 NOuit diuina ſapientia, valetque ſuperna Dei omnipotentia ſimul oppoſitas vnire qualitates, ita vt cum ſummo calore ſummum cohæreat frigus, neq; à frigore calor, aut à calore frigus expellatur. Agũt apud inferos corpora tanquam diuinæ iuſtitiæ inſtrumenta, vt peccata puniant, & peccatores torqueant, eleuata, quapropter non ſe inuicem operationibus mutuis deſtruunt, ſed tantùm animas, ad quas torquendas eleuantur, affligunt. Poſſunt igitur animæ in Purgatorio ignis calore torqueri, & inſuper alterius corporis frigore cruciari. Et ſanè frigidiſſimum eſſe Purgatorij locum ſitus illius videtur ſuadere, cur namque non erit frigidiſſimum terræ centrum ab omni ſolis radio remotum? Nunquid ignis naturale terræ frigus nimio calore turbabit? At ibi non vt tẽperet, ſed vt augeat animarum cruciatum ignis detinetur. Frigus igitur cum ignis calore ibi Animas cruciabit, quæ hac etiam ratione acriùs torquebũtur, quia ex duobus contrarijs eorum tormenta conſurgunt, ita vt illud Sapientiæ. 19. 19. hìc mirabiliter quadret. *Ignis in aquâ valebat ſuprà ſuam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliuiſcebatur.* Adſtipulatur D. Auguſtinus lib. de triplici habitaculo cap. 2. *Principalia duo ſunt tormenta in inferno* (eadem autem ſunt tormenta

D. Aug.

menta

menta inferni, & purgatorij) FRIGVS INTOLERABILE, *& calor ignis inextinguibilis*. Idemque confirmat D. Bernardus ſerm. in feſto Sancti Nicolai. *Regio gehennalis, regio dura, & extimeſcenda, terra afflictionis, & miſeriarum, terra tenebrarum, terra turbinis, & caliginis, terra maledictionis, & mortalitatis, terra combuſtionis, &* FRIGORIS. Ardent, & algent apud inferos animæ frigore æquè cruciatę, atque calore.

D. Bernard.

Frigus copulat Deus in inferis cum calore.

2 Hoc videtur innuiſſe Dauid, cùm ait. *Antè faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?* Pſal. 147. 17. Frigus enim, quod ſimul cum calore apud inferos, Deo iubente, animas torquet, his verbis deſcripſit. Habeo hac in re patronum D. Hieronymum. *Antè faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? Cuius? Alij dicunt chryſtalli, alij domini. Mihi autem videtur de Deo dici. Antè faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? Quæ tormenta dicuntur in ſcripturis ſanctis peccatori præparata? Nihil gehennâ calidius, & tamen ipſa* FRIGIDA EST. Frigus in inferis copulat Deus cum calore, oppoſitiſque animas, quas ibi cruciandas reponit, qualitatibus torquet.

D. Hieron.

Frigus inferorum mõtes igneos in glaciem commutaret.

3 Quò etiam ſpectauit Iob, cùm peccatorem dixit apud inferos ab aquis niuium ad nimium tranſire calorem. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium, & vſque ad inferos peccatum illius*. Iob. 24. 19 Quid enim hæ indicant apud inferos niuium aquæ, niſi ſummo ibi animas frigore cruciari? Hoc voluit Hugo Etherianus lib. de Animarum regreſſu cap. 12. INTOLERABILE FRIGVS *penes inferna eſſe dicitur, ſcriptum eſt enim, Ad calorem nimium tranſibunt ab aquis niuiũ, quod quidem in conſtringendo tam efficax eſſe putatur vt igneos montes contactu in glaciem permutaret.* O' ineffabile aquarum infernarum frigus, quod in glaciem igneos montes ſuo valeret rigore commutare!

Hugo Eth.

Rigidius eſt frigus inferorum, quia coniungitur cũ igne.

4 Ex his eiſdem verbis Iob colligit Abulenſis aquæ, ac frigoris cruciatum apud inferos, quem adeò egregiè deſcribit, vt religio eſſet verba prӕterire, quæ ſcribit. Sic igitur paradoxo 5. cap. 98. hic doctiſſimus vir loquitur. *In hoc gehennæ loco aqua* FRIGIDISSIMA EST, *in quâ qui damnati ſunt affliguntur. Nam ſicut calor nimius poena afflictiua eſt, ita etiam* MAGNA FRIGIDITAS. *Vtrũq; ergò pro cruciatibus impiorum tradi debuit. Nec abre, aut abſurdè dictum quis exiſtimauerit in inferno aquam fore, nam cùm ibi verum, corporeumq; ignem eſſe non ambigatur, ita neque aquam eſſe irrationabile eſt, ſed potiùs rationi valdè conſentaneum, vt à duobus extremis maximus conficiatur cruciatus. De iſta poenalitate apud inferos Iob ait. Tranſibunt ab aquis nimium ad calorem nimium, & hoc eis duriſſimæ poenæ incitamentum eſt, vt tanta in eis diſtemperies ſit, nam cùm nimis* INFRIGIDATI *fuerint, ſæuius calor in eos aget, & cùm vehementer calidi fuerint, intenſiùs* FRIGIDITAS *eos cruciabit. Sicut ſuprà de eo qui nimium in manibus frigus patiens, eas igni applicabat, diximus. Grauiorem enim iſte frigiditatem percipiet, acriùſque cruciabitur, cùm manus gelidas igni applicuerit, quàm cùm eas in purâ frigiditate tenuerit.* Vide, an cruciatum frigoris, quo apud inferos animæ torquentur potuerit aptioribus ad rem noſtram verbis deſcribi.

Abulenſis.

Poëtæ frigoris tormẽtum apud inferos agnouerunt.

5 Quid? quòd aquam, & frigus apud inferos Gentiles quoque agnouerunt? Profectò apud Poëtas nihil frequentius occurrit aquarum, fluuiorumque inferorum deſcriptionibus. Hinc paſſim apud eos vndę Acherontis, Cocyti, Phlegethontis, Srygis, & Lethes. Quæ omnia, quid aliud innuunt, niſi rigidiſſimum frigus, quo apud inferos animæ ſontium torquentur. Sanè Virgilius lib. 4. Georgic. Eurydicen Orphei vxorem in Stygiâ palude frigore fingit correptam.

Virgilius.

Illa quidem Stygiâ nabat iam FRIGIDA *cymbâ.*

Obſerua igitur à Poëtis quoque frigoris tormentum, quo apud inferos pro patratis delictis hominum animæ torqueantur, prudenter admiſſum.

Loca infera à frigore Tartarea appellata.

6 Hoc ipſum nomine Tartari, quo inferos appellare conſueuerant, innuebant. Quo nomine vſus eſt Virgilius lib. 4. Æneidos.

Tum virgam capit: hac animas ille euocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia TARTARA *mittit.*

Et lib. 6.

Virgilius.

Tùm TARTARVS *ipſe*
Bis patet in præceps tantùm, tenditq; ſub vmbras.

Ouidius etiam lib. 5. Metamorphoſeon cecinit.

Ouidius.

iſta viam tellus in TARTARA *fecit,*
Et pronos currus medio cratere recepit.

Item lib. 10.

non huc vt opaca viderem
TARTARA *deſcendi, nec vti villoſa colubris*
Terna Meduſæi vincirem guttura monſtri.

Demum lib. 11.

Surge, age, da lachrymas, lugubriaq; indue, nec me
Indeploratum ſub inania TARTARA *mitte.*

Seneca quoque Tragicus in Oedipode Actu. 1.

Seneca.

Rupere Erebi clauſtra profundi
Turba ſororum face TARTAREA.

Lucretius lib. 3. de Rerum nat.

Nec quidquam in barathrum, nec TARTARA
decidit atra.

Lucretius.

Et infrà.

Cerberus, & furiæ iam verò, & lucis egenus
TARTARVS, *horrificos eructans faucibus æſtus.*

Et lib. 5.

Et tamen è ſummo quaſi fulmen deijcit iſtos
Inuidia interdum contemptim in TARTARA
TETRA.

Heſiodus in Theogoniâ.

Vbi terræ caliginoſæ, & TARTARI OBSCVRI

Heſiodus.

Et rurſus.

Ex terrâ deſcendens, decimo die ad TARTARVM *venit.*

Et deniquè.

TARTARAQVE *tenebricoſa in receſſu terræ*
ſpatioſa.

Quin & ex ſacris authoribus eodem nomine vtitur D. Ioannes Chryſoſtomus lib. 2. aduersùs vituperatores vitæ monaſticæ. *Audiſti profectò Cocytos, & Pyriphlegethontas fluuios, & Stygis vndam*

&

Digitized by Google

& TARTARVM tantò inferiorem terrâ, quantùm hæc ipſa diſtat à Coelo. Idem nomen vſurpat etiam D. Petrus Chryſologus ſerm.65. *Vbi Chriſtus cœpit inferi pulſare fores, portas* TARTARI *ſubmouere.* Et iterum. *Sed refert* TARTARVS, *ego regem gloriæ in coeleſtibus ſcio omnibus poteſtatibus calicis præſidere.* Et rursùs. TARTARVS *ad reddendos omnes mortuos Chriſto iuſſus eſt obedire.* Et demùm. *Tunc* TARTARVS *ligatis manibus, & pedibus Lazarum retulit ad ſuperna.* Hùc etiam faciunt verba Bedæ lib. 5. hiſt. Angl. cap. 13. *Et cùm progrederemur ſolâ ſub nocte per vmbras, ecce ſubito apparent antè nos crebri flammarum* TARTAREARVM *globi.* Imò & D. Petrus Epiſt. 2. cap. 2. 4. hoc nomen adhibet. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in* TARTARVM *tradidit cruciandos.* Quem ſequens in defunctorum Miſsâ Eccleſia, dum pro Purgatorij animabus orat, *Libera,* inquit, *eas de ore leonis, ne abſorbeat eas* TARTARVS. Vndè autẽ Tartarus eſt inferorũ locus appellatus, niſi à verbo Græco ταρταρίζειν, quod apud Græcos idem eſt, ac frigoris horrore algere? Debemus hoc D. Iſid. lib. 14. Orig. c. 9. TARTARVS, *vel quia illic omnia turbata ſunt,* ἀπὸ τοῦ ταράττειν, *vel quod verius* ἀπὸ τῆς τρίξεως, *ideſt à timore* FRIGORIS, *quod eſt* ALGERE, *ſcilicet, quia luce, ſoleque caret. Nam neque illic vapores ſunt, qui ex ſolis luce gignuntur, neque flatus, qui eiuſdem motibus incitantur, ſed perpetuus ſtupor:* ταρταρίζειν *enim horrere, & tremere apud Græcos legitur.* His addo, quæ habet Seruius in lib. 6. Æneid. TARTARVS, *vel quia omnia illic turbata ſũt* ἀπὸ τῆς ταραχῆς *aut quod eſt melius* ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν *ideſt à* TREMORE FRIGORIS, *ſole enim caret.* Quadrant etiã hic verba Plutarchi Opuſculo de primo frigido. *Sicut ergò ſplendore deficiente, tenebroſus fit aer; ita calore deſerente, nihil aliud reſtat, quàm aer frigidus. Itaque etiam* TARTARVS DICITVR A' FRIGORE, *quod etiam Heſiodus docuit, Tartarum appellans aeroſum, & qui horrore tremunt, ac quaſſantur,* ταρταρίζειν *dicuntur.* Vide igitur, an à frigore animę torqueantur, dum ab eo nomina ſua ſumpſerunt loca inferorum.

D. Petrus Chryſol. — *Beda.* — *D. Petrus.* — *Eccleſia.* — *D. Iſidorus.* — *Seruius.* — *Plutarchus.* — *Heſiodus.*

Aqua Stygia inferorum frigida.

7 Licet etiam id quod probamus, confirmare iuramento, quo fabulati ſunt Poëtę celeſtes Deos per Stygias aquas iurare conſueuiſſe. Nam ſi quis Deorum hoc adhibens, mentitus fuiſſet, mittebatur à Ioue Iris, quæ aquam ex inferis in aureo vaſe deferret, quam aquam frigidam fuiſſe, teſtatur disertè in Theogoniâ Heſiodus.

Heſiodus.

Et ſanè quiſquis mentiatur coeleſtes domos tenentium,
Iupiter tùm Irim mittit, Deorum magnum iuſiurandum, vt ferat,
Longè in aureo gutturnio celeberrimam aquam
FRIGIDAM, *quæ è petrâ diſtillat altâ*
Excelsâ, multùm verò ſubtùs terram ſpatioſam
E' ſacro flumine fluit per noctem nigram.

Stygiam inferorum aquam frigidam poëtæ dixerunt, vt nobis innuerent, nedùm ignis calore, ſed etiã aquæ frigore apud inferos animas torqueri.

Dentium ſtridore frigoris cruciatus apud inferos exprimitur.

8 Sed iam ad ſacra redeamus, & videamus, quid de pęnis inferorum Chriſtus protulerit, cùm eas peruerſis comminatus eſt Iudæis. *Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Matth. 8. 12. Vndè autem hic apud inferos dentium ſtridor proueniet, niſi ex frigore, quo ibi Animæ cruciabuntur? Vtique dentibus non ſtrident, niſi qui frigore correpti algent, à frigore namque conſtringente, & contrahente, tùm dentium, tùm cæterorum oritur tremor membrorum. Vt igitur Chriſtus doceret Animas apud inferos frigoris pœnâ cruciari, ſtridorem fore ibi dentium affirmauit. Diſco id ex Alberto Magno locum allatum ita dilucidante. *Stridor dentium prouenit* EX FRIGORE, *ſicut & aliorum tremor membrorum, cùm enim frigus conſtringit neruos, & contrahit, virtus naturalis eoſdem diſtendit, & ex pugnâ, quæ eſt inter contrahens, & diſtendens, ex duobus motibus tremor accidit, & ille in dentibus eſt ſtridor, & in alijs membris eſt tremor.* Annuit etiam Hugo Cardinalis eadem verba explicans. *Ibi erit fletus propter calorem, & ſtridor dentium* PROPTER FRIGVS. Quibus ſimilia ſunt quæ habet Gloſſa ordinaria. *Fletus de ardore, ſtridor dentium* DE FRIGORE *ſolet excitari, quia ibi tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* Frigore cruciantur apud inferos animæ, qui cruciatus à Chriſto dentium ſtridore declaratur.

Alb. Magnus. — *Hugo Card.* — *Gloſſa ordin.*

Theſauris niuis, & grandinis diabolus animas affligit ac purgat.

9 Nec minùs idẽ colligitur cruciatus ex verbis, quibus Dominus de turbine ſeruum ſuum Iob eſt allocutus. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparaui in tempus hoſtis, in diem pugnæ, & belli?* Iob. 38. 22. Qui ſunt hi theſauri, niſi pœnę, quibus animæ purgantur electorum? Qui eſt iſte hoſtis, niſi Diabolus, qui per hos theſauros eaſdem animas affligit, & purgat? Audi Hugonem Cardinalẽ. *Dicuntur theſauri, non quoad ſe, ſed quoad bonos, quos affligendo* PVRGANT *Quæ præparaui in tempus hoſtis, ideſt Diaboli, vt per eos electos impugnet, &* PVRGET. Rurſus Gloſſa Interlinearis ait. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, ideſt* FRIGORIS? Pręparauit Deus apud inferos niuis, & grandinis theſauros, vt Diabolus hoſtis animarum ſanctarum eis vtatur, frigoris afflictione ab omni culpæ reatu illas purgans.

Hugo Card. — *Gloſſa Interlin.*

Nimi[...] dinis [...] in Purg[...] ex de[...] verbis [...] tam [...] cenſ[...]

10 Hos theſauros mortuus ille aſpexit, qui ad vitam reuocatus ea, quæ viderat, erantque memoratu digna narrauit. Audiamus eius verba, quæ refert Beda lib. 5. hiſt. Angl. cap. 13. quibuſque Animarum Purgatorij tormenta deſcribit. *Deuenimus ad vallem multæ latitudinis, ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis, quæ ad læuam nobis ſita, vnum latus flammis feruentibus nimiùm terribile, alterum* FVRENTI GRANDINE, AC FRIGORE NIVIVM *omnia perflante, atque verrente non minùs intolerabile præferebat. Vtrumque autem erat animabus hominum plenum, quæ viciſſim hinc indè videbantur, quaſi tempeſtatis impetu iactari. Cùm enim vim feruoris immenſi tolerare non poſſent, proſiliebant miſeræ in medium* FRIGORIS INFESTI, *&*

Beda.

cùm

Digitized by Google

cùm neque ibi quippiam requiei inuenire valerent, reſiliebant rurſus vrenda in medium flammarum inextinguibilium. Subdens autem inferiùs, quæ animę iſtæ eſſent, quique locus hic, in quo torquebantur, addit. *Dixit mihi. Scis, quæ ſint iſta omnia, quæ vidiſti? Reſpondi ego, Non; ait. Vallis illa, quam aſpexiſti flammis feruentibus, & FRIGORIBVS HORRENDA RIGIDIS, ipſe eſt locus, in quo examinandæ, & caſtigandæ ſunt animæ illorum, qui differentes confiteri, & emendare ſcelera ſua, quæ fecerunt, in ipſo tandem mortis articulo poenitentiam vel in morte habuerunt, omnes in die iudicij ad regnũ Coelorum peruenient. Multos autem preces viuenuentium, & eleemoſynæ, & ieiunia, & maximè celebratio Miſſarum, vt etiam antè diem iudicij liberentur, adiuuant.* Vides animas, antequam ad regnum Cœlorum perueniant, rigidis frigoribus in Purgatorio torqueri, & donec debitas peccatis pœnas luant, niue, ac grandine atrociter cruciari?

Per calorem ignis, & frigus aquæ trãſeunt Animæ Purgatorij ad refrigerium.

11 Non omittam in fine Capitis verba, quibus D. Bernardus ſerm. de quinque neg. & quinque reg. hanc fulcit eamdem veritatem. Cùm enim tres mortuorum ordines diſtinxiſſet, quorum aliqui ſtatim ad Cœlum ab Angelis deducũtur, alij confeſtim ad Infernum à dæmonibus trahuntur, poſtremi verò, & veluti medij ad Purgatorium, donec plenè pro ſuis peccatis ſatisfecerint, detruduntur, hos dixit ignis calore, frigoris rigore, aliarumque pœnarum dolore torqueri. *Qui in* PVRGETORIO *ſunt, expectant redemptionem, priùs cruciandi, aut calore ignis, aut* RIGORE FRIGORIS, *aut alicuius grauitate doloris.* Non tantùm Animæ Purgatorij ignis calore puniuntur, ſed etiam frigoris rigore mulctantur, vt ad Paradiſum euectæ iurè dicere poſſint, *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Pſal. 65. 12. Ignis nimirùm calore torquentur, & aquæ frigore purgantur, antequam ad cœleſte refrigerium perducantur. Verè ergò dictum eſt, quòd frigoris tormento cruciantur Animæ, quæ in Purgatorio mulctantur.

Bernard.

CAPVT X.

Tenebrarum horrores Animas cruciant, quæ in Purgatorio diuinæ gloriæ lumen expectant.

1 PVrgatorium tenebroſum eſſe naturalis ipſa ratio dictat, nam cùm ſit locus in terræ centro conſtitutus, quò nullus vnquam penetrat Solis radius, vtique omne ab eo aberit lumen, ſolęque illum vmbræ, ac tenebræ poſſidebunt. Nec ignis, qui animas torquet, aliquam lucem emittit, tùm quia ibi non ad conſolationem reſidet, ſed ad tormentum, tùm quia eſt fæculentus, & cùm pice, ac ſulphure paſcatur, non lucidus, ſed ratione fumi tenebroſus euadit. Audi, quid de igne Inferni, qui eſt idem cum igne Purgatorij, dicat Abulenſis parad. 5. c. 98. *In toto orbe* TENEBROSIOR LOCVS NVLLVS *eſt, & hoc, quia ad illam partem inferiorum nulli de aſtris radij penetrare poſſunt, vt illuſtrent illam* HORRENDAM TENEBRAM, *atque ęternam noctem, nam infernus in remotiſſimo loco vniuerſi eſt reſpectu aſtrorum, nam in centro terræ eſt. Nullus autem locus à Cælo diſtantior eſt, quàm centrum mundi. In hac autem inferorum infoelici ſede calor intenſior eſt, quàm ſit in toto vniuerſo, nam ibi eſt ignis magis vrens, quàm in toto orbe, tamen lucis nihil habet ignis iſte, ſed* VT NIMIA TENEBRA. *Et hoc, vt cùm ignis iſte per exceſſiuum, & ineffabilem calorem damnatis intolerabiles dolores inſligat, per lucem nullum pręſtet oblectamentum, nam lux delectabilis eſt in oculis noſtris, vt ait Salomon, dulce lumen, & delectabile in oculis hominum videre ſolem. Cauſa autem huius nimię obſcuritatis in infernali igne videtur eſſe ex materiâ, in quâ fomentatur: ignem enim hunc in pice pabulum ſuſcipere aiunt. Nullus autem ignis nigrior eſſe poterit, quàm ignis picis, & reſinę, nam totus videtur, velut quidam fumus teterrimus, aut quolibet fumo quidquam obſcurius, de igne autem nihil penitus habere videretur, niſi eius intenſiſſimus, atque intolerandus calor hoc proderet.* Plura quidem verba, ſed adeò apta ad tenebrarum horrorem, quo apud inferos animæ torquentur, explicandum, vt religio fuiſſet aliquod ex illis præterire.

Gentiles tenebras apud inferos ſtatuentes.

2 Has tenebras agnouerunt apud inferos & Gentiles, quare Virgilius lib. 6. Æneidos ait.

Dij, quibus imperium eſt animarum, vmbręque ſilentes
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte ſilentia latè. *Virgilius.*

Vbi Seruius. *Vult oſtendere eſſe partem mundi, in quâ perpetuæ ſunt* TENEBRAE. Idem etiam poëta inferorum ſtygiam paludem tenebroſam appellat. *Seruius.*

Sæuit, & in lucem ſtygijs emiſſa TENEBRIS
Pallida Tiſiphone.

Ita lib. 3. Georgic, & lib. 6. Aeneid.

Vnum oro, quando hìc inferni ianua regis
Dicitur, & TENEBROSA PALVS Acheronte refuſo.

Lucretius quoque Tartarum dixit ratione tenebrarum lucis egenum. Vndè lib. 3. de rerum nat. ita cecinit. *Lucretius.*

& LVCIS EGENVS
Tartarus, horriferos eructãs faucibus æſtus.

Heſiodus etiam in Theogoniâ, terram inferorum caliginoſam dixit, & obſcuram. *Heſiodus.*

Vbi TERRAE CALIGINOSAE, & Tartari
OBSCVRI

Et demum Ouidius lib. 10. Metamorph. tartara dixit opaca. *Ouidius.*

Si licet, & falſi poſitis ambagibus oris
Vera loqui ſinitis, non hìc vt OPACA viderem
Tartara, deſcendi.

Ad quæ ait Raphaël Volaterranus. *Opaca Tartara, ideſt* OBSCVRA, TENEBROSA, *eſt enim Tartarus inferorum locus profundiſſimus.* Cognouerunt quippè lumine quoque fidei deſtituti authores, apud inferos Animas mortuorum horrore torqueri tenebrarum. *Raph. Volat.*

3 Et

& TARTARVM *tantò inferiorem terrâ, quantùm hæc ipſa diſtat à Coelo.* Idem nomen vſurpat etiam D. Petrus Chryſologus ſerm. 65. *Vbi Chriſtus cœpit inferi pulſare fores, portas* TARTARI *ſubmouere.* Et iterum. *Sed refert* TARTARVS, *ego regem gloriæ in coeleſtibus ſcio omnibus poteſtatibus cælicis præſidere.* Et rurſus. TARTARVS *ad reddendos omnes mortuos Chriſto iuſſus eſt obedire.* Et demùm. *Tunc* TARTARVS *ligatis manibus, & pedibus Lazarum retulit ad ſuperna.* Hùc etiam faciunt verba Bedæ lib. 5. hiſt. Angl. cap. 13. *Et cùm progrederemur ſolâ ſub nocte per vmbras, ecce ſubito apparent antè nos crebri flammarum* TARTAREARVM *globi.* Imò & D. Petrus Epiſt. 2. cap. 2. 4. hoc nomen adhibet. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in* TARTARVM *tradidit cruciandos.* Quem ſequens in defunctorum Miſsâ Eccleſia, dum pro Purgatorij animabus orat, *Libera,* inquit, *eas de ore leonis, ne abſorbeat eas* TARTARVS. Vndè autẽ Tartarus eſt inferorũ locus appellatus, niſi à verbo Græco ταρταρίζειν, quod apud Græcos idem eſt, ac frigoris horrore algere? Debemus hoc D. Iſid. lib. 14. Orig. c. 9. TARTARVS, *vel quia illic omnia turbata ſunt,* ἀπὸ τοῦ ταράττειν, *vel quod verius* ἀπὸ τοῦ τρύζειν, *id eſt à timore* FRIGORIS, *quod eſt* ALGERE, *ſcilicet, quia luce, ſoleque caret. Nam neque illic vapores ſunt, qui ex ſolis luce gignuntur, neque flatus, qui eiuſdem motibus incitantur, ſed perpetuus ſtupor:* ταρταρίζειν *enim horrere, & tremere apud Græcos legitur.* His addo, quæ habet Seruius in lib. 6. Æneid. TARTARVS, *vel quia omnia illic turbata sũt* ἀπὸ τῆς ταραχῆς *aut quod eſt melius* ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν *id eſt à* TREMORE FRIGORIS, *ſole enim caret.* Quadrant etiã hìc verba Plutarchi Opuſculo de primo frigido. *Sicut ergò ſplendore deficiente, tenebroſus fit aer; ita calore deſerente, nihil aliud reſtat, quàm aer frigidus. Itaque etiam* TARTARVS DICITVR A' FRIGORE, *quod etiam Heſiodus docuit, Tartarum appellans aeroſum, & qui horrore tremunt, ac quaſſantur,* ταρταρίζειν *dicuntur.* Vide igitur, an à frigore animę torqueantur, dum ab eo nomina ſua ſumpſerunt loca inferorum.

D. Petrus Chryſol.
Beda.
D. Petrus.
Eccleſia.
D. Iſidorus.
Seruius.
Plutarchus.
Heſiodus.

Aqua Stygia inferorum frigida.

7 Licet etiam id quod probamus, confirmare iuramento, quo fabulati ſunt Poëtę cęleſtes Deos per Stygias aquas iurare conſueuiſſe. Nam ſi quis Deorum hoc adhibens, mentitus fuiſſet, mittebatur à Ioue Iris, quæ aquam ex inferis in aureo vaſe deferret, quam aquam frigidam fuiſſe, teſtatur disertè in Theogoniâ Heſiodus.

Et ſanè quiſquis mentiatur coeleſtes domos tenentium,
Iupiter tùm Irim mittit, Deorum magnum iuſiurandum, vt ferat,
Longè in aureo gutturnio celeberrimam aquam
FRIGIDAM, quæ è petrâ diſtillat altâ
Excelsâ, multùm verò ſubtùs terram ſpatioſam
E' ſacro flumine fluit per noctem nigram.

Heſiodus.

Stygiam inferorum aquam frigidam poëtæ dixerunt, vt nobis innuerent, nedùm ignis calore, ſed etiã aquæ frigore apud inferos animas torqueri.

Dentium ſtridore frigoris cruciatus apud inferos exprimitur.

8 Sed iam ad ſacra redeamus, & videamus, quid de pęnis inferorum Chriſtus protulerit, cùm eas peruerſis comminatus eſt Iudæis. *Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Matth. 8. 12. Vndè autem hic apud inferos dentium ſtridor proueniet, niſi ex frigore, quo ibi Animæ cruciabuntur? Vtique dentibus non ſtrident, niſi qui frigore correpti algent, à frigore namque conſtringente, & contrahente, tùm dentium, tùm cæterorum oritur tremor membrorum. Vt igitur Chriſtus doceret Animas apud inferos frigoris pœnâ cruciari, ſtridorem fore ibi dentium affirmauit. Diſco id ex Alberto Magno locum allatum ita dilucidante. *Stridor dentium prouenit* EX FRIGORE, *ſicut & aliorum tremor membrorum, cùm enim frigus conſtringit neruos, & contrahit, virtus naturalis eoſdem diſtendit, & ex pugnâ, quæ eſt inter contrahens, & diſtendens, ex duobus motibus tremor accidit, & ille in dentibus eſt ſtridor, & in alijs membris eſt tremor.* Annuit etiam Hugo Cardinalis eadem verba explicans. *Ibi erit fletus propter calorem, & ſtridor dentium* PROPTER FRIGVS. Quibus ſimilia ſunt quæ habet Gloſſa ordinaria. *Fletus de ardore, ſtridor dentium* DE FRIGORE *ſolet excitari, quia ibi tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* Frigore cruciantur apud inferos animæ, qui cruciatus à Chriſto dentium ſtridore declaratur.

Alb. Magnus
Hugo Card.
Gloſſa ordin.

Theſauris niuis, & grandinis Diabolus animas affligit in Purgatorio.

9 Nec minùs idẽ colligitur cruciatus ex verbis, quibus Dominus de turbine ſeruum ſuum Iob eſt allocutus. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparaui in tempus hoſtis, in diem pugnæ, & belli?* Iob. 38. 22. Qui ſunt hi theſauri, niſi pœnę, quibus animæ purgantur electorum? Qui eſt iſte hoſtis, niſi Diabolus, qui per hos theſauros eaſdem animas affligit, & purgat? Audi Hugonem Cardinalẽ. *Dicuntur theſauri, non quoad ſe, ſed quoad bonos, quos affligendo* PVRGANT *Quæ præparaui in tempus hoſtis, id eſt Diaboli, vt per eos electos impugnet, &* PVRGET. Rurſus Gloſſa Interlinearis ait. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, id eſt* FRIGORIS? Prę parauit Deus apud inferos niuis, & grandinis theſauros, vt Diabolus hoſtis animarum ſanctarum eis vtatur, frigoris afflictione ab omni culpæ reatu illas purgans.

Hugo Card.
Gloſſa Interlin.

Niui, & grandinis fr[...] in Purga[...] ex defu[...] verbis [...] tam v[...] et aſſer[...]

10 Hos theſauros mortuus ille aſpexit, qui ad vitam reuocatus ea, quæ viderat, erantque memoratu digna narrauit. Audiamus eius verba, quæ refert Beda lib. 5. hiſt. Angl. cap. 13. quibuſque Animarum Purgatorij tormenta deſcribit. *Deuenimus ad vallem multæ latitudinis, ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis, quæ ad læuam nobis ſita, vnum latus flammis feruentibus nimium terribile, alterum* FVRENTI GRANDINE, AC FRIGORE NIVIVM *omnia perflante, atque verrente non minùs intolerabile præferebat. Vtrumque autem erat animabus hominum plenum, quæ viciſſim hinc indè videbantur, quaſi tempeſtatis impetu iactari. Cùm enim vim feruoris immenſi tolerare non poſſent, proſiliebant miſeræ in medium* FRIGORIS INFESTI, *&*

Beda.

cùm

cùm neque ibi quippiam requiei inuenire valerent, reſiliebant rursùs vrendæ in medium flammarum inextinguibilium. Subdens autem inferiùs, quæ animę iſtæ eſſent, quique locus hic, in quo torquebantur, addit. *Dixit mihi. Scis, quæ ſint iſta omnia, quæ vidiſti? Reſpondi ego, Non, ait. Vallis illa, quam aſpexiſti flammis ferueutibus, & FRIGORIBVS HORRENDA RIGIDIS, ipſe eſt locus, in quo examinandæ, & caſtigandæ ſunt animæ illorum, qui differentes confiteri, & emendare ſcelera ſua, quæ fecerunt, in ipſo tandem mortis articulo poenitentiam vel in morte habuerunt, omnes in die iudicij ad regnũ Coelorum peruenient. Multos autem preces viuenuentium, & eleemoſynæ, & ieiunia, & maximè celebratio Miſſarum, vt etiam antè diem iudicij liberentur, adiuuant.* Vides animas, antequam ad regnum Cœlorum perueniant, rigidis frigoribus in Purgatorio torqueri, & donec debitas peccatis pœnas luant, niue, ac grandine atrociter cruciari?

Per calorem ignis, & frigus aquæ trãſeunt Animæ Purgatorij ad refrigerium.

11 Non omittam in fine Capitis verba, quibus D. Bernardus ſerm. de quinque neg. & quinque reg. hanc fulcit eamdem veritatem. Cùm enim tres mortuorum ordines diſtinxiſſet, quorum aliqui ſtatim ad Cœlum ab Angelis deducũtur, alij confeſtim ad Infernum à dæmonibus trahuntur, poſtremi verò, & veluti medij ad Purgatorium, donec plenè pro ſuis peccatis ſatisfecerint, detruduntur, hos dixit ignis calore, frigoris rigore, aliarumque pœnarum dolore torqueri. *Qui in* PVRGATORIO *ſunt, expectant redemptionem, priùs cruciandi, aut calore ignis, aut* RIGORE FRIGORIS, *aut alicuius grauitate doloris.* Non tantùm Animæ Purgatorij ignis calore puniuntur, ſed etiam frigoris rigore mulctantur, vt ad Paradiſum euectæ iurè dicere poſſint, *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Pſal. 65. 12. Ignis nimirùm calore torquentur, & aquæ frigore purgantur, antequam ad cœleſte refrigerium perducantur. Verè ergò dictum eſt, quòd frigoris tormento cruciantur Animæ, quæ in Purgatorio mulctantur.

Bernard.

CAPVT X.

Tenebrarum horrores Animas cruciant, quæ in Purgatorio diuinæ glorię lumen expectant.

…ebra in …torio, …ignes nõ …nt.

1 PVrgatorium tenebroſum eſſe naturalis ipſa ratio dictat, nam cùm ſit locus in terræ centro conſtitutus, quò nullus vnquam penetrat Solis radius, vtique omne ab eo aberit lumen, ſolęque illum vmbræ, ac tenebræ poſſidebunt. Nec ignis, qui animas torquet, aliquam lucem emittit, tùm quia ibi non ad conſolationem reſidet, ſed ad tormentum, tùm quia eſt fæculentus, & cùm pice, ac ſulphure paſcatur, non lucidus, ſed ratione fumi tenebroſus euadit. Audi, quid de igne Inferni, qui eſt idem cum igne Purgatorij, dicat Abulenſis parad. 5. c. 98. *In toto orbe* TENEBROSIOR LOCVS NVLLVS *eſt, & hoc, quia ad illam partem inferiorum nulli de aſtris radij penetrare poſſunt, vt illuſtrent illam* HORRENDAM TENEBRAM, *atque ęternam noctem, nam infernus in remotiſſimo loco vniuerſi eſt reſpectu aſtrorum, nam in centro terræ eſt. Nullus autem locus à Cælo diſtantior eſt, quàm centrum mundi. In hac autem inferorum infoelici ſede calor intenſior eſt, quàm ſit in toto vniuerſo, nam ibi eſt ignis magis vrens, quàm in toto orbe, tamen lucis nihil habet ignis iſte, ſed* VT NIMIA TENEBRA. *Et hoc, vt cùm ignis iſte per exceſſiuum, & ineffabilem calorem damnatis intolerabiles dolores infligat, per lucem nullum pręſtet oblectamentum, nam lux delectabilis eſt in oculis noſtris, vt ait Salomon, dulce lumen, & delectabile in oculis hominum videre ſolem. Cauſa autem huius nimię obſcuritatis in infernali igne videtur eſſe ex materiâ, in quâ fomentatur: ignem enim hunc in pice pabulum ſuſcipere aiunt. Nullus autem ignis nigrior eſſe poterit, quàm ignis picis, & reſinę, nam totus videtur, velut quidam fumus teterrimus, aut quolibet fumo quidquam obſcurius, de igne autem nihil penitus habere videretur, niſi eius intenſiſſimus, atque intolerandus calor hoc proderet.* Plura quidem verba, ſed adeò apta ad tenebrarum horrorem, quo apud inferos animæ torquentur, esplicandum, vt religio fuiſſet aliquod es illis præterire.

2 Has tenebras agnouerunt apud inferos & Gentiles, quare Virgilius lib. 6. Æneidos ait. *Gentiles tenebras apud inferos ſtatuentes.*

Dij, quibus imperium eſt animarum, vmbręque ſilentes
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte ſilentia latè.

Virgilius.

Vbi Seruius. *Vult oſtendere eſſe partem mundi, in quâ perpetuæ ſunt* TENEBRAE. Idem etiam poëta inferorum ſtygiam paludem tenebroſam appellat. *Seruius.*

Sæuit, & in lucem ſtygijs emiſſa TENEBRIS
Pallida Tiſiphone.

Ita lib. 3. Georgic, & lib. 6. Aeneid.

Vnum oro, quando hìc inferni ianua regis
Dicitur, & TENEBROSA PALVS Acheronte refuſo.

Lucretius quoque Tartarum dixit ratione tenebrarum lucis egenum. Vndè lib. 3. de rerum nat. ita cecinit. *Lucretius.*

& LVCIS EGENVS
Tartarus, horriferos eructans faucibus aſtus.

Heſiodus etiam in Theogoniâ, terram inferorum caliginoſam dixit, & obſcuram. *Heſiodus.*

Vbi TERRAE CALIGINOSAE, & Tartari OBSCVRI

Et demum Ouidius lib. 10. Metamorph. tartara dixit opaca. *Ouidius.*

Si licet, & falſi poſitis ambagibus oris
Vera loqui ſinitis, non hùc vt OPACA viderem
Tartara, deſcendi.

Ad quæ ait Raphaël Volaterranus. *Opaca Tartara, ideſt* OBSCVRA, TENEBROSA, *eſt enim Tartarus inferorum locus profundiſſimus.* Cognouerunt quippè lumine quoque fideî deſtituti authores, apud inferos Animas mortuorum horrore torqueri tenebrarum. *Raph. Volat.*

& TARTARVM tantò inferiorem terrâ, quantùm hæc ipſa diſtat à Coelo. Idem nomen vſurpat etiam D. Petrus Chryſologus ſerm.65. *Vbi Chriſtus cœpit inferi pulſare fores, portas TARTARI ſubmouere.*

D. Petrus Chryſol.

Etiterum. *Sed refert TARTARVS, ego regem gloria in coeleſtibus ſcio omnibus poteſtatibus calicis præſidere.* Et rurſùs. *TARTARVS ad reddendos omnes mortuos Chriſto iuſſus eſt obedire.* Et demùm. *Tunc TARTARVS ligatis manibus, & pedibus Lazarum retulit ad ſuperna.* Hùc etiam faciunt verba Bedæ lib. 5. hiſt. Angl. cap. 13. *Et cùm progrederemur ſolâ ſub nocte per vmbras, ecce ſubito apparent antè nos crebri flammarum TARTAREARVM globi.* Imò & D. Petrus Epiſt. 2. cap. 2. 4. hoc nomen adhibet. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in TARTARVM tradidit cruciandos.* Quem ſequens in defunctorum Miſſâ Eccleſia, dum pro Purgatorij animabus orat, *Libera*, inquit, *eas de ore leonis, ne abſorbeat eas TARTARVS.* Vndè autẽ Tartarus eſt inferorũ locus appellatus, niſi à verbo Græco ταρταρίζειν, quod apud Græcos idem eſt, ac frigoris horrore algere? Debemus hoc D. Iſid. lib. 14. Orig. c. 9.

Beda.

D. Petrus.

Eccleſia.

D. Iſidorus.

TARTARVS, vel quia illic omnia turbata ſunt, ἀπὸ τοῦ ταράττειν, vel quod verius ἀπὸ τοῦ τρίζειν, ideſt à timore FRIGORIS, quod eſt ALGERE, ſcilicet, quia luce, ſoleque caret. Nam neque illic vapores ſunt, qui ex ſolis luce gignuntur, neque flatus, qui eiuſdem motibus incitantur, ſed perpetuus ſtupor: ταρταρίζειν enim horrere, & tremere apud Græcos legitur. His addo, quæ habet Seruius in lib. 6. Æneid. *TARTARVS, vel quia omnia illic turbata ſũt ἀπὸ τῆς ταραχῆς aut quod eſt melius ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν ideſt à TREMORE FRIGORIS, ſole enim caret.* Quadrant etiã hìc verba Plutarchi Opuſculo de primo frigido. *Sicut ergò ſplendore deficiente, tenebroſus fit aer; ita calore deſerente, nihil aliud reſtat, quàm aer frigidus. Itaque etiam TARTARVS DICITVR À FRIGORE, quod etiam Heſiodus docuit, Tartarum appellans aeroſum, & qui horrore tremunt, ac quaſſantur, ταρταρίζειν dicuntur.* Vide igitur, an à frigore animę torqueantur, dum ab eo nomina ſua ſumpſerunt loca inferorum.

Seruius.

Plutarchus.

Heſiodus.

Aqua Stygia inferorum frigida.

7 Licet etiam id quod probamus, confirmare iuramento, quo fabulati ſunt Poëtę celeſtes Deos per Stygias aquas iurare conſueuiſſe. Nam ſi quis Deorum hoc adhibens, mentitus fuiſſet, mittebatur à Ioue Iris, quæ aquam ex inferis in aureo vaſe deferret, quam aquam frigidam fuiſſe, teſtatur disertè in Theogoniâ Heſiodus.

Heſiodus.

Et ſanè quiſquis mentiatur coeleſtes domos tenentium,
Iupiter tùm Irim mittit, Deorum magnum iuſiurandum, vt ferat,
Longè in aureo gutturnio celeberrimam aquam
FRIGIDAM, quæ è petrâ diſtillat altâ
Excelsâ, multùm verò ſubtùs terram ſpatioſam
È ſacro flumine fluit per noctem nigram.

Stygiam inferorum aquam frigidam poëtæ dixerunt, vt nobis innuerent, nedùm ignis calore, ſed etiã aquæ frigore apud inferos animas torqueri.

Dentium ſtridore frigoris cruciatus apud inferos exprimitur.

8 Sed iam ad ſacra redeamus, & videamus, quid de pęnis inferorum Chriſtus protulerit, cùm eas peruerſis comminatus eſt Iudæis. *Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Matth. 8. 12. Vndè autem hic apud inferos dentium ſtridor proueniet, niſi ex frigore, quo ibi Animæ cruciabuntur? Vtique dentibus non ſtrident, niſi qui frigore correpti algent, à frigore namque conſtringente, & contrahente, tùm dentium, tùm cæterorum oritur tremor membrorum. Vt igitur Chriſtus doceret Animas apud inferos frigoris pœnâ cruciari, ſtridorem fore ibi dentium affirmauit. Diſco id ex Alberto Magno locum allatum ita dilucidante.

Alb. Magnus.

Stridor dentium prouenit EX FRIGORE, ſicut & aliorum tremor membrorum, cùm enim frigus conſtringit neruos, & contrahit, virtus naturalis eoſdem diſtendit, & ex pugnâ, quæ eſt inter contrahens, & diſtendens, ex duobus motibus tremor accidit, & ille in dentibus eſt ſtridor, & in alijs membris eſt tremor. Annuit etiam Hugo Cardinalis eadem verba explicans. *Ibi erit fletus propter calorem, & ſtridor dentium PROPTER FRIGVS.* Quibus ſimilia ſunt quæ habet Gloſſa ordinaria. *Fletus de ardore, ſtridor dentium DE FRIGORE ſolet excitari, quia ibi tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* Frigore cruciantur apud inferos animæ, qui cruciatus à Chriſto dentium ſtridore declaratur.

Hugo Card.

Gloſſa ordin.

Theſauris niuis, & grandinis diabolus animas affligit in purgatorio.

9 Nec minùs idẽ colligitur cruciatus ex verbis, quibus Dominus de turbine ſeruum ſuum Iob eſt allocutus. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparaui in tempus hoſtis, in diem pugnæ, & belli?* Iob. 38. 22. Qui ſunt hi theſauri, niſi pœnę, quibus animæ purgantur electorum? Qui eſt iſte hoſtis, niſi Diabolus, qui per hos theſauros eaſdem animas affligit, & purgat? Audi Hugonem Cardinalẽ. *Dicuntur theſauri, non quoad ſe, ſed quoad bonos, quos affligendo PVRGANT Quæ præparaui in tempus hoſtis, ideſt Diaboli, vt per eos electos impugnet, & PVRGET.* Rurſus Gloſſa Interlinearis ait. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, ideſt FRIGORIS?* Prę parauit Deus apud inferos niuis, & grandinis theſauros, vt Diabolus hoſtis animarum ſanctarum eis vtatur, frigoris afflictione ab omni culpæ reatu illas purgans.

Hugo Card.

Gloſſa interlinear.

Niuis, & grandinis frigus in Purgatorio ex defuncti verbis ... eam reuocati confirmatur.

10 Hos theſauros mortuus ille aſpexit, qui ad vitam reuocatus ea, quæ viderat, eratque memoratu digna narrauit. Audiamus eius verba, quæ refert Beda lib. 5. hiſt. Angl. cap. 13. quibuſque Animarum Purgatorij tormenta deſcribit.

Beda.

Deuenimus ad vallem multæ latitudinis, ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis, quæ ad læuam nobis ſita, vnum latus flammis feruentibus nimium terribile, alterum FVRENTI GRANDINE, AC FRIGORE NIVIVM omnia perflante, atque verrente non minùs intolerabile præferebat. Vtrumque autem erat animabus hominum plenum, quæ viciſſim hinc indè videbantur, quaſi tempeſtatis impetu iactari. Cùm enim vim feruoris immenſi tolerare non poſſent, proſiliebant miſeræ in medium FRIGORIS INFESTI, &

cùm

cùm neque ibi quippiam requiei inuenire valerent, reſiliebant rursùs vrendæ in medium flammarum inextinguibilium. Subdens autem inferiùs, quæ animę iſtæ eſſent, quique locus hic, in quo torquebantur, addit. *Dixit mihi. Scis, quæ ſint iſta omnia, quæ vidiſti? Reſpondi ego, Non; ait, Vallis illa, quam aſpexiſti flammis feruentibus, & FRIGORIBVS HORRENDA RIGIDIS, ipſe eſt locus, in quo examinandæ, & caſtigandæ ſunt animæ illorum, qui differentes confiteri, & emendare ſcelera ſua, quæ fecerunt, in ipſo tandem mortis articulo pœnitentiam vel in morte habuerunt, omnes in die iudicij ad regnũ Coelorum peruenient. Multos autem preces viuentium, & eleemoſynæ, & ieiunia, & maximè celebratio Miſſarum, vt etiam antè diem iudicij liberentur, adiuuant.* Vides animas, antequam ad regnum Cœlorum perueniant, rigidis frigoribus in Purgatorio torqueri, & donec debitas peccatis pœnas luant, niue, ac grandine atrociter cruciari?

Per calorem ignis, & frigus aquæ trãſeunt Animæ Purgatorij ad refrigerium.

11 Non omittam in fine Capitis verba, quibus D. Bernardus ſerm. de quinque neg. & quinque reg. hanc fulcit eamdem veritatem. Cùm enim tres mortuorum ordines diſtinxiſſet, quorum aliqui ſtatim ad Cœlum ab Angelis deducũtur, alij confeſtim ad Infernum à dæmonibus trahuntur, poſtremi verò, & veluti medij ad Purgatorium, donec plenè pro ſuis peccatis ſatisfecerint, detrudantur, hos dixit ignis calore, frigoris rigore, aliarumque pœnarum dolore torqueri. *Qui in* PVRGATORIO *ſunt, expectant redemptionem, priùs cruciandi, aut calore ignis, aut* RIGORE FRIGORIS, *aut alicuius grauitate doloris.* Non tantùm Animæ Purgatorij ignis calore puniuntur, ſed etiam frigoris rigore mulctantur, vt ad Paradiſum euectæ iurè dicere poſſint, *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Pſal. 65. 12. Ignis nimirùm calore torquentur, & aquæ frigore purgantur, antequam ad cœleſte refrigerium perducantur. Verè ergò dictum eſt, quòd frigoris tormento cruciantur Animæ, quæ in Purgatorio mulctantur.

Bernard.

CAPVT X.

Tenebrarum horrores Animas cruciant, quæ in Purgatorio diuinæ gloriæ lumen expectant.

[...]ebræ in [...]torio, [...]ignes nõ [...]t.

1 PVrgatorium tenebroſum eſſe naturalis ipſa ratio dictat, nam cùm ſit locus in terræ centro conſtitutus, quò nullus vnquam penetrat Solis radius, vtique omne ab eo aberit lumen, ſolęque illum vmbræ, ac tenebræ poſſidebunt. Nec ignis, qui animas torquet, aliquam lucem emittit, tùm quia ibi non ad conſolationem reſidet, ſed ad tormentum, tùm quia eſt fæculentus, & cùm pice, ac ſulphure paſcatur, non lucidus, ſed ratione fumi tenebroſus euadit. Audi, quid de igne Inferni, qui eſt idem cum igne Purgatorij, dicat Abulenſis parad. 5. c. 98. *In toto orbe* TENEBROSIOR LOCVS NVLLVS *eſt, & hoc, quia ad illam partem inferiorum nulli de aſtris radij penetrare poſſunt, vt illuſtrent illam* HORRENDAM TENEBRAM, *atque ęternam noctem, nam infernus in remotiſſimo loco vniuerſi eſt reſpectu aſtrorum, nam in centro terræ eſt. Nullus autem locus à Cælo diſtantior eſt, quàm centrum mundi. In hac autem inferorum infoelici ſede calor intenſior eſt, quàm ſit in toto vniuerſo, nam ibi eſt ignis magis vrens, quàm in toto orbe, tamen lucis nihil habet ignis iſte, ſed* VT NIMIA TENEBRA. *Et hoc, vt cùm ignis iſte per exceſſiuum, & ineffabilem calorem damnatis intolerabiles dolores infligat, per lucem nullum præſtet oblectamentum, nam lux delectabilis eſt in oculis noſtris, vt ait Salomon, dulce lumen, & delectabile in oculis hominum videre ſolem. Cauſa autem huius nimię obſcuritatis in infernali igne videtur eſſe ex materiâ, in quâ fomentatur: ignem enim hunc in pice pabulum ſuſcipere aiunt. Nullus autem ignis nigrior eſſe poterit, quàm ignis picis, & reſinę, nam totus videtur, velut quidam fumus teterrimus, aut quolibet fumo quidquam obſcurius, de igne autem nihil penitus habere videretur, niſi eius intenſiſſimus, atque intolerandus calor hoc proderet.* Plura quidem verba, ſed adeò apta ad tenebrarum horrorem, quo apud inferos animæ torquentur, explicandum, vt religio fuiſſet aliquod ex illis præterire.

[...]ſis.

2 Has tenebras agnouerunt apud inferos & Gentiles, quare Virgilius lib. 6. Æneidos ait.

Gentiles tenebras apud inferos ſtatuentes.

Dij, quibus imperium eſt animarum, vmbręque ſilentes
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte ſilentia latè.

Virgilius.

Vbi Seruius. *Vult oſtendere eſſe partem mundi, in quâ perpetuæ ſunt* TENEBRAE. Idem etiam poëta inferorum ſtygiam paludem tenebroſam appellat.

Seruius.

Sæuit, & in lucem ſtygijs emiſſa TENEBRIS
Pallida Tiſiphone.

Ita lib. 3. Georgic. & lib. 6. Aeneid.

Vnum oro, quando hìc inferni ianua regis
Dicitur, & TENEBROSA PALVS Acheronte refuſo.

Lucretius quoque Tartarum dixit ratione tenebrarum lucis egenum. Vndè lib. 3. de rerum nat. ita cecinit.

Lucretius.

& LVCIS EGENVS
Tartarus, horriferos eructans faucibus æſtus.

Heſiodus etiam in Theogoniâ, terram Inferorum caliginoſam dixit, & obſcuram.

Heſiodus.

Vbi TERRAE CALIGINOSAE, & Tartari OBSCVRI

Et demum Ouidius lib. 10. Metamorph. tartara dixit opaca.

Ouidius.

Si licet, & falſi poſitis ambagibus oris
Vera loqui ſinitis, non huc vt OPACA viderem
Tartara, deſcendi.

Ad quæ ait Raphaël Volaterranus. *Opaca Tartara, id eſt* OBSCVRA, TENEBROSA, *eſt enim Tartarus inferorum locus profundiſſimus.* Cognouerunt quippè lumine quoque fidei deſtituti authores, apud inferos Animas mortuorum horrore torqueri tenebrarum.

Raph. Volat.

3 Et

Digitized by Google

& TARTARVM tantò inferiorem terrâ, quantùm hæc ipſa diſtat à Coelo. Idem nomen vſurpat etiam D. Petrus Chryſologus ſerm. 65. *Vbi Chriſtus cæpit inferi pulſare fores, portas TARTARI ſubmouere.*

D. Petrus Chryſol.

Et iterum. *Sed refert TARTARVS, ego regem gloriæ in coeleſtibus ſcio omnibus poteſtatibus cælicis præſidere.* Et rurſùs. *TARTARVS ad reddendos omnes mortuos Chriſto iuſſus eſt obedire.* Et demùm. *Tunc TARTARVS ligatis manibus, & pedibus Lazarum retulit ad ſuperna.* Hùc etiam faciunt verba Bedæ lib. 5. hiſt. Angl. cap. 13. *Et cùm progrederemur ſolâ ſub nocte per vmbras, ecce ſubito apparent antè nos crebri flammarum TARTAREARVM globi.* Imò & D. Petrus Epiſt. 2. cap. 2. 4. hoc nomen adhibet. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in TARTARVM tradidit cruciandos.* Quem ſequens in defunctorum Miſsâ Eccleſia, dum pro Purgatorij animabus orat, *Libera,* inquit, *eas de ore leonis, ne abſorbeat eas TARTARVS.* Vndè autē Tartarus eſt inferorū locus appellatus, niſi à verbo Græco ταρταρίζειν, quod apud Græcos idem eſt, ac frigoris horrore algere? Debemus hoc D. Iſid. lib. 14. Orig. c. 9.

Beda.

D. Petrus.

Eccleſia.

D. Iſidorus.

TARTARVS, *vel quia illic omnia turbata ſunt, ἀπὸ τοῦ ταράττειν, vel quod verius ἀπὸ τοῦ τρίζειν, ideſt à timore* FRIGORIS, *quod eſt* ALGERE, *ſcilicet, quia luce, ſoleque caret. Nam neque illic vapores ſunt, qui ex ſolis luce gignuntur, neque flatus, qui eiuſdem motibus incitantur, ſed perpetuus ſtupor: ταρταρίζειν enim horrere, & tremere apud Græcos legitur.* His addo, quæ habet Seruius in lib. 6. Æneid. TARTARVS, *vel quia omnia illic turbata ſũt ἀπὸ τῆς ταραχῆς aut quod eſt melius ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν ideſt à* TREMORE FRIGORIS, *ſole enim caret.* Quadrant etiā hìc verba Plutarchi Opuſculo de primo frigido. *Sicut ergò ſplendore deficiente, tenebroſus fit aer, ita calore deſerente, nihil aliud reſtat, quàm aer frigidus. Itaque etiam* TARTARVS DICITVR A' FRIGORE, *quod etiam Heſiodus docuit, Tartarum appellans aëroſum, & qui horrore tremunt, ac quaſſantur, ταρταρίζειν dicuntur.* Vide igitur, an à frigore animę torqueantur, dum ab eo nomina ſua ſumpſerunt loca inferorum.

Seruius.

Plutarchus.

Heſiodus.

Aqua Stygia inferorum frigida.

7 Licet etiam id quod probamus, confirmare iuramento, quo fabulati ſunt Poëtę celeſtes Deos per Stygias aquas iurare conſueuiſſe. Nam ſi quis Deorum hoc adhibens, mentitus fuiſſet, mittebatur à Ioue Iris, quæ aquam ex inferis in aureo vaſe deferret, quam aquam frigidam fuiſſe, teſtatur disertè in Theogoniâ Heſiodus.

Et ſanè quiſquis mentiatur coeleſtes domos tenentium,
Iupiter tùm Irim mittit, Deorum magnum iuſiurandum, vt ferat,
Longè in aureo gutturnio celeberrimam aquam
FRIGIDAM, quæ è petrâ diſtillat altâ
Excelſâ, multùm verò ſubtùs terram ſpatioſam
E' ſacro flumine fluit per noctem nigram.

Heſiodus.

Stygiam inferorum aquam frigidam poëtæ dixerunt, vt nobis innuerent, nedùm ignis calore, ſed etiā aquæ frigore apud inferos animas torqueri.

8 Sed iam ad ſacra redeamus, & videamus, quid de pęnis inferorum Chriſtus protulerit, cùm eas peruerſis comminatus eſt Iudæis. *Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Matth. 8. 12. Vndè autem hic apud inferos dentium ſtridor proueniet, niſi ex frigore, quo ibi Animæ cruciabuntur? Vtique dentibus non ſtrident, niſi qui frigore correpti algent, à frigore namque conſtringente, & contrahente, tùm dentium, tùm cæterorum oritur tremor membrorum. Vt igitur Chriſtus doceret Animas apud inferos frigoris pœnâ cruciari, ſtridorem fore ibi dentium affirmauit. Diſco id ex Alberto Magno locum allatum ita dilucidante. *Stridor dentium prouenit* EX FRIGORE, *ſicut & aliorum tremor membrorum, cùm enim frigus conſtringit neruos, & contrahit, virtus naturalis eoſdem diſtendit, & ex pugnâ, quæ eſt inter contrahens, & diſtendens, ex duobus motibus tremor accidit, & ille in dentibus eſt ſtridor, & in alijs membris eſt tremor.* Annuit etiam Hugo Cardinalis eadem verba explicans. *Ibi erit fletus propter calorem, & ſtridor dentium* PROPTER FRIGVS. Quibus ſimilia ſunt quæ habet Gloſſa ordinaria. *Fletus de ardore, ſtridor dentium* DE FRIGORE *ſolet excitari, quia ibi tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* Frigore cruciantur apud inferos animæ, qui cruciatus à Chriſto dentium ſtridore derlaratur.

Dentium ſtridore frigoris cruciatus apud inferos exprimitur.

Alb. Magnus.

Hugo Card.

Gloſſa ordin.

9 Nec minùs idē colligitur cruciatus ex verbis, quibus Dominus de turbine ſeruum ſuum Iob eſt allocutus. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparaui in tempus hoſtis, in diem pugnæ, & belli?* Iob. 38. 22. Qui ſunt hi theſauri, niſi pœnę, quibus animæ purgantur electorum? Quis eſt iſte hoſtis, niſi Diabolus, qui per hos theſauros eaſdem animas affligit, & purgat? Audi Hugonem Cardinalē. *Dicuntur theſauri, non quoad ſe, ſed quoad bonos, quos affligendo* PVRGANT *Quæ præparaui in tempus hoſtis, ideſt Diaboli, vt per eos electos impugnet, &* PVRGET. Rurſus Gloſſa Interlinearis ait. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, ideſt* FRIGORIS? Pręparauit Deus apud inferos niuis, & grandinis theſauros, vt Diabolus hoſtis animarum ſanctarum eis vtatur, frigoris afflictione ab omni culpæ reatu illas purgans.

Theſauris niuis, & grandinis diabolus animas affligit in Purgatorio.

Hugo Card.

Gloſſa interl.

10 Hos theſauros mortuus ille aſpexit, qui ad vitam reuocatus ea, quæ viderat, eranique memoratu digna narrauit. Audiamus eius verba, quæ refert Beda lib. 5. hiſt. Angl. cap. 13. quibuſque Animarum Purgatorij tormenta deſcribit. *Deuenimus ad vallem multæ latitudinis, ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis, quæ ad læuam nobis ſita, vnum latus flammis ferventibus nimium terribile, alterum* FVRENTI GRANDINE, AC FRIGORE NIVIVM *omnia perflante, atque verrente non minùs intolerabile præferebat. Vtrumque autem erat animabus hominum plenum, quæ viciſſim hinc indè videbantur, quaſi tempeſtatis impetu iactari. Cùm enim vim feruoris immenſi tolerare non poſſent, proſiliebant miſeræ in medium* FRIGORIS INFESTI, *&*

Niuis, & grandinis in Purg. ex defuncti verbis [illegible] eam re[illegible] c[illegible]

Beda.

cùm neque ibi quippiam requiei inuenire valerent, reſiliebant rurſùs vrendæ in medium flammarum inextinguibilium. Subdens autem inferiùs, quæ animę iſtæ eſſent, quique locus hic, in quo torquebantur, addit. *Dixit mihi. Scis, quæ ſint iſta omnia, quæ vidiſti? Reſpondi ego, Non; ait, Vallis illa, quam aſpexiſti flammis feruentibus, & FRIGORIBVS HORRENDA RIGIDIS, ipſe eſt locus, in quo examinandæ, & caſtigandæ ſunt animæ illorum, qui differentes confiteri, & emendare ſcelera ſua, quæ fecerunt, in ipſo tandem mortis articulo poenitentiam vel in morte habuerunt, omnes in die iudicij ad regnũ Coelorum peruenient. Multos autem preces viuenuentium, & eleemoſynæ, & ieiunia, & maximè celebratio Miſſarum, vt etiam antè diem iudicij liberentur, adiuuant.* Vides animas, antequam ad regnum Cœlorum perueniant, rigidis frigoribus in Purgatorio torqueri, & donec debitas peccatis pœnas luant, niue, ac grandine atrociter cruciari?

Per calorem ignis, & frigus aquæ trãſeunt Animæ purgatorij ad refrigerium.

11 Non omittam in fine Capitis verba, quibus D. Bernardus ſerm. de quinque neg. & quinque reg. hanc fulcit eamdem veritatem. Cùm enim tres mortuorum ordines diſtinxiſſet, quorum aliqui ſtatim ad Cœlum ab Angelis deducũtur, alij confeſtim ad Infernum a dæmonibus trahuntur, poſtremi verò, & veluti medij ad Purgatorium, donec plenè pro ſuis peccatis ſatisfecerint, detrudantur, hos dixit ignis calore, frigoris rigore, aliarumque pœnarum dolore torqueri. *Qui in* PVRGATORIO *ſunt, expectant redemptionem, priùs cruciandi, aut calore ignis, aut* RIGORE FRIGORIS, *aut alicuius grauitate doloris.* Non tantùm Animæ Purgatorij ignis calore puniuntur, ſed etiam frigoris rigore mulctantur, vt ad Paradiſum euectæ iurè dicere poſſint, *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Pſal. 65. 12. Ignis nimirùm calore torquentur, & aquæ frigore purgantur, antequam ad cœleſte refrigerium perducantur. Verè ergò dictum eſt, quòd frigoris tormento cruciantur Animæ, quæ in Purgatorio mulctantur.

Bernard.

CAPVT X.

Tenebrarum horrores Animas cruciant, quæ in Purgatorio diuinæ glorię lumen expectant.

[Ten]ebræ in [Purga]torio, [et] ignes nõ [luce]nt.

1 PVrgatorium tenebroſum eſſe naturalis ipſa ratio dictat, nam cùm ſit locus in terræ centro conſtitutus, quò nullus vnquam penetrat Solis radius, vtique omne ab eo aberit lumen, ſolęque illum vmbræ, ac tenebræ poſſidebunt. Nec ignis, qui animas torquet, aliquam lucem emittit, tùm quia ibi non ad conſolationem reſidet, ſed ad tormentum, tùm quia eſt fæculentus, & cùm pice, ac ſulphure paſcatur, non lucidus, ſed ratione fumi tenebroſus euadit. Audi, quid de igne Inferni, qui eſt idem cum igne Purgatorij, dicat Abulenſis parad. 5. c. 98. *In toto orbe* TENEBROSIOR LOCVS NVLLVS *eſt, & hoc, quia ad illam partem inferiorum nulli de aſtris radij penetrare poſſunt, vt illuſtrent illam* HORRENDAM TENEBRAM, *atque ęternam noctem, nam infernus in remotiſſimo loco vniuerſi eſt reſpectu aſtrorum, nam in centro terræ eſt. Nullus autem locus à Cælo diſtantior eſt, quàm centrum mundi. In hac autem inferorum infoelici ſede calor intenſior eſt, quàm ſit in toto vniuerſo, nam ibi eſt ignis magis vrens, quàm in toto orbe, tamen lucis nihil habet ignis iſte, ſed* VT NIMIA TENEBRA. *Et hoc, vt cùm ignis iſte per exceſſiuum, & ineffabilem calorem damnatis intolerabiles dolores infligat, per lucem nullum pręſtet oblectamentum, nam lux delectabilis eſt in oculis noſtris, vt ait Salomon, dulce lumen, & delectabile in oculis hominum videre ſolem. Cauſa autem huius nimię obſcuritatis in infernali igne videtur eſſe ex materiâ, in quâ fomentatur: ignem enim hunc in pice pabulum ſuſcipere aiunt. Nullus autem ignis nigrior eſſe poterit, quàm ignis picis, & reſinę, nam totus videtur, velut quidam fumus teterrimus, aut quolibet fumo quidquam obſcurius, de igne autem nihil penitus habere videretur, niſi eius intenſiſſimus, atque intolerandus calor hoc proderet.* Plura quidem verba, ſed adeò apta ad tenebrarum horrorem, quo apud inferos animæ torquentur, explicandum, vt religio fuiſſet aliquod ex illis præterire.

[Ab]ulenſis.

2 Has tenebras agnouerunt apud inferos & Gentiles, quare Virgilius lib. 6. Æneidos ait.

Gentiles tenebras apud inferos ſtatuentes.

Dij, quibus imperium eſt animarum, vmbręque ſilentes
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte ſilentia latè.

Virgilius.

Vbi Seruius. *Vult oſtendere eſſe partem mundi, in quâ perpetuæ ſunt* TENEBRAE. Idem etiam poëta inferorum ſtygiam paludem tenebroſam appellat.

Seruius.

Sęuit, & in lucem ſtygijs emiſſa TENEBRIS
Pallida Tiſiphone.

Ita lib. 3. Georgic, & lib. 6. Aeneid.

Vnum oro, quando hic inferni ianua regis
Dicitur, & TENEBROSA PALVS Acheronte refuſo.

Lucretius quoque Tartarum dixit ratione tenebrarum lucis egenum. Vndè lib. 3. de rerum nat. ita cecinit.

Lucretius.

& LVCIS EGENVS
Tartarus, horriferos eructans faucibus æſtus.

Heſiodus etiam in Theogoniâ, terram inferorum caliginoſam dixit, & obſcuram.

Heſiodus.

Vbi TERRAE CALIGINOSAE, & Tartari OBSCVRI

Et demum Ouidius lib. 10. Metamorph. tartara dixit opaca.

Ouidius.

Si licet, & falſi poſitis ambagibus oris
Vera loqui ſinitis, non hùc vt OPACA viderem
Tartara, deſcendi.

Ad quæ ait Raphaël Volaterranus. *Opaca Tartara, idest* OBSCVRA, TENEBROSA, *eſt enim Tartarus inferorum locus profundiſſimus.* Cognouerunt quippè lumine quoque fidei deſtituti authores, apud inferos Animas mortuorum horrore torqueri tenebrarum.

Raph. Volat.

eſt. Incendor, inquit, atque ardeo. Quod quidem maius omnibus, & grauius erat. Incredibilem, & omnibus, quos patiebatur, grauiorem dolorem ignis combuſtione Paulus expreſſit, vt enim ignis atrocitas reliquarum pœnarum grauitatem excedit, ita omnibus eſt aptior ad quamcumque doloris magnitudinem exprimendam.

Magnâ Lunaticus torquebatur miſeriâ, dum ſæpè cadebat in ignem.

10 Obtulerat infœlix pater lunaticum filium Apoſtolis, vt eum curarent, atque ab eius corpore dæmonium expellerent, quod cùm propter incredulitatem non potuiſſent, acceſſit ad Chriſtum, cumque rogauit, vt ſui miſeretur filij, qui ſæpè cadebat in ignem. *Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur, nam ſæpè cadit in ignem*. Matth. 17. 15. Obſerua rationem, quare malè pateretur, ex igne aſſumpſiſſe, Chriſtoq; maximam narraſſe miſeriam, vt eum ad poſtulatam prouocaret miſericordiam. Subſignat Abulenſis. *Ponitur ad mouendum Chriſtum ad miſerendum, erat enim* Magna Miseria. Magnam affert ignis pœna miſeriam, vndè magnâ torquebat Dæmon hunc filium miſeriâ, dum eum frequenter proijciebat in ignem.

Abulenſis.

In terribilem Dei furor exardeſcit vltionem, cùm torquet igne delinquentes.

11 Hinc eſt, quòd cùm Deus graues comminatus eſt hominibus pęnas eoſque magnis miſerijs torquere decreuit, ignem in furore ſuo ſuccenſum dixit. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima*. Deut. 32. 22. Ignis namque nomine magnam vltionem, quâ exarſit contrà peccatores, expreſſit. Aptè Abulenſis. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, ideſt in irâ meâ exarſit contrà eos* Magna Vindicta, *quæ ſignatur nomine* Ignis. Ex ignis pęnâ magna Dei arguitur ira, non enim magis diuinus furor in terribilem exardeſcit vltionem, quàm cùm igne torquet delinquentes.

Idem.

Pœna ignis, quâ Sodomæ ciues Deus puniuit, diuinam indignationem oſtendit, & pœnâ diluuij grauior fuit.

12 Quam vltionem ſenſerunt Sodomæ habitatores, quos Deus ignem de Cęlo emittens conſumpſit. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de Cælo*. Gen. 19. 24. Quæ ſanè pęna magnam eius indignationem oſtendit, qui tam atrociter peccatores mulctauit. Accinit D. Bonauentusa in cap. 10. Lucæ. *Dominus fuit illis* Valdè Indignatus, *ſecundùm quod dicit, quòd pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de Cęlo*. Tunc ſe Deus oſtendit valdè indignatum, cùm pęnâ ignis torquet peccatores, quia cùm hæc pęna ſit omnium atrociſſima, omnium eſt etiam aptiſſima, vt diuinam declaret indignationem. Quare comparans Diony. Carthuſianus pęnam, quâ Sodomæ habitatores Deus puniuit, cum eâ, quâ diluuij tempore orbem vniuerſum aquis obruit, hac valdè illam grauiorem fuiſſe affirmat. *Pœna Sodomorum* Gravior Fvit Poena In Dilvvio *ſubmerſorum, quia & pœna* Ignis *præſertim ſulphurei acerbior eſt ſubmerſione in aquâ, propter quod multi, vt poenam* Ignis *euaderent proſilierunt in gurgitem*. Grauior fuit ignis pęna, quâ Sodomæ ciues Deus conſumpſit, quàm aquæ diluuium, quo cunctos homines deleuit, nam pęna, quam ſuâ combuſtione ignis infligit, cæteras omnes poenas excedit.

D. Bonau.

Dion. Carth.

Ignis violentior eſt apud inferos, quàm albi.

13 Quòd ſi tanta eſt vbique ignis poena, quãta erit poena, quâ ſpiritus torquet ignis inferorũ? Certè cuiuſcumque alterius ignis violentiã ignis ille ſuperat, non tantùm quia punit vt diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum, ſed etiam quia in corde terræ ſolidiorem habet materiam, & per Antiperiſtaſim in loco frigidiſſimo roboratur, quare propter naturalem quoque rationem eius afflictio grauior euadit. Hanc rem explicat optimè Abulenſis quæſt. 520. in c. 25. Matth. Ille Ignis Erit Violentior, Et Fortior *apud inferos, etiam naturaliter, quàm albi. Nam ignis fortificatur ex conditione rei ignitæ, nam quantò res ignita eſt ſolidior, & compactior, tantò actio fortior, & intẽſior caliditas. Alia etiam intenſionis cauſa eſt, ſcilicet per Antiperiſtaſim, qualis ibi erit. Nam erit illa concauitas in corde terræ, & quia ibi eſt locus valdè frigidus, cùm terra ſit nimis frigida, & ibi ſit elongata ab omni calore, frigiditas totius terræ circũſtantis faciet congregari virtutem ignis, & erit ignis efficacior in actione, & intenſior in calore*. O miſeriam ergò incredibilem Animarum Purgatorij, quæ tantâ violentiâ, & robore ab igne cruciantur inferorum. Verè dum ignis ardore purgantur, atrociter animæ illæ torquentur.

Dion. Carth.

CAPVT IX.

Frigoris tormento cruciantur Animæ, quæ in Purgatorio mulctantur.

Frigore cruciãtur Animæ in Purg.

1 NOuit diuina ſapientia, valetque ſuperna Dei omnipotentia ſimul oppoſitas vnire qualitates, ita vt cum ſummo calore ſummum cohæreat frigus, neq; à frigore calor, aut à calore frigus expellatur. Agũt apud inferos corpora tanquam diuinæ iuſtitiæ inſtrumenta, vt peccata puniant, & peccatores torqueant, eleuata, quapropter non ſe inuicem operationibus mutuis deſtruunt, ſed tantùm animas, ad quas torquendas eleuantur, affligunt. Poſſunt igitur animæ in Purgatorio ignis calore torqueri, & inſuper alterius corporis frigore cruciari. Et ſanè frigidiſſimum eſſe Purgatorij locum ſitus illius videtur ſuadere, cur namque non erit frigidiſſimum terræ centrum ab omni ſolis radio remotum? Nunquid ignis naturale terræ frigus nimio calore turbabit? At ibi non vt tẽperet, ſed vt augeat animarum cruciatum ignis detinetur. Frigus igitur cum ignis calore ibi Animas cruciabit, quæ hac etiam ratione acriùs torquebũtur, quia ex duobus contrarijs eorum tormenta conſurgunt, ita vt illud Sapientiæ. 19. 19. hic mirabiliter quadret. *Ignis in aquâ valebat ſuprà ſuam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliuiſcebatur*. Adſtipulatur D. Auguſtinus lib. de triplici habitaculo cap. 2. *Principalia duo ſunt tormenta in inferno* (eadem autem ſunt tor-

D. Aug.

menta

Digitized by Google

menta inferni, & purgatorij) FRIGVS INTOLERABILE, *& calor ignis inextinguibilis*. Idemque

D. Bernard.

confirmat D. Bernardus ſerm. in feſto Sancti Nicolai. *Regio gehennalis, regio dura, & extimeſcenda, terra afflictionis, & miſeriarum, terra tenebrarum, terra turbinis, & caliginis, terra maledictionis, & mortalitatis, terra combuſtionis, &* FRIGORIS. Ardent, & algent apud inferos animæ frigore æquè cruciatę, atque calore.

Frigus copulat Deus in inferis cum calore.

2 Hoc videtur innuiſſe Dauid, cùm ait. *Antè faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?* Pſal. 147. 17. Frigus enim, quod ſimul cum calore apud inferos, Deo iubente, animas torquet, his verbis deſcripſit. Habeo hac in re patronum D. Hieronymum.

D. Hieron.

Antè faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? Cuius? Alij dicunt chryſtalli, alij domini. Mihi autem videtur de Deo dici. Antè faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? Quæ tormenta dicuntur in ſcripturis ſanctis peccatori præparata? Nihil gehennâ calidius, & tamen ipſa FRIGIDA EST. Frigus in inferis copulat Deus cum calore, oppoſitiſque animas, quas ibi cruciandas reponit, qualitatibus torquet.

Frigus inferorum mõtes igneos in glaciem commutaret.

3 Quò etiam ſpectauit Iob, cùm peccatorem dixit apud inferos ab aquis niuium ad nimium tranſire calorem. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium, & vſque ad inferos peccatum illius.* Iob. 24. 19 Quid enim hæ indicant apud inferos niuium aquæ, niſi ſummo ibi animas frigore cruciari? Hoc voluit Hugo Etherianus lib. de Animarum regreſſu cap. 12. INTOLERABILE FRIGVS *prius inferna eſſe dicitur, ſcriptum eſt enim, Ad calorem nimium tranſibunt ab aquis niuiũ, quod quidem in conſtringendo tam efficax eſſe putatur vt igneos montes contactu in glaciem permutaret.* O' ineffabile aquarum infernarum frigus, quod in glaciem igneos montes ſuo valeret rigore commutare!

Hugo Eth.

Rigidius eſt frigus inferorum, quia coniungitur cũ igne.

4 Ex his eiſdem verbis Iob colligit Abulenſis aquæ, ac frigoris cruciatum apud inferos, quem adeò egregiè deſcribit, vt religio eſſet verba prętterire, quæ ſcribit. Sic igitur paradoxo 5. cap. 98. hic doctiſſimus vir loquitur. *In hoc gehennæ loco aqua* FRIGIDISSIMA EST, *in quâ qui damnati ſunt affliguntur. Nam ſicut calor nimius poena afflictiua eſt, ita etiam* MAGNA FRIGIDITAS. *Vtrũq; ergò pro cruciatibus impiorum tradi debuit. Nec abre, aut abſurdè dictum quis exiſtimauerit in inferno aquam fore, nam cùm ibi verum, corporeumq; ignem eſſe non ambigatur, ita neque aquam eſſe irrationabile eſt, ſed potiùs rationi valdè conſentaneum, vt à duobus extremis maximus conficiatur cruciatus. De iſta poenalitate apud inferos Iob ait. Tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium, & hoc eis duriſſimæ poenæ incitamentum eſt, vt tanta in eis diſtemperies ſit, nam cùm nimis* INFRIGIDATI *fuerint, ſæuiùs calor in eos aget, & cùm vehementer calidi fuerint, intenſiùs* FRIGIDITAS *eos cruciabit. Sicut ſuprà de eo qui nimium in manibus frigus patiens, eas igni applicabat, diximus. Grauiorem enim iſte frigiditatem percipiet, acriùſque cruciabitur, cùm manus gelidas igni applicuerit, quàm cùm eas in purâ frigiditate tenuerit.*

Abulenſis.

Vide, an cruciatum frigoris, quo apud inferos animæ torquentur potuerit aptioribus ad rem noſtram verbis deſcribi.

Poetæ frigoris tormẽtum apud inferos agnouerunt.

5 Quid? quòd aquam, & frigus apud inferos Gentiles quoque agnouerunt? Profectò apud Poëtas nihil frequentius occurrit aquarum, fluuiorumque inferorum deſcriptionibus. Hinc paſſim apud eos vndę Acherontis, Cocyti, Phlegethontis, Stygis, & Lethes. Quæ omnia, quid aliud innuunt, niſi rigidiſſimum frigus, quo apud inferos animæ ſontium torquentur. Sanè Virgilius lib. 4. Georgic. Eurydicen Orphei vxorem in Stygiâ palude frigore fingit correptam.

Illa quidem Stygiâ nabat iam FRIGIDA *cymbâ.* *Virgilius.*

Obſerua igitur à Poëtis quoque frigoris tormentum, quo apud inferos pro patratis delictis hominum animæ torqueantur, prudenter admiſſum.

Loca infera à frigore Tartarea appellata.

6 Hoc ipſum nomine Tartari, quo inferos appellare conſueuerant, innuebant. Quo nomine vſus eſt Virgilius lib. 4. Æneidos.

Tum virgam capit: hac animas ille euocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia TARTARA *mittit.*

Et lib. 6. *Virgilius.*

Tùm TARTARVS *ipſe*
Bis patet in præceps tantùm, tenditq; ſub vmbras.

Ouidius etiam lib. 5. Metamorphoſeon cecinit. *Ouidius.*

Iſta viam tellus in TARTARA *fecit,*
Et pronos currus medio cratere recepit.

Item lib. 10.

non huc vt opaca viderem
TARTARA *deſcendi, nec vti villoſa colubris*
Terna Meduſæi vincirem guttura monſtri.

Demum lib. 11.

Surge, age, da lachrymas, lugubriaq; indue, nec me
Indeploratum ſub inania TARTARA *mitte.*

Seneca quoque Tragicus in Oedipode Actu. 1.

Rupere Erebi clauſtra profundi *Seneca.*
Turba ſororum face TARTAREA.

Lucretius lib. 3. de Rerum nat.

Nec quidquam in barathrum, nec TARTARA
decidit atra. *Lucretius.*

Et infrà.

Cerberus, & furiæ iam verò, & lucis egenus
TARTARVS, *horrificos eructans faucibus æſtus.*

Et lib. 5.

Et tamen è ſummo quaſi fulmen deijcit iſtos
Inuidia interdum contemptim in TARTARA
TETRA.

Heſiodus in Theogoniâ.

Vbi terræ caliginoſæ, & TARTARI OBSCVRI *Heſiodus.*

Et rursùs.

Ex terrâ deſcendens, decimo die ad TARTA-
RVM *venit.*

Et deniquè.

TARTARAQVE *tenebricoſa in receſſu terræ*
ſpatioſa.

Quin & ex ſacris authoribus eodem nomine vtitur D. Ioannes Chryſoſtomus lib. 2. aduersùs vituperatores vitæ monaſticæ. *Audiſti profectò Cocytos, & Pyriphlegethontas fluuios, & Stygis vndam*

&

Digitized by Google

& TARTARVM tantò inferiorem terrâ, quantùm hæc ipſa diſtat à Coelo. Idem nomen vſurpat etiam D. Petrus Chryſologus ſerm. 65. *Vbi Chriſtus cæpit inferi pulſare fores, portas TARTARI ſubmouere.* Et iterum. *Sed refert TARTARVS, ego regem gloriæ in coeleſtibus ſcio omnibus poteſtatibus calicis præſidere.* Et rurſus. *TARTARVS ad reddendos omnes mortuos Chriſto iuſſus eſt obedire.* Et demùm. *Tunc TARTARVS ligatis manibus, & pedibus Lazarum retulit ad ſuperna.* Hùc etiam faciunt verba Bedæ lib. 5. hiſt. Angl. cap. 13. *Et cùm progrederemur ſolâ ſub nocte per vmbras, ecce ſubito apparent antè nos crebri flammarum TARTARBARVM globi.* Imò & D. Petrus Epiſt. 2. cap. 2. 4. hoc nomen adhibet. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in TARTARVM tradidit cruciandos.* Quem ſequens in defunctorum Miſſâ Eccleſia, dum pro Purgatorij animabus orat, *Libera*, inquit, *eas de ore leonis, ne abſorbeat eas TARTARVS.* Vndè autē Tartarus eſt inferorū locus appellatus, niſi à verbo Græco ταρταρίζειν, quod apud Græcos idem eſt, ac frigoris horrore algere? Debemus hoc D. Iſid. lib. 14. Orig. c. 9. *TARTARVS, vel quia illic omnia turbata ſunt, ἀπὸ τοῦ ταράττειν, vel quod verius ἀπὸ τοῦ τρίζειν, ideſt à timore FRIGORIS, quod eſt ALGERE, ſcilicet, quia luce, ſoleque caret. Nam neque illic vapores ſunt, qui ex ſolis luce gignuntur, neque flatus, qui eiuſdem motibus incitantur, ſed perpetuus ſtupor: ταρταρίζειν enim horrere, & tremere apud Græcos legitur.* His addo, quæ habet Seruius in lib. 6. Æneid. *TARTARVS, vel quia omnia illic turbata sūt ἀπὸ τῆς ταραχῆς aut quod eſt melius ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν ideſt à TREMORE FRIGORIS, ſole enim caret.* Quadrant etiā hìc verba Plutarchi Opuſculo de primo frigido. *Sicut ergò ſplendore deficiente, tenebroſus fit aer; ita calore deſerente, nihil aliud reſtat, quàm aer frigidus. Itaque etiam TARTARVS DICITVR A' FRIGORE, quod etiam Heſiodus docuit, Tartarum appellans aeroſum, & qui horrore tremunt, ac quaſſantur, ταρταρίζειν dicuntur.* Vide igitur, an à frigore animę torqueantur, dum ab eo nomina ſua ſumpſerunt loca inferorum.

D. Petrus Chryſol.

Beda.

D. Petrus.

Eccleſia.

D. Iſidorus.

Seruius.

Plutarchus.

Heſiodus.

Aqua Stygia inferorum frigida.

7 Licet etiam id quod probamus, confirmare iuramento, quo fabulati ſunt Poëtę celeſtes Deos per Stygias aquas iurare conſueuiſſe. Nam ſi quis Deorum hoc adhibens, mentitus fuiſſet, mittebatur à Ioue Iris, quæ aquam ex inferis in aureo vaſe deferret, quam aquam frigidam fuiſſe, teſtatur disertè in Theogoniâ Heſiodus.

Heſiodus.

Et ſanè quiſquis mentiatur coeleſtes domos tenentium,
Iupiter tùm Irim mittit, Deorum magnum iuſiurandum, vt ferat,
Longè in aureo gutturnio celeberrimam aquam
FRIGIDAM, quæ è petrâ diſtillat altâ
Excelsâ, multùm verò ſubtùs terram ſpatioſam
E' ſacro flumine fluit per noctem nigram.

Stygiam inferorum aquam frigidam poëtæ dixerunt, vt nobis innuerent, nedùm ignis calore, ſed etiā aquæ frigore apud inferos animas torqueri.

Dentium ſtridore frigoris cruciatus apud inferos exprimitur.

8 Sed iam ad ſacra redeamus, & videamus, quid de pęnis inferorum Chriſtus protulerit, cùm eas peruerſis comminatus eſt Iudæis. *Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Matth. 8. 12. Vndè autem hic apud inferos dentium ſtridor proueniet, niſi ex frigore, quo ibi Animæ cruciabuntur? Vtique dentibus non ſtrident, niſi qui frigore correpti algent, à frigore namque conſtringente, & contrahente, tùm dentium, tùm cæterorum oritur tremor membrorum. Vt igitur Chriſtus doceret Animas apud inferos frigoris pœnâ cruciari, ſtridorem fore ibi dentium affirmauit. Diſco id ex Alberto Magno locum allatum ita dilucidante. *Stridor dentium prouenit EX FRIGORE, ſicut & aliorum tremor membrorum, cùm enim frigus conſtringit neruos, & contrahit, virtus naturalis eoſdem diſtendit, & ex pugnâ, quæ eſt inter contrahens, & diſtendens, ex duobus motibus tremor accidit, & ille in dentibus eſt ſtridor, & in alijs membris eſt tremor.* Annuit etiam Hugo Cardinalis eadem verba explicans. *Ibi erit fletus propter calorem, & ſtridor dentium PROPTER FRIGVS.* Quibus ſimilia ſunt quæ habet Gloſſa ordinaria. *Fletus de ardore, ſtridor dentium DE FRIGORE ſolet excitari, quia ibi tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* Frigore cruciantur apud inferos animæ, qui cruciatus à Chriſto dentium ſtridore declaratur.

Alb. Magnus

Hugo Card.

Gloſſa ordin.

Theſauris niuis, & grandinis diabolus animas affligit in Purgatorio.

9 Nec minùs idē colligitur cruciatus ex verbis, quibus Dominus de turbine ſeruum ſuum Iob eſt allocutus. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparaui in tempus hoſtis, in diem pugnæ, & belli?* Iob. 38. 22. Qui ſunt hi theſauri, niſi pœnę, quibus animæ purgantur electorum? Quis eſt iſte hoſtis, niſi Diabolus, qui per hos theſauros eaſdem animas affligit, & purgat? Audi Hugonem Cardinalē. *Dicuntur theſauri, non quoad ſe, ſed quoad bonos, quos affligendo PVRGANT Quæ præparaui in tempus hoſtis, ideſt Diaboli, vt per eos electos impugnet, & PVRGET.* Rurſus Gloſſa Interlinearis ait. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, ideſt FRIGORIS?* Pręparauit Deus apud inferos niuis, & grandinis theſauros, vt Diabolus hoſtis animarum ſanctarum eis vtatur, frigoris afflictione ab omni culpæ reatu illas purgans.

Hugo Card.

Gloſſa interlinearis.

Niuis, & grādinis frigus in Purgatorio ex defuncti verbis ad vitam reuocati confirmatur.

10 Hos theſauros mortuus ille aſpexit, qui ad vitam reuocatus ea, quæ viderat, erantque memoratu digna narrauit. Audiamus eius verba, quæ refert Beda lib. 5. hiſt. Angl. cap. 13. quibuſque Animarum Purgatorij tormenta deſcribit. *Deuenimus ad vallem multæ latitudinis, ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis, quæ ad læuam nobis ſita, vnum latus flammis feruentibus nimium terribile, alterum FVRENTI GRANDINE, AC FRIGORE NIVIVM omnia perflante, atque verrente non minùs intolerabile præferebat. Vtrumque autem erat animabus hominum plenum, quæ viciſſim hinc indè videbantur, quaſi tempeſtatis impetu iactari. Cùm enim vim feruoris immenſi tolerare non poſſent, proſiliebant miſeræ in medium FRIGORIS INFESTI, &*

Beda.

cùm

cùm neque ibi quippiam requiet inuenire valerent, reſiliebant rurſus vrenda in medium flammarum inextinguibilium. Subdens autem inferiùs, quæ animę iſtæ eſſent, quique locus hic, in quo torquebantur, addit. *Dixit mihi. Scis, quæ ſint iſta omnia, quæ vidiſti? Reſpondi ego, Non, ait. Vallis illa, quam aſpexiſti flammis feruentibus, & FRIGORIBVS HORRENDA RIGIDIS, ipſe eſt locus, in quo examinandæ, & caſtigandæ ſunt animæ illorum, qui differentes confiteri, & emendare ſcelera ſua, quæ fecerunt, in ipſo tandem mortis articulo poenitentiam vel in morte habuerunt, omnes in die iudicij ad regnū Coelorum peruenient. Multos autem preces viuenuentium, & eleemoſynæ, & ieiunia, & maximè celebratio Miſſarum, vt etiam antè diem iudicij liberentur, adiuuant.* Vides animas, antequam ad regnum Cœlorum perueniant, rigidis frigoribus in Purgatorio torqueri, & donec debitas peccatis pœnas luant, niue, ac grandine atrociter cruciari?

Per calorem ignis, & frigus aquæ trāſeunt Animæ Purgatorij ad refrigerium.

11 Non omittam in fine Capitis verba, quibus D. Bernardus ſerm. de quinque neg. & quinque reg. hanc fulcit eamdem veritatem. Cùm enim tres mortuorum ordines diſtinxiſſet, quorum aliqui ſtatim ad Cœlum ab Angelis deducūtur, alij confeſtim ad Infernum à dæmonibus trahuntur, poſtremi verò, & veluti medij ad Purgatorium, donec plenè pro ſuis peccatis ſatisfecerint, detrudentur, hos dixit ignis calore, frigoris rigore, aliarumque poenarum dolore torqueri. *Qui in* PVRGETORIO *ſunt, expectant redemptionem, priùs cruciandi, aut calore ignis, aut* RIGORE FRIGORIS, *aut alicuius grauitate doloris.* Non tantùm Animæ Purgatorij ignis calore puniuntur, ſed etiam frigoris rigore mulctantur, vt ad Paradiſum euectæ iurè dicere poſſint, *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Pſal. 65. 12. Ignis nimirùm calore torquentur, & aquæ frigore purgantur, antequam ad cœleſte refrigerium perducantur. Verè ergò dictum eſt, quòd frigoris tormento cruciantur Animæ, quæ in Purgatorio mulctantur.

D. Bernard.

CAPVT X.

Tenebrarum horrores Animas cruciant, quæ in Purgatorio diuinæ glorię lumen expectant.

Tenebræ in Purgatorio, quas ignis nō expellit.

1 PVrgatorium tenebroſum eſſe naturalis ipſa ratio dictat, nam cùm ſit locus in terræ centro conſtitutus, quò nullus vnquam penetrat Solis radius, vtique omne ab eo aberit lumen, ſolęque illum vmbræ, ac tenebræ poſſidebunt. Nec ignis, qui animas torquet, aliquam lucem emittit, tùm quia ibi non ad conſolationem reſidet, ſed ad tormentum, tùm quia eſt fæculentus, & cùm pice, ac ſulphure paſcatur, non lucidus, ſed ratione fumi tenebroſus euadit. Audi, quid de igne Inferni, qui eſt idem cum igne Purgatorij, dicat Abulenſis parad. 5. c. 98. *In toto orbe* TENEBROSIOR LOCVS NVLLVS *eſt, & hoc, quia ad illam partem inferiorum nulli de aſtris radij penetrare poſſunt, vt illuſtrent illam* HORRENDAM TENEBRAM, *atque ęternam noctem, nam infernus in remotiſſimo loco vniuerſi eſt reſpectu aſtrorum, nam in centro terræ eſt. Nullus autem locus à Cælo diſtantior eſt, quàm centrum mundi. In hac autem inferorum infoelici ſede calor intenſior eſt, quàm ſit in toto vniuerſo, nam ibi eſt ignis magis vrens, quàm in toto orbe, tamen lucis nihil habet ignis iſte, ſed* VT NIMIA TENEBRA. *Et hoc, vt cùm ignis iſte per exceſſiuum, & ineffabilem calorem damnatis intolerabiles dolores infligat, per lucem nullum pręſtet oblectamentum, nam lux delectabilis eſt in oculis noſtris, vt ait Salomon, dulce lumen, & delectabile in oculis hominum videre ſolem. Cauſa autem huius nimię obſcuritatis in infernali igne videtur eſſe ex materiâ, in quâ fomentatur: ignem enim hunc in pice pabulum ſuſcipere aiunt. Nullus autem ignis nigrior eſſe poterit, quàm ignis picis, & reſinę, nam totus videtur, velut quidam fumus teterrimus, aut quolibet fumo quidquam obſcurius, de igne autem nihil penitus habere videretur, niſi eius intenſiſſimus, atque intolerandus calor hoc proderet.* Plura quidem verba, ſed adeò apta ad tenebrarum horrorem, quo apud inferos animæ torquentur, esplicandum, vt religio fuiſſet aliquod ex illis præterire.

Abulenſis.

2 Has tenebras agnouerunt apud inferos & Gentiles, quare Virgilius lib. 6. Æneidos ait.

Gentiles tenebras apud inferos ſtatuentes.

Dij, quibus imperium eſt animarum, vmbręque ſilentes
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte ſilentia latè.

Virgilius.

Vbi Seruius. *Vult oſtendere eſſe partem mundi, in quâ perpetuæ ſunt* TENEBRAE. Idem etiam poëta inferorum ſtygiam paludem tenebroſam appellat.

Seruius.

Sæuit, & in lucem ſtygijs emiſſa TENEBRIS
Pallida Tiſiphone.

Ita lib. 3. Georgic, & lib. 6. Aeneid.

Vnum oro, quando hic inferni ianua regis
Dicitur, & TENEBROSA PALVS Acheronte refuſo.

Lucretius quoque Tartarum dixit ratione tenebrarum lucis egenum. Vndè lib. 3. de rerum nat. ita cecinit.

Lucretius.

& LVCIS EGENVS
Tartarus, horriferos eructans faucibus æſtus.

Heſiodus etiam in Theogoniâ, terram inferorum caliginoſam dixit, & obſcuram.

Heſiodus.

Vbi TERRAE CALIGINOSAE, & Tartari OBSCVRI

Et demum Ouidius lib. 10. Metamorph. tartara dixit opaca.

Ouidius.

Si licet, & falſi poſitis ambagibus oris
Vera loqui ſinitis, non huc vt OPACA viderem
Tartara, deſcendi.

Ad quæ ait Raphaël Volaterranus. *Opaca Tartara, ideſt* OBSCVRA, TENEBROSA, *eſt enim Tartarus inferorum locus profundiſſimus.* Cognouerunt quippè lumine quoque fidei deſtituti authores, apud inferos Animas mortuorum horrore torqueri tenebrarum.

Raph. Volat.

3 Et

Tribus tantũ diebus tenebras Deus in Aegypto permiſit,ne ſi diutiùs duraſsēt, vniuerſi Aegyptij periſſent.

3 Et ſanè valdè magnus eſt, qui ex tenebrarum horrore contrahitur, cruciatus. Vt obduratum Pharaonem,eiuſque populum poſt multas plagas, nouâ pęnâ Deus mulctaret, iuſſit Moyſi, vt manus ſuas extenderet ad Cęlum, quod cùm egiſſet, illicò tenebræ horribiles vniuerſam terram Aegypti occupauerunt, quæ trium dierum ſpatio, Iſraëlitis luce fruentibus, Aegyptios afflixerunt. *Extenditque Moyſes manum in Cęlum, & factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſâ terrâ Aegypti tribus diebus.* Exod. 10. 22. Interrogatione dignum eſt, cur tribus tantùm diebus tenebræ iſtæ occupauerint terram Aegypti? Nonnè Pharao adhuc poſt denſiſſimas tenebras culparũ tenebris excæcatus obduratus permanſit? Nonnè protinùs,caligine ceſſante,facultatem à Moyſe poſtulatam exeundi Hebræis denegauit? Cur igitur diutiùs his tenebris Aegypti regnum non afflixit, nam forte pęnæ diuturnitate afflictus ad bonam frugem rex reuerſus fuiſſet? Noluit Deus id agere, ne tota Aegyptus adeò atrocis pęnæ diuturnitate mulctata periret. Do Abulenſem id clariſſimè teſtantem. *Satis hoc ſuffecit afflictioni Aegyptiorum, nam ſi pluribus diebus* TENEBRAE *manſiſſent, omnes Aegyptij periſſent fame, & anguſtiâ.* Nimiâ ſeueritate afflixit Aegyptios plaga tenebrarum, quæ ſi fuiſſet diuturnior, eam ſuſtinere non potuiſſent, ſed anguſtiæ, ac dolori ſuccumbentes perijſſent.

Abulenſis.

Sola commemoratio tenebrarum hominum animos timore concuſſit.

4 Effuſo ſuper diſcipulos poſt Chriſti aſcenſionem Spiritu ſancto, cùm eos Iudæi audirent varijs linguis Dei magnalia loquentes, tanquam vino plenos, quos diuinus repleuerat ignis, irriſerunt. Verùm Petrus opportunis eos verbis increpauit, illorumque audaciam tenebrarum minis ex Ioëlis Prophetia compeſcuit. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifeſtus.* Act. 2. 20. Vbi aduertit D. Ioannes Chryſoſtomus homil. 5. Petrum tenebrarum commemoratione perſtrinxiſſe Iudæos, quorum riſum in metum conuertit, animoſque immodico timore concuſſit. *Illos perſtrinxit,* TENEBRAS *commemorans factas, & ad futurorum expectationem inducens. Priuſquam veniat dies Domini magnus, & manifeſtus. Non enim, quia nunc ſine pęnâ peccatis, inquit, confidatis. Hæc ſanè initia fuêre magnæ diei cuiuſdam, & grauiſſimæ. Vides, quomodo concuſſit animum, & riſum conuertit in defenſionem.* Ita homines torquet pœna tenebrarum, vt ſola earum commemoratio illorum animos timore, ac terrore concutiat.

D. Io. Chryſ.

Aduerſitas hominum exaggeratur, cũ eos tenebris puniendos eſſe pronunciatur

5 Quamobrem Amos ingratum Iudæorum populum redarguens, & imminentem ei calamitatem prædicens, tenebras commemorat, Soliſque occaſum in meridie futurum comminatur. *Et erit in die illâ dicit Dominus, occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.* Amos. 8. 9. Quibus profectò verbis magnam populo annuntiat afflictionem, atrocemque futuram esaggerat aduerſitatem. Magna quippè afflictio ex tenebris hominibus oritur, atque aduerſitas. Rectè Lyranus. *Occidet in meridie, id eſt tempore, quo ſperabant proſperitatem, ſuperueniet aduerſitas, & idem intelligitur per hoc, quod ſubditur, &* TENEBRESCERE *faciam terram in die luminis, eſt enim expreſſio eiuſdem ſententiæ per alia verba ad maiorem exaggerationem.* Tunc hominum aduerſitas esaggeratur, cùm tenebris eos eſſe puniendos pronunciatur, magna namque torquentur afflictione, cùm tenebrarum mulctantur horrore.

Lyranus.

Tempeſtas pœnarum dicta procella tenebrarum.

6 Hinc D. Iudas corruptoribus viæ veritatis, qui effrenè in omnem carnis concupiſcentiam ferebantur procellam dixit ſeruatam eſſe tenebrarum. *Quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Iudæ. 13. Tenebrarum autem nomine infernalium tempeſtatem declarauit poenarum; adeò nimirùm tenebræ apud inferos animas torquent, vt earum nomine omnia ſufficienter exprimantur inferni tormenta. Aptè idem Lyranus. *Quibus procella* TENEBRARVM *ſeruata eſt in æternum, id eſt tempeſtas poenarum in inferno, vbi nulla eſt redemptio.* Animaduerte, quantam in inferis tenebræ afferant afflictionem, quæ ſolæ commemoratæ omnes valent ſuo nomine infernales exprimere afflictiones.

Idem.

Tenebrarum nomine omnia inferni tormenta appellantur.

7 Quod etiam Chriſtus expreſſit, cùm Centurionis fidem admiratus, multos dixit ex Gentilibus cum electis in Cœlo fruituros, alios autem, quibus regnum Cœlorum paratum erat, in tenebras exteriores eijciendos. *Dico autem vobis, quòd multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaach, & Iacob in regno Cœlorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Matth. 8. 12. Quænam autem ſunt iſtę tenebræ exteriores, in quas propter ſua demerita filij regni ſunt eijciendi, niſi tormenta infernalia, quibus poſt mortem ſunt excruciandi? Id voluit Abulenſis. *Iudæi, qui ſunt de regno hoc, ſcilicet, in quo Chriſtus tunc erat, vel de progenie illâ, eijcientur in tenebras, id eſt in infernum, quia non crediderunt, & vocantur tenebræ exteriores, quia quædam ſunt interiores, ſcilicet ignorantia, ſecundùm quã intellectus eſt obtenebratus, exteriores autem ſunt* TENEBRAE *corporales, id eſt locus tenebroſus, quia infernus locus tenebroſus eſt ideò manentes ibi dicuntur manere in tenebris, & in vmbrâ mortis.* In tenebris manere dicuntur, qui à dæmonibus in inferno cruciantur, nam tenebræ tam atrociter animas torquent, vt pœnâ, quam afferunt, cuncta infernalia tormenta ſufficienter exprimũtur.

Abulenſis.

Tenebras Chriſtus nuncupauit infernum.

8 Quare cùm iterum Chriſtus parabolã propoſuit ſerui, qui ad regales nuptias inuitatus, abſque veſte nuptiali diſcumbere cum cæteris non timuit, pœnam exponens, quâ rex iuſtè indignatus eum puniuit, dixit illum ſuis iuſſiſſe miniſtris, vt vinculis ligatum in tenebras mitterent exteriores. *Tunc dixit Rex miniſtris, Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Matth. 22. 13. Tenebrarum autem exteriorum nomine inferni tormenta hìc quoque intellexit. Vndè idem Abulenſis quæſt. 67. in hunc locum.

Quantùm

Digitized by Google

Quantùm ad ſenſum, inquit, *literalem nihil ſignificatur hîc per* TENEBRAS *exteriores, niſi* LOCVS TENEBROSVS INFERNI. Vides vbique tenebroſum infernum appellatum, à præcipuâ, & atrociſſimâ poenâ loci tormentorum nomine deſumpto?

Animæ anxietates tenebræ appellatæ.

9 Nec ſanè mirum, quòd infernales afflictiones tenebræ appellentur, nam adeò tenebræ affligunt, vt earum nomine omnes exprimantur afflictiones. Inter terrores, quibus impios Deus cruciari permittit, ille quoque enumeratur, quòd non credant vnquam poſſe de tenebris ad lucem reuerti. *Nō credit, quòd reuerti poſſit de tenebris ad lucem*, Iob. 15.22. Verùm quæ ſunt hæ tenebræ, vndè ad lucem reuerti ſe poſſe homo impius non credit? Nunquid tenebrarū nomine afflictiones, quibus eius animus obnubilatur, appellantur Annuit Lyranus. *Non credit, quòd reuerti poſſit de* TENEBRIS, *ideſt de tali anxietate mentis, quæ obnubilat animam*. Adeò animas torquet pęna tenebrarum, vt animæ afflictiones, atq; anxietates à tenebris nomen, quo appellantur, frequenter deſumant.

Lyranus.

Miſeria, atq; aduerſitates populi per tenebras explicata.

10 Hùc reſpexiſſe videtur Iſaias, cùm populum in tenebris ambulantem, Chriſto naſcente, lucem magnam vidiſſe affirmauit. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*. Iſa. 9. 2. Tenebras namque miſerias dixit, atque afflictiones, quibus tunc temporis populus torquebatur. Porrò hæc fuit mens Hugonis Card. hunc locum explicantis. *Populus, qui ambulabat in* TENEBRIS ADVERSITATIS, ET MISERIAE. Tot affert miſerias eis, quos cruciat pęna tenebrarum, vt eâ omnes miſeriæ deſcribantur, atque aduerſitates. O' miſeras igitur animas, noſtrâque miſeratione digniſſimas, quæ adeò atroci tenebrarū pęnâ in Purgatorij carcere torquentur. Verè miſeras, quæ luci addictæ, in vmbris commorantur, & tenebrarum horroribus cruciatæ, diuinæ gloriæ lumen expectant.

Hug. Card.

CAPVT XI.

Intolerabili foetore Animæ in Purgatorio torquentur.

Foetore apud inferos animæ torquentur.

1 FOetore animas torqueri, quæ apud inferos cruciantur, ex eo perſuaſum habeo, quòd ſubterraneus ignis è ſulphure conſurgit; accenſum autem ſulphur grauem naturâ ſuâ foetorem emittit. Quapropter in hac veritate omnes ferè Patres conuenire videntur, quòd nedum igneo calore, ſed etiam ſulphureo foetore poſt hanc vitam animæ puniantur. D. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 36. *Iuſtum valdè eſt, vt illic nebula* FOETORIS *aſſideat, quos hîc adhuc carnis foetor delectat*. B. Laurentius Iuſtinianus lib. de vitâ ſolitariâ cap. 10. *Illis autem addita eſt ſocietas dæmonum, horrendus ipſorum aſpectus, ardor inextinguibilis ignis, ſtridor dentium, palpabiles tenebræ, interiores lachrymæ, improperiorum vociferatio, intolerabilis ſitis*, SVLPHVREVS FOETOR Hugo de Sancto victore lib. 4. de Animâ cap. 13. *Infernus lacus eſt ſine menſurâ, profundus ſine fundo, plenus ardore incomparabili*, PLENVS FOETORE INTOLERABILI, *plenus dolore innumerabili*. Hugo Etherianus lib. de regr. Anim. cap. 12. *Illic eſt riuus, qui Græcè dicitur Acheron, turbidus, cœnolentus, vaſtâ voragine formidabilis, nebulam exhalans* INTOLERABILIS FOETORIS. Idem etiam plerique alij diſertis verbis aſtruunt Patres, qui loquuntur quidem de inferno, ſed quæcumque dicunt, prorsùs intelligenda ſunt quoque de Purgatorio, cuius poenæ à pęnis inferni non diſcrepant, niſi ratione perpetuitatis.

D. Gregorius.

B. Laur. Iuſt.

Hugo de S. Victore.

Hugo Ether.

Ex igne ardor, & ex ſulph. apud inferos fœtor.

2 Hunc inferorum foetorem innuit in Apocalypſi D. Ioannes, cùm animas, quæ iram Dei biberint, igne, ac ſulphure dixit cruciandas. *Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſuâ; aut in manu ſuâ, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne, & ſulphure*. Apocal. 14. 10. Agnoſce in igne flagrantiſſimū ardorem, & in ſulphure fœtidiſſimum ardorem, & hinc argue, non tantùm calore animas apud inferos torqueri, ſed & fœtore. Luculenter hoc exprimit Ambroſius Ansbertus lib. 6. in Apocalypſim in Bibliothecâ veterum Patrum. *Sulphur autem quid aliud, quàm fomentum ignis eſt? Quod tamē ſic ignem nutrit, vt* FOETOREM PRAVISSIMVM *exhalet*. ET FOETOREM *igitur habet, & ardorem nimium obtinet, ac per hoc & ex igne* FOETOR, *& ex* FOETORE *ignis ſuccreſcit. Suffecerat enim ad intolerabilem poenam, ſi ſolus ignis exurens ſempiternus fuiſſet, etiam ſi* FOETOR *ſulphuris ignē non comitaretur. Rurſumque ſuffecerat ad poenale ſupplicium, ſi ſolus* FOETOR *ſulphuris adeſſet, etiamſi ignis æternus defuiſſet. Sed dignum eſt, vt illic ſimul ignis ardore, ac ſulphuris crucientur* FOETORE, *qui hîc, dum aduiuerent, ad peruerſa deſideria ex carnis arſerunt foetore*. Quid poterat ad rem noſtram accuratius apponi? Et igne cruciātur animæ apud inferos, & ſulphure, vt dum igne torquentur, inextinguibilem ardorem, dumque ſulphure mulctantur, intolerabilem patiantur fętorem.

Ambr. Ansb.

Virgilius inferorum foetorem agnouit.

3 Hanc poenam ſtatuerunt apud inferos & Poëtę, quare fingens Virgilius lib. 6. Æneidum Aeneam ad inferos, ducentibus Veneris columbis, deductum, ſtatim ac ad fauces Auerni aues peruenere, dixit eas indè migraſſe, atque ad arbores celeriſſimo volatu perrexiſſe

Indè vbi venere ad fauces GRAVE OLENTIS AVERNI,
Tollunt ſe celeres, liquidumque per aera lapſæ
Sedibus optatis geminæ ſuper arbore ſidunt.

Virgilius.

Duo hîc obſeruanda mihi videntur. Primum, quòd Auernus graueolens dicitur, ideſt grauem ac foetidum ardorem emittens. Alterum, quòd Columbæ indè celeriter migrauerunt, ne illo foetore necatæ vitam amitterent. Vtrumque

Iod. Aſcenſ.

autem obſeruat Iodocus Aſcenſius. *Poſtquam aues venere ad fauces Auerni olentis grauiter, quia* GRAVEM ODOREM EXHALAT *vſque adeò, vt è vicino aues ſuperuolare nequirent, & ideò celeres tollunt, ideſt erigunt ſe, & lapſæ per aera liquidum, ideſt purum, & defæcatum ab eo* ODORE GRAVI IPSIVS AVERNI, *ſidunt in ſedibus optatis*. Animaduerte Poetam quoque grauem pęnam intolerabilis fętoris apud inferos ſtatuiſſe.

Aues ab inferorum fœtore necatæ.

4 Quam pęnam item paulò infrà eodem libro commemorat alijs carminibus.

Spelunca alta fuit, vaſteque immanis hiatu
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris
Quam ſuper haud vllæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis, talis ſe ſe HALITVS ATRIS
FAVCIBVS *effundens ſupera ad conuexa ferebat.*

Virgilius.

Ad quæ ait Donatus. *Super hanc nullæ volucres poterant ſine pęnâ tranſire, illic enim moriebantur, & dicit cauſam, talis ſe ſe* HALITVS ATRIS FAVCIBVS *effundens*. Adeò fętidum halitum credidit Poëta ex atris inferorum ſpeluncis effuſum, vt auibus mortem intuliſſe dixerit, quæ forte propè hiatum volauerint, vndè patebat.

Donatus.

Grex porcorũ ſe in mare præcipitauit, ne fœtorẽ Dæmonum ſuſtineret.

5 Cùm ad regionem Geraſenorum Chriſtus perueniſſet, duo ei occurrerunt infęlices viri, quos Dæmones arripuerant, grauiterque torquebant. Metuentes autem immundi ſpiritus, ne Chriſtus ad infernum eos truderet, eum rogauerunt, vt ſibi permitteret gregem, qui tunc fortè aderat, inuaderet porcorum. Annuit Chriſtus, confeſtimque in immunda illa animalia abierunt, quæ illicò ſe in mare præcipitauerunt, & in aquis vltrò mortem oppetierunt. *At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare, & mortui ſunt in aquis*. Matth. 8. 32. Verùm quid miſera hæc animalia in mare abire, ſeque in aquis necare coëgit? Teterrimus, ac tartareus odor, quem ex Dæmonibus ſe inuadentibus infęliciter contraxerunt. Adeò ſcilicet porcos torquebat Dæmonum fętor, vt potiùs mortem vltrò ſubire, quàm illum tolerare voluerint. Diſco id ex D. Petro Chryſologo ſerm. 17. *Sic eſt* ODOR EIVS (Diaboli) *tartareus, & crudelis, vt eum nec porcorum natura ſufficeret ſuſtinere*. Adeò cruciauit Dæmonum ſętor gregem porcorum, vt maluerint ſuſtinere mortem, quam tam grauem tolerare odorem. O' grauiſſimam igitur Animarum Purgatorij pęnam, quæ Dæmones habentes in ſuis pęnis conſortes, foetorem tolerare coguntur, quem grex non potuit ſuſtinere porcorum.

D. Petrus Chryſologus.

Eccleſia thus adolens Deũ rogat, vt mortuorum animas à Purgatorij fœtore ad Paradiſi odorem transferat.

6 Huic miſeriæ occurrens Eccleſia, conſueuit, dum mortuorum exequias celebrat, igni thus imponere, & ex eo ſuauem odorem elicere. At quid mortuis hęc prodeſt ſuffumigatio thuris? Cur tam ſæpe in cœmeterijs thura cremantur, dum eccleſiaſticæ preces pro defunctorum animabus offeruntur? An ſacrum ineſt huic cæremoniæ myſterium, Deumque pia mater Eccleſia precatur, precibus vniens thuris gratum odorem, vt ille ſuâ pietate mortuorum animas, pro quibus rogat, à Purgatorij fœtore liberare dignetur? Hanc affert huius ritûs rationem Iodocus Clichtoueus ſerm. 2. in die Animarum. *Thurificatione rogatur Deus, vt eam* (Animam) A FOETORE PVRGATORII *eripiat, & in odorem Paradiſi transferat. Hinc plerumque in proceſſione pro defunctis, in coemeterijs fiunt thurificationes*. Adhibet Eccleſia in ſuffragijs, quæ mortuis impendit, ſuauem thuris odorem, vt hoc ritu ſignificet, ſe Deo preces offerre, vt defunctorum animas citò ab intolerabili Purgatorij fœtore ad ſuauiſſimum transferat Paradiſi odorem.

Iod. Clichto.

7 Et ſanè dignæ ſunt, vt preces pro eis effundantur, cùm moleſtiſſimum ex hoc fœtore contrahant cruciatum. Quis enim ignorat, quantâ miſeriâ pœna ſœtoris eos afficiat, quos infœliciter cruciat. Profectò Mezentius crudeliſſimus tyrannus tormentum ſuæ atrocitati magis congruum non inuenit, quàm tormentum fœtoris. Viuorum enim corporibus mortuorum cadauera vniebat, ſicque fœtore, ac tabe homines, quos oderat, longâ morte necabat. Quam quidem pœnam, tanquam cœteris omnibus atrociorem Virgilius exaggerat lib. 8. Æneid. his verbis.

Mezentij tormentũ atrociſſimum, quo fœtore cadauerum homines necabat.

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis
Componens manibuſque manus, atque oribus ora
(Tormenti genus) & SANIE, TABOQVE FLVENTES
Complexu in miſero longâ ſic morte necabat.

Virgilius.

Vbi Iodocus Aſcenſius ait. *Tormenti genus, exclamatio eſt, quaſi diceret, ò quale tormenti genus!* O' verè abominandum, & execrabile ſupplicium, quod omnia crudeliorum tormentorum genera excedebat, dum cadauerum fętore inauditâ ſæuitiâ viuentes torquebat.

Iod. Aſcenſius

Fœtoris pœna ſufficit ad obtinendam Martyrij coronam.

8 Pergo, & fętoris poenam adeò grauem eſſe affirmo, vt qui eam pro Chriſti fide ſuſtinet, martirij gloriâ, & coronâ decoretur. Inter fortes Chriſti commilitones, glorioſoſque Eccleſiæ martyres, enumeratur & Marcellus Romanus, qui à Conſtantio, & Galerio vſque ad Maxentium ſacras Pontificatûs infulas geſſit, Eccleſiamque ſanctiſſimè, inuitis tyrannis, gubernauit. Hic autem quærendum cenſeo, quodnam ſanctus hic Pontifex pro Chriſti fide tormenti genus tolerauerit. Nunquid capite carnificis gladio abſciſſo, vitam mortalem cum immortali commutauit? Nunquid cruci clauis affixus Chriſto crucifixo vitam ſuam crucifixus immolauit? Nunquid igne crematus diuini amoris ignem, quo flagrabat oſtendit? Nunquid tandem in mare demerſus ad Coelum euolauit? Nequaquam, ſed ad beſtiarum catabulum damnatus, locique foetore afflictus vitam amiſit. *Maxentius* (inquit Breuiarium Romanum die 16. Ianuarij) *in eam Eccleſiam catabuli beſtias transferri, & à Marcello cuſtodiri iubet, vbi* LOCI FOEDITATE, *multiſque*

Breuiar. Rom.

ci minis

tiſque ærumnis afflictus obdormiuit in Domino. Aduerte graue fœditatis, ac fœtoris tormentũ, quod ſuſtinens glorioſus Pontifex Marcellus martyrij coronam promeruit.

Foetoris poena, cætera martyrũ tormenta interdum ſuperauit.

9 Quid? Quòd cætera Maryrum tormenta vnica interdum fœtoris pœna ſuperauit? Deſcribit Victor Vtic. lib. 2. de perſecut. Vvandalicâ in Bibl. vet. Pat. ærumnas, quibus Chriſti confeſſores ab Hunerico tyranno crudeliter affligebantur. Recenſet carceris ſqualores, fuſtium percuſſiones, barbarorum contumelias, militum iniurias, iumentorum eſcas, aliarumque pœnarũ innumeras moleſtias. At pœnam, quæ cæteris omnibus grauior erat, loci fętorem, in quo habitabant, fuiſſe affirmat. Subdo eius verba. *Iactantur Confeſſores Chriſti ſuper inuicem, anguſtiâ coarctante, vnus ſuper alium, vt agmina locuſtarum, & vt propriè dicatur, vt grana pretioſiſſima frumentorum. In quâ conſtipatione ſecedendi ad naturale officium nulla ratio ſinebat loci, ſed ſtercora, & vrinam, vrgente neceſſitate, ibidem faciebant, vt ille tunc* Foetor, *& horror vniuerſa pœnarum genera ſuperaret*. An non lachrymas pœna, quam ex fœtore martyres iſti contrahebant, legentibus excitat? Cuius animũ tam atrox tormentum non flectit ad miſerationẽ? O' infœlicem fœtoris miſeriâ grauiùs, quàm cæterę omnes affligerent, quibus torquebantur, ſanctos martyres excruciantem.

Vict. Vticenſ.

Maiori poena Chriſtus itinere ad locũ Caluariæ, quàm in cæteris paſſus eſt, quia locus erat foetidus.

10 Poſtquam Iudæi Chriſtum flagellis cæciderunt, arundine percuſſerunt, ſputis conſpurcauerunt, ſentibus coronauerunt, alijſque opprobrijs affecerunt, multipliciter tandem illuſum ad Caluariæ locum, vt ibi eum crucifigerent, duxerunt. *Et venerunt in locũ, qui dicitur Golgotha, quod eſt Caluariæ locus*. Matth. 27. 33. Hoc iter Chriſti expendens in eius vitâ 2. par. cap. 62. Ludolphus Carthuſianus, ait maiorem ei pœnam, quàm cętera omnia itinera attuliſſe. Cur verò iſtud? An quia alijs itineribus ad ſimplices pœnas, hoc autem ad extremum ſupplicium, & ad mortem properabat? Minimè; ſed quia ad locum pergebat horrore, ac fœtore abominandum. *Iſta ductio fuit exprobroſior, & poenoſior inter omnes ratione loci, ad quem deduxerunt eum, qui horrorem præſtabat pariter, &* Foetorem. Maiori pœnâ iter ad Caluariæ locum, quàm alia itinera, Chriſtum affecit, quia ibi horroris eum tormentum cruciauit, ac fętoris.

Ludo. Carth.

Ciues Sodomæ igne, ac ſulphure puniuit, vt eos ardore mulctaret, ac foetore.

11 Antequam caput abſoluam, pęnam expẽdo, quâ Deus ciuium Sodomę peccata mulctauit. Protinùs ac Loth, Angelo ducente, à regione illâ eſt egreſſus, miſit Dominus de Cęlo ſuper illas infames vrbes ignem, & ſulphur, eaſque cum vniuerſis habitatoribus incendio ſubuertit. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de Coelo, & ſubuertit ciuitates has*. Gen. 19. 24. Placet hìc inquirere, cur Deus igne non contentus, voluerit etiam ſulphure has mulctare ciuitates. Nõnè ſine ſulphure ignis illas vaſtaſſet? Nonnè ſolum incendium eos peccatores interfeciſſet? Vt quid ergò præter ignem ſulphur etiam de Cęlo ad eorum excidium demiſit? Vt magis eos puniret, dum non tãtùm ignis ardore, ſed etiam ſulphuris illos torqueret fętor. Patronum aſſumo D. Greg. Magnũ lib. 4. dial. c. 46. *Super Sodomitas Dominus ignem, et ſulphur pluit, vt eos & ignis incenderet, &* Foetor Svlphvris Necaret. Vt peccatorũ, qui puniebantur, augeretur miſeria, non ſolo ignis ardore, ſed eos etiam punire voluit ſulphuris fętore. O' igitur miſeram Animarum Purgatorij, dum torquentur, conditionem, quæ igne, ac ſulphure mulctatæ, nedùm inenarrabili ardore purgantur, ſed etiam intolerabili fętore torquentur.

D. Greg.

CAPVT XII.

Poenas intuentes, quibus animæ propinquorum, & amicorum cruciantur, magis Animæ Purgatorij torquentur.

1 Paucæ ſunt Animæ in Purgatorio, quæ ibi alicuius aut propinqui, aut amici animam non habeant in pęnis conſortem, hocque magis earum afflictionem adauget, quòd non tantùm à propriâ, ſed etiam ab alienâ torqueantur miſeriâ. Nec enim modica eſt poena, quæ contrahitur ex propinquorum miſeriâ, & ex afflictione amicorum. Vt Deus Iſraëlitas ad legem, quam eis tradebat, obſeruandam timore quoque vrgeret, ſe dixit Dominum fortem patrum peccata in filios per plures generationes viſitantem. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me*. Exod. 20. 5. Dubium hìc oritur, cur propter patrum iniquitates filij, ac poſteri à Deo puniantur? An non poena conſequitur culpam? Cur igitur filij poenæ ſubiacebunt, qui paternæ culpæ conſenſum non præbuerunt? Cur dum parentes tantùm peccant, non etiam parentes tantùm puniuntur? Cur tandem patrum culpam filiorum pęna conſequitur, ac poſterorum? Vt filiorum pęna euadat pęna parentum, qui tunc valdè torquentur, cùm filios, ac propinquos cruciatos intuentur. Egregiè Petrus Comeſtor lib. in Exodum cap. 40. *Poteſt exprimi ſeueritas iuſtè iudicantis*, Gravivs Enim Pvnivntvr *peccantes, ſi filios pro ſe etiam videant puniri*. Augetur poena eorum, qui affliguntur, cùm ſecum cernunt affligi propinquos, ideòque vt parentum peccantium poenam redderet atrociorem, non tantùm eos, ſed & eorum poſteros Deus punire decreuit.

Punit Deus filios propter peccata patrum, vt magis torqueat patres.

Petr. Comeſt.

2 Quod profectò egit, cùm Sodomam, & Gomorrham, vniuerſoſque illarum vrbium habitatores igne ſuccendit. *Subuertit ciuitates has, & omnem circà regionem, vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia*. Gen. 19. 25. Vtiq; inter hos habitatores multi erant pueri, quos ra

Pueros Sodomæ incendio necauit, vt eorum patres magis affligeret.

tionis vſum nondùm habentes nullum infecerat peccatum. Vt quid igitur hos quoque incendium cũ cęteris consũpſit, ac veluti ſi peccata patraſſent, celeri, atque horribili morte mulctauit? An vt eorum parentes, qui peccauerant, grauiùs affligerentur, dum præter propriam, filiorum quoque, quos flammæ cruciabant, cernerent miſeriam? Hanc affert rationem Abulenſis *Iſti* (pueri) *non mortui ſunt ſic pro peccato ſuo, ſed pro peccato parentum ſuorum, quia patres mali, cùm naturaliter diligant filios ſuos, ſicut boni patres,* AMARISSIMÈ CRVCIANTVR, *cùm filios ſuos mori vident.* Cruciando filios innocentes, patres puniuit delinquentes, qui enim torquentur, magis cruciantur, ſi ſecum propinquos quoque cruciari cernant.

Abulenſis.

Agar ſub arbore morientẽ abiecit puerũ, ne videns eum cruciatũ atrociùs torqueretur.

3 Hanc ob cauſam Agar ancilla Saræ cùm ab Abraham eiecta diù erraſſet in ſolitudine, ac aquam conſumpſiſſet, quam habebat in vtre, ſitientem puerum ſub arbore abiecit, abienſque fletui vacauit. *Cùmque conſumpta eſſet aqua in vtre, abiecit puerum ſubter vnam arborem, quæ ibi erat.* Gen. 21. 15. Nonnè crudelis hæc mulier apparuit, quæ in tantâ calamitate puerum abiecit? Cur potiùs eum cernens tormento ſitis adeò cruciatum, dum non poterat aquam præbere, ſaltem blandis, ac maternis allocuta non eſt verbis? Cur morientem deſerens filium, verborum quoque ſolatia ei negauit? Non crudelis in filium, ſed in ſeipſam pia id egit, ne cruciatibus præſens, quos moribundus præ ſitis ardore tolerabat puer, maiori torqueretur poenâ, dum præter propria, filij quoque tormenta videret. Audiendus hìc Abulenſis. *Abiecit puerum, ne videret ſigna cruciatûs pueri in exitu animæ, in vultu, & voce, &* EX HOC MVLTVM AFFICERETVR. Nimis anguntur, qui habent in ſuis poenis patientes propinquos, & conſortes, quare vt hos angores Agar vitaret, noluit ſiti deficiens morientis filij tormenta videre, ſed illum ſub arbore abijciens aliò migrauit.

Idem.

Beatæ ſteriles in obſidione Ieroſolyma dictæ ſunt, quia filiorum miſeriâ non torquebantur.

4 Ducebatur Chriſtus crucem baiulans ad ſupplicium, cùmque multa populi turba eum ſequeretur, vidit inter cęteros nonnullas mulieres, quæ pietate ductæ lamentabantur, & piè in eius morte plorabant. Ad iſtas autem conuerſus, dixit, vt ſuper ſeipſas, ſuperq; filios ſuos plorarent, quia tempus imminebat, quo beatę ſteriles, & quę nunquam genuerunt fœlices dicerentur. *Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt.* Luc. 23. 29. Quo pacto ſteriles Hebræorum mulieres erant beatæ dicendæ, apud quos opprobrij loco ſterilitatem vxoribus obij ciebant? Quomodo quæ non genuerunt fœlices erant appellandę, cùm ſine foecunditate fælicitatem haberi non poſſe putarent? Loquebatur Chriſtus de tempore, quo Ieruſalem ab hoſtibus Romanis diuturnâ obſidione affligenda, multiſque miſerijs erat pro patrato in Chriſtum ſcelere cruciãda. Beatas autem tunc dixit ſteriles mulieres appellandas, quia tunc tantummodo ſuâ, non verò filiorum, quos non genuerant, miſeriâ cruciarentur. Duplici namque cruciatu, quæ genuerant erant affligendæ, pœnas proprias, & inſuper filiorum tormenta intuentes. Hunc verbis Chriſti ſenſum tradit Dionyſius Carthuſianus. *Ideò tunc foeliciores reputabantur, qui abſque prole fuerunt, quàm prolem habentes, quoniam minor fuit eis cauſa moeſtitiæ,* CVM SOBOLEM NON HABERENT, CVIVS INTVERENTVR MISERIAS. Adeò miſerum eſt propinquos habere in miſeriâ, poeniſque conſortes, vt foelices, ac beati cenſeantur, qui propriâ tantummodo miſeriâ torquentur, eorum comparatione, qui propinquorum quoque afflictione cruciantur.

Dion. Carth.

Mater Machabæorum ſepties martyr, quia ſeptem filiorum tormenta dũ martyrium ſubiret, conſpexit.

5 Iurè igitur Euſebius Emiſſenus in Bibliothecâ veterum Patrum homil. 4 de Epiphaniâ poenas expendes, quibus Machabæorum mater pro diuinæ legis obſeruatione occubuit, ſeptem martyria virili pectore antequam moreretur, illam conſummaſſe affirmat. Cùm enim ſeptem filios antè oculos ſuos crudeliter cruciatos, impièque diuerſo mortis genere immaniter a tyranno mactatos conſpexiſſet, adeò atrocem poenam ſuſtinuit, vt quot vidit filiorũ funera, tot ſuſtinuerit antè ſuum martyrium martyria. *Nouo genere gaudia doloris metit, ac* SEPTENA MARTYRIA *vnius pectoris virtute conſummat.* Vt magis tyrannus matrem torqueret, antè oculos eius filios cruciauit, vt ſepties antè martyrium martyr, priùs alienâ torqueretur, ac deindè propriâ cruciaretur miſeriâ.

Euſ. Emiſſen.

Niobe filiorũ morte dum pœnas lueret à dijs valdè afflicta.

6 Hìc ea quadrant, quæ Niobe contigiſſe fabulatur Ouidius lib. 6. metamorphoſeô, quam vt Dij ſeueriùs ob contumaciam punirent, ſeptem filios, totidemque filias, & inſuper virum in oculis eius interemerunt, quapropter tot infortunijs afflicta diriguit, atque in ſaxum verſa, poſt poenas datas in filijs, vltima in ſeipſâ pęnas infœlix luit.

Exanimes inter natos, nataſque, virumque
DIRIGVIT MALIS, nullos mouet aura capillos
In vultu color eſt ſine ſanguine, lumina moeſtis.
Stant immota genis, nihil eſt in imagine viuum.

Ouidius.

Vbi Raphaël Volaterranus hæc habet. *Inter filios mortuos rigida, ac dura eſt facta, infortunijs, ac* LIBERORVM ACERBISSIMA MORTE. Non tantùm ſuis, ſed etiam viri, ac filiorũ poenis eam Dij mulctauerunt, vt atrociùs torqueretur, propinquos habens in ſuâ morte conſortes. Vndè ſemetipſam antequam ſaxi rigor eius linguam impediret ſepties dixit efferri, cum ſeptem ſepeliendi efferrentur eius filij.

Raph. Volat.

PER FVNERA SEPTEM
EFFEROR, exulta, victrixq; inimica triumpha.

Adeò enim filiorum morte cruciabatur, vt antè mortem ſibi vnà cum eis efferri videretur. Vndè

idem

Digitized by Google

idem Volaterranus. *Videbatur ſibi Niobe vnà* Cvm Filiis Efferri. Vides quàm dirè homines crucientur, dum non tantum propriâ, ſed etiam propinquorum miſeriâ cruciantur?

Diues rogauit Abraham vt ad fratres ſuos mortuũ mitteret, ne ad infernum deſcenderẽt, quia magis cruciari, eos habent in pœnis conſortes motuebat.

7 Ad ſacra redeo, & diuitem adeo, qui quotidie viuens epulabatur ſplendidè, mortuus verò in Inferni flammis cruciatus eiulabat. Hic Lazarum in Abrahæ ſinu conſpiciens gaudentem, cùm impetrare non potuiſſet ab eius digito refrigerium, rogauit Abraham, vt ſaltem aliquem ex mortuis ad ſuos fratres mitteret ab inferis, qui eis tam atrocia ſupplicia explicaret, ne ipſi quoque ad pœnas, quas ipſe patiebatur, venirent. *Et ait, rogo te pater, vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Luc. 16. 28. Quis non miratur, audiens hæc verba hominis ad infernum damnati? Nunquid charitatis ardore flagrant pectora damnatorum, vt ad infernum viuentes non venire procurent? Nunquid peccatorum expetunt conuerſionem, vt ad eos etiam ab inferis concionatores mitti peroptent? Nunquid tandem qui Deum odio habent, homines amore proſequuntur? Non vtique; nec enim vt bono conſuleret fratrum, ſed vt ſuum maius tormentum vitaret, eos ad infernum non venire optabat. Valdè namque aucta fuiſſet eius pęna, ſi propinquos habuiſſet in infernalibus tormentis infœlices conſortes. Accinit D. Gregorius in catenâ his verbis. *Notandum eſt ardenti diuiti, quanta ſupplicia cumulantur ad poenam, namque ſua ei cognitio ſeruatur, & miſeria, cognouit enim Lazarum, quem deſpexit, & fratrum ſuorum meminit, quos reliquit, vt enim peccatores in ſupplicio ampliùs puniantur, & eorum vident gloriam, quos contempſerunt, &* De Illorvm Poena Torqventvr, *quos inutiliter amauerunt.* Animaduerte illos, qui cruciantur, magis torqueri, dum eos, quos diligunt, habent in tormentis cõſortes.

D. Gregor.

Chriſti oculi valdè paſſi ſũt cùm amicos vidit ſecũ in ſuâ paſſione cruciatos.

8 Enumerans D. Thomas 3. par. quæſt. 46. art. 5. pœnas quibus Chriſtus in vniuerſis corporis membris eſt cruciatus, in capite ſpinis, in manibus, ac pedibus clauis, in vultu alapis, & ſputis, in tactu flagellis, in guſtu felle, & aceto, in olfactu fœtore, atq; in auditu blaſphemijs, ait eum fuiſſe afflictum. At quænam fuit oculorum eius pœna? Quod nam ſuſtinuit in viſu tormentum? Nunquid crucis lignum, ferreoſque clauos conſpiciens eſt afflictus? Nunquid ſæuos milites, impioſque intuens carnifices eſt cruciatus? Nequaquam, ſed maiorem his omnibus paſſus eſt afflictionem, cùm matrem, & Ioannem iuxtà crucem ſecum aſpexit dolentes. *Secundùm viſum* (fuit paſſus) *videns matrem, & diſcipulum, quem diligebat, flentes.* Hæc fuit atrocior oculorum Chriſti pœna, quam ſuſtinuit, propinquos aſpiciens in ſuâ paſſione ſecum dolentes, & cruciatos.

D. Thomas.

Hic dolor omnes alias Chriſti pœnas ſuperauit.

9 Hanc pęnã ipſa Chriſti mater in reuelationibus S. Birgittæ lib. 1. c. 10. teſtata eſt, dixitq; cruciatum, quẽ ex amicorum dolentiũ cõſpectu habuit, cæterarum omnium viciſſe amaritudinem pœnarum. *Cùm filius meus his doloribus circumſeptus, reſpexit ad amicos ſuos flentes, qui maluiſſent illam poenam in ſe cum auxilio eius pertuliſſe, vel in æternum in inferno ardere, quàm cum ſic videre cruciari, dolor ille ex amicorum dolore* Omnem Amaritvdinem, Et Tribvlationem, *quam, vel in corpore, vel in corde ſuſtinuit,* Excedebat, *quia tenerè diligebat eos.* Quid luculentius? Quid exaggeratius? O dolorem ingentem, qui ex amicorum ſecum dolentium cruciatu oritur, qui Chriſtum ita cruciauit, vt omnes, quas vel in corpore, vel in animâ ſuſtinuit, pœnas ſuperauerit.

D. Birgitta.

Ratione huius doloris matrem ſuam Ioanni commendauit.

10 Hinc factum eſt, quòd idem Chriſtus in cruce pendens, matrem ſuam Ioanni commendauit, eique tanquam matrem cuſtodiẽdam tradidit, atque honorandam. *Cùm vidiſſet ergò Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ, ecce filius tuus, deindè dicit diſcipulo, ecce mater tua.* Ioan. 19. 27. Cur enim hæc verba protulit, niſi vt matrem conſolaretur in eius paſſione dolentem? Non minorem quippè illi dolorem mater cruciata, quàm crux afferebat, ideòque blandis verbis illam eſt allocuta, eamq; diſcipulo, quem diligebat, vt eam tanquam matrem diligeret, conceſſit. Subdo pia verba Ludolphi Carthuſiani lib. de vitâ Chriſti par. 2. cap. 63. *Eructauit os tuum verbum bonum, cùm diceres, Mulier ecce filius tuus. Cruciat te Domine Ieſu Crux tua, ſed* Non Minvs Mater Tva. *Cruciat te dolor tuus, ſed* Non Minvs Dolor Eivs. Acerbiſſima eſt pœna, quam ſuſtinent, qui propinquos, & amicos habent in ſuis pœnis conſortes, vndè non minùs Chriſtum mater cruciata, quàm crux eleuata torquebat.

Ludo. Carth.

Vt Aeolus filia inceſtum atrociùs puniret, cum eâ filiũ mors præcepit.

11 Caput abſoluo, illudque profani authoris narratione ſigillo. Refert Ouidius Epiſt. 11. quã Canace ſcripſit Macareo, pœnam, quâ Æolus illius pater, patratum inceſtum mulctauit. Miſit namque illi per ſatellitem gladium, quo ſemetipſam interficeret, ſed priùs filium ex eâ natum coram illâ iuſſit in ſyluas à feris laniandum deferri, vt magis mater torqueretur, dũ moriens filium quoque aſpiceret morientem. Hinc eam Poëta priuſquàm moriatur hęc inducit loquentẽ.

Ouidius.

Quid mihi tunc animi credis germane fuiſſe?
Nam potes ex animo colligere ipſe tuo
Cùm mea me coram ſyluas inimicus in altas
Viſcera montanis ferret edenda lupis.
Exierat thalamo, tunc demùm pectora planxi,
Contigit inque meas vnguibus ire genas.
Intereà patrius vultu moerente ſatelles
Venit, & indignos edidit ore ſonos.
Aeolus hunc enſem mittit tibi (tradidit enſem)
Et iubet ex merito ſcire, quid iſte velit.

Obſerua Æolum non gladio tantùm, ſed intuitu quoque miſeriæ filij Canace filiam cruciare voluiſſe; agnoſcebat nimirùm infœliciſſimè illos torqueri, qui ſecum in ſuis miſerijs cruciatos aſpiciunt propinquos. Dum ergò tam atrociter

hominès torquentur, dum propinquos, & amicos, in ſuis habent miſerijs conſortes, & cruciatus intuentur, hinc ſequitur, quòd pœnas intuentes, quibus animæ propinquorum, & amicorum cruciantur, magis Animæ Purgatorij torqueantur.

CAPVT VII.

Nullis conſolationibus Animarum Purgatorij pænas leuiri probatur.

Spes beatitudinis Purgatorij animas affligit.

1 ADcò triſtis eſt, ac pœnalis Purgatorij locus, vt in eo gaudia ipſa tormenta fiant, & conſolationes tribulationes euadant. Quod vt ordinatè probem, quinque rationes expendo, vndè conſolationem aliquam Animæ Purgatorij poſſent accipere; hæ autem ſunt ſpes certa beatitudinis, Dei propinquitas, habitus Gratiæ, breuitas pœnarum, ac viſitatio Angelorum. Ex his autem omnibus, non conſolationes, ſed grauiores Animæ Purgatorij eliciũt afflictiones. Et quidem vt à ſpe beatitudinis exordiar, quis ignorat ſapientis eſſe ſententiam, quòd *ſpes, quæ differtur, affligit animam?* Prou. 13. 12. Cùm igitur ſpes, quam habent animæ Purgatorij æternæ beatitudinis diù differatur, eas non conſolabitur, ſed affliget. Ideòque non de calice vini meri, qui repletur iucunditate, ſed de potione mixtâ bibunt, quæ pœnalem inuoluit expectationem. Quare hùc flectit Hugo Cardinalis verba illa Pſal. 74. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Calix,* inquit, *in manu Domini vini meri, quantùm ad ſanctos, qui ſunt in patriâ, plenus autem mixto, quantùm ad ſanctos, qui ſunt in viâ, & in* PVRGATORIO, *quia gaudium, quod habent de fœlici expectatione non eſt merum, quia ſecũdùm quod dicitur Prou. 13. Spes, quæ differtur, affligit animam.* Non conſolationem ſpes, quæ differtur, ſed affert afflictionem, quapropter expectatione, ac ſpe beatitudinis non conſolantur, ſed atrociùs Animæ Purgatorij cruciantur.

Hugo Card.

Adam Paradiſo propinquus ingemiſcebat.

2 Pergo, & Dei propinquitatem expendo; propè enim eſt, vt veniat tempus earum, & dies illarum non elongabuntur. Verùm neque ex hac propinquitàte vllam eliciunt in ſuis pœnis conſolationem, quinimò ex eâ maiorem contrahunt afflictionem. Adam poſt peccatum de Paradiſo Deus eiecit, vt qui peccans amiſerat Deum, pro peccato mulctatus amitteret Paradiſum. *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de quâ ſumptus eſt.* Gen. 3. 23. Verùm quò miſerum hominem miſit, dum eum de Paradiſo emiſit? An iuſſit ei, vt à delieiarum horto abeſſet, eumque ampliùs intueri non auderet? Nequaquam; at eum non longè, ſed propè Paradiſum collocauit, vt magis torqueretur, dum amœniſſimo loco propinquus, eo frui non liceret. Audi Oleaſtrum. *Aduerte Deum poſt peccatum, hominem extrà Paradiſum, &* ANTÈ, NON LONGÈ *collocaſſe, vt quoties antè ſe locum videret amoeniſſimum, & ſe eo priuatum* INGEMISCERET. Torquebat hominem, eiuſque gemitum eliciebat propinquitas Paradiſi, quia quò propinquiorem habent homines Paradiſum, eò atrociùs, ſi forte illo frui non liceat, excruciantur.

Oleaſtr.

Lazarus lumini opulenti propinquus magis torquebatur.

3 Splendidè quotidie homo diues epulabatur, antè ianuam autem domûs eius Lazarus iacebat mendicus, qui cupiens de cadentibus micis ſaturari, nec eas poterat ab heluone impetrare. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam, eius vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſâ diuitis.* Luc. 16. 20. Hæc expendens D. Ioannes Chryſoſtomus in catenâ, obſeruat grauiorem fuiſſe Lazari pęnam, eo, quòd antè ianuam diuitis iacens, bonis propinquus erat, quibus frui non ei licebat: excreſcit namque grauitas poenæ illius, qui aliquo bono priuatur, cùm illud non poteſt impetrare, licet ſibi propinquum. *Pauperi, dum viueret, grauiorem pænam reddebat* IACERE ANTÈ IANVAM *diuitis & aliena bona proſpicere.* Hoc eſt, quod reddebat grauiorem mendici Lazari poenam, quòd antè ianuam domûs opulentæ iaceret, nec tamen ei bonis illius frui liceret. Hocque idem maximè animarum Purgatorij poenam adauget, quòd antè ianuam Paradiſi iaceant, nec tamen adhuc bonis, quæ ibi fęliciter abundant, frui valeant.

D. Io. Chryſ.

Martyrium grauiſſimum pauperes patiuntur, quia diuitijs propinqui eis nõ fruuntur.

4 Idipſum confirmare poſſum, præmium expendens, quod Deus paupertatem voluntariam eligentibus liberaliter promiſit, quod videlicet fuit regnum Coelorum. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Coelorum.* Matth. 5. 3. Præmium profectò idem cum eo, quod martyribus idem Chriſtus eodem loco promiſit. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Coelorum.* Matth. 5. 10. Cur verò iſtud? Nunquid æquiparatur paupertas martyrio, vt eodem præmio remuneranda ſit cũ ipſo? Nunquid paupertas martyres eos facit, qui eam propter Chriſti amorem ſectantur? Vtique; nec enim martyrium poteſt excogitari grauius eo, quod patitur pauper, dum inter diuitias eget, inter epulas eſurit, inter veſtes alget, & cuncta bona ſibi habens propinqua, nulla fruenda conſequitur. Subſignat D. Bernardus ſerm. 1. in feſto omnium ſanctorum. *Quid ſibi vult, quòd eadem promiſſio facta eſt pauperibus, & martyribus, niſi quia veri martyrij genus paupertas voluntaria eſt? Beatus vir, ait Propheta, qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in theſauris pecuniæ, Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Quid mirabilius, aut quod martyrium grauius eſt, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas, & pretioſas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter iſte appetitus?* Nulla grauior poena, quàm bona propinqua habere, eiſque frui non poſſe, ideòque martyres dicuntur pauperes, quia epulas, pocula, veſtes, ac cætera bona cùm habeant propinqua, eis non fruuntur. Expende hìc ergò quanta ſit Animarum Purgatorij poena, quæ

D. Bernard.

epulas cęleſtes, immortalitatis ſtolam, & Paradiſi diuitias propinquas habentes, eis frui non poſſunt. Profectò grauiſſimum propter hanc propinquitatem patiuntur martyrium.

Populus Iſrael aquas propinquas propter amaritudinem bibere non potens, magis cruciabatur.

5 Hoc martyrium figuratum eſt per pęnam illam, quam paſſus eſt populus Iſraëlita, cùm in Mara veniens, & ſitis dolore cruciatus, aquas exundantes ratione amaritudinis, quæ ipſis inerat, bibere non potuit. *Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ, vndè congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara, ideſt amaritudinem.* Exod. 15. 23. Vbi notat Origenes homiliâ 7. populum fuiſſe quidē valdè à ſiti cruciatum, ſed illud, quod eius cruciatum magis augebat, erat quòd cùm eſſent aquæ abundantes, & propinquæ, bibere non poterat, & in humorum abundantiâ eum amaritudo ſitire cogebat. *Ibi, vbi amaritudo, vbi ſitis, &* QVOD EST GRAVIVS, SITIS IN ABVNDANTIA AQVARVM, *ibi poſuit ei Deus iuſtitias, & iudicia.* Grauiùs populus torquebatur, quia cùm aquas haberet propinquas, propter amaritudinem ſitire cogebatur. Hinc etiam grauiſſimè animæ, quæ purgantur, torquentur, quia cùm perennes Paradiſi fontes ardentiſſimè ſitiant, *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.* Pſal. 41. 3. ex eis propter amaritudinem poenarum Purgatorij bibere non poſſunt, & in cæleſtium deliciarum abundantiâ, quas adeò propinquas habent, ieiunæ, ac ſitientes, magis, ac magis Tantali non fabuloſâ, ſed reali pęnâ in inferis cruciantur.

Origenes.

Qui Dei gratiâ præditi ſunt grauiſſimè torquentur, cùm Dei præſentiâ priuantur.

6 Sed iam me gratia vocat, quâ præditæ animæ Purgatorij non conſolantur, ſed potiùs magis cruciantur. Cùm dominus populo dixiſſet per Moyſen, ſe cum eo non profecturum, omnes luxerunt, & Moyſes præ cæteris afflictus, his verbis ad eum clamauit. *In quo enim ſcire poterimus ego, & populus tuus inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcū, vt glorificemur ab omnibus populis, qui habitant ſuper terram.* Exod. 33. 16. Animaduerte Moyſen teſtari ſe cum populo ignorare, an ſint in gratiâ Dei, dum ſecum Deum eis non licebat habere præſentem. Adeò enim torquetur, qui Dei præſentiâ priuatur, vt non appareat, an ſit in gratiâ, licet Dei gratiam habeat, eiuſque amicitiam retineat. Rectè Abulenſis. *Dicit Moyſes, quòd non apparet, quomodo ipſe, & populus eſſent* IN GRATIA DEI, *ſiue quòd inueniſſent* GRATIAM *antè oculos eius, niſi hoc faceret.* Torquentur, qui Dei gratiâ præditi ſunt, cùm Dei præſentiâ priuantur, adeòque grauiter hæc eos priuatio torquet, vt nec appareat eos in gratiâ Dei eſſe, cùm eâ, veluti ſi eſſent inimici, cruciantur.

Abulenſis.

In animabus Purgatorij gratia militat ad pœnam.

7 Lamentatus eſt Chriſtus doloribus inferni ſe in ſuâ circumdari paſſione. *Dolores inferni circumdederunt me.* Pſal. 17. 6. At quo pacto doloribus inferni circumdabatur, dum ille qui dolebat, Dei gratiam ab animâ ſuâ inſeparabilem habebat? Nunquid cum gratiâ Dei dolores poſſunt ſubſiſtere inferni? Vtique, ſi pro doloribus inferni grauiſſimos Paſſionis Chriſti dolores intelligamus expreſſos. Chriſto enim patienti gratiæ plenitudo, quin & gloriæ fruitio non profuit ad conſolationem, ſed militauit, ita Deo diſponente, ad poenam. Adſtipulatur B. Laurentius Iuſtinianus lib. de triumphali Chriſti agone cap. 10. *Altiſſimo diuinitatis conſilio actum eſt, vt tota diuinæ fruitionis gloria in eo militaret ad poenam.* Non Chriſtum fruitionis gloria cōſolatus eſt patientem, ſed in eo ad maiorem poenam militauit, infernique doloribus eum cruciari permiſit. Si ergò in Chriſto patiente Dei gratia, & gloria militauit ad poenam, cur eadem gratia Purgatorij animarum poenas non augebit? Vtique, dum ſe Dei gratiâ pręditas iiſdem poenis cernunt cruciari, quibus inimici Dei torquentur, maiorem contrahunt ex iſtâ conſideratione afflictionem.

B. Laurentius Iuſtinianus.

Cùm Diabolus modicum tempus habet atrociùs torquet.

8 Tranſeo ad breuitatem poenarum, & probo Animas Purgatorij conſolationem ex hac non accipere, ſed grauiùs propter eam vexari. Prælium magnum factum eſt in Coelo inter Michaëlem, & Draconem, & illo cum Angelis victore, Draco, ciuſque ſectatores proiecti ſunt in terram. Illicò autem vox audita eſt, quæ Coelo gaudium annuntians, terræ, ac mari, eiuſque habitatoribus poenas, ac tribulationes prædixit. *Lætamini Coeli, & qui habitatis in eis. Væ terræ, & mari.* Apoc. 12. 12. Quòd ſi ratio quæratur, cur hæ hominibus annuntientur tribulationes, ſubditur. *Quia deſcendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quòd modicum tempus habet.* Quis huius afflictionis cauſam non miratur? Si modicum eſt tempus, quo Diabolus homines torquebit, potiùs eſt eis lætandum, & gaudendum, quàm triſtandum, ac dolendum. Nonnè hoc pacto celeriter eius imperium ceſſabit, ac citò poenæ quibus mūdum eſt afflicturus, finem habebunt? Cur ergò ratione breuitatis temporis, non lætitia, ſed triſtitia mundo annuntiatur? An quia cùm Diabolus modicum tempus habet, atrociùs, ac ferociùs eos cruciat, quos torquet? Hæc fuit mens Hugonis Cardinalis in hunc locum. *Habens iram magnam, ſciens, quòd modicum tempus habet, vndè* ARDENTIVS *ad debellandum graſſatur.* Excandeſcit, cùm modicum tempus habet, Diabolus, quòque breuius eſt tempus, quo cruciat, eò maiori ſeueritate, & atrociâ torquet. Torquet ſanè atrociter animas ad infernum damnatas, ſed atrociùs eas cruciat, quas in Purgatorio habet purgandas, nam cùm per totam æternitatem ſit illas afflicturus, modico tempore iſtas ei licet cruciare, quapropter ſciens, quòd modicum tempus habet, ardentiùs ad debellandum graſſatur.

Hugo Card.

Cùm ſe ab homine, quem arripuerat, expellendum eſſe agnouit, irâ & furore maiori eum vexauit.

9 Venerat Chriſtus ad regionem Geraſenorum, cùm homo ſtatim ei occurrit, quem Diabolus arripiens, infœliciter cruciabat. Vt autem ſenſit ſpiritus immundus Chriſti præſentiam, eum infęliciùs cruciauit, & voce magnâ clamauit. *Et clamans voce magnâ dixit, Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Marc. 5. 7. Miror, quòd Chriſto

præſente

Digitized by Google

præſente Diabolus nõ obmuteſceret, ſed cùm antea tacuiſſet, magnâ voce clamaret! Cur qui Chriſtũ adorat, verumq; Dei filium confitetur, corã eo non ſilet, atque à miſeri hominis, quem arripuerat, pœnis non deſiſtit? Ira, & furor eum clamare coëgit, ſciens namque ſe mox ab homine illo expellendum, atrociùs eum puniuit, & ad magnum clamorem inuitum prouocauit. Probè Albertus Magnus. *Clamans voce magnâ* Ex MAGNITVDINE IRAE, *& furoris, ſenſit enim iam ſe expellendum, & deſtituendum à poteſtate.* Ira, & furor Diaboli non modicè creſcit, cùm ſibi modicũ ſupereſſe tempus, quo nos affligat, cognoſcit, quamobrem, vt agnouit, ſe ab homine illo mox virtute Chriſti expellendum, maiori furore, ac irâ eum cruciauit, & magnâ voce clamare coëgit.

Alb. Mag.

10 Quod & egit, cùm ſe ab alio eijciendũ cognouit, quem ſurdum, ac mutum reddebat, & inſuper vbicumq; illum apprehendebat, miſerè allidebat. Nam cùm pater eius illum ad Chriſtum attuliſſet, ſtatim ſpiritus eum conturbauit, & in terram eliſum, ac ſpumantẽ volutauit. *Et cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illum, & eliſus in terram volutabatur ſpumans.* Marc. 9. 20. Cur autem adeò atrociter eum afflixit, niſi quia Chriſti ſentiens virtutem, ſe expellendum, ſibique modicum ſupereſſe tempus, quo illum torquere poſſet, prçuidit. Fauet Dionyſ. Carthuſianus. *Diabolus vexauit eum, videns enim dæmon ſe expellendum, fecit quod potuit.* Quodcumque potuit, fecit, vt hominem atrociùs affligeret, quem ſibi eripiendum paulò poſt cognouit, nam tunc ferocius ira Diaboli graſſatur, cùm modicum ſibi tempus, quo poſſit homines cruciare, ſupereſſe videt. Quod & confirmauit in Bibliothecâ veterum Patrum Chriſtianus Druthmarus his verbis. *Quòd autem in ipſâ horâ ampliùs eum cruciabat, ob hoc faciebat,* VT EXPVLSIONIS SVAE IRAM VINDICARET. Sæuit atrociùs, cruciatque Diabolus ferociùs, cùm ſæuiendi, & cruciandi modicum tempus habet, quare breuitas temporis, quo torquendæ ſunt Animæ in Purgatorio, eius iram magis irritat, atque adeò non conſolationem, ſed grauiora eis affert Diaboli atrociùs illas punientis tormenta.

Idem egit, cũ ab alio, quẽ reddiderat mutũ, & ſurdum, expulſus fuit.

Dion. Carth.

Chri. Druth.

11 Venio nunc ad Angelorum viſitationem, ex quâ videntur animę Purgatorij aliquam poſſe habere cõſolationem. Verùm nec propter hanc eius poenæ leniuntur. Comminatus Dominus Iſraëlitis, quòd propter eorum duritiam, & peruerſitatem cum eis non pergeret, omnes ornamentis depoſitis luxerunt, huncque dei ſermonem peſſimum exiſtimauerunt. *Audiensque populus ſermonẽ hunc peſſimum, luxit, et nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.* Exod. 33. 4. Obſeruandum eſt hìc, quòd licet Deus populo ſuam denegauerit prçſentiam, Angelum tamen, qui eum regeret, ac prçcederet, mittere promiſit. *Et mittam prçcurſorem tui Angelum.* Exod. 33. 2. Quare igitur populus audiens Angelum ſe in itinere comitem habiturum, conſolationem nõ accipit, ſed adhuc triſtis plorat, & in ſuo luctu, omne ornamentum deponens, perſeuerat? Quia torquebantur adeò atrociter, intelligentes, ſe Dei præſentiâ priuari, vt nullam ex Angeli viſitatione recipere potuerint conſolationem. Hùc flecto verba Lyrani. *Licet Dominus dixiſſet ei, quòd mitteret* ANGELVM *cum eis, hoc tamen non ſufficiebat Moyſi, niſi Dominus aſſiſteret ei.* Non ſufficiebat Angelus ad leniendam pœnam, quâ torquebantur Iſraëlitæ, cùm Dei præſentiâ priuabantur, quia qui hac præſentiâ priuantur, nullam ex præſentiâ Angelorum conſolationem recipere poſſunt.

Iſraëlitis, Dei præſẽtiâ priuatis nullam attulit Angelus conſolationem.

Lyranus.

12 Prædixit Angelus pœnam, quâ illi mulctandi erant, qui beſtiam, eiuſque imaginem adoraſſent, eoſque ait igne, ac ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum eſſe torquendos. *Hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne, ac ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum.* Apoc. 14. 10. Vides inter tormenta cõſpectum enumerari Angelorum ſanctorum? Angelorum quippè conſpectus animabus, quę pœnis inferorum torquentur, Deo ita diſponente, conſolationem non affert, ſed cruciatum adauget. Ad rem Gloſſa interlinearis. *In conſpectu Angelorum ſanctorum, vt viſâ eorum claritate tabeſcant.* Magis torquentur, qui in conſpectu Angelorum cruciantur, quorũ cùm vident gloriam, propriam magis deplorant miſeriam. Quare hinc ſequitur, quòd neque Animæ Purgatorij ex frequenti Angelorum viſitatione aliquam recipiant in pœnis conſolationem, cùm eorum tormenta, nõ poſſint, niſi precum, ac ſuffragiorum exhibitione minui. Dum igitur nec ſpes beatitudinis, nec Dei propinquitas, nec habitus gratiæ, nec breuitas pœnarum, nec demùm viſitatio Angelorum aliquam Animabus Purgatorij afferat conſolationem, iam ſatis, ni fallor, probatum eſt, nullis earum pœnas conſolationibus leniri.

Magis torquẽtur, qui in conſpectu Angelorum cruciantur.

Gloſſa Interl.

CAPVT XIV.

Defunctis, qui purgantur, viui ſuffragia debent; quia diuinâ gratiâ præditi, ſunt iuſti, & amici Dei.

1 Diuinâ gratiâ præditas, Deique amicas eſſe Animas Purgatorij quis ignorat? Igne quidem torquentur, ſed veluti aurum flammis purgandum, vt in Paradiſi ærariis reponatur, veluti thus igne cremandum, vt ad Cœlos euehatur, veluti Phœnix in rogo incenſus, vt ex incendio immortalem vitam conſequatur, & Eliam imitantes igneo curru ad cœlum attolluntur. Ad oppidum Bethaniæ Chriſtus iuit, vt Lazaro defuncto priſtinam redderet vitam, Marthamque occurrentem, ac plorantem conſolatus eſt, ei dicens, quòd frater illius à morte reſurgeret. Additque ſe reſurrectionem eſſe, ac vitam, adeòq; ſuos fideles mortuos etiam poſt mortem vitâ potiri. *Dixit ei Ieſus,*

Animæ Purgatorij Dei gratiâ præditæ ſunt, ac iuſtæ, & ideò noſtra ſuffragia eis debentur.

ſus,

ſus, *Ego ſum reſurrectio, & vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet.* Ioan. 11. 25. Quomodo ergò veri Chriſti fideles viuunt, & adhuc poſt mortem vitâ fruuntur, niſi ex eo quòd aut in Empyreo vita glorię, aut in Purgatorio vitâ gratiæ ſunt prædìti? Optimè Dionyſius Carthuſianus. *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet in animâ* VITA GRATIAE IN PVRGATORIO, *quouſque purgetur, & euolet, vitamque gloriæ ſortiatur.* Viuunt vitâ gratiæ mortuorum animæ, quæ torquentur in Purgatorio, ideòque hac etiam ratione viuorum ſuffragia eis debentur, nam, vt inquit D. Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 30. *Etſi omnibus debetur miſericordia, tamen* IVSTO *ampliùs.* Maior iuſtis, quàm cæteris miſericordia debetur, vndè cùm Animas Purgatorij iuſtas eſſe abſque vllâ dubietate agnoſcamus, magis etiam quàm cæteras noſtris eas ſuffragijs adiuuare debemus.

Dion. Carth.

D. Ambr.

2 Inſtruit Paulus Romanos, vt ſe totos à ſæculi vanitatibus abſtracti Dei obſequio exhibeāt; inter cætera verò, quæ illis commendat, de hoc etiam eos monet, vt ſanctorum neceſſitatibus cōmunicent. *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes.* Ad Rom. 12. 13. Vbi aduertit D. Thomas peculiariter Apoſtolum Romanos hortari, vt ſanctos charitate proſequantur, quia ſanctis, & iuſtis magis charitatis ſuffragia debentur, quàm cæteris. *Vtilius eſt ſubuenire* IVSTIS, *quia talis eleemoſyna fructuoſa eſt, non ſolùm ex parte dantis, ſed etiam ex ſuffragio recipientis.* Omnibus quidem eleemoſynæ, ac cætera charitatis obſequia ſunt conferenda, ſed tamen magis præcipuè iuſtis debentur, quàm alijs.

Iuſtis magis, quàm alys pietatis ſuffragia debeatur.

D. Thomas.

3 Timebant Apoſtoli rursùs in Iudæam ire, vbi paulò ante illos plebs lapidare voluerat, verùm Chriſtus eos confortans, omnem conatus eſt ab eis expellere timorem, dixitque ſe ire, vt mortuo vitam reſtitueret amico. *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, vt à ſomno excitem eum.* Ioan. 11. 11. Vt quid Lazarum Chriſtus ſuum appellauit amicùm? Nonnè id nouerant Apoſtoli, qui ſæpè cum Chriſto in eius domo fuerant hoſpitati? Cur ergò ſatis non fuit dicere, *Lazarus dormit*, ſed inſuper eius amicitiam, tanquam ſi loqueretur cum aliquibus, qui eam ignorarent, declarauit? Non otioſè id Chriſtus egit, ſed vt oſtenderet, neceſſarium eſſe mortuo Lazaro auxilium præbere, quia Dei amicus erat. Adſtipulatur aureis verbis D. Ioannes Chryſoſtomus in catenâ. *Propter hoc ergò dicit,* AMICVS NOSTER, *vt oſtendat neceſſarium ſuum aduentum.* Cùm mortui ſunt Dei amici, neceſſariò eis pietatis ſuffragia debentur, quare vt Chriſtus Apoſtolis indicaret, neceſſe eſſe Betbaniam pergere, ac vitam defuncto Lazaro miraculo reſurrectionis impertire, non Lazarum amicum tantùm dixit, ſed addidit Lazarum amicum ſuum eſſe defunctum.

Quia Lazarus Dei amicus erat, neceſſario adiuuari debebat.

D. Io. Chryſ.

4 Tabitham defunctam cùm viduæ lauiſſent, atque in cœnaculo collocaſſent, Petrum, qui non longè aberat, aduocauerunt, quem venientem confeſtim circumſteterunt, eique tunicas, & veſtes, quibus earum nuditatem mulier defuncta operiebat, oſtenderunt. *Et cùm aduenìſſet, duxerunt illum in cœnaculum, & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.* Act. 9. 39. Quid hac tunicarum, & veſtium oſtenſione Petro viduę iſtæ indicare voluerunt? An mulierem defunctam bonis operibus plenam fuiſſe, atque adeò dignam eſſe, vt Apoſtolicâ virtute ad priſtinæ reuocaretur munera vitæ? Hùc alluſit Dionyſius Carthuſianus. *Circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas, vt per hoc Petrum ad compaſſionem ſuā, & ad ſuſcitationem defunctæ inducerent.* Valdè cōducit ad pietatem hominibus ſuadendam, oſtendere gratiam, & iuſtitiam, quâ præditi ex hac vitâ migrauerunt, quod vt ſanctæ viduæ agerent, veſtes, ac tunicas, quas illis, dum viueret, charitate flagrans Tabitha faciebat, oſtenderunt Principi, quem vocauerant, Apoſtolorum. Quamobrem & D. Ioannes Chryſoſtomus homil. 21. in hunc locum. *Hic*, inquit, *impletur, quòd eleemoſyna liberet à morte.* Propter eleemoſynam, quam iuſta mulier viuens pauperibus viduis erogauerat, Petrum induxit ad reſtituendam ſibi vitam, nam ili ſunt à nobis mortui adiuuandi, qui bonis ac iuſtis operibus pleni deceſſerunt.

Vt Petrum viduæ ad ſuſcitationem Tabithæ inducerent, oſtenderunt eam Charitatis operibus plenā deceſſiſſe.

Dion. Carth.

D. Io. Chryſ.

5 Scribitur in libro Deuteronomij mors Moyſis, qui Deo iubente defunctus fuit, ſepultuſque dicitur in eiuſdem terræ valle contrà Phogor. *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terrâ Moab, iubente Domino, & ſepeliuit eum in valle terræ Moab contrà Phogor.* Deut. 34. 6. Hunc librum ſcripſit quidem Moyſes, ſed hoc poſtremum caput alius poſt illius mortem exarauit, vt rectè probat Abulenſis quæſt. 3. ex verbis illis, *Et non cognouit homo ſepulchrum eius vſque ad præſentem diem.* Quæ falſitatem includerent, ſi cùm hæc ſcribebantur, Moyſes viuus fuiſſet. *Iſta litera eſſet ſuperflua, & includens falſitatem, nam antè mortem Moyſi non erat ſepulchrum Moyſi, quod cognoſci, aut ignorari poſſet, ad quid ergò diceretur, Et non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem? Item quia falſitatem includit, nam cùm dicitur, quòd Moyſes ſcripſit hæc, præſupponitur viuens, cùm autem dicitur, quòd vſque ad diem, quâ ſcripta ſunt iſta, nullus hominum cognouit ſepulchrum Moyſi, præſupponitur Moyſes mortuus; ergò eſt vera contradictio.* Cōcludit igitur verba iſta libro fuiſſe à Ioſue addita, qui Moyſis miniſter ei ſucceſſit, illiuſque mortem, ac ſepulturam innoteſcere cunctis voluit. *Dicendum igitur neceſſariò, quòd alius poſt mortem Moyſi ſcripſerit iſtam literam, & licet aliqui dicant eam ſcriptam fuiſſe ab Eſdra, veriſimilius tamen eſt eam ſcriptam fuiſſe à Ioſue.* Poteſt autem quis hìc dubitare, quomodo cognouerit Ioſue Moyſen fuiſſe à Deo ſepultum, dum eum Deus occultè, ac nemine vidente ſepeliuit. An id cognouit, quia Prophetiæ dono præditus erat? Vtique, ſed tamen etiam ſine prophetiâ hæc veritas probabiliter attingi poterat, nam cùm Dei amicum

Ex eo, quòd Moyſes mortuus Dei amicus erāt, arguit Ioſue præſtita ei fuiſſe ſepulturæ officia.

Abulenſis.

cum

cum Moyſen fuiſſe conſtatet, nunquam Deus eum permiſiſſet ſine pietatis obſequijs iacere inhumatum. *Hoc aliquo modo prophetieè cognoſei debebat quantùm ad certitudinem, tamen poterat quodā alio modo cognoſci probabiliter ſine prophetiâ, nam eùm conſtet Moyſen mortuum eſſe, vt patet ex ſuperioribus teſtimonijs, & conſtet eum fuiſſe valdè* AMICVM DEI *ſuper omnes, qui præceſſerunt ipſum, ſatis innuitur, quòd non relinqueret eum inhumatum.* Mortuis, qui Dei amici deceſſerunt, pietatis obſequia debentur, quare poterat Ioſue arguere Moyſi mortuo præſtita fuiſſe vltima ſepulturæ officia, ex eo, quòd cū gratiâ, & Dei amicus mortuus erat.

Abulenſis.

6 Mortuum patrem Ioſeph in Ægypto multis lachrymis plorauit, & inſuper eius cadauer pretioſis aromatibus condiri præcepit. *Præcepitque ſeruis ſuis medicis, vt aromatibus condirent patrem.* Gen. 50. 2. Quòd ſi quæratur, cur hac ſolertiâ voluerit Ioſeph patris corpus condiri, prompta eſt reſponſio Dionyſij Carthuſiani, qui ait id eum egiſſe, vt ſancto genitori pietatē exhiberet maiorem. *Voluit corpus illud condiri, ne infrà tempus, quo eius ſepultura fuerat differenda generaretur vlla corruptio, quod etiam fecit honorando corpus* PATRIS TAM SANCTI. Sancto patri decebat ratione ſanctitatis peculiarem exhiberi pietatem, quia cùm mortui ſunt ſancti, maiori ſunt à viuis pietate proſequendi.

Ioſeph corpus patris aromatibus condiri præcepit, quia ſanctus erat.

Dion. Carth.

7 Ioſeph Arimathæo Chriſti cadauer ad ſepulturam flagitanti, ſtatim Pilatus, quod poſtulabat, conceſſit, iuſſitque Centurioni, vt corpus ei traderet humandum. *Et accerſito Centurione interrogauit eum, ſi iam mortuus eſſet, & cùm cognouiſſet à Centurione, donauit corpus Ioſeph.* Marc. 14. 45. Quo pacto Ioſeph tantâ facilitate Pilato ſuaſit, vt Chriſto ſepulturæ honorem permitteret? Quomodo ſtatim ac petentem præſes audiuit, eius petitionem exaudiuit? An id egit, vt virum iuſtum, & innocentem, quem damnauerat iniuſtè viuum, honoraret ſepulturâ defunctum? Hanc profectò affert rationem Lyranus in c. 19. Ioan. *Permiſit Pilatus, tùm propter reuerentiam petentis, tùm* PROPTER INNOCENTIAM CHRISTI PASSI. Cognouit gentilis præſes innocentes, ac iuſtos defunctos peculiari eſſe pietate honorandos, quare cùm perſpectam haberet innocentiā Chriſti, quem iniuſtè, ne odium contraheret Iudæorum, damnauerat, ſepulturæ honorem ei defuncto conceſſit.

Chriſto propter eius innocentiam Pilatus conceſſit ſepulturā.

Lyranus.

8 Virum Dei à falſo Prophetâ ſeductum, & contrà Dei præceptum in Ciuitate Bethel comedentem Leo, dum ad propria reuertebatur, interfecit, ſed interfectum non laniauit, nec deuorauit, imò eum aſſiduâ vigilantiâ cuſtodiuit. *Et ecce viri tranſeuntes, viderunt cadauer proiectum in viâ, & leonem ſtantem iuxtà cadauer.* 3. Reg. 13. 25. Vide feram humanarum carnium naturaliter auidam manſueſcere, corpuſque, quod interfecerat, non deglutire. Cur quæ ſæuierat ferox in Prophetam viuum, depoſitâ ferociâ eum cuſtodiuit occiſum? Iuſtificatus eſt ex pœnâ, quam tolerauit inobediens Propheta, vndè Leo, qui eū in vitâ interfecerat peccatorem, poſt mortem cuſtodiuit iuſtum. Adeſt Gloſſa Ordinaria. *Qui viuentem præſumpſit occidere, auſus non eſt contingere occiſum, quia is, cuius culpa in vitâ fuerat punitâ, erat iam* IVSTVS *ex morte.* Adeò verum eſt defunctos iuſtos miſericordiæ obſequia mereri, vt ipſæ quoque feræ naturalis feritatis oblitæ, quam poſſunt, eis pietatem impendant.

Leo Prophetā poſt mortem iuſtum cuſtodiuit.

Gloſſa Ord.

9 Expreſſit etiam, quàm debita ſit iuſtis defunctis viuorum pietas D. Paulinus Epiſtolâ ad Pammachium, dum eorum mortem dixit acerbum ſuperſtitibus imperare mœrorem. Mœrore namque pio ſunt proſequendi, quos nouimus ex hac vitâ deceſſiſſe iuſtos. *Ipſa meritorum illius reputatio, vt acerbum imperat mærorem ſuperſtiti, quia* IVSTVS DEFVNCTVS *relinquet pœnitentiam, ita & conſolationem vberem præſtat fideli, quia immortalitas in memoriâ iuſti.* Męror pietatis iuſtis debetur defunctis, ita vt viui, & conſolationem accipiāt, quòd cum iuſtitiâ deceſſerint, & pietatem exhibeant, vt ad Deum celeriter peruenire valeant.

Mæror pietatis iuſtis debetur defunctis.

D. Paulinus.

10 Hìc etiam ea quadrant, quibus D. Auguſtinus apud Gloſſam in cap. 2. Tobiæ ſepulchralia commendat obſequia, quibus iuſti honorantur defuncti. *Non ſunt contemnenda corpora defunctorum* MAXIMÈ IVSTORVM, *& fidelium, quibus tanquam organis, & vaſis ad omnia bona opera ſanctus vſus eſt Spiritus. Si enim paterna veſtis, & annulus charus eſt poſteris, quantò ergà parentes maior extitit affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ multò familiariùs, atque coniunctius, quàm qualibet indumenta geſtamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adiutorium, quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent, vndè & antiquorum* IVSTORVM *funera officioſâ pietate curata ſunt, exequiæ celebratæ, & ſepultura prouiſa.* Quid pro pietate iuſtis defūctis exhibēdâ poterat sāctus hic Pater ſiue aptiꝰ, ſiue clarius exarare?

Defunctorum maximè iuſtorum funera ſunt officioſâ pietate curanda.

D. Auguſt.

11 Sed nec deſunt profani authores hanc diſertis verbis veritatem aſtruentes. Dionyſium autem primò affero Halicarnaſſeum, qui lib. 8. Antiquit. Roman. memoriam Marcij defuncti adhuc poſt quingenteſimum annum in viuorum animis perſeueraſſe teſtatur. Cuius rei eam rationem aſſignat, quòd vir iuſtus, ac pius eſſet, taliſque ex hac vitâ deceſſiſſet. Iuſtorum quippè defunctorum memoria in viuorum animis debet vigere perpetua. *Memoria eius poſt quingenteſimum ab obitu annum nondùm euanuit, ſed noſtro quoque tempore ab omnibus decantatur, & prædicatur, vt* VIR IVSTVS, ET PIVS. Nunquam iuſtorum defunctorum memoria ex animis viuorum euaneſcere debet, ſed ſemper ſuperſtitum pietate ſunt honorandi, qui cum iuſtitiâ, & pietate decedentes obierunt.

Memoria Marcij non euanuit, quia vir erat iuſtus, & pius.

Dion. Hal.

12 His addo, quæ habet Plutarchus in Lycurgo, eum videlicet legem tuliſſe, vt nullius defuncti nomen monumento inſculperetur, niſi aut in bello ſtrenuè pugnans cecidiſſet, aut ſanctitate præditus occubuiſſet. Nouerat quippè vir ſapien-

Lycurgus ceterorum prohibuit, ſanctè verò defunctorum nomina monumentis incidi permiſit.

tiſſimus

tiſſimus defunctus iuſtos, ac ſanctitate præditos peculiari eſſe pietate honorandos. *Conditorio inſcribere non licebat nomen mortui, præterquàm viri, qui in bello, & mulieris, quæ* SANCTE' *fato conceſſerat*. Hominibus ſanctè defunctis peculiaris pietas debetur à viuis, quare, cùm reliquorum defunctorum nomina lapidibus inſcribi Lycurgus prohibuiſſet, eorum tamen, qui ſanctè vitam obijſſent memoriam, inſcriptionibus, ac titulis ſeruari præcepit.

Plutarchus.

Achilli, quia Dei amicus erat, ſolenniter eſt parentatum.

13 Poſtremo loco addo ea, quę Homer. Odyſſeâ poſtremâ affert, inducens animam Atridis cũ Achille de illius funere loquentem. Quod quidẽ ſuperbiſſimum fuiſſe pluribus enarrat; Rationem autem, cur tantâ ſit ei pietate parentatum, ex eo affert, quòd amicus deceſſerat Deorum; Deorum quippe amico magna debebat à viuis pietas exhiberi.

Homerus.

Iam quidem multorum ſepulchro virorum interfui
Heroum, quando aliquando mortui regis
Cinguntur que iuuenes, & parant certamina.
Sed illa maximè videns miratus fuiſſes animo,
Qualia in te poſuit Dea perpulchra certamina
Argentea pedibus Tethis: valdè enim AMICVS ERAS DEI.

Vides Gentiles quoque prudenter ſenſiſſe defunctis iuſtis, Deorumque amicis pietatem deberi viuorum? Cùm igitur Animæ Purgatorij iuſtæ ſint, & gratiâ præditæ, Dei amicæ deceſſerint, cur non eas pietatis ſuffragijs proſequemur, earumq; pęnas noſtris precibus lenire conabimur? Rectè dictum eſt defunctis, qui purgantur, viuos ſuffragia debere, quia diuinâ gratiâ præditi ſunt iuſti, & amici Dei.

CAPVT XV.

Quia non poſſunt Animæ Purgatorij mereri, noſtris ſuffragijs adiuuari merentur.

Nec opus, nec ratio, nec ſcientia eſt in Purgatorio ad merendum.

1 HOc etiam maximam Animabus Purgatorij affert afflictionem, quòd cùm tot opprimantur anguſtijs, nullum ex proprijs meritis ſuarum poſſunt miſeriarum recipere leuamentum, quare hac quoque ratione pietatis noſtræ ſuffragia eis debentur. Hortatur nos Sapiens, vt dum viuimus, quodcumque poſſumus operemur, quia nec ratio, nec ſcientia erũt apud inferos, quò dum morimur properamus. *Quodcumque facere poteſt manus tua inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſciẽtia erunt apud inferos, quò tu properas.* Eccleſiaſtis. 9. 10. Dubium hic non leue oritur, quomodo apud inferos, nec opus, nec ratio, nec ſcientia reperiantur? Nunquid Animas defunctorum ex inferorum tenebris tenebras contrahunt mẽtis, ita vt ad quamcumque operationem ſint ineptæ? Nunquid corporeis vinculis ſolutæ irrationales euadunt, vt ſine ratione eſſe dicantur? Nunquid ſcientiâ deſtituuntur, cùm à materialibus organis expeditæ multò plura intelligere deberent? Nequaquam. Et ſciunt, & diſcurrunt, & operantur apud inferos animæ defunctorum, at quia dum hæc agunt, mereri non poſſunt, ideò nec opus, nec ratio, nec ſcientia dicitur apud inferos eſſe. Hoc explicatu verba iſta donat Lyranus. *Nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos, ideſt in Lymbo Patrum, vbi deſcendebant omninò purgati antè Chriſti paſſionem, de quo tempore loquitur hîc Salomon, & in* PVRGATORIO, *vbi deſcendebant, & adhuc deſcendunt, qui deſcendunt in aliquibus purgandi. Iſta enim duo loca à Doctoribus dicuntur eſſe in parte inferni, & ibi non eſt opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia, ſcilicet* AD MERENDVM, *licet ibi ſint ad alia.* Licet operentur, cognoſcant, & diſcurrant Animæ defunctorum, nihil his omnibus proſsùs merentur, ac ſi nec opus, nec ſcientiam, nec rationem in Purgatorio haberent.

Lyranus.

Non laudant Deum mortui laude, quæ illis proſit ad meritum.

2 Hùc multæ ſacræ ſcripturę tendunt locutiones, quibus dicitur mortuos apud inferos Deum non laudare, nec ei confiteri. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum.* Pſal. 113. 17. *Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam?* Pſal. 87. 12. *Non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Pſal. 6. 6. *Quia non infernus confitebitur tibi.* Iſa. 38. 38. Et alibi paſſim verba ſimilia occurrunt. Quorum omnium ſenſum tradit Antonius Agellius in Canticum Ezechiæ, docens ex Cyrillo ab inferis non abeſſe confeſſionẽ, & laudem abſolutè acceptam, nam ibi quoque animæ iuſtorum Deum collaudant, ſed confeſſionem, & laudem, quæ ad confitentium, ac laudantium meritum proſint. *Cyrillus intelligit mortuos non adhuc laudare Deum, laude nimirum illâ, quæ* MERITVM *habeat*, NIQVA ENIM AVT BENE', AVT MALE' MERERI VITA FVNCTI POSSVNT. Hac etiam torquentur mortuorum animę in Purgatorio miſeriâ, vt licet Deo confiteantur, eumque collaudent, nulla ſibi ex illâ confeſſione, ac laude merita comparant, quibus pœnas lenire poſſint, quæ atrociſſimè illas excruciant.

Ant. Agellius

Vincta ſunt Animæ in Purgatorio, quia nullam habent merendi facultatem.

3 Hinc verba illa D. Pauli ad Hebr. 13. 3. *Mementote vinctorum, tanquam ſimul vincti,* Animabus Purgatorij aptat D. Bonauentura ſerm. de Animabus, quæ igneo in carcere mulctatæ, in eo quoque vinctæ apparent, quòd nullam habeant, quantumuis operentur, merendi facultatem. *Sicut vincula duriſſimi carceris auferunt facultatem operandi, libertatem ambulandi, poteſtatem liberè agendi, & inferunt neceſſitatem tolerandi, ſic* ANIMABVS PVRGANDIS *carcer* PVRGATORII *reddit* MERITVM IMPOSSIBILE, *iugum ineffabile, debitum inſolubile, incendium intolerabile.* Verè intolerabile incendiũ, quod nullis poſſunt extinguere meritis, cùm poteſtate merendi ſibi ablatâ, ſolùm alienis valeant adiuuari ſuffragijs.

D. Bonauent.

Requieſcũt à laboribus, quia fine laborib. ac iti merentur

4 Idipſum innuit vox illa de Cœlo, quã Ioannes audiuit beatos mortuos, qui in Domino moriuntur, appellantem; eos namque à laboribus

poſt

Digitized by Google

poſt mortem requieſcere ſignificauit. *Et audiui vocem de Cælo dicentem mihi. Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* Apoc. 14. 13. At quomodo à laboribus requieſcunt, qui in Domino moriuntur, cùm aliquid ſecum deferunt apud inferos purgandum? Nonnè laborant, cùm Dei viſione priuati, illius vultum intueri non poſſunt, quem in tenebris collocati peroptant? Nonnè laborant, cùm à Dæmonibus, donec purgentur, atrociſſimè cruciantur? Nonnè demùm laborant, cùm ardore, frigore, fœtore, alijſque innumeris pœnis torquentur? Cur igitur à laboribus poſt mortem requieſcere dicuntur? An quia, licet laborent, nullum tamen meritum eorum conſequuntur labores? Ita hunc locum explicat Abulenſis. quæſt. 681. in cap. 25. Matth. *Dicendum, quòd morientibus in Domino manent labores aliqui poſt hanc vitam, & ad authoritatem dicendum vno modo, quòd intelligitur de* LABCRIBVS MERITORIIS *ad gloriam, vel gradum gloriæ, & non de laboribus poenalibus ad purgandum, & verum eſt, quòd dum viuimus, nitimur opera multa bona facere, vt quantò plura fecerimus, tantò maior nobis gloriæ gradus detur, poſt mortem autem ceſſamus ab his laboribus, quia nulla operatio noſtra, aut aliena prodeſt nobis* AD MERENDVM GLORIAM. Laborant quidem Animæ defunctorum Purgatorij pœnis cruciatæ, ſed tamen à laboribus requieſcere dicuntur, quia nihil apud Deum ſuis laboribus merentur.

Abulenſis.

Dicũtur mortui non habere mercedem, hoc eſt facultatem eã merendi.

5 Quod Salomon voluit, cùm dixit mortuos non habere vltrà mercedem. *Viuentes enim ſciũt ſe eſſe morituros, mortui verò nihil nouerunt ampliùs, nec habent vltrà mercedem.* Eccleſiaſtis. 9. 5. Nec enim hæc verba ita ſunt intelligenda, vt nulla mortuis merces paretur, ſed vt nullam habeant merendi mercedem facultatem. Quæ ſanè miſeria viuorum animos ad magnam debet excitare miſericordiam. Appoſitè Vincentius Belluacenſis lib. 2. par. 1. diſt. 12. *Compatiendum eſt eis, quia quaſi mentibus irretiti non* POSSVNT OPERARI MERITORIA, *iam enim exierunt ſtatum merendi, & tempus eſt ſecundùm merita recipiendi, vndè ſcriptum eſt Eccl. 9. Mortui non habent vltrà mercedem, ideſt* FACVLTATEM PROMERENDI MBRCEDEM. Hac maximè ratione mortuorum animę noſtram merentur compaſſionem, quòd nullam ſibi mereri poſſuut mercedem.

Vinc. Belluac

Cùm nihil animæ Purgatorij poſſint mereri in maximâ ſunt mendicitate, vnde maiori debēt adiuuari pietate.

6 Explicat hoc D. Thomas ſerm. 1. de mortuis pauperum exemplo, quos cùm videmus valdè mendicos, libentiùs eis eleemoſynarum ſuffragia erogamus. Quis enim poterit vnquam pauperior inueniri defunctis, qui cùm in Purgatorio atrociſſimè torqueantur, diuinæ viſionis fęlicitatem eſurientes, & ſitientes, nullum ſibi poſſunt proprijs meritis comparare ſubſidium? Ergò eis libenter, ac magno ſtudio pietatis noſtræ ſuffragia ſunt eroganda. *Quando vident homines valdè mendicos, libenter faciunt eis eleemoſynas. Illi autem, qui ſunt in* PVRGATORIO, *ſunt in maximâ paupertate, quia* NIHIL POSSVNT MERERI, *cùm non ſint in ſtatu merendi.* Si quò ſunt homines pauperiores, ac in maiori miſeriâ conſtituti, maiora eis debentur pietatis ſuffragia, profectò Animabus Purgatorij, quas tanta cruciat miſeria, tantaque affligit paupertas, vt nihil ſibi merendo comparare poſſint, ardentiſſimâ pietate ſuffragari debemus.

D. Thomas.

Eò copioſior debet eſſe noſtra pietas, quò maior eſt eorum mendicitas.

7 Hanc mortuorum Purgatorij miſeriam, ac paupertatem declarauit Dauid, cùm eos in mendicitate vinctos appellauit. *Sedentes in tenebris, & vmbrâ mortis, vinctos in mendicitate, & ferro.* Pſal. 106. 10. Cur enim Purgatorij animas in mendicitate vinctas dixit, niſi quia diuinæ ſuis meritis non valent ſatisfacere iuſtitiæ? Eis ergò noſtram, & copioſam debemus impendere pietatem, quæ tam miſeram, ac infęlicem patiuntur mendicitatem. Audi Henricum de Vrimariâ ſerm. de mortuis. *Exiſtentes in* PVRGATORIO *habent ex ſe impotentiam ſatisfaciendi diuinæ iuſtitiæ per opera, quia* MERERI NON POSSVNT, *& ideò dicuntur eſſe in mendicitate, quia* DEFICIT EIS MERITORIVS ACTVS, *per quem deberent ſatisfacere diuinæ iuſtitiæ pro reatu delicti, & quantò in eis eſt mendicitas maior, tantò in ſubueniendo eis eſt pietas copioſior.* Mortuorum miſeriæ viuorum debet reſpondere miſericordia, ita vt cò copioſiorem Purgatorij Animabus exhibeant pietatem, quò maiorem, deficientibus meritis, earum agnoſcũt mendicitatem.

Henr. de Vri.

Miſeria, quâ mereri nō poſſunt diuinam erga eas excitat miſericordiam.

8 Et ſanè maximâ opprimuntur miſeriâ, dum vires habent adeò imbecilles, vt non poſſint ſibi mereri, quod ardentiſſimè optant. *Tertia miſeria,* inquit Hugo Florenſis ſerm. 2. de Animabus, *in* PVRGATORIO *eſt ex virium imbecillitate, quia* IBI NON EST TEMPVS MERENDI. Hic meriti defectus Animarum Purgatorij miſeriam auget, dumque miſeras illas reddit, miſericordiam alienam requirit. Hæc miſeria diuinam adeò excitat miſericordiam, vt propter eam Deus in earum adiutorium exurgere dicatur. Attendamus verba Dauidis. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus ponam in ſalutari.* Pſal. 11 6. Quænam eſt hæc inopum, ac pauperum miſeria, niſi animarum Purgatorij mendicitas, quâ omnium pauperum pauperrimę ſe non poſſunt ſuis meritis adiuuare? Propter hãc igitur miſeriam earum Deus miſeretur, alienam enim excitant miſericordiam, quæ adeò grauem patiuntur miſeriam. Audiendus idem Hugo Florenſis. *Dominus exurget ad liberationem animarum, & ſaluationem earum, compatiendo miſeriæ ipſarum, quòd* SE IVVARE NON POSSVNT. Hoc eſt, quo Animæ Purgatorij & diuinam excitant, & humanam quoque deberent excitare miſericordiam, quòd omni merendi facultate deſtitutæ ſuis ſe meritis non poſſunt adiuuare.

Hugo Flor.

Pro mortu [illegible]

9 Miſeriam hanc nobis propoſuit Sapiens, cùm dixit, *Suprà mortuum plora, defecit enim lux eius.* Eccleſiaſtici 22. 10. Quænam hæc eſt mortuorum lux, quæ defecit? Nunquid lux, quâ dum

adhuc

Digitized by Google

Tempus promerendi deficit.

adhuc viuerent, in mortali corpore ſulgebant? At non tanti eſt hæc facienda, vt ſit pro eius defectu valdè plorandum. Alia igitur hæc lux erit, cuius defectus adeò eſt à viuis plorandus, eamq; facultatem merendi ait eſſe Dionyſ. Carthuſ., quæ in mortuis deficit, quia mortis noctè adueniente, non ampliùs poſſunt nouis à meritis lumen accipere. *Defecit lux eius, id eſt ſtatus, & tempus* PROMERENDI *in eſinitum eſt, ideircò per opera pietatis ſuccurrendum eſt ei, vndè ait Saluator, Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis, & rurſùs, Venit nox, id eſt tempus poſt mortē, quando nemo poteſt operari, id eſt* MERITORIE *A*GERE. Ideò pro mortuis eſt piè plorandum, eiſque pietatis ſuffragia debent exhiberi, quia eorum luce deficiente, non poſſunt ampliùs mereri.

Dion. Carth.

Cùm animæ in Purgatorio captiuæ ſint meritis non poſſint ſe iuuare, debemus pro iis preces offerre.

10 Quis eſt verus, ac fidelis amicus, qui cum, quem amat, in captiuitate cernens conſtitutum, pro eo iudicem non adeat, vt preces pro illius liberatione effundat? Iacent in Purgatorij pœnis captiuæ Animæ defunctorum, nec ſe poſſunt vllo modo ſuis meritis adiuuare, quare igitur eorum propinqui, ac amici æternum iudicem ſuis precibus non adeunt, vt eis pietatis viſcera exhibere, illaſque à carcere adeò pœnali citò liberare dignetur? Audi Iodocum Clichtoueum ſermon. 2. in commemor. Animarum. *Quæ pro ſe non poſſunt preces offerre, aliorum ſaltem precibus abſoluantur, quemadmodum captiuus in carcere non poteſt adire iudicem, ſed amicus illius pro eo interpellat ipſum.* Sunt Animæ defunctorum in Purgatorio captiuæ, ideòque cùm ſuis non poſſint ſe meritis iuuare, debemus pro illis Deum noſtrarum precum ſuffragijs interpellare.

Iod. Clichto.

Ruth maiorē miſericordiā exhibuit marito mortuo, quàm viuo, quia mortuꝰ iuuare ſe non poterat.

11 Ac profectò magna erit noſtra miſericordia, dum animas noſtris precibus adiuuabimus, quæ ſe non poſſunt ſuis meritis adiuuare. Ruth Moabitidi nomen coniugis defuncti ſuſcitare poſtulanti Booz benedixit, eamque commendauit, quòd priorem miſericordiam ſuperiore ſuperaſſet. *Et ille Benedicta, inquit, es à Domino filia, & priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti.* Ruth. 3. 10. Priorem miſericordiam Ruth exhibuit marito viuenti, poſteriorem autem eidem impendit defuncto. Cur autem prætulit Booz pietati exhibitæ viuo miſericordiam impēſam mortuo? Quia illam Ruth exhibuit viro, cùm adhuc poterat ſe iuuare, iſtam verò ei exhibuit, dum facultate merendi amiſsâ, nihil poterat, quo ſe iuuaret, operari. Adeſt Lyranus. *Priorem miſericordiam vocat, quia benè ſe habuerat ad virum ſuum viuentem, & ad ſocrum ſuum, ſicut aud erat Booz à narrantibus. Secundam autem vocat bonum affectum, quem habebat ad ſuſcitandum nomen defuncti per matrimonium, & hæc vocatur maior primâ, quia maior miſericordia eſt benè ſe habere ad aliquem poſt mortem eius, quando non poteſt ſe iuuare, quàm dum adhuc viuit.* Maiorem exercuit Ruth miſericordiam, cùm marito mortuo pietatem exhibens, maiorem ſubleuauit miſeriam, tunc enim cum adiuuit, qui non poterat ſe ampliùs iuuare.

Lyranus.

Defectus facultatis merendi pœnas protendit in Purgatorio.

12 Figura extitit huius miſeriæ iter, quod Iſraëlitæ per deſertum ad promiſſionis terram peregerunt, quod ſanè quadraginta diebus perficere poterant, ſed quia contrà Deum, & Moyſen locuti ſunt, non niſi quadraginta annis poſt multos labores illud expleuerunt. Hoc idem Animabus Purgatorij contingit, quæ pœnam, quam per merita potuiſſent in hac vitâ breui temporis ſpatio ſoluere, diù in Purgatorio, meritis deficientibus, tolerare coguntur. Debetur id Vincentio Belluacenſi in ſpeculo morali diſtinct. 11. lib. 2. par. 1. *Fit eis, vt filijs Iſrael, qui ideò quòd malè ſe habuerunt in deſerto, viam, quam potuiſſent facere per quadraginta dies, perfecerunt per quadraginta annos, quia pœnam de quâ poſſet homo expedire, dum viuit in ſpatio vnius diei, protenditur in* PURGATORIO *per ſpatium vnius anni.* O' ingentem Animarum Purgatorij miſeriam, quarum pœnæ adeò defectu meritorum protenduntur. Verè tanta miſeria noſtram excitare deberet miſericordiam; nam cùm Animæ Purgatorij non poſſint mereri, noſtris merentur ſuffragijs adiuuari.

Vinc. Bellu.

CAPVT XVI.

Mortuorum Gratitudo ergà viuos, qui pietatem eis impendunt, declaratur.

Animæ Purgatorij miſericordiam, quā recipiūt, viciſſim rependunt.

1 MOrtuorum gratitudinem ergà viuos declaro, vt agnoſcentes homines vtilitates, quas ex ſuâ in eos pietate percipient, libentiùs, ac feruentiori ſtudio eam impendant. Hanc eorum gratitudinem verbis Chriſti ait Hugo Florenſis ſerm. 2. de Anibus, fuiſſe indicatam, quibus beatos declarauit miſericordes, eoſque miſericordiam conſecuturos prædixit. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Matth. 5. 7. Qui namque ſuæ miſericordiæ ſuffragijs Animas Purgatorij à pœnis eripiunt, earumdem Animarum miſericordiam, quæ pro ipſis fideliter, ac feruenter orant, proculdubio percipiunt, nec enim Animæ, quæ diuinâ gratiâ ſunt præditæ, poſſunt illis, qui eas adiuuare ſatagunt, eſſe ingratæ. *Quod nos debet monere ad rogandum pro fidelibus defunctis, eſt affectio conſimilis ſubuentionis, Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, iuſti enim noſtris ſupplicationibus liberati* NON POSSVNT NOBIS ESSE INGRATI, *cùm ſint in gratiâ confirmati, & ideò ſicut rogamus pro ipſis, ſic & ipſi rogabunt pro nobis ſi liberi ſunt, & fruuntur orationibus.* Gratiam, quâ Purgatorij Animæ ornantur, ſumma conſequitur gratitudo, quâ pro ſuis interceſſoribus deprecantur, eamdemque miſericordiam, quam recipiunt, ſuarum precum ſuffragijs viciſſim rependunt.

Hugo Flor.

2 Hùc flectere poſſumus verba, quibus Iudæ Machabæi pietas ergà defunctos in prælio milites

Salubris eſt

Cogitatio orādi pro defunctis, quia ab eis precum præmia obtinet.

commendatur. *Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* 2. Machab. 12. 46. Sancta eſt, quia ſanctitatem in ſe includit, ſalubris verò, quia ab Animabus Purgatorij præmia obtinet, pro quibus orationes effundit. Aptè idem Hugo Florenſis ſerm. 1. *Cogitatio orandi pro mortuis eſt ſancta in ſe, ſed nobis eſt ſalubris, ideſt ſalutaris, quia exiſtentes in* PVRGATORIO, *& noſtrâ ſupplicatione liberati, in gloriâ recepti iuuabunt nos ſuis affectionibus, & orationibus ſanctis.* Quibus ſimilia ſunt, quæ habet Iodocus Clichtoueus ſerm. 3. pro defunctis. *Neque ſuam perdent mercedem viuentes, qui libenter ſic mortuis ſuccurrunt, nam & defuncti illi, poſtquam completá ſatisfactione fuerint in Cœlum translati, ſolicitè orabunt Deum pro his, qui eos adiuuerunt ſuis ſuffragiis, & pro ſalute eorum in recognitionem, & recōpenſationem accepti ab eis beneficij, ſubleuationis ſcilicet per orationem.* Non ſunt Purgatorij animæ ingratæ, ſed ſuis remunerant precibus eos, qui ſibi pietatis ſuffragia impendunt.

Hugo Flor.

Iod. Clichto.

Mortuus, quē Tobias ſepeliuit, pro eo ad Deum clamauit.

3 Poſt cæcitatis tenebras, quibus diù afflictus Tobias, nullo gaudio fruebatur, lumen tandem Cęli ei videre, filiumq; ſuum remeantem conſpicere licuit. Quapropter debitas Deo gratias agens, eius miratus eſt prouidentiam, qui nunquā homines adeò affligit, vt ſuæ videatur pietatis oblitus. Quòd ſi rationem quæramus, cur ſenem Tobiā Deus his remunerauerit præmijs, reſpondet Raphaël Archangelus, hoc promeruiſſe pietatem, quâ cadauera ſepeliebat mortuorum. *Quandò orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tuâ, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuā Domino.* Tob. 12. 12. Mortui quippè, quos Tob. humabat, pro eo rogabant, ſicque illius orationes à Deo defunctorum interceſſionibus exaudiebantur. Præclarè D. Aug. In Gloſsâ. *Ipſe ſepultus, quem ſepeliſtis, pro vobis voce tacitâ proclamauit.* Clamant mortui pro viuis, qui eis pietatem impendunt, ſuiſq; clamoribus omnipotentis Dei pietatem eis impetrare conantur.

D. Auguſt.

Rachel mortua à Deo miſericordiam petijt pro poſteris Iacob, qui eam magnificè ſepeliuit.

4 Proficiſcente Iacob Dei iuſſu Bethel, mortua eſt ei ob difficultatem partûs Rachel, quam iuxtà viam Ephratæ ſepeliuit, magnificumq; ſuper ſepulchrū illius titulum erexit. *Erexitq; Iacob titulum ſuper ſepulchrū eius: hic eſt titulus monumēti Rachel vſq; in præſentem diē.* Gen. 35. 20. Quærēdum hìc, quare Iacob hunc titulū vxoris voluerit inſcribere monumento. Cur non tantùm cadauer ſepeliuit, ſed inſuper eius memoriā literato lapide honorauit? Audiamus reſpondentem ex Hebræorum ſententiâ Lyr. in c. 48. Gen. *Dicunt Hebræi, quòd Iacob ſciuit ex diuinâ reuelatione, quòd tempore Nabuchdonoſor deſtruēda erat Ieruſalem, vt habetur 4. Reg. c. 15. & quòd Nabuzardam duceret populum eius captiuum in Babylonē, & quòd tranſirent iuxtà ſepulchrum Rachel, quod eſt ſuper viam illam, & in tranſitu illorum ipſa Rachel de ſepulchro miraculosè clamaret ad Deum, quærens miſericordiā eius ſuper populū captiuatū.* Nouerat Iacob mortuos ad Dominum clamare pro illis, qui ſuá eos pietate honorant, ac inſuper etiā pro eorū poſteris, quare vt Rachel defuncta pro ſuis poſteris ad Babylonis captiuitatē deducendis ad Deum clamaret, nedū eam piè ſepelire, ſed etiā illius memoriam inſcriptione tituli honorare decreuit.

Lyranus.

Mortuus ſuam poſt reſurrectionē Deū laudauit, à cuius pietate vitā accepit.

5 Iuxtà portam ciuitatis Naim reperit Chriſtus, dum ingrederetur vrbē, defunctū adoleſcentem, quem ad ſepulchrum, turbâ cum matre plorante ſubſequente, efferebant. Miſericordiâ motus eſt, lachrymas intuens, quas mater vberrimas fundebat, & adhuc tenerā iuuenis mortui aſpiciens ætatē. Quare ad loculum accedens, & cadauer tāgens, vitam ei Diuino reddidit imperio. A mortuis autem excitatus adoleſcens, vt ſe viuere cognouit, confeſtim loqui cępit. *Et reſedit qui erat mortuus, & cæpit loqui.* Luc. 7. 15. Si verò quis piè curioſus quærat, quænā verba hìc loqueretur vitæ reſtitutus adoleſcens, audiat D. Bon. eius quæſt. ſatisf. *Non eſt dubium, quin loqueretur verba diuinæ laudis.* Grati ſunt mortui eis qui ſibi pietatē impendunt, ideòque ſtatim reſurgens hic mortuus Dei laudes celebrauit, à cuius pietate beneficium acceperat vitæ.

D. Bonauent.

Archiſynagogi filia Christo ſuſcitanti ſe gratam oſtendit.

6 Idem præſtitit Archiſynagogi filia, quam ipſe quoq; Chriſtus ad vitam reuocauit. Hanc reſurrectionē volebat Chriſtus eſſe occultam, hinc tribus Apoſtolis, puellæq; parentibus præcepit, ne alicui, quod contigerat, aperirent. *Et præcepit illis vehementer, vt nemo id sciret.* Marc. 5. 43. Attamen, tacentibus quoq; iſtis, in vniuerſâ regione illâ miraculum eſt diuulgatum. *Et exijt fama hæc in vniuerſam terram illam.* Matth. 9. 26. Quo loquente fama hęc exiuit? Certè miraculo nemo, præter tres Apoſtolos, & puellæ parentes, præſens fuit, quos non eſt credibile Chriſti præceptū violaſſe, ac, eo inuito, illius geſta enarraſse. Quis ergò miraculum illud publicauit? Ipſa puella, quā Chriſtus ad vitam reuocauit: hæc enim virtutem eius, qui tantam ſibi pietatem exhibuerat nequaquā tacere potuit, ſed omnibus gratitudinis gratiâ manifeſtauit. Diſco id ex D. Io. Chryſ. hom. 7. in Marcum. *Præcepit, & non ſolùm præcepit, ſed vehementer præcepit, vt nemo sciret. Præcepit tribus Apoſtolis, præcepit & parentibus, vt nemo sciret. Præcepit Dominus omnibus, ſed* PVELLA TACERE NON POTEST, QVAE SVRREXIT. Vide, quàm ſe gratam Chriſto ſuſcitanti hæc defuncta puella oſtenderit, quæ illius virtutem omnibus prædicauit, cunctiſque gloriam miraculi, quo fuerat ad vitam reuocata, patefecit.

D. Io. Chryſ.

Mortui, qui cum Chriſto ſurrexerunt, ſe illi grates reſurrectione eius teſtantes, oſtenderunt.

7 Pergo, & obſeruo mortuos, qui Chriſto moriente à morte ſurrexerunt, vrbem Ieroſolymam fuiſſe ingreſſos, ibique apparuiſſe multis. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Matt. 27. 53. Miror, quòd Ieroſolymam profecti, Caluariæ dererent montē hi defūcti! Cur locū dereliquerūt, in quo Chriſtus humanā ſuā paſſione, ac morte perfecerat redēptionē? Cur vrbē adierunt,

Digitized by Google

ierunt, in quâ truculēti Chriſti homicidæ habitabant? An vt Chriſto, qui eos ad vitam reuocauerat, ſe ſe gratos oſtenderent, eius victoriam, atq; ab inferis reſurrectionem diſertis verbis teſtantes? Ita Dionyſius Carthuſianus. *Venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis, teſtantes Ieſum eſſe Chriſtum, & verè reſurrexiſſe, atque infernum ſpoliaſſe.* Simul ac à Chriſto vitæ beneficium acceperunt, ſe illi gratos reſurrectionis teſtimonio exhibuerunt. Ad ſtipulatur etiam eundem locum explicans Albertus Magnus. *In Euangelio Nicodemi dicitur, quòd filij ſancti Symeonis duo, qui ſurrexerant, coram ſacerdotum principibus manifeſtè in templo teſtimonium dabant reſurrectionis.* Addit Hugo Cardinalis, nedum voce, ſed etiam ſcripturâ ſuam hos mortuos gratitudinem oſtendiſſe. *Dicitur in Euangelio Nazaraeorum, quòd duo, qui fuerunt mortui antè circiter annos quadraginta, boni, & ſancti viri venerunt in templum poſt reſurrectionem Domini, & ſcripſerunt, quomodo illi, qui erant in Lymbo, exultauerunt in deſcenſu Domini ad inferos, & dæmones triſtabantur.* Animaduerte, quàm luculento reſurrectionis teſtimonio Chriſtum, à quo acceperant vitam, iſti commendauerint mortui.

Dion. Carth.

Albert. Mag.

Hugo Card.

8 Sed aliud quoq; in hac reſurrectione Chriſti animaduertendū propono, eum videlicet, antequam cæteris appareret, ſe manifeſtaſſe Mariæ Magd. *Surgens autē manè primâ Sabbati, apparuit primò Mariæ Magd., de quâ eiecerat ſeptem dæmonia.* Marc. 16. 9. Quòd ſi quis miretur, quòd Chriſtus hanc mulierē ipſis prætulerit Apoſtolis, deſinat mirari, eā agnoſcens præ cæteris omnibus circà eius monumētū perſeuerantē. Vt enim eius pietati ſe gratū Chriſtus oſtenderet, priùs ei, quā reliquis reſurgens apparere decreuit. Approbat hoc Io. Echius hom. in die Anim. *Videſne apud ſepulchrū Mariā? Meritò ergò eidem Mariæ primùm apparuit Dominus poſt reſurrectionē.* Mulieri adeò ſuo ſepulchro inuigilanti ſe gratum Chriſtus exhibuit, ideòq; illi priùs, quàm cæteris apparens, cunctis eam reſurgens prætulit.

Chriſtus reſurgens apparuit primò Mariæ Mag. vt ſe illi gratum exhiberet pro pietate, quam ſibi mortuo impenderat.

Io. Echius.

9 Hanc imitata eſt Chriſti gratitudinem ſoror D. Thomæ Aquinatis, quæ ſuffragiis illius à Purgatorij pœnis erepta, cùm ad Paradiſum euolabat, ei apparuit, gratiaſque plurimas pro pietate ſibi opportunè impenſâ egit. Refert hoc D. Vincentius Ferrerius ſerm. de Sancto Thoma Aquinate. *Soror ſua defuncta emiſſa in* PVRGATORIO *ex vanis ornamentis, & picturis, ſibi apparuit, petens ab eo ſuffragia, quæ ab eo adiuta, iterum apparuit ſibi, cùm de* PVRGATORIO *ad Paradiſum euolaret, ſibi regratiando.* Simplicia quidem, & abſque aliquo fuco exarata verba, ſed quæ magnam oſtendunt mortuorum gratitudinem, dum mortuam, antequam ad Cœli gaudia pergeret, fratri oſtendunt apparuiſſe, à quo ſuffragiis fuerat adiuta, vt ei gratias ageret in terris, cuius pietate acceleratam ſibi cernebat gloriæ fruitionem in Coelis.

Soror D. Thomæ Aquinatis eius pietate à Purgatorio erepta, ei apparuit, & gratias egit.

D. Vinc. Ferr.

10 Prophetam, quem deceperat, malus propheta ſepeliuit in ſuo ſepulchro, filiiſque præcepit, vt in eodem, poſtquam mortuus eſſet, ſuum humarent cadauer. *Cùmque planxiſſent eum, dixit ad filios ſuos, Cùm mortuus fuero, ſepelite me in ſepulchro, in quo vir Dei ſepultus eſt: iuxtà oſſa eius ponite oſſa mea.* 3. Reg. 13. 31. Cur propheta iſte virum Dei tantâ ſolertiâ ſepeliuit, ſuumque cadauer iuxta illius oſſa ſepeliri mandauit? Cur quem perſecutus fuerat, crudelique fraude interfecerat viuentem, tam magnâ miſericordiâ honorauit mortuum? Cur demùm cum viro, quem oderat viuus, commune voluit habere ſepulchrum defunctus? Nouerat malus iſte propheta mortuos gratos eſſe illis, à quibus obſequia recipiunt pietatis, ideòque ſuâ voluit pietate virum Dei honorare defunctum, vt eius interceſſione ſuum à flammis intactum poſt mortem remaneret cadauer, cùm cætera eſſent à Rege Ioſia in idolatriæ deteſtationem comburenda. Accipe hoc à Gloſſâ Ordinariâ. *Malus propheta ſciens euenire, quæ vir Dei prædixit, præcepit, vt ſepeliretur iuxtà virum Dei, nequando oſſa illius comburenda effoderentur, ſed conſeruarentur per ſanctum prophetam.* Vt ſua ſanctus propheta poſt mortem à flammis oſſa conſeruaret, ei mortuo pietatem impendit, agnoſcens mortuos eis, qui ſibi pietatem exhibent, eſſe gratiſſimos.

Propheta bonus malo prophetæ, qui ſibi pietatem impenderat mortuo, à flammis oſſa ſeruauit.

Gloſſa Ord.

11 Hìc etiam illud quadrat, quod ſanctum Prophetam Ieremiam geſſiſſe teſtatur ex D. Epiphanio Petrus Comeſtor lib. de captiuitate Ieruſalem cap. 3. fugaſſe videlicet ab Alexandriâ, vbi eius cadauer magnificè Alexander humauerat, crocodilos, & aſpides, qui eam infeſtare ſolebant. Se gratum nimirùm ſuo humatori ſanctus Propheta exhibuit, ab eius vrbe animalia eiiciens, quæ non modicum illi damnum inferebant. *De eodem* (Ieremia) *ait Epiphanius. Audiuimus à viris ſenioribus, qui ex ſeniorum Antigoni, & Ptolomei ſtirpe deſcenderant, quòd Alexander Macedo veniens ad ſepulchrum prophetæ, & cognoſcens loci myſterium, tranſtulit ipſum in Alexandriam, & ſepeliuit glorioſè, & ex tunc à terrâ illâ prohibiti ſunt crocodili, & aſpides penitùs.* Videſne Prophetam defunctum Regi, qui ſuum glorioſè humauerat cadauer, aſpidum, & crocodilorum eiectione gratiſſimum?

Ieremias eiiciens ab Alexandriâ crocodilos, & aſpides gratū ſe Alexand. qui eum ibi humauerat, oſtendit.

Petr. Comeſt.

12 Nec minùs mirabile eſt, quod narrat Vincentius Belluacenſis in ſpeculo morali lib. 2. diſtin. 13. par. 1. militem pro mortuis, cùm per cęmeteria tranſibat, orare conſuetum, cùm fugeret hoſtes, qui eum inſequebantur, cęmeterium conſuetæ orationis causâ ingreſſum fuiſſe. Quod cùm hoſtes agnouiſſent, eò profecti, vt eū interficerent, mortuos inuenerunt armis inſtructos, qui orantem militem ſtrenuè tuentes, eos terruerunt, & à cœmeterio citò fugere, pio incolume inimico, coëgerunt. *Miles quidam* (verba ſunt Vincentij Belluacenſis) *qui pro mortuis orare conſueuerat, quandocumque tranſibat per coemeterium, & deſcendere de equo ſuo, cùm tranſiens per cœmeterium quoddam fugaretur ab*

Mortui militem pro ſe deprecantem armati ab hoſtibus defenderunt.

Vinc. Bella.

hoſtiles, deſcendit, vt quod conſueuerat, adimpleret. Cùm autem vellent hoſtes intrare cœmeterium, & militem occidere, viſi ſunt conſurgere de monumentis mortui, & occurrere eis armati ſub illo ſchemate, ſub quo in ſæculo vixerant. Territi hoſtes, hoc viſo, fugerunt, & militem in pace dimiſerunt. O' inſignem defunctorum gratitudinem, qui militẽ pro ſe deprecantem ab hoſtibus defenderunt, & ne illum perſequentes cœmeterium ingrederentur, à monumentis armati exierunt.

13 Sed & Beata Birgitta in ſuis reuelationibus lib. 4. cap. 7. hanc defunctorum gratitudinẽ teſtatam reliquit. Voces quippè Animarũ in Purgatorio audiuit, quæ multam illis, qui ſibi pietatem impendebant, precabantur mercedem. *Poſt hac de* PVRGATORIO *audiebantur multa voces dicẽtes. O' Domine Ieſu Chriſte iudex iuſte mitte charitatem tuam his, qui ſpiritualiter poteſtatem habent in mundo, tunc plus participare poterimus, quàm nũc de eorum cantu, lectione, & oblatione. Suprà verò ſpatium iſtud, de quo clamor iſte audiebatur, videbatur, quaſi domus, in quâ multa voces audiebantur, dicentes, Merces ſit illis à Deo, qui mittunt nobis auxilium in defectus noſtros. In ipsâ quoque domo videbatur quaſi aurora procedere, ſubtus verò aurorã apparuit nubes, quæ nihil habebat de luce auroræ, de quâ vox proceſſit maxima, dicens. O' Domine Deus da de tuâ incomprehenſibili poteſtate vnicuique centeſimam remunerationem in mundo his, qui nos eleuant cũ bonis operibus in tuæ diuinitatis lucẽ, & tuæ faciei viſionem.* Quid amplius pro mortuorũ gratitudine poteſt deſiderari? Beati, qui ſuâ eis pietate ſuffragãtur: hos enim gratiſſimæ Purgatorij animæ ſuis aſſiduè precibus adiuuare conantur.

Animæ Purgatorij mercedem poſtulantes à Deo illis, qui ſibi ſuffragantur. B. Birgitta.

14 Capiti coronidem impono, illud afferens, quod refert Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. de Simonide poëtâ, qui cùm inſepultum hominis cadauer extremis pietatis obſequiis honoraſſet, ab eo eſt admonitus, vt in terrâ proximo die remaneret, nec vllo modo ſe nauigationi committeret. Quod licet in ſomnis contigiſſet, non tamen poëta contempſit, ſed cæteris nauigãtibus, ipſe ibi ſolus expectauit, vitamque ſuam eâ morâ ſeruauit, nam reliqui omnes tempeſtate ortâ in fluctibus perierunt. *Cùm ad litus nauem appuliſſet, inhumatumque corpus iacens ſepulturæ mandaſſet, admonitus ab eo, ne proximo die nauigaret, in terrâ remanſit: qui indè ſoluerant, fluctibus, & procellis in conſpectu eius obruti ſunt. Ipſe lætatus eſt, quòd vitam ſuam ſomnio, quàm naui credere maluiſſet. Memor autem beneficij, elegantiſſimo carmine æternitati conſecrauit. Melius illi, & diuturnius in animis hominum ſepulchrum conſtituens, quã in deſertis, & ignotis arenis ſtruxerat.* Iurè gratitudinem huius mortui elegantiſſimus poëta celebri carmine commendauit, vt epicedio ei haberet gratiam, à quo ſibi ſeruatam agnoſcebat vitam, ſicut ille de futuro eum admonuerat naufragio, cui opportunam acceptam referebat ſepulturam. Vide igitur mortui gratitudinem, qui ſuum tantâ pietate remunerauit humatorem, & agnoſce mortuos ergà viuos gratos eſſe, qui pietatem eis impendunt.

Simonidem humantẽ defunctum defunctus ipſe à morte liberauit.

Val. Maxim.

CAPVT XVII.

Crudelitatem viuorum vltio conſequitur mortuorum.

1 QVemadmodum gratitudine proſequũtur pios, ita vltione mortui perſequuntur impios, vt condignis & præmijs miſericordes, & pœnis afficiant crudeles. Iniurias electis ſuis illatas Deũ vlturum eſſe, illorumque clamores exauditurum Chriſtus prædixit. *Deus autem non faciet vindictã electorum ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorũ.* Luc. 18. 7. Dubium hic inſurgit, quinam ſint hi electi, qui pro vltione ad Deũ aſſiduè clamant. Nunquid Beati? At hos noſtræ nõ lædunt iniuriæ, cùm iam fęlicitate perfruantur æternâ. Nunquid adhuc in hac vitâ degẽtes? Verùm his iniuriæ proficiunt ad coronam. Qui ergò electi clamãt, niſi qui Purgatorij pęnis cruciantur? Hi viuorum crudelitatem cernentes, contrà impios heredes, ac propinquos clamant, dumq; ſibi ſuffragia exhiberi non ſentiunt, tantam immanitatem puniri expoſcunt. Ad rem D. Vinc. Ferr. ſerm. 2. Dom. 15. poſt Trinit. *Ideò quia animæ non ſentiunt adiutorium, conqueruntur Deo, dicentes; Iuſtitia fiat illis, contrà proditores in mundo, ſcilicet filios, hæredes, manumiſſores. Et creditis, quòd Deus ſit ſurdus, quòd non audiat? & coecus, quòd non videat, ſcilicet iſtas crudelitates? Ideò dicit Chriſtus, Nunquid Deus non faciet vindictam electorum ſuorum* CLAMANTIVM *ad ſe die, ac nocte, & patientiam habebit in illis?* Clamant Animę Purgatorij contrà ingratos propinquos, hæredes, & amicos, eoſque aſſiduis querelis mulctari petunt, qui nulla illis pietatis obſequia impendunt.

Clamant ad Deũ Animæ Purgatorij contrà eos, qui ſibi pietatem nõ impendũt.

D. Vinc. Ferr.

2 Quẽ clamorẽ indicauit & Dauid, cùm dixit in eis ruinam fuiſſe multiplicatam, qui ſacrificia comederunt mortuorũ. *Et initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum. Et irritauerunt eũ in adinuentionibus ſuis, & multiplicata eſt in eis ruina.* Pſal. 105. 29. Hæc mortuorum ſacrificia, quæ hi peruerſi comedebant, oblationes fuiſſe, quæ pro mortuorũ animabus afferebantur, docet Hugo Card. *Comederunt ſacrificia mortuorũ, ſcilicet oblationes, quæ fiunt pro mortuis.* Dum igitur crudeles hæc agebant, *multiplicata eſt in eis ruina.* Cuius ruinæ cauſa quænã alia fuit, niſi ipſi mortui oblationibus fruſtrati? Hi pro tantæ vltione crudelitatis ad Dominum clamauerunt, ſuiſque clamoribus crudeliſſimis heluonibus ruinam intulerunt. Probè Armandus, *Comederunt ſacrificia mortuorum, & irritauerunt Deũ in adinuentionibus ſuis, & ideò, tanquam mortuis ad Dominum contrà eos* CLAMANTIBVS *ipſi veniunt in ruinam.* Clamant mortui ad Dominũ contrà crudeles, qui debitâ illos pietate defraudant, ſuorumque electorũ voces Deus exaudiẽs, in eis multiplicat ruinã, qui

Eorũ clamor multiplicat in crudelibus ruinam.

Hugo Card.

Armandus.

pro

Digitized by Google

Clamor mortui Cain aduerſus Abel.

pro defunctis multiplicare ſuffragia recuſant.

3 Cum hoc clamore verba illa coherent, quibus Deus increpauit Cain impium fratris interfectorem. Dum hic ſe ignorare, vbi frater eſſet, affirmaret, atque homicidij delicto mendacij, falſæque excuſationis adderet culpam, dixit Dominus ad eum. *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* Gen. 4. 10. Vides mortuum, ac ſine pompâ exequiarum occultè potiùs obrutum, quàm ſepultum, contrà crudelem fratrem magnis ad Deum vocibus clamantem?

Philo Hebr.

Pulchrè Philo Hebræus lib. Quòd deterius potiori inſidiari ſoleat. *Abel, quod vix credas, interemptus viuit; exemptus enim ex inſipientis mente, viuit in Deo vitam feliciſſimam. Atteſtatur nobis diuinum oraculum, quod vociferari eum ait disertè, &* Clamore Prodere, Quae A' Malo Socio Passus Est. Clamauit Abel contrà impium Cain, qui eum interfecerat, interfectumque ſine funere abiecerat, quia ſemper mortui clamant contrà crudeles viuos, à quibus patiuntur.

Hoc clamore Dei vltionem contrà crudelem fratrem petebat.

4 Hùc ſpectabat D. Paulus ad Hebræos 11. 4. cùm Abel adhuc poſt mortem dixit loquentem. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus, teſtimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur.* Ad Hebr. 11. 4. Quomodo enim loquebatur, niſi contrà impium fratrem clamans, diuinamque illius crudelitatis expetens vltionem? Adeſt Caietanus. *Per illam defunctus adhuc loquitur, hoc eſt per meritum illius fidei defunctus Abel adhuc loquitur, in Geneſi dicente Deo: Ecce ſanguis fratris tui Abel ad me* Clamat *de terrâ.* Clamant defuncti contrà impios, atque in eos, quos contrà ſe crudeles experiuntur, Dei flagitant vltionem.

Caietanus.

Animæ Purgatorij contrà eos clamant, qui ſibi ſuffragia denegant.

5 Confirmat hunc eumdem clamorẽ D. Ioannes in Apocalypſi, dum teſtatur animas interfectorum ſe vidiſſe, quæ contrà ſuos interfectores clamabant, atque à Deo vindictam iteratis vocibus petebant. *Et cùm aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant, & clamabant voce magnâ dicentes, Vſquequo Domine ſanctus, & verus non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de ijs, qui habitant in terrâ?* Apoc. 6. 10. Quis crudelior eſt homicida illis, qui debita Purgatorij Animabus ſuffragia denegant, eiſque ſuâ impietate vitam gloriæ retardant? Contrà iſtos igitur impios interfectores Animæ illæ cruciatæ clamant, diuinamque in eos vltionem aſſiduis vocibus poſcunt. Optimè Lyranus in Gloſsâ morali. *Interfector alicuius dicitur, non ſolùm auferens ei vitam corporalem, ſed etiam ſubſtantiam, de quâ debet viuere. Propter hoc per animas hîc* Clamantes *contrà ſuos interfectores, ſignificantur* Animae Existentes In Pvrgatorio, Qvae Clamant *contrà bona executionum ſuarum detinentes, de quibus debent refici per orationes bonorum, & eleemoſynas in ſuſtentationem pauperum, ſic & animæ transferentur ad vitam gloriæ propter quod tales fraudatores punientur, ſicut Animarum homicidæ.* Interficiuntur ab impijs, qui eis debita ſuffragia denegant, Animæ Purgatorij, vndè contrà ipſos, tanquam contrà ſuos interfectores, clamant, ac de tantâ impietate condignam à Deo flagitant vindictam.

Lyranus.

Horribilibus vocibus eos terrent.

6 Nec ſolùm clamoribus à Deo vltionem, ſed & horribilibus vocibus ab illis ipſis, qui contrà illas ſæuiunt, pęnas exigunt Animę defunctorum. Celebre eſt, quod militi contigit in exercitu Caroli Magni militanti, qui commilitonis defuncti arma, & equum non vendidit, diſtribuens, vt ipſe iuſſerat, pauperibus pretium, ſed ſibi retinuit, eleemoſynæ ſuffragio animam ſocij defraudans. Apparuit crudeli militi, cùm diù fuiſſet in Purgatorio cruciatus, defunctus, dumque illum acriter pro crudelitate increpabat, horribiles inſonuerunt, veluti ferocium belluarum voces, quibus auditis, præ timore miſer expirauit, ſuæque impietatis poenas repentinâ morte luit. Rem dabo, vt eam ibidem narrat idem Lyranus. *Erant duo milites ad inuicem propinqui, quorum moriens, commiſit alteri bona, vt venderentur, & pretium pauperibus pro eius animâ diſtribueretur. Ille autem conſiderans, quòd equus mortui erat bonus, & fortis, illum ſibi retinuit, nec pro eo aliquid pauperibus dedit. Poſteà verò Anima defuncti apparuit ei, arguens eum de infidelitate, & quòd pro ipsâ diutiùs fuit detenta in graui poenâ, & ei denuncians, quòd grauiùs puniretur. Et tunc* Avditae Svnt Voces Horribiles, *quaſi vrſorum, & ferocium beſtiarum, & ille miſerabiliter expirauit.* Agnoſce, nùm crudelitatem viuorum vltio conſequatur mortuorum, dum eos quandoque horribili clamore terruerunt, vitæque expertes reddiderunt.

Idem.

Romanos animæ mortuorũ vlulatib. terruerunt, & terrore occiderunt.

7 Non videntur ab his aliena, quæ narrat Ouidius lib. 2. Faſtorum, Animas mortuorum, quibus parentare bellis impediti intermiſerant Romani, per vrbem, & agros cucurriſſe, horribilibuſque vocibus clamantes, multos interfeciſſe, donec ſibi redditi ſunt priſtinæ pietatis honores.

Ouidius.

buſtis exiſſe feruntur,
Et tacitę queſti tempore noctis aui
Perq; vias vrbis, latoſq; VLVLASSE per agros
Deformes animas vulgus inane ferunt.
Poſteà præteriti tumulis redduntur honores.
Prodigijſque venit, funeribuſque modus.

Audis horribiles voces, quibus mortuorum animæ Romanos pietatis obſequia ſibi denegantes terruerunt? Audi nunc mortem, quam multis ex illis cædem inflixerunt. *Ea negligentia*, inquit in hunc locum Antonius Conſtantius, *ſine impietas Romanis* Mvltorvm Interitv Constitit. Adeò grauiter mortuorum animæ impietatẽ in ſeipſos exercitam vlciſcuntur, vt interdum impijs, & terrorem vocibus incuſſerint, & mortem terrore inflixerint.

Ant. Conſt.

Samuel mortuus increpauit Saul, qui ſuam turbauerat quietẽ,

8 Cùm Saul Deum ſibi agnoſceret iratum, nullumque reſponſum haberet, pythoniſſam conſuluit, iubens inquietari, ac ſuſcitare Samuelem. Quod cùm geſtũ fuiſſet, ac Samuelem aſcẽdẽtem

Digitized by Google

Saul adoraret, dixit ei Propheta. *Quare inquietaſti me vt ſuſcitarer?* 1. Reg. 28.15. Quibus verbis eum redarguiſſe Saul Abulenſis quæſt. 33. in hunc locum declarat. *Hic increpat Saulem, & non quærit, quare eum inquietauerit, quia benè nouerat, cur hoc fieret, ſed quærit per modum increpatorium, vt habeat locum redarguendi, & dixit, inquietaſti me, quaſi dicat, eram in quiete meâ, & feciſti me venire huc.* Nec ſemel tantùm illum increpauit, ſed reprehenſionem rurſum iterauit. *Et ait Samuel, quid interrogas me, cùm Dominus receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum?* Ad quæ idē Abulenſis. *Hic rurſus increpat Samuel Saulem, quòd non debuiſſet eum interrogare.* Impium Saul, qui ſuam quietem aduocatâ pythoniſsâ turbauerat, Samuel puniuit defunctus, eumque non ſemel, ſed ſæpè, mortem quoque imminentem illi annuncians, increpauit.

Abulenſis.

Mater à filio, cui ſepulturam denegauerat acriter obiurgata.

9 Huic non abſimilis fuit obiurgatio, quâ refert Heliodorus lib. 6. Æthiopicorum cap. 17. filium redarguiſſe matrem, quæ ſuam præſtigijs, atq; incantationibus turbauerat vmbram. Eam namque impiam, ac ſceleratam dixit, eique mortem violentam ob ſcelera, quibus defunctos inquietabat, prædixit. *Cadauer, tanquam ex angulo quodam, aut antro confragoſo, graue quiddam, & aſperum prorumpens: Ego quidem, inquit, initio tibi parcebam, mater, & delinquentem te grauiter in naturam humanam, & parcarum leges violantem, atque ea, quæ manere debent immota, præſtigijs, atque incantationibus mouentem patiebar. Seruatur enim, & apud mortuos ergà parentes, quoad fieri poteſt, reuerentia. Cæterùm poſtquam & hanc tollis, & pergis non contenta nefandâ, & ſceleratâ actione, quam initio es aggreſſa, in immenſum nefandum hoc faciens [illegible], non erigi tantùm, & nutus dare, [illegible] loqui corpus mortuum cogis, ſepulturam meam negligens, & venire in cœtum reliquarum animarum prohibens, audi iam ea, quæ iampridem tibi indicare verebar. Neque filius tuus incolumis redibit, neque ipſa mortem, quam à gladio debes occumbere, effugies, ſed quæ tuam vitam in tam nefandis actionibus conſumpſeris, violentam mortem deſtinatam talibus omnibus, non ita multò poſt obibis.* Omnia voluit eaſcribere huius cadaueris verba, vt magis pateat, quàm acriter viui à mortuis reprehendantur, cùm eos impietate proſequuntur.

Heliodorus.

Iudæus in Virginis cadauer ſanctū ab eâ manuū abſciſſione mulctatus.

10 Nec tantùm vocibus, ſed & factis hanc impietatem à mortuis poſſum probare mulctatā. Efferebatur Beatæ Virginis cadauer, Apoſtolis, cæteriſque fidelibus comitantibus ad ſepulchrū; Iudæi verò eſequiarum illarum pompæ inuidentes, liuore cruciabantur. Quapropter quidam ex eis cæteris impudentior ad feretrum acceſſit, illudque manibus proſternete humi eſt conatus. At Virgo eius in ſuum cadauer audaciam puniuit, manuſque ab impio reciſas à feretro pendere, cunctis mirantibus, præcepit. Narrat id Nicephorus lib. 2. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 22. *Cùm diuinum illud tabernaculum ita, vt dictum eſt ad Gethſemani portaretur, vbi Dei genetrix ſepeliri ſe mandauerat, Iudæi inuidiâ tabeſcentes, eūm obcultare non poſſent, eum, qui in mentibus eorum ferebatur, liuoris effectum produnt. Inter quos alius quidam confidentior, furibunduſq; magis (erat autē ex ſacerdotum ordine) eūm ſacrum tabernaculū portaretur, impetu quodam præter rationem percitus in id ferebatur, humi proſternere ſacram illam arcam, atque peſſundare in animo habens. Sed enim vindicta nequaquam moratur, namque ab vlnis manus illius reciſæ ex feretro dependent.* Congruam ſanè tam impię temeritati hæc pœna fuit, vt manus in ſacratiſſimum cadauer impiæ à reliquo corpore abſcinderentur, ſeque ſentirent à mortuâ Virgine mulctatas, qui nec mortuæ Virgini pepercerant, sed in eius corpus atrociter ſæuire decreuerant.

Nicephorus.

Defunctus curauit ad ſupplicium damnari ſui corporis contemptorem.

11 Sed & ex profanis illuſtre habemus vltionis mortuorum exemplum apud Valerium Maximum lib. 1. cap. 7. Cùm ſimul iter duo Arcades agerent, alterque ex ipſis ad hoſpitem, alter ad cauponem diuertiſſet, hic ab inſidijs cauponis circumuentus interijt. Poſt mortem verò ſocio apparuit, ſuumque cadauer extrà portam indigno modo ferri ei manifeſtauit, rogauitque vt adeò impium facinus capitali ſupplicio puniri curaret. Pergens verò ad portam vrbis confeſtim conciuis, verum eſſe id, quod ſibi contigerat in ſomnis, reperit, ac impium cauponem ad extremum ſupplicium perduxit. *Idem ei ſaucius oblatus*, inquit Valerius, *obſecrauit, vt qui vitæ ſuæ auxilium ferre neglexiſſet, nec ei ſaltem vltionem non negaret: corpus enim ſuum à caupone trucidatū, tùm maximo plauſtro ferri ad portam ſtercore coopertum. Tam conſtantibus familiaris precibus compulſus, protinùs ad portam cucurrit, & plauſtrum, quod in quiete demonſtratum erat, comprehendit, cauponemque ad capitale ſupplicium perduxit.* Vltionē contrà impium ſui cadaueris contemptorem defunctus Arcas petijt, eumque in ipſo facinore comprehenſum ad mortem damnari curauit.

Val. Maxim.

Mortuus eodem lapidē, quo percuſſus fuit, in percuſſorē vſus.

12 Quid? quòd à ſeipſis interdum ſui contemptoribus mortui mortem intulerunt? Dignum eſt, vt hìc recenſeatur Auſonij epigramma, in quo cadaueris caput ab impio lapide crudeliter percuſſum, lapidem narrat remiſiſſe, ſuumque ictu mortali percùſſiſſe percuſſorem. Hæc ſunt eis carmina Epigramm. 71.

Auſonius.

Abiectè in triuijs inhumati glabra iacebat.
Teſta hominis, nudum iam cute caluitium.
Fleuerunt alij, fletu non motus Achillas,
Inſuper & ſilicis verbere diſſecuit.
Eminùs ergò icto rediit lapis vltor ab oſſe.
Auctoriſque ſui frontem, oculoſque petit.

Crudelitatem, quà impiè contemnebatur, iuſtè mortuus eſt vltus, eodem lapide, quo percutiebatur, ſuum percutiens contemptorem.

Statua Niconis mortui, hominem in ſe cœnturiet ſuum [illegible] cit.

Suidas.

13 Non valdè diſſimile eſt, quod narrat de Nicone Suidas in Hiſtoricis; cuius defuncti ſtatua, cùm eam quidam contumelioſè cæderet, in cædentem collapſa, eum interfecit. *Cùm verò è viuis exceſſiſſet, quidā acceſſit ad ſtatuam eius, quaſi*

viueret,

Digitized by Google

vinceret, & flagellis eam cæcidit, in quem illa collapſa, hominem contumelioſum vlta eſt. Vlciſcuntur mortui eas, quas viui ſibi contumelias irrogant, vndè ſtatua quoq; defuncti contumelioſum eius morte vlta eſt percuſſorem.

Manes defunctorum in exitium excitantur eorum, qui ſibi denegant pietatẽ

14 Non omittam poſtremo loco ea, quę apud Apuleium lib. 8. Metamorphoſeon Charites dixit Lepolemo, qui ſuadere illi conabatur, vt ſecum nuptias iniret, antequam annuũ compleret pro defuncto marito luctum. Hortata eſt quippè illum, vt ſibi permitteret mortuũ coniugem tempore præſtituto lugere, ne ad ſuę ſalutis exitium eius manes excitaret. *Ne fortè immaturitate nuptiarum indignatione iuſtâ manes acerbos mariti ad exitium ſalutis tuæ ſuſcitemus*. Vbi ait Beroaldus. *Immaturæ ſunt nuptiæ, quando antè peractum luctûs legitimi tempus vidua digamiam decantans, ſecundo marito copulatur. Tunc meritò anima prioris coniugis iuſtâ indignatione ſuſcitari poteſt, & extimulari in exitium, perniciemque ſuccedanei.* Animaduerte manes defunctorum, contrà eos, qui ſibi debitam denegant pietatem, iraſci, atque in eorum exitium, ac perniciem excitari, & hinc quoq; concłude, crudelitatem viuorum vltionem conſequi mortuorum.

Apuleius.

Beroaldus.

CAPVT XVIII.

Propinquis defunctis miſericordiam impertire tenemur.

Iuſſit Moyſes Miſaëli, et Eliſaphan, vt ſepelirent cadauera Nadab, & Abiu propinquorũ.

1 VEnio ad mortuos, quibus præcipuæ pietatis obſequia debemus, & ab illis initium duco, qui ſunt nobis propinquitate coniuncti. Præcepit Moyſes Miſaëli, & Eliſaphan, vt cadauera ſepelirent Nadab, & Abiu, quos ignem alienum offerentes igne cœlitùs emiſſo Deus conſumpſit. *Vocatis autem Moyſes Miſaele, & Eliſaphan filijs Oziel patrui Aaron, ait ad eos, ite, & tollite fratres veſtros de conſpectu ſanctuarij, & apportate extrà caſtra*. Leuit. 10. 4. Vbi aduertit Abulenſis hos defunctos eorũ fratres appellari, non quia ex ijſdem parentibus cum eis geniti eſſent, ſed quia eorum propinqui erant, & cum illis affinitate coniuncti, ac proptereà eorum funus curare tenebantur, pertinet enim ad viuos pietate defunctos honorare ſibi propinquitate coniunctos. *Vocat autem hic fratres eius, qui pertinent ad cognationem Aaron, ſcilicet ad tribum leuiticam, de quibus erant Miſael, & Eliſaphan, ad quos pertinebat* EX GENERIS PROPINQVITATE *exequias mortuorum Nadab, & Abiu explere, & hi duo extulerunt eos extrà caſtra*. Suos poſt mortem ſuperſtites debent pietate proſequi propinquos, ideòque Moyſes Miſaëli, & Eliſaphan iuſſit, vt Nadab, & Abiu ſepelirent ſibi cognatione coniunctos.

Abulenſis.

Samſonem defunctum omnes honorauerunt eius cognati.

2 Mortuus eſt Samſon, propriam negligens vitam, dummodo in hoſtium perniciem eam amitteret, adeò namque columnas concuſſit, quę domum ſuſtinebant, vt cum eis vniuerſum ſubuerterit ædificium, & quotquot ibi morabantur domûs ruinâ oppreſſerit. Cum quibus ipſe quoque occumbens, glorioſè vitam finiuit. Hæc vt cognouerunt fratres, & cognati eius, ad regionem Philiſthæorum perrexerunt, atque inter ædificij diruti rudera conquiſitum cadauer, ad ſepulchurm paternum deportauerunt. *Deſcendentes autem fratres eius, & vniuerſa cognatio, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt inter Saraa, & Eſthaol in ſepulchro patris ſui Manue*. Iudic. 16. 31. Obſerua, non ſolos fratres, ſed vniuerſam quoque vnà cum eis cognationem ad Philiſthęorum terram profectã fuiſſe, atque propinquo Samſoni exequiarum pompâ, & honorifico funere pietatem impendiſſe. Rectè Ioſeph Hebræus lib. 5. Antiquit. Iudaic. cap. 10. COGNATI *verò eius cadauer in patriam reportatum apud Saraſam oppidum monumento maiorum intulerunt*. Cognato defuncto cuncti pietatem impenderunt propinqui, vt nobis innuerent, propinquos defunctos maximâ eſſe à viuis pietate honorandos.

Ioſ. Hebræus.

Iudæorum diligentia in funeribus propinquorum.

3 Acceſſit ad Chriſtum princeps quidam ſynagogæ, cuius filia vitâ, morbo vrgente, deceſſerat, eumque rogauit, vt eam ſuæ diuinitatis virtute ad priſtinam vitam reuocare dignaretur. Cuius preces Chriſtus illicò exaudiuit, eumque ſecutus, ad domum, in quâ puella iacebat, properauit. Quò cùm perueniſſet, tibicines modulantes, ac turbam reperit tumultuantem. *Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat, Recedite; non eſt enim mortua puella ſed dormit*. Matth. 9. 23. Quid autem nobis hæc turba innuit, niſi diligentiam, ac ſtudium, quod Iudæi adhibere conſueuerant in funeribus propinquorum? Ad eorum nimirùm exequias cum pompâ maiori celebrandas, & tibicines, & modulatores, & cantorum turbam aduocare ſolebant. Optimè Hugo Cardinalis. *Inuenit Dominus tibicines, iuxtà morem terræ lamentabile carmen cantantes, quia Iudæi* IN FVNERIBVS PROPINQVORVM *multam adhibebant diligentiam.* Tanto ſtudio curabant Iudæi funera propinquorum, quia tenentur ſuperſtites diligenti ſolertiâ defunctis pietatem impendere ſibi propinquitate coniunctis.

Hugo Card.

Cadauera mortuorum à propinquis elata.

4 Hoc ſtudium adhibuerunt & gentiles, qui proptereà propinquiores ad viros censèbant ſpectare munus deferendi cadauera mortuorum, vndè Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium c. 7. *Deferendi verò feretrum* PROPINQVIORIBVS *virilis ſexûs dabatur munus*. Et Seruius in illud Virgilij lib. 6. Aeneidos

Alex. ab Al.

pars ingenti ſubiere feretro,
Triſte miniſterium.

Virgilius.

PROPINQVIORIBVS *enim*, inquit, *virilis ſexûs hoc dabatur officium.* Et ex ſacris authoribus eumdem confirmat morem B. Macarius Eremita homil. 15. *Si quis locuples vir mortuus fuerit, cum cantu lugubri, lamentatione, ac planctu effertur è vitâ per ſuos fratres,* CONSANGVINEOS, *amicos, ac familiares*. Vide quantam Gentiles propinquis, & con-

Seruius.

B. M...

Digitized by Google

conſanguineis defunctis exhibuerint pietatem, quorum cadauera proprijs humeris efferre, vt illuſtriora eorum funera redderent, non dedignabantur.

Affinitate coniunctus propinquiorum mortuorum cineres colligebat.

5 Poſt elatum verò ad rogum cadauer, & crematas ex more defuncti reliquias, ignis aquâ extinguebatur, tuncque propinquus combuſti corporis cineres colligebat, ac in vrnâ vino lotas, ac ſepulchro mandandas collocabat. Meminit huius moris Alexander Sardus li. 1. cap. 27. loquens de funeribus Romanorum. *Rogum aquâ extinguunt,* AFFINITATE CONIVNCTVS LEGIT CINERES, *quæ vino lauantur, & redduntur nouo die ſepulchro.* Adeò debitam cenſuerunt propinquis mortuis à viuis pietatem, vt præcipua circa eorum cadauera miniſteria, non niſi ab affinibus exhiberi conſueuerint, & propinquitate coniunctis.

Alex. Sardus

Cognati maximè funeribus intereſſe debent mortuorum.

6 Confirmat hoc idem Ariſtoteles lib. 9. Ethicorum cap. 11. dum ait funeribus, ac parentalibus cognatos, & conſanguineos potiſſimùm oportere adeſſe. Agnouit namque pietatem, quâ viui miſerentur defunctorum, ad eos præſertim ſpectare, qui cognationis, & affinitatis coniunctione ſunt eis propinqui. *Ob eamdem cauſam exiſtimant* COGNATOS MAXIMÈ *funeribus, & parentalibus intereſſe oportere.* Omnibus quidem mortuis pietatem exhibere debemus, ſed ijs potiſſimùm, qui nobis cognatione, ac propinquitate ſunt coniuncti, præcipuæ debemus miſericordiæ opera præſtare.

Ariſtoteles.

Aethiopes propinquorum cadauera domi ſeruabãt diù, ne in obliuionem inciderent domeſticorum.

7 Quæ opera Æthiopes ſingulari ſanè pietate ſuis impendebant propinquis, quos vitro circumdatos in ſuis domibus diù ſeruabant, ne in obliuionem vnquam inciderent viuorum, quibus dum viuerent erant cognatione coniuncti. Refert hũc morem Diodorus Siculus lib. 4. Rer. Antiq. cap. 1. *Hi* (Æthiopes) *circumdatos vitro diù ſeruant, ne eorum aſpectus ſit poſteris ignotus, ue ve in obliuionem incidant* DOMESTICORVM. Impiam cenſent Æthiopes obliuionem defunctorum propinquorum, à quâ vt abſtinerent, eorum cadauera domi diù ſeruare ſolebant.

Diod. Siculus

Sinarum pietas ergà propinquos mortuos.

8 Religio eſſet, dum hæc proſequimur, pietatis obſequia hìc præterire, quibus mortuis propinquis parentare Sinæ conſueuerunt. Do verba, quibus pios eorum mores recenſet Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap. 7. *Cùm vir aliquis primarius viuere deſinit, demortui filius, aut ſanguine proximus* CAETEROS PROPINQVOS, *& familiares libello admonet, mœſtâ verborum ſolennium formulâ concepto, idque infrà tertium, quartum ve ab obitu diem. Quo tempore ſarcophagum fabricant, & eo cadauer includunt, tùm aulam candido panno, vel ſtoreis inſternũt, ac veſtiunt, in cuius medio aram extruunt, in arâ ſarcophagum locant, & demortui effigiem. Ad eam aulam intrà praſtitutos dies, quos apud viros primarios quatuor, quinqueue eſſe mos eſt,* PROPINQVI OMNES, *amicique conueniunt, ipſi quoque funebri veſte induti, alius poſt alium qualibet horâ diei, ventitant, & in arâ odores, binoſque cereos defuncto locant, qui vbi ardere cœperint, quaternis inclinationibus, ac genuflexionibus demortuum cohoneſtant.* Et poſt nonnulla. *Poſt ſarcophagum omnis* MVLIERVM DOMESTICARVM *turba, & ipſæ quoque cultu lugubri, ſed cortinâ tecta iucunditè plangunt, & eiulant.* Et rurſus, paulò infrà, *Quo die funus effertur,* PROPINQVI, *& amici alio libello inuitati denuò conueniunt, omnes in funebri veſte candidati ad funebrem pompam cohoneſtandam.* Videſnè quot pietatis obſequijs hi populi propinquos proſequuntur defunctos, quantâque illis celebritate parentant?

Nic. Trigaut.

Quò defuncti ſunt nobis propinquiores eò maiorem eis pietatem debemus.

9 Pergo, & addo, quò ſunt nobis propinquiores defuncti, eò illis maiorem deberi pietatem. Vt prolis procreatione mortuo marito nomen ſuſcitaret, cum Booz illius propinquo matrimonium Ruth inire cupiebat. Nec abnuit Booz, ſed alium dixit ſupereſſe marito propinquiorem, cui propinquitatis iure nuptias cum eâ contrahere competebat. *Nec abnuo me propinquum, ſed eſt alius me propinquior. Quieſce hac nocte, & facto mane, ſi te voluerit propinquitatis iure retinere, bene res acta eſt, ſin autem ille noluerit, ego te abſque vllâ dubitatione ſuſcipiam.* Ruth. 3. 12. Cur non ſtatim Booz cum Ruth matrimonium contraxit, ſed priùs propinquiorem alloqui decreuit? Quid referebat, quòd alius eſſet ſe propinquior, dum eius nuptias mulier expetebat, eaſque ipſe non recuſabat? Quia hoc pietatis opus, quo nomen ſuſcitabatur defuncti, ei competebat, cui fuerat, dum viueret, magis propinquitate coniunctus. Rectè Abulenſis. *Si te voluerit propinquitatis iure retinere, ſcilicet habere te in vxorem, ſicut* PROPINQVVS, *cùm ipſe ſit* MAXIMÈ PROPINQVVS, *cui primò competit, bene res acta eſt, id eſt proſperè tibi eueniet.* Quò defuncti ſunt nobis propinquiores, eò magis pietatem eis debemus, ideòque ſuſcitatio nominis defuncti ad eum potiori iure pertinebat cui vir mortuus fuerat magis propinquus.

Abulenſis.

Propinquos mortuos, etiã ſi fuerint hoſtes pietate proſequi debemus.

10 Nec ſanè mirum debet hoc videri, nam adeò tenentur viui pietatem exhibere defunctis propinquis, vt etiam hoſtes mortuos pietate proſequi debeant, ſi fuerint eis affinitate coniuncti. Pugnauit Dauid cum Idumæis, eoſque ad omnimodam internecionem perſequens, quotquot erant virilis ſexûs militum gladio confodit. Quos tamen mortuos iuſſit ſepulturæ mandari, & Ioab principem militiæ, vt eorum funera curaret miſit. *Cùm enim eſſet Dauid in Idumæâ, & aſcendiſſet Ioab princeps militiæ ad ſepeliendum eos, qui fuerant interfecti, & occidiſſet omne maſculinum in Idumæâ, ſex enim menſibus ibi moratus eſt Ioab, & omnis Iſrael, donec interimeret omne maſculinum in Idumæa.* 3. Reg. 11. 15. Vide ſancti regis pietatem, qui eos, quos interfecerat, humari tantâ curâ præcepit. Cuius pietatis ratio non eſt aliundè ducenda, niſi ex eo quòd Idumæi erant Iſraëlitis cognatione coniuncti, quamobrem congruum erat, vt mortui ab eis honorarentur, ac ſepulchralibus obſequijs decorarentur. Siſto verba Dionyſij Carthuſiani ſic loquentis. *Iuſſit occiſos miſe-*

Dion. Carth.

ricorditer

Digitized by Google

ricorditer ſepelıri, quoniam Idumæi, & filij Iſrael nati erant è duobus fratribus, ſcilicet Eſau, & Iacob. Hoſtibus quoque propinquis miſericordia debet impendi, cùm fuerint defuncti, vndè iuſſit Dauid Idumæos interfectos à ſuis humari, quia erāt cum eis affinitate coniuncti.

Cæſar Pompeium hoſtem ſibi affinem mortuum honorauit.

11 Pietas hîc non eſt omittenda Cæſaris, qui cùm Pompeij hoſtis caput ſibi oblatum conſpexiſſet, luctu proprio, ac filiæ lacbrymis illud honorauit, pretioſiſque aromatibus ex more cremandum curauit. Cur verò tam egregiam ei exhibuit pietatem? Cur honorauit mortuum, quem perſecutus fuerat viuum? Cur tandem viro inimico præſtitit obſequia, quibus maiora pręſtare non potuiſſet amico? Quia Pompeius fuerat ei affinitate coniunctus. Hoſtilis deponendus eſt animus, cùm mortui ſunt hoſtibus propinqui, & iccircò Pompeium propinquum, licet inuiſum hoſtem, defunctum tamen dedecore non affecit, ſed lachrymis, & ſepulturâ honorauit. Accipe verba Valerij Maximi lib. 5. cap. 1. *Vt id Cæſar aſpexit, oblitus hoſtis ſoceri vultum induit, ac Pompeio tùm proprias, tùm etiam filiæ ſuæ lachrymas reddidit. Caput etiam plurimis, & pretioſiſſimis odoribus cremandum curauit.* Agnouit Cæſar propinquos mortuos etiam hoſtes pietate proſequendos, quamobrem affinem Pompeium pijs lacbrymis plorauit, & ſepulchralibus obſequijs decorauit.

Val. Max.

Vultur ob cognationem generis auiū cadauera non laniat.

12 Quid? quòd beſtiæ quoque hanc videntur comprobare veritatem? Certè Plutarchus vulturem ait cadaueribus depaſci, hocque tantummodo cibi genere vti, aues tamen mortuas addit eumdem omittere intactas. Quòd ſi petas cauſam, reſpondet eum id agere, ne ſæuiat in aues defunctas generis coniunctione ſibi propinquas. *Cadaueribus tantùm veſcitur, nihil, quod viuat perimit, neque ei nocet. Volucribus* Ob Cognationem *abſtinet etiam mortuis.* Hæc Plutarchus in Romulo. Ita mortuis propinquis debita ſunt pietatis obſequia, vt nec animalia rationis vſûs expertia in animalium cadauera ſæuiant ſibi generis coniunctione propinquorum.

Plutarchus.

Vt quis fungatur ſuo munere, debet propinquis pietatem exhibere.

13 Hæc expendens Seruius Sulpicius, Marcellum defunctum ſibi propinquum ſummâ pietate honorauit, vndè ſcribens ad Ciceronem lib. 4. Epiſt. 12. multos ei recenſet honores à ſe collatos, quos omnes propter propinquitatem exhibuiſſe, vt ſuum adimpleret munus, teſtatur. Munera enim ſunt ſuperſtitum pietatis obſequia, quibus propinquorum memoria honoratur defunctorum. *Quæ noſtra officia fuerunt, pro collegio, &* Propinqvitate, *& viuo, & mortuo, omnia ei præſtitimus.* Vt officio ſuo ſatisfaceret, propinquo defuncto pietatem exhibuit, nec enim ſuo fungitur officio, qui ſuam propinquis, cùm deceſſerint, miſericordiam non impendit. Liquet igitur mortuos illos præcipuè à nobis eſſe adiuuādos, quibus cognatione ſumus coniuncti, nam propinquis defunctis miſericordiam impertire tenemur.

Seru. Sulpic.

CAPVT XIX.

Parentes mortui ſunt à filijs pietate proſequendi.

Honorandi ſunt parentes nedùm viui, ſed etiam mortui.

1 INter propinquos primum obtinent locū parentes, quibus mortuis quantam debeamus pietatem hoc Capite oſtendam. Quod placet exordiri à præcepto, quo Deus iuſſit honorari parentes. Dixit enim in lege, quam per Moyſen populo tradidit. *Honora patrem tuum, & matrem, vt ſis longæuus ſuper terram.* Exod. 20. 12. Quod præceptum, cùm ad venerationem non coarctetur viuorum, honorem etiam vtique comprehendet parentum defunctorum. At quomodo poſſunt filij ſuperſtites parentes honorare defunctos, niſi pro eis orent, alijſque pietatis ſuffragijs adiuuare illos conentur? Hoc igitur pręſtare debebunt, vt quem Dei iuſſu tenentur, parentibus impendant honorem. Audiendus Iodocus Clichtoueus ſerm. 3. pro defunctis. *Si* Parentes *eſſent viuentes, & in neceſſitate conſtituti, deberent filij illos honorare, ſubminiſtrando neceſſaria vitæ. Quantò igitur magis* Cvm Mortvi Svnt Parentes, Et Igne Pvrgatorio Detenti, *debent filij eos oratione ſuâ ſubleuare, & liberare ab illâ anguſtiâ, & ſic eos honorant pro illo ſtatu, ſcilicet poſt mortem eorum; non enim ſolùm viuentes, ſed* Etiam Mortvos Svos Parentes Debent Honorare Filii, *& non poſſunt alio modo, quàm pro eis orando.* Non tantùm viuos, ſed & mortuos debent filij honorare parentes, quapropter & oratione illos iuuare, & cæteris ſuffragijs eis pietatem exhibere tenentur.

Iod. Clichto.

Parentalia Gentiles parentibus defunctis celebrabant.

2 Hunc honorem Gentiles quoque ſuis parentibus exhibere ſtudebant, hinc dies parentales inſtituerunt, de quibus Ouidius lib. 2. Faſtorum.

At quondam dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, PARENTALES deſeruere DIES.

Ouidius.

Qui ſanè dies hoc nomine ſunt appellati, quòd in eis pro parentibus defunctis funerea conuiuia celebrarentur, ac eorum ſepulchris epulæ offerrentur. Annuit hunc locum Poëtæ explicans Paulus Marſus. *Deſeruere dies parentales, ideſt diem parentalium ſacrorum, in quibus pro* Parentibvs, *ſeu maioribus extinctis epulæ ſepulchris ferebantur.* Idemque ex D. Hieronymi ſententia docet Ambroſius Calepinus. *Parentalia conuiuia, quæ in* Parentvm, *aut propinquorum funeribus fieri conſueuerunt. Dicta parentalia, teſte Hieronymo, in Ieremiam, quòd hoc officij genus filij* Parentibvs *præſtarent.* Atque hinc paulò infrà ortum eſſe verbum, Parento, affirmat. *Parento,* Parentibvs Ivsta Celebro, *licet etiam ad alios transferatur.* Plurima pietatis obſequia parentibus Gentiles quoque præſtabant, ac propterea & parentalia, & dies parentales, vt eorum memoriam honorarent, inſtituerunt.

Paul. Marſus

Ambr. Calep.

Filij parentibus mortuis

3 Hanc à filijs exegit pietatem ille, qui ex Hiſpaniâ, vbi occubuerat, ſuum cadauer ad patriū

ſepul-

maiorem pietatem debent quam viuis.

Inſcr. Hiſp.

ſepulchrum transferri mandauit, hæcque lapidi iuſſit inſcribi. *Vos Filij in viuentem* PARENTEM *pientiſſimi, in mortuum pij magis, paternos cineres ex Hiſpaniâ exportate, communique ſepulchro condite, quò auitis cineribus immixti* SACRO GAVDEANT ANNIVERSARIO PARENTARI. Refert hanc inſcriptionem Ioannes Kirchmannus lib. 3. de Funeribus Romanorum cap. 13. Ex quâ licet arguere multò maiorem à filijs pietatem exhibendam eſſe parentibus mortuis, quàm viuis.

Varij ritus, quibus pietas impēdebatur defunctis.

Alex. ab Alex.

Liuius.

Nic. Trigaut.

4 Hinc orta eſt conſuetudo, quâ filij parentes ad ſepulchrum efferebant. Cuius ritûs meminit Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Itaque filij* PARENTES, *& fratres ſorores elatas funere deferebant.* Et alia etiam, quâ parentibus matronę annuum luctum exhibebant. Quare cùm hunc luctum in Bruti morte per annum Romanæ matronæ protraxiſſent, dixit Liuius lib. 2. illas tanquam parentem eum luxiſſe. *Matronæ annum, vt* PARENTEM, *eum luxerunt.* Quin & magis pios Sinarum ritus in funeribus parentum profert Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap. 7. *Non rarò filij* PARENTVM *cadauera feretro incluſa ad tres, quatuorue annos domi aſſeruant, ſuo enim illo pellucido bitumine ita rimas illinunt, vt minimè fætorem transmittant. Quo tempore in ſingulos dies cibum illis, potumque offerunt, non ſecùs ac ſi ſupereſſent, nec filij eo tempore in ſedilibus ſolitis, ſed in humili ſcabello conſident, eoque veſte albâ contecto.* Et poſt nonnulla. *Si filios abeſſe domo contigerit ſub* PARENTVM *obitum in eorum aduentum tota lugubris pompa differtur. Porrò cùm de* PARENTIS *obitu certior factus eſt filius, ſi vir fuerit primarius eo ipſo in loco, in quo eum tùm adeſſe contigerit, parenti cenotaphium excitat, & amicorum complorationes excipit. Deindè in patriam primo quoque tempore reuertitur, & eoſdem ritus denuò reſtaurat.* Expende quot pijs ritibus proprium ergà parentes filij teſtentur affectum.

Ioſeph Iacob pietatem impendens miſericordia nos monuit, quam debent parentibus filij.

Oleaſter.

5 Ad ſacra redeo, & funus, quo Ioſeph defuncto patri parentauit, conſidero, qui poſtqoam eius cadauer lachrymis rigauit, oſculis excepit, ac aromatibus condiuit, illud, annuente Pharaone, vſque ad terram Chananæorum tranſtulit, & in paterno ſepulchro, cunctis optimatibus Ægypti ſolenniter funus comitantibus, collocauit. *Et portantes eum in terram Chanaan, ſepelierunt eum in ſpeluncâ duplici, quam emerat Abrahā cum agro in poſſeſſionem ſepulchri ab Ephron Hethæo contrà faciem Mambre.* Gen. 50. 13. Quòd ſi quis miretur, quòd tot expenſis voluerit Ioſeph patris transferre cadauer, deſinat mirari, nam his expenſis nos admonere voluit pietatis, quam filij ſuperſtites mortuis parentibus exhibere tenentur. Egregiè Oleaſter. *Pietatis ergà* PARENTES *nos admonet, & eam docet hic ſanctus Ioſeph.* Expenſis non pepercit, labores neglexit, cunctaque itineris pericula contempſit, vt ſuo pietatem exhiberet parenti, nos docens, quo ſtudio debeant filij parentum funera curare, eiſque licet mortuis obtemperare, illa, quæ ipſis dum adhuc viuerent, commendauerunt, diligenter exequentes.

Eadem curâ Moyſes Ioſephi oſſa ſecum vexit.

Lippomanus.

6 Quod autem Ioſeph patri Iacob præſtitit, hoc ipſi Ioſeph Moyſes exhibuit. Nam antequā cum populo Iſraël, Deo iubente, exiret de Ægypto, eius oſſa ſecum tulit, & vt vltimam eius voluntatem exequeretur, quâ id iuſſerat, ad terrā, in qua patres eius ſepulti fuerant, aſportauit. *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum, eò quòd adiuraſſet filios Iſrael, dicens, Viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum.* Exod. 13. 19. Cur verò tantâ ſolertiâ ſancti Patriarchæ oſſa Moyſes extulit, niſi vt nos inſtrueret, filios extremam debere parentum implere voluntatem, eiſque morem gerere adhuc defunctis. Adeſt Lippomanus ad hunc locum hæc ſcribens. *Vltimâ, & piâ* PARENTES *voluntate non ſunt fraudandi à filijs.* Debent filij parentibus pietatem exhibere defunctis & iccircò Iſraëlitæ parentis Ioſeph vltimam voluntatem impleuerunt, eiuſque cadauer ad Chananæorum terram tranſtulerunt.

Filij Iacob vltimam parentis voluntatem impleuerunt.

Oleaſter.

Arguēdi qui negligunt ea implere, quæ parentes præcipiunt.

Idem.

7 Sed ad Iacob adhuc redeo, & expendo eius filios vniuerſa feciſſe, quæ moriens illis præcepit. *Fecerunt ergò filij Iacob, ſicut præceperat eis.* Geneſ. 50. 12. Nonnulli ex eis aeria verba à patre tulerunt, qui vitia ipſorum liberè moriens reprehendit, qui tamen, licet læſi, eum honorare, atque ad Chananæorum terram illius cadauer trāſferre voluerunt. Memores videlicet pietatis parentibus debitę, patris voluntatem impleuerunt, nobiſque non vulgare miſericordiæ parentibus exhibendæ reliquerunt exemplum. *Diſcant hinc,* inquit Oleaſter, *filij implere, quæ* PARENTES *in ſuis teſtamentis mandarunt, quod tamen rarò fit.* Implendæ ſunt prorsùs parentum voluntates, eiſque debent à filijs omnia prorsùs pietatis obſequia exhiberi. Quare idem Oleaſter in cap. 47. Geneſis arguendos ait filios, qui negligunt ea implere, quæ parentes, antequam decederent, præceperunt. *Eſſet in hic amplus locus arguendi filios, qui nihil minùs curant, quàm quæ* PARENTES DEFVNCTI *præceperunt.* Debent filij parentibus defunctis impendere pietatem, vndè acriter illi ſunt arguendi, qui extremam eorum voluntatem implere non curant.

Iſaach & Iſmael patrem ſepelientes docent nos filios funera curare parentum.

8 Ad extremam ſenectutem cùm perueniſſet Abraham defecit, & plenus dierum hanc mortalem cum æternâ vitâ commutauit. Iſaach autem, & Iſmaël eius filij communi curâ parentis cadauer vnà cum vxore in ſepulchro Ephron humauerunt. *Et ſepelierunt eum Iſaach, & Iſmael filij ſui in ſpeluncâ duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron filij Seor Hethæi è regione Mambre, quam emerat à filijs Heth, ibi ſepultus eſt ipſe, & Sara vxor eius.* Gen. 25. 9. Si quis attentè horum filiorum pietatem expendat, qui tam ſolerti ſtudio paternas exequias celebrauerunt, nonnè ex his agnoſcet debitum, quod habent filij, pietatem exhibendi parentibus defunctis? Sanè id agnouit Oleaſter, qui ad hunc locum hæc ſcribit. *Docentur filij curare funus* PARENTVM SVORVM. Parentibus mortuis

tuis

Idem.

tuis pietatem debent filij viui, vndè vbique docentur eorum funera curare, ac omnia illis miſericordiæ obſequia præſtare.

In lege veteri prohibitũ eſt ſacerdotibus plorare principes mortuos permiſſum verò lugere parentes.

9 Prohibuit Deus ſacerdotibus luctum pro mortuis, eoſque intereſſe noluit funeribus, nedùm ſubditorum, ſed nec etiam principum. Adhuc tamen eis permiſit, vt ſuorum funera curarent parentum. *Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis, ac propinquis, ideſt ſuper patrem, & matrem, & filium, & filiam, fratrem quoque, & ſororem virginem, quæ non eſt nupta viro: ſed nec in principe populi ſui contaminabatur.* Leuit. 21. 2. Cur dum eis licebat funeribus intereſſe parentum, non eſt etiam eis permiſſum, vt exequias celebrarent principum? Cur dum omnis populus mortem ſui lugebat principis, ſoli ſacerdotes ſiccis oculis eam ſuſtinere cogebantur? Cur demùm parentes humare poterant, principes verò ex legis præſcripto ſepelire nequibant? Non aliam ob cauſam, niſi quia mortui parentes adeò ſunt à filijs pietate proſequendi, vt ipſis quoque principibus debeant in huius exhibitione præferri. Aptè Oleaſter. *Non debent principes à ſacerdotibus exigere omnia, quæ alijs præcipuè* PARENTIBVS *exhibent, & in multis dominis* PARENTES *ſunt præponendi.* Sacerdotibus, quibus prohibitum eſt lugere principes, permiſſum eſt mortuos plorare parentes, vt diſcamus quantâ defuncti parentes ſint proſequendi pietate, qui principibus ipſis in exequijs, ac luctu ſunt præferendi.

Idem.

Iuſſit Deus, vt mulier captiua lugeret antè nuptias defunctos parentes.

10 Hoc idem ex alio legis præcepto colligere licet, quo iuſſit Deus, vt ſi fortè Iſraëlita captiuam mulierem adamaret, eamque vxorem ducere vellet, hæc antè nuptialem congreſſum integro menſe patrem, ac matrem lugeret. *Deponet veſtem, in quâ capta eſt, ſedenſque in domo tuâ flebit patrem, & matrem ſuam vno menſe, & poſteà intrabis ad eam, dormieſque cum illâ, & erit vxor tuâ.* Deut. 21. 13. Inueſtigatione dignum eſt, cur antè ſolennitatem nuptiarum præceperit Deus effuſionem lachrymarum. Quid nuptijs cum lachrymis, vt antequam iniret nuptias, deberet mulier effundere lachrymas? An id iuſſum eſt, vt mulier antè luctui, quàm voluptati vacans, debitam exhiberet mortuis parentibus pietatem? Porrò ita ſentit Dionyſius Carthuſianus. *Pietas edocetur, ne quæ perſona poſt ſuorum mortem* PARENTVM, *ſtatim ad voluptatem ſe donet.* Idemq; docet Oleaſter. *Non vult Dominus hominem, in quocumque ſtatu ſit,* PIETATIS IN PARENTES *obliuiſci, ſed naturæ ſua iura tribuere.* Iuſſit Deus, vt mulier captiua diuturno luctu antè nuptialem congreſſũ patrem, ac matrem honoraret, vt hinc quoque conſtaret, quantâ pietate ſint à filijs poſt mortem proſequendi parentes.

Dion. Carth.

Oleaſter.

D. Auguſtinus & ſuis, & alienũ ſuffragijs mortuos parentes adiuuare ſatagebat.

11 Nouerat id Sanctus Pater Auguſtinus, ideòque non tantùm ſuis, ſed & alienis precibus parentibus, qui eum genuerant, pietatem impendere cupiens, Deum rogabat, vt cæteris quoque fidelibus inſpiraret pietatem, quatenùs etiã ipſi eos defunctos orationum, reliquorumque ſuffragiorum virtute adiuuarent. Hæc ſunt eius verba lib. 9. Confeſſion. cap. 13. *Inſpira Domine Deus meus, inſpira ſeruis tuis, fratribus meis, filijs tuis, Dominis meis, quibus & voce, & corde, & literis ſeruio, vt, quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ cum Patricio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxiſti me in hanc vitam, quemadmodum neſcio. Meminerint cum affectu pio* PARENTVM MEORVM *in hac luce tranſitoriâ.* Vide, quâ pietate in ſuos Auguſtinus flagrabat parentes, quorum animabus, nedùm ſuis, ſed etiam aliorum ſuffragijs pietatem exhibere curabat.

D. Auguſt.

Parẽtem mortuum Æneas honorauit.

12 Poſtremò verba expendo, quibus pietatẽ ſuam ergà parentem Æneas teſtatus eſt apud Virgilium lib. 5. Æneidos.

Annuus exactis completur menſibus orbis
Ex quo reliquias, diuinique oſſa PARENTIS
Condidimus terrâ, mœſtaſque ſacrauimus aras
Iamque dies, ni fallor, adeſt quem ſemper acerbum,
Semper honoratum, ſic dij voluiſtis, habebo.

Virgilius.

Aduerte pium filium diuinum vocaſſe parentem, eumque honorificis verbis decoraſſe, nam maximè à filijs parentes honorandi ſunt defuncti. Adeſt Naſcimbænus. *Τὸ πρέπον: decet enim* PARENTEM PRAESERTIM MORTVVM *à filio commendari.* Religioſus filius parentem commendauit, & ſuâ pietate honorauit mortuum, agnoſcens, quantâ ſint poſt mortem à filijs pietate proſequẽdi parentes.

Naſcimbenus

Eadem pietate ſuum Electra decorauit.

13 Quod & agnouit Electra, quæ apud Sophoclem inſanæ mentis homines appellauit, qui parentum obliuiſcuntur mortuorum: nec enim cum ſanâ mente poteſt hæc impietas cohærere.

Non eſt ſanæ mentis homo, qui miſerè
MORTVORVM PARENTVM *obliuiſcitur.*

Sophocles.

Et poſt nonnulla teſtatur ſe parentibus orbatam pio tabeſcere luctu.

neque ampliùs perferre poſſum
Quæ PARENTIBVS *orbata luctu contabeſco*

O egregiam mulieris ergà parentem pietatem, quâ tam diuturno, ac pio luctu eum plorauit, cæteriſq; illuſtre miſerationis debitæ defunctis exemplum reliquit. Verè ipſa quoque oſtendit, parentes mortuos eſſe à filijs pietate proſequendos.

CAPVT XX.

Miſericordiæ obſequia, quibus honorandi ſunt Patres mortui declarantur.

Prima pietas patri debetur defuncto.

1 PIetatem vtrique parenti debitam capite præcedenti explicaui, nunc venio ad miſericordiam, quam ſigillatim vnicuique ex illis debemus, & à patre incipio, cui defuncto primam à viuis deberi pietatem Auſonius affirmat in parentalibus carm. 2.

PRIMVS IN HIS PATER Auſonius, quem ponere PRIMVM

Auſonius.

Etſi

Digitized by Google

Etſi cunctetur filius, ordo iubet

Quapropter in ſuis Edylijs poſt venerationem Dei Epicedion pijs carminibus canit in laudem patris defuncti. In cuius præfatione ad rem noſtram hæc habet. *Poſt Deum ſemper* PATREM *colui, ſecundamque reuerentiam* GENITORI MEO DEBVI. *Sequitur ergò hanc ſummi Dei venerationem Epicedion* PATRIS MEI, *titulus à Græcis authoribus defunctorum honori dicatus*. Poſt Deum immortalem, cui primum debemus honorem, nemioem inter mortuos habemus, cui plus debeamus, quàm patri, & iccircò ei peculiaria ſunt à nobis obſequia filiali ſolicitudine impendenda.

Ioſeph patrē lachrymis, & oſculis honorauit defunctum.

2 Quæ obſequia præſtitit Ioſeph, cùm patrē cernens defunctum, ſuper faciem illius ruit, & lachrymis cum perfundens, oſcula inſuper addidit, quibus & tenerum amorem, & ingentem, quo in morte illius afficiebatur, teſtaretur dolorem. *Quod cernens Ioſeph, ruit ſuper faciem patris, flens, & deoſculans eum.* Gen. 50. 1. Hæc nempè omnia egit, vt filialem, oſteoderet, quo mortuum patrem proſequebatur, amorem. Appoſitè Dionyſius Carthuſianns. *Victus filialis amoris tam naturalis, quàm infuſi feruore, proiecit ſe ſuper corpus.* PATRIS SVI DEFVNCTI. Magnâ feruebat Ioſeph ergà defunctum genitorem dilectione, ideòque lachrymis, oſculis, alijſque pietatis obſequijs eum honorauit.

Dion. Carth.

Eumdem ab Aegyptijs honorari permiſit.

3 Nec tantùm ipſe honorauit, ſed à cæteris etiam eum honorari permiſit. Aegyptij quippè illum ſeptuaginta diebus luxerunt. *Fleuitque eū Aegyptus ſeptuaginta diebus*. Gen. 50. 3. Quòd ſi quis inquirat, cur ſineret Ioſeph homines Idolorum ſuperſtitionibus irretitos tam diuturno luctu plorare ſuum genitorem, in promptu eſt reſponſio Lippomani, qui ait id eum egiſſe, ne minori videretur proſequi pietate parentem, quam cæteri proſequerentur Aegyptij, qui luctu in ſuorum funeribus conſueto ei parentare cupiebant. *Illorum præſes id tulit, nempè vt* PATREM SVVM *ſeptuaginta diebus flerent, ne* PATREM *videretur amaſſe tepidiùs*. Multam filius patri tenetur impēdere pietatem, in cuius exhibitione ne Ioſeph deficere videretur, nnn tantùm ſuis lachrymis eum decorauit, ſed Aegyptiorum quoque luctu honorari permiſit.

Lippomanus.

Eidem promiſit poſt mortē illius ad proprium ſepulchrum transferre cadauer.

4 Quin & antequam Iacob moreretur, promiſit Ioſeph impendere illi pietatem, iurauitque cadauer eius ad terram Chananæorum transferre in proprio ſepulchro humandum. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub fæmore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hac, condaſque in ſepulchro maiorum meorum. Cui reſpondit Ioſeph. Ego faciam, quod iuſſiſti.* Vbi obſeruat Abulenſis, ideò Ioſeph hoc iuramento parenti obſequium pietatis promiſiſſe, quod poſtulabat, quia nouit filios debere patribus obtemperare defunctis, eorumque vltimam implere voluntatem. *Cognouit dignum eſſe filios* PATRIBVS *obedire, & putauit ſe hoc poſſe facere, quia Pharao daret ei licentiam eundi ad ſepeliendum* PATREM SVVM, *ideò aſſenſit precibus, non tanquam precibus, ſed tanquam mandatis.* Simul vt audiuit Ioſeph patrē pietatem ſibi mortuo exhibendam poſtulantem, eius verbis, non tanquam precibus aſſenſit, ſed tanquam mandatis obtemperauit, tenentur enim filij, quæcumque poſſunt, pietatis obſequia ſuis patribus exhibere, ac ſi ſibi eſſent peculiariter mandata.

Abulenſis.

In funere Iacob peculiariter nominantur filij, quia ipſi præcipuè patri pietatē impendere tenebantur.

5 Illud etiam hìc obſeruatione dignum cenſeo, quòd cùm iret Ioſeph cum patris cadauere ad terram Chananæorum, dicuntur ſimul cum eo perrexiſſe cæteri quoque illius fratres. *Domus Ioſeph cum fratribus ſuis abſque paruulis, & gregibus, atque armentis, quæ dereliquerunt in terrâ Geſſen.* Gen. 50. 8. Nunquid non aſcenderunt etiam cum eo cuncti ſeniores, atque optimates Ægypti? Vtique dicitur. *Quo aſcendente ierunt cum eo omnes ſenes domûs Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Aegypti.* Cur ergò non explicatur etiam, quinam iſti eſſent, ſed tantùm fratres Ioſeph peculiariter nominantur? An quia magis ad iſtos pertinebat, quàm ad cæteros defunctum Iacob plorare, & comitari, cuius erant filij? Ita ſanè; nam funera patrum pietate maximè ſunt honoranda filiorum. *Denominat hîc*, inquit idem Abulenſis, *immediatè fratres, quia iſtæ erant perſonæ, ad quas principaliter tangebat iſtud negotium cum Ioſeph. Et licet alij de Aegyptijs ibi eſſent honorabiliores, tamen non nominauit eos, quia non attinebat ad eos principaliter iſtud factum, ſed venerant, vt comitarentur Ioſeph.* Spectat præcipuè ad filios patribus pietatem exhibere defunctis, ideòque principaliter in funere Iacob eius filij nominantur, tanquam illi, qui tenebantur præ cæteris illud curare, atque honorare.

Idem.

Ioſeph Cadauer ad terrā Chanaan eſt translatum, quia ipſe ad eamdem patris extulerat corpus.

6 Antequam Iſraëlitæ deſerentes Aegyptum ad terram promiſſionis proficiſcerentur, cadauer Ioſeph ſecum tulerunt, illudque honorifico in monumento reponendum indè aſportauerunt. *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum, eò quòd adiurauerat filios Iſrael, dicens, Viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum.* Exod. 13. 19. Expende piorum hominum diligentiam, qui cùm vix neceſſaria pro itinere ſecum ferrent, Aegyptiorum perſecutionem metuentes, voluerunt tamen inter hæc Patriarchæ quoque cadauer ſecum efferre, & agnoſce ideò illos hoc egiſſe, vt promiſſam ei fidem ſeruarent, de transferendo eius corpore, ſicut ipſe ſeruauerat patri, cuius cadauer tantâ pietate ad terram tranſtulerat Chananæorum. Opportunè Lippomanus. *Sic promiſſam Ioſeph fidem filij, vel nepotes ſeruarunt de transferendis in Chanaan oſſibus, ſicut & ipſe* PATRI SVO *fidem ſeruauerat.* Optimus filius debitam patri pietatem impendit, eius corpus ad proprium transferens monumentum, ideòque congruum fuit, vt ſuum quoque cadauer honorificè à poſteris, iuxtà id, quod iuſſerat, ex Aegypto ad eamdem terram transferretur.

Lippomanus.

7 Increpauit Chriſtus Phariſæos, quia Pro-

Flet ſet Chriſtus in-

phetarum

Digitized by Google

crepauit, quia patrum defũctorum crimina accuſabãt

phetarum, quos patres eorum interfecerant, monumenta magnis ſumptibus ædificabant. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum, patres autem veſtri occiderunt illos.* Luc. 11. 47. At quid reprehenſione dignum agebant, dum ſepulchra mortuorum ornabant? Videbantur potiùs in hoc laudandi, quòd iuſtos morte peremptos obliuioni non traderent, ſed eorum memoriam monumentorum conſtructione ſeruare ſtuderent. Quid magis pium, quàm pietatis obſequijs eos honorare, qui obierunt? Cur igitur Phariſæos hæc obſequia prophetis defunctis impendentes tam acriter Chriſtus reprehendit? Non increpauit eos, quia ſepulchra ædificarent prophetarum, ſed quia hæc non intuitu pietatis, ſed hypocriſis gratiâ conſtruebant, imitantes facinora patrum ſuorum, quæ verbis condemnare videbantur. Cùm igitur tali reſtauratione ſepulchrorum eò tantùm tenderent, vt patrum delicta accuſarent, rectè illos, non tanquam pios in prophetas laudauit, ſed vt impios in mortuos patres acri obiurgatione increpauit. Subſignat Gloſſa Ordinaria.

Gloſſa ordin.

Non arguuntur, quòd exornant monumenta prophetarum, ſed quia interfectores prophetarum imitantes, ædificando ſepulchra, accuſant PATERNA *facinora.* Tenentur filij ſe ſe patribus defunctis exhibere pios, quamobrem cùm Phariſæi ſuos patres iam mortuos impiè accuſarent, meritò erant ſeueris verbis increpandi.

Phinees patrẽ Eleazarum ſepelinit.

8 Hùc etiam voco ſepulturam, quâ Eleazar ſummus ſacerdos poſt mortem fuit honoratus, de quâ dicitur. *Eleazar quoque filius Aaron mortuus eſt, & ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filij eius, quæ data eſt ei in monte Ephraim.* Ioſue. 24. 33. Vbi Abulenſis legit. *Et ſepeliuit eum in Gabaath filius eius Phinees.* Rationem autem, cur hic eum ſepelierit ex eo affert, quòd filij præcipuè tenentur patrum honorare ſepulchra, eiſque pietatem exhibere defunctis. *Dicitur, quòd ſepeliuit Phinees Eleazarum, quia cùm eſſet filius eius, ipſe debuit eſſe præcipuus circà honorem* SEPVLCHRI PATERNI. Præcipuum filiorum munus eſt patres honorare defunctos, vndè patrem Eleazarum mortuũ eius filij ſepelierunt, & Phinees, qui erat inter eos ratione ſummi ſacerdotij præcipuus præcipuo eum eſt honore proſecutus.

Abulenſis.

Quintum Metellũ filij ſuis humeris elatum rogo impoſuerunt.

9 Quod etiam obſequiũ Quinto Metello poſt mortem filij præſtiterunt, cuius cadauer ſuis humeris per vrbem extulerunt, & honorificè cremandum rogo proprijs manibus impoſuerunt. Refert hoc Valerius Maximus lib. 7. cap. 1. his verbis. *Quintum Metellum vltimæ ſenectutis ſpatio defunctum, leniq; genere mortis inter oſcula, complexuſque cariſſimorum pignorum extinctum filij, & generi humeris ſuis per vrbem latum rogo impoſuerunt.* Obſerua præclaram filiorum ergà ſenem patrem defunctum pietatem, qui eius cadauer efferre, ac pyræ à ſeipſis imponere voluerunt.

Val. Max.

Mardonij filius multa dona diſtribuit, vt ei defuncto ſepultura honor impenderetur.

10 Sed & Mardonij filius non modicam patri defuncto pietatem impendit, qui plurima dona Dionyſiophani, alijſque tradidit, vt eius cadauer ſepulturæ mandarent. Quod narrat Pauſanias in Bœoticis. *Satis illud conſtat Antonem Mardonij filium luculenta dona Dionyſiophani homini Epheſio, & alijs quibuſdam Ionici nominis dediſſe, quò* PATRIS *ſepeliendi curam ſuſciperent.* Sumptui non pepercit, pecunias neglexit, munera liberaliter diſtribuit, vt mortuo patri pietatem impenderet, quem ſine ſepulturæ honore iacere nolebat abiectum.

Pauſanias.

Cimon voluntarijs vinculis patri mortuo emit ſepulturam.

11 Verùm cæteris omnibus hac pietate Cimon præiuit, qui patrem ob peculatûs crimen in carcerem coniectum, ibique vitâ functum, vt ſepulturæ honore donaret, paterna in ſe vincula tranſtulit, & carcerem viuus intrauit, vt ex eo genitorem poſſet efferre. O immortale pietatis in mortuum patrem exemplum, nunquam de hominum mentibus delendum! O verè præclarum filij amorem, qui potiùs libertatis iacturam facere decreuit, quàm pietatis. *Ne te quidem,* inquit Valerius Maximus lib. 5. cap. 4. *Cimon ſilentio inuoluam, qui* PATRI TVO *ſepulturam voluntarijs vinculis emere non dubitaſti.* Quid poterat amplius pro patre defuncto filius agere ſuperſtes? Profectò valdè neceſſarium cenſuit patri mortuo ſepulchrales exhibere honores, dum vinculis conſtringi, & carceri mancipari, voluntariè, vt eos exhibere poſſet, elegit.

Val. Max.

Pietatis obſequia, quæ Patribus debentur à filijs, neceſſaria ſunt.

12 Huius pietatis neceſſitatem agnouit & ille, qui à Chriſto vocatus, eum rogauit, vt ſibi primùm permitteret ſepulturæ honorem defuncto parenti exhibere. *Ait autem ad alterum, ſequere me. Ille autem dixit, Domine permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum.* Luc. 9. 59. Cur à Chriſto vocatus, non illicò eum ſequi, ſed genitoris volebat ſepulturæ vacare? Cur, vt patrem humaret, magiſtrum iam ſibi præſentem deſerere quærebat? Cur tandem accerſitus ad vitam, mortem cogitat, ac ſepulturam? Quia nimis neceſſarium duxit patris exequias celebrare, illique ſepulchrales honores exhibere. Nec ſanè in hoc errauit, quamuis in eo ſit deceptus, quòd non putauit omnibus etiam neceſſarijs diuinæ religionis pietatem eſſe præferendam. Accinit D. Ioannes Chryſoſtomus In catenâ. *Quid autem magis* NECESSARIVM PATERNIS EXEQVIIS? *Quid facilius? cùm non eſſet multùm temporis dandum? Per hoc docemur quòd minimum temporis fruſtrà ducere decet, & ſi mille cogentia ſunt, imò præferre ſpiritualia cunctis admodum neceſſarijs.* Prorsùs neceſſaria ſunt ſuffragia, & obſequia pietatis, quæ patribus impenduntur à filijs, ideòque ad ea ſe teneri, etiam Chriſto vocante, diſcipulus iſte putauit.

D. Io. Chryſ.

Aeneas patri quotannis parentabat, hũc qui morem Romanis dedit.

13 Quam neceſſitatem expendens Æneas, Anchiſæ patri mortuo ſolennia quotannis dona ferebat, & anniuerſario mortis die præclarâ pietate parentabat. Vndè poſteà inualuit mos apud Romanos parentalia celebrandi ſingulis annis pro ſuis parentibus, & propinquis defunctis. Quapropter Ouidius lib. 2. Faſtorum cecinit.

Hunc morem Aeneas pietatis idoneus author

Digitized by Google

Ouidius.

Attulit in terras iuſte Latine tuas
Ille PATRIS genio ſolennia dona ferebat
Hinc populi ritus edidicere pios.

Paul. Marſus Quæ carmina explicans Paulus Marſus, hæc addit. *Attulit hanc conſuetudinem annuam pro mortuis ſacrificandi, nam pro* PATRE *quotannis ſacrificabat, vndè morem accepere poſteri.* Adeò ſe ſe pium oſtēdit Æneas in patrem defunctum, vt ei quotannis parentauerit, & morem efferrendi annua parentalia ſuâ pietate in Latium inuexerit.

Pietas Electra in patrē defunctum. 14 Addo in calce capitis pietatem, quam Electra mortuo impendit patri, quæ nunquam dixit ſe prætermiſſuram luctum, quem ei filiali amore exhibebat. Hæc igitur apud Sophoclem conſolatricibus puellis aiebat.

Sophocles.

O' ſoboles generoſorum parentum
Venitis, vt meas miſerias conſolando leniatis;
Noui, & intelligo iſta, neque me fugiunt,
Sed non tamen hoc prætermittam,
Quin PATREM MEVM miſerum lugeam.

Vides pietatem, quâ mulier iſta mortuum proſequebatur patrem, luctum nolens omittere, quo ei parentabat? Ex his igitur ſatis, ni fallor, hucuſque miſericordiæ obſequia, quibus honorandi ſunt Patres mortui, ſunt declarata.

CAPVT XXI.

Pietas Matribus defunctis exhibenda explicatur.

Aequalē pietatem debent filij patri, ac matri. 1 EXplicatâ pietate, quam debemus defuncto patri, ordo poſtulat, vt miſericordiam declaremus exhibēdam mortuæ matri, non enim tantùm patri, ſed & matri præcipua debet à filio pietas impendi. Quod ſanè teſtatus eſt Auſonius in parentalibus carm. 4. cùm patrem primùm, & matrem piè laudauit.

Auſonius.

Culta mihi eſt pietas PATRE PRIMVM, ET MATRE vocatis

Nic. Trigaut. Et Sinæ tùm patri, tùm etiam matri luctu trienni parentant. Quod narrat Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap. 7. *Inuiolabili conſuetudine receptum eſt, vt luctus* PATRIS, AVT MATRIS *in triennium protrabatur.* Aequali laude commendauit Auſ. æqualiq; luctu patrem, & matrem plorant Sinæ, quia æqualem debent filij patri, ac matri poſt mortem pietatem.

Maior pietas videtur poſt mortem exhibenda matri, quàm patri. 2 Imò reperio matrem interdùm patri præferri, ac priùs pietatem commendari debitam matri, quàm miſericordiam exhibitam patri. Iuſſit Deus ſacerdotibus, ne ſe contaminarent funeribus aſſiſtentes defunctorum, eis tamen permiſit, vt exequijs intereſſent parentum, ac propinquorum. *Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis, ac propinquis, ideſt ſuper patrem, & matrem.* Leuit. 21. 3. Hæc quidem vulgata lectio habet. Verùm in textu Hebraico mater præponitur patri, & legitur. כי אם לשארו הקרב אליו לאמו ולאביו *Niſi ſuper conſanguineo ſuo, qui propinquus eſt ei, ſuper matre ſuâ, & ſuper patre ſuo.* Ea videlicet pietas eſt exhibenda matri defunctę, vt maior ei videatur deberi, quàm patri. Nec immeritò, nam cùm multa filio mater exhibeat obſequia, eum lactans, nutriens, alijſque miniſterijs educans, quæ non exhibet pater, maiorem etiam poſt mortem ab eo videtur exigere pietatem, quàm pater. Audiendus hîc Oleaſter. *Præpoſuit* MATREM *in operibus pietatis, quoniam filius* PIVS MATRI DEBET, QVAM PATRI, *quæ in operibus pietatis abundauit, lactando, nutriendo, & alia miniſteria multa filio exhibendo, quæ non exhibuit pater.* Vt filius magnâ educatur pietate à matre, ita magnam ei poſt mortem debet rependere pietatem, ne ingratitudinis vitio laboret, dum eam, quam adeò beneficam expertus eſt viuam, renuit adiuuare defunctam. *Oleaſter.*

Atrocior fuit crudelitas, quâ Nero matrem cōtumelijs affecit mortuā eā, quā interfecit viuam. 3 Quâ ſanè ingratitudine laborauit crudeliſſimus Imperator Nero, qui matris Agrippinæ ſuo iuſſu interfectæ cadauer inuiſit, atque indignis modis denudatum contrectauit. Quam cōtumeliam morte ipsâ, quam illi inflixerat, dixit Suetonius atrociorem. Omnem quippè ſuperat atrocitatem crudelitas, quâ filius poſt mortem ſæuiit in matrem. Do verba Suetonij in Nerone cap. 34. ADDVNTVR HIS ATROCIORA, *nec incertis auctoribus, ad viſendum interfectæ cadauer accurriſſe, contrectaſſe membra, alia vituperaſſe, alia laudaſſe, ſitique interim obortâ bibiſſe.* Parricidio ipſo atrocior eſt ſæuitia in matrem defunctam, vndè Nero tunc addidit atrociora, cùm poſt necem matris, eam auſus eſt contemnere, contumelijſque afficere defunctam. *Suetonius.*

Homines impij compelluntur etiam inuiti ad exhibendum matribus defunctis pietatem. 4 Verùm pœnam tam immani ſceleri debitam hoc impium crudelitatis monſtrum non euaſit, ſed ſæpè inferorum ſpectris exagitatum, coactum denique fuit impietatem illam deteſtari, maternoſque manes ſacrificijs placare tentauit. Adeò quippè debita eſt à filio matri mortuæ pietas, vt ſi eam deſerat, ipſæ inferorum vmbræ ad id, quod debet, illum compellant, atque à crudelitate ad miſerationem reducant. Verbis allatis hæc item addit Suetonius. *Neque tamen ſceleris conſcientiam, quamquam, & militum, & ſenatûs, populique gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim, aut vnquam poſteà ferre potuit: ſæpè confeſſus exagitari ſe* MATERNA SPECIE, *verberibus furiarum, ac tædis ardentibus. Quin & facto per magos ſacro, euocare Manes, & exorare tentauit.* Coguntur etiam inuiti homines impij proſequi pietate matres defunctas, vndè Nero compulſus eſt mortuam matrem, in quam ſæuierat, precibus placare, ac ſacrificiorum oblationibus ei, crudelitate depoſitâ, parentare. *Idem.*

Iſaach etiam poſt [illegible] 5 Quæ autem obſequia impij coacti, hæc ſpōtè impendunt homines pij. Duxit Iſaach Rebeccam in vxorē, & cū ex his nuptijs lętitiā percepit,

vt

vt dolorem mitigauerit, qui ex morte matris ei contigerat. *Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & accepit eam vxorem, & in tantùm dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* Gen. 24. 67. Vbi aduertit Lyranus non dixiſſe Moyſen, quòd Iſaach abſtulerit, ſed quòd temperauerit dolorem, quo mortuam matrem lugebat, adeò quippè illam diligebat, vt nec poſt triennium pietatem ei luctu impendere ceſsaret. *Temperaret, non totaliter auferret. Ex quo patet magna affectio ipſius Iſaach* AD MATREM SVAM, *quæ iam obierat tribus annis antè.* Nouerat pius filius pietatem, quã defunctæ matri debebat, & iccircò etiam poſt triennium ſuo eam luctu honorabat.

Lyranus.

Iacob plorãs Deboram ſuæ matris nutricẽ, oſtendit, quantâ pietate illam honoraſſet, ſi eius mortẽ interfuiſſet.

6 Patris pietatem imitatus eſt filius Iacob, qui mortuam Deboram ſuæ matris nutricem ad radices Bethel honorificè ſepeliuit, ac tam pio luctu plorauit, vt ab eo locus nomen acceperit, & in poſterum appellatus ſit Quercus fletus. *Eodem tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercum: vocatumq; eſt nomen loci illius Quercus fletûs.* Gen. 35. 8. Vt quid verò matris nutricem tantâ pietate humauit, ac luxit, niſi, ut oſtenderet, quòd maiori pietate matrem honoraſſet, ſi eius exequijs interfuiſset, dum tanto proſequebatur honore illius nutricem? Appoſitè idem Lyranus. *Nutricem eius honorificè ſepeliuit, in quo ſatis oſtendebat, quòd* CVM VALDE' MAIORI HONORE SEPELIVISSET MATREM, *ſi eius morti interfuiſſet.* Attende præclaram filij ergà matrem defunctam pietatem, qui cùm eam abſens non poſſet ſepulchralibus obſequijs honorare, hos præſtare voluit eius nutrici honores, in nutrice matrem honorans, eiuſq; gratiâ illam tam pio luctu deplorans.

Lyranus.

Principaliter matrem plorauit, cùm Deboram luxit.

7 Ex his facilè ſolui poterit dubium, quod hìc oriri poteſt, cur ſacer hiſtoricus mortem, ac ſepulturam Deboræ deſcribat, exequias autem Rebeccæ ſileat. Dicendum eſt enim cum eodem Lyrano implicitè mortem quoq; narrari, ac ſepulturam illius, cùm luctus narratur, quo Iacob Deboram plorauit eius nutricem, nam hoc luctu principaliter pietatem exhibuit matri ſuæ, cuius gratiâ eius nutricem plorabat. *Adhuc implicitè ſacra ſcriptura fecit mentionem, cùm de ſepulturâ Deboræ nutricis eius tantam fecit mentionem, vt dictum eſt, vndè vocatum eſt nomen loci illius quercus fletûs, quia ibi Iacob principaliter* FLEVIT MATREM SVAM, *pro cuius honore nutricem eius honorificè ſepeliuit.* Non omiſit religioſus filius debitis pietatis obſequijs matrem honorare defunctam, ſed eam principaliter plorauit, cùm eius nutricem tantâ pietate humauit.

Idem.

Lauinia ingẽtia pietatis ſequia in funere matris exhibuit.

8 Deſcribit Virgilius lib. 12. Æneidos exequias, quas Amatæ Reginæ, quæ ſe infœliciter laqueo necauerat, Latini ſolenniter celebrauerunt, aitque inter omnes Lauiniam eius filiam primam veſtimenta ſcidiſse, crines lacerаſſe, vultumque præ nimio dolore laniaſſe.

Virgilius.

Quam cladem miſeræ poſtquam accepere Latinæ
Filia prima manu flauos Lauinia crines
Et roſeas laniata genas: tùm cætera circùm
Turba furit, reſonant latè plangoribus ædes.

Obſeruat autem Donatus iurè Lauiniam antè cæteros his pietatis obſequijs Reginæ parẽtaſse defunctæ, nam cùm eſset eius filia, matrem pręcęteris poſt mortem honorare debebat. *Prima diſcidit comam, prima veſtis indumenta diruit, prima laniauit faciem ſuam; ipſa enim debuit primitùs dolore, & luctibus grauiùs commoueri, ad quam* MATERNI FVNERIS ACERBITAS SPECIALITER PERTINEBAT. Debent filij præ cæteris matrum funera ingenti proſequi pietate, vndè Lauinia omnium prima matrem defunctam miſericordiæ obſequijs honorauit.

Donatus.

D. Auguſtinus religioſis precibus matris animam Deo cõmendabat.

9 Potiora verò, ac vtiliora fuerunt obſequia, quæ D. Auguſtinus ſuæ præſtitit matri, qui pro ſalute illius pias preces effundens, eius animam toto cordis affectu Deo commendauit. Digna ſunt, quæ hic exſcribantur verba, quibus hanc ei exhibebat pietatem, quæ lib. 10. Confeſs. cap. 13. habentur. *Ego itaq; laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, ſepoſitis paulìſper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis* MATRIS MEAE *deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum noſtrorum, quæ pependit in ligno, & ſedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis. Scio miſericorditer operatam, & ex corde dimiſiſſe debita debitoribus ſuis; dimitte illi & tu debita ſua, ſi qua etiam contraxit per tot annos poſt aquam ſalutis. Dimitte obſecro, ne intres cum eâ in iudicium.* O' verè pium, ac filialem in mortuam matrem affectum, quo ſanctus hic pater tam religioſas, ac feruentes pro eâ preces effudit.

D. Auguſtinus.

Illis, quæ nos materno dilexerunt affectu, miſerationem debemus.

10 Capiti coronidem impono, addens ita matri mortuæ deberi obſequia pietatis, ut non tantùm veræ matri, ſed illis etiam quæ nos materno dilexerũt affectu noſtrã debeamus miſerationem. Quapropter Auſonius in parẽtalibus car. 7. cecin.

Tuq; gradu generis matertera, ſed vice MATRIS
Affectu nati commemoranda pio.

Auſonius.

Affectum pium materteræ poſt mortem ſe debere teſtatus eſt, à qua viuente materno fuerat dilectus affectu; ingentem enim exigunt pietatem defunctæ, quæ maternum, dum viuerent, exhibuerunt amorem. His igitur ita conſtitutis, & debitum filiorum apparet, & pietas defunctis exhibenda explicatur.

CAPVT XXII.

Filijs mortuis ſuperſtites pietatem debent parentes.

Adã, & Eua pro Abel filio defuncto ad Deum clamauerunt.

1 A' Parentibus tranſeo ad filios, & qui hucuſq; pietatem, quam filij debeat parentibus, explicaui, nunc miſericordiam à parentibus defunctis filijs exhibendã declaro. A' verbis autem Capitis initium ducere placet, quibus Deus crimẽ obiurgauit, quo Cain innocentẽ fratrem inuidiâ tabeſcens in agro necauit. *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me terrâ.* Gen. 4. 10. Quomodo ad Deum ſan-

Digitized by Google

guis iſtc clamabat? Habet ne vocem, & verba cruor, quibus vociferetur? An qui ſilet in viuo, clamorem emittit à corpore fuſus defuncto? Soluunt hoc dubium Hebræi, dicentes nomine ſanguinis non intelligi cruorem à corpore Abel effuſum, ſed eius parentes Adam, & Euam, de quorum ſanguine erat, qui ad Deum clamabant, filium defunctum piè, ac religiosè lugentes. Ad rē Hugo Card. *Iudæi ſic exponunt. Vox eorum, de quorum ſanguine eſt, ſcilicet Adam, & Eua luxerunt eum.* Primi omnium hominum parentes ad Deū pro filio defuncto clamauerunt, cæteroſque ſuo exemplo docuerunt, vt ad Deum ſuis precibus in morte filiorúm clament, eumque pro illorum ſalute ſuppliciter exorent.

Hugo Card.

2 Abſalom quercu infęliciter pendentem tribus lanceis Ioab transfodit, eumque iam prælio victum interfecit. Quod vt agnouit eius pater Dauid, valdè contriſtatus luctui vacauit, eiuſque nomen iteratis vocibus ingeminās, pro illo mortem ſubire optauit. *Contriſtatus itaque rex, aſcendit cœnaculum portæ, & fleuit, & ſic loquebatur, vadens, Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?* 2. Reg. 18. 33. Iurè meritò poteſt quis mirari, quòd filium ingratiſſimum, ac ſibi rebellem tantâ pietate Dauid lugeret. Cur tā diuturnis lachrymis eū plorauit, qui regnum aucupans paternum, patrem deprimere toto conatu ſtudebat? Cur tot obſequijs illum honorauit, qui blandis, ac doloſis verbis populum ſeducebat, atq; vt deſciſceret à proprio Rege hortabatur? Cur tandem pro eo mortem oppetere optauit, qui mortē ei ſæpè inferre decreuit? Quia pater erat, & filij etiam rebellis amorem ei clementia ſuadebat. Subdo verba Theod. quæſt. 26. in 2. Reg. *Quamobrem Dauid diù luxit filium ſceleratiſſimum? Et Filium amabat, & erat benignus, & clemens. Huius autem rei eſt indicium, eius quoq; de Saule luctus. Hîc autem natura quoque maiores effecit dolores.* Natura pietatem parentibus ingerit erga filios defunctos, quare Dauid filium quoque ingratiſſimum, ac rebellem plorauit, ac pijs, & diuturnis lachrymis poſt mortem honorauit.

Abſalom, licet rebellem Dauid luxit, quia filius eius erat.

Theodor.

3 Hunc naturæ ſenſum oſtendit & Iob, cū filiorum, filiarumq; morte ſibi nuntiatâ, ſurrexit, ac ſciſſis veſtibus in terram corruit. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite, corruēs in terram adorauit.* Iob. 1. 20. Quod proculdubiò egit, vt paternam pietatē congruo luctu filijs exhiberet defunctis. Egregiè D. Baſil. in cat. Gręcâ. *Poſtquam nuntius venit, qui diceret, in conuiuantes Filios, Et Filias violento flatu conuiuij domiciliū irruiſſe, tunc communi ſenſu naturæ patefacto, veſtem conſcidit, vt eâ re propenſæ voluntatis ſuæ Erga Liberos ſignificationem daret.* Parentum eſt filijs pietatem impendere mortuis, quam pietatem vt ſuis Iob impenderet, & veſtem ſcidit, & crinem totondit, & in terram corruens adorauit.

Iob auditâ morte filiorū, eos multis pietatis obſequijs honorauit.

D. Baſilius.

4 Iuſſit Dauid poſtquam diuinum conſuluit oraculum, vt pro vltione Gabaonitarum, quos iniuſtè Saul interfecerat, ſeptem illius filij eis traderentur occidendi, quos in monte crucifixerunt. Hoc vt agnouit Reſpha, montem adijt, ibique iuxta cruces, vt aues, feraſque a cadaueribus abigeret, die, ac nocte perſeuerauit. *Tollens autē Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſuprà petrā ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. 10. Quis non miratur mulieris pietatem, quæ aëris intemperiem non metuens, tenebras noctis non pauens, latronum inſidias non timens, tam diuturnâ cuſtodiâ corpora ſeruauit mortuorū? Vndè tanta eius animo inſedit miſeratio, vt cadaueribus aſſiſtere voluerit, donec ſepulchrales eis exhiberentur honores? Ex materno affectu, nam duo ex illis defunctis eius filij, quos ex Saul genuerat, erant. Probè Abul. *Hoc fecit Reſpha ad cuſtodiendum ſuſpenſos, ne lacerarent eos volucres cæli, nam* Dvo Illorvm Erant Filii Eivs. Filios maternâ proſequens pietate, poſt mortem non dereliquit, ſed eos, donec humarentur, cuſtodiuit, oſtendens, quantam filijs defunctis teneantur parentes impēdere pietatem.

Reſpha mortuos filios diuturna cuſtodia donec ſepelirentur, ſeruauit

Abulenſis.

5 Quod & oſtēdit mulier Sarepthana, de cuius ſinu tulit Elias eius filiū graui languore correptum, ac breui morbo defunctū, vt illi ſuis precibus à Deo priſtinam vitā impetraret. *Et ait ad eā Elias, Da mihi filium tuum. Tulitq; eum de ſinu eius, & portauit in cęnaculum, vbi ipſe manebat.* 3. Reg. 17. 19. Vt quid mulier hæc mortuū filium in ſinu gerebat, niſi vt lachrymis, cæteriſq; obſequijs ei pietatem exhiberet? Annuit idem Abul. *Habebat mater* Filivm Defvnctvm *in gremio ſuo, exhibens pietatis officiū, lachrymando, ei, quem genuerat.* Quia filius erat, eū in gremio gerebat, illiq; mortuo multa pietatis obſequia impēdebat.

Vidua Sarepthana filiū in ſinu gerēs pietatis obſequia ei exhibebat.

Idem.

6 Ne verò à magiſtro diſcipulum ſeiungam, aliū defunctum Sunamitidis mulieris filium, quē Eliſæus precibus ad vitā reuocauit, adeo, illudque expendo, quòd cùm mulier iſta facultatem à marito peteret pergendi ad Prophetam, cauſam, cur pergeret, tacuit, & interroganti nihil reſpondit. *Qui ait illi, quam ob cauſam vadis ad eum? Hodie non ſunt Calendæ, neque Sabbatū. Quæ reſpondit, Vadam.* 4. Reg. 4. 23. Cur mulier iſta ſuæ profectionis nullam voluit coniugi reddere cauſam? Si filij mortem celare volebat, cur ſaltem aliquam aliam non attulit rationem itineris, quod aggrediebatur? Quia ſi cunctata fuiſſet, donec aliquā redderet itineris ſui cauſam, filij mortem eo tempore lachrymis, alijſque pietatis obſequijs patefacere coacta fuiſſet. Nec enim diù potuiſſet mater ſiccis oculis filium conſiderare defunctum. *Mulier conabatur continere dolorem, non oſtendendo eum in vultu, ne vir intelligeret mortem* Filii, *& tamen ſi maneret ibi*, ait idem Abulenſis, *reddendo aliquam aliam cauſam, fortè non poſſet tamdiù ferocem continere dolorem, quin lachrymis, aut vultûs habitudine patefaceret, & tūc vir cognoſceret mortē pueri, & ſequerentur omnia inconuenientia ſupra aſſignata,*

Sunamitidis pietas in filiū defunctum.

Idem.

Digitized by Google

ſignata, ideò noluit reſpondere verum, nec falſum, ſed ſolū dixit, vale, expediens ſe de eo. Tantâ pietate mater filium proſeqnebatur defunctum, vt nec poſſet quam diu loqueretur, à pio luctu ceſſare, quo eum plorabat.

Mariti Sunamitidis miſericordia in eumdem.

7 Sed hic vlterius progredior, & quæro, cur voluerit Sunamitis hanc filij mortem occultare marito, vndè & puerū in cœnaculo poſuit, & ſuper lectū Eliſęi collocauit, clauſitq; deindè oſtiū, ne alicui pateret ingreſſus. *Aſcendit autem, & collocauit eū ſuper lectulum hominis Dei, & clauſit oſtium.* 4. Reg. 4. 21. Cur mater filij mortem patrem celauit? Nonnè ſatius fuiſſet ſimul cum eâ genitorem quoq; ad prophetā accedere, illumq; pro defuncti reſurrectione rogare? Quare igitur filij mortē ſilet, eiuſq; cadauer clauſo cœnaculi oſtio abſcondit? Hoc egit, ne pater filij mortem agnoſcens, nimis affligeretur, antè reſurrectionē eum lugens defunctum. Subſignat idem Abulen. in quæſt. 29. *Dicendum, quòd poſuit eū ibi ad occultandum, quod factum fuerat, ſcilicet vt mors pueri lateret patrem, nam pater reuerſus fuerat de agro, vel reuerteretur, antequam ipſa veniret de monte Carmeli, & ſi puer mortuus eſſet in aliâ parte domûs, reperiret eum pater, & plangeret* Filivm Vnigentvm. *Mater autem volebat hoc euitare, habens certam ſpem de ſuſcitatione pueri.* Nouerat mulier patris pietatem, qui ſi filij mortē agnouiſſet, multis eum lachrymis luxiſſet, vndè ne illum affligeret, cùm citò defuncti reſurrectionem ſperaret, id, quod contigerat, celare decreuit.

Idem.

Matres ſpecimen amoris materni ergà filios mortuos oſtendere debent.

D. Gregorius Nazianz.

8 Iurè meritò igitur hanc expendens parentū ergà filios defunctos pietatem, matrem ſanctorū martyrum Machabæorum D. Gregor. Nazian. oratione de Machabæis, hæc eos poſt mortem inducit affantem. *Non fera vos abripuit, non fluctus obruit, non latro iugulauit, nō morbus oppreſſit, non vis belli ſuſtulit, non denique vllus humanus caſus. In maximis equidem luctibus eſſem, ſi quid horū vobis accidiſſet. Tùm verò lachrymando, vt nunc lachrymas comprimendo,* Materni Amoris Specimen Edidissem. Debent matres materni amoris ſpecimen edere, cùm filios ſuos aſpiciunt morte peremptos, hoc enim præcipuè à parentibus exigit amor filiorum, vt filijs pietatem exhibeant è vitâ ſublatis.

Parentes impij erga filios mutāt naturam.

9 Quare inter Gentiles quoq; impietatem in filios defunctos appellauit Quintil. facinus mutans naturam, mutant enim, quin & impugnant naturam parentes, qui filijs mortuis denegant pietatem. *O` facinus, ò cladibus noſtris* Mvtata Natvra. *Mater ignem vltimum* Filio *negat.* Hoc ordo naturæ iubet, vt parentes mortuis filijs impendant pietatem, quam ſi renuant exhibere, mutant prorsùs naturam, & contrà ipſam ſuâ pugnant crudelitate. Quod & confirmauit filius ille, qui matrem vmbram ſuam turbantem increpauit, quem Heliod. lib. 7. Aethiopicorum c. 17. hæc eam inducit alloquentem. *Ego quidē, inquit, initio tibi parcebam, mater, &* Delinqventem Te Graviter In Natvram Hvmanam, *& parca. ū leges violantē, atq; ea, quæ manere debent immota, præſtigijs, atq; incantationibus mouentem patiebar.* Vides parentes in ipſam delinquere naturam, cū debitâ pietate filios audent defraudare defūctos.

Quintil.

Heliodorus.

10 Percuſſit Angelus Domini, vt induratum cor Pharaonis puniret, dū nox in ſuo curſu mediū iter habebat, omnes primogenitos Ægypti, ita vt nulla eſſet domus, in quâ aliquis non iaceret defunctus. Quare omnes Aegyptij nocte illâ ſurrexerunt, magnuſq; clamor factus eſt in vniuerſâ terrâ eorū. *Surrexitq; Pharao nocte, & omnes ſerui eius, cunctaq; Aegyptus, & ortus eſt clamor magnus in Aegypto, neq; enim erat domus, in quâ non iaceret mortuus.* Exod. 12. 30. Cur verò nocturno tempore ſurgentes Aegyptij clamauerunt? An vt Hebræos perſequerentur, quorū intuitu clade illâ ſe mulctari ſentiebant? An vt regem adirent, eique adeò crudelem, atque vniuerſalem plagam, quâ vbiq; torquebantur, aperirent? An vt delictorum, quibus Deum læſerant, veniā ab eo impetrarent? Nequaquam, ſed vt filios mortuos plorarent, eiſque funereo luctu pietatē exhiberent. Eleganter Philo Heb. lib. 1. de vitâ Moyſis. *Primâ verò luce cùm quiſque ſuos chariſſimos inopinatâ nece ſublatos videret, cum quibus ſuperiore die ſuaniter vſque veſperam conuixerat, vt in publico luctu grauiſſimo, cōploratione imoleuerunt omnia. Cùm enim nemo eſſet exors eius calamitatis, vnus erat clamor omniū, vno luctu obtinente totam regionem quacunq; patebat.* Vt parentes pietatem defunctis filijs exhiberent, mediâ nocte ſurrexerunt, eoſque publico, ac grauiſſimo dolore luxerunt.

Aegyptij noctis ſurrexerunt, vt filios mortuos lugerent.

Philo.

11 Sed hac etiam maiorem filię ſuæ defunctę Archiſ. impendit pietatem, qui ad Chriſtū accedens, eū rogauit, vt ei priſtinam vitam reſtituere dignaretur. Cuius preces Chriſtus exaudiens, cū eo ad domū, in quâ puella iacebat, iuit nullūque intrare permiſit, præter tres Apoſtolos, & patrem, & matrem puellæ. *Ipſe verò eiectis omnibus, aſſumit patrem, & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingrediuntur, vbi puella erat iacens.* Marc. 5. 40. Cur cæteris eiectis, cum eminentioribus Apoſtolis puellę parentes intrare permiſit? Cur hi, qui vix infirmam, & inchoatam quamdam fidē habebant, alijs diſcipulis erant pręferendi, qui iā in Chriſti fide confirmati, omnia reliquerant, vt eum ſequerentur? Quia cùm eſſent parentes defunctæ, magis ad eos, quàm ad cæteros filiæ reſurrectionem ſuppliciter implorare ſpectabat. *Dicendum,* ait Abul. *quòd debuerunt pater, & mater intereſſe potiùs, quàm alij, quia ad eos pertinebat magis, quàm ad alios de vitâ* Filiae Svae *eſſe ſolicitos.* Soliciti debent eſſe in morte filiorum parētes, vt illos pietate proſequantur, eorumque neceſſitatibus debitâ obſequiorum exhibitione occurrant.

Permiſit Chriſtus, cum Archiſynag. filiam ſuſcitauit, eius reſurrectioni parentes adeſſe puellæ, quia hi de vitâ eius magis ſoliciti eſſe debebant.

Abul.

12 Hanc ſolicitudinem oſtendit ergà filium ſuum Ioſeph, quem ferarum dentibus credidit laniatum, ſanctus patriarcha Iacob, qui ſciſſis veſtibus, & indutus cilicio, miſerabiliter eum plorauit. *Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio,*

Iacob valdè ſolicitus fuit de ſepulturâ Ioſeph, cum eū defunctum exiſtimauit.

lugens filium ſuum multo tempore. Gen. 37. 34. Luctûs autem adeò grauis cauſa, non tam fuit atrocitas mortis, quàm iactura ſepulchri, nimis enim dolebat ſe non poſſe extremis ſepulturæ honoribus filij donare cadauer. Aduocandus hùc Philo Hebræus lib. de Ioſeph. *Repentè effuſus in lachrymas, velut à fonte prorumpentes, plangebat pectus, & faciem, ſciſſis veſtibus lamentans. Non tam mortem tuam* FILI MI, *doleo, quàm ſepulchri iacturam. Nam ſi tibi ſepulchrum contigiſſet in terrâ propriâ, nec mihi deeſſet ſolatium. Officioſè aſſediſſem ægrotanti antè mortem, impendiſſem morienti extrema oſcula, clauſiſſem oculos, mortuum perfudiſſē lachrymis, extuliſſem magnificè, nihil omiſiſſem è iuſtis funebribus*. Poteratnè paterna ſancti ſenis pietas ergà defunctum filium luculentioribus exprimi, & elegantioribus verbis.

Philo Hebr.

Gentiles proprijs manibus filios mortuos humantes.

13 Tranſeo ad Gentiles, qui bane non omiſerunt ergà defunctos filios pietatem. Anaxagoram enim proprijs manibus liberos humaſſe tradit ex Demetrio Phalereo Diogenes Laërtius in eius vitâ. *Hunc autem manibus etiam proprijs* SEPELISSE LIBEROS, *Demetrius Phalereus in libro de ſenectute teſtatur*. Quod idem cruciarij cuiuſdā parentes apud Petron. Arbitrum in Satyrico egerunt. *Cruciarij vnius* PARENTES, *vt viderunt laxatam cuſtodiam, detraxere nocte pendentem, ſupremoque mandauerunt officio*. Querebatur quoque Pater apud Quintilianum declamat. 6. quod ſibi ſupremum non liceret filio exhibere officium. *Non contingit mihi, quod cæteris miſerrimum eſt,* FILIVM EFFERRE. *Parum eſt, quòd iuueni ſingularis exempli cauſa mortis fui, & tam pretioſâ redemptus animâ, ſenex odioſus morte filij mei viuo. Parum eſt, quòd mihi luctum meum fluctus nunciarunt, & aliud agenti patri ſubitò ad litus orbitas appulſa eſt, quò miſerrimum iuuenem toto iactatum mari, etiamſi nemo interpellaſſet, ſerò ſepelirem, ad hue ſupremo prohibeor officio*. Animaduerte quātâ pietate ſuis geſtiebant manibus Gentiles filios humare defunctos.

Diog. Laert. *Petronius.* *Quintilianus*

Alia pietatis obſequia filijs defunctis à Gentilibus exhibita.

14 Quòd ſi cætera pietatis obſequia expendere velimus, Euander apud Virgilium lib. 11. Æneidos ſuper defuncti filij corpus gemens incubuit, diuturno ac vberrimo luctu ei parentans.

Virgilius.

At non Euandrum potis eſt vis vlla tenere
Sed venit in medios feretro Pallanta repoſto
Procubuit ſuper, atq; hæret, lachrymāſq; gemēſque,
Et via vix tandem voci laxata dolore eſt.

Donatus.

Vbi Donatus ait. *Cùm grauis eſſet apud cæteros luctus, tùm magis animum patris, mentemque percuſſerat; denique non illum tardauit doloris violentia, non ætas cohibuit corpus ſenectute defeſſum, nec expectauit, donec* FILII *corpus baiulis curandis perueniret, ſed occurrens in medios venit, atque ita, vt Pallas iacebat, procubuit Euander ſuprà, & inhæſit ipſi corpori cum gemitibus, & fletu*. Similia pietatis officia exhibuit Agiſtrata filio defuncto, de quâ hæc habet Plutarchus in Agide. *Quæ ingreſſa, vt* FILIVM *ſpectauit humi iacentem, & exanimē ex reſti pendentem matrem, ipſa miniſtros adiuuit in eâ detrahendâ colloca'umq; iuxta Agim corpus eius cooperuit, & velauit. In* FILIVM *ruens, & faciem eius oſculata, Nimia tua te, inquit,* FILI, *modeſtia, lenitas, & humanitas nobiſcum perdidit*. Nec non & mater Euryali maximam oſtendit ergà defunctum filiùm pietatem, de quâ Virg. lib. 9. Æneidos hæc habet:

Plutarchus.

Virgilius.

Intereà pauidam volitans pennata per vrbem
Nuncia fama ruit, MATRISQ; *allabitur aures*
Euryali, ac ſubitus miſeræ calor oſſa reliquit.
Excuſſi manibus radij, reuolutaque penſa,
Euolat infoelix, & foemineo vlulatu
Sciſſa comam, amens muros, atque agmina curſu
Prima petit, non illa virûm non illa pericli
Telorumq; memor; coelum dein queſtibus implet

Quintus etiam Calaber matrem Achillis circà eius cadauer hæc narrauit lib. 3. piè agentem.

Quint' Cal.

Μήτηρ δ' ἀμφιχυθεῖσα κῦσε τόμα Πηλείωνος
Παιδὸς ἑοῦ, καὶ τοῖον ἔπος φάτο δακρυχέουσα.

Mater autem in amplexum fuſa oſculata eſt os Pelidæ
FILII SVI, & hanc lachrymans querimoniam protulit.

Non diſſimili affectu Pater Glaucæ apud Euripidem in Medeâ, illius cadauer oſculatus, & allocutus fuit.

Eurip.

Sed infoelix pater ignoratione mali,
Statim ingreſſus domū, irruit in eam iā mortuam,
Et ſtatim coepit eiulare, & manibus circumdans eam
Oſculabatur, his eam cōpellans, ò miſera FILIA
Quis Deorum tam turpiter te perdidit?

Oeneus item apud Ouidium in lib. 8. Metamor. filium ingenti pietate proſecutus eſt mortuum.

Ouid.

Puluere canitiem GENITOR, vultuſque ſeniles
Foedat humi fuſus, ſpatioſumque increpat æuum.

Pari pietate Pericles mortuum miſeratus eſt filiū apud Plutarchum in eius vitâ. *Cùm coronam ingereret mortuo* FILIO, *oppreſſus eſt, vbi aſpexit eum, dolore, vt quod reliquâ in vitâ nunquam fecerat, erumperet in eiulatum, & magnam vim profunderet lachrymarum*. Quid? quòd & Mezentius immane crudelitatis monſtrum, crudelitatem depoſuit, pietatiſque viſcera induit, cùm filium aſpexit defunctum. Profectò hæc cecinit de illo Virgilius lib. 10. Æneid.

Plutarch.

Virgil.

Canitiem immundo deformat puluere, & ambas
Ad coelum tendit palmas, & corpore inhæret.
Tanta ne me tenuit viuendi NATE voluptas
Vt pro me hoſtili paterer ſuccedere dextræ
Quem genui; tua ne hac genitor per vulnera ſeruor
Morte tuâ viuens.

Adeò inter Gentiles parentum emicauit pietas ergà filios defunctos, vt ipſi quoque tyranni crudelitatem exuerint, pietatemque induerint, vt filijs mortuis debitam impenderent pietatem.

Liquet igitur ex ſacris nedùm, ſed etiam ex profanis authoribus, filijs mortuis ſuperſtites pietatem debere parentes.

CA-

CAPVT XXIII.

Fratres defuncti à fratribus viuis pietate ſunt proſequendi.

Iuſſit Deus fratrem ſuperſtitem fratris defuncti nomē ſuſcitare.

1 FRatribus quoque poſt mortem debēt viui pietatem, quoſq; adhuc viuentes fraterno dilexerunt amore, mortuos quoque fraternâ debent amplecti charitate. Quam ſanè charitatem videtur Deus commendaſſe, cùm iuſſit, quòd frater ſuperſtes fratris mortui ſine liberis vxorem duceret, eique prolis procreatione ſemen ſuſcitaret. *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſrael.* Deut. 25. 5. Cur enim hoc Deus præcepit, niſi vt nos doceret, quantâ poſt mortem ſint fratres à fratribus, qui ſuperſunt, charitate proſequendi? Audi Lyranum huius præcepti rationem afferentem.

Lyranus.

Ratio, quare talis ſuſcitatio ſeminis ſtatuta ſit fieri per fratrem defuncti eſt, quia filius ſic procreatus magis videbatur pertinere ad defunctum, quàm ſi hoc fieret per extraneum. Item quia frater defuncti magis tenebatur eſſe ſolicitus de conſeruatione nominis FRATRIS SVI DEFVNCTI, *quàm extraneus.* Ad fratres pertinet ſuperſtites fratribus defunctis pietatem exhibere, ideoque iuſſit eis Deus, vt vxores mortuorum fratrum ducerent, eiſque nomen filiorum generatione ſuſcitarent.

Tanquam à fraternâ charitate deuiantes puniebantur, qui hanc renuebant impendere pietatem.

2 Hinc fratrem, qui hanc renuebat fratri defuncto exhibere pietatem, lex ignominiâ puniebat, eumque à muliere, quam ducere nolebat, conſpui, ac diſcalceari præcipiebat. *Si reſponderit, Nolo eam vxorem accipere, accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius, ſpuetque in faciem illius, & dicet, ſic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* Deut. 25. 9. Sed quare tam graui pœnâ mulctabatur, qui nolebat cum viduâ muliere nuptias inire? Nunquid cogendus erat mulierem ducere, quam fortè contingere poterat illi eſſe inuiſam? Cur, vt ignominiæ pœnam effugeret, vxorem ducere compellebatur, quam non diligebat? An id charitas, quâ debent ſuperſtites fratres proſequi fratres defunctos, exigebat, ita vt iurè puniendus eſſet vt contemnens fraternam charitatem, qui hanc fratri mortuo negligebat impendere pietatem? Sanè hoc voluit idem Lyranus.

Lyranus.

Ideò quando nolebat hoc facere, puniebatur pœnâ confuſibili, tanquam DEVIANS A' FRATERNA CHARITATE. Hoc iubet fraterna charitas, vt fratres viui ſuâ pietate fratres amplectantur defunctos, & iccircò qui hanc eis pietatem denegabant, veluti fraternam contemnentes charitatem, grauiſſimâ in lege pęnâ mulctabantur.

Iuſſit Iudas filio ſuo, vt fratris nomen ſuſcitaret.

3 Hùc reſpexit Iudas, cùm defuncto Her filio ſuo primogenito, præcepit Onam eius fratri, vt Thamar vxorem illius acciperet, fratrique nomen ſuſcitaret. *Dixit ergò Iudas ad Onam filium ſuum. Ingredere ad vxorem fratris tui, & ſociare illi, vt ſuſcites ſemen fratri tuo.* Gen. 38. 8. Quod quidem iuſſit, vt filium moneret de pietate, quam fratri debebat defuncto, noſq; inſtrueret, ad ſuperſtites fratres fratrum curam ſpectare mortuorum. Aptè Oleaſter.

Oleaſter.

Docemur hic curare, quæ ſunt FRATRVM NOSTRORVM, PRAESERTIM DEFVNCTORVM. Debent quidem homines fratres ſuos quocumque in ſtatu fraternâ charitate adiuuare, ita vt illud Prouerb. 18. 19. impleatur. *Frater, qui adiuuatur à fratre*, at cum ex hac vitâ migrauerint, tunc præſertim merentur fratres à fratribus adhuc viuentibus adiuuari.

Iniuſtè agebat Onam nolēs fratri pietatem exhibere defuncto.

4 Quod ſi non fiat, grauiter tanquam iniuſti puniuntur, qui hac pietate mortuos fratres defraudant. Noluit præcepto patris obtemperare miſer Onam, ſed ingrediens ad vxorem, ne mortui fratris nomē filiorum generatione ſuſcitaret, naturæ iura ſoluebat. Quapropter iratus Deus eum percuſſit, & impiè operantem repentinâ morte interfecit. *Et iccircò percuſſit eum Dominus, eò quòd rem deteſtabilem faceret.* Gen. 38. 10. Verè deteſtabile crimen hoc fuit, quo ille peruerſus, nec Deum viuum metuebat, nec fratri mortuo pietatem impendebat, vndè tanquam iniuſtus contrà Deum, & fratrem ſubitaneâ eſt morte mulctatus. Opportunè Abulenſis.

Abulenſis.

Valdè iniuſtè faciebat & contrà Deum, & CONTRA' FRATREM SVVM. Ab æquitate iuſtitiæ aberrat, qui fratri negat pietatem defuncto, iuſtitiæ namque titulo tenetur fratris mortui frater miſereri ſuperſtes.

Suaſit Deus Cain, vt fratrem diligeret defunctū.

5 Quam miſericordiam exigebat Deus à Cain, cùm eum fraternâ cæde maculatum alloquens, dixit. *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* Gen. 4. 10. Quibus quidem vocibus fratris defuncti amorem ei ſuaſit, vt quem iam morte ſuſtulerat, & ſanguinis impiâ effuſione interfecerat, ſaltem ſublatum diligeret, ac interfectum. Ac ſi ei diceret Iam ſanguinem effudiſti, iam hoſtem interfeciſti, iam cædem patraſti, compeſce iam iram, & amore proſequere poſt mortem, quem odio proſecutus fuiſti viuètem. Eleganter D. Ioannes Chryſoſtomus homil. 23. in Epiſtolam ad Rom.

D. Io. Chryſ.

Hæc verò dicebat, vt viuidam adhuc illius iram ſedaret, perſuaderetque ad diligendum FRATREM ETIAM IAM MORTE SVBLATVM. Fratris interfectori interfecti fratris amorem ſuaſit, nam etiam illi, qui odio proſequuntur, & lædunt fratres viuos, eos debent diligere, ac pietate proſequi defunctos.

Ioab Aſael fratrem defunctum [illegible] exaltat.

6 Percuſſit Abner Aſaël in prælio, eumque haſtâ in inguine transfodit. Abſoluto autem prælio, tulerunt Ioab, virique, qui cum eo pugnabant, eius cadauer, & totâ nocte ambulantes, cum eo peruenerunt in Hebron, vbi magnificas ei exequias celebrauerunt, & honorifico in monumento ad Bethleem translatum in ſepulchro patris illud condiderunt. *Tuleruntque Aſaël, & ſepelierunt eum in ſepulchro patris ſui in Bethlehem, &c.*

Digitized by Google

& ambulauerunt totâ noƐte Ioab, & viri, qui erant cum eo, & in ipſo crepuſculo peruenerunt in Hebron. 2. Reg. 2. 32. Sed cur tantâ feſtinatione cum Aſaëlis cadauere milites iſti noƐturno tempore iter egerunt? Nonne poterant illud ibi humare, vbi corruerat, vel in loco propinquo exequiarum iuſta ei perſoluere? Vt quid prælio fatigati curſûs velocitate adhuc laborare voluerunt, vt militis cadauer ad patris monumentum efferrent? Erat Aſaël frater Ioab ducis militiæ Dauid, cui reliqui milites obtemperabant, ideòque Ioab fratrem defunƐtum fraternâ charitate proſequens, eum honorare, atque in auito ſepulchro condere volens, iuſſit militibus, vt eius cadauer ſecum deferrent, & totâ noƐte ambulantes ad ſepulchrũ paternum transferrent. Voluit hoc Abulenſis. *Tulerunt Aſael de loco, in quo mortuus iacebat; erat enim vir honorabilis*, CVM ESSET FRATER IOAB, *ideò tulerunt eum, vt ſepelirent in loco ſuo.* Agnoſcens Ioab pietatem, quam ſuperſtites fratres fratribus debent defunƐtis, celeriter proficiſci, noƐtu ambulare, aliaque itineris poſt prælium incommoda ſuſtinere cum militibus voluit, vt fratrem ſuâ pietate honoraret defunƐtum.

Abulenſis.

Samſonis fratres eius cadauer ex terrâ Philiſtæorum ad ſepulchrum patris eius aſportauerunt.

7 Idipſum in morte Sãſonis eius fratres egerunt, qui deſcendentes cum ſuis cognatis ad terram Philiſthæorum, vbi voluntariâ morte hoſtes interficiens corruerat, eius corpus extulerunt, & in patris ſui ſepulchro humauerunt. *Deſcendentes autem fratres eius, & vniuerſa cognatio, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt inter Saraa, & Eſthaol in ſepulchro patris ſui Manue.* Iud. 16. 31. Quamuis autem multi velint hîc fratres accipi pro conſanguineis propinquioribus, non deſunt tamen, qui dicant ſumi nomen fratris in toto rigore ſignificationis, ac deſcendiſſe ad ſepulturam Samſonis, nedùm propinquos, & cognatos, verùm etiam eius fratres ex eiſdem parentibus cum eo progenitos. Quod non improbat Abulenſis quæſt. 54. in hunc locum. *Aliqui putant, quòd accipiantur hîc* FRATRES *pro filiis patris ſui, & matris, ſed magis videtur, quòd accipiantur pro cognatione propinquiſſimâ: ſi tamen velis dicere, quòd erant* FRATRES, *dices, quòd erant minores Samſone.* Samſonem defunƐtum eius fratres curauerunt, illiuſque cadauer ſub ædificio diruto conciſum extulerunt, & fraternâ pietate in paterno ſepulchro condiderunt.

Idem.

Valdè inſignis fuit eorum in mortuum fratrem pietas.

8 Quę profeƐtò pietas valdè inſignis fuit, nam Philiſthæorum odium non metuentes, hoſtium caſtra inuadentes, & ad ipſas inimicorum domos feſtinantes, omnia mortis pericula contempſerunt, vt fratrem defunƐtum debitâ pietate proſequerentur. ReƐtè hanc pietatem commendat Nicolaus Serarius quæſt. 33. in hunc locum. IN SIGNIS FRATRVM SAMSONIS IN IPSVM ETIAM MORTVVM FVIT PIETAS, *qui cùm Gazæos, Philiſthæoſque omnes poſt ſuorum cladem, ruinamq; tantam putare meritò potuiſſent odio in Samſonem multò maiori, quàm anteà vnquam flagrare, ideòque omnibus, qui eum ſanguine, vel affinitate contingerẽt, infeſtiſſimos, ac infeſtiſſimos eſſe, ad illos tamen deſcenderunt, & piè, ac intrepidè illius corpus petierunt.* Verè intrepidâ pietate flagrauerunt, dum fratrem defunƐtum, cæteris omnibus poſthabitis, tantâ curâ, & miſeratione honorauerunt.

Nicol. Serar.

Iudã Machabæo mortuo exequias fratres celebrauerunt.

9 Similem pietatem Iudę Machabæorum duci, dum glorioſè præliaretur, interfeƐto, Ionathas, & Simon fratres eius exhibuerunt, qui eius cadauer tulerunt, ac in ſepulchro patrum ſuorum, bello poſthabito, humauerunt. *Et Ionathas, & Simon tulerunt Iudam fratrem ſuum, & ſepelierunt eum in ſepulchro patrum ſuorum in ciuitate Modin* 1. Machab. 9. 19. Aduertit autem Ioſeph Hebræus lib. 3. Antiquit. Iudaic. cap. 19. eos inducias cum hoſtibus feciſſe, atque à prælio deſtitiſſe, vt fratrem defunƐtum publico luƐtu honorarent, atque honorifico funere ſepulchro inferrent. Fraterna quippè illis pietas ſuaſit, vt omnibus defunƐti fratris exequias, & ſepulchrales honores præferrent. *Simon autem, & Ionathas* FRATRES *inducijs factis, recepto Iudæ cadauere, delatum in Modin vicum magnifico funere intulerunt monumento patrio, & publico luƐtu per multos dies honorauerunt eius memoriam.* Vt fratres defunƐti memoriam honorarent, prælium omiſerunt, inducias fecerunt, & cætera omnia eius exequijs verè fraternâ charitate poſthabuerunt.

Ioſeph. Hebr.

Fratres Iſmaëlis eum defunƐtum honorauerunt.

10 Sed & fratres Iſmaëlis pietatem ei defunƐto impenderunt, quam ex eo colligo, quòd coram cunƐtis fratribus ſuis dicitur obijſſe. *Coram cunƐtis fratribus ſuis obijt.* Gen. 25. 18. Quæ verba indicant, omnes eius fratres ad eum morientem acceſſiſſe, vt poſt mortem ſepulchralibus obſequijs illius cadauer honorarent, ac pietatis officijs decorarent. Hùcque reſpexiſſe videtur Abulenſis. *Coram cunƐtis fratribus ſuis obijt, quòd* FRATRES SVI OMNES *venerunt ad mortem ſuam, vt honorarent eum, & ibi eis præſentibus mortuus eſt.* Præſentes fratres moriens habuit, qui ad eum venerant, vt fraternam illi poſt mortem pietatem exhiberent.

Abulenſis.

Magdalena defunƐto fratri magno ſtudio pietatem impendebat.

11 Vt verò ex Euangelio etiam aliquid proferam, obſeruo Magdalenam, Lazaro eius fratre defunƐto, ſurrexiſſe, vt agnouit Chriſtum, vt ei vitam impertiret, veniſſe, obuiamque illi perrexiſſe. Quod vt Iudæi, qui eam conſolabantur viderunt, ſecuti ſunt eam, credentes illam ad monumentum ire, vt ploraret. *Iudæi ergò, qui erant cum eâ in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam, dicentes. Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.* Ioan. 11. 31. Vndè colligere potuerunt Iudæi, Mariam pergere ad monumentum, vt ibi fratrem ploraret defunƐtum? Nonnè poterat à ſorore vocata ſurgere, vt rebus familiaribus vacaret? Nonnè poterat alicui conſolationis gratiâ ad eam venienti obuiam ire? Nonnè tandẽ poterat vrgẽtis alicuius rei causâ aliò diuertere? Cur igitur non hæc Iudæi cogitauerunt, ſed procul dubio eam ad monumentum pergere, vt mortuum fratrem lugeret, cenſuerunt. Id ex pietate

Magda-

Digitized by Google

Magdalenæ arguerunt, quam defuncto fratri magno ſtudio impendebat. Do Lyranum ita hunc locum explicantem. *Credebant eam eſſe ſubitò motam* Ex Compassione Fratris, *quia nō audierant verbum Marthæ.* Tam magnam exhibebat Magdalena fratri mortuo pietatem, vt ſtatim Iudæi, cùm viderunt eam ſurgere, crediderint illam ad monumentum proficiſci, vt pijs lachrymis eum honoraret.

Lyranus.

Ad ſorores fratrum funera ſpectabāt.

12 Sed ex profanorum quoque authoritate hanc poſſum fratribus mortuis debitam confirmare pietatem. Et primò notat Seruius in lib. 11. Aeneidos ſorores fratrum defunctorum, vt & matres filiorum in funeribus funeras fuiſſe appellatas, quia ad eas fratrum funera ſpectabant. *Apud maiores funeras dicebant eas, ad quas funus pertinet, vt* Sororem, *matrem, nam præficæ, vt & ſuprà diximus, ſunt planctûs principes, non doloris, funeras autem dicebant, quaſi funereas, ad quas pertinet funus.* Non tantùm ad matres exequias filiorum, ſed & ad ſorores funera cenſebant ſpectare fratrum, agnoſcebant quippè deberi à fratribus, & ſororibus ſuperſtitibus pietatem fratribus defunctis. Quod & firmauit Ouidius in conſolatione ad Liuiam, cùm loquens de funere Agrippæ, ait.

Quæ mulieres funeræ dicerentur, & quomodo à præficis diſtinguerentur. Seruius.

Vix poſito Agrippa tumuli benè ianua clauſa eſt,
Perficit officium funeris ecce SOROR.

Ouidius.

Vbi vides fratris funus ſororem curaſſe, atque illi iuſta exequiarum ingenti pietate perſoluiſſe.

Electra dolebat, quòd fratris Oreſtis exequias celebrare nō poſſet.

13 Hinc Euripides apud Cerdam in lib. 9. Aeneidos Electram inducit dolentem, quòd Oreſtes frater ſuus procul à ſe in terrâ ignotâ perijſſet. Cui videlicet non potuiſſet, ſepulchralia obſequia impendere, quæ à fratribus, ac ſororibus, quæ ſuperſunt, fratribus defunctis exhiberi conſueuerant.

Eurip.

Nunc exul in peregrinâ terrâ
Malè periſti PROCVL A' TVA SORORE.

Optabat miſera defuncto pietatem impendere fratri, dolebatque ſe hanc non poſſe in peregrinâ terrâ mortuo illi exhibere.

Heliades diuturno luctu fratrē defunctum plorantes in arbores conuerſa.

14 Egregium huius pietatis in defunctos fratres exemplum nobis exhibuerunt Heliades, quæ tantâ pietate fratrem Phaëtontem aquis obrutū luxerunt, alijſque obſequijs honorauerunt, vt tandem Iouis miſeratione in arbores à Poëtis fingantur mutatæ. Porrò de illis hæc cecinit Ouidius lib. 2. Metamorphoſeon.

Ouid.

Nec minùs Heliades lugent, & inania morti
Munera dant lacbrymas, & cæſa pectora palmis
Non auditurum miſeras Phaetonta querelas
Nocte, dieque vocant, aſternuntur que ſepulchro.

Rap. Volater.

Quæ explicans Raphaël Volaterranus. *Solis filiæ,* inquit, *Heliades dicuntur* ἀπὸ τοῦ ἡλίου, *hoc eſt à Sole, quæ etiam* A' Fratre *Phaetontiades fuerunt appellatæ. Earum nomina ſunt Phaetuſa, Lampetia, Phoebe, quæ cùm* Fratrem *per quatuor menſes aſſiduè fleuiſſent, tandem Iouis miſericordiâ in populos arbores, vel vt alij volunt, & in primis Apollonius, in alnos ſunt mutatæ.* Vide, quàm diuturno luctu fratrem mortuum ſuperſtites plorauerint ſorores, quotque pietatis obſequijs eius cadaueri parentauerint, ac ſepulchro adhæſerint.

Sorores Meleagri eius mortuo magnam pietatem impenderunt. Ouid.

15 His addere poſſum pietatem, quâ ſorores extinctum plorauerunt Meleagrum, de quibus Ouidius lib. 8. Metamorph.

Non mihi ſi centum Deus ora ſonantia linguis
Ingeniumque capax, totumque Helicona dediſſet,
Triſtia perſequerer miſerarum vota ſororum.

Lactant.

Magna fuit hæc pietas in fratrem, a quo commutatæ in aues nomen ſumpſerunt, & Meleagrides dictæ ſunt, vndè Lactantius Placidus in Argumento fabulæ ait. *Meleager extinctus eſt, vndè ſorores eius flendo in aues ſunt conuerſæ, quæ à* Fratre *Meleagrides cognominantur.* Iurè nomen à ſuâ in fratrem defunctum pietate ſunt ſortitæ.

Nero fratrē Druſum defūctum piè plorauit, idemq; Antiochus audito fratris obitu egit. Ouid.

16 Neronem etiam in fratrem Druſum defunctum pium fuiſſe, attonitumque promiſſâ comâ, & pallido vultu ploraſſe, teſtatur Ouidius in conſolatione ad Liuiam.

Vidimus attonitum FRATERNA MORTE Neronem
Pallida promiſſâ flere per ora comâ.

Nimirùm fratrem, quem feruenti amore dilexerat viuum, conſtanti pietate proſecutus eſt mortuum, docuitque, fratribus etiam poſt mortem amorem deberi, ac pietatem. Quod & Anthiochum egiſſe, audito fratris obitu, teſtatur Alexander ab Alex. lib. 3. dierum Genialium c. 7. *Antiochus* Avdito Fratris Obitv, *purpurâ depoſitâ, phæum induit, qui inter album, & nigrū fuiſſe color traditur.* Vt fraternam pietatem indueret, regiam purpuram exuit, & funebri colore fratri defuncto parentauit.

Alex. ab Al.

Auſonius fratri mortuo piè parentauit.

17 Finio, carmen exſcribens, quo Auſonius fratri mortuo parentauit in parental. carm. 14. quod ſanè præclaram Poëtæ in eum redolet pietatem.

Auſonius.

Auitianum, muſa, GERMANVM MEVM
Dona querelâ funebri
Minor iſte natu me, ſed ingenio prior
Artes paternas imbibit.
Verùm iuuentæ flore læto perfruis
Aeuique suprà vuberis
Extre metas vetuit infeſta Atropos,
Heu quanta vitæ decora!
Quem ſæpè luctum, quem dolorem ſaucijs
GERMANE pubes deſerts!
GERMANE carnis lege, & ortu ſanguinis
Amore penè filius.

Profectò non poterat ſuauiſſimus Poëta elegantioribus carminibus affectum exprimere, ac pietatem declarare, quibus germanum proſequebatur defunctum. Dum ergò tantâ pietate fratres defunctos honoratos fuiſſe videmus, quis inficiari audebit fratres defunctos à fratribus viuis eſſe pietate proſequendos?

§§§§§§§§§§§§
§§§§§§§

CA-

CAPVT XXIV.

Amicos mortuos propter amicitiam pietate proſequi debemus.

Viuentibus cũ amicis mortuis debẽt eſſe opera pietatis cõmunia.

1 VEtus eſt adagium τὰ τῶν φίλων, κοινά. *Amicorũ omnia cõmunia* eſſe. Ex quo colligo viuis opera bona debere cõmunia eſſe cũ amicis defunctis, ita vt obliuioni non tradantur poſt mortẽ, ſed precibus, ac ſuffragijs adiuuentur, qui dum viuerent, amicorum titulo apud nos honorabantur. Verè dixit Ioannes Gerſon. 4. par. ſer. 2. de defunctis. *Qui in vitâ* VERE' AMAVIT *in morte obliuioni non dabit*. Non patitur verus amor obliuionem, ſed etiam poſt mortem amicum amplectitur defunctum. Nam licet ſuâ falce diſſoluat vitam, non tamen debet mors obliuione diſſoluere amicitiam, cùm amicos & viuos diligere debeamus, & mortuos.

Ioannes Gerſon.

Qui verè amicus eſt, debet amicum diligere etiã poſt mortem.

2 Hùc ſpectauit Salomon, cùm dixit omni tempore diligendum eſſe amicum, & non in proſperis, ſed in aduerſis fraternum cõprobari amorem. *Omni tempore diligit, qui amicus eſt, & frater in anguſtijs comprobatur*. Prou. 17. 17. Quorſùm enim hęc reſpiciunt, niſi vt nos inſtruant, amicos, non tantùm viuentes, ſed & morientes, & mortuos eſſe à nobis pietate proſequẽdos, ita vt in anguſtijs quoq; quibus poſt mortem in Purgatorio torquentur, noſtrum amici ſentiant amorem. Optimè Iodocus Clichtoueus ſerm. 2. in die Animarum. *Dicitur in Prouerbijs, Omni tempore diligit, qui amicus eſt, ſcilicet in vitâ, in morte, & poſt mortem, alioquin ingratus eſt, & falſus* AMICVS. Qui verus amicus eſt, amicum etiam poſt mortem diligit, eiq; in anguſtijs Purgatorij cruciato ſuam exhibet precibus, ac ſuffragijs dilectionem.

Iodocus Clichtoueus.

In tentatione purgatoriæ afflictionis debet amicus poſſideri.

3 De hoc ipſo nos monuit Sapiens, cùm dixit amicum eſſe in tentatione poſſidendum. *Si poſſides amicum, in tentatione poſſide eum*. Eccleſiaſtici. 6. 7. Quæ verba explicans Hugo Florenſis ſerm. 2. de Animabus, docet per ea pœnas exprimi, quibus in Purgatorio animæ poſt mortem cruciantur, purgantur, ac tentantur. In tentatione igitur poſſidendus eſt amicus, quia etiam dum torquetur in Purgatorio, debet ab amicis, qui remanent, diligi, ac ſuffragijs adiuuari. *Si poſſides* AMICVM, *in tentatione poſside illum, in tentatione ſcilicet* ILLIVS PVRGATORIAE AFFLICTIONIS, *De quâ Eccleſiaſtici 27. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis*. Non tantùm viuentes, ſed & mortuos debemus poſſidere amicos, ita ut & viuos diligamus in mundo, & mortuos adiuuemus in Purgatorio.

Hugo Florenſis.

Amicus debet eſſe perpetuus, & animam adiuuare amici. Amicus dicitur, quaſi animi cuſtos.

4 Idipſum poſſumus ex nominis Etymologiâ confirmare, quo appellantur amici. Vndè namq; prouenit hoc nomen, amicus, niſi ex animi cuſtodiâ. Sanè D. Iſidorus lib. 10. Originum dixit. AMICVS *per deriuationem, quaſi animi cuſtos*, & Ælius Donatus hanc inter amicum, & amatorem differentiam conſtituit, vt amicus ſit animi, amator corporis, amicus perpetuus, amator ad tempus. AMICVS ANIMI EST, *Amator corporis, Amator, qui ad tempus*, AMICVS, QVI PERPETVO' AMAT. Si ergò hæc ita ſe habent, non dum commorantur in corpore tantùm, ſed etiam dum torquentur in animo, & non ſolùm, dum viuunt, ſed etiam poſt mortem perpetuam debemus amicis, vt veram teſtemur amicitiam, exhibere dilectionem. Rem vrget in Bibliothecâ vet. Par. Lucas Tudenſis lib. 1. cap. 17. his verbis. AMICI *nomine non fictè, ſed verè meritò fulgeamus. Cùm enim* AMICVS DICITVR ANIMI CVSTOS, *& animus ab animâ vocabulum ſortiatur, debet profectò* AMICVS *primò, & principaliter de ſalute* AMICI *animi curam gerere, & ſecundariò illi vtilitati corporis prouidere, in vitâ corporis illi fidelis exiſtere, & poſt diſſolutionem carnis affectu, & effectu ſalutari de abſolutione illius animæ aſſiduè cogitare*. Perpetuus debet eſſe verus amicorum amor, ita vt & in corpore exiſtentes, & à corpore abſtracti noſtram ſentiant dilectionem amici.

D. Iſidorus. Diſtinctio inter amicum, & amatorem. Ælius Donatus.

Lucas Tudenſis.

Amici noſtri in Purgatorio cupiũt audire voces precũ noſtrarum.

5 Flectere hùc poſſum ſponſi cæleſtis verba, quibus fidelem animam in ſacro Epithalamio alloquitur. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te*. Cant. 8. 13. Qui namq; ſunt hi amici, qui animarum voces expetunt in horto habitantium, niſi quos pœnę cruciant Purgatorij, qui preces, ac ſuffragia cupiunt eorum, qui adhuc in horto Eccleſiæ morantur. Agnoſcunt videlicet amici mortui ſibi à viuis preces, ac ſuffragia deberi, ideòq; auſcultant, ac voces ſupplicantium toto corde anhelant. Adſtipulatur Hugo Florenſis ſerm. 2. de Animabus. AMICI NOSTRI IN PVRGATORIO POSITI *volunt audire noſtræ piæ ſupplicationis vocem, qui ſumus in horto meritorum conſtituti*. Hoc iurè amici à nobis expoſcunt, vt precibus noſtris eorum pœnas mitigemus in Purgatorio, & non tradamus obliuioni mortuos, quos noſtrâ dilectione complectebamur viuos.

Hugo Florenſis.

Booz ſe oſtendit verum amicum amicitiam ſeruans cum defunctis.

6 Oſtendit etiam, quantam debeamus amicis mortuis pietatem Booz, qui conceſſit Ruth, vt ſpicas in agro ſuo colligeret, ac mãdauit meſſoribus, ut nemo illi moleſtus eſſet, inſuperq; cibum cum eis communem habere illam voluit. Quod ut cognouit Noëmi ſocrus ipſius Ruth, valdè commendauit pietatem Booz, eiq; toto cordis affectu benedixit, quòd eamdem gratiam ſeruaſſet mortuis, quam præſtiterat viuis. *Benedictus ſit à Domino, quoniam eamdem gratiam, quam præbuerat viuis, ſeruauit & mortuis*. Ruth. 2. 20. Vbi aduertit Abulenſis, Noëmi benedixiſſe Booz, quia etiam poſt mortem ſeruauit amicitiã cum ſuis propinquis, quorum intuitu Ruth benefecit, nec vt nebulones faciunt, ſe geſſit, amicos tradens obliuioni defunctos. *Solent mortui tradi obliuioni, nec manent* AMICI *eorum, qui fuerant* AMICI, *dum viuerent, ſicut dicitur Pſalm. 30. Obliuioni traditus ſum, ſicut mortuus à corde, & tamen nunc mortuis ſeruauit Booz* AMICITIAM. Verè laudabilis, ac omni benedictione dignus erat vir iſte, qui memoriam amicorum ſeruabat mortuorum,

Abulenſis.

Digitized by Google

rum, eorumq; intuitu cognatis illorum bona largiebatur.

Chriſtus dixit Lazarum eſſe amicum, ut oſtenderet neceſſarium iter, quo eum reuocaturus erat ad vitã.

7 Idipſum innuit & Chriſtus, cùm Lazaro defuncto, dixit Apoſtolis ſe velle iterum in Iudæam redire. Quem cùm vellent ab itinere illo remouere, adiecit ſe ire, vt Lazarum amicum ſuum ſomno mortis dormientem ad vitam reuocaret. *Hæc ait, & poſt hæc dicit eis, Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, vt à ſomno excitem eum.* Ioan. 11. 11. Vt quid autem addidit Lazarum amicum ſuum eſſe, niſi vt diſcipulis neceſſarium eſſe illud iter ſuaderet, dum pro amico agendum erat defuncto? Audi Theophylactum ita loquentem. *Ipſe adiecit,* AMICVS NOSTER, *vt oſtendat neceſſarium iter illud.* Prorsùs neceſſaria ſunt obſequia, quæ mortuis impenduntur amicis, vndè ut Chriſtus oſtenderet neceſſarium eſſe iter, quo in Iudæam reuerti cogitabat, dixit ſe ire, vt mortuum ad vitam reuocaret amicum.

Theophylactus.

Ioſeph, & Nicodemus magnam oſtenderunt dilectionem, cùm Chriſto pietatem impenderunt defũcto.

8 Faciunt etiã rẽ ad præſentem obſequia, quæ Chriſto mortuo Ioſeph, & Nicodemus exhibuerunt, tulerunt enim aromata pretioſa, quibus eius cadauer inungerent, & ex Iudæorum more aſpergerent. *Venit ergò, & tulit corpus Ieſu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum.* Ioan 19. 39. Hi profectò diſcipuli nondùm in fide confirmati, Chriſtum adhuc nudum hominem eſſe putabant, ideoq; cadauer eius vnguentorum aſperſione à corruptione ſeruare cogitabant, ſed tamen multam in hoc dilectionem Chriſto exhibebant, quòd eum pietate proſequerentur etiam defunctum. Subſignat D. Ioannes Chryſoſtomus in catenâ. *Ferunt autem pigmenta, quæ maximè corpus apta ſunt quamplurimùm conſeruare, & non permittere citò ſubijci corruptioni. Adhuc enim vt de nudo homine diſponebant, ſed tamen* MVLTAM DILECTIONEM DEMONSTRABANT. Qui multam, ac veram vult demonſtrare dilectionem, mortuum debet pietate proſequi amicum, vndè Ioſeph, & Nicodemus Chriſto poſt mortem quoque ſuam exhibuerunt dilectionem.

D. Io. Chryſ.

Gentiles ornamẽta igni, quo cadauera vrebantur amicorũ, donabant.

9 Inſignis quoq; fuit ergà mortuos amicos Gentilium pietas, qui rogo aſtantes, dum amicorum cadauera cremabantur, vt ſuæ pietatis teſtimonia producerent, ornamenta ſua cum gemitu igni, quo corpus abſumebatur, donabant. Morem hunc refert Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Dum igne accenſo corpus ardebat, pro dignitate, proq; opibus, quibus quiſq; potens erat, ita* AMICI, *& affines, quiq; coniunctiſſimi aderant, quæ chara habebant, & præcipuè cultus eum gemitu, & queſtu miſerabili, in luctûs, & grauiſſimi doloris ſignum, ignibus iaciebant.* Proprio cultu ſe ſpoliabant, amicos lugentes, eiſq; poſt mortem ingentem exhibebant dilectionem.

Alexander ab Alex.

Aeneas Miſenum amicũ funus honorauit.

10 Idem geſſit cum Miſeno defuncto Æneas, in cuius funere cùm milites arbores cæderent, quibus pyram conſtruerent, ipſe inter omnes primus ligna ſecuri ſcidit in ſyluâ, & ſocios hortabatur, vt ingenti pietate iuſta perſoluerent defuncto. Vndè Virgilius lib. 6. Aeneidos hæc habet.

Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur ſocios, paribuſq; accingitur armis.

Virgilius.

Quòd ſi quæratur, cur his operibus tantâ ſolertiâ vacare voluerit, reſpondet Donatus hoc eum egiſſe, ut defunctum veneraretur amicum. *Prouocabat hunc* AMICI *memoria, & ſuadendi neceſſitas potens.* Voluit Aeneas, quem dilexerat viuũ, mortuum quoq; pietate proſequi amicum, quare non eſt dedignatus ligna ſcindere, alijſq; humilibus operibus vacare, vt eum ſepulchralibus obſequijs honoraret.

Donatus.

Verum amici animum oſtẽdit cùm Deiphobo mortuo pietatem exhibuit.

11 Eiuſdem pietatis ſpecimen Deiphobo exhibuit, in prælio defuncto, cuius cadauer inter alia confuſum cùm reperire non potuiſſet, inanem ei tumulum conſtruxit, & amico exequiarum iuſta pio affectu perſoluit. Itaq; idem Poëta eum libro eodem hæc inducit Deiphobum apud inferos alloquentem.

Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Conſtitui, & magnâ manes ter voce vocaui;
Nomẽ, & arma locum ſeruãt, te AMICE *nequiui*
Conſpicere, & patriâ decedens ponere terrâ

Virgilius.

Licet hic animaduertere inſignem in Amicum defunctum Aeneæ pietatem, qui nõ alijs eius exequias commiſit, ſed ipſe per ſeipſum eas celebrare voluit, luctu, ac tumulo Deiphobi honorans memoriam extincti. Obſeruauit hoc & Donatus, ſimulq; fidelem veri amici animum commendauit. *Erexi, inquit, honoris tui causâ tumulum ſine funere, quia confuſus ſueris corporibus hoſtium, nec inquiſitus reperiri potueras, nomen tamen tuum vocaui ſolemniter.* ECCE AMICI ANIMVS. *Ego, inquit, per me ſuprema tua compleui, non alijs facienda commiſi, ſolent res non rectiùs peragi, quæ curanda audiuntur.* Vides nedùm à fidelibus, ſed etiam à Gentilibus amicis magno ſtudio pietatem exhibitam defunctis? Agnoſce igitur amicos mortuos propter amicitiam eſſe pietate a viuis proſequendos.

Donatus.

CAPVT XXV.

Tenentur ſubditi Regum miſereri defunctorum.

Iabenſes Regis Saul cadauer ad vrbem tranſtulerunt, ut debitas regi' funeri celebrarent exequias.

1 DVm pietatem explico, quam Regibus debent ſubditi, Caput exordior ab obſequijs, quibus Regem Saul viri Iabes Galaad honorauerunt. Corruit miſer, ſuo ſemet gladio interficiens, in prælio, eiuſq; cadauer Philiſthæi rapientes, ad ciuitatem Bethſan ex monte Gelboë aſportauerunt, ibiq; ad Iſraëlitarum opprobrium auibus, ac feris laniandum ſuſpenderunt. Quam impietatem vt agnouerunt Iabenſes, nonnullos ex viris fortioribus elegerũt, qui totâ nocte ambulantes, ad hoſtium mœnia pergerent, ac Regis cadauer ab ignominia eriperent. Quod cùm fœliciſsime geſſiſſent, corpora Saul, eiuſq; filiorum ad vrbem Iabes extulerũt,

ac deindè in nemore ſepelierunt. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntq; Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni, & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes.* 1. Reg. 31. Poſſet autem quis hìc dubitare, cur cùm cadauera iſta eſſent in nemore ſepelienda, ea Iabenſes ad vrbem transferrent. Ad quid itinera multiplicauerunt, cùm poſſent immediatè ad nemus pergere, eaq; ibi ſepelire? An vt magis præclaras, ac ſolennes Regi celebrarent exequias in vrbe, quas tantâ ſolennitate celebrare non potuiſſent in nemore? Profectò hæc fuit mens Abulenſis in hunc locum.

Abulenſis.

Veneruntq; Iabes, ideſt redierunt in ciuitatem Iabes, ſcilicet poſtquam abſtulerũt cadauera de muro Bethſan, ut ibi facerent exequias DEBITAS REGALI FVNERI. Regum funeribus debita ſunt ingentis pietatis obſequia, quæ ut Iabenſes Regi Saül impenderent, ad ſuam vrbem eius cadauer extulerunt, ut ibi omnium ciuium luctu honoraretur, antequam in nemore humaretur.

Maiori pietate proſequendi Reges defuncti, quàm cęteri.

2 In vrbe igitur tranſlatum regium cadauer pyræ impoſuerunt, illudq; flammis combuſſerũt. *Veneruntq; Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni.* Hic etiam quærendum ſupereſt, cur hæc cadauera Iabenſes combuſſerint, cùm apud Hebręos conſuetudo eſſet, ut cadauera non cremarentur, ſed integra ſepulcbro mãdarentur. Porrò nec Abrahę, nec Saræ, nec Iſaach, nec Iacob, nec Ioſeph, nec Rebeccę, nec Rachelis, nec aliorum cadauera legimus fuiſſe cremata, ſed lota, & aromatibus condita ſine combuſtione ſunt ſepulta. Cur igitur hanc non ſeruauerunt conſuetudinem & Iabenſes, dum exequias celebrauerunt Saul, ſed eius cadauer accẽſo rogo imponere, ac flammis cremare voluerunt? Difficultatis nodum ſoluit Abulenſis, diſcrimen obſeruans, quod intercedebat inter funera ſubditorum, & exequias regum, quòd illi ſine combuſtionis honore ſepelirentur, iſti autem in rogo ſolenniter cremarentur, ac deindè illorum cineres in tumulis reponerentur.

Idem.

Reſpondendum eſt, quòd inter Iſraelitas non erat idem modus, quantùm ad cadauera omnium, nã cadauera popularium ſimpliciter ſepeliebantur, & nihil comburebatur de eis, nec fiebant cæremoniæ combuſtionis ſuper illa, in cadaueribus autem REGVM *ſecùs erat, quia ibi fiebant cæremoniæ combuſtionis.* Maiori ſunt pietate proſequendi Reges, quàm cæteri defuncti; vndè cùm cæteri ſimplici ſepulturâ honorarentur, ipſi non tantùm ſepulturæ, ſed etiam combuſtionis obſequijs decorabantur.

In regalibus exequijs cremabantur cadauera, ſecùs in cæteris.

3 Hunc morem confirmant ea, quæ Ioram contigerunt, qui longâ conſumptus tabe, mortuus eſt, poſt mortem vero propter patrata delicta non eſt à populo crematus. *Mortuuſq; eſt in infirmitate peſſimâ, & non fecit ei populus ſecundùm morem combuſtionis exequias, ſicut fecerat maioribus eius.* 2. Paralip. 21. 19. Ex quibus clarè deducitur hunc morem apud Hebræos inualuiſſe, vt regales exequias à popularibus diſtinguerent, maiorique pietate regibus defunctis, quàm cæteris parentarent, ac proptereà combuſtionem in Regum tantùm funeribus adhiberent. Breuiter, ſed ad rem Hugo Cardinalis.

Hugo Cardinalis.

Non fecit ei populus ſecundùm morem combuſtionis EXEQVIAS REGALES. Regales exequias ceteris nobilitate præibant, vndè ut Deus Ioram etiam defunctum mulctaret, populares quidem ei permiſit, ſed noluit exequias concedere regales.

Sedeciæ Regi cõbuſtio poſt mortem in exequijs prædixit Ieremias.

4 Licet etiam id probare ex verbis, quibus Ieremias Sedeciæ prædixit, quòd gladio non moreretur, ſed in pace mortuus combuſtionibus regũ cremaretur. *Non morieris in gladio, ſed in pace morieris, & ſecundùm combuſtiones patrum tuorum regum priorum, qui fuerunt antè te, ſic comburent te.* Ierem. 34. 5. Quæ verba explicans, ait idem Hugo Cardinalis.

Idem.

Mos erat antiquis accendere ignẽ ſuper corpora mortuorum ad honorem eorum, HOC FACIENTES EI, QVIA REX ERAT. Quid clarius? Quia Rex erat, maiori honore poſt mortẽ proſequendus erat, nam maiori ſunt pietate mortui Reges honorandi, quàm cęteri, ut quibus maior honor præſtitus eſt viuis, maior etiam exhibeatur pietas defunctis.

Vnguenta, & ornamenta pretioſa in exequijs regum cremabantur.

5 Et quia hùc ſermo noſter euaſit, aduertendum inſuper cenſeo, quòd in Regum funeribus, non tantùm eorum cadauera comburebantur, ſed multa alia pretioſa vnguenta, & ornamenta ſuper ea, ut honorificentiores euaderẽt exequiæ, cremabantur. Quod colligo ex exequijs Aſa Regis, qui ſuper lectum plenũ aromatibus, alijſq; ornamentis dicitur à populo combuſtus. *Et ſepelierunt eum in ſepulcbro ſuo, quod foderat ſibi in ciuitate Dauid, poſueruntq; eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus, & vnguentis meretricijs, quæ erãt pigmentorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimiâ.* 2. Paralip. 16. 14. Quæ magis explicans Gloſſa Ordinaria, hæc addit.

Gloſſa Ordinaria.

Nota, quòd REGIBVS, *vt Hebræi tradunt, reuerentiæ causâ combuſtiones pretioſarum veſtium, ſimul cum aromatibus fiebant, vndè alibi, iuxtà combuſtiones maiorum facient tibi. Mos enim fuit apud veteres, ut pretioſa ornamenta* REGVM *poſt obitum eorum pro exequijs in pyrâ vrerentur.* Regales exequiæ maiori ſemper ſunt pietate honoratæ, atq; adeò multa, dum illæ fierent, cremabantur, quod in aliorum exequijs non contingebat, vndè non eſt mirum, quòd Iabenſes quoq; iuxta hunc morẽ ſolenni combuſtione Regi Saul parentarent. Quin & ipſi quoque, non tantùm cadauer, ſed & multa pretioſa in eius funere, tanquam in regis exequijs combuſſerunt. Vndè Lyranus ait.

Lyranus.

Et combuſſerunt ea ibi igni, aromatica multa ibidem cõburendo, ſicut fiebat antiquitùs in ſepulturis ſolennibus, ſicut dicitur 2. Paralip. 16. in ſepulturâ Aſa REGIS *Iuda.* Solenne funus hi viri pij Saul præſtiterunt, quia Rex erat, atque adeò celebri pietate poſt mortem proſequendus.

Ieiunauerunt pro Saul, quia Rex erat.

6 Eademq; ratione poſt funeris pompam ſeptem diebus ieiunauerunt. *Et ieiunauerunt ſeptẽ diebus.* 1. Reg. 31. 13. Cur enim tam diuturno

ieiunio

Digitized by Google

ieiunio ſe afflixerunt pro Saul mortuo, niſi ut Regi ſuo abſtinentiæ ſuffragio pietatem exhiberent? Lachrymas, aromata, rogum, & ſepulchrũ impenderant Regi, quibus non contenti, voluerunt adhuc ſeptem dierum ieiunio ei ſuffragari.

Abulenſis.

Aliqui dicunt, inquit Abulenſis, *quòd ieiunauerunt propter planctum Saulis, & filiorum ſuorum, ſcilicet, quia* TENEBANTVR FACERE HOC PROPTER REVERENTIAM REGIS. Regia Saul dignitas ingentem exigebat à Iabenſibus pietatem, qui propterea & lachrymis, & vigilijs, & exequijs, & ieiunijs ei ſummâ pietate parentare voluerunt.

Dauid præcipuè Saul mortuum plorauit, quia regiâ dignitate fulgebat.

7 Sed & Dauid ſummam oſtendit ergà Regẽ Saul pietatem, qui poſtquam populum vniuerſũ, qui corruerat in prælio contrà Philiſthęos plorauit, multiſq; lachrymis, ac ſciſſis veſtibus ei pietatem impendit, alium rursùs luctum inchoauit, peculiaremq; lamentationem pro Saul inſtituit. *Planxit autem Dauid planctum huiuſcemodi ſuper Saul, & ſuper Ionathã filiũ eius.* 1. Reg. 1. 17. Regi ſcilicet defuncto, præter vniuerſalẽ, ſpecialem, ac pręcipuã deberi pietatẽ exiſtimauit. Annuit Caietanus.

Caietanus.

Poſtquã in genere lamẽtatus eſt multitudinem occiſorum, & potentiũ caſum, deſcendit ad indiuidua, & primò ad REGEM, *tanquam non eſſet unctus oleo, hoc eſt tanquam non eſſet vnctus à Deo in* REGEM, *occiſum enim lamentatur ibidem* REGEM, *tanquam non eſſet* REX, *qui vngebatur à Deo*. Agnouit Rex Dauid præcipuam Regibus poſt mortem deberi pietatem, atq; adeò peculiari luctu Saul Regem mortuum plorauit, qui nullâ dignitatis regiæ habitâ ratione, in monte Gelboë abiectus, atq; ab hoſtibus ignominioſè fuerat in ciuitatis muro ſuſpenſus.

In morte Saul Regis ieiunium præcepit, quod in morte Abner, qui Rex non erat, non indixit.

8 His addidit ieiunium, quo ſimul cũ vniuerſo populo Dauid ſe afflixit, quod ieiunium deſcribitur, cùm dicitur. *Et ieiunauerunt vſq; ad veſperã ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius, & ſuper populũ Domini, & ſuper Domũ Iſrael, eò quòd corruiſſent gladio.* 2. Reg. 1. 12. Hoc ieiunium intuitu Regis Saul exhibitum fuiſſe, ex eo conſtat, quòd licet plorauerit magnâ pietate Abner, & pro ipſo etiam vſq; ad Solis occaſum ieiunauerit, non tamen populo ieiunium in eius morte indixit. Exiſtimauit namq; maiorem pietatẽ Saul Regi, quã Abner, qui regiâ dignitate præditus non erat, deberi. Hoc totum docet Abulẽſis quæſt. 34. in cap. 3. lib. 2. Regum.

Abulenſis.

Dauid, & viri ſui ieiunauerunt in morte Saulis, eò quòd ibi erat cauſa generalis ad ieiunandum PRO MORTE REGIS, *& filiorum ſuorum, & populi Iſrael, Sic dicitur ſuprà. Et planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperã ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius, & ſuper populum Domini, & ſuper Domum Iſrael, eò quòd corruiſſent gladio, ideò cùm cauſa eſt communis, credendũ eſt, quòd Dauid iuberet viris ſuis, quòd ieiunarent uſq; ad veſperam, ſed adhuc dato, quòd non iuſſiſſet, ſatis credendum erat, quòd ipſi ſpontè ieiunaſſent. Nunc autem in morte Abner non erat cauſa communis toti populo ad ieiunandum,* EO QVOD ABNER NON ERAT REX POPVLI. Regibus maior, quàm cæteris, debet poſt mortem pietas exhiberi, quare ieiunium, quòd populo non præcepit pro mortuo Abner, qui Rex non fuerat, indixit in morte Saul, qui regiâ dignitate, dum viueret, fulſerat.

Philiſthæi ſuorũ Regũ exequijs occupati prælia cũ Iſraelitis dimiſerunt.

9 Defuncto Samſone in terrâ Philiſthæorum, quorum contumelias domûs ruinâ vltus fuerat, deſcenderunt cognati eius, & inter aulæ dirutæ rudera conciſum cadauer illius extulerunt, & ad patrium ſepulchrum indè aſportauerunt. *Deſcenderunt autem fratres eius, & vniuerſa cognatio, & tulerunt corpus eius, & ſepelierũt inter Saraa, & Eſthaol in ſepulchro patris ſui Manue.* Iudic. 16. 31. Dubium hìc non leue oritur, cur Philiſthęi, qui adeò crudeliter ſæuierant in Samſonem, tantâ facilitate cognatis eius permitterent, ut illi ſepulchrales honores exhiberent. Nonnè tunc erant in eum magis, quàm anteà indignati, qui plures ex ipſis interfecit moriens, quàm occidiſſet viuens? Cur igitur cadauer eius canibus, ac volucribus non obiecerunt, vnguibus, ac dentibus non diſcerpſerunt, inſepultum, ac ſuſpenſum non abiecerunt, ſed propinquis omnia pietatis ergà illum officia permiſerunt? Quia nimia afflictio, quâ ſuos Reges lugebant defunctos, non ſinebat eos cum Iſraëlitis contendere, lachrymis, ac pietatis obſequijs occupatos. Aptè idem Abulenſis.

Abulenſis.

Quia nunc erant Philiſthiim valdè afflicti, CVM OMNES REGES SVI MORTVI ESSENT, *non auſi ſunt contendere, & ſpontè donauerunt corpus Samſonis cognatis eius*. Vt Regibus ſuis poſt mortem exequiarum iuſta perſoluerent, prælia dimiſerunt, nec hoſtis tam infenſi ſepulturam eius cognatis prohibere voluerunt.

Celebri ſepulchro Regem Hai mortuũ Ioſue honorauit.

10 Cùm cepiſſet Ioſue vrbem Hai diuino iuſſu, eamq; flammis incẽdiſſet, Regem eius in patibulo ſuſpendit. Sole autem occidente præcepit, ut cadauer eius deponeretur, & congeſto ſuper illud lapidum aceruo, ſepulturæ honore decoraretur. *Præcepitq; Ioſue, & depoſuerunt cadauer eius de cruce, proiecerũtq; in ipſo introitu ciuitatis, congeſto ſuper eo magno aceruo lapidum, qui permanet vſq; in præſentem diem.* Ioſue. 8. 29. Quòd Rex iſte ſepeliretur, hoc erat iuxtà legis mandatum, quo Iudæis præcipiebatur, ut ad Solis occaſum patibulo mulctatos humarent. At lapidum aceruum cur iuſſit Ioſue illius monumento ſuperimponi? An id egit, ut Regem defunctum præ cæteris honoraret, ac nobiliori tumulo eius reliquias mandaret? Ita cenſet Abulenſis.

Idem.

Super eum poſuerunt lapides multos, ut ſic ſaltem infœlix illud cadauer tumulatum foret, & hoc fuit, ut SCIRETVR, IBI ESSE SEPVLCHRVM REGIS HAI. Regem licet hoſtem proſecutus eſt Ioſue pietate poſt mortem, tumulumque conſpicuum, ut eius memoria conſeruaretur illi erexit.

Eadem pietate quinque alios Reges honorauit.

11 Quod & egit, cùm alios quinq; reges eadẽ ſuſpendij pœnâ mulctauit, quos item, Sole occumbente, de patibulis depoſuit, & in ſpeluncâ ſepultos, ingẽtibus ſaxis operuit. *Cùmq; occumberet Sol, præcepit ſocijs, ut deponerent eos de patibulis. Qui depoſitos proiecerunt in ſpeluncam, in quâ latuerant, &*

Digitized by Google

poſuerunt ſuper os eius ſaxa ingentia, quæ permanent vsque in præsens. Ioſue 10. 27. Quod ſanè actum eſt, ut aliquis Regibus poſt mortem honor exhiberetur, maiorq; pietas honorificentiori tumulo eis impenderetur. *Proiecerunt eos*, inquit Abulenſis, *in ſpeluncam, in quâ latuerant, ut daretur eis honor quidam ſepulchri, ut eſſet aliqua diſtantia eorum, & cæterorum, qui in acie ruerant.* Adeò debita eſt Regibus defūctis pietas, ut ipſos quoque hoſtes regiâ dignitate præfulgētes pietate Ioſue proſequi voluerit, ac celebri poſt mortē honorare ſepulchro.

Idem.

Ringo Haraldum Regem mortuum ingenti pietate honorauit.

12 Idipſum cum Haraldo Rege Danorum egit Ringo Rex Sueonum, qui eum a ſe victum, atq; in prælio cæſum honorificentiſſimè tumulauit, & omnibus pietatis obſequijs mortuum honorauit. Refert hoc Saxo lib. 8. apud Theatrum vitę humanæ Vol. 3. lib. 9. *Victo, cæſoq; Haraldo* DANORVM REGE, *Ringo Sueonum Rex auunculi, licet hoſtis, manibus parentandum ratus, equum, cui inſidebat, regio iunctum currui, aureaq; ſellâ inſtratum ei dedicauit, adiectâ prece, ut Haraldus eo vecto re vius, fati conſortes ad Tartara antecederet, atq; apud Plutonem ſocijs, hoſtibusq; placidas expeteret ſedes. Deindè rogum extruxit, Danis inauratam* REGIS SVI *puppim in flammæ formentum conijcere iuſſis. Cùmq; superiectum ignis cadauer abſumeret, mærentes proceres hortari cœpit, ut arma, aurum, & quodcumq; optimum eſſet, liberaliter* IN ROGVM TANTI REGIS IMMITTERENT. *Cineres Lethram perferri, ibiq; cum equo, & armis* REGIO MORE *funerari præcepit.* O' ingētē in Regē mortuū, licet hoſtē, Regis viui, ac victoris pietatē, qui tātâ magnificentiâ eū ſepeliuit, totq; obſequijs illius ſepulturā honorauit.

Saxo.

Inſignis Pietas Archelai in Herodem, & Alexādri in Darium Reges defunctos.

13 Inſignis etiā fuit pietas, quâ Herodē Regē Archelaus extulit eius filius, qui patris funus omni ornamētorū genere decorauit, nihilq; reliquit, quod poſſet exequias magnificas reddere, atq; illuſtres. Eas deſcribit Ioſeph Hebręus lib. 1 de bello Iudaico cap. vlt. cuius hęc ſunt verba. AD SEPELIENDVM REGEM *operā contulerunt. Nihil autē magnificentiæ prætermiſit Archelaus ad omnē ornatum regium in funeris pōpâ ducendum.* Similē etiā Dario Regi, non patri, ſed hoſti pietatē Alexāder impendit. De quo Diodorus Siculus lib. 17. Biblioth. Hiſtor. hæc habet. *Alexander interim cum equitatu inſequutus, de eius* (Darij) *morte, certior factus eſt, curauitq; vti pōpâ, &* MORE REGIO SEPELIRETVR. Attende, quantâ pietate digni ſint Reges defuncti, quibus tot honores, totq; præclara obſequia Reges exhibebant viuentes.

Ioſeph Hebræus.

Diodorus Siculus.

Turba Latinorum ingēti luctu Reginæ Amatæ parentauit.

Virgilius.

14 Luctū enarrās Virg. lib. 12. Æneidos, quē Latinorū Reginę filia Lauinia impēdit, hęc cecinit.

Filia prima manu flauos Lauinia crines,
Et roſeas laniata genas, tùm cætera circùm
Turba furit, reſonant latè plangoribus ædes.

Nil mirū, quòd filia matrē amiſsâ tot miſerationis obſequijs proſequeretur, tantaq; pietate lugeret, nā matri defūctæ hoc debebat filia ſuperſtes. Cæterū cur turba reliqua tot clamoribus hoc in funere plorabat? An ut Lauiniā ſe afflictantē ſuâ imitarentur afflictione? An ut ſuis lacbrymis eius lenirent dolorē? An ut miſeræ lugēti ſuo luctu ſolatiū aliquod præberent? Nequaquā; ſed ut Reginę defunctæ debitam pietatē exhiberent. Adeſt Donatus. *Cætera turba earum accipienda eſt, quæ miſeratione potiùs* REGINAE SVAE, *quā affinitatis ratione mouebantur.* Regibus, ac Reginis pietas debita eſt à ſubditis, vndè cernens turba latina ſuam defunctam Reginam, ingenti ei luctu ſimul cum filiâ pietatem impendit.

Donatus.

Varij Ritus in Regum funeribus adhibiti.

Ritus Lacedæmonum.

Alexander ab Alex.

14 Ex hac pietate, quam ſubditi Regibus exhibere debēt, orti ſunt varij ritus, quibus miſerationis obſequia poſt mortē eis exhibentur. Lacedæmonij ſiquidē in Regis obitu crines lacerant, veſtes abſcindunt, clamoribus vlulant, alijſq; multis pietatis officijs ei parentant. Teſtatur id Alexander ab Alexandro lib. 3. dierū genialiū cap. 7 *Apud Lacedæmonios* OBITV REGIS ENVNTIATO, *Spartiatæ serui, & mulieres ingenti coactâ manu, laceratis crinibus, abſciſsâ veſte, cum vocibus, & vlulatu frontes manu plangunt, & capite conuerberato interitum miſerantes, cum fuiſſe optimum Regum voce ſignificāt, quem morte ſublatum omni genere honorū, velut diuinum cumulari, Lycurgus lege ſanxit.* Addit ibidem Andreas Tiraquellus ex Heraclide per triduum à Regis morte nihil apud eos vendi, vt ab omni cōtractu alieni liberiùs regalibus vacent exequijs. *Sed & de his prætereà tradit Heraclides in Politicis, quòd Lacedęmoniorū* REGE MORTVO *per totum triduū nihil venditur, atq; forum paleis cōſpergitur.* Maiorē pietatem ritus redolent, quibus Ægyptij ſuos Reges lugent, quos deſcribit Diodorus Siculus lib. 1. cap. 3. CV'M QVIS REGVM DECEDIT E' VITA, *Aegyptij omnes mortē cōmuni mæſtitiâ lugēt, veſtes lacerant, tēplis clauſis forū non frequentāt, feſta ſolennia nō agunt, dies ſeptuaginta duos luto deturpantes capita, & ſindone ſubtus mammas cincti, vnà viri, mulieresq; ducenti fermè, aut trecenti circūambulant bis in die, nouantes luctū, atq; ad numerū cum cantu virtutes* REGIS *commemorantes. Cibis animantium, coctiſq; ac vino, omniq; munitæ apparatu abſtinent. Nō lauacris, non vnguētis, non ſtratis lectis, nō venereis vtūtur, ſed tanquā defūcto filio per eos dies mœrentes lugēt.* Vides quantā his obſequijs Aegyptij ſuis Regibus impēdant pietatē? Sed & Gerrhi Scythica gens ſuos Reges mortuos pietate proſequūtur, de quibus Herodotus lib. 4. REGVM AVTEM SEPVLCHRA *apud Gerrhos ſunt. Vbi Boryſthenes iā innauigabilis eſt, ibi* CV'M REX EORVM DECESSIT, *ingentē ſcrobē effodiunt formâ quadratâ; hoc vbi præpararunt, accipiunt mortuū corpore incerato, aluo exculsâ, atq; expurgatâ, quā ſileri contuſo, & thymiamate, apijq; ſemine, & aniſi cùm expleuerunt, reſuunt rursùs, impoſitūq; plauſtro cadauer ad aliā gentem ferunt.* Indorū quoq; ut & Aegyptiorū mos eſt tunicis ex lino asbeſtino cōfectis Regū defunctorum cadauera induere, ut corporis cinerē ſeparent à rogi fauillâ. *Fuit ſeruatū apud Indos, & Aegyptios,* inquit Alexander ab Alexandro li. 3. ca. 7. REGVM *funebres tunicas, quò cineres cremati à reliquâ fauillâ diſtincti iacerent, ex lino, quod igni nō abſumitur conficere, eiſq; ad rogū defunctū corpus induere.*

Andreas Tiraquellus.

Ritus Aegyptiorum.

Diodorus Siculus.

Ritus Gerrhorum.

Herodotus.

Ritus Indorū, & Aegyptiorum.

Alexander ab Alex.

Pa-

Digitized by Google

Ritus Panebiorum. *Idem.*

Panebij, ut inquit idẽ author lib. 3. cap. 2. Regũ corpora ſepeliunt, caput verò auratũ, atq; conſecratum in auguſtiſſimo tẽplo cõſeruant. *Panebij,* Si Qvando Rex Moritvr, *corpus quidẽ defodiũt, caput verò auratum, in templo auguſtiſſimo conſecrãt, dicantq;* Morem etiam ibidem refert Saitanis ſolenne, quo Reges intrà templi ſepta ingenti pietate ſepeliunt. *Saitanis,* Reges, Qvi Imperitarvnt, *intrà ſepta templi ſepelire aſſuetum erat, hoc ſepulturæ genus optimum, & pietatis vltimum officium æſtimantes.* Tauri quoq; vnà cum ſuo Rege illius amicos, ut Stobæus teſtatur ſerm. 277. de ſepulturâ, humare conſueuerunt. *Tauri gens Scythica* Cvm Regibvs Extinctis *gratiſſimos eorum amicos vnà ſepeliunt.* Deniq; Sinæ Regibus, ac Reginis trienni luctu parentant, quod refert Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap. 7. *In* Regis, Avt Reginae, *quæ quidem legitima eſt funere legitimum lugendi tempus etiam eſt trienne, quaqua verſum patent regni fines.* Dum ergò tantâ rituum varietate ſuis Regibus pietatem populi vniuerſi exhibent, quis inficiabitur teneri ſubditos Regum miſereri defunctorũ?

Ritus Saitanorum. *Idem.* *Ritus Taurorum.* *Stobæus.* *Ritus Sinarũ* *Nicolaus Trigautius.*

CAPVT XXVI.

Regum filij, & Principes pietate poſt mortem ſunt proſequendi.

Suaſit Dauid pietatem in defunctos Iſraelitis, quia mortui erant Rex, & Regis filij.

1 Poſt Reges, Regum filios, & principes poſt mortem miſerationis obſequijs proſequi debemus, quibus quantâ debeamus pietatem Capite iſto declaro. Placet autem eius initium ducere à verbis, quibus Dauid cognitâ morte Saul, & filiorum eius, populum Iſraël ad lachrymas in eorum exequijs vbertim effundendas excitauit. *Conſidera Iſrael pro his, qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati. Inclyti Iſrael ſuper montes tuos interfecti ſunt, quomodo ceciderunt fortes?* 1. Reg. 1. 18. Quorsùm hæc verba ſpectabant, niſi ut ſuaderent Iſraëlitis pietatem, dũ eis Regem, Regiſq; filios mortuos eſſe annunciabant? Hoc iuſſit Dauid populo, ut ſtudioſè conſideraret, quatenùs ex eâ conſideratione ſe ſe magis pium ergà defunctos exhiberet, agnoſcens, nõ quorumcumq; ſed Regis, Regiorumq; filiorũ exequias celebrari. Non debeo hic ſupprimere verba Gaſparis Sanctij. *Iubet, ut Iſrael ſingula accuratè conſideret, quaſi certò ſciat in illo vulnere reperiri cauſam, quæ æternam poſsit alere in animo benè in rempublicam affecto lugendi materiam,* Cvm Rex, Et Regia Soboles, *& præſtantiſsimi quiq; cum magno Reipublicæ detrimento, & Iſraelitici nominis ignominiâ occubuerint.* Regum filijs poſt mortem debent homines ingentem pietatem, vndè ut Dauid populum hortaretur ad pietatem ergà defunctos, inter eos eſſe dixit Regem, ac Regiam prolem, quorum dignitatis intuitu, præcipua debebant eis miſericordiæ obſequia impẽdi.

Gaſpar Sanctius.

Amnon magnifica fuerũt exequiæ celebratę, quia filius Regis erat.

2 Idipſum luctus innuit, quo Dauid, & filij, ac ſerui eius pietatem exhibuerunt Amnon defuncto. *Cùmque ceſſaſſet loqui, apparuerunt & filij Regis, & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt. Sed & Rex, & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis.* 2. Reg. 13. 36. In hoc enim luctu alia quoq; pietatis obſequia exhibita fuiſſe defuncto arguit Abulenſis ex eo, quòd Amnon Regis primogenitus erat. Quapropter credendũ eſt, & corpus eius ad vrbem Ieroſolymã tranſlatum, & in regio ſepulchro ibi honorificè ſepultũ, & magnificis exequijs à populo fuiſſe honoratũ. Ingentia videlicet pietatis obſequia Regis filio decebat exhiberi defuncto. *Subintelligendum eſt,* verba ſunt Abulenſis, *quòd Dauid, & filij ſui fecerunt planctum magnum & duxerunt corpus Amnon de Baalhaſor, & ſepelierunt in Ieruſalem, celebraueruntq; magnificas exequias,* Sicvt Decebat Pro Regis Primogenito Fieri. Regum filij ſpeciali poſt mortem ſunt pietate proſequendi, & iccircò quia Regis filius Amnon fuit, ad patrium ſepulchrum translatus, ibiq; honorificis decoratus exequijs, fuit ingenti populorum luctu ſepultus.

Abulenſis.

Eadem ratione lapideum monumentũ Abſalom eſt erectum.

3 Frater autem eius Abſalom, licet non fuerit ſtatim ad patrium ſepulchrum translatus, ne nimis pater filij cadauer aſpiciens triſtaretur, fuit tamen ibi, vbi perijt, ſepultus, aceruuſq; lapidum ſepulchro illius eſt ſuper poſitus. *Et tulerunt Abſalom, & proiecerunt eum in ſaltu in foueam grãdem, & comportauerunt ſuper eum aceruum lapidũ magnum nimis.* 2. Reg. 18. 17. Quem honorem cur milites, qui eum interfecerant, Abſaloni exhibuerunt, niſi quia Regis filius erat? Adeò quippè Regum filijs debita eſt pietas poſt mortem, ut etiam ab hoſtibus, atq; interfectoribus honorandi ſint defuncti. Ad rem idem Abulenſis quæſt. 16. in hunc locum. *Ideò poſiti ſunt lapides multi ſuper ipſum, ut ſciretur.* Hic Est Filivs Regis, *qui ſuſpenſus perijt.* Filio Regis interfecto interfectores ipſi lapideum ſepulchrũ erexerũt, eiuſq; memoriam perpetuò ſeruari curauerunt.

Idem.

Iehu iuſſit ſepeliri Iezabelem, quia filia Regis erat.

4 Nec aliter ſe geſſit Iehu cum Iezabel, quã cùm iuſſiſſet præcipitari, ut infœlici morte præteritorum delictorum culpas lueret, præcepit deindè ſeruis ſuis, ut eam ſepelirent, huncq; honorẽ ſe impẽdere illi declarauit, quia Regis filia erat. *Cùmq; ingreſſus eſſet, ut comederet, biberetq; ait, Ite, & videte maledictam illam, & ſepelite eam, quia filia Regis eſt.* 4. Reg. 9. 34. Animaduerte mulierem impiam, ac ſacrilegam ſepulturæ honore à Rege puniente dignam habitam, quia Regis filia erat. *Licet ipſa,* inquit idem Abulenſis, *ſit indigna ſepulchro,* Qvia Tamen Filia Regis Est, *honoretur ſaltem in hoc, quòd ſepeliatur.* Peſſimæ fœminæ honor exhibitus eſt ſepulturæ, nec quia illum mereretur, ſed quia cùm filia Regis eſſet, nõ decebat eam ſine vllo pietatis obſequio abiectam iacere, ac inſepultam. Regis quippè filij ſunt poſt mortem honorandi.

Idem.

Mulieres Pallantem lugẽtes, quia filius Regis erat.

5 Quod etiam probare poſſum ex eo, quod matres in morte Pallantis egerunt, quæ cùm eius cadauer ad patris vrbem à militibus efferri viderent, adeò pio luctu ei parentauerunt, ut vniuerſam mœſtis clamoribus impleuerint ciuitatem.

Digitized by Google

Haium enim luctum canens Virgilius lib. 11. Æneidos, dicit.

Virgilius.

Contrà turba Phrygum veniens plangentia iungit
Agmina: quæ poſtquam matres ſuccedere tectis
Viderunt, mæſtam incendunt clamoribus vrbem.

Hæc autem pietatis obſequia cur Pallanti mulieres iſtæ impenderunt, niſi quia Regis Euandri filius erat? Audiendus Donatus. *Matrum ſignificatione, vel mulieres generalitate accipere poſſumus, vel eas, quarum filij cum Aenea perrexerant, ut ſimilitudine caſûs commotæ, &* PROPTER REGIS FILIVM DOLERE *viderentur, & ſuorum periculum tractare cum animo.* Non aliam ob cauſam ergà Pallantem defunctum ſe ſe adeò pias mulieres iſtæ oſtenderunt, niſi quia filius Regis erat. Filij namq; Regis præcipuâ poſt mortem ſunt pietate honorandi.

Donatus.

6 Cuius pietatis exemplum egregium eshibuit Mycerinus Rex Aegypti, qui filiam defunctam in ligneâ boue inauratâ ſepeliuit, atq; apud regiam collocatę odores obtulit, & lucernam accenſam perpetuò aſtare ſepulcbro præcepit. Hoc referens Herodotus lib. 2 ait Regem *ſupra modum dum doleret, velletq; filiam excellentiori aliquo genere ſepelire, quàm cæteri, feciſſe ligneam bouem cauam, quam cùm inauraſſet, in eâ* FILIAM SEPELISSE DEFVNCTAM. *Neq; humo bos hæc condita eſt, ſed ad meam vſq; memoriam in propatulo fuit in vrbe Sai* APVD REGIAM, *in conclaui quodam exornato poſita. Cui ſingulis diebus omnifarij odores inferuntur: noctibus autem perpetuò incenſa lucerna aſtat.* Quis igitur hæc legens, non videt Regum filios, ingenti eſſe poſt mortem pietate proſequendos?

Mycerinus Rex filiæ ſuæ ingentem pietatē poſt mortem exhibuit.

Herodotus.

7 Sed & Principibus defunctis non modica ſunt pietatis obſequia exhibenda. Quod primò nos docuit Dauid, qui cognitâ morte Saul, & filiorum eius, veſtimenta ſcidit, ieiunio ſe afflixit, diuturno luctu ingemuit, omnemq; in eorum morte lætitiam prohibuit. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſq; viri, qui erant cū eo, & planxerunt, & fleuerunt & ieiunauerunt uſq; ad veſperam.* 2. Reg. 1. 11. Quamobrem verò tot pietatis obſequijs hos honorauit defunctos, niſi quia populi principes erant? Præclarè Angelomus. *Obſtupeſcens Propheta ingemit ſubitaneum caſum* PRINCIPVM POPVLI SVI, *& prohibet, ne ullus lætetur in tali caſu, neque fama hoc diuulget in ciuitatibus inimicorum.* Ingēs defunctis Principibus pietas debetur, ideòq; Dauid in morte Saul, & filiorum, qui populi princeps erant, & gemuit, & fleuit, & vſq; ad veſperam piè ieiunauit.

In morte Saul & filiorum eius Dauid luxit, quia principes erant.

Angelomus.

8 Quod & egit in morte Abner, quem ad ſepulchrū comitatus eſt, magnificè ſepeliuit, vbertim plorauit, piè laudauit, & omnibus miſerationis obſequijs honorauit. Quę cùm perfeciſſet dixit ad ſeruos ſuos, Abner, qui gladio Ioab interfectus corruerat, maximum principē in Iſraël fuiſſe. *Dixit quoq; rex ad ſeruos ſuos: Nūm ignoratis, quoniā princeps, & maximus cecidit hodie in Iſrael?* 2. Reg. 3. 38. Hæc autem ideò dixit eis, ne mirarentur, quòd tot eum obſequijs poſt mortem honoraſſet, nam cùm princeps eſſet, magna ei pietas debebatur. Accinit Abulenſis, quæſt. 36. in hunc locum *Non debetis admirari, quòd ego nimis doluerim, & fecerim omnia hæc, quia iſte, pro quo facio, erat* PRINCEPS IN ISRAEL, *& erat maximus, ſcilicet quia quondam viuente Saule ipſe fuit* PRINCEPS MILITIAE TOTIVS ISRAEL, *nunc quoq; erat* PRINCEPS MILITIAE VNDECIM TRIBVVM, *& ipſe regebat illas, ut patet ſuprà in literâ, ideò non ſolùm debuiſſem hoc facere pro eo, ſed etiam vindicare mortē illius, ſed non poſſum.* Iccircò tam ingenti pietate Dauid honorauit Abner defunctū, quia princeps erat, & tanquā princeps Iſraëlis militiā regebat.

Idem egit in morte Abner, qui principis dignitate fulgebat.

Abulenſis.

9 Faciunt etiam ad huius veritatis confirmationē exequiæ, quas prophetæ Samueli populus Iſraëlita celebrauit, qui ut mortuum ſenem lugeret, eumq; honorificè humaret, vniuerſus eſt in Ramathâ congregatus. *Mortuus eſt autē Samuel, & cōgregatus eſt vniuerſus Iſrael, & planxerunt eū, & ſepelierunt eum in domo ſuâ, in Ramathâ.* 1. Reg. 25. 1. Quòd ſi quæras, cur vniuerſus Iſraëlitarū cætus, ut mortuū lugeret, ac ſepeliret, vnà ſit congregatus, reſpondendū eſt Samuelē fuiſſe veluti principē Iſraëlitarum, quos per omnes vrbes diſcurrens iudicabat, ſalutaribus monitis inſtruebat, & precibus ab hoſtium inſidijs protegebat; quare populus eū tanquā principē honorificētiſſimo funere efferre debebat, ac proindè, ut eū magis honoraret, vniuerſus ad eius exequias conuenit. Debemus hoc Abulenſi. *Tenebatur ei totus populus ad honorem magnum,* SICVT PRINCIPI, *in exhibendo pietatem eius funeri.* Debebat populus Hebręorū Samueli defūcto, veluti principi, maximū exequiarum honorem, ac propterea omnes eorum cœtus funeri eius intereſſe voluerunt.

Populus Iſrael congregatus eſt, ut lugeret Samuelem, quia hic veluti princeps eius erat.

Idem.

10 Poſsū etiā Gentiliū authoritate pietatem principibus mortuis debitā declarare. Diodorus enim Siculus lib. 1. cap. 3. docet Aegyptios maximè fuiſſe beneuolos ergà ſuos principes vitâ functos. *Ea, quæ poſt obitū Aegyptij ſuis Regibus præbuerūt, magnā populi* ERGA PRINCIPES *beneuolentiā mōſtrāt.* Maiorē in eos, licet barbaro ritu, oſtēdūt beneuolētiā Aethiopes, qui ſibi ad rogū eorū mortē inferūt, vnàq; cū eis cremātur. Vndè Alexāder ab Alexādro lib. 3 dierū Genialiū cap. 7. ait eorum morē fuiſſe, ut CHARITATE PRINCIPIS, *vi vitæ ſibi ad rogū afferāt, vndq; morte intereāt.* Principes Tartarorū, cū ſepeliūtur, vnà cū eis ſeruus humatur. Quod refert Bōfinius li. 8. decad 2. apud Theatr. vitę hum. vol. 2. li. 3. PRINCIPES TARTARORVM *antequā expirēt, ſeruū deligūt, qui cū Domino viuus ſepeliatur.* Porphyrio demū apud Ioānē Kirchmānū lib. 2. de funeribus Romanorū cap 7. in funeribus principum refert imagines fuiſſe prælatas maiorum, ut eorū exequiæ maiori ſolennitate celebrarentur. *In funere nobiliſſimis quibuſq; ſolebant præferri imagines maiorum,* QVOD OBSERVARI VIDEMVS IN FVNERIBVS PRINCIPVM. Conſtat igitur ex his omnibus Regum filios, & principes pietate poſt mortem eſſe proſequendos.

Gentiles ergà principes defunctos pij.

Diodorus Siculus.

Alexander ab Alex.

Bonfinius.

Porphyrio.

CA-

CAPVT XXVII.

Prælatis, ac Sacerdotibus defunctis miſericordiæ obſequia debentur.

Iuſſit Moyſes populo, ut plâgeret Nadab, & Abiu defunctos, quia veluti prælati erant.

1 HAnc ſuadet in primis veritatem luctus, quem Moyſes fieri præcepit in morte Nadab, & Abiu, quos alienum ignẽ offerentes cœlitùs emiſſa flamma combuſſit. Iuſsit enim, vt omnis domus Iſraël incendiũ illud ploraret, mortuoſq; ſacerdotes conſuetis pietatis obſequijs honoraret. *Fratres veſtri, & omnis domus Iſrael plangant incendium, quod Dominus ſuſcitauit.* Leuit. 10. Cur adeò vniuerſalem pro eis luctum præcepit, quorum crimina tam rigidâ pœnâ Deus vltus fuit? Nonnè ſatis erat, ut in eorum funere cognati lugerent, ac propinqui? Quamobrem congregandus erat vniuerſus Iſraëlitarum cætus, ut eis lachrymarum effuſione parentaret? Quia hi ſacerdotes populi prælati erãt, maxima verò à ſubditis pietas eſt exhibẽda prælatis defunctis. Accipe Abulenſẽ quæſt. 12 in hunc locum ita loquentem. *Ad omnem domum Iſrael, ſcilicet ad omnes, qui erant in duodecim tribubus, quæ vocantur domus Iſrael, pertinebat plangere mortem iſtorum ſacerdotum, quoniam iſti quodammodo erant* PRAELATI POPVLI, *cùm eſſent vncti in ſacerdotes. Ad ſubditos autem pertinet prælatorum ſuorum funera honorare.* Quid clarius? Honorandi ſunt pietatis obſequijs prælati defũcti, vndè vniuerſis domibus Iſraël præcepit Moyſes, ut plorarent Nadab, & Abiu, quia cùm eſſent prælati, præcipuâ, & vniuerſali erant poſt mortem pietate honorandi.

Abulenſis.

Populus Iſrael Moyſen luxit, quia erat eius veluti paſtor, & prælatus.

2 Eamdẽ ob cauſã Moyſen mortuũ ijdẽ Iſraëlitę triginta diebus luxerũt. *Fleuerũtq; eũ filij Iſrael in cãpeſtrib. Moab triginta diebus.* Deut. 34. 8. Cuius tam diuturni luctus quænam alia cauſa fuit, niſi quia Moyſes erat veluti Paſtor, & Prælatus Hebræorum? Profectò ex hoc luctu colligit Oleaſter pietatẽ, quâ Prælatos honorare debemus defunctos, hiſq; nobis eam ex D. Ambroſij mente inſinuat verbis. *Fleuerunt filij Iſrael Moyſen. Deflendi ſunt maximo fletu boni* PRAELATI, ET PASTORES, *vt Ambroſius dicebat, tùm quia nõ facilè reperiũtur, tùm ob defectũ, quẽ ex eorũ morte oues patiuntur.* Maximâ ſunt poſt mortẽ prælati pietate honorandi, & ideò Moyſen, qui loco Paſtoris, ac Prælati eis erat, ingenti, ac diuturno luctu Iſraëlitæ in monte defunctum honorauerunt.

Oleaſter.

Eadem ratione Aaron plorauit.

3 Nec minori pietate illius fratrẽ Aaron plorauerunt, quẽ itẽ per cũctas familias ſuas mortuũ triginta diebus luxerunt. *Omnis autẽ multitudo videns occubuiſſe Aaron, fleuit ſuper eo triginta diebus per cũctas familias ſuas.* Numer. 20. 29. Quę pietas vtiq; illi fuit exhibita, quia Prælatus erat, & Pontificali dignitate fulgebat. Accinit Lyranus. *Fleuit ſuper eo triginta diebus* PROPTER REVERENTIAM PONTIFICALIS OFFICII, Et ſubſignat etiam Dionyſius Carthuſianus, dũ ait Hebræos ideò fleuiſse, *quia priuati erant tam fideli, & ſancto* PONTIFICE. Pontificem defunctum longo luctu, & ingenti pietate honorauerunt, nam magnâ ſunt mortui Pontifices pietate honorandi.

Lyranus.

Eleazar ſummo ſacerdotio functo memoria honoratur.

4 Hinc poſt mortẽ Ioſue Iſraëlitarum ducis, mors quoq; narratur in ſacrâ hiſtoria, & ſepultura Eleazar filij Aaron. *Eleazar quoq; filius Aaron mortuus eſt, & ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filij eius, quæ data eſt ei in mõte Ephraim.* Ioſue 24. 33. Hic quippè honor ſummo debebatur ſacerdoti defuncto, ut eius mors, ac ſepultura vnà cum morte, ac ſepulturâ ſummi ducis, atq; Iudęorum Imperatoris in ſacrorũ voluminum paginis recẽſeretur. Adſtipulatur Abulenſis quæſt. 22. in hũc locũ. *Hic ennaratur aliud incidens tẽporale, ſcilicet de morte Eleazari, iſte enim fuit mortuus eo tempore, quo Ioſue, & exprimitur de hoc, quia ſicut Ioſue erat princeps populi, ita etiam Eleazar erat princeps magnus, nã erat* SVMMVS SACERDOS, *& ex hoc in toto populo honorabiliſſimus, ideò cùm de morte Ioſue actũ ſit, agitur de morte illius.* Honoranda erat ſummi Præſulis defuncti memoria, quapropter poſt narratam mortẽ Ioſue, illius quoq; mors, ac ſepultura refertur.

Abulenſis.

Summi ſacerdotes poſt mortem appellatione honorificâ decorati.

5 Pergo, & verba expendo, quæ protulit vxor Phinees, cùm ſoceri, ac viri mortẽ agnouit. *Trãſlata eſt gloria Domini de Iſrael, quia capta eſt arca Dei, & pro ſocero ſuo, & pro viro ſuo.* 1. Reg. 4. 21. Nemini dubiũ eſt, quòd trãslatâ arcâ Dei ad Philiſthęos, eius etiã gloria transferretur, nam in Arcâ maximè Dei, atq; Iſraëlitarum gloria fulgebat. Verùm cur nõ tantùm pro Arcâ, ſed etiã pro ſocero, ac viro ſuo gloriã mulier iſta dixit fuiſſe translatã? Nunquid erant hi viri gloria Iſraëlitarum, ut per mortem eorũ inglorij manerent? Honorauit mulier hos viros poſt mortẽ, quia ſummi fuerant, cùm viuerent, ſacerdotes, atq; ideò illos Iſraëlitarum gloriã appellauit. Diſce id ex Abulenſi quæſt. 20. in hunc locum. *Quia ſocer huius fœminæ, ſcilicet Heli, & vir eius Phinees erant* SVMMI SACERDOTES, *pro eis dixit, quòd translata erat gloria Domini ab Iſrael.* Summos ſacerdotes ſummâ pietate honorauit defunctos, eoſque ratione dignitatis, quâ viuentes fulſerant, appellatione honorificâ Iſraelitarum gloriam nuncupauit.

Abulenſis.

Eccleſia priùs defuncti Prælati animæ ſuffragatur, quàm eligat ſucceſſorem.

6 Hùc etiam ſpectat pia Eccleſiæ cõſuetudo, quæ mortuo Prælato, non procedit ad electionẽ ſucceſſoris, niſi priùs precibus, ſacrificijs, alijſque ſuffragijs exequias celebrauerit defuncti. Adeò videlicet debita eſt mortuis Pręlatis pietas, ut pro aliquo tempore potiùs Eccleſia ſine Pręlato remanere debeat, quàm Prælatus ſine ſuffragijs. Hunc morẽ aduertit idẽ Abulẽſis quęſt. 3. in cap. vlt. Deuteronomij. *Sic fit nunc ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ, quia quando* PRAELATVS *moritur, priùs ſubditi complent exequias eius, deindè eligunt ſucceſſorem.* Antè ſucceſſoris electionem, defuncti Prælati mortem luget, & animæ ſuffragatur Eccleſia, ut nos inſtruat, quantâ Prælati ſint poſt mortem pietate proſequendi.

Idem.

Aethiopes magnâ pietate Antiſtiti parentantes.

7 Facit etiam ad hanc rem ritus, quo narrat Helidorus lib. 7. Aethiopicorũ cap. 19. Antiſtiti Calaſiridi exequias celebratas fuiſſe. Quilibet ni-

mirùm, qui ſacerdotio nõ fungeretur a templo ablegabatur, quod vndequaq; mœſtitiâ plenũ, non niſi Pontifices, & Sacerdotes admittebat, qui Antiſtiti pietatem exhiberent defuncto. Subdo eius verba. *Poſtquam ſtetit pro foribus, ſacrificium ſe Deæ facturã dicens pro dominâ Arſace quibuſdã inſomnijs territâ, & placare viſa volẽte, quidam ex æditui prohibebat, & ablegabat, mœſtitiæ plenum eſſe templum referens.* ANTISTITEM ENIM CALASIRIDEM, *cùm poſt longum tempus domũ rediſſet, conuiuatũ eſſe lautiùs vnà cum chariſſimis ſub veſperam, & viſum eſſe remiſiſſimo ad omnem hilaritatem, ac delectatione animo. Poſt conuiuium autem libaſſe, & multùm ſupplicaſſe Deæ, cùmq; filijs dixiſſet, quòd hactenùs eſſent viſuri patrem, dediſſetq; mandata de iuuenibus Græcis, qui cum eo venerant, ut illis diligentiſſimè proſpicerent, & quibus in rebus opem implorarent, pro virili adiumento eſſent, cubitum ſe contuliſſe. Deindè ſeu propter gaudij magnitudinem, meatibus ſpirituũ vltrà modum ſolutis, & laxatis, tanquam ſenio confecto corpore, ſubitò viribus deſtituto, ſeu Dijs, à quibus petierat, hoc illi præbentibus, circà gallicinium cognitũ eſſe mortuũ, filijs propter ea, quæ illis prædixerat pater, totâ nocte in illius obſeruationẽ intentis. Et nũc, inquit, miſimus nuncios accerſituros ex vrbe reliquum Ponticium, & ſacerdotale genus, ut illi iuſta funebria ſecundùm legem patriæ perſoluant. Diſcedendum igitur vobis, neq; enim fas eſt cuiquam ingredi templum, nedùm mactare quicquam, per totos ſeptem dies, præter hos, qui ſacerdotio funguntur.* Vide, quantâ pietate ſupremis officijs Antiſtiti parentauerint defuncto.

Heliodorus.

Herbipolenſis Antiſtes ingenti ex quia rum pompâ funeratur.

8 Egregia quoq; eſt pietas quâ Herbipolenſis Antiſtitis iuſta celebrantur, cuius cor in vitro amplo curru triumphali more circumuehitur, & cadauer honorificâ põpâ in maiori Eccleſiâ humatur. Refert hunc morem Ioannes Cuſpinianus apud Theatrum vitæ humanæ, vol. 2. lib. 7. *Mos in hunc vſq; diem ſeruatur,* CVM ANTISTES HERBIPOLENSIS MORITVR, *ut corpus eius exenteretur, inteſtina in monaſterio ad S. Iacobum apud Scotos in ſuburbio ſepeliantur, cor in amplo vitro in quadrigâ ducatur quatuor equis Eboracum monaſterium Ciſtertienſis ordinis. Reliquum cadauer in maiori Eccleſiâ D. Kiliano dicatâ condiatur honorificè cum inſigni pompâ funebri.* Vides, quàm piè ſuo Antiſtiti defũcto Herbipolẽſes parẽtent? Agnoſcũt quippè, ingẽti poſt mortem eſſe Prælatos pietate proſequendos.

Cuſpinianus.

Sacerdotes defunctos Dauid antè alios plorauit.

9 Neq; tantùm Prælatis, ſed & ſimplicibus quoq; ſacerdotibus ingẽtia pietatis obſequia debentur. Cùm Dauidi clades nũciaretur Iſraëlitarũ, qui cũ Rege Saul in prælio cõtra Philiſthæos corruerant, veſtimenta ſua præ doloris vehemẽtiâ ſcidit, & luctui totis viribus vacãs, vnà cũ viris, qui erãt cũ eo, plorauit, & ieiunauit ſuper Saul, Ionathã, populũ Domini, & domũ Iſraël. *Et planxerũt, & fleuerũt, & ieiunauerunt vſq; ad veſperã ſuper Ionathã filiũ eius, & ſuper populũ Domini, & ſuper domũ Iſrael, eò quòd corruiſſent gladio.* 2. Reg. 1. 12. Poſſet quis hìc dubitare, quodnã ſit diſcrimen inter populũ Domini, & Domum Iſraël, ratione cuius dicatur Dauid cũ viris ſuis fleuiſſe, ac ieiunaſſe, non tantùm ſuper populum Domini, ſed etiam ſuper Domum Iſraël. Nonnè domus Iſraël populus erat Domini, quæ Gentiliũ vanitates relinquens, eum ſolũ toto cordis affectu adorabat? Vt quid igitur populum Domini à Domo Iſraël ſacer Hiſtoricus diſtinguit? Non quilibet Iſraëlitæ hìc populus Domini appellantur, ſed illi tantùm qui ſacerdotali munere fungentes, Dominũ ſpeciali, ac minimè vulgari cultu venerabantur, quos antè alios Dauid plorauit, quia ſacerdotes defuncti maiori ſunt pietate honorandi, quam cæteri. Hoc approbat Gloſſa interlinearis his verbis. *Fleuerunt, & ieiunauerunt ſuper populum Domini, hoc eſt* SACERDOTES, *& ſuper domum Iſrael generaliter.* Omnibus quidem pietas exhibenda eſt defunctis, ſed illis præcipuè noſtra debentur obſequia, qui ſacerdotali dignitate præditi ex hac vitâ migrauerunt, quod ut oſtenderet Dauid, antequam Domum Iſraël lugeret, populum Domini, hoc eſt ſacerdotes defunctos ingenti pietate plorauit.

Gloſſa interlinearis.

Magno affectu Ozam ſacerdotẽ mortuum plorauit.

10 Idipſum ex eo arguere licet, quod idem Dauid egit, cùm reducens arcam è Domo Aminadab, Ozam, qui minùs reuerenter attigerat arcam Dei, perculſum vidit, & iuxtà eamdem arcã repentina morte defunctum. Adeò namq; contriſtatus eſt, ut noluerit Arcam diuertere in ciuitatem ſuam, ſed eam diuerterit in Domum Obededom, vbi tribus menſibus manſit. *Contriſtatus eſt autem Dauid, eò quòd percuſſiſſet Dominus Ozam, & vocatum eſt nomen loci illius, Percuſſio Ozæ vſque in diem hanc. Et extimuit Dauid Dominum in die illâ, dicens: Quomodo ingredietur ad me Arca Domini? Et noluit diuertere ad ſe arcam Domini in ciuitatem Dauid, ſed diuertit eam in Domum Obededom Gethæi.* 2 Reg. 6. 8. Cur tantâ ſe triſtitiâ in morte Ozæ Dauid afflixit? Cur adeò luctui vacauit, ut nec voluerit, arcam ad ſuam vrbem reuehẽs, cõſolari? Cur tãdem omnẽ in eo luctu reſpuit lætitiã? Quia cùm Oza ſacerdos eſſet, eũ voluit ingenti luctu honorare defũctũ. Hùc alluſit Eucherius. OB CAVSAM SACERDOTIS OCCISI, *noluit Dauid ad ſe diuertere arcam Domini in ciuitatem Dauid, ſed diuertit eam in Domum Obededom Gethæi.* Tantâ pietate ſacerdotem Dauid luxit, ut nullam in ſuo luctu conſolationem admittere voluerit, ideòq; arcam, non ad ſuam vrbem, ſed ad alterius domum diuerterit.

Eucherius.

Phryges magnâ pietate honorant poſt mortem ſacerdotes.

11 Caput abſoluo, pietatem explicans, quam ſuis ſacerdotibus Phryges exhibebant. Nec enim eorum cadauera, ut cætera mortuorum corpora humi condebant, ſed ſuprà excelſos lapides erecta ſtatuebant, ſingulari eos proſequentes pietate, qui ſingulari, dum viuebant, fulgebant dignitate. Debemus hoc Ioanni Stobæo ſerm. 277 de ſepulturâ. *Phryges non defodiunt* MORTVOS SACERDOTES, *ſed ſuprà lapides decẽ cubitorum erectos eos ſtatuunt.* Animaduerte igitur apud Gentiles quoq; Sacerdotes magnæ pietatis obſequijs fuiſſe

Stobæus.

hono-

honoratos, & diſce, nedùm à ſacris, verùm etiam à profanis authoribus, Prælatis, ac Sacerdotibus defunctis miſericordiæ obſequia deberi.

CAPVT XXVIII.

Non ſunt ſine pietate derelinquendi mortui à cæteris derelicti.

Chriſtus pretium ſui ſanguinis impendi voluit in ſepulturam peregrinorũ, quia hi proprio carebant ſepulchro.

1 EAm debemus mortuis pietatem, vt non tantùm illis, quos cæteri ſuffragijs proſequuntur, ſed eis etiam, quos omnes derelinquunt, noſtram teneamur exhibere miſericordiam. Quod Chriſtus docere nos voluit, cùm ex ſui ſanguinis pretio à Iuda proditore in templum proiecto agrum emi voluit, in quo mortui conderentur peregrini. *Conſilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.* Matth. 27.7. O' ingentem Chriſti ergà defunctos pietatem, qui ſui pretium ſanguinis in eorum ſepulturam impendi diſpoſuit. At cur potiùs pro peregrinis hunc agrum emi voluit, quam pro cæteris defunctis? Quia peregrini, cùm proprium non haberent ſepulchrum, facilè derelinquebantur inhumati. Id aſſerit Lyranus. QVIA NON HABEBANT PROPRIVM SEPVLCHRVM, *hoc ex Dei ordinatione factum eſt*. Illis defunctis pretio ſui ſanguinis Chriſtus prouidere voluit, qui proprio ſepulchro carentes, in alienâ terrâ iacebant ab omnibus derelicti, vt nos inſtrueret, eos etiam defunctos à nobis eſſe adiuuandos, qui à cæteris derelicti, ſine debitis pietatis obſequijs omittuntur.

Lyranus.

Ioſeph Arimathæus Chriſtũ defunctum ſepelinit, quia eum ab omnibus derelictũ vidit.

2 Quod ſanè didicit à magiſtro Ioſeph Arimathæus, qui Chriſti cadauer a Pilato ſibi conceſſum in lapideo, ac nouo monumento ingenti pietate ſepeliuit. *Accepto corpore Ioſeph, inuoluit illud in ſind ne mundâ, & poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petrâ.* Matth. 27. 60. Vt quid enim diſcipulus antea occultus, & meticuloſus extrema funeris officia defuncto præceptori exhibere non timuit? Cur auſus eſt ſepelire mortuum, quem ſequi non audebat viuentẽ? Cur demùm tantâ pietate in proprio eius cadauer humauit monumento? An id egit, quia eum vidit ab omnibus poſt mortem derelictum, omnibus abeuntibus, & nemine ſepulturam illius curante? Ita cenſet D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioan cap. 40. *Nec mortuo quidem Chriſto parentare voluerunt, quem Chriſtum eſſe non ignorabant, cuius ſigna, miraculaque multa viderunt, quamuis liuoris ſtimulo agitati nihil indè vtilitatis fuerint conſecuti. Ad condemnationem ergò illorum, & maximè Ieroſolymitarum Ioſeph Arimathienſis Ieſu corpus ſepulturâ honorat.* Cùm vidit Ioſeph Arimathæus Chriſtum defunctum à Iudæis in cruce ſine ſepulturæ honore derelictum, a Pilato illius cadauer petijt, atque honorifico in monumento ſepeliuit, nam tunc maximè ſunt mortui pietate proſequendi cùm videntur ab omnibus derelicti.

D. Cyr. Alex.

Magdalena ſolùm Chriſti ſepulchrũ a cæteris derelictum, ad illud perſeuerauit.

3 Hoc etiam imitata eſt Magdalena, quæ ad Chriſti monumentum cæteris diutiùs perſeuerauit, magiſtro, quem adhuc mortuum credebat, vberrimis lachrymis parentans. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans.* Ioan. 20. 11. Quas lachrymas cur adeò vberes, ac diuturnas Chriſto impendit, niſi quia omnes abierant, & Apoſtoli quoque ipſi ad cœnaculum fugientes monumentum dereliquerant? Audi Auguſtinum in catenâ. *Abierunt ergò iterum diſcipuli ad ſemetipſos, ideſt vbi habitabant, & vndè ad monumentum cucurrerant.* VIRIS AVTEM REDEVNTIBVS, *infirmiorem ſexum in eodem loco fortior figebat affectus.* Vt vidit Magdalena Chriſti monumentum à cunctis derelictum, ibi perſeuerauit, ac pietatem ſuis lachrymis magiſtro, quem adhuc defunctum credebat, impendit, agnoſcens videlicet mortuos à cæteris derelictos maximâ eſſe pietate honorandos.

D. Auguſt.

Viri Iabes, cadauera à cæteris derelicta vt ſepelirent, mortis diſcrimini ſe obiecerunt.

4 Hanc veritatem ſuâ pietate approbauerunt viri Iabes Galaad, qui vt agnouerunt Saul, & filios eius in mõte Gelboë interfectos à Philiſthæis in muro Bethſan ignominioſè abiectos fuiſſe, impigrè totâ nocte cucurrerunt, & ad hoſtium mœnia accedentes, cadauera indè aſportauerunt, ac regio funere in ſuâ vrbe cremata honorificè ſepelierunt. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntq; Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni, & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes.* 1. Reg. 31. 12. Intuere horum virorum fortitudinem, qui nocturnum iter agere, hoſtilia caſtra aggredi, & principum cadauera efferre non timuerunt. Quæ animis eorum pietas inſedit, vt tanto diſcrimini vitam obijcere non dubitauerint? Quomodo inter tenebrarum horrores tam ſplendidum in eis miſericordiæ lumen illuxit? Quo pacto adeò viriliter mortis pericula cõtempſerunt, vt mortuorum corpora ſepelirent? Nouerunt mortuos principes abſque honore ſepulturæ abiectos, & in patibulis ab omnibus pendere derelictos, hocque illorum pietatem adeò excitauit, vt & itineris labores, & hoſtium caſtra, & mortis pericula contempſerint, vt derelictis pietatem poſſent exhibere defunctis. Adſtipulatur Abulenſis in 2. Reg. cap. 2. *Erat magnum vituperium, quòd cadauer eius, & filiorum ſuorum corpora ſuſpenſa eſſent in terrâ hoſtili,* NVNQVAM HABITVRA SEPVLTVRAM, *iſti autem tulerunt ea, & honorificè ſepelierunt, & ieiunauerunt ſeptem diebus.* Mortuis maximè derelictis pietas exhibenda eſt à viuis, vndè ſimul ac viri Iabes cognouerunt Saul, & filios eius abſque ſepulturæ honore futuros, & ab omnibus derelictos, auibus, ac feris, vt laniarentur, impiè traditos, maximam eis pietatem impenderunt, & ad vrbem ſuam aſportatos honorificè ſepelierunt.

Abulenſis.

Malus propheta virum Dei à cæteris derelictum ſepeliuit.

5 Decepit malus Propheta, qui Bethel morabatur, virum Dei miſſum ad Ieroboam, vt eum corriperet, altariſque ſubuerſionem ei prædiceret,

ret, ac ad propria reuertenti reditum, & cibi ſumptionem, contrà id, quod Deus iuſſerat, ei ſuaſit. Quamobrem inobediens propheta Leonem in via inuenit, qui eum interfecit, & violati præcepti pœnas luere coëgit. Quod cùm ille, qui eum deceperat, audiſſet, aſinum ſtrauit, ac defuncti cadauer ad ciuitatem elatum, & iuſtis funebribus ploratum in proprio monumento ſepeliuit. *Tulit ergò Prophetes cadauer viri Dei, & poſuit illud ſuper aſinum, & reuerſus intulit in ciuitatem prophetæ ſenis, vt plangerent eum. Et poſuit cadauer eius in ſepulchro ſuo, & planxerunt eum, Heu, heu mi frater.* 3. Reg. 13. 29. Quòd ſi quæras, cur ſenex iſte, qui virum Dei deceperat, ei exhiberet poſt mortem pietatem, in promptu eſt reſponſio Abulenſis, qui ait id eum egiſſe, quia inobedientis Prophetæ cadauer vidit in viâ proiectum, & ab omnibus, cùm eſſet peregrini corpus, derelictum. CVM NVLLVS ESSET, QVI OFFICIVM FVNERIS ISTI VIRO DEI IMPENDERE VELLET, *eò quòd erat de terrâ alienâ, & quaſi hoſtili, ſ. de terrâ Iuda, voluit iſte propheta ſenex tumulare eum, & ſtrauit aſinum ad portandum cadauer viri Dei.* Quia Propheta defunctus ab omnibus derelictus neminem habebat, qui ſibi ſepulturæ officium exhiberet, eum ſenex propheta, qui mortem illi pernicioſo conſilio intulerat, humauit.

Idem.

Tobias prandium relinquens cadauer derelictũ ſepeliuit.

6 Flectenda eſt etiam hùc pietas, quâ Tobias audiens mortuum iacere in plateâ, ſurrexit à prandio, quod amicis parauerat, & cadauer tollens, illud cum luctu ſepeliuit. *Statimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, tollenſque illud, portauit ad domum ſuam occultè, vt dum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum.* Tob. 2. 3. Statim ac nouit, defunctum ab omnibus derelictum iacere in plateâ inſepultum, prandium reliquit, eique ſupremæ pietatis officia impendit, nouerat quippè ingenti eſſe pietate proſequendos eos, qui à cæteris derelinquuntur, defunctos. Fauet Lyranus. *Nuntiauit ei, vnum ex filijs Iſrael iugulatum iacere in plateâ,* TANQVAM CADAVER VILE, *ſtatimque exiliens de accubitu ſuo relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus.* Vt audiuit mortuum, tanquam cadauer vile, ab omnibus derelinqui, ad eum perrexit, atque à pietate excitatus, lugens eum ſepeliuit.

Lyranus.

Eccleſia pro omnibus fidelibus defunctis orat, vt qui à propinquis, & amicis derelinquũtur, generalib⁹ ſuffragijs adiuuentur.

7 Placet hìc quoque morem afferre, quo vniuerſalis Eccleſia conſueuit pro fidelium omnium Animabus crebras preces offerre. Quæ profectò conſuetudo eò tendit, vt Animæ Purgatorij, quæ à ſuis propinquis, & amicis abſque ſuffragijs derelinquuntur, ab Eccleſiâ communibus omnium fidelium precibus adiuuentur. Approbat hoc D. Auguſtinus lib de curâ pro mortuis gerendâ cap. 4. dum ait Eccleſiam generali commemoratione ſuffragari defunctis, *Vt quibus ad iſta deſunt parentes, aut filij, aut quicumque cognati, vel amici, ab vnâ eis exhibeantur piâ matre communi.* Hunc finem ſibi præſcribit Eccleſia, dum generalia ſuffragia defunctis fidelibus impendit, vt eos adiuuet, quibus in Purgatorij flammis, nec propinquorum ſuffragia ſuppetunt, nec amicorum.

D. Auguſt.

Pompeium derelictum Philippus humauit.

8 Illuſtre quoque huius veritatis teſtimonium inter Gentiles nobis exhibet Plutarchus in Pompeio, pietatem narrans, quâ Philippus Pompeij cadauer ab omnibus derelictum abluit, rogo cremauit, & quâ pro temporis, ac loci opportunitate poterat, exequiarum pompâ funerauit. *Caput Pompeij deſecuerunt. Truncum è nauiculâ nudũ* PROIECERVNT, RELIQVERVNTQVE SPECTARE ID CVPIENTIBVS. *Philippus, dum ſatiarunt oculos, remanſit apud eum. Indè aquâ marinâ abluit corpus, ac tuniculâ quadam ſuâ inuoluit. Cùm nihil aliud ad manum eſſet, circumſpiciens litus, reperit paruulæ nauiculæ piſcatoriæ marcidas quidem reliquias, ſed quæ ſufficerent ad rogum cadaueri nudo, nec eo integro.* Vide pietatem, quâ cadaueri ab hoſtibus proiecto, & ab omnibus derelicto vir iſte humanitatis memor parentauit.

Plutarchus.

Ioanni Mariæ ab omnibus deſerto pietatem famuli impenderunt.

9 Digna ſunt etiam, quæ hìc recenſeantur obſequia, quæ Ioanni Mariæ defuncto, & ab omnibus in viâ deſerto nonnulli ex eius familiâ exhibuerunt. Qui cùm eius cadauer turpiter proiectum, & à reliquis cernerent derelictum, illud in templum detulerunt, & vt ibi ſepulturæ honore decoraretur, curauerunt. *Exanimem, & aliquandiù* AB OMNIBVS DESERTVM *pauci ex infimo familiæ ordine in templum maximum detulere.* Ita Paulus Iouius in eius vitâ. Vt dominum viderunt ab omnibus deſertum, naturali miſeratione commoti, ei pietatem impenderunt, & ad templum ex more ſepeliendum ſuis humeris extulerunt.

Paulus Iou.

Phrahartes Antiochum mortuum à reliquis deſertum ſuâ pietate honorauit.

10 Sed & Antiochus cùm aduersùs Regem Parthorum ſtrenue decertaſſet, ad extremum occumbens à ſuis eſt deſertus. At Phrahartes à reliquis deſertum ſuâ pietate honorauit, & quem hoſtem habuerat viuum, & ab exercitu comitatum, piè ſepeliuit defunctum, & ab omnibus derelictum. Rem narrat Iuſtinus Hiſtoricus lib. 38. his verbis. *In itinere obuium Regem Parthorum habuit, aduersùs quem fortiùs, quàm exercitus eius dimicauit. Ad poſtremum tamen cùm virtute hoſtes vincerent,* METV SVORVM DESERTVS OCCIDITVR, *cui Phrahartes exequias regio more fecit.* Eam defuncti derelicti merentur pietatem, vt ipſi quoque hoſtes ingenti eos fuerint honore proſecuti.

Iuſt. Hiſtor.

Animalia quoque rationis expertia mortuis derelictis eo modo, quo poſſunt, impẽdũt pietatẽ.

11 Addam in fine capitis, animalia quoque rationis expertia mortuis derelictis eo modo, quo poſſunt, exhibuiſſe pietatem. Darium vulneribus confectum, multoque ſanguine poſt mortem fœdatum milites reliquerunt, vitæ ſuæ fugâ conſulentes. Verùm defuncto a cæteris derelicto cuſtos fidus aſtitit canis, qui iuxtà cadauer latrans permanſit, ſuumque dominum, quem omnes deſeruerant, mortuum ſeruauit. Recenſet hoc Ælianus lib. 6. de hiſtor. Animal. cap. 25. *Dario, cùm multis vulneribus confoſſus eſſet, & iaceret ſtratus,* OMNIBVS MORTVVM RELINQVENTIBVS, *canis ab eo educatus ſolus permanſit fidelis, cumque, tametſi non ampliùs ſuum altorem, ſicut*

Aelianus.

tamen

tamen adhuc viuentem ſeruauit. Diſce igitur, nedùm à ſacris, & profanis authoribus, verùm etiã ab ipſis Brutis ſine pietate non eſſe derelinquendos mortuos à cæteris derelictos.

CAPVT XXIX.

Hoſtibus defunctis animus debetur amicus.

Dauid, Saul ſuo luctu honorauit mortuum.

1 IAm probaui, poſt mortem pietatem deberi amicis, nunc oſtendo, eam non eſſe denegandam inimicis. Quod ex Dauidis luctu in primis deduco, quo Saul, & Ionatham in monte Gelboë interfectos pio luctu plorauit, ſciſſiſque veſtibus, addito inſuper ieiunio, coram vniuerſo populo, magna miſerationis obſequia exhibens, honorauit. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius.* 2. Reg. 1. 11. Aduertit autẽ D. Antoninus 1. par. tit. 5. cap. 1. Dauidem non ſolùm poſt mortem, lachrymis, ieiunio, cęteriſque pietatis obſequijs honoraſſe Ionatham amicum, verùm etiam eiſdem omninò ſuffragijs proſecutum fuiſſe Saul inimicum, vt videlicet nobis innueret, non tantùm amicos pietate poſt mortem eſſe proſequendos, ſed etiam inimicos. *Dauid non ſolùm mortem ſibi dilectiſſimi Ionathæ defleuit*, SED ET MORTEM SAVLIS INIMICISSIMI, *qui eum perſequebatur.* Et pro amico fleuit, ac ieiunauit, & pro inimico, nam mortuis debet pietas exhiberi, ſiue amici eſſent, dum viuerent, ſiue inimici.

D. Antoninus.

Dauid Abſalom defunctũ plorauit, quẽ habuerat inimicum.

2 Hoc idem egit ipſemet Dauid cum filio Abſalom, qui conciliato ſibi populi fauore, aduersùs patrem coniurauerat, ſed paulò poſt prælio victus, & à Ioab tribus lanceis confoſſus interijt. Vt enim audiuit Rex eius mortem, valdè contriſtatus eſt, & ingenti ei luctu parentauit. *Contriſtatus itaque Rex, aſcendit cœnaculum portæ, & fleuit. Et ſic loquebatur vadens. Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi; Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?* 2. Reg. 18. 33. Factum eſt igitur, vt quem fugerat viuẽtem, lugeret defunctum, & filio quoque perſecutori, parricidæ, inimico pietatem impenderet poſt mortem. Egregiè D. Paulinus Epiſtolâ ad Pammachium. *Abſalom*, QVEM INIMICVM HABVERAT, *mortuum lamentatus eſt.* Inimicum filium paternâ pietate plorauit, nam deſinunt, moriente inimico, inimicitiæ, & hoſtes non aliter, quàm amici, ſunt à viuis poſt mortem adiuuandi.

D. Paulinus.

Idem Abner, qui hoſtis ſuus fuerat, poſt mortem plorauit.

3 Id etiam ex eo colligere licet, quod Rex idẽ egit in morte Abner, cuius feretrum lugens, ac ſciſsâ veſte comitatus eſt, cuiuſque exequias, & oratione funebri, & iteratis lachrymis, & iurato ieiunio clementer honorauit. *Porrò Rex Dauid ſequebatur feretrum. Cumque ſepeliſſent Abner in Hebron, leuauit rex Dauid vocem ſuam, & fleuit ſuper tumulum Abner.* 2. Reg. 3. 32. Aduerte Abner fuiſſe principem militiæ Saul, & ſæpè ſui Regis iuſſu Dauidem perſecutum fuiſſe, & videns, quantâ pietate illum honorauerit defunctum, agnoſce hoſtes quoque ipſos eſſe poſt mortem pietate proſequendos. Commendat hunc ſenſum D. Ambroſius in Gloſsâ ordinariâ. *Depoſitis inſulis poteſtatis, exequiarum iuſta curauit. Quo facto docuit etiam* ADVERSARIIS *fidem promiſſam eſſe ſeruandam, honorandam quoque &* IN HOSTE *virtutem.* Hoſti ſolennes exequias celebrauit, ſuoque nos docuit exemplo, mortuis pietatem deberi, ſiue amicis, ſiue inimicis.

D. Ambr.

Idem imperauit Ioab, vt plangeret hoſtem.

4 Nec eo contentus fuit, ſed voluit inſuper, quòd Ioab, qui doloſè interfecerat Abner, veſtẽ ſcinderet, ſacco accingeretur, & in defuncti exequijs cum cæteris lugeret. *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite antè exequias Abner.* 2. Reg 3. 31. Nimirùm vt euidentiùs oſtenderet hoſtes mortuos noſtrâ eſſe pietate honorandos, præcepit etiam ipſi Ioab, cui Abner, cùm interfeciſſet eius fratrem, peculiarem ob rationem fuerat inimicus; vt eum poſt mortem lugeret. Annuit Abulenſis. *Fecit hoc Dauid ad indicandum, quòd Ioab dolebat de facto ſuo*, CVM IPSE PLANGERET HOSTEM. Hoſti poſt mortem pietatem Ioab impendit, & quem odio habuit, atque interfecit viuum, lachrymis honorauit, ac dilexit defunctum: nec enim mortuis eſt pietas deneganda, quamuis inimicis.

Abul.

Nec hoſti hæretico, niſi neceſſitas vrgeat, poſt mortẽ eſt inſultãdũ.

5 Hanc etiam firmauit veritatem D. Athanaſius orat. 1. contrà Arianos, qui cùm Arij mortem infœlicem ſcribere compelleretur, eiuſque impietatem narrare, ne cæteri errarent cum eo, cogeretur, cauſatus eſt operæ pretium eſſe, vt adeò notabilis exitus non ſupprimeretur, cùm aliàs neque inimico ſibi eſſet inſultandum vitâ functo. *Omnibus quidem hominibus communis vitæ exitus mors eſt*, NEQVE VLLI DEFVNCTO, TAMETSI INIMICO INSVLTANDVM, *cùm incertum ſit, num antè veſperam ipſe quoque à morte ſis apprehendendus. Sed tamen exitus Arij, quia non vulgaris eſt, operæ pretium eſt, vt narretur.* Adeò certum eſt hoſtibus poſt mortem eſſe parcendum, vt nec hoſti hæretico, niſi neceſſitas vrgeat, ſi viuere deſinat, ſit inſultandum.

D. Athanaſ.

Annibal Marcellum hoſtẽ honorificè cremauit, & ad filium remiſit.

6 Sed & ex profanis authoribus huius rei argumenta colligere licet. Et primum affero Plutarchum, qui cædem ſcribens M. Marcelli, Annibalem narrat ad eius cadauer perrexiſſe, atque obſtupeſcentem honorificè illud cremaſſe, ac demùm cineres in argenteâ vrna cum aureâ coronâ collocatas ad filium miſiſſe. Profectò magnus hic vir defunctum hoſtem non ſpreuit, ſed cui vitæ interitum attulerat prælianti, exequiarum honorem præſtitit occumbenti. Audiamus verba Plutarchi in Marcello. *Annibal cætera vilipendens, cæde nunciatâ Marcelli, ipſe confeſtim properat in tumulum. Corpus contemplans, poſt ...*

Plutarchus.

robur,

robur, & ſpeciem conſiderauit, nullum dictum excidit arrogantius, nec lætitiam vultu, vt alius fortaſſis ACRI, ET GRAVI SVBLATO HOSTE *præſetulit, ſed ad inſperatam mortem obſtupeſcens, annulo eius ablato, corpus eximiè ornatum, & cultum honorificè cremauit. Reliquias in argenteam conditas vrnam, inictâ aureâ coronâ, remiſit ad filium.* Quæ poterat, amabò, defuncti amici cadaueri pietas maior exhiberi?

Pietas Ringonis, & Cæſaris in hoſtes mortuos.

7 Celebris eſt etiam pietas Ringonis Sueonũ Regis, qui Haraldum Regem Danorum auunculum quidem, ſed tamen hoſtem ſibi infenſiſſimum, cùm viciſſet, cæſumque, ac ſanguine fœdatum cadauer conſpexiſſet, magnâ ei ſolennitate parentauit, nec eum poſt mortem contempſit vt hoſtem, ſed honorauit vt propinquum. Refert hoc Saxo lib. 8. apud Theatrum vitæ humanæ volum. 3. lib. 9. *Victo, cæſoque Haraldo Danorum Rege, Ringo Sueonum Rex auunculi*, LICET HOSTIS, *manibus parentandum ratus, equum, cui inſidebat regio iunctum currui, aureâque ſellâ inſtratum ei dedicauit.* Cùm Haraldum mortuum vidit, non vt cum inimico, ſed cum eo egit, vt cum auunculo, vt cui, dum prælíaretur, hoſtis hoſti attulerat mortem, afferret, dum in prælio corruit, nepos auunculo pietatem. Quæ ſanè pietas Cæſaris pietati ſimilis fuit, qui cùm Pompeij caput aſpiceret, non eum ſpreuit vt inimicũ, ſed plorauit vt generum. *Vt enim id Cæſar aſpexit*, inquit Valerius Maximus lib. 5. cap. 9. OBLITVS HOSTIS, *ſoceri vultum induit, & Pompeio, tùm proprias, tùm etiam filiæ ſuæ lachrymas reddidit.* Plorandi ſunt, non contemnendi poſt mortem inimici, & omni depoſitâ feritate ſunt honorandi, ac ſi eſſent amici.

Saxo.

Val. Max.

L. Cornelius in Hannonem Chartaginẽſem hoſtem mortuũ pius

8 Memoriâ etiam digna eſt pietas, quam L. Cornelius Conſul Hannoni Carthaginẽſium duci exhibuit, quem in prælio cæſum funere magnifico extulit, hoſtis exequias ingenti pompâ honorans. *L. Cornelius conſul primo Punico bello cùm Olbiam oppidum cepiſſet, pro quo fortiſſimè pugnans Hanno dux Carthaginenſium occiderat, corpus eius è tabernaculo ſuo amplo funere extulit,* NEC DVBITAVIT HOSTIS EXEQVIAS IPSE CELEBRARE. O' verè magnanimam, ac Romanam pietatem, quâ Conſularis vir hoſti parcens defuncto, adeò celebri funeris pompâ ei parentauit.

Idem.

Metellus Macedonicus hoſtem commendans mortuũ

9 Hic etiam pietas quadrat, quam Metellus Macedonicus exhibuit Scipioni Africano defuncto, quem licet viuum habuiſſet inimicum, mortuum tamen mœſto vultu plorauit, & ingenuâ voce laudauit. Quam pietatem commendans idem Valerius Maximus lib 4. cap. 1. ait. *Acerrimè cum Scipione Africano Macedonicus diſſenſerat, eorumque ab æmulatione virtutis profecta contentio,* AD GRAVES, TESTATASQVE INIMICITIAS *progreſſa fuerat. Sed tamen cùm interemptum Scipionem conclamari audiſſet, in publicum ſe proripuit, mæſtoque vultu, & voce confuſâ, Concurrite, concurrite, inquit, ciues, mœnia noſtræ vrbis euerſa ſunt, Scipioni enim Africano intrà ſuos penates quieſcenti nefaria vis illata eſt.* O' egregium animum, qui hoſtis quoque defuncti virtutem laudare, ac ei poſt mortem pietatem impendere non dubitauit.

Idem.

Hercules primus hoſtibus defunctis ſepulchrum conceſſit.

10 His omnibus præiuit in hac pietate defunctis hoſtibus exhibendâ Hercules, qui primus omnium cadauera mortuorum hoſtium ſingulari pietate illorum propinquis conceſſit, atque vt ab eis honorificè ſepelirentur permiſit. Debemus hoc Æliano lib. 12. Variæ Hiſtoriæ cap. 17. *Singulari manſuetudine ferunt Herculem* IN HOSTES SVOS FVISSE: *primum enim antè hominum memoriam mortuos ſuis ad ſepeliendum reddidiſſe, ac liberè, ſecurèque eis cadauera permiſiſſe.* Iuſta funebria hoſtibus permittebat defunctis, ſignificans ſe omnem poſt eorum mortem depoſuiſſe hoſtilitatem.

Ælianus.

Braccius pius in Sfortiam hoſtem defunctum.

11 Inter recentiores quoque milites hac pietate laudem ſibi promeruit Braccius, qui agnitâ morte Magni Sfortiæ, qui eius acerrimus hoſtis fuerat, æſtuque dum occubuit, eum perſequebatur, nullam prætetulit lætitiam, ſed inimici viri caſum pijs lachrymis gemens, non modicis eum poſt mortem laudibus euexit. Subdo verba Pauli Iouij in vitâ Magni Sfortiæ cap. 90. *Ferunt Braccium, qui è Theate ad primum* TRANSEVNTIS HOSTIS *nuncium maturâ profectione, præmiſſiſque impedimentis iter ſuſceperat, vt magnis itineribus antecedens, Aquilam contenderet, alio, atque alio renunciante Sfortiæ interitum, nulla omninò concepta lætitia ſigna prætuliſſe, ſed contractâ fronte, defixiſque oculis fortiſſimi viri caſum humaniter indoluiſſe, adeò vt defunctum, poſtquam inuidia deceſſerat, tùm primùm exquiſitis, veriſſimiſque laudibus proſequeretur.* Vide humanitatem, quâ vir iſte cum hoſte defuncto egit, implens, quod agendum eſſe docuit Stobæus ſerm. 279. cui titulus eſt, In defunctos non exercendam eſſe contumeliam, hominibus videlicet defunctis etiam hoſtibus exhibendam eſſe pietatem.

Paul. Iouius.

Hoſtes mortui non ſunt odio habendi.

Stobæus.

Homini mortuo vnuſquiſque, LICET ADMODVM
INIMICVS ANTEA' FVERIT, conciliatur.

Definit cum vitâ inimicitia, nec ampliùs vt hoſtes odio habendi, ſed vt amici ſunt mortui pietate proſequendi.

Mirandum, quòd homines in mortuos ſint impij.

12 Non igitur mirandum eſt, quòd adeò miraretur Seneca lib. 8. Controuerſiarum, Controuerſiâ 4. nonnullorum impietatem, qui mortuum adoleſcentem adhuc perſequebantur, inimicitiam ſeruantes etiam eum defuncto. Nam re verâ mirandum eſt, quòd homines eò perueniant crudelitatis, vt hoſtes nedùm viuos, verùm etiam perſequantur defunctos. *Infœliciſſime adoleſcens, cùm te & ſepulturâ prohiberi video, deſino mirari, quòd periſti.* TALES INIMICOS HABES, VT ETIAM MORTVVM PERSEQVANTVR. Vt inauditam ſæuitiam retulit perſecutionem hoſtis defuncti, nouerat quippè inimicos eſſe pietate proſequendos, & hoſtibus defunctis animum deberi amicum.

Seneca.

CA-

CAPVT XXX.

Quos homines læſerunt viuos, debent adiuuare defunctos.

Latrones viatorem, quem læſerant humantes.

1 NOn tantùm illis, quos tanquam hoſtes odio interno ſunt proſecuti, ſed illis etiam, quos externis perſecutionibus læſerunt, cùm è vitâ deceſſerint, debent viui pietatem, ita vt pietate proſequantur mortuos, quos perſecuti ſunt viuos. Ad quod probandum vtor primò ſigno, quod Eliſæus patrauit, dum iniectū in ſuum ſepulchrum cadauer oſſium contactu viuificauit. Extulerunt nonnulli homines quēdā defunctum, vt eum ſupremo ſepulturæ officio honorarent, at cùm latrunculos venientes viderent, humum non effoderunt, ſed in ſancti prophetæ ſepulchro, vt ſe citiùs expedirent, cadauer condiderunt. Quod ſimul ac oſſa eius tetigit, mirabiliter denuò reuixit. *Quidam autem ſepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſæi. Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſæi, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.* 4. Reg. 13. 21. Quinam vero erant homines iſti, qui mortuo pietatem exhibentes, latronum metu eum ſepulchro intulerunt Prophetæ? Reſpondet Ioſeph Hebræus lib. 9. Antiquitatum Iudaicarum cap. 10. fuiſſe latrones, qui viatorem à ſe interfectū in monumentum Eliſæi proiecerunt, metu latronum, à quibus raptis pecunijs expoliari verebantur. *Sepulchro etiam honoratus eſt* (Eliſæus) *magnifico, quale decuit hominem numini diuino acceptiſſimum. Contigit autem tunc,* VT LATRONES OCCISI A' SE VIATORIS CADAVER IN MONVMENTVM EIVS PROIICERENT, *quod mox reuixit à contactu prophetæ corporis.* Quem viatorem latrones læſerant, & pecuniâ raptâ, interfecerant, ſepelierunt, & dum aliud metu perculſi ei fodere non potuerunt, in ſepulchro Eliſæi condiderunt, nouerant quippè læſo, ac interfecto mortuo ſe debere pietatem.

Ioſeph Hebr.

Ioab à Dauide coactus lugere Abner, quem interfecerat.

2 Hoc item debitum Dauid Rex nouit, cùm præcepit Ioab, vt mortuum Abner lugeret, eique luctu, ac veſtium ſciſſione pietatem exhiberet. *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo, ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite antè exequias Abner.* 2. Reg. 3. 31. Cur namque hunc luctum, hæcq; pietatis obſequia præcepit Ioab, niſi vt qui perſecutus fuerat, & interfecerat viuū, lugeret, atq; honoraret defunctum? Nouerat Dauid mortuos peculiariter ab eis eſſe honorandos, qui eos, dum viuerent, læſerunt, & ideò voluit Abner mortuum ſpecialiter à Ioab honorari, qui eum doloſè interfecerat, ac ſermone ſimulato, gladio imprudentem necauerat. Hæc Caietano debemus locum iſtum ita elucidanti. *Voluit Dauid, vt etiam* IPSI, QVI INTERFECERANT, *lugerent mortuum.* Ioab, viriq; qui cū eo erant læſerant Abner viuū, ideòque voluit Dauid, vt illi ipſi eum lugerent defunctum, nam illi peculiariter debent adiuuare mortuos, qui eos læſerunt adhuc viuos.

Caietanus.

Chriſtus Iudam reprehēdit, quod ſibi quem tradebat, ſepulchrâles honores non permitteret.

3 Hoc voluit Chriſtus, cùm audiens Iudam murmurantem, ac Magdalenam acriter obiurgantem, quòd pretioſum vnguentum ſuper ſuum caput ad ſepulturam illius honorandam effudiſſet, opportunâ cum reprehenſione increpauit, & Magdalenæ pietatem commendauit. *Dixit ergò Ieſus, Sine illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud, Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.* Ioan. 12. 6. Quorum verborum ſenſum nobis tradens D. Baſilius Seleucienſis Oratione 31. ait Chriſtum hoc Iudæ obijcere voluiſſe, quòd ſe non fineret ſepulchralibus honorari obſequijs, qui ab eo impijs vendendus erat Iudæis. Ac ſi ei diceret. Tu, qui es cædis meæ author, ſepulturæ non mihi debes inuidere honores; pietate proſequere ſepultum, quem proditione perſequeris viuum, debēt enim pietatem impendere defunctis, qui eis mortem inferre non metuerunt. Eleganter D. Baſilius Chriſtum hæc inducit Iudam alloquentem. *Ne mihi ritus ſepulchrales inuideas, licet vitâ ſpoliaueris nam mulier hoc ſepulchrali ritu mortem, cuius tu mihi author præueris. Honorem puta ſepulturæ meæ hoc eſſe, &* SI CAEDEM APPARAS, TVMVLVM SALTEM CONCEDE. Concedenda eſt pietas defunctis à nobis, dum viuerent, læſis, & ideircò Chriſtus, qui à Iuda viuus tradebatur, eum acriter increpauit, quòd ſuæ ſepulturæ pietatem non ſineret exhiberi, omni enim eſt reprehenſione dignus, qui eos, quos perſecutus eſt viuos, pietate non proſequitur mortuos.

D. Baſil. Sel

Iudices, qui damnabant reum, de cruce poſt mortē illum deponebant, ac ſepeliebant.

4 Hùc præceptum ſpectauit, quo Deus in veteri lege iuſſit, vt cadauera eorum, qui appendebantur in patibulo, vt ſuorum ſcelerum pœnas darent, eadem die de cruce deponerentur, atque in ſepulchro conſuetis pietatis officijs conderentur. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur.* Deuter. 21. 22. Vbi vides, iudices, quos lædebant, licet iuſtè, ac Deo iubente, crucis patibulo reos, de cruce depoſuiſſe, ac ſepulturâ honoraſſe mortuos, ne viderentur in eos poſt mortem ſæuire, quos rigidâ pœnâ mulctauerant viuentes. Innuit hoc Lyranus. *Maledictio Dei hìc accipitur pro pœnâ ſuſpenſionis inflictâ à iudicibus, qui tenent locum Dei, vt ſit ſenſus, Quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno, idest quia debet ſufficere talis poena à tenentibus locum Dei impoſita, ideò non debet vltrà hoc priuari ſepulturâ, & quod dictum eſt hìc de ſepultu à ſuſpenſi, intelligendum eſt de ſepulturâ lapidati, vel decapitati, vel alio modo condemnati ad mortem.* Permittebat quidem Deus iudicibus, vt quos reos inueniebant, mulctarent viuos, at nullam eis volebat poſt mortem iniuriam irrogari, quare præcepit, vt illi ipſi, qui reos ad mortem damnauerant, eos poſt mortem deponerent, ac ſepelirent, quatenùs agnoſceremus, etiam eos, qui mortem inferunt viuis, debere

Lyranus.

debere illis pietatem exhibere defunctis.

Moyſes Aegyptium, quem occiderat, mortuum ſepeliuit.

5 Quod obſeruauit Moyſes, qui cùm vidiſſet Ægyptium percutientem quemdam ex Hebræis, eum occidit, ac deindè ſabulo abſcondit. *Cùmque circumſpexiſſet hùc, atque illùc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Aegyptium abſcondit ſabulo.* Exod. 2. 12. Quærendum hìc eſt, cur Moyſes interfecti Ægyptij cadauer ſabulo abſconderit. An vt cædes ignoraretur, dum cæſum corpus nō reperiebatur? An vt occiſio eſſet occulta, dum obuius non occurrebat occiſus? An tandem vt Hebræi eo in loco laborantes cadaueris fœtore non læderentur? Nequaquam; ſed vt eum, quē rixantem percuſſione interfecerat, interfectum ſepulturâ honoraret, pietatemque impenderet mortuo, cui mortem intulerat viuo. Non debeo hìc ſupprimere verba Cornelij à Lapide. *Percuſſum Aegyptium abſcondit ſabulo, ideſt* OCCISVM SEPELIVIT, *& abſcondit eum in ſabulo.* Mortuum non contempſit, quem viuentem occiderat, ſed ei quem læſerat, pietatem poſt mortem impendens, eius cadauer officioſâ pietate in ſabulo ſepeliuit, ſuoque nos exemplo docuit, homines læſos eſſe poſt mortem pietate proſequendos.

Corn. à Lap.

Ioſeph Arimathæus non timuit Chriſtum ſepelire, quia credidit Iudæos non ampliùs in eū ſæuire defunctum.

6 Hinc eſt, quòd Ioſeph Arimathæus, qui viuentem Chriſtum dilexerat quidem, ſed occultus propter metum Iudæorum diſcipulus, mortuum audacter honorauit, eiuſque cadauer à Pilato impetratum, omnem deponens timorem, honorificè humauit. *Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathæâ, eò quòd eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum, vt tolleret corpus Ieſu, & permiſit Pilatus. Venit ergò, & tulit corpus Ieſu.* Ioan. 19. 38. Mirum, quòd vir iſte, qui adeò Iudæos timuerat, cùm eorum ira minùs feruebat, timorem dimitteret, cùm eos vidit in Chriſti morte atrociſſimè ſæuientes! Cur Phariſæos non timuit in Chriſtum, eiuſque diſcipulos inauditâ rabie crudeliter excandeſcentes? Cur plebem non metuit confuſis, atque iteratis vocibus Chriſti crucifixionem poſtulantem? Cur demùm omnes non eſt veritus conuicijs, & blaſphemijs indignâ eum vnanimitate ſubſannantes? Quia credidit ſedatum poſt Chriſti mortem eorum furorem, nec perſuadere ſibi potuit, eos impietatem retinere in mortuum, quem tantâ iniuſtitiâ crucifixerant viuum. Annuit D. Ioannes Chryſoſtomus in catenâ. *Aeſtimans Ioſeph* EXTINCTVM ESSE IVDAEORVM FVROREM, CHRISTO CRVCIFIXO, *cum fiduciâ acceſſit, vt deponendum funus procuraret.* Nouerat vir iſte pius, pietate proſequendos eſſe mortuos, dum viuerent læſos, ideòque credens Iudæos impietatem depoſuiſſe poſt Chriſti mortem, Pilatum adire non timuit, & ſacrum cadauer ingenti pietate ſepelire.

D. Io. Chryſ.

Pilatus ergà Chriſtū, quē iniuſtè damnauerat, ſe ſe oſtendit pium

7 Quod quidem cadauer cùm à Pilato petijſſet, confeſtim impetrauit. *Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus.* Matth. 27. 58. Quâ promptitudine, iniquus licet, atque impius iudex, ergà mortuum Chriſtum, quem iniuſtè damnauerat, ſe ſe oſtendit pium. Adeò videlicet debita ſunt mortuis antè mortem læſis pietatis obſequia, vt nec ea Pilatus Chriſto, quem iniuſtè crucifigi permiſerat, denegare potuerit. Appoſitè Cornelius à Lapide. *Pilatus iuſſit reddi corpus, vt hac ratione aliquo modo* SATISFACERET CHRISTO, QVEM INIVSTÈ OB INSTANTIAM PRINCIPVM AD MORTEM DAMNAVERAT, *ac ſuum factum, honeſtando Chriſti ſepulturam, tegeret, vel excuſaret, quòd ſcilicet coactus eum damnaſſet, vt pote quem honorificâ ſepulturâ dignum indicabat.* Vide Præſidem in Chriſtum viuum impium, eumdem pietate proſecutum fuiſſe defunctum.

Corn. à Lap.

Nabuchdonoſor Sedeciam quem calamitate affecit viuum, ingenti pietate honorauit mortuū

8 Hoc idem egit Nabuchdonoſor, cuius militibus vrbem Ieruſalem obſidentibus, Rex Sedecias fugit, ſed ab exercitu hoſtili comprehenſus, ad eum ductus fuit. Hic igitur Iudæorum regem pluribus increpauit, eius filios in oculis eius interfecit, poſt filiorum cædem eum excæcauit, ac demùm catenis onuſtum in tenebroſum carcerē coniecit. Tot angores diù ſuſtinere Sedecias nequiuit, quare poſt nonnullos dies dolori ſuccumbens, vitam infœliciter amiſit. Quod vt agnouit Nabuchdonoſor, exequijs eum regijs honorauit, & cui tot contumelias, & pœnas irrogauerat viuo, pietatem, & honorem exhibuit defuncto. Hæc narrat Petrus Comeſtor lib. 4. Reg. cap. 46. *Nimio afflictus dolore, poſt paucos dies mortuus eſt. Et audiens Nabuchdonoſor cauſam mortis eius, extrahens eum de carcere, cum honore regio ſepeliuit.* Impius quoque Rex Babylonis agnouit pietatem læſis hoſtibus poſt mortem deberi, quapropter ingenti pietate Sedeciam honorauit mortuum, quem miſerrimâ calamitate affecerat viuum.

Petrus Com.

Athamas filium, quem interfecit poſt mortem luxit.

9 Furore agitatus Athamas Æoli filius, & Thebarum Rex, proprium filium ſibi præ inſaniâ leonem viſum ſaxo alliſit, impièque præcipitatum miſerè interfecit. Quam cædem referens Ouidius lib. 4. Metamorph. cecinit.

Ouidius.

Protinus Aeolides mediâ furibundus in aulâ
Clamat Io comites, his retia tendite ſyluis
Hìc modò cum gemina viſa eſt mihi prole leæna,
Vtque feræ ſequitur veſtigia coniugis amens,
Deque ſinu matris ridentem, & parua Clearchum
Brachia tendentem rapit, & bis, terque per auras
More rotat fundæ, rigidoque infantia ſaxo
Diſcutit ora ferox.

O' inſanam patris ergà viuentem filium immanitatem! Quam tamen pietas ſubſecuta eſt ergà defunctum. Confeſtim enim ei, quem præcipitauerat, poſt præcipitium luctu parentauit. Quò ſpectauit Plin. lib. 34. c. 14. cùm dixit, *Ariſtonidas artifex, cùm exprimere vellet Athamantis furorem Clearchum filium præcipitare volentis,* ET PRAECIPITATO ILLO RESIDENTIS POENITENTIAM, *ferrum, & æs miſcuit, vt rubigine eius per nitorem æris relucente exprimeretur verecundiæ rubor.* Filium cui mortem præcipitio inflixerat, præcipitatum plorauit, quemque impio facinore interfecerat, pio, ac paterno affectu interfectum luxit.

Mos ſodedi in luctu.

xit. Et rectè Ariſtonidas, dum lugentẽ Athamãtẽ expreſſit, ſedentem eum finxit, nam ſedere cõſueuerant, qui luctu defunctis parentabant. Quod *Homerus.* teſtatur Hom. Odyſſeâ 10. apud quem ſedentes Elpenoris adoleſcentis mortem quidam lugebãt.

SEDENTES autem illic lugebant, euellebantq; capillos

Et Iliade 8. loquẽs de funeribus Troianorũ dixit.

Mille autem in campo pyræ comburebantur, apud autem vnamquamque
SEDEBANT quinquaginta

Virgilius. Virgilius etiam Turnum Patris manibus parentantem deſcribit lugentem lib. 9. Æneidos.

luco tùm forte parentis
Pilumni Turnus ſacratâ valle SEDEBAT

Propertius. Propertius quoq; Elegiâ de imperio Amicæ lib. 3. de ſuo funere loquens dixit.

Afferet hùc vnguenta mihi, ſertiſq; ſepulchrum
Ornabit cuſtos ad mea buſta SEDENS

Tibullus. Adſtipulatur etiam Tibullus lib. 2. Elegiâ 7.

Illius ad tumulum fugiam, ſupplexq; SEDEBO

Maximus item Planudes in vitâ Æſopi, narrar eũ agricolam induxiſſe ad tumulum defunctum plorantem his verbis. *Iuit & ipſe ad tumulum, ac* SEDENS *vnà cum muliere plorabat.*

Quin & ex ſacris literis idem probare licet. Vndè mulieres lugentes Adonidem ſedebant. *Et ecce ibi mulieres* SEDEBANT, *plangentes Adonidem.* Ezech. 8. 14. Et aliæ mulieres piæ, quæ Chriſtum defunctum plorabant, cõtrà ſepulchrum ſedebant. *Erat autẽ ibi Maria Magdalene, & altera Maria* SEDENTES CONTRA' SEPVLCHRVM. Matth. 27. 61. Abraham quoq; dicitur ſurrexiſſe ab officio funeris, quod indicat eum vxori luctum exhibuiſſe ſedentem. *Cumq; ſurrexiſſet ab officio funeris.* Gen. 23. 3. Vbi Caiet. ait. *Inſinuatur, quòd Abraham exercuit officium luctûs iacens, ſeu* SEDENS *in loco ſuperiori reſpectiuè ad faciem cadaueris, tanquam continuè ſpectans faciem vxoris, & quòd ex illo loco ſurrexit.* Rectè igitur poſt filij præcipitium Athamas ſedit, vt quem interfecerat, funereo luctu ploraret.

Alexãder in eos, quos læſerat, poſt illorũ mortem pius. 10 Alexander quoque Dioxippum, quem abhorruerat viuum, deſiderauit, & commẽdauit defunctum. Quare de illo ſcribit Diod. Sic. l. 17. Biblioth. *Grauiter illius obitum tulit, frequenterq; virtutis eius deſiderio tactus eſt, &* QVEM VIVENTEM ABHORRVERAT, MORTVVM, *quando id fruſtrà erat,* PENES SE HABERE CVPIENS, *quanta fuiſſet eius innocentia, ex calumniantiũ ſcelere cognouit.* *Diod.* Animaduerte Regem pium poſt eius mortem, quem iniuſtè, ac malè affecerat, antequam vitâ fungeretur. Eamdemq; Clyto, quem in conuiuio trucidauerat, impendit miſericordiam, quam commendãs *Iuſt. Hiſt.* Iuſt. Hiſt. lib. 12. ita loquitur. *Amicum ſenem, & innoxium à* SE OCCISVM INTER EPVLAS, ET POCVLA DOLEBAT. Cui mortem intulerat, luctu parentabat, oſtendens læſis poſt eorum mortem deberi pietatem.

Delphi Aeſopum, quem interfecerunt, poſt mortẽ honorauerunt. 11 Hìc ſupprimenda non videtur mors Æſopi, quem impiè Delphi è mõte præcipitauerunt, ſed non multò poſt, peſte in eorum regionibus graſſante, ſuæ iniuſtitiæ debitas pœnas luerunt. Quare cùm de remedio tam pernicioſi morbi Apollinem interrogaſſent, oraculum reſpondit, Æſopi manes eſſe piacandos. Cui ergò necem intulerãt, ſepulchrum erexerunt, pietate afficiẽtes mortuũ, quem præcipitio interfecerant viuum. Rem narrat Maximus Planudes in vitâ Æſopi. *Max. Plan.* *Præcipitarunt igitur ipſum (Æſopum) Delphi de rupe, & mortuus eſt, non multò poſt autem peſtilentiâ laborantes, oraculum acceperunt, expiandam eſſe Aeſopi mortẽ. Cui, quòd & conſcij ſibi eſſent iniuſtè* EVM INTERFECISSE, ETIAM CIPPVM EREXERVNT. Vides Delphos eum poſt mortem fuiſſe honore proſecutos, quem, cùm adhuc viueret, odio habuerant, contumelijs læſerant, ac præcipitio necauerant?

Oenomaus Marmacem, quem interfecit, honorificè ſepeliuit. 12 Hanc etiã firmat Pauſ. veritatem in poſteriori Eliacorum, qui Marmacẽ inter omnes procos, qui nuptias Hippodamiæ petierunt, primum ab Oenomao narrat interfectum fuiſſe, quem tamen mortuum honorifico in ſepulchro condidit, in eo etiam illum honorans, quòd eius equas ad tumulum mactauit, & vnà cũ eo ex antiquo more ibidem eas humauit. Sicq; factum eſt, vt honore ſepulchri cædis iniuſtitiam compenſaret, & quem necauerat viuum, ſepulchralibus obſequijs proſequeretur mortuum. Subdo verba Pauſaniæ. *Pauſanias.* *Qui proceſſerint paulò longiùs, ad Partheniam fluuiũ veniant; in cuius ripâ ſepulchrum extat Marmacis equarum. Hunc Marmacem procorum omnium primum ad petendam Hippodamiam veniſſe aiunt, atque adeò primũ omnium* AB OENOMAO INTERFECTVM, *eius verò equas, quarum alteri Parthenia, alteri verò Eriphæ nomen fuerit, ad Marmacis tumulum Oenomai iuſſu mactatas, & ibidem humatas. A Parthenâ itaq; Equarum alterâ fluuium nomen accepiſſe.* Poſtquam interfecit Oenomaus Marmacẽ, ſepulchrum ei erexit, apud quod Equas mactauit, vt eum, quem occiderat procum, pietate proſequeretur occiſum.

Antigonus Eumenem quem interfecit, interfectum honorauit. 13 Plutarchus etiam in Eumene Antigoni nõ infimam refert in Eumenem pietatem, quẽ cùm ferè inediâ in carcere mortuum, trucidari iuſſiſſet, mortuum tamen cremari flammis rogi conceſſit, & cremati cadaueris cineres in argenteâ vrnâ conditas ad coniugem, & filios transferri permiſit. *Plut.* *Vt igitur ſtatum Eumenem Antigonus tollere, imperauit cibum ei detrahi, atq; ita duos, vel tres dies inediâ morti admonebatur. Cùm eſſent autem repentè caſtra mouenda, miſſus intrò quidam* TRVCIDAVIT EVM. *Corpus conceſſit amicis eius Antigonus, & cremare permiſit, reliquiaſq; in vrnam conditas argenteam, referre ad vxorem, & liberos eius.* Hoſtem inediâ quidem afflixit, carceri mancipauit, & gladio trucidauit, ſed trucidatum pietate proſequens, & rogi flammis, & argenteâ vrnâ, & cadaueris translatione, & patrio demùm ſepulchro eũ honorari, hoſtili animo prorsùs depoſito, permiſit

Pyratæ ijs, quos læſerũt, poſt mortem non denegant pietatem. 14 Hanc etiam defunctis debitam ab illis, qui eos viuentes læſerunt, pietatẽ, innuit apud Quintilianum declam. 6. infœlix pater, qui pro filij ſepulturâ orabat, cùm dixit, pyratas ipſos, qui eum

captiuum fecerant, eius cadaueri ſepulturæ officium exhibituros fuiſſe, niſi ſupplicium metuiſſent, ſi litori appropinquaſſent. Nouit quippè adeò à ſuperſtitibus pietatem deberi poſt mortem ijs, quos cùm viuerent læſerunt, vt nec pyratas crediderit hanc filio ab eis in captiuitatem redacto, ibiq; miſerè defuncto potuiſſe denegare pietatem, niſi mortis metus eos à litore ablegaſſet. *Sepeliſſent talem virum*, verba ſunt Quintiliani, *etiā ipſi pyratæ, niſi eos conſcientia ſcelerum, metuſq; pœnarum ab omni litore arceret.* Tantam ijs, quos læſerunt, cùm defuncti fuerint, debent homines pietatem, vt pytatæ quoq; ipſi ab hac pietate non videantur alieni.

Quintilian.

15 Caput abſoluo, illud ſuperaddens, quòd Bruta quoq; ipſa, licet rationis expertia, hominē quem læſerunt viuum, interdum plorant defunctum. Sanè Crocodilus hominem, quem interfecit, poſt necem plorat, & lachrymis obortis, ei quem lethaliter læſit, quodammodo ſuo luctu parentat. Vndè Vlyſſes Aldrouandus lib. de quadr. digit. ouip. Alberti ſententiam refert dicentis, eū HOMINEM INTERFICERE, SED POST MORTEM DEFLORARE. Quid ad rem noſtram aptius? Dum ergò animalia quoq; irrationalia, quamdam videntur ijs, quos læſerunt, exhibere pietatem, multò magis ad eam homines rationis compotes ſunt vrgendi. Quare iam in confeſſo eſt, homines, quos læſerunt viuos, debere adiuuare defunctos.

Crocodilus hominem, quē interficit viuum, plorat defunctum.

Aldrouand.

CAPVT XXXI.

Illis, qui cùm viuerent nos læſerunt, mortuis pietatem exhibere debemus.

1 DEclaratâ pietate, quæ à viuis debetur defunctis, quos viuentes læſerunt, nūc eam declaro, quam illis debent, à quibus viuentibus ſunt læſi. Primum autem huius veritatis teſtem Dauidem affero, qui cùm Saul agnouiſſet in monte Gelboë, vrgente Philiſthæorum prælio, corruiſſe, ac ſuo ſemetipſum gladio, vt hoſtium manus effugeret, ſe interfeciſſe, veſtimenta ſua ſcidit, vberrimas lachrymas effudit, ieiunio ſe affixit, ingentemque pietatem, vnà cum viris, quos ſecum habebat, ei exhibuit. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua, ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſq; ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius.* 2. Reg. 1. 11. Quis hìc non miratur ſingularem Dauidis pietatem, quâ Regem hoſtem, cuius perſecutiones via fugiens declinauerat, qui lanceam iecerat, vt ei cū vulnere mortem inferret, qui toties milites, ac ſatellites miſerat, vt eum necarent, tantâ pietate poſt mortem eſt proſecutus, totque officijs eius exequias honorauit? O egregiam inuicti Regis miſericordiam, qui omnes iniurias, quas acceperat, oblitus, eum ipſum, à quo læſus fuerat, honore affecit, & ſupremis exequiarum officijs decorauit! Verè ſuo nos docuit exemplo, quantam illis, à quibus læſi fuimus, cùm defuncti fuerint, pietatem impendere debeamus. Iurè illum commendat Ioannes Caſſianus apud Gloſſam in hunc locum. *Dauid præcepta legis ſuperauit, qui præcipiente Moyſe, vt inimicis talio redderetur, non ſolùm hoc non fecit, verùm etiam* DILECTIONE COMPLEXVS EST PERSEQVENTES, *& pro his Domino piè ſupplicans, etiam lugubriter fleuit, & vltus eſt interfectos.* Hoſtem non contempſit, de illius morte nō eſt gauiſus, non exultauit eius caſum audiens, ſed ſuum poſt mortem pietate honorauit perſecutorem, pro iniurijs, quibus ab eo affectus fuerat, præclaræ obſequia referens pietatis. Quam pietatem laudauit & D. Ioannes Chryſoſt. apud eamdem Gloſſam his verbis. *Qui* INSIDIATOREM SVVM ITA LACHRYMATVS EST, *quid paſſus exiſtimetur, cùm illum, qui ſibi in periculis ſemper adſtiterat, eripuerat, & plurima pacta fecerat, antè vitâ defeciſſe cognoſceret, quàm illi acceptorum beneficiorū vicem reſtituere valeret?* Inſidiatorem ſuum lachrymatus eſt interfectum, & illi, à quo læſus fuerat viuo, pietatem impendit defuncto.

Dauid Saul mortuo, à quo læſus fuerat, ingentem pietatem impendit.

Io. Caſſian.

D. Io. Chryſ.

2 Nec minores lachrymas in morte Abſalom filij ſui, ſed rebellis, &, ſi animum ſpectes, parricidæ, pius pater effudit, quem vt audiuit vulneratum è vitâ deceſſiſſe, contriſtatus plorauit, mori que pro eo nimio dolore affectus optauit. *Contriſtatus itaque Rex aſcendit cœnaculum portæ, & ſic loquebatur vadens, fili mi Abſalom, Abſalom fili mi; quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te Abſalom fili mi, fili mi Abſalom* 2. Reg. 18. 33. Quæ ſanè voces ingentem patris læſi ergà ingratum filium teſtantur affectum, qui tot ab eo contumelijs affectus, adhuc vitam impēdere, ac mortem pro illo mortuo ſubire optauit. Appoſitè Abulenſis. *Hoc dicebat Dauid ex nimio dolore, & quia* VALDE DILIGEBAT ABSALOM, LICET OFFENDISSET EVM NIMIS. Iniuriæ, quibus peſſimus filius patrem læſerat, eius non minuerunt amorem, quem ergà eum defunctum maximè oſtendit, cùm pro eius viuificatione mori non dubitauit.

Magnū amorem ergà Abſalom defunctum, qui eū læſerat, oſtendit.

Abulenſis.

3 Neq; hìc eſt prætereundum, quòd cùm Dauid Abſalom adhuc interfectum fuiſſe non agnouit, puerū eū appellauit. *Et ait Rex, Eſt ne pax puero Abſalom?* 2. Reg 18. 29. Vbi verò audiuit eum eſſe defunctum, filiū nuncupauit. *Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi.* 2. Reg. 18. 33. Cuius diſcriminis, quænam alia eſt ratio, niſi quia viuum habuit vt parricidam, mortuum autem denuò ſuſcepit, vt filiū? Non exiſtimauit honorandum eſſe filij appellatione, quē fugere cogebatur perſecutorē, at cùm eū agnouit eſſe mortuū, ſtatim parricidij oblitus, filij honorē ei reſtituit, & nō ampliùs puerū, ſed filium ſuum egregiâ pietate nominauit. Eleganter D. Ambroſius in Pſal. 118. Octonario. 17. *Filius meus Abſalom, Filius meus, inquit, Abſalom, quis dabit mihi mortem pro te?* MEMOR NATVRAE PIETAS, OFFENSAE IMMEMOR, *de quo antè quæſiuit, puer ne viuit? Et fortaſſe quærendum ſit, quâ ratione antè puerum dixit, poſteà filium nominauit. Cur non in vtroque, aut puerum dixit, aut filium? Si viueret, puer erat, quia parricidio petebat patrem. Non ergò pietatis accipere debebat nomen, ſed infirmitatis. Ideòque vir iuſtus, quod religionis fuit, tacuit, quod infirmitatis*

Eundem iniuriæ immemor pio affectu filium appellauit.

D. Ambroſ.

mitatis aſpexit. Vbi verò eſt mortuus, apud pium patrem perſona crimen defecit, naturæ nomen remanſit. Poteratne ad rem noſtram luculentiùs loqui, aut explicatiùs? Vbi mortuus eſt filius, omnis immemor iniuriæ, quem habuerat ſeditionis machinatorem, ſibi fecit ſuæ pietatis ſuſceptorem.

Patrem defunctum, à quo eiectus fuerat, Iſmael ſepeliuit.

4 Poſtquam Abraham ſenectutis limites fœliciter attigit, & in pace vitâ functus quieuit, eius cadauer extremis honoratũ pietatis officijs Iſaach, & Iſmaël eius filij in ſepulchro, quod ſibi emerat ab Ephron, vna condiderunt. *Et ſepelierunt eũ Iſaach, & Iſmael filij ſui in ſpeluncâ duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron filij Seor Hethæi è regione Mambre, quam emerat à filijs Heth.* Gen. 25. 9. Si verò quis miretur, quòd Iſmaël à patre ſimul cum ſuâ matre domo pulſus, & vrgente Sarâ eiectus, tantam Abrahæ defuncto impenderit pietatem, deſinat mirari, nam omnis iniuriæ filius immemor, patrem etiam, à quo eiectus fuerat, voluit ſepelire defunctum. Subdo verba Oleaſtri. *Aduerte Iſmaelem iniuria ſibi illata à Patre immemorem, cùm opus fuit,* EVM SEPELIRE, LICET NOSSET SE CVM MATRE AB EO ABIECTVM. Defunctis omnis debet iniuria remitti, ita vt illis etiam, qui nos viui læſerunt, pietatis noſtræ obſequia nõ denegemus.

Oleaſter.

D. Ambroſius puellam, à quâ læſus fuerat, honorificè ſepeliuit.

5 Illuſtri hoc geſſit exemplo D. Ambroſius, qui Arianam puellam, à quâ contumelioſè per palliũ tractus fuerat, vt à reliquis eiuſdem ſectæ puellis irrideretur, ac cæderetur, morte repentinâ defunctam, honorificè ſepeliuit, pietatemq; illi pro illatâ iniuriâ retulit. Rem dabo, vt eã narrat Petrus de Natalibus lib. 1. Catal. c. 36. *Vna ex Virginibus Arianorum, vt eum ad reliquas cædendum traheret, ipſum per pallium cepit. Quam die ſequẽti Ambroſius morte defunctam ſubitâ* HONORIFICE SEPELIVIT, GRATIAM PRO CONTVMELIA REPENDENS. Mortuam honorauit, quæ ſibi dedecus viuens parauerat, eiq; à quâ inſulte læſus fuerat, exequiarum iuſta, illatæ oblitus iniuriæ, perſoluit.

Petrus de Natalibus.

Philippus Athenienſibus, qui ſibi infeſsi fuerant, ſepulturam cõceſſit.

6 Sed & inter profanos Philippus Macedo nõ obſcurè huius pietatis ſectatorẽ ſe ſe oſtendit, qui cùm Athenienſes bello viciſſet, licet infenſiſſimos ſibi hoſtes eos expertus fuiſſet, perẽptos tamen funere honorauit, & vt ad ſepulchra maiorũ ſuorũ reliquiæ deferrẽtur, laudabili pietate curauit. Itaq cũ mortuis pacem habens, cũ quibus pugnauerat viuis, non vt hoſtes eos contempſit infeſtos, ſed vt amicos pietate proſecutus eſt extinctos. Id narrat Iuſtinus Hiſt. lib. 9. *Athenienſibus, quos* PASSVS INFESTISSIMOS FVERAT, *& captiuos gratis remiſit, & bello conſumptorum corpora ſepulturæ reddidit, reliquiaſq; funerum, vt ad ſepulchra maiorum deferrẽt, vltrò hortatus eſt.* O' pietatẽ regiã verè, atq; omni commendatione digniſſimã, quâ mortuos, à quib. tot prælijs valdè agitatus fuerat, & ſepulturæ mãdare, & omnib. funerũ officijs voluit honeſtare.

Iuſt. Hiſtor.

Antigonus Pyrrhum, qui ſe expugnauerat, filio ſepeliendum tradidit.

7 Similem etiam idem author lib. 25. cõmendat Antigoni pietatem, qui Pyrrhum ſe in vrbe clauſum totis viribus expugnare conantem, & ſaxo è muro iactato interfectũ Heleno filio ſepeliẽdum, & in patriã cum funebri pompâ referendũ cõceſſit. *Repulſus à Spartanis Pyrrhus Argos petit; ibi,* DVM ANTIGONVM IN VRBE CLAVSVM EXPVGNARE CONATVR, *inter confertiſſimos violẽtiſſimè dimicans, ſaxo de muris iactato occiditur. Caput eius Antigono refertur, qui victoriâ mitiùs vſus, filiũ eius Helenum cum Epirotis ſibi deditum in regnũ dimiſit, eiq; inſepulti patris oſſa in patriam referenda tradidit.* Regi expugnatori defuncto Rex ferè expugnatus pietatem exhibuit ſuperſtes, vt videlicet eum quoque, à quo læſus hoſtiliter fuerat, ſupremo funeris officio decoraret.

Idem.

Pompeius Syllam qui eum in teſtamento præterierat, funebri pompâ honorauit.

8 Mortuum Syllam nõnulli cum Lepido exequiarum pompâ priuare moliebantur. Pompeius eius amicus ab eo teſtamentum condente valdè læſus fuerat, cùm ſolus ex omnibus amicis ſilẽtio prǽteritus fuiſſet, adhuc tamen precibus, & minis eius ſepulturam obtinuit, & cadaueri funebrẽ honorem dum contulit, oſtẽdit, mortuis quoq; à quibus læſi fuerunt, ſuam debere ſuperſtites pietatẽ. *Cùm plerq;* (verba ſunt Plut. in Syllâ) *factâ cum Lepido coitione cadauer Syllæ iuſtis funebribus prohibere molirentur, Põpeius,* TAMETSI SYLLAE SVCCENSERET, *quòd ſolum ex omnibus amicis eum in teſtamento præteriſſet, quibuſdam gratiâ, & precibus, alijs minando promotis, cadauer Romam deduxit, funeriq; & ſecuritatem, & honorem cõtulit.* Vides Pompeiũ amico, à quo non modicè ſe læſum dolebat, funebrem contuliſſe honorem? Nimirùm non tantùm defunctis, qui nos dilexerunt, ſed illis etiam, qui nos, dum viuerent, læſerunt, noſtram debemus impendere pietatem.

Plutarchus.

Senatus Romanus coniuratis ſupplicio affectis ſacrificia, et ſupplicationes decreuit.

9 Quod & Senatus Romanus declarauit, qui nonnullos coniuratos morte condemnans, extremo ſupplicio affectis ſacrificia, & ſupplicationes decreuit, iniuriam ſibi illatam puniẽs quidem in viuis, ſed ſingulari pietate remittens defunctis. Do verba Dionis lib. 37. ita ſcribentis. *Ibi tùm illi ex eâ ſententiâ, quæ obtinuerat, ſupplicio affecti, ſacrificiaque propter eos, & ſupplicatio decreta, quod in tali re anteà nunquam factum erat. Alij quoque, de quibus indicium factum erat, quæſiti, nonnulli etiam ſuſpecti, quòd ſe* CONIVRATIS *eſſent adiuncturi, in iudicium pertracti ſunt.* Animaduerte Romani Senatûs pietatem, qui eos etiam, à quibus coniuratione læſus fuerat, ſacrificijs & oblationibus voluit honorare defunctos.

Dio.

Iudæi aduerſùs Alexandrum defunctum odium deponere promiſerunt.

10 Poſtremo loco reſponſionem affero, quam Alexandro in ſe admodùm ſæuienti argutè dederunt Hebræi. Quæſiuit ab eis Rex, quo pacto eorum ſibi poſſet animos conciliare, qui promptè reſponderũt, id eum impetraturum, ſi moreretur; paratos quippè ſe eſſe odia contrà defunctos etiã, a quibus grauia perpeſſi fuerint, deponere, cumq; illis in gratiam reuerti. Argutè quidẽ, ſed & valdè piè, ſi pietatem defunctis debitam attẽdamus, reſpõderunt. Non ſupprimo verba Hegeſippi lib. 1. de excid. vrb. Ieroſol. c. 10. *Redit Alexandro ſæuitia cum ſecuritate, regnumq; inſuper, & vſus belli reformatur. Quærenti ab his, quidnam faciens, animos ſibi plebis conciliaret, reſponſum eſt, ſi moreretur. Vix enim fore, vt cum mortuo* TAM GRAVIA PERPESSI in

Hegeſippus.

Digitized by Google

gratiam reuerterentur, vt odia aduerſùs defunctum deponerent. Eum, à quo tyrannicâ ſæuitiâ torquebantur, parati erant diligere defunctum, nã omne cõtrà defunctos eſt odium deponendum, & etiam, à quibus cùm viuerẽt læſi, & grauia perpeſſi fuimus, mortuis pietatem exhibere debemus.

CAPVT XXXII.

Defunctis, qui malè vixerunt, obſequia non ſunt deneganda pietatis.

Dum non cõſtat defunctos eſſe damnatos pietas eis debetur.

1 NOn ideò, quia defuncti, antequam morerentur, mali fuerunt, eis debemus denegare pietatem, nam poſſunt in extremo vitæ articulo ad Deum per pęnitentiam redijſſe, ac modò, vt à pęnis Purgatorij eruantur, noſtris precibus, ac ſuffragijs egere. Scribit D. Vinc. Ferrer. ſer. 1. Domin 10. poſt Trinitatem, Angelos cuſtodes nunquam Animam, quantumuis malam dimittere, nec Dæmonibus, vt eam ad Infernũ deducant, permittere, donec æterni Iudicis ſententiâ damnetur. *Boni Angeli non permittunt, quòd dæmones ducant ſecum animam, quouſq; in iudicio ſit data ſententia à Chriſto iudice*, QVANTVMQVE SIT MALA. Non eſt Animabus poſt earum exitum à corpore pietas deneganda, donec nobis conſtet eas eſſe in diuino iudicio damnatas, Quare quãtumuis defuncti fuerint mali, dũ tamen nobis nõ conſtat, eos deceſſiſſe impęnitentes, ac fuiſſe cũ reprobis dãnatos, debemus illis noſtræ ſuffragia exhibere pietatis.

D. Vinc. Ferr.

Si mortui ſuffragijs ſint indigni, ea offerentibus proſunt.

2 Quòd ſi fortè aliquandò cõtingat noſtras preces pro indignis offerri, non ideò ſuo fructu vacuæ abibunt, ſed nobis offerẽtibus proficient, quę malis, pro quibus offeruntur, non poſſunt proficere defunctis. Accipe D. Ioan. Chryſ. homiliâ 21. in Actus Apoſtolorum hæc ſcribentem. *Itaq; ſi preces pro illo faciamus continuas, ſi eleemoſynam damus*, ETSI ILLE INDIGNVS SIT, *nobis Deus placatior erit*. Nunquam irrita ſunt ſuffragia, quæ mortuis exhibẽtur, ſed cùm indigni ſunt mortui, viuis proficiunt, qui ea impendunt, vndè non per hoc, quia mali fuerunt, cùm viuerent, ſuffragia mortuis denegare debemus.

D. Io. Chryſ.

Iudas Machabæus pro militibus, qui furati fuerant donaria idolorũ, ſacrificia offerri curauit.

3 Id nouerat ſtrenuus æquè, ac pius Dux Iudas Machabæus, qui cùm veniſſet, vt corpora militum prælio peremptorum exequijs honoraret, ac in ſepulchris paternis collocaret, ſub tunicis mortuorũ donaria inuenit idolorum, à quibus ex legis pręſcripto prorsùs abſtinere debebant Hebręi. Quam ob cauſam cognouit, eos à Deo mulctatos, ſuo ſceleri debitas pœnas morte luiſſe. Non tamen propterea eos deſeruit, ſed honorificè ſepeliuit, ac inſuper ſacrificia pro eis offerri curauit. *Et factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè, & religiosè de reſurrectione cogitans*. 2. Machab. 12. 43. Vbi aduertit D. Bacbiarius Epiſtolâ ad Ianuariũ Iudam militibus defunctis ſuffragatum fuiſſe, licet malè operati fuiſſent, ac legis mandata, idolorum donaria furantes, neglexiſſent. *Melior eſt ille Iudas Machabæus, qui etiam pro mortuis fratribus orationem credidit eſſe faciendam, qui* FVRATA DE TANTA CIVITATE IDOLORVM DONA PROSTRAVERVNT. Defunctis etiam malis, ac diuinæ legis tranſgreſſoribus pietatem Iudas exhibendam eſſe putauit, nam non ſolùm defunctis, qui boni fuerunt, ſed etiam illis, qui malè egerunt, obſequia debentur miſerationis.

D. Bacbiar.

Amnon mortuus [illegible]

4 Occidit Abſalom fratrẽ ſuum Amnon, cuius mortem vt Dauid agnouit, luctui vacauit, & cum filijs, ac ſeruis multas pro eo lachrymas effudit. *Cùmq; ceſſaſſet loqui, apparuerunt & filij Regis, & intrantes leuauerũt vocem ſuam, & fleuerunt, ſed & rex & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis*. 2. Reg. 13. 36. Cur Abſalom in fratrem iratus, eũ occidit, ac cæde illius, quem diligere debebat, ſe fœdauit? Vt crimen vlciſceretur, quo Amnon Thamar ſororem turpis inceſtûs crimine cognouit. *Oderat enim Abſalom Amnon, eò quòd violaſſet Thamar ſororem ſuam*. 2. Reg. 13. 21. Obſerua igitur Dauidẽ filiũ laſciuum luxiſſe, nec à pietatis lachrymis, quia inceſtûs crimen, cùm viueret, patraſſet abſtinuiſſe. Præiuit hoc obſeruans D. Ambroſius apud Gloſsã in c. 18. lib. 2. Reg. INCESTVM *Amnon fleuit occiſum*. Etiam ſi filius illegitimo cõcubitu ſe polluiſſet, nõ tamen ei obſequia pater denegauit pietatis, nã etiã defuncti, qui malè vixerunt, ſunt à viuis pietate proſequendi.

D. Ambroſ.

Abſalom iam parricidam plorauit.

5 Nec minorem idem Dauid alteri filio Abſalom pietatem impendit, cùm eum tribus lanceis à Ioab confoſſum agnouit. Ingenti enim ipſi quoque luctu parentauit, & non modica pietatis obſequia impendit. *Contriſtatus itaq; Rex, aſcendit cœnaculum portæ, & fleuit, & ſic loquebatur vadens, fili mi Abſalom, Abſalom fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?* 2. Reg. 18. 33. Quis ignorat Abſalom coniuraſſe contra patrem, eumq; regno, & vitâ ſpoliare voluiſſe? *Facta eſt coniuratio valida, populuſq; concurrens augebatur cũ Abſalom*. 2. Reg. 15. 12. Ergò dum hunc filium defunctum Dauid plorauit, pro parricidâ lachrymas effudit. Adſtipulatur Eucher. *Fleuit magno luctu, & deplorauit exitum* PARRICIDAE. Idemque docet in Gloſsâ D. Ambroſius. PARRICIDAM *Abſalom doluit interemptum*. Abſalom, licet parricidam, pius pater plorauit, ſciens defunctis etiam, qui malè dum viuerent, egerunt, exhibendam eſſe pietatem.

Eucherius.

D. Io. Chryſ.

Saul maleuolo pietatis obſequia exhibuit.

6 Nec tantùm ergà filios, verùm etiam ergà cęteros defunctos, qui malè, dum viuerẽt operati fuerant, hanc pietatem impendit. Certè Saul Deo inobediẽtem, ſui perſecutorem, ac propter peccata cũ regno vitam quoq; amittentem ſciſſis veſtibus, & ſibi ieiunium indicens, amarè plorauit. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionatham filiũ eius*. 2. Reg. 1. 11. Vides pium Regẽ maleuoli quoq; viri cædem ploraſſe, ac plurimis ei obſequijs pietatem exhibuiſſe? Optimè Theodoretus in Gloſsâ. MALEVOLI VIRI *auditâ cæde, non ſolùm luxit, ſed etiam acerbè eſt lamentatus*. Licet Saul viuens maleuolus fuiſſet, eum tamen Dauid plorare voluit defunctum, quia non tantùm bonis, ſed etiã maleuolis pietas exhibenda eſt defunctis.

Theodoretus.

7 Interfecit Dauid omnes, qui erant in Idumæâ, & vniuerſam gladio prouinciam conſumpſit. Poſt

Idumæos mortuos [illegible]

hanc

Digitized by Google

hanc autem cædem, iuſſit Ioab principi militiæ, vt aſcenderet, & interfectos officio ſepulturæ honoraret. *Cùm enim eſſet Dauid in Idumæâ, & aſcendiſſet Ioab princeps militiæ ad ſepeliendum eos, qui fuerant interfecti, & occidiſſet omne maſculinum in Idumæâ.* 3. Reg. 11. 15. Cur Dauid Idumæos occidi præcepit, niſi quia mali erant, ac peruerſi? Dum ergò eos poſt necem iuſſit ſepeliri, manifeſtum eſt peruerſis quoque defunctis obſequia impendiſſe pietatis. Aptè Abulenſis in 2. Reg. cap. 19. *Dauid pugnauit contrà Idumæos, & occidit illos, quia* MALI ERANT, *poſteà tamen compatiens illis officium ſepulturæ exhibuit.* Malos quidem viuos occidit, ſed mortuos humauit, oſtendens mortuis quoque, qui malè vixerunt, deberi pietatem.

Abulenſis.

Salomō Ioab, quì delicta patrauerat iuſſit ſepeliri.

8 Dauidem imitatus eſt filius Salomon, qui præcepit Banaiæ, vt Ioab interficeret, ac ſepeliret. *Dixitque ei Rex, Fac, ſicut locutus eſt, & interfice eum, & ſepeli.* 3. Reg. 2. 31. Vbi obſeruandum, Salomonem mortem intuliſſe Ioab, vt eius delicta puniret, quem tamen mortuum ſepulturæ officio iuſſit honorari, vt ei etiam, qui delicta patrauerat, pietatem exhiberet defuncto. Adeſt idem Abulenſis. *Illud dixit ad honorem Ioab, quia* LICET OCCIDERETVR PRO DELICTIS SVIS, *tamen honorandus erat in officio funeris.* Honorandi ſunt noſtrâ pietate mortui quoque, qui dum viuerent delicta patrauerunt, ideòq; Salomon Ioab propter delicta, quæ patrauerat, iuſtè interfectum, ſepulchralibus mortuum obſequijs honorauit.

Abulenſis.

In patibulis ob delicta ſuſpenſi eadem die ſepeliebantur, quā crucifigebantur.

9 Hùc etiam ſpectauit præceptum, quo Deus iuſſit in patibulo propter ſua delicta ſuſpenſos eadem die de cruce deponi, ac ſepulchro mandari. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur.* Deut. 21. 23. Vbi videre licet nefarios quoque homines extremo ſupplicio affectos, ac turpiter morti adiudicatos honore ſepulturæ decoratos. Quare Lyranus his hunc locum elucidat verbis. *Sepelire mortuos eſt opus miſericordiæ, & ideò de condemnatis ad mortem, & ſuſpenſis in patibulo præcipitur hîc, quòd non priuentur ſepulturâ,* LICET EORVM VITA FVERIT ODIOSA. Vita odioſa peruerſorum non obſtat, quin ſint poſt mortem pietate proſequendi, vndè in patibulo quoque ob delicta patrata ſuſpenſos iuſſit Deus ſepulchralibus obſequijs honorari. Quod eleganttiùs proſequens Philo Hebræus lib. de ſpecialibus legibus, ait. *Peruerſa ingenia nunquam ſatiantur maleficijs, ſed facinora cumulant facinoribus, augendo vſque malitiam, nec vllis eam circumſcribendo terminis; contrà tales mille ſupplicia decreuiſſet legiſlator, ſi potuiſſet. Id quia non poterat, nouam pœnam addidit, iubens in ligno ſuſpendi homicidas, moxque ad ſuam clementiam reuertitur,* HVMANITATIS ERGA INHVMANOS NON OBLITVS, *Non occidat, inquit Sol ſuper pendentes in ligno, ſed depoſiti antè occaſum ſepeliantur.* Inhumanos quoque homicidas humanitate Deus eſt proſecutus, quoſque iuſſit ſuſpendi viuos, præcepit ſepeliri defunctos.

Lyranus.

Philo Hebr.

Ioſeph Arimathæus non timuit Chriſtum ſepelire quem ſepultura debitaverat mortuis bonis, ac malis.

10 Hinc eſt, quòd Ioſeph Arimathæus Chriſtum in cruce ſuſpenſum, & iniquum a Iudæis reputatum ſepulturâ honorare non dubitauit. *Et accepto corpore Ioſeph, inuoluit illud in ſindone mundâ, & poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petrâ.* Matth. 27. 59. Non timuit quippè Ioſeph agnoſci Chriſti diſcipulus, & ex occulto fieri manifeſtus, dum eum ſepeliebat, quia ſepultura officium erat pietatis, quod & bonis impendebatur, & malis defunctis. Nec per hoc, quòd Chriſtum ſepeliuit, ſe bonum eum exiſtimare oſtendit. Accinit Beda in catenâ in cap. 19. Ioannis. *Corpus Chriſti petijt, quoniam non videbatur causâ diſcipulatûs, ſed pietatis veniſſe, vt funeri officium impenderet, quod boni dies, non ſolùm bonis,* SED ETIAM MALIS *ſolent impendere.* Vides & bonos, & malos pietate proſequendos eſſe à viuis defunctos?

Beda.

Iudæi latronum ſceleratorum corpora ſepeliri petierunt.

11 Quare Iudæi etiam latronum, quos ob ſcelera Pilatus cum Chriſto necauerat, petierunt de patibulo deponi, ac fractis cruribus terræ mandari. *Rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Ioan. 19. 31. Nouerant enim ipſi quoque ſceleſtis etiam hominibus pietatem deberi poſt mortem. Annuit Hincmarus in Biblioth. vet. Pat. opuſc. 55. cap. 33. *Iudæi ne remanerent* SCELERATORVM *corpora in cruce die Sabbati inhumata, obtinuerunt à Pilato, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Petierunt corpora latronum de cruce deponi, quia ſceleratis etiam pietas exhibenda eſt defunctis.

Hincmarus.

Iehu Iezabel maledictam iuſſit ſepultura mandari.

12 Iuſſit Rex Iehu iniquam Iezabel è feneſtrâ deorſum præcipitari, præcipitatam verò ſepulturæ mandari. *Ite, & videte maledictam illam, & ſepelite eam.* 4. Reg. 9. 34. At cur maledictam fœminam iſtam vocauit? An quia omnium delictorum, quæ patrauit Achab, ſuo conſilio præcipua cauſa fuit? Vtique id voluit Abulenſis quæſt. 32. in hunc locum. *Vocauit illam maledictam, quia abominabilis erat,* CVM IPSA INTRODVXISSET OMNE MALVM *in Iſrael temporibus ſuis, nam ipſa incitauit Achab ad omnia mala, quæ fecit.* Animaduerte, cui præceperit Iehu poſt mortem pietatem impendi, & cuius cadauer iuſſerit extremo ſepulturæ officio honorari, mulieris videlicet iniquiſſimæ, omniumque malorum, quæ impius fecerat Achab, peruerſæ inuentrici. Debentur nimirùm pietatis obſequia mortuis quoque, qui cùm viuerent, peruerſiſſimi, omnique iniquitatis genere fuerunt famoſi.

Abulenſis.

Alexandrini peſſimi hominis exequias venerati.

13 Subijciendum etiam hic mihi videtur id, quod narrat D. Antoninus 1. par. tit. 5. cap. 1. ad funus hominis cuiuſdam peſſimi totum clerũ, & populum Alexandriæ concurriſſe, vt illius exequias celebri pompâ honeſtarent, eiuſque animæ pietatis ſuffragia exhiberent. *Miniſter quidam ſolitarij ſancti viri à Ciuitate Alexandriæ recedens, vbi totum clerum, & populum reperérat occupatum*

D. Antonin.

Dd 3 in

in veneratione ſepulturæ Cuiuſdam Peſſimi Hominis. Hominem, licet peſſimum, poſt mortem ſepulturæ officio venerabantur, ac pietatis obſequijs proſequebantur, nam defunctis, qui malè vixerunt, obſequia non ſunt deneganda pietatis. Hæc igitur, & cętera, quæ in hoc libro exarauimus, ſi quis attentè conſideret, quis non videt purgantis Eccleſiæ efficacitatem ad pietatem ergà mortuos excitandam, quam eis non poſſumus ob vllam excuſabilem rationem denegare? Impendatur igitur à viuis pietas ob tot rationes debita defunctis, vt ſentiant ſe noſtris ſuffragijs ſubleuari, quos atrociſſimis pœnis certum eſt in Purgatorio affligi.

FINIS LIBRI TERTII.



R. P.

D. CHRYSANTHI SOLARII PLACENTINI CLE.ci REG.lis

PENTATEVCHVS MORTVORVM.

LIBER QVARTVS.

De modo, quo debet Animabus mortuorum pietas exhiberi viuorum.

Modus in omni re ſeruandus.

QVæcumq; agimus, congruo modo agere debemus, ita ut non tantùm quid operemur inſpiciamus, verùm etiam quomodo operemur attendamus. Modum in omni re dominari decet, ut dixit D. Auguſtinus lib. 2. de moribus Manichæorum. *Tantùm adſit modus, quem in omni re dominari decet.* Quare in pietate quoq; mortuis exhibendâ, ut rectè exhibeatur, modus aliquis erit ſeruandus. Cùm ergo hactenùs hanc pietatem defunctis debitam, ea declarans, quæ ad illam hominum mentes vrgere debent, explicauerim, nunc modum, quo eſt impendenda, expendo, ut non ſolùm debitam, ſed etiam debito modo mortuis pietatem impertiamur.

D. Auguſtinus.

CAPVT I.

Studium adhibendum in pietate defunctis exhibendâ explicatur.

Magno ſtudio Magdalena Chriſti ſepulturam honorauit.

1 STudium antè omnia declaro, quo ſunt à viuis pietatis obſequia exhibenda defunctis. Primum autem huius veritatis argumentum Magdalena mihi exhibet, quæ ad Chriſtum Bethaniæ in Domo Simonis leproſi recumbentem accedens, candidum aromatum alabaſtrum fregit, pretioſumq; vnguentum ſuper magiſtri mox morituri caput, ut ſepulturam illius honoraret, effudit. Quod ut viderunt diſcipuli, contrà mulierem ſunt indignati, quòd vnguentũ non vendidiſſet, ut pretiũ ex eo relatum pauperibus diſtribueret, ſed in ſuperuacaneâ vnctione abſq; vllo prorsùs fructu conſumpſiſſet. Indignationem tamen illorum acri obiurgatione Chriſtus reprehendit, ac mulierem ſuam ſepulturam honorantem commendauit. *Sciens autem Ieſus, ait illis, Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me, nam ſemper pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis, mittẽs enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Matth. 26. 10. Cur verò Chriſtus adeò acriter ſuos diſcipulos, ut peccatricem mulierem tueretur, obiurgauit? Quid magnum vnctione illâ exhibuit, ut omnes eam commendare deberent? Magno ſtudio mulier iſta Chriſti ſepulturam honorauit, dum inter epulas & pocula, ſepulchrales illi honores ieiuna impendit, ideòq; à diſcipulorum verbis defendi, & Chriſti ore meruit commendari. Patronũ habeo D. Ioãnem Chryſoſtomum. *Increpat criminantes; non enim debebat pro tanto mulier* STVDIO *reprehendi.* Magdalenam Chriſtus à diſcipulis iniuſtè criminantibus opportunè defendit, quia ingenti ſtudio ſepulchralia ei obſequia exhibuit.

Io. Chryſoſt.

Eodem ſtudio Chriſti monumento aſtitit.

2 Quod ſtudium etiam adhibuit, cùm ad eiuſdem Chriſti monumentum, ceteris abeuntibus, egregiâ pietate perſeuerauit. Vndè & prima Chriſtum reſurgentem videre promeruit. *Surgens autem manè primâ Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de quâ eiecerat ſeptem dæmonia.* Marc. 16. 9. Cæteris eam Chriſtus prætulit, & Apoſtolis quoq; ipſis priorem ſuæ reſurrectionis myſteria eam cognoſcere voluit. Quod ſanè ob aliud non egit, niſi ut ſtudium, quo ſuũ cuſtodierat monumentum, ſingulari præmio afficeret. Hoc teſtatur Hugo Cardinalis in cap. 20. Ioannis. PROPTER HOC TANTVM STVDIVM ASSIDENDI MONVMENTO, *mercedem non paruam accepit, quod enim non viderunt diſcipuli, hoc vidit mulier prima.* Non tantùm Chriſto defuncto pietatem Magdalena exhibuit, ſed & magno ſtudio eam impendit, ac proptereà cæteris omnibus prælata primâ reſurrectionis gaudia meruit.

Hugo Cardinalis.

3 Magda-

Digitized by Google

Eidem ſepulchro Petrus, & Ioannes cum multo ſtudio aſtiterunt.

3 Magdalenam imitati ſunt Petrus, & Ioannes, quibus cùm illa nuntiaſſet Chriſti cadauer è monumento ſublatum fuiſſe, confeſtim ad illud cucurrerunt. *Exijt ergò Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul.* Ioan. 20. 3. Quòd ſi quæras, cur hi diſcipuli, non perrexiſſe, ſed cucurriſſe dicantur, reſpondet D. Ioan. Chryſoſtomus in catenâ, id fieri, ut magnum explicetur ſtudium, quo hi diſcipuli Chriſti monumento inſtiterunt. *Audientes ergò illi,* CVM MVLTO STVDIO *monumento aſſiſtunt.* Non ire, ſed currere voluerunt, ut maiori ſtudio Chriſti ſepulchro aſſiſterent, eiuſq; cadauer, quod ſublatum credebant, inuenirent, ac honorificè iterum tumularent. Nouerant quippè ingenti ſtudio pietatis obſequia exhibenda eſſe defunctis.

D. Io. Chryſoſt.

Diſcipulus à Chriſto vocatus magnum ſtudium oſtẽdit ergà funus mortui patris.

4 Hùc etiam vocandus eſt ille, qui à Chriſto vocatus, patris mortem cauſatus eſt, & ab eo petijt, ut ſibi eius cadauer primùm ſepelire liceret. *Ait autem ad alterum. Sequere me. Ille autem dixit, Domine permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum.* Luc. 9. 59. Dubium hìc oritur, cur hic diſcipulus, antequam Chriſtum ſequeretur, patrem vellet humare defunctum. Nunquid Deo vocanti genitoris præferendum erat cadauer? Nonnè diuinis omnia poſthabenda ſunt mandatis? Quare igitur non ſtatim Chriſtum ſequi, ſed prius patrem ſepelire volebat? Nouerat diſcipulus iſte pietatem ingenti ſtudio eſſe defunctis exhibendam, quapropter deceptus credidit ob hanc rationem Chriſti quoq; ſequelæ illam eſſe præferendam, ideòq; petijt, ut antè omnia mortuum poſſet ſepelire genitorem. Hùc alluſit D. Ambroſius in catenâ. *Bonum* STVDIVM, *ſed maius impedimentum; nam qui partitur* STVDIVM, *deriuat affectum, qui diuidit curam, differt profectum. Ergò prius ſunt obeunda, quæ maxima, nam & apoſtoli, ne occuparentur ſtudio diſpenſandi, miniſtros pauperibus ordinarunt.* Benè quidem diſcipulus hic egit, dum magno ſtudio ergà mortuum parentem pietatem oſtendit, ſed in eo eſt deceptus, quòd huic ſtudio Chriſtum vocantem poſthabendum eſſe falsò exiſtimauit.

D. Ambroſius

Iabeſitæ fuerunt ſtudioſi ergà ſepulturam Saul.

5 Ingens quoq; fuit ſtudium, quo viri Iabes Galaad Saül, eiuſq; filijs defunctis pietatem impenderunt, qui totâ nocte, ut ab hoſtium mœnijs eorum cadauera eriperent, ambulauerunt, in nemore Iabes celebri exequiarum pompâ eis parentauerunt, & pro illorum animabus ſeptem dierũ ieiunio ſe afflixerunt. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntq; Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni, & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt ſeptem diebus.* 1. Reg. 31. 12. Quis, niſi plus quàm Talpa cæcutiat, non videt, quanto ſtudio vigilantes, plorantes, ac ieiunantes hi viri pietatem principibus iſtis impenderint defunctis? Sanè dum totâ nocte ambulauerunt, dum hoſtium vires non formidauerunt, dum ieiunio, cæteriſq; pietatis obſequijs mortuis parentauerunt, ſe ſe valdè ſtudioſos in his exequijs exhibuerunt. Audi Abulenſem. *Fuerunt iſti viri Iabes* STVDIOSI NIMIS *circà Saulem.* Studioſè pietas exhibenda eſt defunctis, vndè hi viri magno ſtudio Saul, eiuſq; filijs defunctis eam impenderunt.

Abulenſis.

Eorũ ſtudia Dauid commendauit.

6 Quapropter cùm hęc pietas Dauidi nuntiata fuiſſet, miſit viros, qui eis gratias agerent, ac eorum fortitudinem, & miſerationem multis laudibus commendarent. *Miſit ergò Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitq; ad eos, Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum.* 2. Reg. 2. 5. Quam ob cauſam hoc Dauid præſtitit, niſi vt magnum ſtudium, quod in mortuorum exequijs adhibuerant, dignis laudibus attolleret, ac ſuam eis promittens protectionem, aliquo præmio remuneraret. Adeſt Ioſeph Hebræus in Gloſſa hęc ſcribens. *Dauid miſit ad viros Iabes, laudans, & approbans eorum virtutem; & agens gratias* PRO STVDIO, *quod circà defunctos habuerant.* Multo ſtudio viri Iabes defunctorum principum Iſraël exequias celebrauerunt, ideòq; digni fuerunt, ut eis Dauid nuntios mitteret, gratias ageret, eorumq; virtutem commendaret.

Ioſeph Hebræus.

Studuit Booz memoriam ſeruare propinqui defuncti.

7 Accepit Booz Ruth in vxorem, quam alius ſe propinquior accipere noluerat, & coram ſenioribus populi teſtatus eſt ſe illã ducere, vt nomẽ defuncti propinqui ex legis præſcripto ſuſcitaret. *Teſtes, inquit, vos eſtis hodie, quòd poſſederim omnia, quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon, tradente Noemi, & Ruth Moabitidem vxorem Mahalon in coniugium ſumpſerim, ut ſuſcitem nomen defuncti in hereditate ſuâ, ne vocabulum eius de familiâ ſuâ, ac fratribus de populo deleatur.* Ruth. 4. 10. Quibus verbis admirandum ſtudium, quo defuncti nomen ſuſcitare, illius memoriam conſeruare, ac omnimodam ei pietatem exhibere curabat, non obſcurè indicauit. Agnouit enim viuos ingenti ſtudio pietate proſequi debere defunctos. Præclarè B. Theodoretus. *Iurè eſt admiranda eorum, quæ dicta ſunt, pietas, accurataq; & exacta ratio. Legem, inquit, non tranſgredior, Moabitidem ducens mulierem, ſed impleo legem diuinam,* STVDENS, *ut defuncti non extincta conſeruetur memoria.* Studuit Booz ſuâ pietate propinqui memoriam ſeruare defuncti, nos inſtruens, vt pietatem, quam defunctis impartimur, multo ſtudio exhibeamus.

B. Theodoretus.

Aegyptij ſtudium in funeribus mortuorum adhibent.

8 Hoc idem ſtudium nobis commendauit D. Athanaſius in vitâ Sancti Antonij, referens morem Aegyptiorum, qui conſueuerant in mortuorum funeribus magno ſtudio pietatem eis exhibere; nec enim niſi ſtudioſè defunctis parentandum eſſe autumabant. *Mos Aegyptijs eſt nobilium, & præcipuè beatorum martyrum corpora linteamine quidem obuoluere, &* STVDIVM *funeri ſolitum non negare.* Vides vbiq; cùm pietas defunctis exhibetur, ſtudium à viuis adhiberi, & adhibitum à ſanctis Patribus egregijs laudibus commendari.

D. Athanaſius.

9 Verùm non tantùm ſancti Patres, ſed profani

Digitized by Google

Cimon Theſei, & Timandra Alcibiadis cadauer magno ſtudio extulerunt.

Plutarchus.

fani quoq; authores hoc nobis ſtudium commendauerunt. Profectò Plutarchus magnum ſtudium Cimonis multis laudibus euehit, quo Theſei obſcurum loculum quæſiuit, & oſſa indè relata magnificâ pompâ, oraculo ſuadente, aſportauit. *Ægrè, &* MAGNO STVDIO *inuento loculo oſſa Cimon in ſuam triremem impoſuit, magnificèq; ornata Athenas reportauit quadringenteſimo ferè, poſtquam Theſeus Athenis fugerat, anno.* Idem ſtudium in ſuſtollendo cadauere Alcibiadis Timandrâ adhibuiſſe in Alcibiade idem Plutarchus teſtatur. *Trucidatum Alcibiadem Timandra digreſſis barbaris ſuſtulit, & ijs, quas ſuas in promptu habebat, tunicis velatum, pro eâ, quæ tùm ei aderat, copiâ, ſplendidè* MAGNO CVM STVDIO *ſepeliuit.* Magnum ſtudium, cùm de pietate agitur mortuis exhibendâ, eſt adhibendum, vndè & Cimon Theſei, & Timandra Alcibiadis cadauer ingenti ſtudio extulerunt.

Summum ſtudium in funere Hepheſtionis adhibitum

Diodorus.

10 Mortuus eſt, Alexandro ſuperſtite, Hepheſtion amicus ab eo ſummopere dilectus, vndè funus ei præclarâ pompâ celebrauit. In quâ cum ipſo duces quoq;, milites, legatos, & ciues maximum ſtudium impendiſſe teſtatur Diodorus Siculus lib. 7. Bibliothecæ. *Cùm ſimul Duces, milites, legati, & indigenæ homines* SVMMO STVDIO *pompæ eius apparatum adiuuiſſent, impenſa fuit talentorum plus quàm duodecim.* O ingentem pietatem, quâ vnius defuncti funeri tanto ſtudio cuncti vacauerunt, & impenſæ non parcentes, cum ingenti exequiarum pompâ honorauerunt.

Ciuitatem populus vniuerſus dereliquit, ut Lepolemo defuncto pietatem exhiberet.

Apuleius.

11 Summum etiam fuit ſtudium, quo in funere Lepolemi tota ciuitas eſt vacuata, ut ei pietatem exhiberet. Omnes ad corpus, quod trucidatum efferebatur, cucurrerunt, & feralem pompâ mœſto vultu proſequentes, vberes lachrymas effuderunt. Rem narrat Apuleius lib. 7. Metamorph. *Confluunt ciuium mœſtæ cateruæ, ſequuntur obuij dolore ſociato, ciuitas cuncta vacuatur* STVDIO VISIONIS, *& ecce mariti cadauer accurrit, labentiq; ſpiritu totum ſe ſuper corpus effudit, ac pleniſſimè ibidem, quam deuouerat ei, reddidiſſet animã, ſed ægrè manibus erepta ſuorum remanſit in vitâ. Funus verò, toto feralem pompam proſequente populo, deducitur ad ſepulturam.* Eo ſtudio pietatem defuncto populus exhibuit, ut vniuerſus ciuitatem dereliquerit, & ut eius exequias funebri pompâ honoraret, cadaueri obuiauerit.

Studium in exequijs mortuorũ ab hoſtibus adhibitum.

Plutarchus.

12 Quid? quòd hoſtes quoq; defunctis, quos viuos odio habuerant, pietatem impenderunt? Profectò Pauli Æmilij exequias ingens ciuium non modò, ſed & hoſtium ſtudium præſtantiſſimas reddidiſſe, narrat in eius vitâ Plutarchus. *Pompa funebris eximia fuit, & ſuſpicienda, decorauitque virtutem eius præſtantiſſimis, & beatiſſimis exequijs. Fuerunt hæ, non aurum, non ebur, non reliquus ſplendor, & nitor apparatûs, ſed beneuolentia, ſed honor, ſed* STVDIVM, NON CIVIVM MODO, VERVM ET HOSTIVM. Adeò debitum eſt defunctis pietatis ſtudium, ut neque hoſtes interdũ illud hoſtibus audeant denegare defunctis. Remanet igitur ex hucuſq; dictis ſatis, ni fallor, ſtudium adhibendum in pietate defunctis exhibendâ explicatum.

CAPVT II.

Cura, quâ mortui ſunt honorandi, declaratur.

Maxima cura debetur defunctis.

1 ANimæ immortalitatem cura conſequitur defunctorum, nam dum Animam è corporis ergaſtulo egreſſam non interire, ſed adhuc viuere credimus, & ei pietatem ſuffragijs exhibemus, & corpori etiam, ut eius memoria conſeruetur, funera, monumenta, & alia ſepulchralia obſequia præſtamus. Quibus proculdubio fatemur, quanta memoriæ defunctorum cura debeatur viuorum. Attigit hoc in Bibliothecâ veterum Petrum Prudentius hymno 10. ad defunctorum exequias.

Prudentius.

Quæ pigra cadauera pridem
Tumulis putrefacta iacebant,
Volucres rapientur in auras
Animas comitata priores.
Hinc MAXIMA CVRA *ſepulchris*
Impenditur, hinc reſolutos
Honos vltimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.

Cùm Anima ſit immortalis, & corpus ab eâ iterum animatum, ſit rurſus ad vitam reuocandũ, maximam debemus curã impendere defunctis.

Ioſeph Arimathæus magnâ curâ Chriſtum honorauit defunctum.

2 Quod ſanè præſtitit Ioſeph Arimathæus, qui ad Pilatum audacter acceſſit, Chriſti cadauer petijt, illudq; impetratum, & pretioſis aromatibus conditum vnà cum Nicodemo in lapideo, ac nouo ſepulchro humauit. *Acceperunt ergò corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Ioan. 19. 40. Vt quid Ioſeph tot obſequia Chriſto exhibuit defuncto? Vt quid Iudæorum iram non metuens, tam honorificè illi parentauit? Vt quid tandem in ſepulchro, quod ſibi parauerat, eius cadauer humauit? Vt maximâ curâ defunctum magiſtrum honoraret, & paſſionis ignominiam ſepulchri gloriâ compenſaret. Rectè Ludolphus Carthuſianus lib. de vitâ Chriſti par. 2. cap. 65. *Quia erat diſcipulus Domini, ideò* CVRAM *de corpore eius habere voluit, ut cum honore ſepeliretur, & non ſicut damnati corpus proijceretur.* Ingenti curâ ſunt mortui pietate proſequendi, quam curam ut Ioſeph Arimathæus in Chriſti funere exhiberet, eius cadauer pretioſis vnguentis, lapideo ſepulchro, alijſq; multis pietatis obſequijs honorauit.

Ludolph. Carthuſ.

Eamdem curam et mulieres præſtiterunt.

3 Cuius curæ participes quoq; fuerunt mulieres, quæ, dum Chriſti cadauer ſepeliebatur, contrà ſepulchrum ſedebant. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, ſedentes contrà ſepulchrum.* Matth. 27. 61. Cur verò mulieres iſtæ ibi commorabantur, niſi, ut locum notarent, in quo Magiſter condebatur? Quod ſanè declarauit D. Marcus. *Maria autem Magdalena, & Maria*

Digitized by Google

ria Ioſeph aſpiciebant, vbi poneretur. Marc. 15. 47. Quòd ſi vlteriùs quæratur, quare tantâ curioſitate locum ſepulturæ obſeruauerint, reſpondendum eſt id eas egiſſe, ut ſedulam curam mortuo Chriſto impenderent, quatenùs notantes locum in quo condebatur, poſſent facile illius cadauer inuenire, ac pretioſis vnguentis tranſacto Sabbato linire. Hæc fuit mens Bedæ in catenâ in cap. 16. Marci. *Solæ mulieres, quæ arctiùs amabant, funus ſubſecutæ, quomodo poneretur reſpicere* CVRABANT, *ut ei tempore congruo munus poſſent deuotionis offerre.* Idemque ſenſit Remigius item in catenâ in cap. 27. Matth. DILIGENTI CVRÂ *notauerunt locum, in quo corpus Domini poneretur, quatenùs congruo tempore munus ſuæ deuotionis ei offerrent.* Sedulam, ac diligentem curam mulieres adhibuerunt, cùm defuncto magiſtro pietatem impenderunt, nam quæ pro mortuis geruntur, ingentem, ac ſolicitam operantium curam requirunt.

Beda.

Remigius.

Magdalena magnâ curâ Chriſto mortuo pietatem exhibere optauit.

4 Multam etiam curam ergà Chriſtum defunctum Magdalena oſtendit, cum ad monumentum profecta, & corpus magiſtri ſublatum exiſtimãs, ad Apoſtolos citò eſt reuerſa. *Cucurrit ergò, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis, Tulerunt Dominũ de monumento, & neſcimus, vbi poſuerunt eum.* Ioan. 20. 2. Quænam enim alia huius curſus cauſa fuit, niſi cura, quâ Chriſti cadauer inuenire, ac aromatibus vngere ſtuduit. Sanè hoc docuit D. Ioannes Chryſoſtomus homilia 84. in Ioannem. *Cùm videret lapidem ree lutum, neq; intrauit, neq; introſpexit, ſed ad diſcipulos cucurrit ex nimio deſiderio. Id enim* CVRABAT *quàm citiſſimè quid de corpore factum eſſet intelligere; hoc & curſus, & verba ſignificarunt*, Feſtinatio, quâ ad Chriſti monumentum Magdalena cucurrit, magnam oſtendit curam, quâ defuncto magiſtro pietatem exhibere optauit.

D. Ioan. Chryſoſt.

Stephanum defunctũ magnâ curâ viri timorati ſepelierunt.

5 Nouerant hoc pij viri, qui Protomartyris Stephani lapidibus interfecti funus duxerunt, de quibus dicitur. *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum ſuper eum.* Act. 8. 2. Quæ verba profectò diligentem curam ſignificant, quâ illius exequias celebrauerunt, eiq; luctu, ac ſepulturâ pietatem impenderunt. Quod obſeruauit Dionyſius Carthuſianus. *Curauerunt autem, idest eum diligentiâ, &* CVRÂ *ſepelierunt Stephanum viri timorati.* Multâ curâ debent viui pietatem exhibere defunctis, quapropter Stephanum defunctum ſolerti curâ viri timorati ſepelierunt, ac diligenti ſolicitudine illius funus, lachrymas effundentes, curauerunt.

Dionyſius Carthuſ.

Pro ſepulturâ Saræ vxoris ingẽti curâ emit Abrahã agrũ, & ſpeluncã.

6 Luxit Abraham defunctam vxorem, & ab Ephron Hethæo poſtulauit, ut ſibi agrum venderet, quo eius cadauer humaret. Quod cùm impetraſſet, quadringentis eum ſiclis emit, & exequijs expletis mortuam coniugẽ ſepeliuit. *Quod cùm audiſſet Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat, audientibus filijs Heth, quadringẽtos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Gen. 23. 16. Quam ob cauſam tot impenſis, ut vxorẽ ſepeliret, agrum Abraham cum ſpeluncâ emit? Cur eius cadauer in communi aliquo, & publico ſepulchro non humauit? Vt quid peculiare monumentum in terrâ, vbi peregrinus erat, ei erigere decreuit? Vt eâ pietate curam oſtenderet, quam defunctæ vxoris habebat. Annuit D. Paulinus Epiſtolâ ad Pammachium. *Non ſpreuit corporis* CVRAM *propter animæ ſecuritatem, ſed empto ad ſepulchrum agro, mortuam ſuam pretioſâ ſede compoſuit.* Tot precibus, tantoq; impendio ſepulturę locum emit, ut ingenti curâ mortuæ coniugis memoriam ſeruaret.

D. Paulin.

Ioſeph patrẽ defunctũ ingenti curâ honorauit.

7 Hùc etiam faciunt obſequia, quæ præſtitit Ioſeph patri in terrâ Aegypti defuncto, quem poſt mortem deoſculatus fleuit, aromatibus plurimis condiri præcepit, diuturno luctu plorauit, ac tandem, nobilioribus Aegyptijs comitantibus, ad paternum ſepulchrum aſportauit. *Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domûs Pharaonis, cunctiq; maiores natu terræ Aegypti.* Gen. 50. 7. Quæ omnia ſi rectè conſiderentur, quid aliud innuunt, niſi magnam filij curam, quâ parentis defuncti funus duxit, eique non vulgarem pietatẽ impendit. Certè hanc curam in his obſequijs agnouit Rupertus Abbas lib. 9. in Geneſ. cap. 41. *Hanc omnem* CVRAM PRO MORTVO HABITAM, *quòd patri filius pias impendit lachrymas, quòd præcepit ſeruis ſuis medicis, ut aromatibus condirent patrem, quòd celebrauit exequijs planctu magno, atq; vehementi ſepeliuit eum in terrâ Chanaan, in ſpeluncâ duplici, quam emerat Abraham cum agro in poſſeſſionem ſepulchri ab Ephron Hethæo contrà faciem Mambre, Hæc inquam omnia* PATERNAE CVRAE *officia à Ioſeph exhibenda diuinum oraculum breui conſolationis reſponſo promiſerat ipſi Iacob, Ioſeph quoq; inquiens, ponet manum ſuam ſuper oculos tuos.* Tot pietatis obſequia mortuo patri Ioſeph exhibuit, ut ingenti eum curâ honoraret, ſciens præcipuâ ſemper curâ eſſe defunctis exhibendam pietatem.

Rupertus Abbas.

Solerti curâ Tobias mortuorum corpora ſepeliebat.

8 Huius etiam veritatis luculentum nobis teſtimonium Tobias exhibuit, qui cùm interfectorum cadauera inſepulta iacere audiebat, confeſtim ſepulchrales eis honores impendebat, ita ut & prandium interdum reliquerit, ut hoc pietatis officium exerceret. *Statimq; exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, tollenſq; illud, portauit ad Domum ſuam occultè, ut dum Sol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum.* Tob. 2. 3. Animaduerte curam, quâ ſanctus iſte ſenex honorabat defunctos, dum eorum ſepulturæ paratum conuiuium, accerſitos conuiuas, & ipſum impij Regis præceptum, quo cadauera iuſſus eſt relinquere inhumata, poſthabebat. Iurè D. Paulinus Epiſtolâ ad Pammachium his verbis eam commendat. *Sanctam verò, & ſanctificatam ſpem* PER HVMANDI CVRAM *nos Tobias docet.* Vt ingenti pietate, ita ſolerti curâ defunctorum corpora Tobias humabat, & iccircò hanc humanationem cæteris omnibus præferebat.

D. Paulinus.

9 Con-

Digitized by Google

David Abner mortui curam egit.

9 Confirmat hoc idem inſtitutum pietas, quâ Dauid Abner defunctum plorauit, eius virtutes commendauit, exequias illi nobiles celebrauit, & feretrum ſecutus, coram omni populo, cùm ſepeliretur, eum luxit. *Porrò Rex Dauid ſequebatur feretrum. Cùmq; ſepeliſſent Abner in Hebron, leuauit Rex Dauid vocem ſuam, & fleuit ſuper tumulum Abner.* 2. Reg. 3. 32. Cur voluit Dauid cum reliquo populo feretrum ſequi defuncti? Nonnè ſufficiebat Ioab militiæ principem cum cæteris regni primoribus mittere, ut cadauer ad tumulum comitarentur? Sufficiebat quidem; ſed tamen voluit ipſe quoque funus comitari, & ſuper tumulum plorare, vt maiori curâ pietatem exhiberet defuncto. Adeſt D. Ambroſius Apologia 1. Dauid cap. 7. *Fleuit, & poſt luctum eius ambulans, depoſitis inſulis poteſtatis, exequiarũ iuſta* CVRAVIT. Suâ præsẽtiâ, ſuoq; luctu funeris curã egit, noſq; docuit, quãta ſint curâ mortui proſequendi.

D. Ambroſius.

Reſpha defunctorum filiorum magnâ curâ corpora cuſtodiuit.

10 Non eſt hic ſilentio prætereunda Reſpha, cuius filij, cùm ad vlciſcendum Saul eorum parentis delictum, quo Gabaonitas iniuſtè perſecutus fuerat, Dauidis iuſſu ipſis traditi fuiſſent Gabaonitis, qui eos in patibulis ſuſpenderunt, ſuſpẽſoſq; auibus, ac beſtijs laniandos reliquerunt, ad montem, vbi crucifixi fuerant, pia mater cucurrit, eorumq; cadauera, non recedens à patibulis, ut aues, belluaſq; abigeret, cuſtodiuit. *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſuprà petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. 10. Mirum, quòd mulier, quæ Regis vxor fuerat, iuxtà patibula moraretur, & humi cubans, adeò aſſiduâ curâ ſuſpenſorũ cadauera ſeruaret! Nõnè incongruum erat, quòd tantâ nobilitate prædita ignobiliter pendentia cadauera cuſtodiret? Nõnè indecens videbatur, quòd quæ in Regis aulâ conſueuerat habitare, rupem incoleret patibulis propinquam? Nonnè tandem inconueniens erat, quòd nocte, ac die volucres, feraſq; abigens, in monte fœmina perſeueraret? Nequaquam; hæc enim ei perſuaſit cura, quâ mortuis filijs pietatem impendere decreuit. Appoſitè Caietanus. *Maternus amor deſcribitur tantus, ut quæ fuerat vxor Regis, in rupe habitauerit, extensâ rudi telâ deſuper, ex quâ fieri ſolent ſacci,* AD CVRAM HABENDAM *aſſixorum corporum, ne à feris, aut auibus morderentur.* Eam Reſpha defunctorum filiorum curam egit, vt humi cubare, montem incolere, ac iuxtà patibula reſidere voluerit, ut eorum cadauera cuſtodiret.

Caietanus.

Accuratè antiqui funera curabãt mortuorum.

11 Ad hanc etiam curam ſpectant obſequia, quibus antiqui cadauera honorabant mortuorũ, quæ accuratè ab eis exhibita fuiſſe, paſſim teſtantur tam ſacri, quàm profani authores. D. Epiphanius de vitâ, & interitu Prophetarum, loquens de ſepulturâ Iſaiæ. *In perennem*, inquit, *eius rei memoriam populus* ACCVRATÈ *prophetam iſthic ſolo cum gloriâ, & honore reddidit.* Euſebius Cæſarienſis lib. 7. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 7. *Sanctorum corpora manibus erectis, ſupiniſque excipere, gremio ſuo reponere, occludere oculos, ora obturare, geſtare humeris cadauera, decenter ornare, illis adhæreſcere, amicè complecti, lauare* ACCVRATÈ *& linteo funebri inuoluere non grauati ſunt.* Apuleius lib. 8. metamorphoſeon. *Tunc properè familiares miſeræ Charites* ACCVRATISSIMÈ *corpus ablutũ, vnitâ ſepulturâ ibidem marito perpetuam coniugem reddidere.* Vides quantâ curâ cadauera conſueuerant honorare defunctorum?

D. Epiphanius.

Euſebius Cæſarienſis.

Apuleius.

Athenienſibus magna ſepulchrorum cura fuit.

12 Egregij quoq; in curâ iſtâ fuerunt Athenienſes, qui tam accuratè cenſebant à viuis honorandos eſſe defunctos, ut eos etiam, qui præliantes occubuiſſent, magnâ curâ ſepeliendos eſſe putarent. Quam ſepulturam ſi Duces neglexiſſent, capite ab eis rigidè plectebantur. Refert hoc Cœlius Rhodiginus lib. 7. Antiqu. lect. cap. 19. *Apud Athenienſes ſepulchrorum* TANTA CVRA FVIT, *ut etiam peremptos bello ſi quis dux honeſtare ſepulchro neglexiſſet, capite plecteretur.* Magna cura fuit, quâ mortuis honores contulerunt ſepulchrales; dum mortis pœnâ eos mulctabant, qui hanc illis negligebant impendere pietatem.

Cœlius Rhodiginus.

Sinæ multâ curâ exequias celebrabant defunctorum.

13 Sed & Sinæ ſuorum multâ curâ exequias celebrant defunctorum, quorum cadauera, ſi extrà patriam eos occumbere contigerit, ad patrium ſepulchrum efferunt, omnemque diligentiam, & ſumptum adhibent, ut honorificâ ſepulturâ decorentur. Porrò Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap. 7. ita de illis loquitur. *Si aliquem extrà patriam extingui contigerit, is, cui* FVNVS CVRANDVM INCVMBIT, *nullum non lapidem mouet, nec vili ſumptui parcit ad cadauer in patriam remittendum, aut reuehendum, quò in auitum tumulum inferatur.* Expende, quâ curâ funera ducant, exequias celebrent, & cadauera efferant mortuorum.

Nicolaus Trigautius.

Apud Indos eliguntur Philoſophi, qui curã habeant mortuorum.

14 Memoriâ etiam digna eſt Indorum conſuetudo, qui cùm vniuerſam Rempublicam in ſeptem claſſes, ſeu ordines diſtinguant, primus ordo eſt Philoſophorum, qui ab omni alio opere immunes, huic tantùm rei vacant, ut ſacrificia Dijs offerant, & defunctorum curam habeant. Ex quo patet, quàm accuratè defunctis pietatem impendant, dum nobiliores apud eos eliguntur, ac ſapientiores viri, qui eis parentent. Subdo verba Ioannis Boẽmi lib. 2. de moribus Gentiũ cap. 8. *In ſeptem ordines olim diuiſa vniuerſa gens fuit, quorum primus philoſophorum erat, qui cæteris numero pauciores, honore, & dignitate apud Reges longè anteibant. Hi ab omni opere immunes, neque ſeruiunt cuiquã neq; imperãt, recipiuntq; à priuatis ea, quibus ſacra Dijs faciant, &* CVRAM HABEANT DEFVNCTORVM. Tantâ curâ pietatem defunctis impendunt, ut Philoſophos eligãt honore, ac dignitate præſtantes, ut eis accuratè parentent.

Ioannes Boemus.

Hoſtibus quoque defunctis cura debetur.

15 Illud nouiſſimè addendum mihi videtur, viuorum curam ita mortuis deberi, ut hoſtes quoque ſuperſtites hoſtium interdum curam habuerint mortuorum. Profectò Cæſar Pompeij caput ſibi oblatum accuratè cremari, pretioſiſque

odori-

Valerius Maximus.

odoribus condiri præcepit. Vndè Valerius Maximus lib. 5. cap. 1. ait. *Caput plurimis, & pretioſiſſimis odoribus cremandum* CVRAVIT. Idemq; Antigonum ibi refert cum Pyrrho egiſſe defuncto. *Humo caput ſublatum, gauſeâ, quâ velatum caput ſuum more Macedonum habebat, texit, corporiq; Pyrrhi redditum honoratiſſimè cremandum* CVRAVIT. Alexander quoque magnâ curâ Darij hoſtis exequias celebrari præcepit. Quare Diodorus Siculus lib. 17. Bibliothecæ ait de illo CVRAVIT, *uti pompâ, & more regio ſepeliretur*. Ea mortuis cura debetur à viuis, vt hoſtibus quoque accuratè pietatem debeant exhibere defunctis. Per hæc igitur cura, quâ mortui ſunt honorandi, ſatis declaratur.

Diodorus Siculus.

CAPVT III.

Diligenter debent viui pietatis obſequia præſtare defunctis.

Ioſeph Arimathæus Christi diſcipulum ſe prodidit, ut eius funus diligẽter curaret.

1 Diligentiam defunctis debitam Ioſeph in primis probat Arimathæus, qui cùm eſſet occultus Chriſti diſcipulus, eumque palam ſequi ob Iudęorum metum non auderet, ut eum vidit defunctum, Pilatum adijt, cadauer petijt, omnique metu depoſito, illud honorificè ſepeliuit. *Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathæâ, eò quòd eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum, ut tolleret corpus Ieſu, & permiſit Pilatus. Venit ergò, & tulit corpus Ieſu.* Ioan. 19. 38. Iurè meritò poteſt quis hìc mirari, quòd diſcipulus, qui vſque ad Chriſti mortem fuerat occultus, eo mortuo ſe manifeſtaret. Vt quid qui tantopere, Chriſto viuente, metuerat, eo mortuo metum omnem à ſe ablegauit? An id egit, ut dum ſe proderet, maiorem defuncto magiſtro poſſet exhibere pietatẽ? Hoc voluit Paſchaſius in cap. 27. Matth. *Quamuis priùs eſſet occultus Chriſti diſcipulus, ac ſoleret in audiendo verbum Dei eorum inimicitias vitare, mox in extremo temporis fecit palam* CVM OMNI DILIGENTIÂ, *quod priùs occultum ſeruabat, & exhibuit liberaliſſimè officium funeris, nihil curans de Iudæorum offenſione.* Animi metum depoſuit, Iudæorum minas neglexit, mortis pericula cotempſit, ut Chriſtum accuratè ſepeliret, eiuſque funus diligenter curaret.

Paſchaſius.

Parem diligẽtiam in eodẽ funere Chriſtus adhibuit.

2 Nec minorem in hoc opere adhibuit diligentiam, qui ſe illi ſociauit, Nicodemus, aromata ferens pretioſa quibus diuinum cadauer condiret, ac linteis inuolutum piè ſepeliret. *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum noctè primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum.* Ioan. 19. 39. Quis enim laudabilem huius viri non agnoſcit diligentiam, qui tot impenſis aromata emit, & nihil Iudęorum rabiem veritus, eis crucifixi magiſtri cadauer honorauit? Certè illius, ut & Ioſeph Arimathæi diligentiam Euangelium commendauit, quapropter ait D. Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 3. *Laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum* DILIGENTER, *atque honorificè tegendum, ſepeliendumque curarunt.* Omnis eſt adhibenda diligentia, cùm de pietate agitur mortuis exhibendâ, vndè Ioſeph, & Nicodemus præclaris laudibus in Euangelio attolluntur; quia diligenter Chriſto pietatem exhibuerunt defuncto.

D. Auguſtinus.

Magdalena diligenter ad ſepulchrũ feſtinauit.

3 Hos imitata eſt quoque Magdalena, quæ vix tranſactâ Sabbati feſtiuitate, ad ſepulchrum, cùm adhuc noctis tenebræ non abſceſſiſſent, feſtina cucurrit, ut aromatibus, quæ parauerat, mortuum honoraret Magiſtrum. *Vnâ autem Sabbati Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum.* Ioan. 20. 1. Cur dici lucem non expectauit, ut iter illud tutiùs peragere poſſet? Cur nocturno tempore montis horrores adire non dubitauit? Cur denique dum cæteri ſomno indulgebant, exurgens ad monumentum perrexit? Vt maiori diligentiâ Chriſto pietatem exhiberet defuncto. Audiamus Albertum Magnum hęc ſcribentem. *Valdè manè venit ad monumentum, cùm adhuc tenebræ eſſent, ſuæ inquiſitionis oſtendens* DILIGENTIAM. Suam oſtendit diligentiam, dum Solis ortum non expectauit, ſed noctis tempore, cùm cæteri dormirent, vigilans ad ſepulchrum cucurrit.

Albertus Magnus.

Coniugi defunctæ Iacob titulum diligenter erexit.

4 Rahelem coniugẽ, cùm proficiſceretur Bethel, partûs doloribus correptam Iacob amiſit, & defunctam ſepeliens, titulum ſuper ſepulchrũ eius erexit. *Erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius: hic eſt titulus monumenti Rachel vſque in præſentem diem.* Gen. 35. 20. Quem ſanè titulum Hebræorum more monumento inſculpſit, qui ſedulâ diligentiâ mortuis propinquis conſueuerant exhibere pietatem. Aptè Dionyſius Carthuſianus. *Erexit Iacob titulum, hoc eſt notabile, memorialeque ſignum ſepulturæ Rachelis ſuper ſepulchrum eius. Hebræi autem ſemper fuerunt* SPECIALITER DILIGENTES *de honorificâ ſepulturâ ſuorum, tanquam fidem habentes vitæ ſequentis, & reſurrectionis futuræ.* Singulari diligentiâ ea curanda ſunt, quæ ſpectant ad mortuos, vndè in eorum ſepulchris extruendis fuerunt ſemper Hebræi ſpecialiter diligentes, quapropter etiam dum peregrinabatur, coniugi mortuæ Iacob honorificum titulum diligenter erexit.

Dionyſ. Carthuſ.

Iacob à filio de transferẽdo ſuo cadauere iuramẽtum exegit, ut rem diligentius exequeretur.

5 Ex his lucem accipient verba, quæ dixit idem Iacob filio ſuo, cùm morti propinquus ab eo poſtulauit, ut ſuum cadauer ex regno Ægypti ad Chananęorum terram transferret, ut ibi poſſet in proprio humari ſepulchro. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, ut non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hac, condasque in ſepulchro maiorum meorum. Cui reſpondit Ioſeph, Ego faciam, quod iuſſiſti, Et ille, Iura ergò, inquit, mihi.* Gen. 47. 30. Cur enim hoc iuramentum ab obſequentiſſimo filio moriens pater exegit. An quia ſimplicibus eius verbis non credebat,

qui

Digitized by Google

quibus eius promiſerat implere voluntatem? Nequaquam; ſed vt filius iuramento ſe cernens obſtrictum, ad paterni cadaueris translationem diligentiâ maiori eam exequeretur. Hoc debeo Abulenſi. *Iura, inquit, mihi, id eſt licet ego credam ſimplicibus verbis tuis, tamen volo, quòd iures, vt magis te obligatum eſſe perpendens, hanc rem* DILIGENTIVS EXEQVARIS. Diligentem filium in pietate ſibi mortuo exhibendâ Iacob optauit, ideóque non ſimplicem promiſſionem, ſed iuramentum ab eo de transferendo ſuo cadauere ad patrium ſepulchrum exegit.

Abulenſis.

6 Nec certè ſuâ ſpe ſanctus ſenex eſt fruſtratus, nam cuncti eius filij, quos etiam comitati ſunt primores Aegypti, ad ſepulchrum, quod optauerat, eum tranſtulerunt, & quæcumque iuſſerat, adamuſſim impleuerunt. *Fecerunt ergò filij Iacob, ſicut præceperat eis, & portantes eum in terram Chanaan, ſepelierunt eum in ſpelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in poſſeſſionem ſepulchri ab Ephron Hethæo contrà faciem Mambre*. Gen. 50. 12. Quæ omnia cur in diuinâ ſcripturâ obſeruantur, niſi, vt diligentiam agnoſcamus, quâ filij pietatem patri exhibuerunt defuncto? Optimè idem Abulenſis. *In hoc notatur* DILIGENS *conſummatio præcepti in opere, quia filij Iacob omnes iuerunt ad tumulationem patris, vt ipſe præceperat*. Diligenti pietate præditi filij patris funus curauerunt, eiuſque cadauer laborioſo itinere ad patrium ſepulchrum iuxtà illius præceptum tranſtulerunt.

Filij Iacob eius cadauer diligenti pietate ad patrium ſepulchrum tranſtulerunt.

Abulenſis.

7 Hùc ſpectabant ſancti Patriarchæ antiquæ legis, cùm filijs, ac poſteris præcipiebant, vt ſua cadauera ſepelirent in proprio ſepulchro. Nec enim tantùm Iacob, ſed & Ioſeph eius filius hoc poſteris mandauit, & exequendum reliquit. *Cùmque adiuraſſet eos, atque dixiſſet. Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea de loco iſto, mortuus eſt* Geneſ. 50. 24. Quin & Tobias tam ſui, quàm cadaueris vxoris curam filio mandauit. *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli*. Tob. 4. 3. *Cùm autem & ipſa compleuerit tempus vitæ ſuæ, ſepelias eam circa me*. Tob. 4. 5. Vt quid enim tantâ curâ ſancti iſti patres filijs cadauerum ſuorum ſepulturam commendabant, niſi vt eos redderent in ſuis funeribus celebrandis diligentes? Egregiè Rupertus Abbas in cap. 19. Ioannis. *Nonnè ſancti, & magni patres, ſiue Patriarchæ de ſepeliendis, vel etiam transferendis corporibus ſuis* DILIGENTER *mandauerunt, & magno illis fuit ſepeliri, & non tantùm vbicumq; ſed in ſepulchris patrum ſuorum?* Hoc iubebant ſanctitate præditi Patres filijs ſuis, vt ſua diligenter cadauera ſepelirent, atq; ad propria monumenta mortuis exhibendâ diligentes.

Antiqui Patres filijs præcipiebant, vt diligenter ſua cadauera ſepelirent.

Rupertus Abbas.

8 Non eſt hìc prætereunda pietas, quâ Petrus audiens à Magdalenâ Chriſti cadauer è monumento ſublatum fuiſſe, ad monumentũ cucurrit, in illud introiuit, linteamina reſpexit, & omnia demùm accuratè conſiderauit. *Venit ergò Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum*. Ioan. 20. 6. Animaduerte diligentiam, quâ Petrus Chriſti cadauer quæſiuit, dum ſepulchrum ingreſſus, tam ſtudioſè omnia conſiderauit. Iurè profectò eam his verbis commendauit D. Ioannes Chryſoſtomus homil. 84. in Ioannem. *Feruore quodam ingreſſus* OMNIA QVAESIVIT DILIGENTER, *& ampliùs quiddam vidit, & tunc conſolatus eſt videndo linteamina poſita, & ſudarium ſeparatim reuolutum, quod* BENE' DILIGENTEM *arguebat*. Magnam Petrus diligentiam in Chriſti cadaueris inquiſitione adhibuit, qui lapidem cernens reuolutum, introſpexit, & ſudarium, ac linteamina tantâ eſt ſolicitudine contemplatus.

Petrus Chriſti cadauer diligenter quæſiuit.

D. Io. Chryſ.

9 Quâ diligentiâ preditus quoq; fuit Ioannes, ad quem Magdalena cucurrit, quia credidit eum fore præ alijs diligentiorem in corpore Chriſti quærendo, qui præ alijs fuerat ab eo viuente dilectus. Rectè Cornelius à Lapide. *Cucurrit ad Simonem Petrum, tanquam Apoſtolorum primum, & iam à Chriſto deſignatum ſuum vicarium, & ſucceſſorem, & ad Ioannem, quem ſciebat præ alijs diligi, ac proinde fore* DILIGENTIOREM *in exquirendo Chriſti corpore, quod iam è ſepulchro ſublatum deprehenderat, præſertim quia viderat Ioannem aſſiſtere cruci, ac promdè magis curaturum, & indagaturum corpus Chriſti*. Diligentiſſima mulier non ad omnes Apoſtolos cucurrit, ſed ad eos, quos in cadauere quærendo credidit fore diligẽtiores, nouerat quippè omnem adhibendam eſſe diligentiam ab illis, qui iuam defunctis impendunt elementiam.

Ioannis diligentia ergà Chriſtum defunctum.

Corn. à Lap.

10 Neque obſtat currentis mulieris diligentiæ, quòd tantùm tertiâ die cum aromatibus ſe feſtinauerit ad ſepulchrum. *Vnâ autem Sabbati Maria Magdalene venit mane, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum*. Ioan. 20. 1. Non enim hęc mora negligentiam aliquam in eâ arguit, cùm eam ſolùm ob cauſam cunctata fuerit, quia lege Sabbati, ne longum iter ſumeret, ſe detineri credidit, quam ſi violare non timuiſſet, vtique tertiam diem non expectaſſet, ſed confeſtim defuncto magiſtro diligentiſſimè ſuam pietatem exhibuiſſet. Approbat hoc D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 44. *Non remanſiſſet domi, nec à monumento abfuiſſet* DILIGENTISSIMA *illa mulier, niſi lege Sabbati detenta fuiſſet*. Diligentiſſima in honore, quem Chriſti ſepulturæ impendit, Magdalena fuit, ac proindè ſtatim ac tranſacto Sabbato potuit, ad Chriſti monumentum aromata portauit.

Magdalena diligentiſſima ad ſepulchrũ poſt Sabbatũ feſtinauit.

D. Cyr. Al.

11 Adduxit Dominus Ezechielem Prophetam in campum cadauerum oſſibus plenum, ut eis vitæ ſpiritum communicaret. Quò cùm Propheta perueniſſet, circumductus eſt per oſſa, vt ea ſcrutaretur. *Dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus, & circumduxit me per ea in gyro*. Ezech. 37. 2. Cur Deus Prophetam in gyrum circumduxit, vt oſſa viuificaret mortuorum?

Ezechiel in gyrum deducitur vt mortuos diligenter conſideraret.

Ec rum?

rum? Nonnè poterat ſtatim ad campum perueniens, ſpiritum inuocare, ac pro eorum vitâ Deum deprecari? Quare igitur iuſſus eſt campum vniuerſum, antequam oraret, circuire? An vt feruentiùs pro defunctis oraret, dum eorum cadauera diligentiùs inſpiceret? Huc alluſit Dionyſius Carthuſianus. *Circumduxit me per ea in gyrum, vt omnia* DILIGENTIVS *conſiderarē.* Diligenter vult Deus mortuis exhiberi pietatem, vndè vt Ezechiel diligentiùs pro mortuorum viuificatione ſpiritum inuocaret, iuſſit ei, vt campum circuiret, & omnia ſedulò ſcrutaretur.

Dionyſ. Cart.

Martyres in perſecutione Vuandalicâ diligenter ſepulti.

12 Huius diligentiæ ſpecimen egregium exhibuerūt in perſecutione Vuandalicâ Catholici Carthaginenſes, qui ſanctorum Martyrum corpora in mari iactata, & ab æquore litori diuino iuſſu reddita lætantes ſuſceperunt, & diligenter ſepulchro mandauerunt. Rem ſcribit in Bibliothecâ veterum Patrum Victor Vticenſis lib. 3. de perſecutione Vuandalicâ. *Gaudens autem, quæ aderat, multitudo, corpora ſanctorum Martyrum* DILIGENTI TRADIDIT SEPVLTVRAE, *præeunte clero venerabili Carthaginenſis Eccleſiæ*. Verè diligentes fuerunt, qui nec à perſequentibus Vuandalis, nec à trucidante tyranno territi, mortis diſcrimini ſe obiecerunt, ne mortuos omitterent ſepulturæ honore fruſtratos.

Victor Vticēſis.

B. Aurea corpus diligenter tumulatum.

13 Non diſſimilem adhibuit B. Honorius diligentiam, Beatæ Aureæ cadauer à ſatellitibus proiectum ſepulturæ honore afficiens. Cuius pietatis officium refert B. Petrus Damianus l. 1. Epiſt. 9. *Cùm Beata Aurea apud Oſtiam ciuitatem, ſaxo ceruicibus alligato, in marinis fluctibus martyrium conſummaſſet, Beatus Honorius ſanctum cadauer piâ deuotione collegit, &* CVM OMNI DILIGENTIA TVMVLAVIT. Vides, quâ diligentiâ ſancti defunctis obſequia impenderint pietatis? Diſce igitur cum omni diligentiâ neceſſitatibus mortuorum miſerationem deberi viuorum.

Petrus Damianus.

Athenienſes diligenter pugnantium pro patriâ cadauera ſepeliebant.

14 Quod ſi etiam à Gentilibus diſcere velimus, quis Athenienſium ergà defunctos diligentiam ignorat, qui militum cadauera pro patriâ in prælio decedentium ſolicitè inquirebant, & diſperſa quoque illorum oſſa ingenti ſtudio colligebant, vt ſepulchralibus ea honoribus cumularent? Certè Lilius Gregorius Gyraldus lib. de vario ſepeliendi ritu hæc habet. *Cùm occiſorum pro patriâ cadauera minùs aſſequi poſſent, diſperſa eorum oſſa, & diſſipata* DILIGENTER EXQVIRERE, *& humo mandare cura fuit*. Summam ergà mortuos gratitudinem oſtendebant, & omnem, vt eos honorarent, diligentiam adhibebant, agnoſcentes ea, quæ ſpectant ad defunctos, omni ſemper ſolicitudine, ac diligentiâ eſſe implenda.

Gyraldus.

Alexandri diligentia in Hephæſtionis funere.

15 Quid dicam de Alexandri diligentiâ in curando funere amici Hephæſtionis extincti? Profectò ea fuit, vt, teſte Diodoro lib. 7. Bibliothecæ, omnes ſiue ante ſe præteritas, ſiue poſt ſe futuras funebres pompas longè ſuperauerit. *Totus ſe ad Hephæſtionis funus celebrandum conuertit*, TANTAQVE IN EO DILIGENTIA EST VSVS, *vt non tantùm prioris ætatis quaſcumque eiuſmodi funebres pompas ſuperauerit, ſed & poſteris excedendi, quod ipſe feciſſet, facultatem nullam reliquerit*. O' ingentem inuicti, ac maximi Ducis, ac Regis diligentiam, quâ defuncti amici funus ita honorauit, vt omnem voluerit aliorum funerum ſuperare pompam, ac celebritatem, nulli, quantumuis immenſo, aut ſumptui parcens, aut labori.

Diodorus.

Charites defunctum maritum diligēter colebat.

16 Non poſſum, dum hæc recolo, ea ſupprimere, quibus Charites defunctum plorabat maritum, cuius imaginem diuinis honoribus eam affixo ſeruitio coluiſſe, tradit Apuleius lib. 8. metamorphoſeon. *Imaginem defuncti, quam ad habitum Dei Liberi, formauerat, affixo ſeruitio, diuinis percolens honoribus, ipſo ſe ſolatio cruciabat*. Quæ verba explicans Philippus Beroaldus, ait. *Affixo ſeruitio, accipe pro cultu à* DILIGENTI *ipſius Charites in colendo marito*. Diligenter defunctum maritum colebat, eique aſſiduo luctu ſolicitè admodùm parentabat.

Apuleius.

Beroaldus.

Miſeno iuſta funebria milites diligēter exhibuerunt.

17 Debeo etiam hic apponere diligentiam, quâ Aeneas cum ſocijs funus Miſeni curauerunt, cui luctu ingenti exequias celebrauerunt, & rogum cremando cadaueri multâ ſolertiâ conſtruxerunt. Quare de illis cecinit Virgilius lib. 6. Aeneidos.

Ergò omnes magno circum clamore fremebant,
Præcipuè pius Aeneas, tùm iuſſa Sibyllæ,
Haud mora, feſtinant flentes, aramque ſepulchri
Congerere arboribus, cæloque educere certant.

Virgilius.

Donatus.

Quæ expendens Donatus, hæc addit. *Maiorem de ipſis* DILIGENTIAM, *ac laborem exigebat in ritum mortui*. Mortuus amicus militum diligentiam in exhibendo funere exigebat, ideòque tam pio luctu, ac tantâ celeritate iuſta illi funebria impenderunt.

Multùm apud Deū valent obſequia pietatis exhibita mortuis.

18 Addo in calce Capitis cum D. Auguſtino lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 3., vt magis homines excitem ad pietatem defunctis diligenter exhibendam, multùm hanc apud Deum diligentiam valere, multamque ſperare poſſe homines ex illâ retributionem. Nec enim ſine præmio Deus ea negliget, quæ tantâ mortuis diligentiâ exhibentur. *Neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officij,* DILIGENTIAEQVE *perſoluitur*. Remunerat Deus diligentiam, quâ mortuorum miſeremur, ita vt ratione quoq; huius remunerationis diligenter debeant viui pietatis obſequia præſtare defunctis.

D. Auguſtinus.

CA-

CAPVT IV.

Mortuis certatim miſericordiam largiri tenemur.

Senatus certatim progreſſus eſt in honorandâ memoriâ Augusti.

1 ADeò verum eſt mortuis viuos debere pietatem, vt certatim eam illis exhibere teneantur. Quod in funere Octauij Augusti Romani probauerunt Senatores, quorum ſtudio ita defunctus honoratus eſt, vt vniuerſi certatim pietatis obſequia ei exhibenda meditarentur. Quapropter cùm eorum ſententiæ non conuenirent, & vnuſquiſq; præ alijs eum honorare geſtiret, neceſſe fuit honoribus modum adhibere. Narrat hoc in eius vitâ cap, 100. Suetonius his verbis. *Senatus & in funere ornando, & in memoriâ honorandâ eo ſtudio* CERTATIM PROGRESSVS EST, *vt inter alia complura cenſuerint quidam funus triumphali portâ ducendum, præcedente Victoriâ, quæ eſt in curiâ, canentibus næniã principum liberis vtriuſq; ſexûs. Alij exequiarum diſponendos annulos aureos, ferreoſq; ſumendos, non nulli legenda oſſa per ſacerdotes ſummorum collegiorum. Fuit & qui ſuaderet appellationem Menſis Auguſti in ſeptembrem transferendam, quòd hoc genitus Auguſtus, illo defunctus eſt. Alij, vt omne tẽpus à primo die natali ad exitum eius, ſæculum Auguſtum appellaretur, & ita in faſtos referretur. Verùm adhibito honoribus modo bifariam laudatus eſt.* Vides quo ſtudio certauerit defuncto imperatori parentare, illiq; pietatem exhibere ſenatus?

Suetonius.

Populus Romanus certatim æs contulit pro funere Fabij Maximi.

2 Nec tantùm ſenatum, ſed & populum quoque Romanum hanc pietatem defunctis certatim exhibuiſſe reperio. Nam vt Q. Fabium Maximum pompâ funeris maiori exornaret, eiuſq; cadauer formoſioribus exequijs honoraret, certatim pecuniam, quæ pro amplo funere ſufficeret, contulit, ſicque conſularem, ac benè meritũ virum egregiâ pietate decorauit. *Magnum*, inquit Valerius Maximus lib. 5. cap. 2. *Grati populi Romani ſpecimen in Q. Fabio Maximo enituit, nã cùm quinq; conſulatibus ſalubriter Reipublicæ adminiſtratis deceſſiſſet,* CERTATIM AES CONTVLIT, *quò maior, ac ſpecioſior eius funeris pompa duceretur.* Pecuniam, non quomodocumque, ſed certatim pro mortuo populus Romanus erogauit; ſunt enim certatim exhibenda ea, quæ in gratiam defunctorum exhibentur.

Valerius Maximus.

Marcio milites tumulum certatim congeſſerunt.

3 Hùc etiam ſpectat funus, quo C. Marcio interfecto eius milites regio more parentauerũt. Cùm enim eum clariſſimi viri ſuis humeris extuliſſent, ac totius populi mœſtitiâ ad rogum deduxiſſent, ibi eum cremauerunt, & pro condendis cineribus nobile, atq; inſigne monumentum certatim erexerunt. Audiamus, quid funeris pompam deſcribens dicat Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 8. Antiquit. Roman. *Iuuenes bellicis facinoribus clariſſimi eum in lecticâ ſuis humeris extulerunt, mæſto, ac lachrymante populo funus deducente ad rogum constructum in præcipuo ſuburbio. Ibi cæſis pecoribus, cæteriſque peractis, quæ regibus, aut ducibus ſuper rogo ſolent fieri, amiciſſimi quique aſtiterunt, donec flamma langueſcens ſubſediſſet, deindè collectas reliquias eodem loco inhumarunt, & inſuper tumulum altum* CERTATIM CONGESSERVNT, *monumentum inſigne futurum.* Certatim honorandi ſunt ſuperſtitum pietate defuncti, ideòque Caij Marcij cineribus eius milites tumulum certatim erexerunt.

Dionyſ. Halicarnaſſeus.

Gerrhi ſuis regibus certatim pietatẽ impendunt.

4 Quod & ſuis Regibus Gerrhos præſtare inter Scythas Herodotus lib. 4. teſtatur. Eos nimirùm, cùm vitâ funguntur, multis ritibus honorant, ac demùm tumulo terram certatim injiciunt, vt inſigne memoriæ defuncti erigant monumentum. Subdo verba Herodoti. *His actis, humum* CERTATIM, ATQVE AVIDÈ INIICIVNT, *cupientes tumulum quàm maximum efficere.* Animaduerte Gentem quoque barbaram, cùm de pietate agitur mortuis exhibendâ, barbariem exuere, ac certatim eorum tumulos conſtruere, ac funera curare.

Herodotus.

Ioannem Coruinum mortuum certatim Vngari luxerunt.

5 Non eſt hìc omittenda pietas, quâ per vniuerſam Vngariam Ioannem Coruinum Chriſtiani plorauerunt defunctum, quem ſupremis titulis honorantes, ac iuſtis funebribus decorantes, omnes certatim lugebant. Rem dabo, ut eam tradit Bonfinius lib. 8. Dec. 4. apud Theatrum vitæ humanæ volum. 3. lib. 9. *Aliqui propugnatorem fortiſſimum, milites inuictiſſimum Imperatorem, omnes patriæ patrem* CERTATIM LVGENDO *ingeminabant, quòd ſibi beneficijs Vngaros immortalibus obſtrinxiſſet.* Agnoſce diligentiam, quâ Vngari pro acceptis beneficijs defuncti memoriam excolebant, qui eum certatim luctu, atque honorificis titulis decorabant.

Bonfinius.

Imperatoribus mortuis certatim munera deferebantur.

6 Eamdem, quin & maiorem in funeribus Imperatorum diligentiam Romani adhibebant, quibus defunctis, præter alios honores, quos exhibebant, aromata, herbas odoratas, aliaque ſuprema huiuſmodi munera largiebantur. Affero verba Herodiani lib. 4. ita loquentis. *Lecto in ſecundum tabernaculum ſublato, aromata, & ſuffimenta omnis generis, fructuſque, herbaſque, & ſuccos omnes odoratos conquirunt, atque aceruatim effundunt. Quippè neque gens eſt, neque ciuitas, neque qui honore vllo, aut dignitate præcellat, quin* CERTATIM *per ſe quiſque ſuprema illa munera Principis honori deferat.* Suo principi maximam pietatem impendunt, eumque defunctum funereis muneribus certatim honorant.

Herodianus.

Indorum mulieres certãt, vt cum maritis comburãtur.

7 Quid dicam de Indorum mulieribus, quæ vt ſuam ergà defunctos viros pietatem declarent, certant, quænam fuerit à marito, cùm viueret, magis dilecta, vt poſſint ad eius rogum cremari, & vnà cum eo ſepeliri? Teſtatur hoc Cicero lib. 5. Tuſculan. quæſt. *Mulieres in Indiâ, cùm eſt cuiuſquam earum vir mortuus,* IN CERTAMEN *iudiciumque veniunt, quam plurimùm ille dilexerit. Plures enim ſingulis ſolent eſſe nuptæ. Quæ eſt victrix, ea læta, proſequentibus ſuis, vnà cum viro in rogum imponitur, illa victa, mœſta diſcedit.* Vitam ipſam, vt defuncto viro pietatem impendant, conte-

Cicero.

muunt, & ſimul cum eo in eadem pyrâ cremari certatim peroptant. Quod & docuit Propertius li. 3. Elegiâ de Auaritiâ puellarũ his carminibus.

Propertius.

Namque vbi mortifero iacta eſt fax vltima lecto,
Vxorum fuſis ſtat pia turba comis.
Et CERTAMEN HABENT LETHI, *quæ viua ſequatur*
Coniugium. Pudor eſt non licuiſſe mori.

Vide, an iſtæ mulieres certatim ergà defunctos coniuges ſe ſe pias oſtendant.

Miſeno amico, & Anchiſæ patri defũcto Aeneas cum ſocijs certatim parentauit, quod & Latini ſait mortuis fecerant.

8 Virgilius etiam ſæpè hoc certamen in pietate mortuis exhibendã deſcripſit. Vndè loquens de anniuerſariâ pompâ, quâ Aeneas cum ſocijs Anchiſæ patri parẽtauit, hæc li. 5. Aeneid. habet.

Virgilius.

Nec non & ſocij, quæ cuique eſt copia, læti
Dona ferunt, onerantq; aras, mactantq; iuuencos.

Lambertus Hortenſius.

Quæ carmina explicans Lambertus Hortenſius, ait. *Narrat, quo quiſque ſtudio* CERTATIM *ſuo munere fungebatur, vt nemo, niſi ignauus, otioſus deſideret.* Certatim cum Aenea reliqui etiam milites munera, & pecora offerebant, quibus pro mortuo Anchiſa feralia ſacrificia afferrentur. Sed & de funere Miſeni loquens li. 6. Aeneidos, dixit.

Virgilius.

Haud mora, feſtinant flentes, aramque ſepulchri
Cõgerere arboribus, cæloq; educere CERTANT.

Iodocus Aſcẽſius.

Vbi Iodocus Aſcenſius ait. CERTANT, *id eſt* CERTATIM *conantur congerendo extruere pyram funebrem.* Vt extincto Miſeno pietatem impenderent, arbores congerere, pyram componere, atque aram extruere omnes certabant. Nec non & lib. 11. Latinorum funera referens, cecinit.

Virgilius.

tunc vndique vaſti
CERTATIM *crebris collucent ignibus agri.*

Ad quæ idẽ Iodocus Aſcẽſius ait. *At vaſti collucent tunc* CERTATIM, *id eſt cum* CERTAMINE *vtriuſq; partis.* Vides vbiq; certamen deſcribi, cũ pietas deſcribitur defunctis impenſa: certatim quippè ſunt mortui à viuis pietate proſequendi.

Alij profani ſcriptores certatim eſſe honorandos defunctos.

9 Sed quid ſingula proſequor? Audi Valerium lib. 3. Argonautic.

Valerius Flaccus.

Intereà innumeras nudatis montibus vrgent
CERTATIM, *decorantq; pyras.*

Ouidius.

Attẽde Ouidij carmina in conſolatione ad Liuiã.

CERTAT *onus luctu generoſa ſubire iuuentus,*
Et ſtudet officio ſedula colla dare.

Silius Italicus.

Pende Silij Italici verba lib. 10. Punicorum.

At ferale decus, mœſtas ad buſta cupreſſos,
Funereas tũ deinde pyras CERTAMINE *texũt.*

Omnes docent, viuos debere ſuâ pietate certatim honorare defunctos.

Certamina in defũctorũ honorem rdata.

10 Hinc mos apud antiquos obtinuit, quo in honorem defunctorum certamina inſtituebant, vt videlicet eos certatim honorarent. Sic Virgilius lib. 6. Aeneidos docet Aeneam in annuis parentalibus, quibus defuncto patri pietatem exhibebat, certamina edidiſſe.

Virgilius.

Prætereà ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiiſque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponã CERTAMINA *claſſis.*

Io. Ludou. Cerda.

Vbi Ioannes Ludouicus Cerda *In honorẽ,* inquit, *mortuorum edi* CERTAMINA, *notius eſt, quàm vt multis indigeat.* Lyſias etiam apud eumdem in oratione funebri pro Athenienſibus bello ab reptis ait. Ἀγῶνας τίθεσθαι ἐπ' αὐτοῖς ῥώμης, καὶ σοφίας, καὶ πλούτου. *In iſtorum laudes* CERTAMINA SVNT CONSTITVTA *virium, ſapientiæ, atque opum.* Homerus Achillem in funere Patrocli certamina inſtituiſſe narrat Iliade 23.

Lyſias.

Homerus.

Flentes terram retrò ibant; at Achilles
Illic populum detinuit, & conſtituit latum CERTAMEN

Alex. ab Al.

Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialiũ cap. 7. *Græcis gymnica* CERTAMINA, *& equeſtria in defuncti memoriam populo dari ſeruatum eſt.* Ammianus Marcellinus lib. 19. *Poſt interureina* CERTAMINA *ad vſq; finem diei protenta, eũm iam noct s eſſet mitium, per aceruos cæſorum, & ſcaturigines ſanguinis ægrè defenſum caligine tenebrarum extrahitur corpus.* Animaduerte quàm ſit certatim defunctis pietas exhibenda, dum tot certaminibus illis antiqui eam exhibebant.

Ammian. Marcell.

In. D. Baſilij funere certatim pietas exhibita.

11 Ne verò videar, dum profanos authores affero, ſacrorum oblitus, audiamus, quid D. Greg. Naziãzenus oratione in laudẽ D. Baſilij de illius funere dicat. CERTABANT *noſtri cum exteris, cum Ethnicis, Iudæis, aduenis, ijq; viciſſim nobiſcum, vtris vberiores lachrymæ vberiorem vtilitatem afferrent.* Vt ſancto Epiſcopo debitam pietatem impenderent extincto, non ſolùm Chriſtiani, ſed & Ethnici, & Iudæi certabant, omnes quippè agnoſcebant, miſericordiæ obſequia certatim eſſe mortuis exhibenda.

D. Greg Naz.

Leones certatim ſepulturã Pauli terram effodientes.

12 Quid? quòd Animalia quoq; ratione carẽtia eo modo, quo poſſunt, certatim defunctis pietatẽ impendunt? Defuncto Paulo primo Eremi cultore, cupiebat Antonius eius cadauer Chriſtiano more ſepelire, at ferrum non habens, quo terrã effodere poſſet, nimis angebatur. At verò deficientis ferri loco duo ex eremo prodiere leones, qui humũ pedibus effodiẽtes, defuncto ſeoi ſepulchrũ effecerunt. Quod autẽ obſeruatione dignũ mihi videtur eſt, quòd feræ iſtæ certatim foueã, in quã cadauer conderetur, effecerunt. Narrat hoc Breuiariũ Rom. ſub die 16. Ianuar. *Duo Leones ex interiore eremo rapido curſu ad beati ſenis corpus feruntur, vt facilè intelligeretur, eos, quo modo poterant, ploratum edere, qui* CERTATIM *terram pedibus effodientes, foueam, quæ hominem commode caperet, effecerunt.* Adeò verum eſt mortuis certatim pietatem deberi, ut ipſæ quoque feræ in eius exhibitione certaſſe dicantur.

Breu. Rom.

Monumenta certauerunt, vt Chriſti cadauer ſuſciperent.

13 Pergo, & addo, ipſa quoq; inanimata certatim eã, quam potuerũt, mortuis impẽdiſſe pietatẽ. Poſtquã Chriſtus, omnib., quæ de illo ſcripto erãt, conſũmatis, ſpiritũ in Patris æterni manus cõmendatum emiſit, monumenta ſunt aperta mortuorum. *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt.* Matth. 27. 52. Cur verò ſe ſe monumenta in Chriſti morte aperuerunt? Vt certatim illius cadauer ſe recipere velle teſtarentur. Ad rem Rupertus Abbas lib. 1. in Deut. ca. 6. *Ad ſuſcipiẽdũ illud* (Chriſti corpus) CERTATIM, *&*

Rupert. Abb.

Digitized by Google

& auidè ſe ſe dilatauerunt. Vt Chriſti cadauer ſuſciperent, eique ſepulturæ locum præberent, certatim Caluariæ ſepulchra ſe ſe aperuerunt. Dum igitur & homines, & bruta, & res inanimatæ certatim pietatem defunctis impendunt, vtique mortuis certatim miſericordiam largiri tenemur.

CAPVT V.

Non debent parcere impenſis, qui mortuis pietatem impendunt.

Iuſſit Iacob filio, vt ſuum cadauer trãsferret ad ſepulchrum patrium, licet hoc fieri non poſſet ſine magnis impenſis

1 HOc etiam ſpectat ad modum, quo viui debent adiuuare defunctos, quòd à ſumptu non abſtineant, dum eis exhibent pietatem. Hoc ſanè indicauit Iacob, cùm antequam ex hac vitâ migraret, Ioſeph præcepit filio ſuo, ut ſuum poſt mortem ad Chananæorum terram corpus transferret, atque in patrio ſepulchro humaret. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub fæmore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, ut non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hac, condaſq; in ſepulchro maiorum meorum*. Gen. 47. 29. Multas vtiq; translatio iſta requirebat impenſas, tùm ob itineris longitudinem, ac difficultatem, tùm quia non decebat Ioſeph, qui dominabatur in Aegypto, ad terram indè alienam exire, niſi à Regni proceribus, ac turbâ multâ comitatum. Adhuc tamen hanc translationem ſanctus ſenex præcepit, quia cùm pietas mortuis exhibetur, non eſſe parcendum impenſis exiſtimauit. Hùc alluſit Lyranus. *Sciebat, quòd hoc non poterat ſine* MAGNIS SVMPTIBVS, *& labore fieri, & nihilominùs hoc præcepit*. Etiam cùm neceſſarij ſunt magni ſumptus, honorandi ſunt viuorum pietate defuncti, & iccircò iuſſit Iacob filio ſuo, ut ſuum cadauer transferret, licet agnoſceret, hoc non potuiſſe ſine magnis ſumptibus transferri.

Lyranus.

Moyſes ut cadauer Ioſeph efferret, aurũ, & argentum contempſit.

2 Hoc quoque Moyſes declarauit, cùm egrediens ex Ægypto, ſecum oſſa Ioſeph ad Chananæorum terram, iuxtà illud, quod moriens præceperat, aſportauit. *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum, eò quòd adiuraſſet filios Iſrael, dicens: Viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcũ*. Exod. 13. 19. Expedit hìc obſeruare, quòd cæteri Hebræi aurum, argentum, & alia pretioſa, quibus Aegyptios expoliauerant ſecum tulerunt. *Petierunt ab Aegyptijs vaſa argentea, & aurea, veſtemque plurimam, Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptijs, vt commodarent, eis, & ſpoliauerunt Aegyptios*. Exod. 12. 35. At verò Moyſes, vt defuncto pietatem impenderet, omnes diuitias contempſit, eiuſque cadauer loco auri, & argenti ſecum tulit. Præiuit nobis in hac obſeruatione Gloſſa ordinaria. *Iudæi infantibus ſimiles aurum, atque argentum ſecum detulerunt, Moyſes verò intemerati animi vir Ioſeph oſſa deportauit*. Vt cadauer efferret, diuitias contempſit, quia nulla eſt habenda cura diuitiarum ab eis, qui funera curant murtuorum.

Gloſſa ordinaria.

Eſau ad patrem ſepeliendum profectus pecuniã ſecum tulit ut in eius funere, ſi opus eſſet, eam impenderet.

3 Profectus eſt Eſau ad terram Chananæorum vt defunctum parentem vnà cum fratre humaret, quod cùm egiſſet, receſſit ad montem Seir, ſecum tollens diuitias omnes, quas in terrâ Chanaã habebat. *Tulit autẽ Eſau vxores ſuas, & filios, & filias, & omnem animam domûs ſuæ, & ſubſtantiam, & pecora, & cuncta, quæ habere poterat in terrâ Chanaan, & abijt in alteram regionem, receſſitque à fratre ſuo Iacob*. Gen. 36. 6. Verùm nonnè & antè mortem patris habitabat Eſau in monte Seir? Profectò Gen. 36. 15. dicitur. *Reuerſus eſt itaque illo die Eſau itinere, quo venerat in Seir*. Igitur in Seir diuitias, & facultates, vbi habitabat, poſſidebat. Cur igitur ex terrâ Chananæorum eò illa trãstuliſſe ſacer hiſtoricus narrat? Quia pecuniam, quam in Seir habebat, ſecum ad terram Chananæorum, vt patris funus celebraret, detulerat. Ita reſpondet Hugo à S. Victore. *Quid eſt, quod dicit, Poſt mortem patris Iſaach totam ſubſtantiam ſuam, quam habebat Eſau in terrâ Chanaan, tuliſſe in montem Seir, & ibi deinceps manſiſſe, cùm antè iam dictum fuerit, quòd Eſau in monte Seir iam habitabat, & indè etiam mouit, vt veniret in occurſum Iacob fratris ſui, & à fratre recedens illùc iterum reuerſus eſt, vt ibi habitaret? Ad quod poſſumus dicere, quod ad funus patris celebrandum* CVM PECVNIA SVA *acceſſit*. Pecuniam ſecum tulit, vt patris funus celebraret, quatenus, ſi opus eſſet, eam impendens, defuncto parenti pietatem exhiberet.

Hugo à S. Victore.

Magdalenã Chriſtus commendauit, quia multa, ut eius ſepulturam honoraret, impendit.

4 Cùm Magdalena Chriſti ſepulturam, pretioſa vnguenta ſuper caput illius effundens, honoraſſet, indignati ſunt diſcipuli, quòd aromata, quæ multo pretio venundari poterant, inutiliter conſumpſiſſet. Quod vt Chriſtus agnouit, ſeuerâ eos reprehenſione obiurgauit, & mulieris pietatem disertè commendauit. *Ieſus autem dixit, Sinite eam, quid illi moleſti eſtis? Bonum opus operata eſt in me?* Marc. 14. 6. Hìc ſciſcitari iuuat, cur adeò hanc Magdalenę vnctionem Chriſtus commendare voluerit. Quid magnum egerat, ſuper caput eius vnguentum effundens, vt proptereà eſſet in orbe vniuerſo, vbicumque prædicaretur Euangelium, hæc vnctio commendanda? Sumptui non pepercit, multamque pecuniam, vt his vnguentis Chriſti ſepulturam honoraret, erogauit, ideòque Chriſtus tot eam laudum præconijs honorauit. Accinit Theophylactus. *Probat autem Chriſtus eius voluntatem*, QVÒD TANTA EXPENDERIT *in nardum*. Illi ſunt commendandi, qui pro mortuis pecuniam impendere non verentur, quare Chriſtus valdè Magdalenam commendauit, quòd tot denarios ad ſuę ſepulturæ honorem impendiſſet.

Theophyl.

Mulieres, ut Chriſtũ vngerent, aromata ementes, in pecuniariũ impenſâ liberales.

5 Nec minorem cæteræ mulieres, quæ vnà cum illâ poſt Chriſti mortem, vt eius cadauer vngerent aromatibus onuſtæ, ad ſepulchrum acceſſerunt liberalitatem oſtenderunt. *Et cùm tranſiſſet Sabbatum Maria Magdalene, & Maria Iacobi,*

Liberalitatem oſtenderunt.

cobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Marc. 16. 1. Multam enim pietatem Chriſto mortuo exhibuerunt, quæ tot pecunias, vt eius cadauer honorarent, impenderunt. Egregiè Victor Antiochenus in Gloſsâ in cap. 15. Marci. *Magnam* In Pecvniarvm Impensa *liberalitatem, & magnificentiam oſtendunt*. Liberaliter pecunias, vt Chriſtum defunctum honorarent, mulieres iſtæ impenderunt, quia omnis pecuniarum amor, cùm de pietate agitur defunctis impendendâ, eſt ablegandus.

Victor Antiochenus.

Ioſeph, & Nicodemus, ne ſumptus parcere viderentur, magiſtrũ defunctũ vngere voluerunt.

6 Hoc Ioſeph, & Nicodemus egerunt, qui Chriſti corpus de cruce depoſitum, antequam in monumento conderent, multis aromatibus condierunt. *Acceperunt ergò corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire*. Ioan. 19. 40. Hæc aromata cadaueribus vngendis adhibebantur, vt à vermibus intacta, & a putredine illæſa diù ſeruarentur. At quid opus erat Chriſti corpus eis condire, quod nullo modo à vermibus lædi, aut à putredine poterat abſumi? Nonnè ſcriptum erat, *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem?* Pſal. 15. 10. Cur igitur aromatibus, quę à corruptione præſeruant, hi ſancti viri ſacrum cadauer perfundere voluerunt? Non id egerunt, quia Chriſti corpus corruptioni cenſerent obnoxium, ſed vt conſuetis tunc expenſis eius ſepulturam illâ vnctione honorarent. Appoſitè Albertus Magnus in cap. 24. Lucæ. *Non contrà putredinis; vel corruptionis fœtorem, quia talem defectum incurrere non potuit, Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem, ſed quia ita mos erat ſepelire corpora carorum amicorum, & cùm eſſent amici*, Expensis Sepvltvrae *deeſſe noluerunt* Ne viderentur parcere ſumptui, defunctum magiſtrum conſuetis vnguentis aſpergere, eiuſque ſepulturam pietatis obſequijs honorare voluerunt.

Albertus Magnus.

Hebræi tot pecunias pro mortuis erogabant, vt multi propterea ſint ad paupertatem redacti.

7 Acceſſit ad Chriſtum Archiſynagogus, cuius filia duodennis mortua erat, eumq; ſuppliciter exorauit, vt illam ſuæ diuinitatis virtute ad priſtinam vitam reuocare dignaretur. Annuit Chriſtus, & ſtatim mœſtum patrem ſecutus, ad domum, in quá defuncta iacebat perrexit. Ad quam cùm perueniſſet, tibicines, ac turbam tumultuantem, quæ mortuam plorabat, inuenit. *Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat, Recedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit*. Matth. 9. 23. Nec mirandum, quòd hos tibicines, hancque turbam plorantem Chriſtus inuenerit, nam hi omnes pretio conducebantur, ut ſuo luctu exequias honorarent mortuorum. Mos enim apud Hebræos vigebat, vt has, aliaſq; multas impenſas in funeribus facerent, adeò vt multi ad voluntariam paupertatem, vt ſuis pecunijs mortuis pietatẽ impenderent, ſint redacti. Teſtatur id ex Ioſephi Sententiâ Albertus Magnus in cap. 8. Lucæ. *Dicitur, quòd eiecit de domo tibicines; conſuetudo enim erat Iudæis in exequijs defunctorum, & planctu multas facere impenſas, ita quòd, ſicut tradit Ioſephus multi* Propter Expensas Defvnctorvm Svorvm *depauperati ſunt*. Adeò liberaliter defunctis pietatem impendebant Hebræi; vt paupertatem non timerent, dummodo pro ſuis mortuis pecunias erogarent.

Albertus Magnus.

Eaſdem expenſas Abimelech firmat in muneribus, quæ Saræ largitus eſt.

8 Quod oſtendit Abimelech, qui cũ Abrahæ vxorem tuliſſet, credens eam eſſe illius ſororem, eamque intactam Dei iuſſu marito reddidiſſet, dedit Saræ mille argenteos, vt ei eſſent in velamen oculorum. *Saræ autem dixit. Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum ſunt*. Gen 20. 16. Quæ verba explicans Petrus Comeſtor lib. Geneſ. cap. 55. ait per velamen oculorum funeris preparationem intelligi, in quo apud Hebręos defunctorum oculi velabantur. Hos igitur numos dedit Abimelech Saræ, quæ erat prouectæ ętatis, vt eis expenſæ fierent exequiarum, quæ immodicę conſueuerant eſſe apud Hebręos. *Hoc erit tibi in velamen oculorum, id eſt in præparationem funeris, quaſi dicat, anus es, & vicina funeri, & mentita es tamen, & decepiſti. Habe tibi ergò hæc in expenſas funeris, quod* Magnis Expensis Fieri Solet *maximè à Iudæis*. Expende quomodo magnis expẽſis Iudæi funera celebrabant mortuorũ.

Petrus Comeſtor.

Alphonſus Arragonius multas impenſas fecit in funere Ferdinandi.

9 Sed maximæ fuerunt impenſæ, quibus Alphonſus Arragonius Ferdinandi patris ſepulturã honorauit, qui decem & ſeptem aureorum millia in eius exequijs impendit. Refert hoc Ioannes Iouianus Pontanus lib. de magnificentiâ cap. 15. apud Theatrum vitæ humanæ volum. 10. lib. 1. *Alphonſus Arragonius, quàm fuerit effuſus in Ferdinandis patris ſui ſepulturâ difficile explicatu eſt, cùm* Svpra Decem, Et Septem Avreorvm Millia *in illius funus effuderit*. O præclaram Principis magnanimitatem; quâ tantâ pietate honorauit defunctum.

Pontanus.

Pro capite Ioſippi Pheroras eius frater quinquaginta talenta obtulit.

10 Ioſippum Herodis fratrem cum Romanis militibus conſtanter pręliantem Antigonus vicit, & victum interfecit. In eum autem etiam poſt mortem ſæuiens, hoſti caput abſcidit, illiuſq; cadauer abiectum reliquit. Pro cuius redemptione quinquaginta Pheroras talenta obtulit, licet propter victoris crudelitatem impetrare non potuerit. Vide, quâ charitate mortuum proſecutus fuit, & quomodo nullis pepercit impenſis, vt illum ab hoſtium manibus ereptum exequiarum pompâ honoraret. Subdo verba Hegeſippi, qui hanc laudat pietatem lib. 1. de excidio vrb. Ieroſol. cap. 30. *Ioſippum quoque fratrem Herodis, germano in alijs occupato partibus, impigrè repugnantem cum militibus Romanis, qui in adiumentum eius temerè collecti aduenerant, deleuit. Nec tanto contentus triumpho addidit etiam victoria grauem in defunctum contumeliã, vt abſciſſo capite relinqueretur, pro quo Pheroras frater perempti* Qvinqvaginta Talenta Obtvlit, *nec impetrauit*. Nouerat pius frater, quamlibet pro defunctis pietatem eſſe erogandam, quapropter pro mortui redemptione quinquaginta hoſti offerre talenta non dubitauit.

Hegeſippus.

11 Et

Martyrum cadauera à fidelib. pretio redempta.

11 Et quia hîc ſum, illud etiam adnotare non omittam, quòd ſæpè fideles Martyrum cadauera emere, atque à tyrannis pretio redimere ſolebãt, libenter iacturam facientes nummorum, dummodo conſuetâ poſſent pietate corpora honorare defunctorum. Teſtatur id Baronius in annotationibus ad Martyrologium die 6. Iunij. *Cùm autem ibi corpora martyrum diſtraherentur pretio, eadem prædictorum viginti martyrum corpora* COEMPTA *tranſlata ſunt in Africam. Illuc etiam eadem ratione, vt* EMERET CORPORA SANCTORVM MARTYRVM *profectus eſt Sanctus Bonifacius, qui & ipſe eadem eſt donatus coronâ martyrij.* Confirmat hoc ipſum Petrus de Natalibus lib. 1. Catalogi cap. 88. loquens de cadauere Sancti Gregorij presbyteri, & martyris, quod Abundantia matrona Chriſtiana triginta quinque aureis à tyranno redemit. *Quædam matrona Chriſtiana, nomine Abundantia* TRIGINTA QVINQVE AVREIS *corpus martyris à Tyranno redemit, quod aromatibus conditum iuxtà muros ciuitatis, ad pontem lapideum, & riuum, qui ſanguinarius dicitur, ſepeliuit.* Vt defunctis fidelibus pietatem impenderent, impenſas non curabant, & libenter pro cadauerum eorum redemptione pecunias erogabant.

Baronius. *Petr. de Nat.*

Idem egerũt Gentiles cum ſuis defũctis.

12 Quin & Gentiles quoque hanc ſuis defunctis impendiſſe pietatem reperio, vndè Piſonis interfecti cadauer ab vxore, ac fratre compoſitum, corpus verò T. Vinij vulneratum à filiâ ſepultum, redemptis pecuniâ capitibus, legimus apud Cornelium Tacitum lib. 1. Hiſtoriarum. *Piſonem Verania vxor, ac frater Scribonianus, T. Vinium Criſpina filia compoſuere, quæſitis,* REDEMPTISQVE CAPITIBVS, *quæ venalia interfectores ſeruauerant.* Et apud Homerum Iliade vltimâ Priamus Achilli multa dona ferens Hectoris filij cadauer ab eo redemit;

Corn. Tacit.

Homerus.

Hunc tu nuper interfeciſti pugnantem pro patriâ
Hectora; huius nunc gratiâ venio in naues Achiuorum
REDEMPTVRVS À TE: *fero autem multa dona.*

In pecuniam ceſſabat affectus, cùm in defunctos pietas erat exercenda, nec vllis parcebant impẽſis, dummodo poſſent ſuos mortuos debitis obſequijs honorare.

Purpura in funeribus adhibita.

13 Hinc ortum eſt, quòd purpuram emebant in funeribus, quâ exequias exornarent mortuorum. Vndè Virgilius lib. 6. Aeneid. refert in funere Miſeni milites purpureas veſtes vnà cum cadauere rogo iniecisse, ac in defuncti honorem cremaſſe.

Virgilius.

Fit gemitus; tùm membra toro defleta reponunt
PVRPVREASQVE SVPER VESTES, *velamina nota,*
Coniiciunt.

Donatus.

Vbi Donatus ait. *Vult oſtendere* PRETIVM VESTIVM, *quæ propter defuncti meritum dabantur incẽdio.* Antonius quoque Bruti cadaueri purpureum paludamentum iniecit, quare Plutarchus in Antonio ait. *Bruto* MAGNI PRETII PALVDAMENTVM SVVM PVRPVREVM *iniecit.* Dio etiam Caſſius innuit Adonidem in lecto purpureo pallio tecto à mulieribus defletum. *Iacebat in lecto deauratо, pedibus in altum ſublatis* SVB PALLIIS PVRPVREIS, *quemadmodum defletus à mulieribus Adonis.* Ita ille Orat. 63. de regno, & tyrannide. Suetonius etiam de funere Cæſaris loquens in eius vitâ c. 84. *Intrà lectus eburneus auro, ac* PVRPVRÂ STRATVS. Nec non Titus Liuius lib. 34. L. Valerium hæc inducit loquẽtem. PVRPVRA *viri vtemur, prætextati in magiſtratibus, in ſacerdotijs, liberi noſtri prætextis* PVRPVRA *togis vtentur, magiſtratibus in colonijs, municipijſque, hîc Romæ infimo genere magiſtris vicorum togæ prætextæ habendæ ius permittemus, nec id, vt viui ſolùm habeant tantum inſigne, ſed etiam vt cum eo crementur mortui.* Sed & Homerus Iliade vltimâ oſſa Hectoris purpureo velò ait fuiſſe cooperta.

Plutarchus. *Dio Caſſius.* *Suetonius.* *Liuius.* *Homerus.*

PVRPVREIS *velis cooperientes mollibus.*

Porrò adeò in funeribus mortuorum liberalitate præditi erant Gentiles, vt purpurâ eos honorare conſueuerint.

Argentum in funeribus adhibitum.

14 Sed & argentum in funeribus adhibebatur. Cuius rei probationem mihi ſuppeditat Ammianus Marcellinus lib. 19. de funere agens filij Grumbatis regis Chionitarum, cuius oſſa in argenteam vrnam coniecta, ad patrium ſepulchrũ ait fuiſſe tranſlata. *Poſt incenſum corpus, oſſaque* IN ARGENTEAM VRNAM *coniecta, quæ ad gentem humo mandanda portari ſtatuerat pater.* Neque argento parcebant, vt maiori poſſent pompâ exequias celebrare, ac funera ducere mortuorum. Ioſeph etiam Hebræus lib. 16. Antiquit. Iudaic. cap. 11. in Dauidis ſepulchro multa fuiſſe ait argenti talenta, quæ Hyrcanus extulit. *Herodes multum pecuniarum domi, foriſque profundens, audito, quòd Hyrcanus, qui antè eum regnauerat, recluſo Dauidis ſepulchro, tria millia talentorum* ARGENTI *extuliſſet, ſupereſſeque multò plura, quæ poſſent quantumuis magnis ſumptibus ſufficere, multo tempore animum habuit idem aggredi.* Ecce regis defuncti ſepulchrum multis argenti talentis decoratum. Alexander item ab Alexandro Aegyptios ait habuiſſe ſepulchra, quæ tanto ſumptu fiebant, vt argenti talento taxarentur, & Aethiopes nonnulla ſepulchra ex argento conſtruere. *Aegyptiis tria fuere ſepulchrorum genera, vnum præcipuum, &* MAXIMI SVMPTÛS, *quod* ARGENTI *talento taxabatur.* Et poſt nonnulla. *Clariora fuere Aethiopibus, nam ditiorum monumenta ex auro fiunt, tenuiorum* EX ARGENTO. Ita ille lib. 6. dierum genialium cap. 14. Ad quem morem reſpexit Cyrus apud Xenophontem lib. 8. de inſt. Cyri, qui moriens filijs ſuis dixit, ne ſuum cadauer in auro, aut argento ſepelirent, ſed terræ mandarent. *Corpus meum filij, cùm dicem in terris ſupremum clauſero, nec in auro condite, nec* IN ARGENTO, *nec vllâ in re aliâ, ſed terræ quamprimùm reddite.* Ex quibus patet argentum in funeribus adhibitum fuiſſe defunctorum.

Ammianus Marcellinus. *Ioſeph Hebr.* *Alex ab Ale.* *Xenophon.*

Aurum in e-

15 Quin & aurum in mortuorum exequijs pro-

Digitized by Google

Exequiſs mortuorum.

profundebatur. Quod in primis præter næc, quę modò diximus, quibus aurum, & argentum probatur adhibitum, probant vrnę, in quibus eorum cineres ſeruabantur, quæ ſæpiſſimè aureæ erant.

Eutropius.

Eutropius lib. 8. loquens de Traiano Imperatore. *Oſſa eius collocata* IN VRNA AVREA *in foro, quod ædificauit ſibi*. Homerus Iliade vltimâ de oſſibus Herculis.

Homerus.

Et hac AVREAM IN VRNAM poſuerunt
accipientes.

Et Iliade 23. exequias Patrocli deſcribens, ait.

Flentes autem ſocij pij, oſſa alba
Collegerunt IN AVREAM PHIALAM.

Stragula aurea. *Suetonius.*

Stragula quoque auro in texta in vſu fuiſſe, docet Suetonius in Nerone. *Funeratus eſt* IMPENSA *ducentorum millium,* STRAGVLIS *albis* AVRO *intextis*.

Chlamys auro intexta. *Silius Italic.*

Chlamyde auro intextâ Pauli funus Annibal decorauit. Hinc Silius Italicus lib. 10. Punicorum cecinit.

Fulgentia pingui
Murice ſuſpirans iniecit velamina, & AVRO
INTEXTAM CHLAMYDEM, ac ſupremo
affatur honore.

Coron. aurea *Cicero.*

Coronam item auream mortuo reperio impoſitam. Cicero Oratione pro Flacco. *Vellem tantum habere otij, vt poſſem recitare pſephiſmata Smyrnæorum, quæ fecerunt in Caſtricium mortuum; primùm, vt in oppidum introferretur, quod alijs non cõceditur, deindè vt ferrent Ephebi, poſtremò vt imponeretur* AVREA CORONA *mortuo*. Ædem auratam Cæſari defuncto collocauerunt, cuius meminit Suetonius in eius vitâ cap. 84. *Pro Roſtris* AVRATA AEDES *ad ſimulachrum templi Veneris genitricis collocata.* Clypeum, & ſtatuam ex auro Claudio Senatus poſuit, vt refert Eutropius lib. 9. *Senatus eum ingenti honore decorauit, ſcilicet vt in eur â* CLYPEVS *ipſi* AVREVS, *item in capitolio* STATVA AVREA *poneretur*. Denique in Dauidis ſepulchro Herodes aurea reperit ornamenta, vndè Ioſeph Hebræus lib. 16. Antiquit. Iudaic. cap. 11. *Mundi*, inquit, *pretioſi, &* ORNAMENTORVM AVREORVM *vim magnam indè ſuſtulit*. Poterant ne antiqui maioribus impenſis honorare defunctos?

Ædes aurata *Suetonius.* *Clypeus, & ſtatua ex auro.* *Eutropius.* *Ornamenta aurea.* *Ioſeph Hebr.*

Gemmæ pro mortuis erogata.

16 Quid? quòd gemmis quoque memoriæ honorabantur mortuorum? Profectò Hermiæ tumulum Leo exornabat, cuius oculis inditi ſmaragdi adeò radiabant, vt thynnos nitore ſuo in proximo gurgite terrerent, ita vt non niſi gemmis mutatis potuerint eos capere piſcatores. Narrat hoc Plinius lib. 37. cap. 5. *Ferunt in eâ inſulâ tumulo reguli Hermiæ iuxtà cetarias marmoreo Leoni fuiſſe inditos oculos ex ſmaragdis ita radiantibus etiam in gurgitem, vt territi inſtrumenta refugerent thynni, diù mirantibus nouitatem piſcatoribus, donec mutauere oculis* GEMMAS. Ecce ſepulchrũ gemmis exornatum. Hunc etiam morem colligere licet ex Epitaphio nuper Aponi ad Thermas in hortis Sertorij Vrſati Patauini inuentum, quod ſaxo inſculptum multorum fatigauit ingenia. Eſt autem huiuſmodi.

Plinius.

Q. Magurius Q. F. Fab.
Ferox
Luſ. Epidixib. & Cetaſ. I. I. III. in
Greg. Veturianque & iuni
Orum A. A. dicauit Euras VIII.
Et pertic. Vncinor. XII. N̄. CCLIX.

Fort. Licet.

Valdè ingenioſè Fortunius Licetus tom. 2. de Quæſitis per Epiſtolas Epitaphium iſtud explicauit, & ad rem noſtram declarat Euras illas octo defunctis dicatas gemmas fuiſſe in eorum honorem cœnotaphium exornantes. Subdo eius explicationem.

Quintus Magurius Q. filius Faber
Ferox
Luſitanis epidixibus, & cetaſtritis I. II. III. ord. in
Gregoriam, Veturiamque, & iuni-
orum Animas dicauit Euras GEMMAS OCTO
Et perticas vncinorum duodecim numero CCLIX.

Propertius.

Vide igitur defunctorum ſepulchra gemmis interdum fuiſſe honorata. Hùc etiam facit Propertius lib. 4. Elegiâ ad Cynthiam, qui loquens de funereo rogo, beryllum innuit cum defunctis comburi conſuetum.

Et ſolitum digito BERYLLON adederat ignis,
Summaque Lethæus triuerat ora liquor.

Bern. Caſius.

Nec tacebo, quod ex Gutherio docet Bernardus Cæſius in Mineralogiâ lib. 2. cap. 6. ſect. 2. ſæpè defunctos cum gemmis, & margaritis fuiſſe tumulatos. *Gutherius etiam lib. 2. de iure manium cap. 32. adnotat priſcos conſueuiſſe tumulari cum ijs rebus, quas dilexerant: porrò pro variâ mortalium voluntate, varia quoque fuiſſe eiuſmodi ornamentorum genera, numos,* GEMMAS, MARGARITAS, *& alia quæque pretioſa*. Obſerua igitur, quot pro defunctis facerent impenſas, qui purpuræ, argento, auro, ac gemmis non parcebant, vt eorum ſepulturam magnificâ pompâ honorarent, debitamque illis pietatem exhiberent. Quod ſanè maiori pietate, ac religione Sancta Eliſabeth Luſitaniæ Regina præſtitit, quę pro defuncti viri animâ purpuram, argentum, aurum, ac gemmas pauperibus erogauit. Audiamus quid dicat Breuiarium Romanum in lectionibus eius feſtiuitati dicatis die 4. Iulij. *Regio funeri conſtanter interfuit, ac paulò poſt Compoſtellam proficiſcens, multa* EX HOLOSERICO, ARGENTO, AVRO, GEMMISQVE *donaria pro Regis animâ obtulit*. O' egregiam ſanctæ Reginæ pietatem, quæ tot pretioſis rebus ſe expoliauit, vt defuncti coniugis animam ditaret.

Breuiar. Rom.

Imperatricis Mariæ cadauer cum multis gemmis Romæ inuentũ.

17 Penè mihi exciderat, quod Romæ inuentum fuiſſe, dum in ſacello D. Petri fundamenta foderentur, teſtatur Surius in Commentario rerum in orbe geſtarum Anno 1544. Arcam videlicet marmoream, in quâ cadauer ſeruabatur Mariæ coniugis Honorij Imperatoris. In hac verò non tantùm plurimum auri, & argenti, ſed innumeræ quoque gemmæ inuentæ fuerunt, quæ vnà cum Imperatrice ſepultæ fuerunt. *Item veluti racemus ex ſmaragdis,* ALIISQVE GEMMIS *conſertus, & diſcriminale longitudine duodecim digitorum*

Surius.

Digitized by Google

gitorum inſcriptum hinc Domino noſtro Honorio, hinc Domina noſtra Maria. Ad hæc inerat ſorex ex Chelidonio lapillo, cochleaque, & patera ex chryſtallo, item pila ex auro luſoriæ ſimilis, ſed quæ in duas partes diuidi potuit. Innumeræ penè aliæ inerant Gemmae, *quarum etſi plurimæ vetuſtate corruptæ, nonnullæ tamen recentem, admirandamque pulchritudinem retinebant.* Vide an pepercerint impenſis, qui tot diuitijs cadauer cumulauerunt Imperatricis.

Alexander magnus impẽſis defunctos honorauit.

18 Capiti coronidem impono, magnificentiam Alexandri commẽdans in pietate defunctis exhibendâ, qui cùm in prælio cum Perſis nonnullos milites amiſiſſet, magnâ eos impensâ humauit, ac ſtatuas equeſtres eis erexit. *De exercitu Alexandri nouem pedites, centum viginti equites cecidere. Quos rex* Impense *ad cæterorum ſolatia humatos, ſtatuis equeſtribus donauit, cognatiſque eorum immunitates dedit.* Ita Iuſtinus Hiſtoricus lib. 11.

Iuſt. Hiſtor.

Et lib. 12. eum narrat in exequijs Hephæſtionis duodecim millia impendiſſe talenta. *Hephæſtion decedit, dotibus primò formæ, pueritiæq; mox obſequijs regi percarus, quem contrà decus regium Alexander luxit, tumulumque ei* Dvodecim Millivm *talentûm fecit.* Quod etiam confirmat Plutarchus in Alexandro.

Plutarchus.

Dvodecim Millia Talentorvm *in eius ſepulturam, & monumentum* Impendere *cùm animum induxiſſet, artificio autẽ, & ornatu apparatûs* Impendivm *ſuperare, maximum omnium artificum Staſicratem requiſiuit.* Quis igitur hæc expendens non concludet eos non debere parcere impenſis, qui mortuis pietatem impendunt?

CAPVT VI.

Cæteris omnibus eſt præferenda pietas, quæ debetur defunctis.

Domus, in quâ exercetur pietas ergà defunctos, domui conuiuij eſt præferenda.

1 Hinc primò fulcio veritatem ſapientis authoritate, qui ait, melius eſſe ire ad domum luctus, quam ad domũ conuiuij. *Melius eſt ire ad domũ luctûs, quã ad domũ cõuiuij.* Eccl. 7. 3. Quænam eſt hæc domus luctûs, niſi illa, in quâ pio luctu miſerationis obſequia defunctis exhibentur? Hanc ergò domum cæteris omnibus docet ſapiens eſſe præferẽdam, quia pietas, quæ mortuis impenditur, cunctis alijs rebus eſt ſemper præferenda.

Abulenſis.

Rectè Abulenſis in lib. 2. Reg. cap. 14. quæſt. 9. *Scriptura iubet lugere mortuos dicens, melius eſſe ire ad domum luctûs, quàm ad domum conuiuij.* Ita cæteris eſt præferenda pietas ergà defunctos, vt domus, in quâ illa exercetur, domui etiam conuiuij præferenda cenſeatur.

Qui lugent mortuos, cæteris omnibus præferunt pietatem in eoſdem.

2 Hinc ratio deſumitur, cur cùm Chriſtus homines ad pœnitentiam hortaretur, beatos appellauerit lugentes. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Matth. 5. 5. Quærere hic licet, cur potiùs Deus luctum, quàm triſtitiam, aut dolorem, peccatorum pœnitentiam appellet?

Luctus dicitur de plorantibus defunctos.

Vtique luctus conuenit plorantibus defunctos, vndè in exequijs Moyſis dicitur. *Completi ſunt dies planctus lugentium Moyſen.* Deut. 34. 8. In funere Abner. *Plangenſque Rex, & lugens Abner.* 2. Reg. 3. 33. In cæde Amnon. *Luxit ergò Dauid filium ſuum multis diebus.* 2. Reg. 13. 38. In morte filiorum Ephraim. *Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus.* 1. Paralip. 7. 22. Innumera demùm his ſimilia in ſacris paginis occurrunt. Quin & ex profanis authoribus idem colligere licet, vndè Catullus in Argonaut.

Catullus.

Deſtitit extinctos natus lugere parentes.

Ouidius lib. 3. Faſtorum.

Ouidius.

Hoc luget ſpatio fœmina mœſta virum

Tibullus lib. 2. Elegiâ 4.

Tibullus.

Seu veniet tibi mors, neque erit, qui lugeat vllus.

Propertius lib. 2. Elegiâ ad Cynthiam.

Propertius.

Quàm grauis, amiſſo Memnone, luctus erat.

Cùm igitur qui mortuos plorant propriè lugere dicantur, cur pœnitentiæ dolorem luctum Chriſtus appellauit? Vt nobis innueret, quòd ſicut qui lugent mortuos, cæteris omnibus pietatem in eos præferunt, nec aliud prorsùs, cùm lugent, attendunt, ita qui pœnitentiam agunt, cunctis alijs triſtitiam, ac dolorem de patratis delictis præferre debent. Hoc debemus D. Ioanni Chryſoſtomo in catenâ.

D. Io. Chryſ.

Non dixit, qui triſtantur, ſed qui lugent, ſi enim qui filios, vel alios defunctos lugent, ſecundùm illud tempus non deſiderant pecuniã, nec gloriam, nec conuicijs exacuuntur, neque aliquâ aliâ paſſione capiuntur, multò magis hæc ſeruare debent, qui lugent ſua peccata. Quid aptius? Pietatem ergà defunctos, qui eos lugent, gloriæ, diuicijs, dignitatibus, & cunctis alijs debent præferre, ita vt ſolis vacent miſerationis obſequijs.

Tobias mortuis ſepulturã prætulit cibo.

3 Hoc Tobias egregiè ſeruauit, qui cùm paraſſet conuiuium, & conuiuas excepiſſet, audiẽs mortuum iacere inſepultum in plateâ, ſurrexit, eiuſque cadauer confeſtim extulit, vt ſepulchralibus illud obſequijs honoraret. *Statimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, tollenſque illud portauit ad domũ ſuam occultè, vt dum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum.* Tob. 2. 3. Cur prandium omiſit, hoſpites dereliquit, & confeſtim ad cadauer perrexit? Cur non priùs comedit, ac deindè corpus extulit? Quia prandio, quod parauerat, pietatem præferre voluit, quam defuncto exhibebat.

Abulenſis.

Aptè Abulenſis in lib. 2. Reg. cap. 14. quæſt. 9. *Scriptura ſacra valdè laudat Tobiam, cuius* Actvs Principalis *erat ſepelire mortuos.* Hoc præcipuè Tobias agebat, cæteriſque alijs præferebat, pietatem videlicet ergà defunctos.

Gloſſa interl.

Vndè & Gloſſa interlinearis ait. *Relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, cibum animæ* Cibo Corporis Praeferens.

D. Paulinus.

Et D. Paulinus Epiſtolâ ad Pammachium. *Archangeli voce laudatus,* Qvod Praetvlisset Prandio *ſuo pauperis ſepulturam.* Vides ſanctiſſimum ſenem cibo quoque ipſi pietatem prætuliſſe defunctis exhibendam?

Dum milites

4 Interfecit Abner Aſaëlem ſe inſequentem,

qui

compatiebantur Aſaeli defuncto. prælium omittebant. qui lanceâ transfoſſus corruit in viâ. Milites verò, qui Abner, eiuſque exercitum perſequebantur, tranſeuntes per locum, in quo cadauer iacebat, ſiſtebant, *Omneſque, qui tranſibant per locum illum, in quo reciderat Aſael, & mortuus erat, ſubſiſtebant.* 2. Reg. 2.23. Quam ob cauſam vlteriùs hoſtem perſequentes non progrediebantur? Cur ſiſtebant, dum aduerſarij veloci curſu eos fugiebant? An dum mortuo compatiebantur, prioris perſecutionis obliuiſcebantur? Ita ſentire videtur Ioſeph Hebræus lib. 9. Antiquit. Iudaic. cap.

Ioſeph Hebr. 1. *Qui cum eo Abner inſiſtabantur, poſtquam ad locum, in quo Aſael iacebat, peruenerunt,* OBLITI AMPLIORIS PERSECVTIONIS, *circum cadauer conſtiterunt.* Pietatem defuncto Aſaëli exhibendam hoſtium perſecutioni milites prætulerunt, quapropter vt ei luctu parentarent, eos perſequi deſtiterunt.

Idem Amaſam defunctũ plorantes agebant. 5 Idipſum contigit, cùm Ioab interfecit Amaſam, nam ad eius cadauer cùm milites peruenirent, omnes ſubſiſtebant, quapropter illud quidam amouit, ne tranſeuntes perſequi deſiſterent hoſtem, dum ad cadauer ſiſtebant defuncti. *Amaſa autem conſperſus ſanguine iacebat in mediâ viâ. Vidit hoc quidam vir, quòd ſubſiſteret omnis populus ad videndum eum, & amouit Amaſam de viâ in agrum, operuitq; eum veſtimento, ne ſubſiſterent tranſeuntes propter eum.* 2. Reg. 20. 12. Pij ergò defunctum milites ſubſiſtebant, & hoſtium perſecutioni luctum, quo ei parentabant, præferebãt.

Abulenſis. Hùc allusit Abulenſis in lib. 2. Reg. cap. 2. *Quando Ioab occidit Amaſam in viâ, cùm perſequebatur Sibafilium Bochri, omnis populus veniens ad locum, vbi erat Amaſa, ſubſiſtebat, ideò quidam amouit eũ de viâ, ne populus impediretur.* Impediebat cadauer in via proiectum perſecutionem hoſtium, quia ei compatientes milites, vt non deſiſterent à pietate, deſiſtebant à perſecutione.

Aegyptij ſepulturam defunctorum diuitijs prætulerunt. 6 Hùc etiam ſpectat, quod Ægyptijs contigit, cùm Iſraëlitæ ab eis receſſerunt, ſecumque multa pretioſa ex Ægypto detulerunt, quos pacificè abire permiſerunt. *Profectique ſunt filij Iſrael de Rameſſe in Socoth ſexcenta ferè millia peditum virorum, abſque paruulis, & mulieribus.* Exod. 12. 37. Miror, quòd Ægyptij tantã finerent facilitate ſuis rebus onuſtos ex Ægypto diſcedere Iſraëlitas! Nonnè paulò poſtquam diſceſſerunt eos perſecuti ſunt, quapropter in mare demerſi obſtinationis pœnas luerunt? Cur igitur dum eos videbant recedentes non detinuerunt, vel ſaltem pretioſa, quæ illis commodauerant, ſibi reddi non curauerunt? Quia primogenitos mortuos dum ſepeliebant, tantâ curâ illis pietatem exhibebant, vt cæterorũ omnium obliti, cuncta con-

Petrus Com. temnere viderentur. Accinit Petrus Comeſtor lib. Exodi cap. 27. *Profecti ſunt de Rameſſe in Socoth, nec ſunt ſecuti eos Aegyptij, ſepelientes mortuos ſuos.* Omnibus ſepulturam ſuorum defunctorum Ægyptij prætulerunt, ideoque dum eorum cadauera humabant, diuitias, quas eis commodauerant, contempſerunt, eoſque perſequi deſtiterunt.

Sunamitidis erga puerum pietatem agit defuncti amans plus bonis. 7 Mortuus eſt filius Sunamitidis, quamobrem pia mater ad Eliſæum ire decreuit, vt eius precibus puero priſtinam vitam recuperare poſſet extincto. Præcepit igitur famulo, vt aſinam ſterneret, ſibique moram non faceret, ſed hoc ageret, quod ipſa præcipiebat. *Straumque aſinam, & præcepit puero, Mina, & propera, Ne mihi moram facias in eundo, & hoc age, quod præcipio tibi.* 4. Reg. 4. 24. Quibus verbis hoc famulo innuit, vt reliqua omnia omitteret, illudque ſolùm curaret, vt properè ad prophetam pergeret, ſciebat quippè omnia omittenda eſſe, cùm de pietate agitur mortuis exhibendâ, quam cunctis alijs præferendam eſſe cenſebat. Optimè Abulenſis.

Abulenſis. *Hoc age, quod præcipio tibi, ſcilicet non aduertas ad aliquid aliud, ſed ſolùm, vt agas, quod præcipio tibi, ſcilicet in minando properè aſinam.* Reliqua omnia pietati, quæ defunctis impenditur ſunt omninodè poſthabenda, & ideircò pergens mulier, vt reſurrectionem defuncto impetraret, puero præcepit, ne rei alteri operam daret, ſed hoc ſolum attenderet, vt ad virum Dei, qui mortuum erat ſuſcitaturus, properaret.

Idem Eliſæus Giezi præcepit. 8 Quod & præcepit Giezi puero ſuo Eliſæus, cui, compatiens mulieri plorãti, iuſſit, vt accinctis lumbis tolleret baculum ſuum, & cum eo pergeret ad defunctum, Quòd ſi aliquem in viâ ſibi occurrentem inueniret, eum non ſalutaret, neq; ſalutanti vllo modo reſponderet. *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tuâ, & vade. Si occurrerit tibi homo non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam non reſpondeas illi.* 4. Reg. 4. 29. Cur enim Eliſæus præcepit Giezi, vt neminem ſalutaret, niſi vt omnibus alijs pietatem, quam exhibere defuncto ſtudebat, præferret, eamque ſine diſtractione mentis impenderet?

Caietanus. Adſtipulatur Caietanus. *Ad indicendum ſilentiũ miniſtro, vt deuotè abſque diſtractione mentis properaret ad executionem tanti miraculi.* Adeò voluit Eliſæus, pietatem, quam defuncto exhibere Giezi ſtudebat, omnibus præferri, vt nec ei permiſerit, aut aliquem ſalutare, aut alicui ſalutanti reſpondere.

Pharao neceſſitatibus regni ſui prætulit pietatem defuncto Iacob exhibendam. 9 Mortuo in Aegypto Iacob patriarchâ, Ioſeph eius filius illius cadauer ad terram Chananæorum transferre, ac in proprio monumento ſepelire decreuit. Quapropter Pharaonem rogauit, vt ſibi facultatem permitteret abeundi. Annuit Pharao, ac libenter eum ire permiſit. *Dixitque ei Pharao, aſcende, & ſepeli patrem tuum, ſicut adiuratus es.* Gen. 50. 6. Hic Abulenſis aduertit, particulam *ſicut* vim habere cauſæ, idemque omnino ſignificare, ac *quia*, ita vt verborum Pharaonis hic ſit ſenſus. *Aſcende, & ſepeli patrem tuum, quia adiuratus es.* Ac ſi dixiſſet. Permitto quidem te aſcendere, vt defuncti voluntatem adimpleas, eique optatam pietatem impendas, alias hoc non permiſſurus, ne tua regno meo abſentia damnum inferret. Do verba Abulen-

Abulenſis. ſis. *Sicut adiuratus es, id eſt quia adiuratus es à patre*

tre tuo, permitto te aſcendere, quia alias non permiſiſſem, cùm ſis valdè neceſſarius pro negotijs regni. Valdè regno Aegypti neceſſaria erat præſentia Ioſeph, adhuc tamen omni neceſſitati ſepulturam prætulit Rex defuncti, agnoſcens, neceſſitatibus viuorum pietatem præferendam eſſe, quâ miſeremur mortuorum.

Cura pauperum præferenda fuit vnctio, quâ Magdalena Chriſtum ad ſepulturæ honorem perfudit.

10 Antequam Chriſtus à Iuda proditore venditus, Iudæorum crudelitati excarnificandus traderetur, acceſſit ad eum Magdalena, ferenſque alabaſtrum vnguenti pretioſi, ſuper eius caput illud liberaliter effudit. Quod vt cognouerunt diſcipuli, valdè ſunt in mulierem indignati, eamque reprehenderunt, quòd vnguenta illa inutiliter effudiſſet, quorum pretium potiùs erat pauperibus erogandum. At Chriſtus Magdalenam defendens, dixit eam bonũ opus operatam fuiſſe, quia vt ſuam honoraret ſepulturam, illam exhibuerat vnctionem. *Sciens autem Ieſus, ait illis, Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonũ operata eſt in me, nam ſemper pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.* Matth. 26. 10. Et ſanè bona erat vnctio illa, quia cùm ad ſepulturæ honorem exhiberetur, curæ pauperum erat præferenda. Subſignat Caietanus Ientaculo 1. quæſt. 1. *Nullâ ex parte vnctio iſta minùs bona fuit, ſed* PRAEFERENDA *vndique curæ pauperum quæ tollere non debet hoc opus longè excellentius.* Excellentiori vacat operi, qui defunctorum memoriam veneratur, quàm qui cætera opera exercẽt, atque ideò cæteris operibus opus eſt præferendũ, quod in gratiam exercetur mortuorum, quare curę pauperum pręferenda erat vnctio, quâ Chriſti ſepulturam Magdalena honorabat.

Idem.

Ioſeph Arimathæus Chriſti ſepulturã omnibus prætulit.

11 Hinc rationem deducemus, cur Ioſeph Arimathæus, qui diſcipulus quidem fuerat Chriſti, ſed occultus, eo mortuo, illius cadauer voluerit, inuitis Iudęis, magnificâ exequiarum pompâ humare. *Et accepto corpore Ioſeph, inuoluit illud in ſindone mundâ, & poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petrâ.* Matth. 27. 60. Diuitiarum amiſſionem non timuit, mortis pericula contempſit, & omnibus defuncti magiſtri ſepulturam prætulit, agnoſcens mortui Chriſti exequias cunctis alijs rebus eſſe iurè præferendas. Audiamus Ludolphum Carthuſianum lib. de vitâ Chriſti 2. par. cap. 65. *Petijt magno munere, vt de eius licentiâ tolleret corpus Ieſu de cruce, & ſepeliret illud honorificè, hoc* PRAEFERENS *omni theſauro, quantumlibet pretioſo.* Nihil curauit, dummodo Chriſti cadauer humaret, ſciens curam defunctorum reliquis omnibus eſſe curis præferendam.

Ludol. Carth.

Hebræi ſtudio legis, & lect. ſacrarum literarum præferunt pietatem ergà mortuos.

12 Hanc item agnoſcunt veritatem Hebræi, quapropter docent ſtudium legis eſſe deſerendum, vt mortuis pietas exhibeatur, vndè Rabbi Ioſeph in libro, cui titulus eſt שלחן ערוך ait מבטלין תלמוד תורה להוצאת המת. *Studium legis deſerunt ad egreſſum mortui.* Idemque dicitur in libro cui titulus eſt משנה, in quo habetur. מי שמתו מוטל לפניו פטור מקריאת שמע. *Ille, cui mortuus iacet in conſpectu eius, liber eſt à lectione.* Cætera omnia cenſent pietati ergà mortuos poſthabenda, vndè ſtudio ipſi legis eam præferunt, ac ſacrarum literarum lectioni.

Rabbi Ioſeph.

Gentiles mortuorum curã omnibus præferentes.

13 Sed hoc idem inſtitutum ex profanis quoque libris colligere licet, nam Plutarchus in Othone refert huius Imperatoris milites eum interfectum non dereliquiſſe, ſed, propinquis licet hoſtibus, potius eius honori, quàm ſuæ indemnitati conſuluiſſe, propriæ vitæ conſeruationi defuncti corporis curam præferentes. *Nec quiſquam reliquit eum,* (Othonem) *ſaluti ſuæ, propinquis iam hoſtibus, proſpiciens, ſed excultum corpus, rogo parato, extulerunt armati.* Idemque in funere Catonis alios egiſſe, teſtatur in Catone minore. *Neque metus eos, neque ſtudium adulandi victorem, neque mutuæ diſſenſiones ſegniores ad tribuendum Catoni honorem reddiderunt. Itaque ſplendidè ornatum eius corpus, inſigni ducto funere apud mare ſepelierunt.* Quin & in Pelopidâ ſcribit, eius milites, antequam arma exuerent, ac vulnera ex prælio relata curarent, eius funus curare voluiſſe, ac ei celebri pompâ exequiarum parentare. *Traditum eſt eos, qui prælio interfuerunt, cognitâ eius morte, neque thoracem exuiſſe, neque frænum equo detraxiſſe, neque vulnus ligaſſe, antequam armati adhuc, & calentes, circà illum, tanquam adhuc ſentientem, hoſtilium ſpoliorum aceruos congererent, equorum comas, & ſuos crines reſecarent.* Animaduerte, quomodo & ſuorum vulnerum curæ, & propriæ vitæ conſeruationi, & denique omnibus alijs curam prætulerint Gentiles mortuorum.

Plutarchus.

Mulieres Darij propinquæ illius ſepulturam propriæ vitæ prætulerunt.

14 Commendanda eſt quoque pietas matris, vxoris, ſororum, ac filiarum Darij, qui Alexandrum ad ſe venientem cum armatis militibus conſpicientes, Darium interfectum eſſe crediderunt, ſibique mortem tunc inferendam exiſtimauerunt. Ad victoris namque genua prouolutæ, illum exorauerunt, non vt vitam ſibi concederet, ſed vt tantiſper mortem prorogaret, donec Darij cadauer humarent, præferentes videlicet propriæ vitæ ſepulturam defuncti. *Inter captiuas mater, & vxor, eademque ſoror, & filiæ Darij duæ fuere. Ad quas viſendas, hortandaſque cùm Alexander veniſſet, conſpectis armatis, inuicem ſe complexæ, velut ſtatim moritura complorationem ediderunt. Prouolutæ deinde genibus Alexandri, non vitam, ſed vt Darij corpus ſepeliant, dilationem mortis deprecantur.* Ita Iuſtinus Hiſtoricus lib. 11. Tantâ ergà defunctum Darium pietate flagrarunt, vt maluerint eius deprecari ſepulturam, quàm propriam vitam.

Iuſt. Hiſtoric.

Alij, qui hãc pietatem cunctis rebus prætulerunt.

15 Inſignis etiam fuit Niciæ pietas, qui ne duos milites abiectos, & inſepultos omitteret, cum toto exercitu ſubſtitit, & vlteriùs ad prœlium progredi noluit, donec iuſta eis funebria exhiberentur. Narrat hoc Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum Genialium cap. 2. *Nicias cum exercitu iter faciens, ne duorum militum inhumata cadauera relinqueret, totum ſubſiſtere agmen, donec humarentur, iuſſit.* Victoriæ pietatem prætulit, potiſque

Alex. ab Ale.

Digitized by Google

tiúſque voluit milites humare defunctos, quàm hoſtes perſequi viuos. Tiberius item primo ſenatûs die nihil agi, niſi de Auguſti exequijs, permiſit, exiſtimans præmittendum eſſe funus Imperatoris defuncti omnibus curis imperij. *Nihil*, inquit Cornelius Tacitus lib. 1. Annalium, *primo ſenatûs die agi paſſus, niſi de ſupremis Auguſti*. Verè animum oſtendit auguſtum, dum Auguſti defuncti exequias cæteris omnibus prætulit proprijs, ac Romanorum curis. Alexandri etiam pietatem in mortuum patrem commendat Iuſtinus Hiſtoricus lib. 11. cui regnum aggredienti prima cura fuit funeris paterni. *Prima illi cura paternarum exequiarum fuit*. Macedones etiam, quibus ipſe imperabat, nullum tam ſolenne munus habuiſſe, quàm ſepulturam ſuorum, teſtatur Lilius Gregorius Gyraldus ſyntagmate de vario ſepeliendi ritu. *Macedonibus nullum tam ſolenne munus fuiſſe proditum eſt, quam ſuos ſepelire*. Vides vbique pietatem defunctis exhibitam cęteris omnibus iurè fuiſſe prælatam?

Corn. Tacit.

Iuſtin. Hiſt.

Gyraldus.

16 Sed vt à Poëtis quoq; ad rem noſtram nonnulla decerpamus, quis ignorat Achiuos cædis Troianorum oblitos, defuncti Patrocli curam et prætuliſſe? Profectò cecinit Homerus Iliade 17.

In funere Patrocli omnia milites eius exequijs prætulerunt.

Homerus.

iuuenes Achiuorum
Acutè clamantes ibant, obliuiſcebanturq; pugna.

Et in eodem funere Patrocli Achilles eius exequijs omnia præferens, ita milites apud eumdem Homerum Iliade 23. allocutus eſt.

Myrmidones veloces equos habentes mihi amatores ſocij
Nondum à curribus ſoluamus ſolidungulos equos;
Sed ipſis curribus, & equis propiùs accedentes,
Patroclum defleamus; hic enim eſt honor mortuorum.
At poſtquam triſti delectati fuerimus luctu,
Equos ſoluentes cœnabimus hic omnes.

Cùm Patroclo parentandum fuit, nec pugnam curauerunt, nec cœnam, ſed omnibus alijs eius exequias iurè prætulerunt.

17 Ouidius quoque in conſolatione ad Liuiam refert exequijs Druſi populos iura poſt habuiſſe, ac leges.

Exequijs Druſi populi iura, & leges poſthabuerũt.

Iura ſilent, mutæque tacent ſine vindice leges,
Aſpicitur toto purpura nulla foro.

Ouidius.

Et lib. 2. Faſtorum docet parentalia nuptijs Romanos prætuliſſe, & à facibus abſtinuiſſe nuptiarum, dum ſacrificia pro animabus offerebant mortuorum.

Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœſta ſepulchra faces.

Animaduerte Gentiles quoque cunctis alijs obſequia prætuliſſe, quæ mortuis impendebantur, & agnoſce cæteris omnibus eſſe præferendam pietatem, quæ debetur defunctis.

CAPVT VII.

Mortis pericula contemnantur, vt mortuis pietas impendatur.

1 Tantam debent mortuis pietatem exhibere viuentes, vt potiùs mortis pericula ſubire, quàm eos derelinquere teneantur. Quod ſanè probauerunt in ingenti miſeriarum turbâ minùs impij ex Iudæis, dum Ieroſolymam Romanus exercitus obſidebat, peſte namque atrociter graſſante, ne ſuorum corpora inſepulta derelinquerent, morbo infici, & mortem oppetere non dubitabant. Itaque dum cadauera ſepeliebant, cadauera ſæpè fiebant, & vt mortuorum corpora efferrent, propriam animam efflare non metuebant. Verba Euſebij Cæſarienſis afferre non grauabor, qui lib. 3. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 6. ita loquitur. *Aliquanti ſuprà eos, quos ſepeliebant*, ANIMAS EMISERE, *multi etiam dum proſequuntur funera, priuſquàm ad ſepulturam veniretur, efflabant*. Suam vitam contempſerunt, vt ſuorum cadauera humarent, & mortem non metuerunt, vt mortuos ſepulchralibus obſequijs honorarent.

Multi ex Iudæis animam emiſerunt, vt mortuorum cadauera humarent.

Euſ. Cæſar.

2 Occidebat Sennacherib iratus multos Iſraëlitas, ſæuienſque in eos etiam poſt mortem, illorum cadauera in vijs, ac plateis abiecta, & inſepulta omittebat. Quod cernens Tobias, pietatis viſcera eis exhibere decreuit, vndè ſtatim ac audiebat Iudæos abſque ſepulturæ honore iacere interfectos, ad eorum corpora currebat, & illa pio luctu ſepeliebat. Hoc vt impius tyrannus agnouit, Tobiam iuſſit interfici, & omnibus, quæ poſſidebat, expoliari, quare vix eius manus amicorum auxilio latens effugit. Non tamen propterea pium opus ſanctus ſenex omiſit, ſed omnia contemnens pericula, nonnullis tranſactis diebus, mortuorum ſepulturæ denuò vacauit. Quare illum propinqui arguebant, quòd ſe mortis diſcrimini obijceret, vt mortuis honorem ſepulturæ præſtaret. *Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes, Iam huius rei causâ interfici iuſſus es, & vix effugiſti mortis imperium, & iterum ſepelis mortuos?* Tob. 2. 8. O' præclaram ſancti ſenis pietatem, qui regium non metuebat edictum, mortiſque periculis libenter ſe obijciebat, vt debitam mortuorum cadaueribus pietatem exhiberet. Egregiè D. Ambroſius lib. de Tobia cap. 1. *Interdicto non reuocabatur, ne deſerere officium pietatis* MORTIS METV *videretur; erat enim miſericordiæ pretium mortis poena*. Mortis pericula ſunt prorsùs contemnenda, cùm de pietate agitur mortuis exhibendâ, & iccircò Tobias potiùs mortis diſcrimini ſe voluit obijcere, quàm mortuos inſepultos relinquere.

Tobias, vt mortuos ſepeliret, mortis pericula contempſit.

D. Ambr.

3 Quod & egerunt Iabenſes, mœnia hoſtium aggreſſi, vt indè cadauera Saul, & filiorum eius tur-

Iabenſes mortis diſcrimini ſe obiecerũt.

vt Saul, & eius filios defunctos honorarent.

turpiter pendentia ſuſtollerent, ac regalibus obſequijs honorarēt. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntque Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni.* 1. Reg. 31. 12. Verè fortiſſimi ſunt appellati, qui furtiuè nocturno tempore ad hoſtium muros pergere, aliena caſtra penetrare, & vt mortuis principibus pietatem impēderent, mortis pericula ſubire non timuerunt. Benè Abulenſis. *Viri Iabes* EXPOSVERVNT SE HIC AD MORTEM, *introeundo in terram Philiſthinorum, vt indè auferrent cadauera Saulis, & filiorum ſuorum.* Agnouerunt hi viri, etiam cum diſcrimine vitæ pietatem defunctis deberi, ideòque vt defunctorum corpora ſepelirent, mortis pericula non timuerunt.

Abulenſis.

Othonis milites mortem nō timuerūt, vt eum rogi flammis poſt mortem cremarent.

4 Eiuſdem fortitudinis egregium ſpecimen Othonis milites exhibuerunt, qui, propinquis iam hoſtibus, eius cadauer non dereliquerunt, ſed illud magnificâ funeris pompâ elatum rogi flammis coram ipſis inimicis cremauerunt, & quidam ex ipſis rogo faces admouentes, proprio ſe gladio propter pietatem in defunctum confoderunt. Audiamus Plutarchum in eius vitâ hæc ſcribentem. *Nec quiſquam reliquit eum, ſaluti ſuæ, propinquis iam hoſtibus, proſpiciens, ſed excultum corpus, rogo parato, extulerunt armati, exultaueruntque qui occupauerant ſubire, & geſtare lectum. Cæteri partim vulnus exanimi in genua procumbentes exoſculati ſunt, partim manus attigerunt, alij procul adorauerunt, alij ſubditis rogo facibus* SE IPSI CONFODERE. Vide, an mortem timuerint, qui mortem ſibi metipſis infligere non metuerunt.

Plutarchus.

Multi voluntariè mortem ſibi conſciuerunt in funeribus mortuorum.

5 Et quia hìc ſum, debeo etiam aduertere, multos mortem ſibi ſpontè conſciuiſſe, vt ſuâ defunctis vitâ parentarent. Quod profani ferè innumeri teſtantur Authores. Apuleius lib. 8. metamorph. *Abijcite, inquit, importunas lachrymas, abijcite luctum meis virtutibus alienum, vindicaui in mei mariti cruentum peremptorem, punita ſum funeſtum mearum nuptiarum prædonem, iam tempus eſt, vt iſto gladio deorsùs ad meum Lepolemū viam quæram, & enarratis ordine ſingulis, quæ ſibi per ſomnium nunciauerat maritus, quoque aſtu Thraſyllum inductum petijſſet, ferro ſub papillam dexteram tranſacto horruit, & in ſuo ſibi peruoluta ſangume, poſtremò balbutiens incerto ſermone,* PERFLAVIT ANIMAM VIRILEM. Solinus in Polyhiſt. cap. 55. *Apud eos verò, quibus ad viuendi rationem propenſior cura eſt, multæ vxores eiuſdem viri coeunt matrimonium, & cùm maritus deceſſerit, apud grauiſſimos iudices ſuam quæque de maritis agunt cauſam, & quæ officioſior cæteris ſententiâ vicerit iudicantium, hoc palma refert præmium, vt arbitratu ſuo accendat rogum coniugis, & ſupremis eius* SEMETIPSAM DET INFERIAS. Iuſtinus Hiſtoricus lib. 13. loquens de matre Darij. *Auditâ, inquit, morte Alexandri,* MORTEM SIBI IPSA CONSCIVIT. Xenophon lib. 7. de inſtitutione Cyri de Pantheâ pudiciſſimâ muliere hæc habet. *Nutrici ait, vt ſecum maneret, atque eidem mandat, vt poſtquam eſſet mortua, ſe, ac virum vnâ veſte obtegeret. Nutrix multis eam precata ſuppliciter, ne id perpetraret, cùm nihil efficeret, ipſamque videret indignari, lachrymans conſedit. Tùm mulier, quæ acinacem dudum paraſſet,* SEIPSAM IVGVLAT, *& impoſito in mariti pectus capite moritur. Nutrix ſublato eiulatu ambos obtegit, quemadmodum Panthea iuſſerat.* Plinius lib. 7. cap. 53. *Inuenitur in actis, Fœlice Ruſſato aurigâ elato, in rogum eius vnum è fauentibus* IECISSE SE SE Ouidius lib. 6. Metamorph. funus deſcribens filiorum Niobe.

Apuleius.

Solinus.

Iuſt. Hiſtor.

Xenophon.

Plinius.

Ouidius.

Nam pater Amphion ferro per pectus adacto
Finierat MORIENS *pariter cum luce dolorem.*

Et ne omnes hùc congeram authores, poſtremū addam Alexandrum ab Alexandro, qui lib. 3. dierum genialium cap. 7. ait. *Exemplis palam factum nouimus, multos accenſis Dominorum rogis, doloris impatiētes, vel* VICIENTAS SIBI MANVS INTVLISSE, *aut igni pariter abſumptos eſſe.* Quid? quòd ex ſacris quoque literis idem colligitur? Sanè Armiger Saul, ſuum cernens mortuum Regem, ſuper gladium irruit, & ſemetipſum interfecit. *Quod cùm vidiſſet armiger eius, quòd mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, &* MORTVVS EST CVM EO. 1. Reg. 31. 5. Animaduerte, quàm audacter mortis pericula contempſerint, qui vt mortuis pietatis quamdam ſpeciem exhiberent, mortem ſuis ſibi manibus intulerunt.

Alex. ab Al.

Dauid mori optabat, vt Abſalom defūctus à morte ſuſcitaretur.

6 Pergo, & expendo verba, quibus Dauid ſuam ergà defunctum Abſalom pietatem oſtendit. *Contriſtatus itaque rex, aſcendit coenaculum portæ, & fleuit, & ſic loquebatur vadens, Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi, Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?* 2. Reg. 18. 33. Cur mortem Dauid optabat? An vt cum vitâ dolorem finiret? An vt deſinens viuere, deſineret lugere? Nequaquam; ſed mortem optabat, vt mortuus reſurgeret, & defuncti filij vitam ſuâ emere morte cupiebat. Audi Dionyſium Carthuſianum. *Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, ideſt* VTINAM ADHVC MORI POSSEM, *quatenus tu ſuſcitareris à morte.* Vt mortuū ſuſcitaret, mori optauit, nec timuit vitam amittere, vt vitam amiſſam poſſet filius defunctus recuperare.

Dion. Carth.

Thomas mori, nō dubitanit vt Lazaro mortuo vita redderetur.

7 His addere poſſum ea, quæ Thomas ad cō diſcipulos dixit, qui redire metuebant cum Chriſto in Iudæam, vt ad priſtinam uitam Lazarus reuocaretur extinctus. Eorum namque increpās timorem, illos ad moriendum unà cum Chriſto animauit. *Dixit ergò Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos, eamus, & nos, & moriamur cum eo.* Ioan. 11. 16. O' ingentem ſancti huius Apoſtoli pietatem, qui mortis periculo ſe obijcere non metuit, dummodo reſurrectionis miraculo à morte reuocaretur defunctus; nouerat quippè tantâ pietate proſequendos eſſe mor-

tuos, vt mortis pericula ſint contemnenda, vt eis pietatis obſequia exhibeantur. Fauet idem Dionyſius Carthuſianus. *Eamus & nos, & moriamur cum eo, ideſt fideliter magiſtro noſtro* VSQ; AD MORTEM *adhæreamus. Fortè quòd Thomas auiditate videndi tam glorioſum miraculum animatus fuit, tamque ſecurè locutus.* Vſque ad mortem Chriſto adhærere, vt reſurrectionis miraculo vitam Lazaro redderet mortuo, non dubitauit.

Idem.

Elias vitam ſuam defuncto communicare optabat.

8 Non diſſimilem videtur exhibuiſſe pietatem Sarepthanæ mulieris filio defuncto Elias, qui cùm eius mortem agnouiſſet, cadauer illius tulit, in cœnaculum portauit, ſuper lectulum collocauit, totumque ſe ſuper illud expandit. *Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait, Domine Deus meus, reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius.* 3. Reg. 17. 21. Quòd orauerit, rectè geſtum eſt, multoties namq; precibus exoratus viuorum Deus miſeretur mortuorum. At cur orans ſuper puerum ſemetipſum expandit? An vt ſuum ergà defunctum affectum oſtenderet, quo vitæ ſuæ partem ei dare cupiebat, ſi potuiſſet? Ita cenſet Lyranus. *Hoc fecit ex magno affectu ad ſuſcitationem pueri, per hoc oſtendens, quòd vellet ſibi* DARE PARTEM VITAE SVAE *ſi poſſet fieri.* Vt mortuus puer reſurgeret, vitam ſuam ei dare optauit, vitam amittere non curans, dummodo ad vitam reuocaretur defunctus.

Lyranus.

Symeon mortem optauit, vt mortuis apud inferos cruciatis conſolationem afferret.

9 Huius pietatis ardore incenſus ſanctus ſenex Symeon, poſtquam cum ineffabili mentis gaudio in vlnas ſuas mundi redemptorem ſuſcepit, vt mori ſibi liceret, Deum iteratis precibus rogauit. *Accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace.* Luc. 2. 28. Mirum ſanè, quod Chriſtum amplectens, quem tamdiù deſiderauerat, mortem precaretur. Cur non potiùs longam optauit vitam, vt diutiùs bono, quod videbat, ſibi frui liceret? Vt quid mortem optauit, qui vitæ authorem ſuo ſinu fouebat? Id egit vt mortuis apud inferos cruciatis conſolationem afferret, dum ad inferos deſcendens Redemptoris aduentum, qui clauſtra inferorum reſeraret, eis nunciaret. Hoc voluit in Bibliothecâ veterum patrum B. Amedeus homiliâ 1. de fructibus, & floribus B. Mariæ. PRECABATVR SVI CORPORIS DISSOLVTIONEM, *quò liberiùs effracto mortali domicilio, prægustatâ dulcedine frueretur, & natum ſaluatorem, quem apud ſuperos prædicabat, habitantibus in regione vmbræ mortis nunciaret.* Mori optauit, vt mortuis conſolationem afferret, tantâ enim ergà defunctos pietate præditus erat, vt hanc ſuæ quoque vitæ libenter præferre voluerit.

B. Amedeus.

Ioſeph Arimathæus, vt Chriſtum ſepeliret, mortē contempſit.

10 Non eſt hìc omittenda pietas, quâ Ioſeph Arimathæus Chriſti cadauer à Pilato poſtulauit, vt illud poſſet in ſuo debitis obſequijs humare monumento. *Acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus.* Matth. 27. 58. Expende huius inclyti viri conſtantiam, qui cùm omnes cerneret in Chriſtum, eiuſque diſcipulos atrociter ſæuientes, ad præſidem accedere non dubitauit, & interfecti magiſtri cadauer audacter petijt, omni poſtpoſito vitæ periculo, vt pietatem exhiberet defuncto. Porrò valdè commendandus eſt, qui pro Chriſti corpore animam ſuam ponere non timuit, & Iudæorum perſecutiones euitare non curauit. Optimè Theophylactus. *Deliteſcebat quidem olim Ioſeph, nunc autem magnam vim audet,* PONENS ANIMAM SVAM PRO CORPORE MAGISTRI, *tantaſque inimicitias Iudæorum ſuſcipiens.* Iudęorum inimicitias neglexit, & mortis periculo ſe libenter obiecit, vt ſuâ poſſet pietate Chriſtum honorare defunctum.

Theophyl.

Mulieres mortem contempſerunt, vt Chriſtum ungerēt defunctum.

11 Nec aliter ſe geſſerunt mulieres, quæ aromata multa, vt Chriſtum defunctum vngerent, ſecum tranſacto Sabbato tulerunt, & ad eius monumentum, nocturno adhuc tēpore, perrexerunt. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in primâ Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum.* Matth. 28. 1. O' ingentem, ac virilem fortium mulierum animum, quæ nec noctis tenebras timuerunt, nec latronum inſidias metuerunt, nec viæ difficultates veritæ sūt, ſed omnia etiam mortis pericula pietati, quam defuncto parauerant magiſtro, poſthabuerunt. Eleganter D. Ioannes Chryſoſtomus. *Ideò & vnguenta tulerunt, & diutiùs morabantur, vt ſimul ac per furorem Iudæorum liceret, ad vngendum ipſum accurrerent. Vides mulierum fortitudinem? Vides pium ergà ipſum amorem? Vides liberalitatem in pecunijs? Vides animum,* VEL MORTIS PERICVLA CONTEMNENTEM? Mortis pericula ſanctæ mulieres generoſè contempſerunt, vt ſuis poſſent vnguentis Chriſto pietatem opportunam exhibere defuncto.

D. Io. Chryſ.

Theogena mortis periculū contempſit, vt marito exequiarū officium exhiberet.

12 Dum verò mulierum pietatem commendo, non poſſum Theogenam omittere vxorem Agathoclis, quæ cùm ab eo in Aegyptum dimitteretur, ne hoſtis iniurias ſuſtinere cogeretur, ægrè potuit à marito graui morbo laborante diuelli. Teſtabatur quippè generoſa mulier, ſe libenter omnia mortis pericula neglecturam, dummodo poſſet ei morienti adſtare, ac mortuo debita exequiarum officia præſtare. Rem dabo, vt eam habet Iuſtinus Hiſtoricus lib. 23. *Vxor diù, ne ab ægro diuelleretur, deprecata eſt, ne diſceſſus ſuus adiungi nepotis parricidio poſſet, & tam cruètè hæc deſeruiſſe virum, quàm ille impugnaſſe auum videretur: nubendo, ſe non proſperæ tantùm, ſed omnis fortunæ iniſſe ſocietatem, nec inuitam* PERICVLO SPIRITVS SVI *empturam, vt extremos viri ſpiritus exciperet, & exequiarum officium, in quod, profectâ ſe, nemo ſic ſucceſſurus, obſequio debitæ pietatis impleret.* Vt curam haberet morientis, & funus curaret mortui mariti, mortis pericula virili animo ſubire non dubitauit.

Iuſtinus Hiſtoricus.

Priamus mori potius vo-

13 Expreſſit etiam hoc deſiderium ſubeundi potiùs mortem, quàm derelinquendi mortuos

Homerus

Digitized by Google

luit, quàm filium derelinquere apud hoſtes inſepultum.

Iliade 24. dum Priamum Hectoris filij cadauer apud Græcos neglectũ magnis muneribus redimere, atque honorifico ſepulchro humare cupientem, hæc inducit loquentem.

Homerus.

ſi autem mihi fatum,
MORI apud naues Achiuorũ ære tunicatorum.
Volo, mox enim me interficiet Achilles
Vlnis complectentem meum filium, poſtquam luctûs deſiderium exemero.

Vides generoſum ſenem mori potiùs, quàm filiũ derelinquere apud hoſtes inſepultum decreuiſſe?

Canes, qui in funeribus dominorum voluntariam ſibi mortem cõſciuerunt.

14 Addo in fine Capitis, Canes quoque, vt mortuis, quam poſſunt, impenderent pietatem, voluntariam ſibi mortem conſciuiſſe. Audiamus, quid ſcribat Ælianus lib. 7. de Hiſtoriâ Animalium cap. 40. *Cùm Polus, cuius dum viueret munus erat tragœdias agere, animam egiſſet, & pro more cremaretur, canis eius alumnus* IN MEDIOS IGNES INSILIENS, *viuus vnà cum altore ſuo exuſtus eſt. Rogo etiam eodem, in quo Mentor impoſitus fuiſſet, Canes eius Eretrici* VOLVNTARIAM MORTEM SIBI CONSCIVERVNT. *Vt verò Theodorum Pſaltem ſui propinqui in ſepulchrum impoſuiſſent, eius Melitenſis catellus* VLTRO SEIPSVM IN CADAVERIS THECAM INIICIENS, *pariter cum Domino humatione, & ſepulturâ affici voluit.* Alexander etiam ab Alexandro lib. 3. dierum Genialium cap. 7. hæc habet. *De canibus, qui charitate dominorum* IN FLAMMAS SE INIECERE, *memoria proditum eſt. Nam Hieronis, & Lyſimachi canes, accenſis rogis dominorum,* IN FLAMMAS SE INIECISSE, *& vno incendio arſiſſe tradunt.* Dum igitur canes quoque mortem ſubire non timuerunt, vt mortuis, à quibus alebantur, ſpeciem pietatis aliquam exhiberent, propriæ vitæ incolumitati pietas eſt præferenda, quæ debetur defunctis. Mortis ergò pericula contemnantur, vt mortuis pietatis obſequia impendantur.

Ælianus.

Alex. ab Ale.

CAPVT VIII.

Iuſtitiam debent amplecti, qui ſuâ mortuos pietate amplectuntur.

Vt preces, quas pro defunctis viui effũdunt, ſint efficaces, debent iſti eſſe iuſtitiâ præditi.

1 VT magis viui defunctis proſint, debent iuſtitiâ, & gratiâ eſſe præditi, ita vt iuſti viuentes fiant, dum iuſtis defunctis pietatis ſuffragia præſtant. Multam quippè tunc noſtræ orationes, quibus æternam gloriam defunctis à Deo poſtulamus, habebunt efficaciã, cùm iuſtificati has preces effundemus. Appoſitè Iodocus Clichtoueus ſer. 1. in die commemorationis animarum vtitur exemplo publicani, cuius preces tunc à Deo exauditæ fuerunt, cùm pœnitentis cordis dolore præcedentia delens peccata, iuſtificatus in templo Deum exorauit. *Et publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad Cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuum ab illo,* Luc. 18. 14. Sic igitur tunc preces, quæ pro defunctis effunduntur, facilè Deus exaudiet, cùm illas ei à peccatis iuſtificati offeremus. *Vt efficaces ſint noſtræ orationes, quas pro mortuis facere proponimus, detergenda ſunt ſalutari contritione, & emendationis propoſito peccata noſtra, quibus Deum offendimus, & tunc cum publicano peccatorem ſe confitente* IVSTIFICATI, *ac per pœnitentiam emundati, gratas Deo, & mortuis vtiles offeremus orationes.* Vt noſtræ orationes Deo ſint acceptæ, ac mortuis valdè proficuæ, eas effundere debemus, à culpis, quibus Deũ læſimus, per pœnitentiam iuſtificati.

Iodoc. Clicht.

Viduæ ſanctæ pro defunctâ exorantes confeſtim ſunt exauditæ.

2 Tales fuerunt preces, quas pro Tabithâ defunctâ coram Petro viduæ fideles effuderunt, quibus cum deprecatæ ſunt, vt ad priſtinam vitam illam reuocaret. *Et cùm adueniſſet, duxerunt illum in cænaculum, & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.* Act. 9. 39. Quas quidem preces confeſtim Petrus exaudiuit, & mortuam mulierem Apoſtolicâ interceſſione ſuſcitauit. Cur verò tantâ ſunt celeritate viduarum iſtarum preces exauditæ, niſi quia iuſtitiâ præditæ erant, ac ſanctitate pollebant? Hùc alluſit Hugo Cardinalis. SANCTA *pro ſanctâ ſanctum rogant.* Sanctitate polleat, qui pro ſanctis defunctis exorat, efficaciores enim orationes erunt, quæ pro ſanctis offeruntur, ſi à ſanctis exhibeantur.

Hugo Card.

Magdalena, quia Chriſtũ dilexit, ſuis precibus vitã defuncto fratri obtinuit.

3 Nouerat hoc Magdalena, cuius frater Lazarus cùm defunctus fuiſſet, ac Chriſtus ad Bethaniæ oppidum, vbi condebatur eius cadauer, aduenit, vt ei ſuis precibus vitam impetraret, humiliter corruens cecidit ad pedes magiſtri. *Maria ergò cùm veniſſet, vbi erat Ieſus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei, Domine, ſi fuiſſes hìc, non eſſet mortuus frater meus.* Ioan. 11. 32. Aduertit autem Rupertus Abbas, Mariam cecidiſſe, non tantùm fratris dolore, ſed & Chriſti amore vulneratam; nec enim tantam eius preces pro defuncti fratris ſuſcitatione habuiſſent efficaciam, niſi amore Chriſti prædita, ſimul & fratrem luxiſſet, & Deum dilexiſſet. *Cecidit ad pedes eius, dolore fratris pariter, &* AMORE CHRISTI SAVCIA, *breuiterque locuta, Domine, ſi fuiſſes hìc, frater meus non eſſet mortuus, linguâ conticuit, cætera vberiùs lachrymis peregit.* Et verbis, & precibus, & lachrymis defunctum fratrem adiuuit, quia diuino amore ſuccenſa ad Chriſti pedes, interpellans pro eo, cecidit, nam diuino debent amore flagrare, qui ſatagunt ſuis ſuffragijs efficaciter defunctos adiuuare.

Ruper. Abb.

Magdalena ad honorandam Chriſti ſepulturam iuſta, non peccatrix acceſſit.

4 Quod etiam ex eo colligere licet, quod eadem Magdalena geſſit, cùm ad Chriſtum pergens in domo Simonis leproſi recumbentem, vt proximam ſepulturam illius honoraret, multa, & pretioſa vnguenta ſuper caput eius effudit. *Cùm autem eſſet Ieſus in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* Matth. 26. 7. Obſeruatione autem dignum eſt, quòd hæc mulier, cùm peccatrix fuit, Chriſti pedes vnxit, cùm verò ſuper caput ipſius ad ſepulturæ honorẽ vnguenta effudit, non amplius peccatrix, ſed iu-

ſta tuit; debent enim ſemetipſos pœnitentiæ virtute iuſtificare, qui memorias honorant defunctorum. Annuit Gloſſa ordinaria.

Gloſſa ordin.

Maria Magdalena ſoror Lazari, MODO' IVSTA, ET FAMILIARIS, *quæ quondam peccatrix venit, & pedes lachrymis lauit, nunc caput, & pedes vnxit.* Ad honorandam Chriſti ſepulturam iuſta, non peccatrix acceſſit, iuſtitiâ namque præditi debent mortuis pietatis obſequia exhibere viuentes.

Ioſeph, qui Chriſtum ſepeliuit, iuſtus fuit.

5 Hinc & Ioſeph Arimathæus, qui mortuum Chriſtum in ſuo monumento condidit, ac pretioſis vnguentis perfuſum ſepulchralibus obſequijs honorauit, vir bonus, & iuſtus ab Euangeliſtâ nuncupatur. *Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat Decurio, vir bonus, & iuſtus.* Luc. 23. 50. Non vacat quippè myſterio, quòd iuſtus fuiſſe dicatur, qui tanto Chriſtum defunctum honore ſepeliuit, ſed illud per hoc nobis innuitur, quòd iuſti eſſe debent, qui ſuâ mortuos pietate honorant. Egregiè Remigius in catenâ in cap. 27. Matth.

Remigius.

IVSTVS *fuiſſe deſcribitur; decebat quippè eum talem exiſtere, qui corpus Domini ſepeliret, quatenùs* PER IVSTITIAM *meritorum dignus eſſet tali officio.* Iuſtitiam exigit officium pietatis, quod mortuis exhibetur, ideòque iuſtitiâ debebat Ioſeph Arimathæus decorari, qui tantam Chriſti cadaueri erat pietatem exhibiturus.

Impij Chriſtū viuum interfecerunt, & iuſti mortuū ſepelierunt.

6 Cùm Paulus Chriſti fidem Iſraëlitis prædicaret, dixit Iudæos, nullam cauſam mortis in Chriſto inuenientes, eum iniuſtè interfeciſſe, ac de Cruce cadauer eius depoſitum in monumento condidiſſe. *Et nullam cauſam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum. Cùmque conſumaſſent omnia, quæ de eo ſcripta erant, deponentes eum de ligno, poſuerunt in monumento.* Act. 13. 29. Opportunè autem hic obſeruat Dionyſius Carthuſianus, non eoſdem Chriſtum interfeciſſe, ac de cruce depoſitum humaſſe, ſed impios illum cruci affixiſſe, iuſtos autem ſepulturâ eius cadauer donaſſe.

Dion. Carth.

Non vtique ijdem numero interfecerunt, & depoſuerunt, ac ſepelierunt, ſed illud impij, hoc IVSTI, *videlicet Ioſeph ab Arimathæâ, & Nicodemus.* Impij quidem Chriſtum viuum interfecerunt, ſed iuſti eum mortuum ſepelierunt, vt nobis innueretur, iuſtitiam, ac ſanctitatem ſectandam eſſe ab eis, qui defunctis pietatem impendunt. Quò etiam ſpectauit D. Ambroſius in c. 24. Lucæ.

D. Ambroſ.

Ioſeph, & Nicodemus, vt Ioannes dixit, Chriſtum ſepeliunt, vnus IVSTVS, *& conſtans, alter, qui erat magiſter in Iſrael. Talis enim Chriſti eſt ſepultura, quæ* IVSTITIAM *magiſteriumque habeat.* Voluit Chriſtus à viris iuſtitiâ præditis humari, vt hinc diſceremus viuos iuſtitiâ, & ſanctitate eſſe exornandos, vt dignè mortuis pietatem impendant.

Abraham facilè ab Ephrō agrum impetrauit, pro ſepulturâ defūctæ coniugis, quia iuſtus fuit.

7 Saram vxorem, cùm eſſet in Hebron peregrinus, Abraham, vrgente morte, amiſit, quapropter ab Ephron poſtulauit, vt ſibi agrum venderet, ac ſpeluncam, quò poſſet eius humare cadauer. Obtulit ei Ephron agrum, quod cùm non niſi numeratâ pecuniâ accipere Abraham voluiſſet, ſolutis quadringentis argenti ſiclis, eum recepit. *Reſpondìtque Ephron, Domine mi, audi me: Terra, quam poſtulas, quadringentos ſiclos argenti valet: iſtud eſt pretium inter me, & te; ſed quantum eſt hoc? ſepeli mortuum tuum.* Gen. 23. 15. Quorum verborum hunc ſenſum fuiſſe, Vatablus in Scholio tradit.

Vatablus.

Terra quadringentos ſiclos argenti valet inter me, & te, quantum eſt hoc inter me, & te? hoc eſt ratione amicitiæ, & quia te noui VIRVM IVSTVM, ET SANCTVM, *quaſi dicat, alteri non darem tam vili pretio.* Facilè impetrant viri iuſti, & ſancti, quæ pro defunctis exorant; vndè quia Abraham iuſtitiâ, & ſanctitate præditus erat, agrum, quem pro defunctâ vxore poſtulauit, ab Ephron Hethæo vili pretio impetrauit.

Reprehendit Phariſæos Chriſtus, quia in peccatis monumenta ædificabant mortuorum.

8 Reprehendit Chriſtus Phariſæos, quia monumenta ædificabant prophetarum, qui fuerant à patribus eorum interfecti, & illorum ſepulchra exornabant. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum: patres autem veſtri occiderunt illos.* Luc. 11. 47. Miror, quòd eos Chriſtus reprehenderit, qui huiuſmodi operibus defunctis pietatem impendebant! Nunquid obiurgatione digna ſunt, quæ in mortuorum gratiam fiunt? Nunquid redargui merentur, qui mortuorum memoriam apud poſteros excitare conantur? Nunquid tandem malè agebant, dum prophetas iniuſtè interfectos honorare ſtudebant? Non quia hæc pietatis obſequia mortuis exhibebant, malè agebant, ſed quia ea in peccatis, & non rectâ intentione impendebant, quibus debuiſſent iuſtificati, ac ſanctitate præditi prophetas honorare defunctos, & iccircò eos Chriſtus obiurgauit, quia hac iuſtitiâ, & ſanctitate carebant. Fauet Euthymius in cap. 23. Matth.

Euthymius.

Væ, inquit, vobis, non quòd hæc facitis, & hæc dicitis, cùm bona ſint, ſed quòd hæc facientes, ac vtrinque patrum veſtrorum homicidium accuſantes, ad illud vos quoque curritis, feſtinantes & me, & diſcipulos meos occidere. Non peccatis irretiti, ſed iuſtitiâ, & ſanctitate præditi debemus pietatem exhibere defunctis, quare Phariſæi, qui Chriſtum, eiuſque diſcipulos vſque ad internecionem perſequebantur, ab eo fuerunt reprehenſi, quod iuſtitiam pœnitentiâ ſibi non compararent, vt magis dignè pietatem interfectis Prophetis exhiberent. Quod idem etiam docuit Hugo Cardinalis in c. 11. Lucæ his verbis.

Hugo Card.

Ædificabant ſepulchra prophetarum, quos patres eorum occiderant, & hoc quidem bonum erat, ſed non bonâ intentione, nec in bono ſtatu faciebant, quia ſolâ laude hominum hoc faciebant, & in peccatis. Reprehenſione digni erant, quia in ſtatu peccati obſequijs illis mortuos honorabant, nam debent reſurgere à peccatis, & per pœnitentiam ſemetipſos iuſtificare, qui debito modo pietatem defunctis impendere optant.

Lachrymæ, quas Ioſeph in patris morte fudit, commēdabiles fuerunt, quia ille iuſtus fuit.

9 Secus egit Sanctus Patriarcha Ioſeph, qui parentem Iacob cernens in Ægypto defunctum, ruit ſuper faciem illius, vultumque illius filiali affectu oſculatus, vberrimis eum lachrymis plorauit.

plorauit. *Quod cernens Ioſeph, ruit ſuper faciem patris, flens, & deoſculans eum.* Gen. 50. 1. Quæ ſanè lachrymæ valdè commendabiles fuerunt, quia à viro iuſto, & ſancto proceſſerunt; nam tunc valdè laudabilia ſunt pietatis obſequia, quę defunctis exhibentur, cùm à viris iuſtis, & ſanctis impenduntur. Præclarè D. Paulinus Epiſtolâ ad Pammachium. *Bonæ lachrymæ pietatis, quas* IOSEPH IVSTVS *impendit patri*. Laudem meruerunt lachrymæ, quæ pro defuncto parente à filio iuſto effuſæ fuerunt, nam iuſtitiam debent amplecti, qui ſuâ mortuos pietate amplectuntur.

D. Paulinus.

CAPVT IX.

Modus, quo vtiliter plorandi ſunt mortui explicatur.

Mortuis lachryma debētur pietatis affectu comitata.

1 MOrtuis lachrymas deberi eſt adeò clarum, vt nullis videatur hic luctus egere argumentis. Vndè Homerus Odyſſeâ 4. dixit.

illum nec enim reprehendere fas eſt,
Qui fleat hunc, cuius fregerunt ſtamina parcæ
Solus honor ſequitur mortales ille miſellos,
Et tondere comam, & LACHRYMAS IN FVNERE SPARGI

Homerus.

Ouidius lib. 11. Metamorphoſeon.

Ouidius.

Surge age DA LACHRYMAS, lugubriaque indue, nec me
Indeploratum ſub inania tartara mitte.

Quin & ſacra oracula hunc nobis luctum ſuadēt, vnde Eccleſiaſtici 22. 10. *Suprà mortuum plora, defecit enim lux eius*, & cap. 38. 16. *Fili in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare*. Abraham quoque, Ioſeph, Tobiam, aliosque ſanctiſſimos Patriarchas legimus pio luctu ploraſſe defunctos, imò Chriſtus ipſe mortuū luxit Lazarum, vt lachrymas probaret, quibus honorantur defuncti. Cùm igitur lachrymæ illis debeantur, modum nunc mihi aſſumo explicandum, quo lachrymæ iſtæ ſunt effundendæ, vt aliquam defunctis, pro quibus effunduntur, afferant vtilitatem. Qui profectò modus explicatur cap. Vbicumq; 13. quæſt. 2. dum verba D. Pauli explicantur. *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* 1. ad Theſſalonic. 4. 13. Quæ poſtrema verba non otiosè adduntur, ſed vt innuatur, eas tantùm lachrymas prohiberi, quæ ſine ſpe reſurrectionis ab infidelibus effunduntur, non verò quæ pietatis ſuffragijs comitatæ pro gloriâ mortuis fidelibus impetrandâ ſalubriter ſparguntur. *Apoſtolus non ſimpliciter ait, Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini, ſed addidit, vt & cæteri, qui ſpem non habent. Pietatis namque affectu, & humanitatis intuitu mortuos lugere non prohibemur, ſicut nonnullos ſanctorum antiquorum exequijs* LACHRYMAS *impendiſſe legimus.* Vt ſalubriter lachrymæ fundantur, debent qui eas effundunt pietatis affectu eas comitari, ita vt non nudæ, ſed miſeratione cordis ab oculis proueniāt indutæ.

2 Vt Chriſtus Archiſynagogum ſecutus, turbam reperit flentem, ac mortuam puellam multo eiulatu plorantem, iuſſit eis, ne plorarent. *Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit, Nolite flere.* Luc. 8. 52. Quærendum hìc, cur Chriſtus lachrymas prohibuerit, quas pia turba puellæ impendebat defunctæ. Nonnè Lazari ſorores defunctum fratrem lachrymari permiſit, quin & ſuas quoque cum earum lachrymis vniuit? Quare igitur hanc etiam turbam plorare non ſiuit, ſed ſiccis oculis eam recedere iuſſit? Quia lachrymas inutiles effundebant, dum eas cum precibus, ac ſuffragijs non vniebant. Opportunè Simon Caſſianus lib. 5. in Euangelia c. 14. LVCTVS *erat, nullumque iuuamen*. Inutilis eſt luctus, qui ſine ſuffragijs pro defunctis effunditur, ideòque lachrymas turbæ tumultuantis Chriſtus prohibuit, quia ſine precibus, & ſuffragijs inutiles fundebantur, & caſſæ.

Lachrymas Chriſtus turbæ tumultuāti prohibuit, quia ſine precibꝰ fuſæ inutiles erant puellæ.

Simon Caſſ.

3 Secùs autem ſe geſſit, cùm Archiſynagogū plorantem, & ad ſe accedentem vidit, nec enim ei, vt à lachrymis ceſſaret, præcepit, ſed confeſtim ſurgens, ſecutus eſt eum, & ad domum, in quâ puella iacebat, vt eam ad vitam reuocaret, vnà perrexit. *Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum*. Matth. 9. 19. Pias quippè lachrymas cum deuotis precibus Archiſynagogus vniuit, & iccircò eum Chriſtus exaudiuit, & eius filiæ defunctæ talium intuitu lachrymarum priſtinam vitam benignè reſtituit. Non ſunt omittenda carmina quibus in Bibliothecâ veterum Patrum Sedulius lib. 3. operis paſchalis has Archiſynagogi lachrymas commendat.

Lachrymæ Archiſynagogi precibus vnita vitam filiæ obtinuerunt.

Sedulius.

ſanctos Domini, LACHRYMANSQ; genuſq;
Corruit antè pedes, vix verba peccantia fari
Singultu quatiente valens.

Lachrymis preces addidit, atque ideò vitam defunctæ filiæ impetrauit, nam tunc noſtræ proſunt mortuis lachrymæ, cùm ſuffragia pietatis eas comitantur.

4 Hinc valdè Lazaro Magdalenæ lachrymæ profuerunt, cuius precibus quatriduanum eum Chriſtus ab inferis ſuſcitauit, lachrymę nimirum, precibus adiectis, vitam defuncto fratri obtinere potuerunt. Cùm veniſſet Chriſtus Bethaniam, ſtatim Magdalena cucurrit, & ad pedes illius prouoluta pro fratre feruenter eum exorauit. *Maria ergò cùm veniſſet, vbi erat Ieſus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dixit ei, Domine ſi fuiſſes hìc, non eſſet mortuus frater meus*. Ioan. 11. 32. Vbi aduertit Nonnus, nec ſolas preces, nec ſolas lachrymas pro defuncto fratre Magdalenam protuliſſe, ſed lachrymas precibus miſcentem, & preces lachrymis adiungentem, mortuo vitam obtinuiſſe à Chriſto.

Magdalena lachrymæ precibus annexæ Lazaro defuncto valdè profuerunt.

Nonnus.

Prona per ſe voluta in pauimentum cadens
Iuxtà pedes immortales inclinabatur, lugēs autem
Humore lugubri diuinos madefecit pedes,
Sermonem eructans coactum, è faucibus autem

LACHRYMIS victa vix egrediebatur vox,
O' beate, ſi adfuiſſes, non Lazarus ceſſiſſet fato.

O' beatas lacbrymas, quæ precibus, ac ſuffragijs animatę fratri potuerũt vitã impetrare defuncto.

Nõ nudas lachrymas pro fratre fundebat, ſed cum eis preces coniungebat.

5 His cõſueuerat lacbrymis Magdalena plorare defunctos, quapropter Iudæi neſcientes, eam ſurgentem ad Chriſtum properare, qui venerat, ſecuti ſunt illam, putantes lacbrymarum cauſâ eam proficiſci ad Lazari ſepulchrum. *Iudæi ergò, qui erant cum eâ in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam, dicentes, Quia vadit ad monumentũ, vt ploret ibi.* Ioan. 11. 31. Quas verò lacbrymas crediderunt Iudæi Magdalenam ad fratris monumentum effuſuram? An ſimplices lachrymas, quæ dolorem lenirent, ſed mortuo non proficerent? Nequaquam: ſed cenſuerunt eam lachrymas cum precibus pro mortui fratris animâ Deo exhibituram. Habet hoc Dionyſius Carthuſianus. *Secuti ſunt eam, dicentes, quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi, &* PLORANDO ORET *pro animâ fratris defuncti.* Non nudæ à Magdalenæ oculis pro fratre mortuo erumpebant lachrymę, ſed vnà cum lachrymis pia mulier preces effundebat, quib. ei debitę ſuffragia pietatis exhiberet.

Dion. Carth.

Chriſtus lachrymas cum ſuffragijs pro mortuis effuſas exemplo ſuo commendauit.

6 Has autem cernens lachrymas Chriſtus, plorauit & ipſe, ac ſuo luctu, antequam eum ſuſcitaret, amico parentauit extincto. *Et lachrymatus eſt Ieſus.* Ioan. 11. 35. Quòd ſi quæratur, cur Chriſtus, qui mox Lazarum erat ſuæ diuinitatis virtute ſuſcitaturus, eum plorauerit, reſpondet D. Thomas id eum egiſſe, vt vnà cum lachrymis mortuo amico pietatem impendens, nos doceret, mortuis non puras lachrymas, ſed vnà cum eis preces, ac ſuffragia deberi. *Lachrymæ non erant ex neceſſitate, ſed ex pietate, & causâ. Fons enim pietatis erat, & ideò* FLEBAT, *vt oſtendat non eſſe reprehenſibile, ſi aliquis ploret ex pietate.* Nudæ lachrymæ, quæ caſſæ, ac inutiles nihil defunctis proficiunt, reprehenſione dignæ ſunt, at lacbrymę, quas preces, ac ſuffragia pietatis comitantur, ſupremis laudibus commendari merentur, ideòque pro mortuo amico lachrymatus Chriſtus, ſuo eas commendauit exemplo. Quamobrem & Auguſtinus Tract. 49. in Ioannem ait. *Quare* FLEVIT *Chriſtus, niſi quia homines* FLERE *docuit?* Fleuit, vt nos inſtrueret, quomodo flere, quoque fletu mortuos plorare debeamus, fletu videlicet, in quo cum lachrymis preces, & cum ſuſpirijs ſuffragia miſceantur.

D. Thomas.

D. Auguſtin.

Viri ſpiritales gemitum cum precibus vniunt, cùm pro defunctis propinquis Deum exorant.

7 Hunc fletum Apoſtolus Paulus indicauit, cùm dixit Spiritum poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ad Rom. 8. 26. Cur verò dicitur Spiritus poſtulare pro nobis? Nonnè Spiritus eſt Deus, qui nos orãtes exaudit? Quomodo igitur orat, qui nullum ſuperiorem agnoſcit, cui orationem offerat? Non hìc ſpiritûs nomine intelligitur Spiritus ſanctus, qui non orat, ſed nobis orantibus ſua dona largitur, ſed viri ſignificantur ſpirituales, qui lachrymas cum precibus vniunt, quotieſcumquè pro ſuis propinquis Deum exorant. Audiendus D. Io. Chryſoſt. hom. in Pſal. 41. *Hoc quoque Paulus oſtendens, vociferatur, dicens. Ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitib. inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quòd ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis. Hoc autem dicebat, non quòd ſpiritus gemeret, ſed quòd viri ſpiritales, qui habent dona ſpiritûs, pro propinquis orantes, & ſupplicationes offerentes, hoc facerent cum compunctione, &* GEMITIBVS. Gemitum cum ſupplicationibus vniunt viri ſpiritales, cùm pro ſuis propinquis Deum exorãt, quos imitari debent, qui ſuos propinquos gemunt defunctos, ſupplicationes, ac preces cum gemitu, & lachrymis Deo pro eis offerentes.

D. Io. Chry.

8 Ad hoc nos hortatur D. Vincentius Ferrerius ſer. 3. Dominicæ 13. poſt Trinitatem, in eos vehemẽter inuectus, qui Eccleſias adire, ac ad Cæmeteria renuunt pergere, in quibus monumenta ſunt mortuorum. Arguit autem illos ex eo, quòd eò conuenire deberent, vt ſuis lachrymis, ac precibus ſuorum ſuffragarentur animabus defunctorum. *Notandum hìc contrà mulieres nolentes ire ad cæmeteria, vel Eccleſias, in quibus filij, vel viri ſunt ſepulti, ibi enim efficaciùs* CVM LACHRYMIS ORARENT *pro eis, quàm alibi. Ideò monumentum dicitur quaſi monens mentem.* Lachrymæ cum precibus defunctis debentur, quapropter ſunt valdè reprehendendi, qui ad Eccleſias, & cæmeteria non cõueniunt, vt tam ſalutarem eis luctum impendant.

Salutaris luctus, qui cum precibus vnitur pro defunctis.

D. Vinc. Ferr.

9 Quàm verò ſint efficaces lachrymæ hoc modo pro defunctis effuſę, oſtendit Elias, cùm filium Sarepthanæ viduæ, apud quam hoſpitabatur, ad vitam reuocauit defunctũ. De ſinu quippè matris illum tulit, atque in cœnaculum, vbi ipſe manere conſueuerat delatum, ſuper lectum ſuum collocauit. Quod cùm geſſiſſet, clamauit ad Dominum, eum deprecans, vt illi amiſſam iterum ſuâ pietate largiretur vitam. *Et clamauit ad Dominum, & ait, Domine Deus meus reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius.* 3. Reg. 17. 21. Quem clamorem luctum fuiſſe precibus vnitum Euthymius teſtatur, ſcribens in cap. 7. Lucę his verbis. *Propheta Elias filium Sarepthanæ viduæ ſuſcitauit, ſed* DEPLORANDO *ergà Deum, ipſumque deprecando.* Lachrymas cum precibus Elias effudit, hiſque ſuffragijs defuncto, quem plorabat, vitam à Deo impetrauit.

Lachrymas cum precibus Elias coniunxit, vt viduæ Sarepthanæ filium ſuſcitaret.

Euthymius.

10 Eliam imitatus eſt eius diſcipulus Eliſæus, ad cuius pedes cùm acceſſiſſet mulier Sunamitis, quæ mortuum filium lugebat, voluit Giezi puer prophetæ illam amouere, ſed vir Dei præcepit illi, vt eam dimitteret. *Cùmque veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius, & acceſſit Giezi, vt amoueret eam, & ait homo Dei, dimitte illam.* 4. Reg. 4. 27. Conſuetudo erat Prophetę, vt nullam mulierem ad ſuorum pedum tactum admitteret, ideòq; Giezi hanc Sunamitidẽ amouere volebat. Quod tamen cæteris negabat, huic benignè cõceſſit, idq; aduertit Abul. *Licet cõſuetudo Eliſæi eſſet, quòd nulla fœmina tãgeret pedes eius, tamẽ*

Idem egit Eliſæus, cũ filiũ Sunamitidis ad vitam reuocauit.

Abulenſis.

huic

huic voluit permittere ſpecialiter. At cur qui alias eijciebat, hãc mulierẽ ad ſuos pedes iacere permiſit? Vt ſuas preces cũ mulieris lachrymis vniens, faciliùs puero vitam reſtituere poſſet defuncto.

Lyranus.

Accinit Lyranus. *Ait homo Dei, dimitte illam, vt non ſolùm per preces Eliſæi, ſed etiam* Per Lachrymas Matris *impetraretur reſurrectio filij*. Nouerat Propheta lachrymas cum precibus coniunctas mortuis eſſe valdè proficuas, quare cum mulieris lachrymis voluit ſuas coniungere preces, vt filij reſurrectionem à Deo impetrare mereretur.

Ioannes mortuum ſuſcitauit, pro quo propinqui lachrymantes ſunt deprecati.

11 Idipſum egerunt propinqui Stactei adoleſcentis, quem D. Ioannes Apoſtolus à morte ad vitam reuocauit. Acceſſerunt hi ad ſanctum Apoſtolum, eumq; lachrymis obortis rogauerunt, vt miſertus adoleſcentis, qui florente adhuc iuuentute præditus nuper vxorem duxerat, à mortuis eum Apoſtolicâ virtute ſuſcitaret. Vt verò vidit Ioannes eos pro mortuo lachrymas cum precibus effundentes, confeſtim illos exaudiuit, eumq; pro quo deprecabantur, illicò ſuſcitauit. Rem narrat Petrus de Natalibus lib. 2. Catalogi cap. 7. *Contigit autem Stacteum quemdã iuuenem, qui triginta diebus antè vxorem duxerat, deferri mortuum tumulandum, quem Apoſtolus matris viduæ, & parentum* Precibus, Et Lachrymis *compaſſione motus, orans à mortuis ſuſcitauit*. Valdè mortuis proficiunt lachrymæ cum precibus coniunctæ, quamobrem, vt vidit Ioannes huius adoleſcentis propinquos lachrymas cum precibus pro eo fundentes, confeſtim ei ſuâ oratione vitam reſtituit.

Petrus de Natalibus.

Ambroſius orans, & lugens mortuũ ſuſcitauit.

12 Hoc etiam comprobat miraculum, quo D. Ambroſius Patricij cuiuſdam filio vitam reſtituit, quem cùm ab eius matre in ſuo lecto iam defunctum collocatum inueniſſet, oratione, ac lachrymis ab inferis reuocauit. Nouerat quippè lachrymas tunc mirabiliter prodeſſe defunctis, cùm ſimul cum precibus à viuentibus effunduntur. Do verba eiuſdem Petri de Natalibus lib. 1. cap. 36. *In ciuitate Florentiæ filium cuiuſdam nobilis nomine Panſonem puerum obſeſſum à Dæmonio liberauit, & dum poſt dies modicos puer ſubitò expiraſſet, mater ipſum in lecto ſancti defunctum locauit, quem ille ſuperueniens* Oratione, Et Lachrymis *ſuſcitauit*. O vim ineffabilem lachrymarum cum precibus pro defunctis erumpẽtium, quæ ita illis proficiunt, vt vitam quoque interdum eis valeant impetrare corporalem.

Idem.

Alethius in vxoris morte lachrymas effudit, & eleemoſynas erogauit.

13 Nec tantùm cum precibus, verùm etiam cum alijs pietatis ſuffragijs debent lachrymæ coniungi, quæ pro mortuis effunduntur. Quod agnouit Alethius, qui defunctam plorans vxorẽ, non eam caſſo luctu honorauit, ſed dum lachrymas ab oculis effudit, eleemoſynas pauperibus erogauit, mortuæ coniugis animam refouens, dum egena eſurientium corpora reficiebat. Adeſt D. Paulinus Epiſtolâ ad Alethium. *Ad pios actus de lachrymarum ſanctitate tranſibo. Sua enim cuiq; debita perſoluiſti,* Lachrymas *corpori fundens, eleemoſynam animæ infundens*. Non ſolas in vxoris morte lachrymas effudit, ſed vnà cum eis eleemoſynas pauperibus erogauit, vt a manibus theſauri fluerent, dum ab oculis lachrymæ emanabant.

D. Paulinus.

Dauid in funere Abner cum lachrymis ieiunium coniunxit.

14 Sed & ieiunij ſuffragium cum lachrymis in morte carorum fuit ſæpè coniunctum. Cecidit Abner à Ioab doloſè interfectus, cuius mortem Rex Dauid amariſſimè plorauit. Sciſſis quippè veſtibus, & lugubri amictu feretrum ſecutus eſt, cùmq; ad tumulum, quo condendus erat defunctus, perueniſſet, gemitum rursùs iterauit, & adeò vberes lachrymas effudit, ut vnà cum eo, Regis exemplum ſecutus populus quoq; plorauerit vniuerſus. At non tantùm ſanctus iſte rex plorauit, ſed vnà cum lachrymis, quas effudit, ieiunio etiam ſe afflixit, vndè cùm populus ad eum veniſſet, vt ſimul cum eo poſt ſepulturæ officium diſcumberet, iurauit ſe nec cibum vſq; ad ſolis occaſum ſumptuum, nec potum. *Cùmq; veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid, clarâ adhuc die, iurauit dicens, Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi antè occaſum ſolis guſtauero panem, vel aliud quicquam*. 2. Reg. 3. 35. Conſueuerant antiqui in mortuorum funeribus epulas exhibere ferales, quibus qui exequijs interfuerant reficerentur, vndè Plinius lib. 10. cap. 10. *Nihil tamen eſculenti rapere vnquam ex funerum ferculis*. Apuleius lib. 4. metamorphoſeon. *Cænam feralem à tumulo ad menſam referrent*. Liuius lib. 39. *Ludi funebres per triduum facti, poſt ludos epulum*. Suetonius in Iulio Cæſare cap. 26. *Munus populo, epulumq; pronunciauit in filiæ memoriam, quod antè eum nemo*. Hom. Iliade vltimâ.

Mos epularũ feralium.

Plinius.

Apuleius.

Liuius.

Suetonius.

Homerus.

Fundentes autem ſignũ iterum iuerunt, at poſteà
Benè congregati conuiuati ſunt valdè glorioſum
conuiuium.
Domibus in Priami Iouis alumni Regis.
Sic hi conſtituerunt ſepulchrum Hectoris bellicoſi.

Iuuenalis lib. 1. Satyrâ 5.

Iuuenalis.

Sed tibi dimidio conſtrictus commarus octo
Ponitur, exiguâ feralis cęna patellâ.

Catullus de Rufa, & Rufulo.

Catullus.

Vxor Meneni, ſępè quam in ſepulchretis
Vidiſtis ipſo rapere è rogo cænam.

Tibullus lib. 1. Elegiâ 5.

Tibullus.

Ipſa fame ſtimulante furens, herbaſq; ſepulchris
Quærat, & à ſæuis oſſa relicta lupis.

Dum ergò adeò conſueta erant in mortuorum funeribus viuorum conuiuia, cur Dauid renuit in funere Abner cibum ſumere, aut potum? Cur vnà cum populo dapes ferales non accepit? Cur ſolitum morem ſecutus ad funeream cœnam non diſcubuit? An vt cum lachrymis, quas pro mortuo fundebat, ieiunij ſuffragium vniret, vt ſic ſuo luctu magis prodeſſet defuncto? Ita cenſet Abulenſis. *Non ſolùm viſum eſt ſibi ſufficiens, quòd* Plangeret, *& indueretur ſacco, ſed etiam quòd ieiunaret*. Cum luctu ieiunium coniungere voluit, vt abſtinentiâ comitatę, magis eius lachrymę pro defuncto eſſent efficaces.

Abulenſis.

15 Hunc nexum ieiunij cum lachrymis Chri-

ſtus

Digitized by Google

Mos adhibēdi ieiunium, cùm mortui lugentur.

ſtus indicauit, cùm ad eum diſcipuli Ioannis acceſſerunt, quærentes, cur ipſi, & Phariſæi ieiunarent, diſcipuli autem eius ieiunium non ſeruarent. Quibus Chriſtus reſpondit, filios ſponſi nō lugere, nec ieiunare, donec eum illis eſt ſponſus, Apoſtolos autem ieiunaturos eſſe, cùm ab eis ſponſus receſſiſſet. *Et ait illis Ieſus, Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt*. Math. 9. 15. Quis autem hic non videt Chriſtum ſuam prænunciaſſe mortem, qui cùm Eccleſiæ ſponſus eſſet, erat ab eâ Iudęorum inuidiâ, & immanitate auferendus? Dixit ergò tunc Apoſtolos ieiunaturos eſſe, cùm ipſe cru cis morte ab eis auferretur, mos enim erat apud veteres valdè ſolennis vniendi cum lachrymis ieiunium in funeribus mortuorum. Totum hoc explicat egregiè Ioannes Maldonatus. *Alludit ad veterem morem* LVGENDI MORTVOS ADHIBITO IEIVNIO; *ſolent enim, qui lugent, cibo abſtinere*. Cum lachrymis abſtinentiam antiqui iungebant, dumque mortuos effuſis lachrymis plorabant, eoſdem ieiunij ſuffragio adiuuare ſtudebant.

Maldonatus.

Chriſtiani cum lachrymis triginta dierū ſacrificium pro defunctis offerunt.

16 Addo, cum lachrymis ſacrificij quoque ſuffragium eſſe defunctis exhibendum. Mos erat apud Hebręos plorandi celebres, atque inſignes perſonas defunctas triginta diebus, vndè Iacob Patriarcham ſeptuaginta diebus in Ægypto luxerunt. *Fleuitque eum Aegyptus ſeptuaginta diebus*. Gen. 50. 3. Quadraginta quippè diebus Aegyptij, triginta verò eum luxerunt Hebræi, vndè Petrus Comeſtor lib. Geneſis cap. 114. ait. *Mos erat Ethnicorum incondita ſeruare corpora nouem diebus, & ſingulis diebus plangere, & fouere ea calidâ aquâ, vt ſciretur, vtrum anima egreſſa, an ſop ta foret, condita verò quadraginta diebus ſeruabant. Hebræis mos erat incondita ſeruare ſeptem diebus, condita diebus triginta, ſeruauerunt igitur & ipſi Iacob diebus triginta, & ita ſub amborum cuſtodiâ tranſierunt dies ſeptuaginta*. Subdit autem immediatè idem author hunc eundem morē ſequi cum maiori mortuorum vtilitate Chriſtianos, dum ſuos mortuos ita triginta diebus lugēt, vt vnà cum lachrymis, quas effundunt, ſacrificia pro eorum animabus offerri ſingulis illis diebus piè, ac religioſè curent. *Fideles modò, quia mortuos ſuos fide, & virtutibus conditos aiunt, triginta diebus eos* PLANGVNT, *ideſt ſpeciales miſſas ſub numero tot dierum pro ipſis celebrant*. O' verè proficuas lachrymas, quæ ſacrificijs adiectis, animas ad iuuare poſſunt defunctorum, eaſque à Purgatorij pœnis ad gaudia transferre Angelorum.

Petrus Com.

Lachrymæ ſunt redēptrices, quæ cum ſuffragijs vniuntur.

17 Has lachrymas commendauit D. Ambroſius in obitu Satyri, cùm eas redemptrices appellauit. *Fleuerunt & pauperes, & quod multò eſt pretioſius, multòq; vberius, lachrymis ſuis eius delicta lauerunt. Iſtæ ſunt* LACHRYMAE REDEMPTRICES, *iſti gemitus, qui dolorem mortis abſcondunt, iſte dolor, qui perpetua vbertate lætitiæ veteris ſenſum doloris obducat*. Quid elegantius? Verè ſunt lachrymæ redemptrices, quæ iunctæ pietatis ſuffragijs à pœnalibus incendijs animas redimunt, vt eas ad cœleſtes aulas cum lætitiâ traducant. Ita ergò lugendum eſt pro defunctis, vt ſuffragijs comitatus noſter eis proficiat luctus. Non nudæ ſunt exhibendæ lachrymæ, ſed pietatis ſuffragijs indutæ, atq; ornatæ, vt lachrymis preces, eleemoſinæ, ieiunia, & ſacrificia coniuncta non modicam defunctis afferant vtilitatem. Ex his igitur iam modus, quo vtiliter plorandi ſunt mortui ſufficienter eſt explicatus.

D. Ambroſius

CAPVT X.

A ſuffragijs plurium vnâ conuenientium valdè adiuuantur defuncti.

1 MVltiplicatis interceſſoribus aliqua interdum obtinentur, quæ ab vnico intercedente non tam facilè impetrantur? quare vt faciliùs defunctis, pro qui bus oramus, pietatem à Deo impetremus, noſtras preces cum aliorum ſuffragijs vnire debemus; ſic enim plurium ſimul intercedentium pietate mortuorum animæ à pœnis, quas patiuntur, citò eripientur. Quærit D. Antoninus 1. par. tit. 10. cap. 2., vtrum qui pſalterium pro mortuo recitare tenetur, illudq; vnà cum alio recitat, ei, quod debet, ſatisfaciat. Affirmat autem, & rationem afferens, cur cum ſocio illud recitare poſſit, hoc ait contingere, quia orationes communes faciliùs à Deo, quàm ſingulares acceptantur, quare magis, quæ à pluribus, quàm quæ ab vno procedunt, proderunt ſuffragia defunctis. Subdo eius verba. *Si à duobus, quorum quilibet debet pro mortuo pſalterium, ſoluatur ſimplum, dicendo ſcilicet ſimul vnum pſalterium, ſufficit. Quod apparet per ſimile de horis canonicis, quorum quilibet clericorum tenetur in ſolidum, & tamen dicendo ſimul, omnes liberantur vnicâ vice, ſed tamen requiritur, quòd vnus attendat ad verſum, ſeu illam partem, quam dicit ſocius, ſicut ad id, quod dicit ipſe, debet attendere, alijter debitum confunderetur. Poteſt etiam dici in huiuſmodi caſu, quia* MAGIS ACCEPTAT DEVS ORATIONES COMMVNES, *quàm ſingulares*. Efficaciores ſunt ad impetrandam à Deo mortuis pietatem preces à pluribus prouenientes, quàm orationes à ſingulari perſonâ procedentes.

Pro mortuis magis Deus acceptat orationes cōmunes, quàm ſingulares.

D. Antonin.

2 Hoc agnouit Martha, quæ cùm vidiſſet Chriſtum ad Bethaniæ oppidum, in quo Lazarus iacebat ſepultus, aduenientem, ad ſororem cucurrit Mariam, eamque rogauit, vt ſecum accederet ad magiſtrum. *Et cùm hæc dixiſſet, abijt, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens, Magiſter adeſt, & vocat te*. Ioan. 11. 28. Cur Chriſtum relinquens, ad ſororem Martha cucurrit? Nunquid erat Deus deferendus, vt ad Magdalenam fieret acceſſus? Non vt deſereret Chriſtum, ſed vt adiuuaret Lazarum, ad Magdale-

Martha, vt fratri defuncto pietatem à Chriſto impetraret, cum ſororis precibus ſuas vniuit.

nam

nam Martha cucurrit, nouerat enim facilius exaudiendas eſſe preces, quas vnà cum Magdalenâ pro mortuo fratre funderet, quàm illas, quas ſola effudiſſet, potiores enim ſunt ad impetrãdam à Deo mortuis pietatẽ orationes, cùm multis vnà cõuenientes eas effundunt. Audiendus hìc Simon Caſſianus. lib. 5. in Euangelia cap. 15. *Martha ſilenter accerſiuit ipſam ſororem, ac ſi diceret, accerſi ad dominum, exponens miſeriam, quærens miſericordiam, alta reſurrectionis myſteria pertentans. Sola repulſam patior,* TECVM OPTATA VOTA FERAM. Pulchra verba. Quæ ſola pro defuncto exorans repellebatur, vnà cum ſorore deprecans repelli non metuebat, nam maiorem habent efficaciam, quæ à multis pro defunctis preces exhibentur.

Simon Caſſianus.

3 Hinc eſt, quòd cùm Martha primò ad Chriſtum cucurrit, Magdalenam non vocauit, ſed tantùm poſtquam cum eo ſermonem habuit. *Martha ergò vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit illi: Maria autem domi ſedebat.* Ioan. 11. 20. Vbi dubitat D. Ioannes Chryſoſtomus homilia 61. in Ioannem. *Sed quid non aduocat ſororem Martha, cùm obuiam Chriſto proficiſcetur?* Qui dubitationi hac reſponſione ſatisfacit. *Vult ſola occurrere, & rem nunciare, quæ cùm bonam ſpem habere iuberetur, tunc Mariam vocat, in medio fletu Chriſto ſit obuiam.* Tunc Mariam vocauit, cùm aliquam ſpem reſurrectionis habuit, vt ſuis ſororis precibus adiunctis, vitam poſſet à Chriſto fratri obtinere defuncto.

Hoc egit poſtquã ſpem aliquam reſurrectionis eius habuit.

D. Io. Chryſ.

4 Et ſanè ſuffragia pietatis, quæ mortuis impenduntur, plerumque à multis vnà congregatis exhibita fuerunt. Dixit Ieremias vocem in Rama fuiſſe auditam Rachel filios ſuos defunctos vberrimis lachrymis plorantis. *Hæc dicit Dominus. Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt.* Ierem. 31. 15. Quomodo Rachel, quæ iam defuncta erat, filios poterat plorare defunctos? Nunquid mortui alios lugẽt mortuos, aut eis exequijs, & funerib. parentãt? Nũquid qui è corpore migrauerũt oculos habent, à quibus lachrymas effundant? Nunquid tandem alios lugent, qui vitâ functi ſũt ab alijs lugendi? Non hìc nomine Rachelis mulier intelligitur, quæ fuerat, dum viueret, vxor Iacob, hæc enim lugere non poterat corporeis vinculis ſoluta, ſed per Rachelem mulieres exprimuntur Bethleem, quæ iuxtà illam vrbem eſt ſepulta. Hæ namque mulieres vnà conuenientes pio luctu filios plorauerunt morte peremptos. Aptè Dionyſius Carthuſianus in cap. 2. Matthæi. *Luctus, & fletus Rachel, ideſt* CONGREGATIO FOEMINARVM *Bethleemitarũ, quæ nomine Rachelis ſignãtur. Primò quoniam Rachel iuxtà Bethleem eſt ſepulta, & ex corpuſculi hoſpitio nomen matris accepit ſecundùm Hieronymum. Secundò quoniam tribus Iuda, & Beniamin tuncta erant loco, & ſorte. Herodes autem iuſſit non tantùm in Bethleem, ſed in locis quoque adiacentibus pueros trucidari, ſicque ex propinquitate locorum, non ſolùm filij Liæ, habitantes in Bethleem, quæ pertinebat ad tribum Iudæ, ſed & multi ex filijs Rachel matris Beniamin, hoc eſt de tribu Beniamin interfecti fuerunt. Propter quod Rachel, ideſt poſteritas eius, dicitur plorare filios ſuos ab Herode necatos.* Dicta eſt Rachel plorare defunctos, quia mulieres ad eam generis propinquitate pertinentes, vnà congregatæ illos luxerunt, ac religioſis lachrymis eis pietatem impenderunt.

Mulieres cõgregatæ vt filios lugerent mortuos.

Dion. Carth.

5 Has mulieres imitati ſunt, qui funus Paulæ defunctæ celebrauerunt, ad cuius exequias omnium Palæſtinarum vrbium turbam conueniſſe D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ teſtatur. Cenſuerunt quippè ab omni populo, ac turbâ communem defunctæ mulieri exhibendam eſſe pietatem. TOTA *ad funus eius Palæſtinarum vrbium* TVRBA *conuenit. Quem monachorum iacentium in eremo cellula ſua tenuit? Quam Virginum cubiculorum ſecreta texerunt,* Non vnus, aut alter ad ſanctæ mulieris exequias conuenit, ſed vniuerſæ Paleſtinæ vacuatæ ſunt ciuitates, ut earum populi vnà congregati ſuæ ſimul ſuffragia pietatis ei exhiberent.

Palæſtinarũ vrbiũ turba cõgregata, vt Paulã defunctam lugeret.

D. Hierony.

6 Cùm Ioſue ad extremam ſenectutem perueniſſet, mortuus eſt, eiuſq; cadauer humantes, debita ſepulturæ illius officia præſtiterunt. *Et poſt hæc mortuus eſt Ioſue filius Nun ſeruus Domini centum, & decem annorum, ſepelierunt que eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim à Septentrionali parte montis Gaas.* Ioſue 24. 29. Ad hanc autem ſepulturam ait Philo vniuerſos conueniſſe Iſraëlitas, vt ſimul congregati, tanti ducis mortem pio luctu plorarent, & communes ei lachrymas impenderent, qui communia ſibi beneficia exhibuerat. *Tunc omnis Iſrael* CONGREGATI SVNT IN VNVM, *vt ſepelirent eum, & planxerunt illum planctu magno.* Ita ille lib. Biblicarum antiquitatum. Vt defuncto duci pietatem exhiberent, omnes Iſraëlitæ ſunt in vnum congregati, nam tunc viui magnâ defunctos pietate proſequuntur, cùm eis cõmunibus congregati ſtudent ſuffragijs opitulari.

Vt Ioſuè defunctum plorarent, omnes Iſraëlitæ cõuenerunt.

Philo Hebr.

7 Hùc reſpexiſſe videtur Chriſtus, cùm ad Bethaniæ oppidum, vt Lazarum ad vitam reuocaret, perrexit. Quò cùm peruenit, eiuſque ſorores lachrymantes vidit, interrogauit eas de loco, in quo cadauer condiderant defuncti. *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum, & dixit, Vbi poſuiſtis eum?* Ioan. 11. 34. Quomodo hac interrogatione Chriſtus indiguit? Nonnè diuinâ præditus cognitione, occulta quæque clariſſimè intuebatur? Nonnè ſcrutabatur, non tantùm externa, verùm etiam arcana cordis interna? Nõnè illius conſpectui omnia nuda erant, & ſine vllâ difficultate patebant? Vt quid ergo ita ſe geſſit, ac ſi monumentum, in quo Lazarus condebatur, ignoraret, ac ab alijs quæſiuit, quod numine reuelante agnouit? Non vt locum ſciret, qui iam ei notus erat, Lazari ſorores interrogauit, ſed vt Iudæi audientes locum ſepulchri oſtendeu-

Voluit Chriſtus plures Iudæos ad Lazari ſepulchrum conuenire.

dendum, eò conuenirent, ac Lazari reſurrectionem viderent. Ita Ammonius in catenâ Græcâ apud Nouarinum in cap. 11. Ioannis. *Hoc interrogat, vt prætextu loci oſtendendi*, PLVRES EO CONVENIRENT. Optabat Chriſtus plures ex Iudęis ad Lazari ſepulchrum conuenire, vt defunctum pijs lachrymis lugerent, ideòq; locum, vbi eum poſuerant, quæſiuit, nam cùm pietas eſt exhibenda mortuis, decet vt plures ad eius exhibitionem unà conueniant.

Ammonius.

Non ſolus, Dauid, ſed vnà cum viris, qui ſecū erant, Saul, & defunctos Iſrael plorauit.

8 Corruit Saul vnà cum filijs ſuis in monte Gelboë, ſuis ſe manibus interficiens, vt hoſtium manus effugeret. Quod vt Dauid agnouit, apprehenſas veſtes ob doloris vehementiam ſcidit, ac ei, vniuerſoq; populo, qui cum eo corruerat, pio luctu, ac religioſo ieiunio parentauit. In quo ſanè luctu illud etiam eſt obſeruandum, quòd nō ſolus Dauid mortuos plorauit, & pro eis ieiunauit, ſed omnes viri, qui erant cum eo, eamdem pietatem, quam rex, interfectis militibus impendebat, vnà cum illo ipſi quoque pariter impenderunt. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſq; viri, qui erant cum eo, & planxerũt, & fleuerunt, & ieiunauerũt vſq; ad vesperam ſuper Saul, & ſuper Ionathã filiũ eius, & ſuper populum Domini, & ſuper domum Iſrael, eò quòd corruiſſent gladio.* 2. Reg. 1. 11. Non ſingulari luctu defunctos Dauid luxit, ſed communibus lachrymis, vnà cum viris, qui ſecum erant, pietatem eis exhibuit, vt communibus pietatis obſequijs donarentur, qui pro communi patriæ ſalute corruentes, vitam in prælio amiſerant. Aduertit hoc Abulenſis. *Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, ideſt* NON SOLVM DAVID *ſcidit veſtes, ſed etiam omnes viri eius, vt plangerent populum Dei, qui perierat in prælio.* Non ſolus, ſed vnà cum alijs pro mortuis plorauit, ac ieiunauit, agnoſcens maiori pietate viuẽtes proſequi defunctos, dum communibus eos adiuuare conantur ſuffragijs, quàm cùm eis ſingulariter, & ſeorſim ſuffragantur.

Abulenſis.

Cōpulit Ioab plorare Abner, vt communibus lachrymis lugeretur.

9 Hoc idem in funere Abner principis militiæ Saul egit, in cuius exequijs Ioab ipſum, qui eum doloſè interfecerat, vniuerſumq; populum, qui erat cum eo, plorare coëgit *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo, Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite antè exequias Abner.* 2. Reg. 3. 31. Quam ob aliam cauſam compulit Ioab hoſtem plorare à ſe interfectum, niſi vt luctu communi pietas defuncto exhiberetur, dum ſecum Ioab quoque, & omnis populus ei adhęrens lugeret? Adſtipulatur idem Abulenſis. *Voluit, quòd planctus ſuus* COMMVNIS ESSET AD OMNES, *ideò compulit Ioab plangere.* Vt maiorem defuncto pietatem impenderet, non ſingulari, ſed communi eum uoluit luctu plorare, quare cùm magna populi multitudo eſſet cum Ioab, iuſſit ei, vt Abner ploraret, vnà cum viris, qui cum eo erant, vt communibus lachrymis interfecti exequiæ celebrarentur.

Idem.

Maiorem luctum cum filijs, quam ſolus pro interfecto Amon edidit.

10 Turpi cognouerat inceſtu Amnon ſororem ſuam Tamar, quapropter iratus Abſalom eum ad conuiuium inuitatum, hoſpitij legibus violatis, interfecit. Quod cùm Dauidi patri nuntiatum fuiſſet, confeſtim ſurrexit, & ſciſſis veſtibus corruit in terram, quod ſimiliter ſerui omnes, qui erant cum eo, Regem imitati, egerunt. *Surrexit itaque rex, & ſcidit veſtimenta ſua, & cecidit ſuper terram, & omnes ſerui illius, qui aſſiſtebant ei, ſciderunt veſtimenta ſua.* 2. Reg. 13. 31. Vbi vides hic quoq; non ſolum Dauid filium defunctum luxiſſe, ſed vnà cum viris, qui ſecum erant communibus lachrymis, communiq; veſtium ſciſſione illum ploraſſe. Verùm illud inſuper obſeruandum mihi videtur, quòd cùm cæteri filij Regis, qui vnà cum Abſalom erant, fugâ ſuæ ſaluti conſuluiſſent, & reuerſi ad patrem fuiſſent, narrat iterum ſacer hiſtoricus, Dauidem ſimul cum ſeruis ſuis occiſum filium fleuiſſe. *Cùmq; ceſſaſſet loqui, apparuerunt & filij Regis, & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt, ſed & rex, & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis.* 2. Reg. 13. 36. Crediderat Dauid vniuerſos filios ſuos ab Abſalom fuiſſe interfectos, *Cùmque adhuc pergerent in itinere, fama peruenit ad Dauid dicens, Percuſſit Abſalom omnes filios Regis, & non remanſit ex eis vnus.* 2. Reg. 13. At verò, vt cęteri præter Amnon apparuerunt, agnouit eum ſolum à fratre fuiſſe interemptum. Cur igitur Dauid hoc agnoſcens, conſolationem non accepit, à lachrymis non ceſſauit, & filios amplexatus, luctum non temperauit, ſed maiori ploratu, quàm anteà fleuiſſet, iterùm plorauit? Quia lachrymas ſuas cum filiorum lachrymis vniens, maiorem ſtuduit pietatem exhibere defuncto. Huc alluſit idem Abulenſis. *Tunc Dauid, & ſerui ſui cœperunt plorare amarius, quàm primò.* Tunc, cùm filios ſuos mortem fratris plorantes vidit, maiorem ipſe quoq; cum ſeruis ſuis ploratum edidit, omneſq; communibus lachrymis defuncto pietatem exhibuerunt, cùm enim plures vna congregantur ad pietatem exhibendam defunctis, alij ab alijs adiuuantur, & hoc modo maioribus pietatis obſequijs eos proſequuntur.

Abulenſis.

Ad Apoſtolos Magdalena à ſepulchro cucurrit, vt in pietate Chriſto exhibendâ eos haberet conſortes.

11 Hoc agnouit Magdalena, quæ cùm ad ad Chriſti defuncti ſepulchrum, vt eius cadauer pretioſis aromatibus vngeret, feſtinaſſet, & ſepulchrum ſine corpore inueniſſet, confeſtim ad Petrum, & Ioannem, vt hæc eis nuntiaret, cucurrit. *Cucurrit ergò, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis; Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus, vbi poſuerunt eum.* Ioan. 20. 2. Quòd ſi ratio quæratur, cur ad hos Apoſtolos Magdalena cucurrerit, reſpondet Gloſſa interlinearis hoc eam egiſſe, vt eos haberet, aut in inquiſitione ſocios, aut in dolore conſortes. *Cucurrit nunciare diſcipulis, vt aut* SECVM *quærerent, aut* SECVM *dolerent.* Non ſola, ſed cum alijs defuncto pietatem volebat exhibere magiſtro, atq; ideò ad

Gloſſa interlinearis.

eos

eos cucurrit, vt ſibi eſſent, in cadaueris inquiſitione, ac lachrymarum effuſione participes.

Ioſeph Arimathæus non ſolus, ſed vnà cum Nicodemo Chriſtũ mortuum honorauit.

12 Nec aliter Ioſeph Arimathæus accedens ad Pilatum, Chriſtiq; ſepulturam ab eo poſtulãs, vt id quod petierat, impetrauit, non ſolus funeris officium perficere voluit, ſed vnà ſecum Nicodemum in eadem pietate voluit habere conſortem. *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum. Acceperunt ergò corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Ioan. 19. 39. Animaduerto Ioſeph Arimathæum non ſolum, ſed cum ſocio defuncto Chriſto ſepulchralia obſequia prꝍſtitiſſe, vt ambo communi pietate magiſtri ſepulturam honorarent. Rectè Hugo Cardinalis. *Non ſolus fuit in hoc, ſed* Ex Socio *Principe Phariſæorum audacior fuit*. Maiori pietate honorantur defuncti, cùm communibus, quàm cùm ſingularibus obſequijs honor eis exhibetur, vndè vt Ioſeph maiori pietate mortuum Chriſtũ honoraret, non ſolus, ſed cum ſocio eum voluit vnguentis perfundere, ac ſepulchro mandate.

Hugo Card.

Malus propheta virum Dei nõ ſolus, ſed vnà cum filijs humauit.

13 Miſit Deus prophetam de Iuda ad Ieroboam, vt peruerſo Regi altaris prædiceret ſubuerſionem. Quòd cùm egiſset, abijt, ſed pſeudoprophetæ dolo reuerſus comedit, ac bibit in loco, in quo ei Deus, ne cibum, aut potum ſumeret præcepit, quapropter delicti pœnam confeſtim luit, à leone, quem in viâ inuenit, interfectus. Agnouit hoc ſenes propheta Bethel, ſternenſque aſinum ſuum, ad locum, vbi cadauer iacebat, perrexit, illudq; honorificè ploratum in ſuo monumento ſepeliuit. *Dixitq; ad filios ſuos, ſternite mihi aſinum. Qui cùm ſtrauiſſent, & ille abijſſet, inuenit cadauer eius proiectum in viâ.* 3. Reg. 13. 26. Aduertit autem Abulenſis, non ſolum Prophetam ad cęſum cadauer acceſſiſſe, ſed vnà cum filijs ſuis illud extuliſſe, ac mortuo viro Dei luctu, ac ſepulturâ pietatem impendiſſe. Non Ibat Iste Propheta Solvs, *ſed ipſe, & filij ſui*. Vides vbique communem pietatem exhibitam fuiſſe defunctis? Magis quippè à plurium vna conuenientium ſuffragijs, quàm à ſingularibus obſequijs mortui honorantur.

[A]bulenſis.

[T]ibicines in [an]tiquorum [fu]neribus adhibebantur, [v]t multitudo [pr]ouocaretur [ad] luctum.

14 Profectus eſt Chriſtus, vt Archiſynagogi preces exaudiret, vnà cum eo ad domum, in quâ defuncta puella iacebat, eò autem perueniens, turbam reperit tumultuantem, ac tibicines lugubria canentes. *Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat, recedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit.* Matth. 9. 23. Cur verò hi tibicines ad archiſynagogi domum aduenerant? Quid, mortuâ puellâ, muſicâ opus erat, quæ in luctu importuna cenſetur? Non ad lætitiam, ſed ad luctum hæc tibicinum muſica excitabat, quam in funeribus antiqui adhibere conſueuerant, vt populus, qui ad mortuorum elationem conueniebat, ad luctum agendum prouocaretur, & ad pietatem maiori feruore illis exhibendam. Hoc docuit nos Lyranus. *Alia* (melodiæ) *excitant fletum, & talibus vtebantur antiquitùs in ſepulturis magnarum perſonarum, vt prouocaretur* Mvltitvdo *ad fletum, & tales dicuntur hic tibicines, carmen ſcilicet lugubre cantantes.* Multitudo populi ad ſepulturam conueniebat mortuorum, hæcq; ad pietatis exhibitionem cantu, ac ſono prouocabatur, nouerãt quippè antiqui ſuffragia multitudinis magis mortuis prodeſſe, quàm obſequia ſingularium.

Lyranus.

Reſpha nõ ſola, ſed vnà cum alijs cadauera cuſtodiuit filiorũ mortuorum.

15 Vt iram Dei à populo Dauid auerteret, ad Gabaonitarum petitionem ſeptem filios Saul eis in morte crucifigendos pro peccato patris eorum conceſſit. Quos vt in patibulis ſuſpenderunt, Reſpha duorum ex eis mater ad cadauera eorum acceſſit, & ſubſtrato ſibi ſuprà petram cilicio nunquam ea dereliquit, ſed ab auibus, ac feris, donec illa humare liceret, vigilanter cuſtodiuit. *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſuprà petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. 10. Quo pacto poterat hæc mulier tãdiù à feris, ac volucribus cadauera ſeruare filiorum? Nonnè aliquandò naturæ neceſſitati ſuccumbens dormiebat? Quomodo igitur tunc aues, & feras arcebat? Soluit nodum Abulenſis quæſt. 30. in hunc locum, inquiens, non eam ſolam, ſed vnà cum alijs cuſtodiæ vacaſſe mortuorum, qui poterant, eâ dormiente, aues abigere, ac feras, ne mortuorum corpora laniarent, repellere. *Credendum, quòd Reſpha* Non Erat Sola *in cuſtodiâ iſtorum ſuſpenſorum, quia tamen ipſa erat principalis in hac cuſtodiâ, nominatur ipſa ſola.* Licet ſola nominetur, non ſola erat Reſpha, ſed vnà cum alijs communi obſequio ſuis pietatem exhibuit defunctis.

Abulenſis.

Mulierum lachrymæ vnitæ adoleſcenti Naim vitam impetrauerũt

16 Cùm proficiſceretur Chriſtus ad ciuitatẽ Naim, adoleſcentis cadaueri occurrit, quod extrà vrbem efferebatur ad ſepulchrum. Acceſſit autem, & loculum tangens, mortuo præcepit, vt ab inferis reſurgeret, ſtatimque frigidum cadauer animâ denuò informante, reuisit defunctus, vitâque ſuâ matrem eſt conſolatus plorantem. *Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.* Luc. 7. 15. Si autem quænam cauſa Chriſtum ad huius reſurrectionis miraculum impulerit, inquiramus, prompta eſt reſponſio Vincentij Belluacenſis lib. 2. diſt. 12. in ſpeculo morali, qui ait matris luctum vnà cum turbæ plorantis lachrymis coniunctum, priſtinã à Chriſto adoleſcenti vitam impetraſſe defuncto. *Mulier vidua & lachrymis proprijs, &* Mvltitvdinis Circvmstantis *obtinuit filium ſuſcitari.* Multorum lachrymæ vitam iuueni obtinuerunt mortuo, nam tunc noſtrâ pietate valdè adiuuantur mortui, cùm eis communibus miſerationis obſequijs, vnà cum alijs conuenientes ſuffragamur.

Vincentius Belluacenſis.

17 Pergo, & addo, Angelos quoque communem pietatem vnà conuenientes exhibere defunctis.

Digitized by Google

Angeli vnà conuenientes communem pietatem exhibent defunctis.

ctis. Mortuus eſt Lazarus mendicus, qui vlceribus plenus, ad ianuam diuitis, cupiens de micis ex eius menſâ cadentibus ſaturari, iacebat, quas tamen ab heluonis crudelitate impetrare non poterat. At poſt mortem à miſerijs ad gaudia trãſijt, & ab Angelis in ſinum Abrahæ perpetuò fruiturus fuit elatus. *Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Luc. 16. 22. Obſeruat D. Io. Chryſoſtomus in catenâ hunc mẽdicũ, nõ ab angelo, ſed ab angelis fuiſſe in ſinũ Abrahæ portatum, qui omnes vnà conuenerunt, vt chorum lætitiæ facientes, communẽ defuncto Lazaro impenderent pietatem. *Non ſuffecerat ad portandũ pauperem vnus Angelus, ſed propterea plures venẽt,* VT CHORVM LAETITIAE FACIANT. Expende Angelos quoq; ſimul conueniſſe, chorumque vnà feciſſe, quò defunctum ad locum tranquillitatis, ac requiei deferrent, vt videlicet nobis innuerent, communi eſſe defunctos pietate proſequendos.

D. Io. Chryſ.

Gentiles vnà cõuenientes, vt defunctis pietatem impenderent.

Dion. Halic.

Diodorus.

18 Sed huius veritatis teſtimonia exhibent etiam nobis profani authores. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 8. Antiquit. Roman. Marcij tumulum multorum manibus ait fuiſſe congeſtum. *Collectas reliquias in eodem loco humarunt, tumulo excelſo ſuper eas* MVLTORVM MANV *congeſto.* Diodorus Siculus lib. 1. cap. 3. Aegyptios omnes refert communi mœſtitiâ Reges luxiſſe defunctos. *Cùm quis regum decedit è vitâ, Aegyptij omnes eius mortem* COMMVNI MOESTITIA *lugent.* Virgilius etiam Aeneam inducit in patris anniuerſario luctu magnâ cateruâ comitatum ei parentantem.

Virgilius.

Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, MAGNA medius ſtipante CATERVA

Ita ille lib. 5. Aeneidos. Et Valerius Flaccus lib. 3. Argonaut. matrem Cyzici in filij funere ad fletum ait vocaſſe agmina matrum.

Valerius Flaccus.

Parte aliâ Clite laceras ſuper ora mariti
Fuſa comas, miſera in planctum vocat AGMINA MATRVM.

Innumera ſunt, quæ hùc poſſent afferri ſimilia, ſed parco, tùm quia paſſim ſunt obuia, tùm ne nimium Caput excreſcat. Hæc ſufficient, vt hanc veritatem ſtabiliant, à ſuffragijs plurium vnà conuenientium valdè adiuuari defunctos.

CAPVT XI.

Citò viuorum obſequijs debent mortui honorari.

Maiori feſtinatione pro animab⁹ Purgatorij orandum eſt, quã pro cæteris.

1 IN omnibus operibus noſtris commendat nobis Sapiens velocitatẽ. *In omnibus operib. tuis eſto velox.* Eccleſiaſtici 31. 27. At ſi in omnibus bonis operib. veloces, profectò in ijs, quibus defunctis pietatem impendimus, velociſſimi eſſe debemus. Quænam enim ita velociter fieri exigunt, vt ea, per quæ à Purgatorij pœnis animæ defunctorum eripiuntur? Sanè donec ſuffragia eis exhibeantur, acerbè animæ illæ cruciantur, vndè vt illas à cruciatibus eruamus, citò noſtram eis pietatem exhibere debemus. Appoſitè Ioannes Gerſon 4 parte ſermone 1. pro defunctis. *Hæc oratio eſt maioris neceſſitatis, &* FESTINATIONIS, *in quantùm hi, qui in* PVRGATORIO *ſunt, de facto punitionem recipiunt pro tempore, quo non fit oratio.* Maiori feſtinatione pro animabus Purgatorij orandum eſt, quàm pro cæteris, quia illæ, quoadusq; oremus pro illis, acerbiſſimis pœnis apud inferos torquentur.

Ioannes Gerſon.

2 Ad hanc feſtinationẽ Sapiens nos hortatur, dicẽs vt feſtinemus, & amicos noſtros ſuſcitemus. *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Prouerb. 6. 4. Quos enim amicos ſuſcitare debemus, niſi eos, qui in pondere pœnarum Purgatorij iacent fermè ſepulti. Hi ſunt à nobis noſtris precibus, ac ſuffragijs ſuſcitandi, & vt eos à pœnis, quas patiuntur, ſuſcitemus, omni celeritate feſtinare debemus. Ad rem Hugo Florenſis ſerm. 2. dè Animabus. *Diſcurre per collegia ſanctorum, ab eis petens liberationem fidelium defunctorum,* FESTINA, *ne morte præoccupatus gemas, & defleas te fuiſſe negligentem, & non ſoluiſſe promiſſum, vnde & ſequitur, ſuſcita amicum tuum, hoc eſt fidelem in hoc pondere pœnarum quaſi ſepultum, vt reſuſcitatus aſcendat ad gloriam ſanctorum.* Impigrè, ac celeriter amicis noſtris, qui Purgatorij pœnis torquentur, ſuffragia noſtræ pietatis debemus, vt eos à pœnis, quas patiuntur, eripiamus, & ad cœleſtem, ac ſempiternam gloriam transferamus.

Amici nostri in Purgatorio celeriter ſunt à pœnis noſtris ſuffragijs ſuſcitandi.

Hugo Floren.

3 Et ſanè ſi hoc hominum animis natura ipſa indidit, ut citiùs eis compatiantur, ac ſubueniant, qui magis cruciantur, & affliguntur, quã celeritate ſubueniendum erit Animabus Purgatorij, quæ acerbiſſimis cruciatibus torquentur, quarumque pœnis nullæ aliæ poſſunt comparari, quas homines patiuntur. Non debeo ſupprimere verba Ioannis Gritſch ſerm. 2. Fer. 5. poſt Cineres. *Naturale eſt homini* CITIVS *ſubuenire magis afflictis. Sic etiam animabus in* PVRGATORIO *exiſtentibus propter grauiſſimas afflictiones cõpati debemus.* Celeriora debentur auxilia eis, qui acerbiora ſuſtinent ſupplicia, quare cùm Animæ Purgatorij atrociſſimis crucientur pœnis, celeriter viuorum ſuffragijs ſunt adiuuandæ.

Citò Animæ Purgatorij ſunt adiuuandæ, quia acerbè affliguntur.

Ioan. Gritſch.

4 Quod etiam innuit mos, quem olim obtinuiſſe in Eccleſiâ teſtatur Guillelmus Durantius lib. 7. cap. 35. Anniuerſarium videlicet celebrandum pro animâ defuncti, nõ ſubſequenti, ſed præcedenti die, ſi fortè contingeret, diem ipſam, in quâ celebrandum eſſet, aliquâ ſolemnitate occupari. Quod ait actum fuiſſe, vt defunctis, qui torquentur in Purgatorio, ſuffragia fidelium citiùs exhiberentur. Hæc ſunt eius verba. *Anniuerſariũ, ſi contigerit in die Dominicâ, aut aliquâ celebrari ſolemnitate, non debet mutari in ſequentem diem, prout fit in feſtis ſanctorum, ſed fiat in die præcedenti, vt* CITIVS *occurratur pœnis defunctorum,*

Anniuerſarium [illegible]

Guillerm. Durant.

ctorum, quas in PVRGATORIO *ſuſtinent: defuncti enim noſtro indigent auxilio, & beneficio, ſed non ſancti*. Noſtris valdè indigent defuncti ſuffragijs, vndè illis ea debemus omni alacritate, ac feſtinatione exhibere.

Chriſtus acceleravit ſuam paſſionem, vt citò defunctis pietatem exhiberet.

5 Imminente ſuâ paſſione, aſcendit Chriſtus Ieroſolymam, vbi tradendus erat Phariſæis, & Scribis, & in crucis patibulo ſuſpendendus. *Et aſcendens Ieſus Ieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis, Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & ſcribis, & condemnabunt eum morte* Matth. 20. 17. Dubium hìc oritur, cur Chriſtus perfidos Iudæorum animos agnoſcens, qui eum totis viribus interficere quærebant, Ieroſolymã aſcendere voluerit. Cur eos in loco, vbi erat, non expectauit? Cur ſuis occurrere hoſtibus decreuit? Cur tandem in illorum manus, qui eum quærebant, ſpontè ſemetipſum tradidit? Vt celeriùs ſuâ paſſione, ac morte pietatem exhiberet defunctis. Fauet D. Baſilius Seleucienſis in Bibliothecâ veterum Patrum orat 52. his verbis. *Iudæorum animi propoſitum* ALACRITATE PRAEOCCVPAT, *paſſionem enim parturit, quò ſepulchra ſoluat*. Vt citò ſepulchra ſuâ morte reſeraret, ac defunctis amiſſam vitam donaret, non hoſtes expectare, ſed ipſis occurrere, Ieroſolymam aſcendens, vbi ei perſecutiones moliebantur, decreuit.

D. Baſ. Seleu.

Sine morâ filiam Archiſynagogi ſuſcitauit.

6 Nec tantùm in morte, ſed etiam in vitâ huius celeritatis nobis exemplum præbuit. Nunciauit ei Archiſynagogus filiam ſuam iacere in domo defunctam, & ad genua illius prouolutus, eum rogauit, vt eam inuiſens, ſuæ diuinitatis virtute ad priſtinam vitam reuocaret. Illicò autem Chriſtus orantem exaudiuit, & ſurgens, cum eo ad cadauer perrexit. *Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius*. Matth. 9. 19. Vide, quâ celeritate mortuæ puellæ pietatem exhibuit, qui nihil moratus eſt, ſed confeſtim patrem ſecutus, filio vitâ diuinâ liberalitate eſt largitus, nos inſtruens, vt ſine morâ celeriter mortuis pietatem noſtrã impendamus. Aptè Ludolphus Carthuſianus lib. de vitâ Chriſti 1. par. cap. 49. *Cùm rogatus eſſet Dominus à Iairo, vt ad ſuſcitandam filiam ipſius veniret*, NON MORATVR, SED STATIM SVRGENS *ſecutus eſt eum*. Omnem amputauit moram, vt celeriter defunctæ puellæ impẽderet pietatem. Quod confirmans Remigius in catenâ in cap. 9. Matth. ait. MOX VT ROGATVS EST, *rogantem cæpit ſequi*. Vix pro mortuâ rogantem audiuit, ſtatimq; illum exaudiuit. Imò addit D. Petrus Chryſologus ſerm. 63. Chriſtum hanc defunctam, funere adhuc calente, ad vitam reuocaſſe, vt maiorem innuat nobis pietatis illius in mortuos celeritatem. *Suſcitauerat Dominus & filiam Iairi principis ſynagogæ, ſed* ADHVC FVNERE CALENTE. Non expectauit, donec frigidum cadauer à Libitinarijs elatum in ſepulchro conderetur, ſed adhuc vitâ proximè amiſsâ calenti ab inferis excitatâ animâ infudit.

Lud. Carth.

Remigius.

Petrus Chryſolog.

7 Parùm diſſimilem oſtendit feſtinationem, cùm adoleſcentulum Naim ſuſcitauit, cui ſtatim ac occurrit, vitam piè impertiuit. *Et acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, ſteterunt, & ait, adoleſcens tibi dico ſurge*. Luc. 7. 14. In quo miraculo, non tantùm ſuſcitationem, ſed & ſuſcitationis licet aduertere maturitatẽ. Nec enim permiſit, vt efferretur ad locũ ſepulchri, aut verba priùs cum diſcipulis, vel turbis habuit, ſed ſtatim ad loculum accedens, mortuum ſuſcitauit. *Puto*, inquit D. Ambroſius in cap. 8. Lucæ, *quòd in eo quoque pietas Domini declaretur, quia vidua mater vnici non patiebatur moras, & ideò ne ampliùs afficeretur*, MATVRITAS ADDITVR. Pietatis exhibitioni exhibitionis addidit feſtinationem, & nullâ interpoſitâ morâ, ſtatim ac mortuum vidit, eum ad vitam reuocauit. Quam celeritatem pietatis Chriſti ergà hunc defunctum commendauit & D. Petrus Chryſologus ſerm. 63. *Suſcitauit & vnicum matris, ſed ſic, vt retineret feretrũ, vt anticiparet ſepulchrum, vt corruptionem ſuſpenderet, & præueniret foetorem*. Poteratne deſcribi elegantiùs celeritas, quâ Chriſtus huic defuncto pietatem impendit? Hanc videlicet in defunctorum ſuſcitatione adhibuit celeritatem, vt nos doceret, citò eſſe mortuis exhibendã pietatẽ.

Vt Chriſtus adoleſcentem Naim defunctum vidit, vitam ei reſtituit.

D. Ambroſ.

D. Pet. Chriſ.

8 Hoc voluit Iacob, cùm morti propinquus ad ſe vocauit filium Ioſeph, eumq; rogauit, vt ſuũ poſt mortem ex Aegypti regno ad Chananæorũ terram transferret cadauer. Quod cùm à pio filio impetraſſet, iuramentum inſuper ab eo exegit. *Reſpondit Ioſeph, Ego faciam, quod iuſſiſti, & ille, Iura ergò, inquit, mihi*. Geneſ. 47. 31. Nonnè pater pij, ac religioſi filij verbis credebat? Nunquid metuebat, vt non impleret, quod promittebat? Nùm timebat ab eo contemni mortuus, à quo tantopere dilectus fuerat viuus? Abſit, nec enim de optimo filio hæc potuit cogitare ſanctiſſimus Patriarcha, ſed iuramentum exegit, ne regni negotijs occupatus, diù ſui cadaueris translationem differret. Hunc ſenſum tradit Dionyſius Carthuſianus. *Cur Iacob exegit iuramentum à filio tam fideli, quaſi non crederet verbis eius ſimplicibus? An forſitan timuit, quòd filius ſuus negotijs regni plurimùm occupatus negligeret, aut* DIV DIFFERRET *verba ſua implere*. Omnis amouenda eſt dilatio, cùm mortuis impendenda eſt pietas, quare ſanctus ſenex, vt celerem filio iniũgeret ſui cadaueris translationem, non ſimplicem, ſed iuratam ab eo exegit promiſſionem.

Vt celerem iniũgeret Iacob filio ſuo cadaueris translationẽ, iuramentũ ab eo exegit.

Dion. Carth.

9 Vt audiuit Rex Dauid Saul in monte ſuo gladio interfectum corruiſſe, veſtimenta ſua ſcidit, magnoq; luctu eius mortem plorauit. *Apprehendens autẽ Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſq; viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionathàm filium eius*. 2. Reg. 1. 11. Aduertit autem Abulenſis celeritatem, quâ Dauid Regi mortuo ſuo luctu pietatem impendit, ſimul enim ac eius mortem audiuit, confeſtim lachrymis, ac ieiunio cum viris, qui ſecum erant, ei parentauit. Nam non ſufficit impendere pietatem, ſed cele-

Citò Dauid Saul mortuo pietatem impendit.

riter eam debent viui exhibere defunctis. Do verba Abulenſis.

Abulenſis.

Abulenſis. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, ideſt* IMMEDIATE *vt certificatus eſt Dauid de morte Saulis, ſcidit veſtimenta ſua in ſignū magni doloris.* Luctum non diſtulit, ſed immediatè ac mortuum Saul agnouit, pijs cum lachrymis, ac celeri pietate plorauit.

Eadem celeritate Iabenſes ei ſepulchralia obſequia exhibuerunt.

10 Pari celeritate Iabenſes ergà eum ſuam pietatem oſtenderunt, dum totâ nocte ambulauerunt, vt eius cadauer è mœnijs hoſtilibus turpiter pendens, ſecum efferrent, & honorifico ſepulchro, pompâ exequiarum præcedente, mandarent. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntq; Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni.* 1. Reg. 31. 12. Animaduerte celeritatem, quâ hi pij viri pietatem defunctis exhibuerunt, qui totâ nocte ambulare, vt eis citò parare poſſent exequias, decreuerunt. Ad rem Caietanus. *Combuſtis* CITIVS *carnibus, partibusque mollibus, remanentia oſſa ſepelierunt sub arbore in Iabes vnà cum cineribus corporum.* Quam pietatem defunctis parauerunt, citò, ac ſine morâ exhibuerunt, omnis enim præſcindenda eſt mora cum mortuis eſt pietas exhibenda.

Caietanus.

Aſael defunctus celeriter ad proprium ſepulchrum elatus.

11 Horum virorum celeritatem imitati ſunt Ioab, & milites, qui cum eo erant, dum cadauer Aſaëlis, quem Abner interfecerat è caſtris extulerunt, & ad patrium ſepulchrum extulerunt. Vt enim citiùs defunctum militem humarent, & exequiarum pompâ honorarent, ipſi quoque totâ nocte ambulauerunt. *Tuleruntque Aſael, & ſepelierunt eum in ſepulchro patris ſui in Bethleem, & ambulauerunt totâ nocte Ioab, & viri, qui erant cum eo, & in ipſo crepuſculo peruenerunt in Hebron.* 2. Reg. 2. 32. Hæc profectò itineris tantâ feſtinatione peracti cauſa fuit, vt citiùs funus celebrarent, ac miſerationis obſequia mortuo exhiberent. Subſignat Abulenſis. *Sicut Abner, & viri ſui ambulauerunt totâ nocte, quouſque peruenirent in Mahanaim, ita Ioab, & viri ſui ambulauerunt totâ nocte, vt venirent in Hebrō. Cauſa tamen* CELERITATIS *motûs Ioab fuit, quia ferebant mortuum Aſael.* Celeriter ambulauerunt, cùm defunctum extulerunt, nam omni ſemper mortui ſunt à viuis celeritate proſequendi.

Abulenſis.

Sunamitis velociter excurrit, vt filium adiuuaret defunctum.

12 Egregium quoque huius celeritatis nobis exhibuit exemplum Sunamitis mulier, quæ defuncto filio, maritum adiuit, atque vt ſibi facultatem permitteret proficiſcendi ad Eliſæum, illum rogauit. Sed verba ſunt attendenda, quibus virum ſuum allocuta eſt, quæ talia fuerunt. *Mitte mecum, obſecro, vnum de pueris, & aſinam, vt excurram vſque ad hominem Dei, & reuertar.* 4. Reg. 4. 22. Expende verba illa, *vt excurram*; nec enim ſimpliciter eundi, ſed excurrendi facultatem rogauit, vt velociter pro mortui ſuſcitatione deprecans Eliſæum, ei citò impenderet pietatem. Præiuit in hac obſeruatione Abulenſis. *Vt excurram, ideſt* VELOCITER *eam.* Non quomodocumque, ſed velociter mortuos adiuuare debemus, quapropter Sunamitis, vt defuncto filio vitam impetraret, non ſolùm ire, ſed excurrere, ac velociter voluit proficiſci.

Abulenſis.

Noluit narraretur, itineris cauſam reddere marito.

13 Hinc eſt, quòd marito eam interroganti, cur, cùm neque Calendarum, neque Sabbati ſolennitas celebraretur, adhuc pergere vellet ad Prophetam, ſuæ profectionis cauſam tacuit, nihilque illi ad rem reſpondit. *Qui ait illi, Quam ob cauſam vadis ad eum? Hodie non ſunt Calendæ, neque Sabbatum. Quæ reſpondit, vadam.* 4. Reg. 4. 23 Cur noluit viro ſui rationem itineris afferre? Cur nunciatâ filij morte, ſecum eum non aſſumpſit, vt vnà pro eius vitâ Eliſæum deprecarentur? Cur & mortem tacuit, & mortuum celauit? Ne in exhibendâ filio defuncto pietate vllam admitteret, ſermonem habens cum marito, dilationem. Verba hùc afferenda ſunt Abulenſis quæſt. 33. in hunc locum. *Quæretur, quare mulier noluit reſpondere viro, ſed ſolùm dixit ei, Vale. Reſpondendum ſecundùm quoſdam, quòd hoc fecit,* NE IN REDDENDO CAVSAM MORARETVR. Cùm de pietate agitur defunctis impendendâ, nulla eſt admittenda mora; vndè nec tamdiù voluit hæc mulier morari, quamdiù ſui cauſam itineris marito afferret.

Idem.

Vt citò ad Chriſtum veniret, iuſſit puero, vt properaret.

14 Quin etiam in eo ſuam celeritatem oſtendit, quod puero ſecum ad Eliſæum profecturo præcepit, vt properaret, & ne ſibi in itinere moram faceret. *Strauitque aſinam, & præcepit puero, Mina, & propera, ne mihi moram facias in eundo, & hoc age, quod præcipio tibi.* 4. Reg. 4. 24. Cur enim tantâ ſolicitudine hoc puero præcepit, niſi vt citò filio pietatem exhiberet defuncto? Audi eumdem Abulenſem. *Iuſſit iſta mulier puero eunti ſecum, vt minaret, ideſt impelleret aſinam, percutiendo eam,* VT PROPERARET. Et nonnullis interpoſitis. *Volebat mulier iſta* CITO' *ire ad Eliſeum, vt ipſe* CITO' *veniret, & ſuſcitaret puerum.* Vide quâ celeritate mulier iſta vitam defuncto impetrare ſtuduerit.

Idem.

Præcepit Eliſæus Giezi, vt lumbos accingeret, vt velociùs iret ad ſuſcitationē defuncti.

15 Nec minori celeritate Propheta Eliſæus eidem defuncto pietatem impendit, nam cùm mitteret Giezi cum baculo ſuo, vt eum ad vitam reuocaret, ei præcepit, vt lumbos ſuos accingeret. *Et ille ait ad Giezi. Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tuâ, & vade.* 4. Reg. 4. 29. Cur enim ſerui lumbos voluit accingi Propheta, niſi vt magis à veſtium inuolucris expeditus, velociùs proficiſceretur, & citiùs vitam impertiret defuncto? Sanè hoc voluit Dionyſius Carthuſianus. *Ait ad Giezi, accinge lumbos tuos, diſponendo te ad eundum* VELOCITER. Seruo, vt lumbos accingeret iuſſit, quatenus lumbis præcinctis velociùs iret, ac reſurrectionis miraculo defuncto miſerationem exhiberet.

Dion. Carth.

16 Eam-

Eamdem ob cauſam iuſſit ei, vt neminem ſalutaret.

16 Eamdemque ob rationem ei præcepit, ne vllum ſibi occurrentem ſalutaret, aut ſalutanti reſponderet. *Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* 4. Reg. 4. 29. Quod item præcepit, vt celeriùs mandatum ſibi munus Giezi exequeretur, & cum feſtinatione puero ſubueniret defuncto. Elegánter D. Ambroſius lib. 7. in Lucam cap. 10.

D. Ambroſius

Eliſæus, cùm mitteret ſeruum ſuum, vt baculum eius poneret ſuprà corpus defuncti pueruli, mandauit ei, ne per viam aliquem ſalutaret. FESTINATO` *enim iubebat eum contendere, vt celebrandæ reſurrectionis exequeretur officium, ne confabulatione alicuius obuij mandato deflecteretur à munere.* Omnia ſunt poſthabenda, cùm pietas defunctis eſt exhibenda, nec enim tantùm eorum miſereri, ſed celeriter miſericordiam debent eis viuentes elargiri.

Martha Chriſto celeriter occurrit, vt eum pro fratris reſurrectione oraret.

17 Profectus eſt Chriſtus ad oppidum Bethaniæ, vbi Lazarus defunctus fuerat, vt vitam ei reſtitueret, quod vt Martha ſoror defuncti agnouit, ei occurrit, ac mortuum fratrem toto cordis affectu commendauit. *Martha ergò vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit illi, Maria autem domi ſedebat. Dixit ergò Martha ad Ieſum, Domine ſi fuiſſes hìc, frater meus non fuiſſet mortuus.* Ioan. 11. 20. Obſeruatione dignum mihi videtur, quòd hæc mulier Magdalenam ſororem domi tunc ſedentem non vocauit, ſed magiſtro venienti ſola occurrit. Cur ſecum eam non aſſumpſit? Cur hoſpitem adeò dignum excipiens, illam domi ſedere permiſit? Cur ſine conſorte obuiam ire Chriſto decreuit? An vt omnem amputans moram, celeriùs ad Chriſtum iret, eiq; fratris mortem miſerationis affectu nunciaret? Hoc voluit Albertus Magnus.

Albertus Magnus.

Maria autem domi ſedebat, neſciens, quia Deus in veniendo erat, quia ſoror fuit ita FESTINA *ad occurrendum, quòd hoc non indicauit ſorori.* Adeò celeriter Chriſto Martha occurrit, vt eum pro fratris reſurrectione oraret, vt nec ſororem vocare voluerit, ne aliquam in illius pietatis exhibitione admitteret moram.

Pari celeritate ad Chriſti monumentũ Magdalena cucurrit.

18 Parem celeritatem oſtendit Magdalena, cui poſt ſuam reſurrectionem, priuſquam cęteris, Chriſtus apparuiſſe dicitur. *Surgens autem manè primâ Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de quâ eiecerat ſeptem dæmonia.* Marc. 16. 9. Quærit hìc Euthymius, cur Chriſtus primò apparuiſſe dicatur ſoli Mariæ Magdalenæ, cùm Matthæus illum, non ei ſoli, ſed & cæteris mulieribus primò apparuiſſe narret. *Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens, Auete.* Matth. 28. 9. Reſpondet autem, cæteras mulieres per Magdalenam ſignificatas fuiſſe, quæ reliquis omnibus erat inſignior. At cur cæteris erat Magdalena inſignior? Quia citiùs, quàm illæ, vt Chriſto mortuo pietatem impenderet, ad eius monumentum cucurrit.

Euthymius.

Quærendum, quomodo hoc loco ſcriptum eſt, quòd apparuerit primò Mariæ Magdalenæ, ſiquidem apparuit primùm, non ſoli Mariæ Magdalenæ, ſed etiam alteri Mariæ Iacobi, & Ioſeph, veluti narrauit Matthæus, dicendum ergò eſt, quòd per Magdalenam, alteram quoque ſignificauit, frequenti enim eſt in vſu apud Euangeliſtas per perſonam, quæ inſignior eſt, eam etiam intelligere, quæ minùs nota eſt: inſignior autem erat Magdalena in hoc, quòd FESTINAVIT, *& præceſſit ad monumentum.* Adeò celeriter Magdalena Chriſto defuncto pietatem exhibuit, vt ex hac celeritate cæteris inſignior effecta fuerit. Quam item celeritatem oſtendit, cùm ad Petrum, & Ioannem, videns lapidem ſublatum, cucurrit. Vndè D. Io. Chryſoſt. apud Hug. Cardin. in cap. 20. Ioan. ait.

D. Io. Chryſ.

Videns lapidem eleuatum, non intrauit, neque proſpexit, ſed ad diſcipulos cucurrit à multo amore, CVM MVLTA ENIM VELOCITATE *diſcere volebat, quid factum eſſet de corpore. Hoc enim & curſus oſtendit, & verba, quæ ſequuntur. Tulerunt Dominum de monumento.* O` miram in pietate defunctis impendendâ huius mulieris celeritatem.

Mulieres contrà Chriſti ſepulchrum ſederunt, vt eius cadauerı citiùs pietatem exhibere poſſent.

19 Sed & omnes mulieres magnam in hac pietate impendendâ feſtinationem oſtenderunt, quæ dum Chriſti cadauer à Ioſeph, & Nicodemo ſepeliebatur, contrà eius monumentum ſederunt. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria ſedentes contrà ſepulchrum.* Matth. 27. 61. Cur namque contrà ſepulchrum ſederunt, niſi vt locum attendentes, in quo Chriſtus condebatur, citiùs illum poſteà inuenire, ac ſuis aromatibus perfundere poſſent? Fauet Dionyſius Carthuſianus.

Dionyſ. Cart.

Sedentes contrà ſepulchrum, ideſt ex oppoſito videntes, & conſiderantes, quomodo Chriſti Corpus poneretur, vt poſtmodum illud CITIV`S *inuenirent.* Magnâ diligentiâ, & ſolertiâ ſepulchri locum aſpexerunt, vt abſque morâ cadauer in eo conditum poſſent piâ vnctione linire, ac ſanctâ pietate perfundere.

Statim tranſacto Sabbato ad monumentum cucurrerunt.

20 Nec ſanè aliter egerunt, nam vix tranſacto Sabbato, valdè diluculo aromata ferentes, ad ſepulchrum perrexerunt. *Vnâ autem Sabbati valdè diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerunt aromata.* Luc 24. 1. Vide quâ celeritate, nihil cunctatæ, ſtatim ac eis poſt feſtiuitatem licuit, ad Chriſti ſepulchrum cucurrerunt.

Beda.

Sabbato tranſacto, inquit Beda in catenâ, *ideſt ſole occidente,* MOX VT OPERANDI LICENTIA REMEAVIT, *emerunt aromata, vt venientes vngerent corpus Ieſu.* Non diem ſubſequentem expectauerunt, ſed mox vt Sabbatum tranſijt, ad monumentum cum vnguentis perrexerunt, vt celeriter ſuâ pietate mortuum honorarent magiſtrum.

Propter hanc celeritatẽ primæ Chriſtum videre meruerunt.

21 Cuius celeritatis egregiam mercedem acceperunt, dum antè alios Chriſtum reſurgentem videre meruerunt. *Tunc ait illis Ieſus, Nolite timere, ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Matth. 28. 10. Cur antè mulieribus, quàm viris Chriſtus apparuit? Cur Apoſtolis ipſis eas prætulit? Cur demum ante quam alijs, reſurrectionis eis myſterium

manifeſtauit? Vt per celerem apparitionem earum in pietate ſibi defuncto exhibendâ præmio afficeret celeritatem. Probè Euthymius. *Quæ antè omnes diluculo ſurrexerant, antè omnes vident Dominum, & hoc in mercedem ſui ſtudij*, SVAEQVE FESTINATIONIS. Chriſtum defunctum ſuâ pietate proſequi feſtinauerunt, & ideò cæteris priores eius reſurrectionem videre meruerunt.

Euthymius.

Ioſeph, & Nicodemus citò ſepulturæ officium Chriſto exhibuerunt.

22 Hac itidem celeritate Chriſti cadauer Ioſeph, & Nicodemus humauerunt, qui ei ſepulturæ officia in horto exhibuerunt. Cuius rei rationem affert Euangeliſta ex eo, quòd iuxtà erat monumentum, & Sabbati feſtiuitas imminebat. *Ibi ergò propter paraſceuen Iudæorum, quia iuxtà erat monumentum, poſuerunt Ieſum*. Ioan. 19.42. Vt videlicet celerem defuncto magiſtro pietatem impenderent, non ſepulturam differre, neque feſtiuitatis finem expectare, ſed ſtatim eum in proximo ſepulchro, dum in remoto propter temporis anguſtiam nun licebat, eum humare voluerunt. Diſce hoc ex Dionyſio Carthuſiano. *Iam dies cœperat occumbere, propter quod non poterant corpus Chriſti longè portare, vel eius ſepulturam differre, ſed* ACCELERAVERVNT, *aliàs oportuiſſet expectare vſque ad finem feſtiuitatis inſtantis*. Quibus ea conſonant, quæ habet D. Auguſtinus Tract. 120. in Ioannem. ACCELERATAM *vult intelligi ſepulturam*. Vt celeri pietate ſancti viri Chriſtum defunctum humarent, propinquum monumentum, in quo eius cadauer antè feſtiuitatem condere poſſent, elegerunt.

Dion. Carth.

Auguſtinus.

Vt citiùs Magdalena Chriſti ſepulturam honoraret, alabaſtrum, in quo ſeruabatur vnguentum, confregit.

23 Quam quidem ſepulturam antè Chriſti mortem Magdalena honorare voluit, quæ ad eum, dum Bethaniæ recumbebat, accedens, vnguentum, quo repleuerat alabaſtrum, fracto alabaſtro, ſuper caput illius, vt proximam præueniret honorare ſepulturam, effudit. *Et cùm eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & recumberet, venit mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput eius*. Marc. 14. 3. Quam ob cauſam fregit hæc mulier vas, in quo ſeruabatur vnguentum? Nunquid non poterat abſque alabaſtri fractione Chriſti perfundere caput? Ita ſanè. Cur igitur illud confringere voluit? Ne vas os habens anguſtum tardam redderet vnctionem, & vngentis retardaret celeritatem. Audiendus Euthymius in cap. 26. Matthæi. *Dicit etiam, quòd vas comminuerit* PRAE FESTINATIONE, *videlicet quia anguſtum erat*. Feſtinatio, quâ cupiebat Magdalena Chriſti ſepulturam honorare, illam impulit ad alabaſtri fractionem, quò celeriùs ſepulchralia effundere poſſet vnguenta.

Euthymius.

Ad mortuam Tabitham, ut eam ſuſcitaret, impigrè Petrus feſtinauit.

24 Tabithæ mortem, quæ illis copioſas erogabat eleemoſynas, viduæ chriſtianæ lamentabantur, ſeque prorsùs derelictas plorabant. Quapropter ad Petrum Apoſtolorum principem duos viros miſerunt, qui eum deprecarentur, ut ad mortuam veniret, ſuiſque precibus eam ad vitam reuocaret. Petrus autem, cæteris omnibus relictis, confeſtim exurgens profectus eſt cum eis, & ad mortuam pertingens, eam ſuſcitauit. *Exurgens autem Petrus venit cum illis*. Act. 9. 39. Pende Apoſtoli celeritatem, quâ mortuæ vitam impertiuit diſcipulæ, dum cunctis alijs poſthabitis, tantâ feſtinatione ad eam ſuſcitandam perrexit. IMPIGER, inquit Hugo Cardinalis, *Nullâ excuſatione vſus, venit cum illis*. Nullam excuſationem prætendit, ſed ſimul ac audiuit mortuæ impendendam eſſe pietatem, cuncta omiſit, & ad eam celeriter perrexit, ſuo nos exemplo inſtruens, vt citò noſtrâ proſequamur pietate defunctos.

Hugo Cardinalis.

Mulier citatis greſſibus ad Eccleſiam ſancti Maioli properans, ut filio defuncto vitam impetraret.

25 Non eſt hìc omittenda feſtinatio, quâ mulier Syluianicenſis mortuo filio pietatem exhibuit, quæ vt eum vitâ functum vidit, ad Eccleſiam Sancti Maioli eius cadauer properans portauit, ſanctumque rogauit, vt ſuâ interceſsione vitam illi dignaretur impertire. *Nec ſuâ ſpe* fruſtrata, quod implorauit, impetrauit, ſuæque celeritatis præmium defuncti vitam obtinuit. Narrat hoc in Bibliothecâ veterum Patrum D. Petrus Cluniacenſis lib. 2. de miraculis cap. 31. his verbis. *Statim ſurgens, non ad præparandam funeri ſepulturam feſtinat, ſed mortuo puero inter brachia ſumpto ad Eccleſiam* PROPERAT. *Quò cùm* CITATIS GRESSIBVS, VELVT MORAE IMPATIENS *pergeret, interrogata à multis, quid ferret, & quid ſibi vellet, hoc vnum omnibus reſponſum dabat, Filius, inquit, meus eſt, quem mortuum ſancto Maiolo defero, vt illum mihi reſtituat*. O' miram mulieris pietatem defuncto filio exhibentis feſtinationem, & verè dignam, vt ei à ſancto vitam, quam exorabat, celeriter impetraret.

Petrus Cluniacenſis.

Priamus, Achilles, Troiani, & Agamemnon celeres in exhibendâ pietate defunctis.

26 Verùm vt ex profanis quoque authoribus aliqua pro hac celeritate proferamus, affero primo loco Homerum, apud quem Iliade 24. Primamus celerrimè ſibi reddi rogat extincti filij cadauer, & ſedere, donec illud ſepeliendum impetret, generosè recuſat.

Homerus.

Huic deindè reſpondit ſenex Priamus Deo ſimilis;
Ne me in ſede colloca generoſe, donec Hector
Iacet in tentorijs inhumatus, ſed CELERRIMÈ
Reddito.

Celerem cupiens pius pater filio mortuo exhibere pietatem, celerrimè ſibi eius corpus tradi flagitauit. Achilles quoque apud eumdem Iliade 23. ventos orauit, eiſque ſacra promiſit, vt rogi flammas agitarent, vt Patrocli cadauer citò cremaretur.

Stans ſeorſim à puppi duos orauit ventos
Boream, Zephirum, & promiſit ſacra pulchra,
Multaque, & libans aureo calice ſupplicabat,
Vt venirent, vt CITISSIMÈ *igne comburerent cadauer.*
Lignumque FESTINARET *comburi.*

Adeò

Digitized by Google

Adeò diligebat in pietate, quam defuncto amico exhibebat, feſtinationem, vt ipſos quoque rogauerit ventos, vt hanc ſuis flatibus adiuuarent celeritatem. Pręterea Iliade 7. commendat celeritatem Troianorum, qui ad Græcos pro militum ſepulturâ legatum cùm miſiſſent, moræ impatientes eum expectabant, & cùm reuerſus eam concedi, nunciaſſet, omnes velociter & ligna ſeiderunt, & pyras parauerunt, & mortuos ingenti pietate combuſſerunt.

Hi autẽ ſedebant in cõcione Troiani, & Dardani,
Omnes congregati expectantes, quando veniat
Idæus, hic autem venit, & legationem renunciat
Stans in medijs, hi autem parati ſunt VALDE VELOCITER
Ex vtraq; parte mortuoſq; ducere, alij autem ſyluã

Quin & Agamemnon Rex Græcorum Idæi legationem audiens, nedùm mortuorum ſepulturam permiſit, ſed etiam vt citò eis honores extremos exhiberent, eſt piè hortatus.

Circà autem mortuos, comburere non inuideo,
Neque aliquod odium cadauerum mortuorum
Eſt, poſtquam mortui ſunt, igne mitigemus CITO.

Citò docuit ignibus rogi mortuos eſſe honorandos, nam magnâ ſunt celeritate pietatis obſequia mortuis debita exhibenda.

Aeneas, eiuſque milites celeriter mortuis pietatem exhibentes.

27 Nec non Virgilius hanc ſæpè nobis celeritatem commendat, vndè vt neceſſaria funeri Miſeni citò à militibus exhiberentur, Æneam inducit lib. 6. Æneidos inter cæteros primum ligna ſcindentem, pyram conſtruentem, & rogum parantem.

Virgilius.

Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur ſocios.

Donatus.

Vbi ait Donatus. *Multùm quippè accedit ad affectum* EXPEDIENDAE *rei, ſi operam ſuam, cùm aliquid laborioſum geritur, Rex ipſe coniungat.* Vt citò, & expeditè Miſeno defuncto exequiæ celebrarentur, operam ſuam Æneas ipſe contulit, imò cæteris prior ea, quæ pro funere neceſſaria erant, ſolerti diligentiâ parauit. Quo Regis exẽplo milites excitati, celeriter ipſi quoque viro extincto parentarunt, vndè additur.

Virgilius.

Haud mora, FESTINANT flentes, aramque ſepulchri
Congerere arboribus, Coeloque educere certant.

Donatus.

Quæ magis explicans idem Donatus dixit. FESTINANDVM FVIT, *vt iuſſa Sibyllæ maturè, & in omnibus complerentur, ſcilicet, vt curaretur funus, & eius ſolennia.* Dum agebatur de pietate in defuncti funere impendendâ, omnis erat mora præſcindenda, neque cunctandum erat, ſed omni ſtudio feſtinandum. Hanc rurſùs lib. 11. explicauit Æneæ celeritatem, cùm oratoribus Latinis mortuorum ſepulturam poſtulantibus, eum induxit & defunctis, & etiam viuis pacem benignè offerentem.

Virgilius.

Pacem ne exanimis, & Martis ſorte peremptis
Oratis? equidem & viuis concedere vellem.

Quibus verbis pius Rex celeritatem oſtendit, quâ ſepulturæ officia concedebat mortuis, dum pacis fœdera offerebat & viuis. Rectè Donatus. QVAM CITO *oſtendit ſepulturam mortuis ſe velle præſtare, cùm dicit, & viuis concedere vellem.* Vides vbique commendari celeritatem, cùm de pietate agitur, quæ defunctis exhibetur?

Donatus.

Honores ſepulchrales à turbâ accelerati.

28 His addo, quæ habet Valerius Flaccus lib. 3. Argonaut, qui turbam deſcribit ſuper cadauera cæſorum militum ruentem, honoreſque ſepulchrales eis exhibendos religioſis, ac pijs verbis accelerantem.

Valerius Flaccus.

Cur etiã flãmas, miſeroſq; MORAMVR honores,
Tùm ſuper exanguens conferta cædis aceruos
Præcipiti plangore ruunt.

In honoribus, qui defunctis à viuentibus impenduntur, nihil morandum, ſed vt citò noſtrâ pietate honorentur, omni eſt diligentiâ, & ſtudio certandum.

Mauſoleum accelerante manu erectũ Archemoro.

29 Statius quoque Papinius hanc laudat celeritatem lib. 6. Thebaidos his carminibus, dum Mauſoleum narrat multis impenſis defuncto erectum Archemoro.

Statius.

Mirum opus, ACCELERANTE MANV, ſtat ſaxea moles,
Templum ingens cineri.

Defuncti cineribus monumentum erexerunt, ſed citò, & accelerante manu illud conſtruxerunt, agnoſcentes, exigi à viuis celeritatem, cùm debent mortuis impendere pietatem.

Olympias ad regis exequias feſtinauit.

30 Iuſtinus præterea Hiſtoricus lib. 9. Olympiadis nobis commendat celeritatem, quâ ad regis exequias noctù cucurrit, & mortui Pauſaniæ capiti auream coronam feſtinanter impoſuit, agnoſcens videlicet mortuos omni eſſe à nobis feſtinatione honorandos. *Ipſa deindè* (Olympias) *auditâ regis nece, cùm titulo officij ad exequias eadẽ noctè* CVCVRRISSET, *in cruce pendentis Pauſaniæ capiti, eadem nocte, quâ venit, coronam auream imponit.* Vidæ mulieris celeritatem, quâ nocturno tempore currere, ac ſine timore, dum adhuc tenebræ vigebant, defuncti cadauer aureâ coronâ honorare decreuit.

Iuſti. Hiſtor.

Mos antiquorum parandi celeriter funebria mortuis, antequã morerentur.

31 Sed illud etiam hìc addendum cenſeo, quòd tantâ celeritate conſueuerant antiqui pietatem defunctis impendere, vt antequam morerentur, quæ illis pro funere, & exequijs neceſſaria erant, piâ feſtinatione parare ſolerent. Certè apud Homerum Odyſſeâ 2. hæc legimus.

Homerus.

Iuuenes mihi proci, quoniã mortuus eſt Diuus Vlyſſes,
Manete, vrgentes meas nuptias, donec veſtẽ
Perfecero, ne mihi vana fila perdantur,
Laerti heroi funebrem quando ipſum
Parca pernicioſa abſtulerit asperâ morte
Ne aliqua me in populo mulierũ Græcarũ culpet,
Si ſine veſte iaceat multa poſſidens.

Vbi licet videre Penelopem Heroi, antequam moreretur, funebrem veſtem paraſſe, ac ſepulchrale indumentum. Quam etiam pietatem ſe filio Euryalo mater ipſius exhibuiſſe teſtata eſt apud Virgilium lib. 9. Æneidos.

Nec te tua funera mater
Produxi preſſiue oculos, nec vulnera laui

Mos adhibendi ieiunium, cùm mortui lugentur.

ſtus indicauit, cùm ad eum diſcipuli Ioannis acceſſerunt, quærentes, cur ipſi, & Phariſæi ieiunarent, diſcipuli autem eius itiunium non ſeruarent. Quibus Chriſtus reſpondit, filios ſponſi nō lugere, nec ieiunare, donec eum illis eſt ſponſus, Apoſtolos autem itiunaturos eſſe, cùm ab eis ſponſus receſſiſſet. *Et ait illis Ieſus, Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiù cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt*. Matth. 9. 15. Quis autem hic non videt Chriſtum ſuam prænunciaſſe mortem, qui cùm Eccleſiæ ſponſus eſſet, erat ab eâ Iudęorum inuidiâ, & immanitate auferendus? Dixit ergò tunc Apoſtolos ieiunaturos eſſe, cùm ipſe crucis morte ab eis auferretur, mos enim erat apud veteres valdè ſolennis vniendi cum lacbrymis ieiunium in funeribus mortuorum. Totum boc explicat egregiè Ioannes Maldonatus. *Alludit ad veterem morem* LVGENDI MORTVOS ADHIBITO IEIVNIO; *ſolent enim, qui lugent, cibo abſtinere*. Cum lachrymis abſtinentiam antiqui iungebant, dumque mortuos effuſis lachrymis plorabant, eoſdem ieiunij ſuffragio adiuuare ſtudebant.

Maldonatus.

Chriſtiani cum lachrymis triginta dierū ſacrificium pro defunctis offerunt.

16 Addo, cum lachrymis ſacrificij quoque ſuffragium eſſe defunctis exbibendum. Mos erat apud Hebręos plorandi celebres, atque inſignes perſonas defunctas triginta diebus, vndè Iacob Patriarcham ſeptuaginta diebus in Ægypto luxerunt. *Fleuitque eum Aegyptus ſeptuaginta diebus*. Gen. 50. 3. Quadraginta quippè diebus Aegyptij, triginta verò eum lux erunt Hebræi, vndè Petrus Comeſtor lib. Geneſis cap. 114. ait. *Mos erat Ethnicorum incondita ſeruare corpora nouem diebus, & ſingulis diebus plangere, & fouere ea calidâ aquâ, vt ſciretur, vtrum anima egreſſa, an ſopita foret, condita verò quadraginta diebus ſeruabant. Hebræis mos erat incondita ſeruare ſeptem diebus, condita diebus triginta, ſeruauerunt igitur & ipſi Iacob diebus triginta, & ita ſub amborum cuſtodiâ tranſierunt dies ſeptuaginta*. Subdit autem immediatè idem autbor hunc eundem morē ſequi cum maiori mortuorum vtilitate Chriſtianos, dum ſuos mortuos ita triginta diebus lugēt, vt vnà cum lachrymis, quas effundunt, ſacrificia pro eorum animabus offerri ſingulis illis diebus piè, ac religioſè curent. *Fideles modò, quia mortuos ſuos fide, & virtutibus conditos aiunt, triginta diebus eos* PLANGVNT, *ideſt ſpeciales miſſas ſub numero tot dierum pro ipſis celebrant*. O' verè proficuas lachrymas, quæ ſacrificijs adiectis, animas ad iuuare poſſunt defunctorum, eaſque à Purgatorij pœnis ad gaudia transferre Angelorum.

Petrus Com.

Lachrymę ſunt redēptrices, quæ cum ſuffragijs vniuntur.

17 Has lacbrymas commendauit D. Ambroſius in obitu Satyri, cùm eas redemptrices appellauit. *Fleuerunt & pauperes, & quod multò eſt pretioſius, multòq; vberius, lachrymis ſuis eius delicta lauerunt. Iſtæ ſunt* LACHRYMAE REDEMPTRICES, *iſti gemitus, qui dolorem mortis abſcondunt, iſte dolor, qui perpetua vbertate lætitiæ veteris ſenſum doloris obducat*. Quid elegantius? Verè ſunt lachrymæ redemptrices, quæ iunctæ pietatis ſuffragijs à pœnalibus incendijs animas redimunt, vt eas ad cœleſtes aulas cum lætitiâ traducant. Ita ergò lugendum eſt pro defunctis, vt ſuffragijs comitatus noſter eis proficiat luctus. Non nudæ ſunt exhibendæ lachrymæ, ſed pietatis ſuffragijs indutæ, atq; ornatæ, vt lachrymis preces, eleemoſinæ, ieiunia, & ſacrificia coniuncta non modicam defunctis afferant vtilitatem. Ex his igitur iam modus, quo vtiliter plorandi ſunt mortui ſufficienter eſt explicatus.

D. Ambroſius

CAPVT X.

A ſuffragijs plurium vnâ conuenientium valdè adiuuantur defuncti.

Pro mortuis magis Deus acceptat orationes cōmunes, quàm ſingulares.

1 MVltiplicatis interceſſoribus aliqua interdum obtinentur, quæ ab vnico intercedente non tam facilè impetrantur; quare vt faciliùs defunctis, pro quibus oramus, pietatem à Deo impetremus, noſtras preces cum aliorum ſuffragijs vnire debemus; ſic enim plurium ſimul intercedentium pietate mortuorum animæ à pœnis, quas patiuntur, citò eripientur. Quærit D. Antoninus 1. par. tit. 10. cap. 2., vtrum qui pſalterium pro mortuo recitare tenetur, illudq; vnà cum alio recitat, ei, quod debet, ſatisfaciat. Affirmat autem, & rationem afferens, cur cum ſocio illud recitare poſſit, hoc ait contingere, quia orationes communes faciliùs à Deo, quàm ſingulares acceptantur, quare magis, quæ à pluribus, quàm quæ ab vno procedunt, proderunt ſuffragia defunctis. Subdo eius verba. *Si à duobus, quorum quilibet debet pro mortuo pſalterium, ſoluatur ſimplum, dicendo ſcilicet ſimul vnum pſalterium, ſufficit. Quod apparet per ſimile de horis canonicis, quorum quilibet clericorum tenetur in ſolidum, & tamen dicendo ſimul, omnes liberantur vnicâ vice, ſed tamen requiritur, quòd vnus attendat ad verſum, ſeu illam partem, quam dixit ſocius, ſicut ad id, quod dicit ipſe, debet attendere, aliter debitum confunderetur. Poteſt etiam dici in huiuſmodi caſu, quia* MAGIS ACCEPTAT DEVS ORATIONES COMMVNES, *quàm ſingulares*. Efficaciores ſunt ad impetrandam à Deo mortuis pietatem preces a pluribus prouenientes, quàm orationes à ſingulari perſonâ procedentes.

D. Antonin.

Martha, vt fratri defuncto pietatem à Chriſto impetraret, cum ſororis precibus ſuas vniuit.

2 Hoc agnouit Martha, quæ cùm vidiſſet Chriſtum ad Bethaniæ oppidum, in quo Lazarus iacebat ſepultus, aduenientem, ad ſororem cucurrit Mariam, eamque rogauit, vt ſecum accederet ad magiſtrum. *Et cùm hæc dixiſſet, abijt, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens, Magiſter adeſt, & vocat te*. Ioan. 11. 28. Cur Chriſtum relinquens, ad ſororem Martha cucurrit? Nunquid erat Deus deſerendus, vt ad Magdalenam fieret acceſſus? Non vt dëſereret Chriſtum, ſed vt adiuuaret Lazarum, ad Magdalenam

Digitized by Google

nam Martha cucurrit, nouerat enim faciliùs eſ audiendas eſſe preces, quas vnà cum Magdalenâ pro mortuo fratre funderet, quàm illas, quas ſola effudiſſet, potiores enim ſunt ad impetrãdam à Deo mortuis pietatẽ orationes, cùm multis vnà cõuenientes eas effundunt. Audiendus hîc Simon Caſſianus. lib. 5. in Euangelia cap. 15. *Martha ſilenter acceſſiuit ipſam ſororem, ac ſi diceret, acceſſi ad dominum, exponens miſeriam, quærens miſericordiam, alta reſurrectionis myſteria pertentans. Sola repulſam patior,* TECVM OPTATA VOTA FERAM. Pulchra verba. Quæ ſola pro defuncto exorans repellebatur, vnà cum ſorore deprecans repelli non metuebat, nam maiorem habent efficaciam, quæ à multis pro defunctis preces exhibentur.

Simon Caſſianus.

Hoc egit poſtquã ſpem aliquam reſurrectionis eius habuit.

3 Hinc eſt, quòd cùm Martha primò ad Chriſtum cucurrit, Magdalenam non vocauit, ſed tantùm poſtquam cum eo ſermonem habuit. *Martha ergò vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit illi: Maria autem domi ſedebat.* Ioan. 11. 20. Vbi dubitat D. Ioannes Chryſoſtomus homilia 61. in Ioannem. *Sed quid non aduocat ſororem Martha, cùm obuiam Chriſto proficiſcetur?* Cui dubitationi hac reſponſione ſatisfacit. *Vult ſola occurrere, & rem nunciare, quæ cùm bonam ſpem habere iuberetur, tunc Mariam vocat, in medio fletu Chriſto ſit obuiam.* Tunc Mariam vocauit, cùm aliquam ſpem reſurrectionis habuit, vt ſuis ſororis precibus adiunctis, vitam poſſet à Chriſto fratri obtinere defuncto.

D. Io. Chryſ.

Mulieres cõgregatæ, vt filios lugerent mortuos.

4 Et ſanè ſuffragia pietatis, quæ mortuis impenduntur, plerumque à multis vnà congregatis exhibita fuerunt. Dixit Ieremias vocem in Rama fuiſſe auditam Rachel filios ſuos defunctos vberrimis lachrymis plorantis. *Hæc dicit Dominus. Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt.* Ierem. 31. 15. Quomodo Rachel, quæ iam defuncta erat, filios poterat plorare defunctos? Nunquid mortui alios lugẽt mortuos, aut eis exequijs, & funerib. parentãt? Nũquid qui è corpore migrauerũt oculos habent, à quibus lachrymas effundant? Nunquid tandem alios lugent, qui vitâ functi sũt ab alijs lugendi? Non hîc nomine Rachelis mulier intelligitur, quæ fuerat, dum viueret, vxor Iacob, hæc enim lugere non poterat corporeis uinculis ſoluta, ſed per Rachelem mulieres exprimuntur Bethleem, quæ iuxtà illam vrbem eſt ſepulta. Hæ namque mulieres vnà conuenientes pio luctu filios plorauerunt morte peremptos. Aptè Dionyſius Carthuſianus in cap. 2. Matthęi. *Luctus, & fletus Rachel, id eſt* CONGREGATIO FOEMINARVM *Bethleemitarũ, quæ nomine Rachelis ſignatur. Primò quoniam Rachel iuxtà Bethleem eſt ſepulta, & ex corpuſculi hoſpitio nomen matris accepit ſecundùm Hieronymum. Secundò quoniam tribus Iuda, & Beniamin iuncta erant loco, & ſorte. Herodes autem iuſſit non tantùm in Bethleem, ſed in locis quoque adiacentibus pueros trucidari, ſicque ex propinquitate locorum, non ſolùm filij Liæ, habitantes in Bethleem, quæ pertinebat ad tribum Iuda, ſed & multi ex filijs Rachel matris Beniamin, hoc eſt de tribu Beniamin interfecti fuerunt. Propter quod Rachel, id eſt poſteritas eius, dicitur plorare filios ſuos ab Herode necatos.* Dicta eſt Rachel plorare defunctos, quia mulieres ad eam generis prõpinquitate pertinentes, vnà congregatæ illos luxerunt, ac religioſis lachrymis eis pietatem impenderunt.

Dion. Carth.

Palæſtinarũ vrbiũ turba cõgregata, vt Paulã defunctam lugeret.

5 Has mulieres imitati ſunt, qui funus Paulæ defunctæ celebrauerunt, ad cuius exequias omnium Palęſtinarum vrbium turbam conueniſſe D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ teſtatur. Cenſuerunt quippè ab omni populo, ac turbâ communem defunctæ mulieri exhibendam eſſe pietatem. TOTA *ad funus eius Palæſtinarum vrbium* TVRBA *conuenit. Quem monachorum latentium in eremo cellula ſua tenuit? Quam Virginum cubiculorum ſecreta texerunt?* Non vnus, aut alter ad ſanctæ mulieris exequias conuenit, ſed vniuerſæ Paleſtinæ vacuatæ ſunt ciuitates, ut earum populi vnà congregati ſuæ ſimul ſuffragia pietatis ei exhiberent.

D. Hierony.

Vt Ioſuẽ defunctum plorarent, omnes Iſraelitæ cõuenerunt.

6 Cùm Ioſue ad extremam ſenectutem perueniſſet, mortuus eſt, eiuſq; cadauer humantes, debita ſepulturæ illius officia præſtiterunt. *Et poſt hæc mortuus eſt Ioſue filius Nun ſeruus Domini centum, & decem annorum, ſepelierunt[q;] eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim à Septentrionali parte montis Gaas.* Ioſue 24. 29. Ad hanc autem ſepulturam ait Philo vniuerſos conueniſſe Iſraëlitas, vt ſimul congregati, tanti ducis mortem pio luctu plorarent, & communes ei lachrymas impenderent, qui communia ſibi beneficia exhibuerat. *Tunc omnis Iſrael* CONGREGATI SVNT IN VNVM, *vt ſepelirent eum, & planxerunt illum planctu magno.* Ita ille lib. Biblicarum antiquitatum. Vt defuncto duci pietatem exhiberent, omnes Iſraëlitæ ſunt in vnum congregati, nam tunc viui magnâ defunctos pietate proſequuntur, cùm eis cõmunibus congregati ſtudent ſuffragijs opitulari.

Philo Hebr.

Voluit Chriſtus plures Iudæos ad Lazari ſepulchrum conuenire.

7 Hùc reſpexiſſe videtur Chriſtus, cùm ad Bethaniæ oppidum, vt Lazarum ad vitam reuocaret, perrexit. Quò cùm peruenit, eiuſque ſorores lachrymantes vidit, interrogauit eas de loco, in quo cadauer condiderant defuncti. *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum, & dixit, Vbi poſuiſtis eum?* Ioan. 11. 34. Quomodo hac interrogatione Chriſtus indiguit? Nonnè diuinâ pręditus cognitione, occulta quæque clariſſimè intuebatur? Nonnè ſcrutabatur, non tantùm externa, verùm etiam arcana cordis interna? Nonnè illius conſpectui omnia nuda erant, & ſine vllâ difficultate patebant? Vt quid ergo ita ſe geſſit, ac ſi monumentum, in quo Lazarus condebatur, ignoraret, ac ab alijs quæſiuit, quod numine reuelante agnouit? Non vt locum ſciret, qui iam ei notus erat, Lazari ſorores interrogauit, ſed vt Iudæi audientes locum ſepulchri oſten-

deu-

dendum, eò conuenirent, ac Lazari reſurrectionem viderent. Ita Ammonius in catenâ Græcâ apud Nouarinum in cap. 11. Ioannis. *Hoc interrogat, vt prætextu loci oſtendendi*, PLVRES EO CONVENIRENT. Optabat Chriſtus plures ex Iudęis ad Lazari ſepulchrum conuenire, vt defunctum pijs lachrymis lugerent, ideòq; locum, vbi eum poſuerant, quæſiuit, nam cùm pietas eſt exhibenda mortuis, decet vt plures ad eius exhibitionem unà conueniant.

Ammonius.

Non ſolus, Dauid, ſed vnà cum viris, qui ſecũ erant, Saul, & defunctos Iſrael plorauit.

8 Corruit Saul vnà cum filijs ſuis in monte Gelboë, ſuis ſe manibus interficiens, vt hoſtium manus effugeret. Quod vt Dauid agnouit, apprehenſas veſtes ob doloris vehementiam ſcidit, ac ei, vniuerſoq; populo, qui cum eo corruerat, pio luctu, ac religioſo ieiunio parentauit. In quo ſanè luctu illud etiam eſt obſeruandum, quòd nõ ſolus Dauid mortuos plorauit, & pro eis ieiunauit, ſed omnes viri, qui erant cum eo, eamdem pietatem, quam rex, interfectis militibus impendebat, vnà cum illo ipſi quoque pariter impenderunt. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſq; viri, qui erant cum eo, & planxerũt, & fleuerunt, & ieiunauerũt vſq; ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionathã filiũ eius, & ſuper populum Domini, & ſuper domum Iſrael, eò quòd corruiſſent gladio.* 2. Reg. 1. 11. Non ſingulari luctu defunctos Dauid luxit, ſed communibus lachrymis, vnà cum viris, qui ſecum erant, pietatem eis exhibuit, vt communibus pietatis obſequijs donarentur, qui pro communi patriæ ſalute corruentes, vitam in prælio amiſerant. Aduertit hoc Abulenſis. *Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, ideſt* NON SOLVM DAVID *ſcidit veſtes, ſed etiam omnes viri eius, vt plangerent populum Dei, qui perierat in prælio.* Non ſolus, ſed vnà cum alijs pro mortuis plorauit, ac ieiunauit, agnoſcens maiori pietate viuẽtes proſequi defunctos, dum communibus eos adiuuare conantur ſuffragijs, quàm cùm eis ſingulariter, & ſeorſim ſuffragantur.

Abulenſis.

Cõpulit Ioab plorare Abner, vt communibus lachrymis lugeretur.

9 Hoc idem in funere Abner principis militiæ Saul egit, in cuius exequijs Ioab ipſum, qui eum doloſè interfecerat, vniuerſumq; populum, qui erat cum eo, plorare coëgit. *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo, Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite antè exequias Abner.* 2. Reg. 3. 31. Quam ob aliam cauſam compulit Ioab hoſtem plorare à ſe interfectum, niſi vt luctu communi pietas defuncto exhiberetur, dum ſecum Ioab quoque, & omnis populus ei adhęrens lugeret? Adſtipulatur idem Abulenſis. *Voluit, quòd planctus ſuus* COMMVNIS ESSET AD OMNES, *ideò compulit Ioab plangere.* Vt maiorem defuncto pietatem impenderet, non ſingulari, ſed communi eum uoluit luctu plorare, quare cùm magna populi multitudo eſſet cum Ioab, iuſſit ei, vt Abner ploraret, vnà cum viris, qui cum eo erant, vt communibus lachrymis interfecti exequiæ celebrarentur.

Idem.

Maiorem luctum cum filijs, quam ſolus pro defuncto Amnon edidit.

10 Turpi cognouerat inceſtu Amnon ſororem ſuam Tamar, quapropter iratus Abſalom eum ad conuiuium inuitatum, hoſpitij legibus violatis, interfecit. Quod cùm Dauidi patri nuntiatum fuiſſet, confeſtim ſurrexit, & ſciſſis veſtibus corruit in terram, quod ſimiliter ſerui omnes, qui erant cum eo, Regem imitati, egerunt. *Surrexit itaque rex, & ſcidit veſtimenta ſua, & cecidit ſuper terram, & omnes ſerui illius, qui aſſiſtebant ei, ſciderunt veſtimenta ſua.* 2. Reg. 13. 31. Vbi vides hic quoq; non ſolum Dauid filium defunctum luxiſſe, ſed vnà cum viris, qui ſecum erant communibus lachrymis, communiq; veſtium ſciſſione illum ploraſſe. Verùm illud inſuper obſeruandum mihi videtur, quòd cùm cæteri filij Regis, qui vnà cum Abſalom erant, fugâ ſuæ ſaluti conſuluiſſent, & reuerſi ad patrem fuiſſent, narrat iterum ſacer hiſtoricus, Dauidem ſimul cum ſeruis ſuis occiſum filium fleuiſſe. *Cùmq; ceſſaſſet loqui, apparuerunt & filij Regis, & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt, ſed & rex, & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis.* 2. Reg. 13. 36. Crediderat Dauid vniuerſos filios ſuos ab Abſalom fuiſſe interfectos. *Cùmque adhuc pergerent in itinere, fama peruenit ad Dauid dicens, Percuſſit Abſalom omnes filios Regis, & non remanſit ex eis vnus.* 2. Reg. 13. At verò, vt cęteri præter Amnon apparuerunt, agnouit eum ſolum à fratre fuiſſe interemptum. Cur igitur Dauid hoc agnoſcens, conſolationem non accepit, à lachrymis non ceſſauit, & filios amplexatus, luctum non temperauit, ſed maiori ploratu, quàm anteà fleuiſſet, iterùm plorauit? Quia lachrymas ſuas cum filiorum lachrymis vniens, maiorem ſtuduit pietatem exhibere defuncto. Hùc alluſit idem Abulenſis. *Tunc Dauid, & ſerui ſui cœperunt plorare amariùs, quàm primò.* Tunc, cùm filios ſuos mortem fratris plorantes vidit, maiorem ipſe quoq; cum ſeruis ſuis ploratum edidit, omneſq; communibus lachrymis defuncto pietatem exhibuerunt, cùm enim plures vna congregantur ad pietatem exhibendam defunctis, alij ab alijs adiuuantur, & hoc modo maioribus pietatis obſequijs eos proſequuntur.

Abulenſis.

Ad Apoſtolos Magdalena à ſepulchro cucurrit, vt in pietate Chriſto exhibendâ eos haberet conſortes.

11 Hoc agnouit Magdalena, quæ cùm ad ad Chriſti defuncti ſepulchrum, vt eius cadauer pretioſis aromatibus vngeret, feſtinaſſet, & ſepulchrum ſine corpore inueniſſet, confeſtim ad Petrum, & Ioannem, vt hæc eis nuntiaret, cucurrit. *Cucurrit ergò, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis; Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus, vbi poſuerunt eum.* Ioan. 20. 2. Quòd ſi ratio quæratur, cur ad hos Apoſtolos Magdalena cucurrerit, reſpondet Gloſſa interlinearis hoc eam egiſſe, vt eos haberet, aut in inquiſitione ſocios, aut in dolore conſortes. *Cucurrit nunciare diſcipulis, vt aut* SECVM *quærerent, aut* SECVM *dolerent.* Non ſola, ſed cum alijs defuncto pietatem volebat exhibere magiſtro, atq; ideò ad

Gloſſa interlinearis.

cos

eos cucurtit, vt ſibi eſſent, in cadaueris inquiſitione, ac lacbrymarum effuſione participes.

Ioſeph Arimathæus non ſolus, ſed vnà cum Nicodemo Chriſtū mortuum honorauit.

12 Nec aliter Ioſeph Arimathæus accedens ad Pilatum, Chriſtiq; ſepulturam ab eo poſtulãs, vt id quod petierat, impetrauit, non ſolus funeris officium perficere voluit, ſed vnà ſecum Nicodemum in eadem pietate voluit habere conſortem. *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum noctè primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum. Acceperunt ergò corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Ioan. 19. 39. Animaduerto Ioſeph Arimathæum non ſolum, ſed cum ſocio defuncto Chriſto ſepulchralia obſequia pręſtitiſſe, vt ambo communi pietate magiſtri ſepulturam honorarent. Rectè Hugo Cardinalis. *Non ſolus fuit in hoc, ſed* Ex Socio *Principe Phariſæorum audacior fuit*. Maiori pietate honorantur defuncti, cùm communibus, quàm cùm ſingularibus obſequijs honor eis exhibetur, vndè vt Ioſeph maiori pietate mortuum Chriſtū honoraret, non ſolus, ſed cum ſocio eum voluit vnguentis perfundere, ac ſepulchro mandare.

Hugo Card.

Malus propheta virum Dei nō ſolus, ſed vnà cum filijs humauit.

13 Miſit Deus prophetam de Iuda ad Ieroboam, vt peruerſo Regi altaris prædiceret ſubuerſionem. Quòd cùm egiſset, abijt, ſed pſeudoprophetæ dolo reuerſus comedit, ac bibit in loco, in quo ei Deus, ne cibum, aut potum ſumeret præcepit, quapropter delicti pœnam confeſtim luit, à leone, quem in viâ inuenit, interfectus. Agnouit hoc ſenex propheta Bethel, ſternenſque aſinum ſuum, ad locum, vbi cadauer iacebat, perrexit, illudq; honorificè ploratum in ſuo monumento ſepeliuit. *Dixitq; ad filios ſuos, ſternite mihi aſinum. Qui cùm ſtrauiſſent, & ille abijſſet, inuenit cadauer eius proiectum in viâ.* 3. Reg. 13. 26. Aduertit autem Abulenſis, non ſolum Prophetam ad cęſum cadauer acceſſiſſe, ſed vnà cum filijs ſuis illud extuliſſe, ac mortuo viro Dei luctu, ac ſepulturâ pietatem impendiſſe. NON IBAT ISTE PROPHETA SOLVS, *ſed ipſe, & filij ſui*. Vides vbique communem pietatem exhibitam fuiſſe defunctis? Magis quippè à plurium vnà conuenientium ſuffragijs, quàm à ſingularibus obſequijs mortui honorantur.

Abulenſis.

Tibicines in antiquorum funeribus adhibebantur, vt multitudo prouocaretur ad luctum.

14 Profectus eſt Chriſtus, vt Archiſynagogi preces exaudiret, vnà cum eo ad domum, in quâ defuncta puella iacebat, eò autem perueniens, turbam reperit tumultuantem, ac tibicines lugubria canentes. *Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat, recedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit.* Matth. 9. 23. Cur verò hi tibicines ad archiſynagogi domum aduenerant? Quid, mortuâ puellâ, muſicâ opus erat, quæ in luctu importuna cenſetur? Non ad lætitiam, ſed ad luctum hæc tibicinum muſica excitabat, quam in funeribus antiqui adhibere conſueuerant, vt populus, qui ad mortuotum elationem conueniebat, ad luctum agendum prouocaretur, & ad pietatem maiori feruore illis exhibendam. Hoc docuit nos Lyranus. *Aliæ* (melodiæ) *excitant fletum, & talibus vtebantur antiquitùs in ſepulturis magnarum perſonarum, vt prouocaretur* MVLTITVDO *ad fletum, & tales dicuntur hîc tibicines, carmen ſcilicet lugubre cantantes.* Multitudo populi ad ſepulturam conueniebat mortuorum, hæcq; ad pietatis exhibitionem cantu, ac ſono prouocabatur, nouerãt quippè antiqui ſuffragia multitudinis magis mortuis prodeſſe, quàm obſequia ſingularium.

Lyranus.

Reſpha nō ſola, ſed vnà cum alijs cadauera cuſtodiuit filiorū mortuorum.

15 Vt iram Dei à populo Dauid auerteret, ad Gabaonitarum petitionem ſeptem filios Saul eis in morte crucifigendos pro peccato patris eorum conceſſit. Quos vt in patibulis ſuſpenderunt, Reſpha duorum ex eis mater ad cadauera eorum acceſſit, & ſubſtrato ſibi ſuprà petram cilicio nunquam ea dereliquit, ſed ab auibus, ac feris, donec illa humare liceret, vigilanter cuſtodiuit. *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſuprà petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. 10. Quo pacto poterat hæc mulier tãdiù à feris, ac volucribus cadauera ſeruare filiorum? Nonnè aliquandò naturæ neceſſitati ſuccumbens dormiebat? Quomodo igitur tunc aues, & feras arcebat? Soluit nodum Abulenſis quæſt. 30. in hunc locum, inquiens, non eam ſolam, ſed vnà cum alijs cuſtodiæ vacaſſe mortuorum, qui poterant, eâ dormiente, aues abigere, ac feras, ne mortuorum corpora laniarent, repellere. *Credendum, quòd Reſpha* NON ERAT SOLA *in cuſtodiâ iſtorum ſuſpenſorum, quia tamen ipſa erat principalis in hac cuſtodiâ, nominatur ipſa ſola.* Licet ſola nominetur, non ſola erat Reſpha, ſed vnà cum alijs communi obſequio ſuis pietatem exhibuit defunctis.

Abulenſis.

Mulierum lachryma vnita adoleſcenti Naim vitam impetrauerũt

16 Cùm proficiſceretur Chriſtus ad ciuitatẽ Naim, adoleſcentis cadaueri occurrit, quod extrà vrbem efferebatur ad ſepulchrum. Acceſſit autem, & loculum tangens, mortuo præcepit, vt ab inferis reſurgeret, ſtatimque frigidum cadauer animâ denuò informante, reuiſit defunctus, vitâque ſuâ matrem eſt conſolatus plorantem. *Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.* Luc. 7. 15. Si autem quænam cauſa Chriſtum ad huius reſurrectionis miraculum impuletit, inquiramus, prompta eſt reſponſio Vincentij Belluacenſis lib. 2. diſt. 12. in ſpeculo morali, qui ait matris luctum vnà cum turbæ plorantis lachrymis coniunctum, priſtinã à Chriſto adoleſcenti vitam impetraſſe defuncto. *Mulier vidua & lachrymis proprijs, &* MVLTITVDINIS CIRCVMSTANTIS *obtinuit filium ſuſcitari.* Multotum lachrymæ vitam iuueni obtinuerunt mortuo, nam tune noſtrâ pietate valdè adiuuantur mortui, cùm eis communibus miſerationis obſequijs, vnà cum alijs conuenientes ſuffragamur.

Vincentius Belluacenſis.

17 Pergo, & addo, Angelos quoque communem pietatem vnà conuenientes exhibere defunctis.

Angeli vnà conuenientes communem pietatem exhibent defunctis.

ctis. Mortuus eſt Lazarus mendicus, qui vlceribus plenus, ad ianuam diuitis, cupiens de micis eius menſâ cadentibus ſaturari, iacebat, quas tamen ab beluonis erudelitate impetrare non poterat. At poſt mortem à miſerijs ad gaudia tráſijt, & ab Angelis in ſinum Abrahæ perpetuò fruiturus fuit elatus. *Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Luc. 16. 22. Obſeruat D. Io. Chryſoſtomus in catenâ hunc mẽdicũ, nõ ab angelo, ſed ab angelis fuiſſe in ſinũ Abrahæ portatum, qui omnes vnà conuenerunt, vt chorum lætitiæ facientes, communẽ defuncto Lazaro impenderent pietatem. *Non ſuffecerat ad portandũ pauperem vnus Angelus, ſed propterea plures venẽrũt,* VT CHORVM LAETITIAE FACIANT. Expende Angelos quoq; ſimul conueniſſe, chorumque vnà feciſſe, quò defunctum ad locum tranquillitatis, ac requiei deferrent, vt videlicet nobis innuerent, communi eſſe defunctos pietate proſequendos.

D. Io. Chryſ.

Gentiles vnà conuenientes, vt defunctis pietatem impenderent.

18 Sed huius veritatis teſtimonia exhibent etiam nobis profani autbores. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 8. Antiquit. Roman. Marcij tumulum multorum manibus ait fuiſſe congeſtum. *Collectas reliquias in eodem loco humarunt, tumulo excelſo ſuper eas* MVLTORVM MANV *congeſto.* Diodorus Siculus lib. 1. cap. 3. Aegyptios omnes refert communi mœſtitiâ Reges luxiſſe defunctos. *Cùm quis regum decedit è vitâ, Aegyptij omnes eius mortem* COMMVNI MOESTITIA *lugent.* Virgilius etiam Aeneam inducit in patris anniuerſario luctu magnâ caterua comitatum ei parentantem.

Dion. Halic. *Diodorus.* *Virgilius.*

Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, MAGNA medius ſtipante CATERVA

Ita ille lib. 5. Aeneidos. Et Valerius Flaccus lib. 3. Argonaut. matrem Cyzici in filij funere ad fletum ait vocaſſe agmina matrum.

Valerius Flaccus.

Parte aliâ Clite laceras ſuper ora mariti
Fuſa comas, miſera in planctum vocat AGMINA MATRVM.

Innumera ſunt, quæ hìc poſſent afferri ſimilia, ſed parco, tùm quia paſſim ſunt obuia, tùm ne nimium Caput excreſcat. Hæc ſufficiant, vt hanc veritatem ſtabiliant, à ſuffragijs plurium vnà conuenientium valdè adiuuari defunctos.

CAPVT XI.

Citò viuorum obſequijs debent mortui honorari.

Maiori feſtinatione pro animab. Purgatorij orandum eſt, quàm pro cæteris.

1 IN omnibus operibus noſtris commendat nobis Sapiens velocitatẽ. *In omnibus operib. tuis eſto velox.* Eccleſiaſtici 31. 27. At ſi in omnibus bonis operib. veloces, profectò in ijs, quibus defunctis pietatem impendimus, velociſſimi eſſe debemus. Quænam enim ita velociter fieri exigunt, vt ea, per quæ à Purgatorij pœnis animæ defunctorum eripiuntur? Sanè donec ſuffragia eis exhibeantur, acerbè animæ illæ cruciantur, vndè vt illas à cruciatibus eruamus, citò noſtram eis pietatem exhibere debemus. Appoſitè Ioannes Gerſon 4. parte ſermone 1. pro defunctis. *Hæc oratio eſt maioris neceſſitatis, &* FESTINATIONIS, *in quantùm hi, qui in* PVRGATORIO *ſunt, de facto punitionem recipiunt pro tempore, quo non ſit oratio.* Maiori feſtinatione pro animabus Purgatorij orandum eſt, quàm pro cæteris, quia illæ, quoadùſq; oremus pro illis, acerbiſſimis pœnis apud inferos torquentur.

Ioannes Gerſon.

2 Ad hanc feſtinationẽ Sapiens nos hortatur, dicẽs vt feſtinemus, & amicos noſtros ſuſcitemus. *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Prouerb. 6. 4. Quos enim amicos ſuſcitare debemus, niſi eos, qui in pondere pœnarum Purgatorij iacent fermè ſepulti. Hi ſunt à nobis noſtris precibus, ac ſuffragijs ſuſcitandi, & vt eos à pœnis, quas patiuntur, ſuſcitemus, omni celeritate feſtinare debemus. Ad rem Hugo Florenſis ſerm. 2. de Animabus. *Diſcurre per collegia ſanctorum, ab eis petens liberationem fidelium defunctorum,* FESTINA, *ne morte præoccupatus gemas, & defleas te fuiſſe negligentem, & non ſolùm promiſſum, vndè & ſequitur, ſuſcita amicum tuum, hoc eſt fidelem in hoc pondere pœnarum quaſi ſepultum, vt reſuſcitatus aſcendat ad gloriam ſanctorum.* Impigrè, ac celeriter amicis noſtris, qui Purgatorij pœnis torquentur, ſuffragia noſtræ pietatis debemus, vt eos à pœnis, quas patiuntur, eripiamus, & ad cœleſtem, ac ſempiternam gloriam transferamus.

Amici noſtri in Purgatorio celeriter ſunt à pœnis noſtris ſuffragijs eijciendi.

Hugo Floren.

3 Et ſanè ſi hoc hominum animis natura ipſa indidit, ut citiùs eis compatiantur, ac ſubueniant, qui magis cruciantur, & affliguntur, quã celeritate ſubueniendum erit Animabus Purgatorij, quæ acerbiſſimis cruciatibus torquentur, quarumque pœnis nullæ aliæ poſſunt comparari, quas homines patiuntur. Non debeo ſupprimere verba Ioannis Gritſch ſerm. 2. Fer. 5. poſt Cineres. *Naturale eſt homini* CITIVS *ſubuenire magis afflictis. Sic etiam animabus in* PVRGATORIO *exiſtentibus propter grauiſſimas afflictiones cõpati debemus.* Celeriora debentur auxilia eis, qui acerbiora ſuſtinent ſupplicia, quare cùm Animæ Purgatorij atrociſſimis crucientur pœnis, celeriter viuorum ſuffragijs ſunt adiuuandæ.

Citò Animæ Purgatorij ſunt adiuuandæ, quia acerbè affliguntur.

Ioan. Gritſch.

4 Quod etiam innuit mos, quem olim obtinuiſſe in Eccleſiâ teſtatur Guillelmus Durantius lib. 7. cap. 35. Anniuerſarium videlicet celebrandum pro animâ defuncti, nõ ſubſequenti, ſed præcedenti die, ſi fortè contingeret, diem ipſam, in quâ celebrandum eſſet, aliquâ ſolemnitate occupari. Quod ait actum fuiſſe, vt defunctis, qui torquentur in Purgatorio, ſuffragia ſi deliuum citiùs exhiberentur. Hæc ſunt eius verba. *Anniuerſarium, ſi contigerit in die Dominicâ, aut aliquâ celebrari ſolennitate, non debet mutari in ſequentem diem, prout fit in feſtis ſanctorum, ſed fiat in die præcedenti, vt* CITIVS *occurratur pœnis defunctorum,*

Anniuerſarium contingens die feſto, non ſequenti, ſed præcedenti die celebratur, ut citius ſuccurratur defunctis.

Guillerm. Durant.

Digitized by Google

ſtorum, quas in Pvrgatorio *ſuſtinent: defuncti enim noſtro indigent auxilio, & beneficio, ſed non ſancti.* Noſtris valdè indigent defuncti ſuffragijs, vndè illis ea debemus omni alacritate, ac feſtinatione exhibere.

Chriſtus accelerauit ſuam paſſionem, vt citò defunctis pietatem exhiberet.

5 Imminente ſuâ paſſione, aſcendit Chriſtus Ieroſolymam, vbi tradendus erat Phariſæis, & Scribis, & in crucis patibulo ſuſpendendus. *Et aſcendens Ieſus Ieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis, Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & ſcribis, & condemnabunt eum morte* Matth. 20. 17. Dubium hic oritur, cur Chriſtus perfidos Iudæorum animos agnoſcens, qui eum totis viribus interficere quærebant, Ieroſolymã aſcendere voluerit. Cur eos in loco, vbi erat, non expectauit? Cur ſuis occurrere hoſtibus decreuit? Cur tandem in illorum manus, qui eum quærebant, ſpontè ſemetipſum tradidit? Vt celeriùs ſuâ paſſione, ac morte pietatem exhiberet defunctis. Fauet D. Baſilius Seleucienſis in Bibliothecâ veterum Patrum orat 52. his verbis. *Iudæorum animi propoſitum* Alacritate Praeoccvpat, *paſſionem enim parturit, quò ſepulchra ſoluat.* Vt citò ſepulchra ſuâ morte reſeraret, ac defunctis amiſſam vitam donaret, non hoſtes expectare, ſed ipſis occurrere, Ieroſolymam aſcendens, vbi ei perſecutiones moliebantur, decreuit.

D. Baſ. Seleu.

Sine morâ filiam Archiſynagogi ſuſcitauit.

6 Nec tantùm in morte, ſed etiam in vitâ huius celeritatis nobis exemplum præbuit. Nunciauit ei Archiſynagogus filiam ſuam iacere in domo defunctam, & ad genua illius prouolutus, eum rogauit, vt eam inuiſens, ſuæ diuinitatis virtute ad priſtinam vitam reuocaret. Illicò autem Chriſtus orantem exaudiuit, & ſurgens, cum eo ad cadauer perrexit. *Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius.* Matth. 9. 19. Vide, quâ celeritate mortuæ puellæ pietatem exhibuit, qui nihil moratus eſt, ſed confeſtim patrem ſecutus, filio vitã diuinâ liberalitate eſt largitus, nos inſtruens, vt ſine morâ celeriter mortuis pietatem noſtrã impendamus. Aptè Ludolphus Carthuſianus lib. de vitâ Chriſti 1. par. cap. 49. *Cùm rogatus eſſet Dominus à Iairo, vt ad ſuſcitandam filiam ipſius veniret,* Non Moratvr, Sed Statim Svrgans *ſecutus eſt eum.* Omnem amputauit moram, vt celeriter defunctæ puellæ impẽderet pietatem. Quod confirmans Remigius in catenã in cap. 9. Matth. ait. Mox Vt Rogatvs Est, *rogantem cœpit ſequi.* Vix pro mortuâ rogantem audiuit, ſtatimq; illum exaudiuit. Imò addit D. Petrus Chryſologus ſerm. 63. Chriſtum hanc defunctam, funere adhuc calente, ad vitam reuocaſſe, vt maiorem innuat nobis pietatis illius in mortuos celeritatem. *Suſcitauerat Dominus & filiam Iairi principis ſynagogæ, ſed* Adhvc Fvnere Calente. Non expectauit, donec frigidum cadauer à Libitinarijs elatum in ſepulchro conderetur, ſed adhuc vitâ proximè amiſsâ calenti ab inferis excitatã animã infudit.

Lud. Carth.

Remigius.

Petrus Chryſolog.

7 Parùm diſſimilem oſtendit feſtinationem, cùm adoleſcentulum Naim ſuſcitauit, cui ſtatim ac occurrit, vitam piè impertiuit. *Et acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, ſteterunt, & ait, adoleſcens tibi dico ſurge.* Luc. 7. 14. In quo miraculo, non tantùm ſuſcitationem, ſed & ſuſcitationis licet aduertere maturitatẽ. Nec enim permiſit, vt efferretur ad locũ ſepulchri, aut verba priùs cum diſcipulis, vel turbis habuit, ſed ſtatim ad loculum accedens, mortuum ſuſcitauit. *Puto,* inquit D. Ambroſius in cap. 8. Lucæ, *quòd in eo quoque pietas Domini declaretur, quia vidua mater vnici non patiebatur moras, & ideò ne ampliùs afficeretur,* Matvritas Additvr. Pietatis exhibitioni exhibitionis addidit feſtinationem, & nullâ interpoſitâ morâ, ſtatim ac mortuum vidit, eum ad vitam reuocauit. Quam celeritatem pietatis Chriſti ergà hunc defunctum commendauit & D. Petrus Chryſologus ſerm. 63. *Suſcitauit & vnicum matris, ſed ſic, vt retineret feretrũ, vt anticiparet ſepulchrum, vt corruptionem ſuſpenderet, & præueniret fœtorem.* Poterat ne deſcribi elegantiùs celeritas, quâ Chriſtus huic defuncto pietatem impendit? Hanc videlicet in defunctorum ſuſcitatione adhibuit celeritatem, vt nos doceret, citò eſſe mortuis exhibendã pietatẽ.

Vt Chriſtus adoleſcentem Naim defunctum vidit, vitam ei reſtituit.

D. Ambroſ.

D. Pet. Chriſ.

8 Hoc voluit Iacob, cùm morti propinquus ad ſe vocauit filium Ioſeph, eumq; rogauit, vt ſuũ poſt mortem ex Aegypti regno ad Chananæorũ terram transferret cadauer. Quod cùm à pio filio impetraſſet, iuramentum inſuper ab eo exegit. *Reſpondit Ioſeph, Ego faciam, quod iuſſiſti, & ille, Iura ergò, inquit, mihi.* Geneſ. 47. 31. Nonnè pater pij, ac religioſi filij verbis credebat? Nunquid metuebat, vt non impleret, quod promittebat? Nùm timebat ab eo contemni mortuus, à quo tantopere dilectus fuerat viuus? Abſit, nec enim de optimo filio hæc potuit cogitare ſanctiſſimus Patriarcha, ſed iuramentum exegit, ne regni negotijs occupatus, diù ſui cadaueris translationem differret. Hunc ſenſum tradit Dionyſius Carthuſianus. *Cur Iacob exegit iuramentum à filio tam fideli, quaſi non crederet verbis eius ſimplicibus? An forſitan timuit, quòd filius ſuus negotijs regni plurimùm occupatus negligeret, aut* Diù Differret *verba ſua implere.* Omnis amouenda eſt dilatio, cùm mortuis impendenda eſt pietas, quare ſanctus ſenex, vt celerem filio iniũgeret ſui cadaueris translationem, non ſimplicem, ſed iuratam ab eo exegit promiſſionem.

Vt celerem iniũgeret Iacob filio ſuo cadaueris translationẽ, iuramentũ ab eo exegit.

Dion. Carth.

9 Vt audiuit Rex Dauid Saul in monte ſuo gladio interfectum corruiſſe, veſtimenta ſua ſcidit, magnoq; luctu eius mortem plorauit. *Apprehendens autẽ Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſq; viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius.* 2. Reg. 1. 11. Aduertit autem Abulenſis celeritatem, quâ Dauid Regi mortuo ſuo luctu pietatem impendit, ſimul enim ac eius mortem audiuit, confeſtim lachrymis, ac ieiunio cum viris, qui ſecum erant, ei parentauit. Nam non ſufficit impendere pietatem, ſed cele-

Citò Dauid Saul mortuo pietatem impendit.

riter eam debent viui exhibere defunctis. Docet Abulenſis. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, ideſt* IMMEDIATE` *vt certificatus eſt Dauid de morte Saulis, ſcidit veſtimenta ſua in ſignũ magni doloris.* Luctum non diſtulit, ſed immediatè ac mortuum Saul agnouit, pijs cum lachrymis, ac celeri pietate plorauit.

Abulenſis.

Eodem celeritate Iabenſes ei ſepulchralia obſequia exhibuerunt.

10 Pari celeritate Iabenſes ergà eum ſuam pietatem oſtenderunt, dum totâ nocte ambulauerunt, vt eius cadauer è mœnijs hoſtilibus turpiter pendens, ſecum efferrent, & honorifico ſepulchro, pompâ eſequiarum præcedente, mandarent. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan, veneruntq; Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni.* 1. Reg. 31. 12. Animaduerte celeritatem, quâ hi pij viri pietatem defunctis exhibuerunt, qui totâ nocte ambulare, vt eis citò parare poſſent exequias, decreuerunt. Ad rem Caietanus. *Combuſtis* CITIVS *carnibus, partibusque mollibus, remanentia oſſa ſepelierunt ſub arbore in Iabes vnà cum cineribus corporum.* Quam pietatem defunctis parauerunt, citò, ac ſine morâ exhibuerunt, omnis enim præſcindenda eſt mora cum mortuis eſt pietas exhibenda.

Caietanus.

Aſael defunctus celeriter ad proprium ſepulchrum elatus.

11 Horum virorum celeritatem imitati ſunt Ioab, & milites, qui cum eo erant, dum cadauer Aſaëlis, quem Abner interfecerat è caſtris eſtulerunt, & ad patrium ſepulchrum extulerunt. Vt enim citiùs defunctum militem humarent, & eſequiarum pompâ honorarent, ipſi quoque totâ nocte ambulauerunt. *Tuleruntque Aſael, & ſepelierunt eum in ſepulchro patris ſui in Bethleem, & ambulauerunt totâ nocte Ioab, & viri, qui erant cum eo, & in ipſo crepuſculo peruenerunt in Hebron.* 2. Reg. 2. 32. Hæc profectò itineris tantâ feſtinatione peracti cauſa fuit, vt citiùs funus celebrarent, ac miſerationis obſequia mortuo eſhiberent. Subſignat Abulenſis. *Sicut Abner, & viri ſui ambulauerunt totâ nocte, quouſque peruenirent in Mahanam, ita Ioab, & viri ſui ambulauerunt totâ nocte, vt venirent in Hebrõ. Cauſa tamen* CELERITATIS *motus Ioab fuit, quia ferebant mortuum Aſael.* Celeriter ambulauerunt, cùm defunctum eſtulerunt, nam omni ſemper mortui ſunt à viuis celeritate proſequendi.

Abulenſis.

Sunamitis velociter currit, vt filium adiuuaret defunctum.

12 Egregium quoque huius celeritatis nobis eſhibuit exemplum Sunamitis mulier, quæ defuncto filio, maritum adiuit, atque vt ſibi facultatem permitteret proficiſcendi ad Eliſæum, illum rogauit. Sed verba ſunt attendenda, quibus virum ſuum allocuta eſt, quæ talia fuerunt. *Mitte mecum, obſecro, vnum de pueris, & aſinam, vt excurram vſque ad hominem Dei, & reuertar.* 4. Reg. 4. 22. Expende verba illa, *vt excurram*; nec enim ſimpliciter eundi, ſed excurrendi facultatem rogauit, vt velociter pro mortui ſuſcitatione deprecans Eliſæum, ei citò impenderet pietatem. Præiuit in hac obſeruatione Abulenſis. *Vt excurram, ideſt* VELOCITER *eam.* Non quomodocumque, ſed velociter mortuos adiuuare debemus, quapropter Sunamitis, vt defuncto filio vitam impetraret, non ſolùm ire, ſed eſcurrere, ac velociter voluit proficiſci.

Abulenſis.

Noluit, ne moraretur, itineris cauſam reddere marito.

13 Hinc eſt, quòd marito eam interroganti, cur, cùm neque Calendarum, neque Sabbati ſolennitas celebraretur, adhuc pergere vellet ad Prophetam, ſuæ profectionis cauſam tacuit, nihilque illi ad rem reſpondit. *Qui ait illi, Quam ob cauſam vadis ad eum? Hodie non ſunt Calendæ, neque Sabbatum. Quæ reſpondit, vadam.* 4. Reg. 4. 23 Cur noluit viro ſui rationem itineris afferre? Cur nunciatâ filij morte, ſecum eum non aſſumpſit, vt vnà pro eius vitâ Eliſæum deprecarentur? Cur & mortem tacuit, & mortuum celauit? Ne in exhibendâ filio defuncto pietate vllam admitteret, ſermonem habens cum marito, dilationem. Verba hùc afferenda ſunt Abulenſis quæſt. 33. in hunc locum. *Quæretur, quare mulier noluit reſpondere viro, ſed ſolùm dixit ei, Vale. Reſpondendum ſecundùm quoſdam, quòd hoc fecit,* NE IN REDDENDO CAVSAM MORARETVR. Cùm de pietate agitur defunctis impendendâ, nulla eſt admittenda mora; vndè nec tamdiù voluit hæc mulier morari, quamdiù ſui cauſam itineris marito afferret.

Idem.

Vt citò ad Chriſtum veniret, iuſſit puero, vt properaret.

14 Quin etiam in eo ſuam celeritatem oſtendit, quod puero ſecum ad Eliſæum profecturo præcepit, vt properaret, & ne ſibi in itinere moram faceret. *Strauitque aſinam, & præcepit puero, Mina, & propera, ne mihi moram facias in eundo, & hoc age, quod præcipio tibi.* 4. Reg. 4. 24. Cur enim tantâ ſolicitudine hoc puero præcepit, niſi vt citò filio pietatem eshiberet defuncto? Audi eumdem Abulenſem. *Iuſſit iſta mulier puero eunti ſecum, vt minaret, ideſt impelleret aſinam, percutiendo eam,* VT PROPERARET. Et nonnullis interpoſitis. *Volebat mulier iſta* CITO` *ire ad Eliſæum, vt ipſe* CITO` *veniret, & ſuſcitaret puerum.* Vide quâ celeritate mulier iſta vitam defuncto impetrare ſtuduerit.

Idem.

Præcepit Eliſæus Giezi, vt lumbos accingeret, vt velociùs iret ad ſuſcitationẽ defuncti.

15 Nec minori celeritate Propheta Eliſæus eidem defuncto pietatem impendit, nam cùm mitteret Giezi cum baculo ſuo, vt eum ad vitam reuocaret, ei præcepit, vt lumbos ſuos accingeret. *Et ille ait ad Giezi. Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tuâ, & vade.* 4. Reg. 4. 29. Cur enim ſerui lumbos voluit accingi Propheta, niſi vt magis à veſtium inuolucris expeditus, velociùs proficiſceretur, & citiùs vitam impertiret defuncto? Sanè hoc voluit Dionyſius Carthuſianus. *Ait ad Giezi, accinge lumbos tuos, diſponendo te ad eundum* VELOCITER. Seruo, vt lumbos accingeret iuſſit, quatenùs lumbis præcinctis velociùs iret, ac reſurrectionis miraculo defuncto miſerationem eshiberet.

Dion. Carth.

16 Eam-

Eamdem ob cauſam iuſſit ei, vt neminem ſalutaret.

16 Eamdemque ob rationem ei præcepit, ne vllum ſibi occurrentem ſalutaret, aut ſalutanti reſponderet. *Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* 4. Reg. 4. 29. Quod item præcepit, vt celeriùs mandatum ſibi munus Giezi exequeretur, & cum feſtinatione puero ſubueniret defuncto. Elegànter D. Ambroſius lib. 7. in Lucam cap. 10. *Eliſæus, cùm mitteret ſeruum ſuum, vt baculum eius poneret ſuprà corpus defuncti pueruli, mandauit ei, ne per viam aliquem ſalutaret.* FESTINATO` *enim iubebat eum contendere, vt celebrandæ reſurrectionis exequeretur officium, ne confabulatione alienius obuij mandato deflecteretur à munere.* Omnia ſunt poſthabenda, cùm pietas defunctis eſt exhibenda, nec enim tantùm eorum miſereri, ſed celeriter miſericordiam debent eis viuentes elargiri.

D. Ambroſius

Martha Chriſto celeriter occurrit, vt eum pro fratris reſurrectione oraret.

17 Profectus eſt Chriſtus ad oppidum Bethaniæ, vbi Lazarus defunctus fuerat, vt vitam ei reſtitueret, quod vt Martha ſoror defuncti agnouit, ei occurrit, ac mortuum fratrem toto cordis affectu commendauit. *Martha ergò vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit illi, Maria autem domi ſedebat. Dixit ergò Martha ad Ieſum, Domine ſi fuiſſes hìc, frater meus non fuiſſet mortuus.* Ioan. 11. 20. Obſeruatione dignum mihi videtur, quòd hæc mulier Magdalenam ſororem domi tunc ſedentem non vocauit, ſed magiſtro venienti ſola occurrit. Cur ſecum eam non aſſumpſit? Cur hoſpitem adeò dignum excipiens, illam domi ſedere permiſit? Cur ſine conſorte obuiam ire Chriſto decreuit? An vt omnem amputans moram, celeriùs ad Chriſtum iret, eiq; fratris mortem miſerationis affectu nunciaret? Hoc voluit Albertus Magnus. *Maria autem domi ſedebat, neſciens, quia Deus in veniendo erat, quia ſoror fuit ita* FESTINA *ad occurrendum, quòd hoc non indicauit ſorori.* Adeò celeriter Chriſto Martha occurrit, vt eum pro fratris reſurrectione oraret, vt nec ſororem vocarè voluerit, ne aliquam in illius pietatis exhibitione admitteret moram.

Albertus Magnus.

Pari celeritate ad Chriſti monumentū Magdalena cucurrit.

18 Parem celeritatem oſtendit Magdalena, cui poſt ſuam reſurrectionem, priuſquam cęteris, Chriſtus apparuiſſe dicitur. *Surgens autem manè primâ Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de quâ eiecerat ſeptem dæmonia.* Marc. 16. 9. Quærit hìc Euthymius, cur Chriſtus primò apparuiſſe dicatur ſoli Mariæ Magdalenæ, cùm Matthæus illum, non ei ſoli, ſed & cæteris mulieribus primò apparuiſſe narret. *Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens, Auete.* Matth. 28. 9. Reſpondet autem, cæteras mulieres per Magdalenam ſignificatas fuiſſe, quæ reliquis omnibus erat inſignior. At cur cæteris erat Magdalena inſignior? Quia citiùs, quàm illæ, vt Chriſto mortuo pietatem impenderet, ad eius monumentum cucurrit. *Quærendum, quomodo hoc loco ſcriptum eſt, quòd apparuerit primò Mariæ Magdalenæ, ſiquidem apparuit primùm, non ſoli Mariæ Magdalenæ, ſed etiam alteri Mariæ Iacobi, & Ioſeph, veluti narrauit Matthæus, dicendum ergò eſt, quòd per Magdalenam, alteram quoque ſignificauit, frequenti enim eſt in vſu apud Euangeliſtas per perſonam, quæ inſignior eſt, eam etiam intelligere, quæ minùs nota eſt: inſignior autem erat Magdalena in hoc, quòd* FESTINAVIT, *& præceſſit ad monumentum.* Adeò celeriter Magdalena Chriſto defuncto pietatem exhibuit, vt ex hac celeritate cæteris inſignior effecta fuerit. Quam item celeritatem oſtendit, cùm ad Petrum, & Ioannem, videns lapidem ſublatum, cucurrit. Vndè D. Io. Chryſoſt. apud Hug. Cardin. in cap. 20. Ioan. ait. *Videns lapidem eleuatum, non miratur, neque proſpexit, ſed ad diſcipulos encurrit à multo amore,* CVM MVLTA ENIM VELOCITATE *diſcere volebat, quid factum eſſet de corpore. Hoc enim & curſus oſtendit, & verba, quæ ſequuntur. Tulerunt Dominum de monumento.* O` miram in pietate defunctis impendendâ huius mulieris celeritatem.

Euthymius.

D. Io. Chryſ.

Mulieres contrà Chriſti ſepulchrum ſederunt, vt eius cadaueri citiùs pietatem exhibere poſſent.

19 Sed & omnes mulieres magnam in hac pietate impendendâ feſtinationem oſtenderunt, quæ dum Chriſti cadauer à Ioſeph, & Nicodemo ſepeliebatur, contrà eius monumentum ſederunt. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria ſedentes contrà ſepulchrum.* Matth. 27. 61. Cur namque contrà ſepulchrum ſederunt, niſi vt locum attendentes, in quo Chriſtus condebatur, citiùs illum poſteà inuenire, ac ſuis aromatibus perfundere poſſent? Fauet Dionyſius Carthuſianus. *Sedentes contrà ſepulchrum, ideſt ex oppoſito videntes, & conſiderantes, quomodo Chriſti Corpus poneretur, vt poſtmodum illud* CITIVS *inuenirent.* Magnâ diligentiâ, & ſolertiâ ſepulchri locum aſpexerunt, vt abſque morâ cadauer in eo conditum poſſent piâ vnctione linire, ac ſanctâ pietate perfundere.

Dionyſ. Cart.

Statim tranſacto Sabbato ad monumentum cucurrerunt.

20 Nec ſanè aliter egerunt, nam vix tranſacto Sabbato, valdè diluculo aromata ferentes, ad ſepulchrum perrexerunt. *Vnâ autem Sabbati valdè diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerunt aromata.* Luc 24. 1. Vide quâ celeritate, nihil cunctatæ, ſtatim ac eis poſt feſtiuitatem licuit, ad Chriſti ſepulchrum cucurrerunt. *Sabbato tranſacto,* inquit Beda in catenâ, *ideſt ſole occidente,* MOX VT OPERANDI LICENTIA REMEAVIT, *emerunt aromata, vt venientes vngerent corpus Ieſu.* Non diem ſubſequentem expectauerunt, ſed mox vt Sabbatum tranſijt, ad monumentum cum vnguentis perrexerunt, vt celeriter ſuâ pietate mortuum honorarent magiſtrum.

Beda.

Propter hanc celeritatē primæ Chriſtum videre meruerunt.

21 Cuius celeritatis egregiam mercedem acceperunt, dum antè alios Chriſtum reſurgentem videre meruerunt. *Tunc ait illis Ieſus, Nolite timere, ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Matth. 28. 10. Cur antè mulieribus, quàm viris Chriſtus apparuit? Cur Apoſtolis ipſis eas prætulit? Cur demum ante quam alijs, reſurrectionis eis myſterium

Digitized by Google

manifeſtauit? Vt per celerem apparitionem earum in pietate ſibi defuncto exhibendâ præmio afficeret celeritatem. Probè Enthymius. *Quæ antè omnes diluculo ſurrexerant, antè omnes vident Dominum, & hoc in mercedem ſui ſtudij*, SVAEQVE FESTINATIONIS. Chriſtum defunctum ſuâ pietate proſequi feſtinauerunt, & ideò cæteris priores eius reſurrectionem videre meruerunt.

Euthymius.

Ioſeph, & Nicodemus citò ſepulturæ officium Chriſto exhibuerunt.

22 Hac itidem celeritate Chriſti cadauer Ioſeph, & Nicodemus humauerunt, qui ei ſepulturæ officia in horto exhibuerunt. Cuius rei rationem affert Euangeliſta ex eo, quòd iuxtà erat monumentum, & Sabbati feſtiuitas imminebat. *Ibi ergò propter paraſceuen Iudæorum, quia iuxtà erat monumentum, poſuerunt Ieſum*. Ioan. 19.42. Vt videlicet celerem defuncto magiſtro pietatem impenderent, non ſepulturam differre, neque feſtiuitatis finem expectare, ſed ſtatim eum in proximo ſepulchro, dum in remoto propter temporis anguſtiam nun licebat, eum humare voluerunt. Diſce hoc ex Dionyſio Carthuſiano. *Iam dies cœperat occumbere, propter quod non poterant corpus Chriſti longè portare, vel eius ſepulturam differre, ſed* ACCELERAVERVNT, *aliàs oportuiſſet expectare vſque ad finem feſtiuitatis inſtantis*. Quibus ea conſonant, quæ habet D. Auguſtinus Tract. 120. in Ioannem. ACCELERATAM *vult intelligi ſepulturam*. Vt celeri pietate ſancti viri Chriſtum defunctum humarent, propinquum monumentum, in quo eius cadauer antè feſtiuitatem condere poſſent, elegerunt.

Dion. Carth.

Auguſtinus.

Vt citiùs Magdalena Chriſti ſepulturam honoraret, alabaſtrum, in quo ſeruabatur vnguentum, confregit.

23 Quam quidem ſepulturam antè Chriſti mortem Magdalena honorare voluit, quæ ad eum, dum Bethaniæ recumbebat, accedens, vnguentum, quo repleuerat alabaſtrum, fracto alabaſtro, ſuper caput illius, vt proximam præueniret honorare ſepulturam, effudit. *Et cùm eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & recumberet, venit mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput eius*. Marc. 14. 3. Quam ob cauſam fregit hæc mulier vas, in quo ſeruabatur vnguentum? Nunquid non poterat abſque alabaſtri fractione Chriſti perfundere caput? Ita ſanè. Cur igitur illud confringere voluit? Ne vas os babens anguſtum tardam redderet vnctionem, & vngentis retardaret celeritatem. Audiendus Euthymius in cap. 26. Matthæi. *Dicit etiam, quòd vas comminuerit* PRAE FESTINATIONE, *videlicet quia anguſtum erat*. Feſtinatio, quâ cupiebat Magdalena Chriſti ſepulturam honorare, illam impulit ad alabaſtri fractionem, quò celeriùs ſepulchralia effundere poſſet vnguenta.

Euthymius.

Ad mortuam Tabitham, ut eam ſuſcitaret, impigrè Petrus feſtinauit.

24 Tabithæ mortem, quæ illis copioſas erogabat eleemoſynas, viduæ chriſtianæ lamentabantur, ſeque prorsùs derelictas plorabant. Quapropter ad Petrum Apoſtolorum principem duos viros miſerunt, qui eum deprecarentur, ut ad mortuam veniret, ſuiſque precibus eam ad vitam reuocaret. Petrus autem, cæteris omnibus relictis, confeſtim exurgens profectus eſt cum eis, & ad mortuam pertingens, eam ſuſcitauit. *Exurgens autem Petrus venit cum illis*. Act. 9. 39. Pende Apoſtoli celeritatem, quâ mortuæ vitam impertiuit diſcipulæ, dum cunctis alijs poſthabitis, tantâ feſtinatione ad eam ſuſcitandam perrexit. IMPIGER, inquit Hugo Cardinalis, *Nullâ excuſatione vſus, venit cum illis*. Nullam excuſationem prætendit, ſed ſimul ac audiuit mortuæ impendendam eſſe pietatem, cuncta omiſit, & ad eam celeriter perrexit, ſuo nos exemplo inſtruens, vt citò noſtrâ proſequamur pietate defunctos.

Hugo Cardinalis.

Mulier citatis greſſibus ad Eccleſiam ſancti Maioli properans, vt filio defuncto vitam impetraret.

25 Non eſt hìc omittenda feſtinatio, quâ mulier Syluianicenſis mortuo filio pietatem exhibuit, quæ vt eum vitâ functum vidit, ad Eccleſiam Sancti Maioli eius cadauer properans portauit, ſanctumque rogauit, vt ſuâ interceſsione vitam illi dignaretur impertire. Nec ſuâ ſpe fruſtrata, quod implorauit, impetrauit, ſuæque celeritatis præmium defuncti vitam obtinuit. Narrat hoc in Bibliothecâ veterum Patrum D. Petrus Cluniacenſis lib. 2. de miraculis cap. 31. his verbis. *Statim ſurgens, non ad præparandam funeri ſepulturam feſtinat, ſed mortuo puero inter brachia ſumpto ad Eccleſiam* PROPERAT. *Quò cùm* CITATIS GRESSIBVS, VELVT MORAE IMPATIENS *pergeret, interrogata à multis, quid ferret, & quid ſibi vellet, hoc vnum omnibus reſponſum dabat, Filius, inquit, meus eſt, quem mortuum ſancto Maiolo defero, vt illum mihi reſtituat*. O' miram mulieris pietatem defuncto filio exhibentis feſtinationem, & verè dignam, vt ei à ſancto vitam, quam exorabat, celeriter impetraret.

Petrus Cluniacenſis.

Priamus, Achilles, Troiani, & Agamemnon celeres in exhibendâ pietate defunctis.

26 Verùm vt ex profanis quoque authoribus aliqua pro hac celeritate proferamus, affero primo loco Homerum, apud quem Iliade 24. Primamus celerrimè ſibi reddi rogat extincti filij cadauer, & ſedere, donec illud ſepeliendum impetret, generosè recuſat.

Homerus.

Huic deindè reſpondit ſenex Priamus Deo ſimilis;
Ne me in ſede colloca generoſe, donec Hector
Iacet in tentorijs inhumatus, ſed CELERRIME
Reddito.

Celerem cupiens pius pater filio mortuo exhibere pietatem, celerrimè ſibi eius corpus tradi flagitauit. Achilles quoque apud eumdem Iliade 23. ventos orauit, eiſque ſacra promiſit, vt rogi flammas agitarent, vt Patrocli cadauer citò cremaretur.

Stans ſeorſim à puppi duos orauit ventos
Boream, Zephirum, & promiſit ſacra pulchra,
Multaque, & libans aureo calice ſupplicabat,
Vt venirent, vt CITISSIME *igne comburerent cadauer.*
Lignumque FESTINARET *comburi.*

Adeò

Adeò diligebat in pietate, quam defuncto amico exhibebat, feſtinationem, vt ipſos quoque rogauerit ventos, vt hanc ſuis flatibus adiuuarent celeritatem. Prętereà Iliade 7. commendat celeritatem Troianorum, qui ad Græcos pro militum ſepulturâ legatum cùm miſiſſent, moræ impatientes eum expectabant, & cùm reuerſus eam concedi, nunciaſſet, omnes velociter & ligna ſciderunt, & pyras parauerunt, & mortuos ingenti pietate combuſſerunt.

Hi autē ſedebant in cōcione Troiani, & Dardani,
Omnes congregati expectantes, quando veniat
Idæus, hic autem venit, & legationem renunciat
Stans in medijs, hi autem parati ſunt VALDE VELOCITER
Ex vtraq; parte mortuoſq; ducere, alij autem ſyluā

Quin & Agamemnon Rex Græcorum Idæi legationem audiens, nedùm mortuorum ſepulturam permiſit, ſed etiam vt citò eis honores extremos exhiberent, eſt piè hortatus.

Circà autem mortuos, comburere non inuideo,
Neque aliquod odium cadauerum mortuorum
Eſt, poſtquam mortui ſunt, igne mitigemus CITO.

Citò docuit ignibus rogi mortuos eſſe honorandos, nam mag..â ſunt celeritate pietatis obſequia mortuis debita exhibenda.

Aeneas, eiuſque milites celeriter mortuis pietatem exhibentes.

27 Nec non Virgilius hanc ſæpè nobis celeritatem commendat, vndè vt neceſſaria funeri Miſeni citò à militibus exhiberentur, Æneam inducit lib. 6. Æneidos inter cæteros primum ligna ſcindentem, pyram conſtruentem, & rogum parantem.

Virgilius.

Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur ſocios.

Donatus.

Vbi ait Donatus. *Multùm quippè accedit ad affectum* EXPEDIENDAE *rei, ſi operam ſuam, cùm aliquid laborioſum geritur, Rex ipſe coniungat.* Vt citò, & expeditè Miſeno defuncto exequiæ celebrarentur, operam ſuam Æneas ipſe contulit, imò cæteris prior ea, quæ pro funere neceſſaria erant, ſolerti diligentiâ parauit. Quo Regis exēplo milites excitati, celeriter ipſi quoque viro extincto parentarunt, vndè additur.

Virgilius.

Haud mora, FESTINANT flentes, aramque ſepulchri
Congerere arboribus, Coeloque educere certant.

Donatus.

Quæ magis explicans idem Donatus dixit. FESTINANDVM FVIT, *vt iuſſa Sibyllæ maturè, & in omnibus complerentur, ſcilicet, vt curaretur funus, & eius ſolennia.* Dum agebatur de pietate in defuncti funere impendendâ, omnis erat mora præſcindenda, neque cunctandum erat, ſed omni ſtudio feſtinandum. Hanc rursùs lib. 11. explicauit Æneæ celeritatem, cùm oratoribus Latinis mortuorum ſepulturam poſtulantibus, eum induxit & defunctis, & etiam viuis pacem benignè offerentem.

Virgilius.

Pacem me exanimis, & Martis ſorte peremptis
Oratis? equidem & viuis concedere vellem.

Quibus verbis pius Rex celeritatem oſtendit, quâ ſepulturæ officia concedebat mortuis, dum pacis fœdera offerebat & viuis. Rectè Donatus. QVAM CITO *oſtendit ſepulturam mortuis ſe velle præſtare, cùm dicit, & viuis concedere vellem.* Vides vbique commendari celeritatem, cùm de pietate agitur, quæ defunctis exhibetur?

Donatus.

Honores ſepulchrales à turbâ accelerati.

28 His addo, quæ habet Valerius Flaccus lib. 3. Argonaut, qui turbam deſcribit ſuper cadauera cæſorum militum ruentem, honoreſque ſepulchrales eis exhibendos religioſis, ac pijs verbis accelerantem.

Cur etiā flāmas, miſeroſq; MORAMVR honores,
Tùm ſuper exanguens conſertæ cædis aceruos
Præcipiti plangore ruunt.

Valerius Flaccus.

In honoribus, qui defunctis à viuentibus impenduntur, nihil morandum, ſed vt citò noſtrâ pietate honorentur, omni eſt diligentiâ, & ſtudio certandum.

Mauſoleum accelerante manu erectū Archemoro.

29 Statius quoque Papinius hanc laudat celeritatem lib. 6. Thebaidos his carminibus, dum Mauſoleum narrat multis impenſis defuncto erectum Archemoro.

Mirum opus, ACCELERANTE MANV, ſtat ſaxea moles,
Templum ingens cineri.

Statius.

Defuncti cineribus monumentum erexerunt, ſed citò, & accelerante manu illud conſtruxerunt, agnoſcentes, exigi à viuis celeritatem, cùm debent mortuis impendere pietatem.

Olympias ad regis exequias feſtinanit.

30 Iuſtinus prætereà Hiſtoricus lib. 9. Olympiadis nobis commendat celeritatem, quâ ad regis exequias noctu cucurrit, & mortui Pauſanię capiti auream coronam feſtinanter impoſuit, agnoſcens videlicet mortuos omni eſſe à nobis feſtinatione honorandos. *Ipſa deindè* (Olympias) *auditâ regis nece, cùm titulo officij ad exequias eadē noctè* CVCVRRISSET, *in cruce pendentis Pauſaniæ capiti, eadem nocte, quâ venit, coronam auream impoſuit.* Vidæ mulieris celeritatem, quâ nocturno tempore currere, ac ſine timore, dum adhuc tenebræ vigebant, defuncti cadauer aureâ coronâ honorare decreuit.

Iuſti. Hiſtor.

Mos antiquorum parandi celeriter funebria mortuis, antequā morerentur.

31 Sed illud etiam hìc addendum cenſeo, quòd tantâ celeritate conſueuerant antiqui pietatem defunctis impendere, vt antequam morerentur, quæ illis pro funere, & exequijs neceſſaria erant, piâ feſtinatione parare ſolerent. Certè apud Homerum Odyſſeâ 2. hæc legimus.

Iuuenes mihi proci, quoniā mortuus eſt Diuus Vlyſſes,
Manete, vrgentes meas nuptias, donec veſtē
Perfecero, ne mihi vana fila perdantur,
Laerti heroi funebrem quando ipſum
Parca pernicioſa abſtulerit asperâ morte
Ne aliqua me in populo mulierū Græcarū culpet,
Si ſine veſte iaceat multa poſſidens.

Homerus.

Vbi licet videre Penelopem Heroi, antequam moreretur, funebrem veſtem paraſſe, ac ſepulchrale indumentum. Quam etiam pietatem ſe filio Euryalo mater ipſius exhibuiſſe teſtata eſt apud Virgilium lib. 9. Æneidos.

Nec te tua funera mater
Produxi preſſiue oculos, nec vulnera laui

Digitized by Google

Virgilius.

Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina, dieſque
Vrgebam, & telâ curas ſolabar aniles.

Io. Ludou. Cerda.

Ad quæ ait Ioannes Ludouicus Cerda. *Mos fuit mortalium, vt ſibi, & ſuis funebres veſtes pararēt.* Quem morem ſecuta venerabilis Abbatiſſa Edburga, Beato Guthlaco plumbeum loculum, & candidum linteum miſit, eum deprecans, vt ſineret ſe poſt mortem in illo ſepeliri. Hoc narrat Surius in vitâ B. Guthlaci die 11. Aprilis his verbis. *Per id tempus virgo quædam Edburga, filia Regis Adulphi virginum Deo ſacratarum venerabilis Abbatiſſa plumbeum ſarcophagum, linteumq; delicatum intùs inuolutum Beato Guthlaco deuotè tranſmiſit, humiliter, & obnixè rogans, vt in die obitûs ſui ſe in illo permitteret ſepeliri, ſimul etiam cum ingenti affectu eum deprecans, vt quis ei eſſet in illâ ſolitudine ſucceſſurus, ipſi prædicere dignaretur.* O' miram celeritatem, quâ defunctos antiqui honorabant, qui eis illa, quæ pro funere neceſſaria erant, antequam è vitâ migrarent, tantâ ſolicitudine, ac diligentiâ parabant.

Surius.

Mare celeriter martyrū cadauera litori reddens.

32 Iam tempus eſt, vt Caput abſoluam, quod ago, dum probo res etiam ſenſu carentes huius celeritatis interdum præbuiſſe nobis exemplum. Quod videre licet in paſſione ſanctorum martyrum, qui in perſecutione Vuandalicâ remorum vectibus enecati, pro Chriſto fœliciter occubuerunt. Cùm enim iuſſiſſet impius tyrannus eorū corpora poſt mortem in mare demergi, confeſtim excepta corpora litori vndæ reddiderunt, ac mirâ celeritate illæſa Chriſtianis humanda permiſerunt. Debemus hoc Victori Vticenſi lib. 3. de perſecutione Vuandalicâ in Bibliothecâ veterum Patrum. *Cùm in mari venerabilia corpora iactarentur,* Illico', *quod contrà naturam eſt æquoris, eadem horâ illæſa corpora pelagus litori* Reddere Matvravit, *nec auſum fuit, vt moris eſt, triduanâ dilatione in profundo retinere.* Quid pro hac celeritate accomodatius poterat apponi, & exaggeratius? Nimirum inſenſibilia quoque elementa in pietate, quam poſſunt, defunctis exhibendâ, velocia, & omni ſepoſitâ dilatione feſtina cernuntur. Quis igitur ex his non colligit, citò viuorum obſequijs mortuos eſſe honorandos.

Victor Vticenſis.

CAPVT XII.

Diuturnis pietatis obſequijs mortuos adiuuare debemus.

Quotidiana defunctis exhibenda ſuffragia.

1 Diuturnitas quoque ſpectat ad modum, quo ſunt à nobis mortui adiuuandi, ita vt non citò pietatis obſequia, quibus eos honoramus, deſeramus, ſed aſſiduâ illos miſeratione proſequamur. Nam, vt inquit Olympiodorus in catenâ Græcâ in cap. 1. Iob, *Summa hæc eſt laus, omniumque prædicationum exitu terminata, pietatis munera nullo vnquam tempore non obiſſe.* Hanc nobis diuturnitatem commendat in primis D. Ioannes Chryſoſtomus, qui homiliâ 21. in Actus Apoſtolorum docuit pro defunctis, vt eis leuia faciamus ſupplicia, orationes continuas eſſe offerendas. *Si voluerimus illi leue facere ſupplicium, itaque ſi preces pro illo faciamus* Continvas. Continuæ ſunt pro Animabus Purgatorij preces offerendæ, vt earum ſupplicia noſtris ſuffragijs mitigentur, ac leuiora reddantur. Quod idem docetur cap. Viſum de Conſecrat. diſt. 1. dum decernitur, vt qualibet die pro mortuis fideles viui Deum exorent, ſicut pro viuentibus quotidie preces effundunt. *Sicut nulla dies excipitur, quâ non pro viuentibus, & pro quibuslibet neceſſitatibus Dominus deprecetur, ita nimirùm* Nvlla Dies Excipi Debet, *quin pro animabus fidelium preces Domino in Miſſarū ſolennibus fundantur.* Nullam diem excipere debemus, in quâ pro defunctorum fidelium animabus preces noſtras Deo non offeramus, ſed quotidianis eas orationibus adiuuare tenemur. Quod nobis etiam commendauit Dionyſius Carthuſianus ſerm. de Commemoratione Animarum. *Valdè decens, & pium eſt, vt quilibet Chriſtianus etiam* Qvolibet Die *aliquid boni agat pro vniuerſis fidelibus defunctis.* Non aliquo tantùm, ſed quolibet die ſunt mortuis fidelibus opera pietatis eroganda. Quibus valdè conſonant ea, quæ habet D. Auguſtinus apud Bernardinum de Buſtis in Roſario ſermon. 2. par. 2. *Oſtendam hominibus, quâ ratione defunctorum ſuorum animas iuuare vtiliùs poſſent.* Orent Qvotidie *pro caris ſuis, interpellent Deum voce flebili, deprecentur pro eis errorum veniam, lapſuum remiſſionem, paſcant eſurientes, veſtiant nudos, & ſi quid horum defunctorum negligentiâ minùs actum eſt, fide viuentium ſuppleatur.* Vides quomodo nobis ab omnibus quotidianæ pro mortuorum animabus preces commendentur?

D. Io. Chryſ.

Dionyſ. Cart.

D. Auguſtinus:

Pietas ergà mortuos erat Tobiæ quotidianū opus.

2 Captiuos Iſraëlitas ingenti charitate conſolabatur Tobias, eiſque, ſi quando interficiebantur, ſepulturæ officia egregiâ pietate præſtabat. Quod cùm Sennacherib agnouiſſet, iuſſit omnem facultatem ab eo auferri, & inſuper ipſâ quoque vitâ ſatellitum gladio illum priuari. Quare vix fugâ ſibi conſulere potuit, ne in manus incideret impij tyranni. Adhuc tamen hæc pietatis obſequia non deſeruit, ſed aliâ die, cùm nunciatum ei eſſet iugulatum Iſraëlitam in plateâ iacere inſepultum, cibum deſeruit, ac de ſuo accubitu ſurgens, ne mortuum derelictum ſine ſepulturæ honore iacere permitteret, prandium dereliquit, eumque pio luctu ſepeliuit. *Statimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, ieiunus perueni t ad corpus, tollenſque illud portauit ad domum ſuam occultè, vt dum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum.* Tob. 2. 4. Quis non miratur ſancti ſenis conſtantiam, qui nec tyrannum metuit, nec mortem timuit, nec vlla pericula curauit, vt mortuis Iſraëlitis pietatem exhiberet? Quomodo tā audacter poſtquā vix mortem effugit, ad eadē miſericordiæ opera iterū eſt reuerſus? Ne mireris, quòd rursùs in eiſdē pietatis officijs reuerſus verſetur, nam erant ei opera

quoti-

Digitized by Google

quotidiana ſuffragia exhibita defunctis. Præclarè D. Ambroſius lib. de Tobia cap. 1. *Dum conuiua accerſitur, nunciatis inſepulti corporis reliquijs, cibum deſeruit, nec putauit pium, vt ipſe cibum ſumeret, cùm in publico corpus iaceret exanime.* HOC ILLI QVOTIDIANVM OPVS, *& magnum quidem.* Omnibus Tobias prætulit pietatem, quam quotidie defunctis exhibebat, ſuo nos monens exemplo, vt cunctis alijs poſthabitis, quotidianâ mortuos pietate proſequamur.

D. Ambroſ.

Neque increpatus, & irriſus ab hac pietate ceſſauit.

3 Quin & in eo ſuæ pietatis diuturnitatem oſtendit, quòd ab amicis increpatus, eò quia vitæ diſcrimini mortuorum ſepulturâ ſe obijciebat, non ideò conſueta deſeruit officia pietatis, ſed in eis etiam reprehenſus perſeuerauit. *Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes, Iam huius rei cauſâ interfici iuſſus es, & vix effugiſti mortis imperium, & iterum ſepelis mortuos?* Tob. 2. 8. Mirandum autem eſt, quòd hæc audiens Tobias, & inſuper à cognatis irriſus, à charitate non ceſſaret, ſed eâ feruentiori ſtudio mortuos proſequeretur. Nouerat quippè ſanctus ſenex nunquam eſſe ab hac pietate, quacumque interueniente cauſâ, ceſſandum. Rectè Hugo Cardinalis. *Vir ſanctus etiam irriſus, & increpatus* A' CHARITATE NON CESSAT. Nunquam deſiſtere debent homines à charitate, quâ defunctos proſequuntur, & ideò Tobias, nec reprehenſiones, nec irriſiones curauit, ſed in hac ſemper pietate perſeuerauit.

Hugo Card.

Iacob filium, quem credidit defunctū viginti duobus annis luxit.

4 Quod & egit Iacob, cùm filium ſuum Ioſeph mortuum, atque à feris credidit laniatum. Sciſſis namque veſtibus, ac cilicio indutus, multo eum tempore plorauit. *Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* Gen. 37. 34. Non paucis diebus eum luxit, ſed multi temporis lachrymis ei pietatem impendit, ac diù in pietate illi exhibendâ perſeuerauit. Vndè obſeruat Lyranus, quòd viginti duobus annis eum plorauit, donec videlicet de illius vitâ certior effectus, eum non eſſe mortuum cognouit. *Lugens filium ſuum multo tempore, ſcilicet* VIGINTI DVOBVS ANNIS, *qui vt dictum eſt, fluxerunt à tempore venditionis Ioſeph vſque ad deſcenſum Iacob in Aegyptum, quia cùm audiuit, quòd Ioſeph adhuc viueret, ſtatim illùc deſcendit.* O' egregiam in pietate defuncto filio, vt credebat, exhibitâ ſancti ſenis perſeuerantiam, qui tam pio, ac diuturno luctu ei parentauit.

Lyranus.

Idem luctum pro filio, quē cēſuit defunctum, ſatietate non omiſit.

5 Imò cùm omnes liberi eius vnà congregati patris dolorem opportunis conſolationibus lenire conarentur, non icircò à luctu deſtitit, ſed ſemper, omnem abijciens conſolationem, in eo perſeuerauit. *Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere.* Geneſ. 37. 35. Nunquam ſatiatus eſt luctu, & viuentium filiorum conſolationes reſpuens, eum, quem defunctum credebat, aſſiduâ pietate plorauit. Subdo verba Ioſeph Hebræi lib. a. Antiquitatum Iudaicarum cap. 3. *Haud aliter, quàm extincto ſe afflictans, lugebat tanquam vnicum, aliorum conſolationem non admittens, quòd nihil dubitaret in itinere à feris deuoratum, antequam ad fratres perueniſſet. Sedebat ergò ſacco amictus, & neque filij conſolando quicquam proficiebant,* NEC IPSE LVCTVM SATIETATE REMITTEBAT. Non niſi de vitâ filij certior factus, quæcumque adhiberentur conſolationes, luctum Iacob remiſit, nam nunquam pietatis obſequia, quæ defunctis debētur, ſunt ſatietate remittenda.

Ioſeph. Hebr.

In hoc luctu vſque ad mortem perſeuerare decreuit.

6 Sed & illud in hoc sācti ſenis luctu animaduertendum occurrit, quod filijs ſuis eum conſolari tentantibus reſpondit, ſe velle ad infernum deſcendere ſuum filium lugentem. *Ait, deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Geneſ. 37. 35. Quorum verborum quinam alius fuit ſenſus, niſi quòd vſque ad mortem in luctu, quo filium, quem cenſebat defunctum, plorabat, aſſiduâ pietate perſeueraret. Profectò hunc ſenſum tradidit Albinus in catenâ Lippomani. *An etiam inferni nomine ſepulchrum ſignificauit, quaſi diceret,* IN LVCTV MANEBO, DONEC TERRA ME SVSCIPIET? Non breuem, ſed diuturnam exhibere voluit Iacob filio ſuo, quem mortuum exiſtimabat, pietatem, quapropter eum toto tempore vitæ ſuæ plorare decreuit, quod proculdubio feciſſet, niſi antè mortem ſuam adhuc illum viuere cognouiſſet.

Albinus.

Sunamitis aſſiduis precibus vitam filio impetrauit.

7 Profecta eſt mulier Sunamitis, mortuo filio, ad Eliſæum, illumque rogauit, vt quem ſibi conceſſerat filium, ad vitam denuò ſuis precibus reuocaret. Præcepit igitur Eliſæus Giezi puero ſuo, vt ſumpto baculo, quo ipſe vti conſueuerat citò pergeret ad cadauer, & ſuper eius vultum illum poneret. Non tamen hoc matri ſuffecit, ſed Prophetæ pedibus apprehenſis, eum nunquam dimiſit, donec ſecum ad mortuum viſendum ire conſtituit. *Porrò mater pueri ait, Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergò, & ſecutus eſt eam.* 4. Reg. 4. 30. Admiratur hìc Oleaſter mulieris huius conſtantiam, quæ ſuâ perſeuerantiâ Eliſæum compulit, vt filio ſuo pietatem impenderet, ac vitam impertiret extincto. Affero verba, quæ ſcribit in cap. 32. Geneſis. *Multa videntur facere ſancti coacti, quæ anteà facere nolebant, vt patet de Eliſæo, & Sunamitide, quæ illius veſtigia apprehendit, neque dimiſit, donec ad reſuſcitandum filium compulit.* Adeò in oratione, quam pro filio ſuo defuncto coram Eliſęo effudit, Sunamitis perſeuerauit, vt ſuâ perſeuerantiâ eum àd mortui ſuſcitationem piè compulerit.

Oleaſter.

Luctus pro defuncto Samuele in longum tempus prorogatus.

8 Vitâ functum Samuelē vniuerſi cætus Iſraëlitarum honorauerunt, & vnà congregati magnifico in ſepulchro condiderunt. *Mortuus eſt autem Samuel, & congregatus eſt vniuerſus Iſrael, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in domo ſuâ in Ramathâ.* 1. Reg. 25. 1. Narrat autem Ioſeph Hebræus lib. 6. Antiquit. Iudaic. cap. 14. Hebræos Prophetæ ſuo, non tantùm cùm eius exequiæ celebrarentur, pietatem impendiſſe, ſed etiam poſt funus in longum tempus luctum prorogaſſe. Nec enim modico, ſed multo tempore

illi

Digitized by Google

illi poſt mortem pietatem exhibere voluerunt. *Ioſeph Hebr.* *In idem tempus mors Samuelis Prophetæ incidit, viri, qui ſuo merito in maximo ſemper apud Hebræos pretio fuerat, illuſtreque virtutis eius, ac ſuæ obſeruantiæ populus teſtimonium edidit, dum defuncti exequias, & ſepulturamm magnifico ſumptu concelebrat, & poſteaquam iuſta exoluit in Ramathâ patriâ ſepulto, luctum* In Longvm Tempvs *prorogat*. Diuturno luctu Prophetam Samuelem Iſraëlitæ plorauerunt, eique longo tempore pietatem impenderunt; exiſtimauerunt quippè mortuos diuturnâ eſſe à nobis pietate proſequendos.

Bethſabee per multos dies maritum plorauit defunctum.

9 Idipſum egit Bethſabee vxor Vriæ, mariti morte ſibi nunciatâ, quæ illum diù luxit, & non niſi poſt multum tempus, tranſacto luctu, Dauidem loco defuncti viri accepit. *Audiuit autem vxor Vriæ, quòd mortuus eſſet Vrias vir ſuus, & planxit eum. Tranſactoque luctu miſit Dauid, & introduxit eam in domum ſuam, & facta eſt ei vxor.* 2. Reg. 11. 26. Per multos autem dies Vriæ vxorem in boc luctu perſeueraſſe tradit idem Ioſeph *Ioſeph Hebr.* Hebræus lib. 7. Antiquit. Iudaic. cap. 7. *Caeterùm Bethſabee, auditâ mariti morte*, Per Mvltos Dies *eum luxit*. Vides mulierem, licet adulterij culpâ inquinatam, in pietate tamen defuncto marito exhibendâ pluribus diebus perſeuerantem, ita vt diuturna miſerationis obſequia impenderit mortuo, cui, alienum virum cognoſcens, iniuriam irrogauerat viuo?

Virgines Iſraël diù filiam Iephte mortuã luxerunt.

10 Diuturnus quoque fuit luctus, quo filiam Iephte Galaaditæ à patre, vt votum impleret, interfectam plorauerunt. Nam quotannis vnà cõueniebant, & per quatuor dies anniuerſario ei luctu parentabant. *Exindè mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniant in vnum filiæ Iſraël, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Iud. 11. 40. Nonnè miranda eſt harum puellarum perſeuerantia, quâ ita pietatem filiæ Iephte poſt eius mortem impẽderunt, vt anniuerſarium luctum pro eâ ſemper exhibere voluerint? Profectò binc quoque diſcere poſſumus quantâ ſint diuturnitate pietatis obſequia mortuis exbibenda. *Iſte planctus anniuerſarius*, inquit Abulenſis quæſt. 55. in hunc lo- *Abulenſis.* cum, *qui pro filiâ Iephte inceptus eſt, & fuit ad conſolationem patris, & honorem eius, ideò ſex annis, quibus ipſe poſt hoc vixit, factus eſt, deindè in conſuetudinem ductus* Semper Observatvs Est. Semper obſeruãda ſunt à viuis pietatis obſequia, quæ debentur defunctis, vndè luctum, quem ſemel pro filiâ Iephte defunctâ virgines Iſraël ediderunt, ſemper quotannis diuturnâ obſeruatione mortuæ puellæ memoriæ impenderunt.

Adam, & Eua cẽtum annis Abel mortuum luxerũt

11 Non omittam etiam hîc apponere luctũ, quem Adam, & Eua noſtri protoparẽtes in morte Abel, quem impiè fraternâ cęde ſe polluens Cain interfecit, ediderunt. Qui luctus adeò aſſiduus fuit, ac diuturnus, vt ex Petri Comeſtoris *Petrus Com.* hiſtoriæ ſcholaſticæ magiſtri ſententiâ, centum annis in eo perſeuerauerint. Hæc ſunt eius verba lib. Geneſis cap. 25. *Anno vitæ Adam centeſimo trigeſimo Cain occidit Abel, & luxerunt eum Adam, & Eua* Centvm Annis. O longam in filij luctu parentum perſeuerantiam, & verè dignam, quam nos imitemur, longo tempore ſuffragijs noſtris defunctis, quos lugemus, pietatem exhibentes.

Archiſynagogus aſſiduâ oratione vitã filiæ impetrauit.

12 Facit etiam ad eamdem perſeuerantiam in pietate defunctis exhibendâ comprobandam, Archiſynagogi oratio, quâ Chriſtum rogauit, vt filiæ ſuæ defunctæ manum imponens, priſtinam ei vitam largiretur. Quas preces Chriſtus exaudiens, ſurrexit, atque vnà cum eo pergens, vt ad cadauer acceſſit, eius manum tenuit, confeſtimque illud viuificauit. *Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius, & ſurrexit puella.* Matth. 9. 25 Quænam autem alia fuit huius tam celeris reſurrectionis cauſa, niſi aſſidua, & diuturna oratio, quâ pro eius vitâ pater eſt Chriſtum deprecatus. Profectò Hugo Cardinalis orationis huius aſſiduitatem nobis declarat, dum *Hugo Card.* in huius loci explicatione verbis vtitur D. Iacobi in Epiſtolâ cap. 5. 16. *Multum enim valet deprecatio iuſti* Assidva. Aſſiduâ deprecatione Archiſynagogus pro defunctæ filiæ vitâ Chriſtum orauit, ac propterea eius reſurrectionem, tanquam diuturnæ orationis præmium impetrare promeruit.

Mulieres ad ſepulchrum Chriſti pernoctare optabãt

13 Sed iam me vocant mulieres contrà Chriſti monumentum, dum eius cadauer vngebatur, ac ſepeliebatur, intrepidè ſedentes. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria ſedentes contra ſepulchrum.* Matth. 27. 61. Quid ibi ſedentes agebant? Cur tam ſolicitè magiſtri monumentum ſpectabant? Quare demùm tantâ attentione locum, in quo ſacrum condebatur cadauer, aſpiciebant? An id egerunt, vt ſepulchri locum agnoſcentes, poſſent ibi totâ nocte orare, ac mortuo Chriſto ſuis lacbrymis pietatem exhibere? Ita cenſet Simon Caſſianus lib. 13. in Euangelia *Simon Caſſianus.* cap. 27. *Præfigebant in animo, ſi permitterentur* Pernoctare Cvm Mortvo, *quod & fortè feciſſent, niſi militum cuſtodia fuiſſet appoſita*. Non tãtùm dum exequiæ celebrabantur, & Chriſti corpus humabatur, ſuâ defunctum magiſtrum mulieres proſecutæ ſunt pietate, ſed inſuper cum eo pernoctare, ac in pietatis obſequijs perſeuerare volebant, licet à militum cuſtodiâ impeditæ, nequaquam implere potuerint, quod cupiebant.

Ob earum perſeuerantiam Chriſtus primò eis apparuit.

14 Ex quo factum eſt, vt Chriſtus à mortuis reſurgens, vt harum mulierum perſeuerantiam condigno præmio remuneraret, eis antequam cæteris apparuit, ac reſurrectionis myſterium à monumento reuertentibus indicauit. *Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens; Auete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eũ.* Matth. 28. 9. Quam quidem celerem apparitionem eas propter perſeuerantiam in pietate Chriſto mortuo impenſâ obtinuiſſe, diſertis verbis teſtatur D. Ioannes Chryſoſtomus. *D. Io. Chryſ.* Tantae Perseverantiae Retribvtionem *accipiunt, vt primæ videant, & annuntient, non dicta ſolùm,*

ſed

ſed viſa etiam. Ideò priores Chriſtum reſurgentem viderunt, quia circà ſepulchrum eius frequẽti profectione, ac diuturnâ pietate perſeuerauerunt.

Magdalena prius, quàm cæteris apparuit, quia diu tius circà eius ſepulchrũ perſeuerauit. 15 Inter has autem mulieres prima, quę Chriſtum vidit reſurgentem, Magdalena fuit, cui ſummo mane ſub hortulani ſpecie apparuit. *Surgens autem manè primâ Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de quâ eiecerat ſeptem dæmonia*. Marc. 16. 9. Diuriùs, quàm cæteræ ad Chriſti monumentum hæc mulier perſeuerauit, ideòque priùs ipſi, quàm cæteris Chriſtus apparere voluit, vt feſtinus ei appareret, quæ piâ morâ ſuo aſtiterat monumento. Diſco id ex D. Ioanne Chryſoſtomo apud Hugonem Cardinalem in c. 20. Ioannis. *Ecce quàm bonum eſt acceſſio, & immoratio. Iſta enim meruit* Ex Immoratione *diſcipulis prima annunciare*. Quæ magis diuturnam circà Chriſti monumentum moram contraxit, prima videre Chriſtum promeruit, vt diſcamus, quanti meriti ſit apud Deum diuturnitas, quâ vi ui perſeuerant in pietate defunctis exhibendâ. *Idem.*

Chriſtus in Lazari reſurrectione oſtendit multiplicauit pietatis. 16 Hanc etiam perſeuerantiam nobis Chriſtus commendauit, cùm ad Lazari cadauer profectus, tot actibus miſerationis extinctum amicum eſt proſecutus. Primò ſpiritu fremuit, ac ſeipſum turbauit. *Ieſus ergò vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum eâ plorantes infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum*. Ioan. 11. 33. Deindè lachrymis obortis vberrimè fleuit. *Et lachrymatus eſt Ieſus* Ioan. 11. 35. Tertiò rursùm fremuit in ſemetipſo, vt ad monumentum acceſſit. *Ieſus ergò rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum*. Ioan. 11. 38. Quartò æternum patrẽ pro defuncti vitâ exorauit. *Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis, dixit, Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me*. Ioan. 11. 41. Denique defuncto præcepit, vt è ſepulchro exiret, & ad viuos remearet. *Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamauit, Lazare, veni foras*. Ioan. 11. 43. Ecce quot actus iterauit, quantùm in pietate perſeuerauit, quantaque diuturnitate miſerationis obſequia Lazaro præſtitit defuncto. Benè Simon Caſſianus in Euangelia lib. 5. cap. 15. Ingeminat actus, et iterat actiones, *vt veritas ipſarum magis inclareat*. Vt veram oſtenderet ergà defunctum amicum pietatem, miſerationis actus ingeminauit, & pia obſequia iterauit, vt nos doceret, veram tunc oſtendi ergà mortuos pietatem, cùm diuturnis obſequijs eis ſuffragia impenduntur. *Sim. Caſſian.*

Timoleonti mortuo perpetui ſtatuti honore. 17 Quòd ſi ex profanis authoribus huius diuturnitatis, ac perſeuerantiæ argumenta deducere velimus, egregium nobis, ac illuſtre illius exemplum præbuerunt Syracuſani, qui Timoleonti defuncto multis impenſis exequias celebrauerũt, ac deindè vt eius memoria perpetuò à ciuibus honoraretur, pio decreto ſtatuerunt. Hoc tradit Plutarchus in Timoleonte, qui ait eos decreuiſſe, *Ducentarum minarum impenſâ funerandum, honorandum inſuper* In Perpetuum *ludis muſicis, equeſtribus, & gymnicis*. Perpetuos defuncto ſtatuerunt honores, eiqne non breuem, ac pauco temporis ſpatio tranſituram, ſed diuturnam, ac perpetuò duraturam pietatem decreuerunt. *Plutarchus.*

Multæ matres nunquam lugubria mortis filiorum di mittentes. 18 Præterea Seneca in conſolatione ad Heluiam nonnullarum mulierum meminit, quæ filios defunctos plorantes, tam diuturno luctu ſunt eos proſecuti, vt nunquam lugubres exuerint veſtes. *Noſti quaſdam, quæ amiſſis filijs, impoſita lugubria* Nvnqvam Exvervnt. A' pietate, quam filijs defunctis ſemel exhibuerunt, nunquam deſtiterunt, ſed perpetuo eos luctu, perpetuoque veſtium lugubrium indumento conſtanter honorauerunt. *Seneca.*

Nero diù poſt mortem honoratus. 19 Quid? quòd Neroni quoque à nonnullis poſt mortem diuturnæ pietatis obſequia exhibita fuerunt? Sanè Suetonius in Nerone hæc habet. *Non defuerunt, qui* Per Longvm Tempvs, *veris, æſtiuiſque floribus tumulum eius ornarent*. Imperatori quoque, impio immanitatis monſtro, diuturnam pietatem exhibuerunt, eiuſque ſepulchrum conſuetis tunc obſequijs honorare non deſtiterunt. *Suetonius.*

Electra perpetuam pietatẽ patri promittens. 20 Vt verò ex Poëtarum etiam carminibus aliqua proferamus, audiamus, quid lugens in morte patris Electra proferat apud Sophoclem in Electrâ. *Sophocles.*

Dimittite me, dimittite conſolatrices
Nam hæc mihi nunquam intermittentur, neque
Vnquam dolere deſinam, QVIN PERPETVO
LVGEAM.

Nunquam dolorem intermittere, ſed perpetuò pro defuncto ſtatuit pium edere luctum, & aſſidua miſerationis obſequia ei præſtare. Quod etiam innuit laudans Niobe, quæ in ſaxum conuerſa filios perpetuo luctu plorauit morte infœliciter peremptos.

O' multis modis infœliciſſima
Niobe, te ego, vt Deum colo
Quæ in lapidem mutata,
Hei, hei SEMPER LVGES.

Vbique diuturnus, ac perpetuus pro defunctis commendatur luctus, vt hinc diſcamus perpetuã eſſe à nobis defunctos pietate proſequendos.

Achilles perſeuerans in luctu pro Patroclo mortuo 21 Pergo, & Achillis luctum in funere Patrocli expendo, qui tantam, tamque diuturnam ei pietatem impendit, vt ſempiternam etiam apud inferos, non obſtante Lethæo fonte, illi promiſerit memoriam. Audiamus, quid de hac pietate canat Homerus Iliade 22.

Iacet apud naues mortuus, indefletus, inſepultus
Patroclus, huius autem non obliuiſcar, donec ego
Viuis inſum, & mihi dilecta genua mouentur;
Si autem mortuorum obliuiſcuntur in inferno,
At ego & illic dilecti recordabor, & ſocij. *Homerus.*

Poterat ne ſuæ pietatis perſeuerantiam, ac diuturnitatem ergà defunctum amicum clarioribus exprimere verbis, aut elegantioribus promere ſententijs?

Ouidius poſcit ſibi ab vxore perpetuã pietatem 22 Caput claudo, illud addens, quòd Ouidius ita debitam defunctis cenſuit pietatis diuturnitatem, ac perſeuerantiam, vt ſcribens ad vxorem, *pietatem, & dum*

Æneas eam patri defuncto exhibens.

dum graui morbo correptus propinquam mortem in alienâ terrâ exul expectabat, lachrymas ab eâ poſt ſuam mortem poſtulauerit perpetuas, & feralia, quoaduſque viueret, ſemper ad ſepulchrum deferenda munera. Hæc ſunt eius carmina lib. 3. Triſtium Elegiâ. 3.

Ouidius.

Tu tamen extincto feralia munera SEMPER,
Deque tuis lachrymis humida ſerta dato.
Quamuis in cinerem corpus mutauerit ignis,
Sentiet officium mæſta fauilla pium.

Sibi perpetuò poſt mortem debitam popoſcit pietatem, agnoſcens, non breui, ſed longo tempore mortuos eſſe pietate à viuis proſequendos. Quod & Æneas apud Virgilium lib. 5. Æneidos agnouit, quapropter diem anniuerſarium mortis ſui genitoris, ſemper dixit futurum ſibi acerbum, ac honoratum. Nec enim tantùm in funere, & ſepulturâ, ſed ſemper cenſebat perpetuâ parentem defunctum eſſe à ſuperſtite filio pietate proſequendum.

Virgilius.

Iamque dies, ni fallor, adeſt, quem SEMPER acerbum,
SEMPER honoratum (ſic Dij voluiſtis) habebo.

Semper mortuis pietas debetur à viuis, nec vnquam ceſſandum eſt à miſerationis ſuffragijs, quę iurè à nobis defuncti expoſcunt. Nam diuturnis pietatis obſequijs mortuos adiuuare debemus.

CAPVT XIII.

Diurno tempore mortuis debemus impendere pietatem.

Viri Iabes Galaad totâ die vſque ad ſolis occaſum à cibo propter defunctos abſtinuerunt.

1 PLacet Capitis initium ducere à pietate, quâ viri Iabes Galaad Saul, eiuſque filijs defunctis ſepulturâ impenderunt. Quorum cadauera è muro Bethſan ad Iſraëlitarum dedecus pendentia cùm rapuiſſent, ac præclaris exequijs præcedentibus, honorificè tumulaſſent, ieiunauerunt ſeptem diebus. *Et tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt ſeptem diebus.* 1. Reg. 31. 13. Quod ſanè ieiunium iuxtà Hebræorum conſuetudinem fuit, qui totâ die à cibo abſtinebant, nec aliquid, antè Solis occaſum guſtabant. Quapropter diurno maximè tempore ieiunij ſuffragio hi pij viri ſuam defunctis pietatem exhibuerunt. Approbat hoc Abulenſis. *Erat iſtud ieiunium ſecundùm morem Hebræorum, ſcilicet quòd non comederent* TOTA DIE *aliquid vſque ad ſolis occaſum.* Totâ die pro mortuis principibus per hebdomadam ieiunauerunt, diurnâ, & diuturnâ illis pietate parentantes.

Abulenſis.

Dauid, vt mortuo Abner pietatem impenderet, ſequiarū die nihil guſtauit.

2 Simili pietate honorauit Dauid Abner dolo Ioab iniuſtè interfectum, quem cùm piè ploratum honorifico tumulo intuliſſet, nihil antè ſolis occaſum guſtare decreuit. *Cùmque veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cū Dauid clarâ adhuc die, iurauit Dauid, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi antè occaſum ſolis guſtauero panem, vel aliud quicquam,* 2. Reg. 3. 35. Non potuerūt populi preces hoc ab eo extorquere, vt ferales epulas diurno tempore comederet, ſed quoad vſque diei lux perſeuerauit, extincto amico ieiunij ſuffragio parentauit. Rectè Ioſeph Hebræus lib. 7. Antiquit. Iudaic. cap. 1. *Adeò grauiter Abner morte affectus eſt, vt nullis amicorum precibus ad guſtandum* EA DIE *cibum adduci potuerit, ſed iuratus ieiunium vſque ad Solis occaſum ſeruauerit.* Diurno maximè tempore mortui ſunt pietate proſequendi, quapropter Dauid pro mortuo Abner totâ die ieiunauit.

Ioſeph Hebr.

Ex hac diurnâ eius pietate illius innocentiam populus cognouit.

3 Hinc vt populus tantam Regis ergà extinctum amicum pietatem vidit, Dauidis innocentiam agnouit, & ſine ipſius mandato cædem patratam fuiſſe autumauit. *Et cognouit omne vulgus, & vniuerſus Iſrael in die illâ, quoniam non actū fuiſſet à Rege, vt occideretur Abner filius Ner.* 2. Reg. 3. 37. Aduertit autem Caietanus, populū tunc Dauidem crediđiſſe ab iniuſtæ cædis crimine alienum, cùm eum vidit diurnâ pietate cæſum defunctum proſequentem. *Non eſt ſenſus, quòd illo die vniuerſus Iſrael cognouerit, quia nec mors Abner vniuerſo Iſrael fuit nota illo die, ſed eſt ſenſus quòd* EX DICTIS, ET FACTIS IN ILLA DIE *vniuerſus Iſrael poſteà nouit tunc etiam Dauidis circà mortem Abner.* Diurnam Dauid exhibuit defuncto pietatem, & eâ ſuam declarauit ab effuſione ſanguinis immunitatem.

Caietanus.

Ioſeph ſeptuaginta diebus mortuum patrem plorauit.

4 Patrem defunctum diuturno luctu Ioſeph plorauit, completo autem luctûs tempore, de transferendo ad patrium ſepulchrum eius cadauere cogitauit. *Et expleto planctûs tempore, locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis.* Gen. 50. 4. Quodnam fuit hoc tempus planctûs, niſi ſeptuaginta dies, quibus præclarâ pietate cadauer condiuit, & conditum vberrimis lachrymis plorauit? Adſtipulatur Abulenſis. *Expleto planctûs tempore, ſcilicet* SEPTVAGINTA DIEBVS, *in quorum quibuſdam conditus eſt, in alijs ſolùm deploratus eſt.* Septuaginta dierum numero defunctum patrem Ioſeph plorauit, vt nobis diurnam, quæ defunctis debetur, ſuo exemplo commendaret pietatem.

Abulenſis.

Ephraim filios mortuos multis diebus luxit.

5 Ioſeph imitatus eſt Ephraim, qui filios ſuos interfectos multis luxit diebus. *Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia deſcenderant, vt inuaderent poſſeſſiones eorum. Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus.* 1. Paralipom. 7. 22. Ex quo diurno luctu colligit Abulenſis idem, hos omnes defunctos fratres fuiſſe ex eodem parente progenitos. Hæc ſunt eius verba quæſt. 7. in hūc locum. *Dicitur, quòd luxit pater eorum Ephraim* MVLTIS DIEBVS, *ſi tamen deſcendiſſent iſti ab Ephraim per ſucceſſiones multas, non poſſet Ephraim ſuperuiuere, vt lugeret mortem iſtorum, quia eſſet valdè magnum tempus, in quo tranſirent iſtæ generationes, & tamen luxit eos.* Animaduerte parentē diurnam non modico tempore defunctis filijs pietatem exhibentem, & agnoſce mortuos interdiù eſſe à viuis miſerationis obſequijs proſequendos.

Idem.

Iſraelitæ tri-

6 Quod & Iſraëlitæ oſtenderunt, cùm defun-

ctum

ginta diebus mortuũ Moyſen luxerunt.

ctum Moyſen triginta diebus fleuerunt. *Fleueruntque eum filij Iſrael in campeſtribus Moab. triginta diebus, & completi ſunt dies planctûs lugentium Moyſen.* Deut. 34. 8. Vbi obſeruat Oleaſter hunc fuiſſe Iſraëlitarum morem, vt inſignes, ac nobiles perſonas triginta, vulgares verò ſeptem diebus lugerent defunctas. *Solebant Iſraelitæ nobiles perſonas flere* AD TRIGINTA DIES, *alios verò ad ſeptem*. Omnibus defunctis diurnam Iſraelitæ impendebant pietatem, & iuxtà eorum meritũ, vel triginta, vel ſeptem dierum luctu eos plorabant.

Oleaſter.

Ioab alterâ die à prælio defunctos milites humauit

7 Durum inierunt Ioab, eiuſque milites cum Abner, & illius exercitu certamen, in quo cùm vſque ad veſperam laboraſſent, vnuſquiſque tandem ad propria caſtra eſt reuerſus. Ex militibus autem Dauid decem, & nouem, & inſuper Aſaël quoque Ioab frater corruerunt. *Porrò Ioab reuerſus, omiſſo Abner, congregauit omnem populum, & defuerunt de pueris Dauid decem, & nouem viri, excepto Aſaele.* 2. Reg. 2. 30. Si verò quæratur, an iſti milites, qui fortiter in prælio ſe gerentes, glorioſè occubuerunt, ſepulchrales obtinuerint honores, & quandò ſint eis iuſta funebria debitâ pietate perſoluta, in promptu eſt reſponſio Ioſeph Hebræi lib. 7. Antiquit. Iudaic. cap. 1., qui ait ſequenti poſt prælium die fuiſſe cæſorum cadauera ſepulchris à duce mandata. SEQVENTI DIE *Ioabus recenſitis cæſorum cadaueribus, omnes ſepulturâ dignatus eſt.* Alterâ à prælio die militibus in ciuili bello defunctis exequias Ioab dux militiæ celebrauit, atque illorum cadauera ſepeliuit, nam ſemper mortui diurnæ pietatis obſequijs à ſuperſtitibus ſunt honorandi.

Ioſeph Hebr.

Filiã Iephte mortuam interdiù puellæ Iſrael ploratione.

8 Hanc etiam comprobat veritatem mos, qui inter Iſraëlitas diù obtinuit, vt filiam Iephte defunctam quotannis quatuor diebus anniuerſario luctu adoleſcentulæ plorarent. *Exindè mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniant in vnum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Iudic. 11. 40. Quo verò tempore hoc pietatis obſequium defunctæ virgini puellæ Iſraël exhibuerunt? Audias Dionyſium Carthuſianum ad rem noſtram reſpondentem. *Diebus quatuor, quolibet ſcilicet anno per quatuor dies, aliquâ hora opportunâ* QVOTIDIE. Horâ diei opportunâ defunctam puellam plorabant, diurno ei luctu parentantes, noſque inſtruentes interdiù honorandos eſſe noſtrâ pietate defunctos.

Dion. Carth.

Diurna mortuorũ elatio, & diurna parentalia eis exhibita.

9 Sed nec deſunt, qui hoc, quod probamus, firment, authores profani, & primum affero Cornelium Tacitum, qui lib. 3. Annalium diurnam pietatem Germanico à cunctis militibus, & ab vniuerſo populo poſt eius mortem exhibitam his verbis deſcribit. DIES, *quo reliquiæ tumulo Auguſti inferebantur, modò per ſilentium vaſtus, modò ploratibus inquies. Plena vrbs itinera, collucentes per campum Martis faces.* Vides diurnum tempus electum fuiſſe, vt principi exequiarum iuſta vniuerſi populi pietate perſolurentur? Syllæ quoque horâ nonâ ductas fuiſſe exequias, & interdiù cadauer elatum Plutarchus teſtatur in eius vitâ. *Cæterùm cùm ab aurorâ* DIES ISTE *nubilus fuiſſet, pluuiæque expectarentur,* NONA DEMVM HORA *funus elatum eſt*. Animaduerte hic quoque diurnam funeris elationem. Mortuis demùm interdiù parentatum fuiſſe docet Seneca Epiſtolâ 122. his verbis. *Mortuis certè* INTERDIV *parentatur*. Quis igitur non videt, quam debita ſint diuturnæ pietatis obſequia defunctis?

Corn. Tacit.

Plutarchus.

Seneca.

Imperatoribus defunctis interdiù pietas exhibita.

10 Apprimè quoque ad hanc rem facit ſolennitas, quâ defunctis Imperatoribus Romani parentabant, eoſque conſecratos in Deorum numerum referebant. Nam circà mortui principis lectum plorantes cum matronis ſenatores, magnam diei partem in pietate illi exhibendâ inſumebant. Rem narrat Herodianus lib. 4. his verbis. *Circà lectum verò vtrinque* MAGNAM PARTEM DIEI *ſedent, à læuâ quidem ſenatus omnis veſtibus atris amictus, à dextrâ verò matronæ, quas virorũ, aut parentum dignitas honeſtat. Harumque nulla, vel aurum geſtans, vel ornata monilibus conſpicitur, ſed veſtibus albis exilibus indutæ mœrentium ſpeciem præbent. Hæc ita* PER SEPTEM DIES CONTINVOS *faciunt*. Poteratne clariùs diurna pietas defunctis exhibenda confirmari?

Herodianus.

Aeneas diurno tempore patri mortuo parentans.

11 Poſtremo loco affero Virgilium, apud quẽ lib. 6. Æneidos Aeneas diurnam quotannis Anchiſæ patri defuncto promittit pietatem.

> *Iamque DIES, ni fallor, adeſt, quem ſemper acerbum,*
> *Semper honoratum, ſic dij voluiſtis, habebo.*

Virgilius.

Vbi Donatus ait. *Feriebat animum eius dolor ex causâ, & exigebat defuncti meritum honorificentiam ſuam; Non ergò dixit futuram ludorum lætitiam, ſed futurum honoratum* DIEM. *Dicit ergò, quid in animo gereret, vt oſtendat in exhibitione ludorum, non laſciuiam fore, ſed neceſſitatis cauſam*. Diem Aeneas defuncti genitoris memoriæ decreuit, cui varijs parentaret obſequijs pietatis. Vndè etiam diem certaminibus edendis in eius honorem aſſignauit.

Donatus.

> *Prætereà ſi nona DIEM mortalibus almum*
> *Aurora extulerit, radijſque retexerit orbem,*
> *Prima citæ Teucris ponam certamina claſſis.*

Virgilius.

Quæ exponens idem Donatus. *Nono, inquit,* DIE *ludos exhibebo, ſi conſentientibus elementis almâ luce prouenire potuerit*. Agnoſce vbique defunctos interdiù miſerationis obſequijs honoratos, hincque infer, viuos diurno tempore mortuis debere impendere pietatem.

Donatus.

CAPVT XIV.

Noctù defunctis viuorum miſeratio debetur.

Noctù conſurgẽtes pro mortuorum animabus orare debemus.

1 NOn ſolùm interdiù, ſed etiam noctù noſtrâ ſunt mortui pietate honorandi. Quod primò nos docet Ieremias, cùm nos hortatur, vt nocte conſurgamus, & pro paruulorum animâ oremus. *Conſurge, lauda* IN

No-

Nocte *in principio vigiliarum, effunde ſicut aquam cor tuum antè conſpectum Domini, leua ad eum manus tuas pro animâ paruulorum tuorum, qui defecerunt fame in capite omnium compitorum*. Thren. 2. 19. Qui ſunt hi paruuli fame deficientes, niſi mortui, qui propter innocentiam facti ſunt vt paruuli, & fame videndi Deum in Purgatorio torquentur? Hos igitur nocturnis precibus adiuuare debemus, quia nocturno quoque tempore viuorum debentur ſuffragia defunctis. Hùc alluſit Lyranus. *Poteſt intelligi vno modo, vt animæ illa recipiantur in ſinum Abrahæ.* Vt ad ſinum fœlicitatis mortuorum animæ euehantur, noctù conſurgere, ac nocturna eis pietatis ſuffragia exhibere debemus.

Lyranus.

Suſpenſi cadauer noctis tēpore ſepeliebatur.

2 Hanc nocturnam ergà defunctos pietatem Deus iuſſit, cùm in lege præcepit, vt in crucis patibulo propter ſua delicta ſuſpenſi, eadem die ſepelirentur. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur*. Deut. 21. 23. Permittebat quidem interdiù in ligno pendere cadauer, vt mortui pœnâ territi viuentes, à delictis recederent, ac iuſtitiam ſectarentur, ſed nocturno tempore adueniente, ſepulturæ officio pietatem ei exhibendam præcepit, nam præcipuè noctù noſtrâ ſunt mortui pietate proſequendi. Opportunus adeſt Ioſeph Hebræus lib. 4. Antiquit. Iudaic. cap. 8. *Per totam diem omnibus ad ſpectandum propoſitus*, Nocte Demvm Sepeliatvr. Nocte iuſſit Deus defunctum ſuſpenſum humari, ac ſepulchralibus obſequijs de cruce depoſitum honorari, vt nobis innueret, nocturnam defunctis deberi miſerationem.

Ioſeph Hebr.

Viri IabesGalaad, vt Saul eiuſque filijs defunctis pietatem impenderent, totâ nocte ambulauerunt.

3 Hoc idem oſtenderunt viri Iabes Galaad, qui vt ſuam exhiberent pietatem Saul, eiuſque filijs defunctis, quorum cadauera Philiſthæi ad perpetuum Iſraëlitarum opprobrium ſuſpendebant in muro Bethſan, vt ibi ab auibus, ac feris laniata ſine ſepulturæ honore manerent, nocturno tempore ad mœnia hoſtium acceſſerunt, & mortuorum corpora ſurrepta celebri exequiarū pompâ ſepelierunt. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntque Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni*. 1. Reg. 31. 12. O' egregiam virorum fortium pietatem, qui caſtra hoſtium adire non metuerunt, vt nocturnis donarent miſerationis obſequijs corpora mortuorum. Totam videlicet noctem, vt pio funere illis parentarent, duxerunt inſomnem. Rectè Abulenſis. *Ambulauerunt* Tota Nocte Illa, *ſcilicet* Tota Nocte, *in quâ receſſerunt de Iabes, iuerunt enim iſti viri* Per Noctem *ad vrbem*. Noctù ambulauerunt, ne debitâ mortui pietate defraudarentur, agnoſcebant quippè nocturno maximè tempore viuorum pietate mortuos eſſe proſequendos.

Abulenſis.

Idē egit Ioab cum ſuis militibus, vt mortuū Aſaēlē in proprio humaret ſepulchro.

4 Quod & agnouerunt Ioab, & viri, qui cum eo erant, cùm vt defuncto Aſaëli exequias celebrarent, ac ſepulchri patrij honorem impenderent, totâ nocte ambulauerunt. *Tuleruntque Aſael, & ſepelierunt eum in ſepulchro patris ſui in Bethleem, & ambulauerunt totâ nocte Ioab, & viri, qui erant cum eo, & in ipſo crepuſculo peruenerunt in Hebron*. 2. Reg. 2. 32. Vbi aduertendum eſt, quòd ſicut Abner, eiuſque milites, vt fugâ vitæ ſuæ conſulerent, atque ad propria caſtra remcarent, totâ nocte ambulauerunt. *Abner autem, & viri eius abierunt per campeſtria totâ nocte illâ, & tranſierunt Iordanem, & luſtratâ omni Bethoron venerunt ad caſtra*. 2. Reg. 2. 29. ita & hi viri, vt defunctum patrio ſepulchro inferrent, eamdem totam noctem inſomnem duxerunt, hoſtium diligentiam, ac vigilantiam æmulantes, quò mortui reliquias debitis ſepulturæ officijs honorarēt. Aduertit hoc idem Abulenſis. *Sicut Abner, & viri ſui ambulauerunt totâ nocte, quouſque peruenirent in Mahanaim, ita Ioab, & viri ſui ambulauerunt* Tota Nocte, *vt venirent in Hebron, cauſa tamen celeritatis Ioab fuit, quia ferebant mortuum Aſael*. Eadem ſolertiâ, quâ milites Abner vitæ ſuæ conſuluerunt, viri Ioab defuncto pietatem impenderunt, non minùs, quàm illi, nocturnum iter aggredientes, nocturnoque labore cadauer efferentes.

Idem.

Aegyptij noctu primogenitos defunctos plorauerunt.

5 Quid? Quòd Aegyptij quoque huius nocturnę pietatis non contemnendum nobis exhibuerunt exemplum? Sanè cùm percuſſos primogenitos, ac morte peremptos agnouerunt, omnes nocte ſurrexerunt. *Surrexitque Pharao nocte, & omnes ſerui eius, cunctaque Aegyptus, & ortus eſt clamor magnus in Aegypto, neque enim erat domus, in quâ non iaceret mortuus*. Exod. 12. 30. Vt quid autem defunctos primogenitos cernentes, nocte ſurrexerunt, niſi vt eis dolore, ac luctu pietatem exhiberent? Nouerant quippè defunctis filijs nocturnam ſuperſtites parentes debere pietatem. Hoc ſentit Abulenſis idem. *Cùm* Facta Media Nocte, *quilibet in domo ſuâ ſenſit mortem filiorum, ſurrexit à lecto, clamans, dolore magno commotus*. Diei lucem non expectauerūt, ſed vt filijs pietatem impenderent mortuis, mediâ nocte ſurrexerunt.

Idem.

Mulieres totam noctem duxerunt inſomnem, vt aromata pro Chriſti cadauere pararēt.

6 Sed maiori charitatis feruore nocturnam pietatem Chriſto mortuo mulieres exhibuerunt, quæ tranſacto Sabbato, ad monumentum, vt eius cadauer vngerent, feſtinauerunt. *Et valdè manè vnâ Sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam Sole*. Marc. 16. 2. Hic iuuat ſciſcitari, quomodo hæ mulieres vnguenta parare potuerint, quibus Chriſti cadauer aſpergerent, dum primo diluculo ad monumentum iuerunt. Profectò hęc vnguenta, non niſi tranſacto Sabbato, emerunt. *Et cùm tranſiſſet Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum*. Marc. 16. 1. Quo ergò tempore illa miſcuerunt, & vt apta eſſent pro cadaueris vnctione, parauerunt? Audi D. Bonauenturam in cap. 23. Lucæ reſpondentem. *Toto Sabbato ſiluerunt vſque ad ultum Solis occaſum, & tunc*

D. Bonauent.

D. Bonauent.

& tunc recuperatâ licentiâ operandi, iterum emerunt alia aromata, quia non ſufficiebant illa, quæ parauerant, & Tota Nocte Illa *inter Sabbatum & Dominicam parauerunt, vt venientes diluculo ad ſepulchrum, vngerent corpus Ieſu.* Quibus addo, quæ habet Dionyſius Carthuſianus in cap. 28. Matth. Totam Noctem Dvxervnt Insomnem, *conficiendo aromata.* Vt diluculo Chriſti cadaueri pietatem impendere poſſent, totâ nocte vigilauerunt, & vt defuncti corporis vnctioni vacarent, à ſomno abſtinuerunt.

Dion. Carth.

Ad ſepulchrũ etiam noctur no tempore perrexerunt.

7 Quin aduertit Rupertus Abbas lib. 14. in Ioannem, has mulieres non tantùm vnguenta parauiſſe, ſed & ad ſepulchrum nocturno tempore perrexiſſe. Quod ex eo probat, quòd valdè manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumẽtum peruenerunt. *Vnâ autem Sabbati Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum.* Ioan. 20. 1. Quo enim pacto potuiſſent tenebroſo adhuc tempore ad monumentum peruenire, niſi noctù iter egiſſent? Per Noctem *ambulantes*, inquit Rupertus, *iuuante Lunâ, venerunt ad monumentum,* Per Noctem *enim ambulauerunt, quæ diluculo ad monumentum fuerunt.* Noctù aromata parauerunt, & noctù etiam iter ſanctæ iſtæ mulieres egerunt, vt Chriſto defuncto ſepulchralia obſequia impenderent, nocturno enim maximè tempore viuorum pietate ſunt mortui honorandi.

Ruper. Abbas

Nocturnam earum pietatem Chriſtus magno præmio afficit.

8 Ex his facilè erit rationem afferre, cur hæ mulieres è monumento exeuntes, Chriſtum in viâ videre meruerint ſibi obuiantem. *Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens, Auete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eũ.* Matth. 28. 9. Laborem ſcilicet earum, quę totâ nocte vnguenta parauerant, & ad Chriſti monumentum cucurrerant, hoc præmio Chriſtus afficere voluit, eiſque, dum adhuc iter agebant, apparere. Adſtipulatur Paſchaſius. *Nec mireris, quæ ſic quærebant, quæ* Per Totam Noctam *eumdem locum frequentauerant, quæ ita iam feſtinè currebant, ſi merentur obuiam habere Dominum reſurgentem.* Nocturnam mulierum pietatem maximo pręmio Chriſtus remunerauit, eiſque, antequam cæteris, à morte reſurgens apparuit: magno namque præmio afficiuntur, qui nocturnâ defunctos pietate proſequuntur.

Paſchaſius.

Magdalena propter tenebras noctis Chriſtũ hortulanum eſſe putauit.

9 Nec tantùm mulieribus vnà pergentibus, ſed & Magdalenæ ſeorſim propè monumentum ploranti Chriſtus apparuit. Quem illa hortulanum eſſe exiſtimauit, ac propterea eum de ſacro cadauere, quod ſublatum credebat, interrogauit. *Dicit ei Ieſus, Mulier quid, ploras? quem quæris? Illa exiſtimans, quia hortulanus eſſet, dicit ei, Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Ioan. 20. 15. At nonnè Magdalena Chriſti vultum agnoſcebat? Nonnè multoties illius vocem audierat? Nonnè verba illius attentis auribus nõ ſemel exceperat? Cur igitur eum tunc non agnouit, ſed hortulanum eſſe putauit? Quia cùm nocturnum tempus eſſet, illius vultum diſcernere non potuit. Annuit D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioan. capit. 48. *Cùm* Propter Noctis Tenebras *non cognouiſſet Dominum Magdalena, ſuſpicata eſt aliquem eorum eſſe, ad quos horti cura pertineret.* Chriſti monumento nocturno tempore lugens aſſiſtebat, & iccircò ſibi apparentem Chriſtum non cognouit, ſed hortulanum eum eſſe, qui horti illius curam haberet, exiſtimauit. Vide igitur, an nocturno tempore ſit pietas defunctis exhibenda, dum tantâ pietate Chriſti monumentum ſanctæ mulieres noctù frequentauerunt.

D. Cyril. Ale.

Imperatori Conſtantio nocturnâ pietatem Chriſtiani poſt mortem exhibuerunt.

10 Talem impenderunt Imperatori Conſtãtio poſt mortem pietatem Chriſtiani, qui eius exequias nocturnâ pompâ celebrauerunt. Funus deſcribit D. Gregorius Nazianzenus Oratione 2. in Iulianum his verbis. *Ille igitur publicis laudibus, fauſtiſque ominationibus, pompiſque deducitur, ac religioſis etiam his noſtratibus cultibus,* Nocturnis Canticnibus, *facumque geſtationibus, quibus nos Chriſtiani pium è vitâ diſceſſum honore proſequi conſueuimus.* Animaduerte defuncto Imperatori pias preces, & eccleſiaſtica ſuffragia noctis tempore à Chriſtianis exhibita.

D. Gregorius Nazianz.

Luctu nocturno mortui honorati.

11 Sed placet hanc eamdem veritatem Gentilium quoque authoritate confirmare, & primò luctu mortuos nocturno tempore honoratos reperio apud Homerum Iliade 18.

Sed Achiui

TOTA NOCTE circà Patroclum ſuſpirabant LVGENTES.

Homerus.

Quem morem indicat & Quintilianus declamat 10. *Illa* Totis Noctibvs *funebres exercet vlulatus.* Noctis tempore defunctos plorabant, nocturniſque gemitibus eis parentabant.

Quintilianus

Noctù funera elata.

12 Funera quoque nocturno tempore fuiſſe elata, Seruius teſtatur in illud Virgilij lib. 11. Æneidos.

Funereas rapuere faces, lucet via longo
Ordine flammarum, & latè diſcriminat agros.

Virgilius.

Vbi ait. *Anteà* Per Noctem *cadauera pro funere ferebantur cum faculis.* Quod etiam confirmat Alexander ab Alexandro lib. 7. dierum genialium cap. 7. *Funeris lex erat, vt præcedente pompâ funebri, viui ſequantur, tanquam haud multò poſt morituri. Interim lectulo plerique flores, & corollas iacere, nonnulli vnguenta, & odores, alij dona cumulare, idque* Noctv, *& obſcura luce, ideò ardentes faces adhibebant.* Faces in funeribus adhibebant, quia nocturno tempore mortuorum cadauera efferebant, cenſentes noctù quoque mortuos pietate proſequendos.

Seruius.

Alex. ab Ale.

Mortuorum corpora noctù cremata.

13 Pergo, & mortuorum corpora noctù cremata fuiſſe oſtendo. Hoc diſco ex Seruio in lib. 6. Æneidos, qui ex hac nocturnâ crematione ortum ait morem deferendi faces in funeribus. Per Noctem *autem vrebantur, vndè permanſit, vt mortuos faces antecedant.* Cornelius etiam Tacitus lib. 13. Annalium ait. Nox Eadem *necem Britannici, & rogum coniunxit.* Quin & Cicero oratione pro Cluentio filium Oppianici an-

Seruius.

Corn. Tacit.

Digitized by Google

tè lucem, noƈturno adhuc tempore narrat fuiſſe poſt mortem crematum. *Eo ipſo die puer cùm horâ vndecimâ in publico vales viſus eſſet, antè noƈtem mortuus, & poſtridiè* Ante' Lucem Combustus Est. Noƈtù rogis cadauera imponebantur, & hoc quoque noƈturnum erat cremationis obſequium.

Cicero.

Sepulturæ obſequia defunƈtis noƈtù exhibita.

14 Poſt combuſtionem autem cadauerum reliquiæ ſepeliebantur. Quod ſepulturæ officium noƈturno tempore multoties defunƈtis fuiſſe impenſum, innumeri docent authores, quare ſolum Petronium Arbitrum hìc afferam, qui in Satyrico hæc habet. *Cruciarij vnius parentes, vt viderunt laxatam cuſtodiam, detraxere* Nocte *pendentem, ſupremoque mandauerunt officio*. Aduerte ſupremum ſepulturæ officium noƈtù defunƈto impenſum.

Petronius.

Cuſtodia noƈturna defunƈtis adhibita.

15 Sed & cuſtodiam defunƈtis noƈturno tempore inuenio adhibitam, hocque docet Apuleius lib. 2. Metamorphoſ. *Quæ tu, inquam, dic ſodes cuſtodela iſta feralis? Iam primùm, reſpondit ille,* PERPETEM NOCTEM *eximiè vigilandum eſt exertis, & inconnerſis oculis ſemper in cadauer intentis, nec acies vnqnam diuertenda, imò ne obliquanda quidem*. Vide, quâ pietate, quàmque vigilanter exiſtimauerint antiqui cadauera cuſtodienda mortuorum.

Apuleius.

Sacrificia noƈturna pro mortuis.

16 Supereſt, vt de ſacrificijs, quæ pro mortuis offerebantur, nonnihil dicamus. Hæc autem ſacrificia noƈtù offerri ſolita innuit Heliodorus lib. 6. Æthiopicorum cap. 17. apud quem vetula pro defunƈto filio noƈturnas inferias agere ſe decreuiſſe dixit. *Siquidem* Nocturnas Quasdam Inferias *agere conſtitui*. Virgilius etiam lib. 6. Æneidos ſacrificia Dijs inferis ait noƈturno tempore oblata, innuens ſacrificia, quæ offeruntur pro mortuorum animabus apud inferos cruciatis, noƈtù exhibenda.

Heliodorus.

Virgilius.

Tùm Stygio regi NOCTVRNAS inchoat aras
Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,
Pingue ſuperque oleum fundens ardentibus extis.

Donatus.

Ad quæ ait Donatus. *Ipſi regi inferorum* Nocturna Sacrificia *inſtituit exhiberi, nam etiam hoc tempus, quod tenebroſum eſt, inferis conuenit*. Noƈturnum, ac tenebroſum tempus inferis conuenit, vndè noƈturno maximè tempore mortuorum manibus apud inferos exiſtentibus antiqui parentabant. Quamobrem & Achilles apud Homerum Iliad. 23. in funere Patrocli noƈturno tempore ſacrificauit, ac libamina, extinƈti amici animam vocans, effudit.

Homerus.

hìc autem TOTA NOCTE velox Achilles
Aureo ex cratere, habens poculum rotundum,
Vinum exhauriens humum fudit, madefecit autem terram
Animam vocans Patrocli infœlicis.

Obſerua pium æquè, ac fortem, & generoſum Achillem in funere ſocij Patrocli ſacrificia offerentem.

Res etiam omni ſenſu carentes noƈturnâ videntur mortuis impendere pietatem.

17 Sed illud inſuper animaduertendum puto, quòd in eodem funere venti ab Achille rogati vehementi flatu rogi flammas agitauerunt, & noƈtù extinƈti cadauer cremauerunt. Ex quo conijcere licet, res quoque omni ſenſu carentes noƈturnam quodammodo mortuis impendere pietatem.

TOTA NOCTE autem hi pyræ ſimul flammam fecerunt
Flantes acutè.

Homerus.

Ita eodem loco idem Homerus. Adeò ſcilicet noƈturnâ pietate ſunt mortui proſequendi, vt venti quoque ſenſûs omnis, animæque expertes noƈtù eis pietatem exhibere videantur. Dum ergò non tantùm ſacri, ſed etiam profani authores teſtantur, pietatis obſequia fuiſſe mortuis noƈturno tempore impenſa, verè diƈtum eſt, noƈtù defunƈtis viuorum miſerationem deberi.

CAPVT XV.

Die, ac noƈte viuorum pietas debetur defunƈtis.

Reſpha die, ac noƈte mortuorum filiorum cadauera cuſtodiuit.

1 ADeò in pietate defunƈtis impendendâ perſeuerare debemus, vt omni tempore illam exhibeamus. Itaque in hoc Capite oſtendo, & die, & noƈte hanc eis deberi pietatem, vt conſtet, non tantùm interdiù, ac noƈtù ſeorſim, ſed & diurnâ, & noƈturnâ mortuos eſſe à viuis pietate proſequendos. Quis ignorat pietatem, quâ Reſpha defunƈtorum filiorum cadauera, quæ in Monte Gelboë patibulis affixerant Gabaonitæ, cuſtodiuit? Strauit ſibi ſuprà petram cilicium, aueſque à patibulis per diem, & feras per noƈtem abegit. *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſuprà petram ab initio meſſis, donec ſtillaret ſuper eos aqua de Cœlo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noƈtem*. 2. Reg. 21. 10. Quid clarius ad rem noſtram poterat afferri? Diurnum pia mater, noƈturnumque laborem, vt filijs defunctis pietatem impenderet, ſuſtinuit, & nocte, ac die intacta cadauera cuſtodiuit. Optimè Abulenſis. *Manſit ibi ad ardorem Solis* NOCTE, ET DIE *non recedens, nam ſi per modicum receſſiſſet tempus, volucres ſuperuenientes laceraſſent cadauera*. Diurna, & nocturna eſt mortuis pietas exhibenda, quapropter Reſpha mortuos filios die, ac nocte præclarâ pietate cuſtodiuit.

Abulenſis.

Tobias mortuos celabat per diem, & humabat per noƈtem.

2 Similem pietatem defunctis Tobias impendit, dum Iſraëlitarum cadauera, quæ in vicis, ac plateis iacebant inſepulta, interdiù abſcondebat, & noctù in domo ſuâ humabat. *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & dereliquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tuâ, & noƈte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino*. Tob. 12. 12. Vide ſanƈtum ſenem à pie-

tatis

tatis obſequijs ergà defunctos nunquam deſiſtentem, & die, ac nocte illos miſeratione proſequentem. Die illuceſcente cadauera, ne Barbarorũ opprobrijs paterent, domi celabat, dum verò nocturnæ tenebræ lucem expellebant, ea, ne ſine ſepulturæ honore abiecta iacerent, humabat. Non ſupprimam hìc verba Fabiani Iuſtiniani locum iſtum ita explicantis. *Mortuos abſcondebas* PER DIEM *in domo tuâ, vt deindè* NOCTE *illos tutò ſepelire poſſes*. Die, ac nocte ſenex pius defunctis honorandis vacabat, quæque interdiù cadauera defunctorum abſconderat, noctù lugens ſepeliebat.

Fabian. Iuſt.

3 Corruit Saul in Monte Gelboë, ſuo ſe gladio interficiens, ne in hoſtium manus incideret, quod vt Philiſthæi agnouerunt, ad montem confeſtim perrexerunt, eiuſque cadauer ſimul cum cadaueribus filiorum illius, capitibus præciſis, in muro Bethſan ſuſpenderunt. Hanc Barbarorum impietatem deteſtantes viri Iabes Galaad, ad hoſtium caſtra profecti, principum corpora indè ſuſtulerunt, ac regio more crematâ ſepulturæ honore donauerunt. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntque Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni.* 1. Reg. 31. 12. Placet, quod hìc aduertit Iacobus Salianus in Annalibus Eccleſiaſticis Anno mundi 2979. hos viros, nedùm totam noctem, ſed magnam etiam præcedentis diei partem in eo itinere impendiſſe, quod propter loci diſtantiam non poterat ſolâ nocte peragi. *Ambulauerunt totâ* NOCTE, *imò & non exiguam partem præcedentis* DIEI *propter loci diſtantiam, vt per noctem tutiùs quidquid erat periculoſum conficeretur*. Die, ac nocte pro honorificâ defunctorum ſepulturâ iter egerunt, & caſtra hoſtium aggredientes, vt mortuis pietatem impenderent, mortis pericula contempſerunt.

Iabeſſi Saul, eiuſque filijs defunctis die, ac nocte pietatem exhibentes.

Iacobus Sal.

4 Hùc etiam pietas facit, quam defuncto Aſaëli Ioab, & viri, qui cum eo erant, exhibuerunt. Nam cùm cecidiſſet in prælio ab Abner interfectus, eius cadauer efferentes, totâ nocte ambulauerunt, & ad patrium ſepulchrum deductum exequiarum pompâ tumulauerunt. *Tuleruntque Aſael, & ſepelierunt eum in ſepulchro patris ſui in Bethleem, & ambulauerunt totâ nocte Ioab, & viri, qui erant cum eo, & in ipſo crepuſculo peruenerunt in Hebron.* 2. Reg. 2. 32. Quærere hìc libet, cur diem ſubſequentem non expectauerint, ſed totâ nocte ambulare voluerint. Quá ob cauſam qui totâ die præliati fuerant, nocte non quieuerunt? Cur exiguo tempore, vt ſomno indulgerent, ſepulturam cadaueris non diſtulerunt? An id egerunt, vt nocte quoque ambulantes, nocturnam, ac diurnam pietatem defuncto exhiberent? Ita cenſet idem Salianus Anno mundi 2982. DIVRNO LABORI ETIAM NOCTVRNVM COPVLANTES, *& quidem non exiguum. Eſt enim illud iter, ſi Adrichomio credimus Gabaone vſque ad Bethleem horarum quatuor, indè autem Hebronem vſque ſex horarum*. Die, ac nocte ſuâ pietate defunctum honorare voluerunt, & iccircò labori diurno nocturnum copulauerunt, & cadauer, quod noctù extulerant, interdiù ad patrium ſepulchrum peruenientes, ſupremis officijs humauerunt.

Idem Ioab, eiuſque milites Aſaeli præſtantes.

Idem.

5 Dignus eſt etiam, qui hìc apponatur, luctus, quo ſacerdotes vnà cum populo Zachariam Prophetam inter templum, & altare impiè interfectum plorauerunt. Triduano quippè luctu eius exequias honorauerunt, die, ac nocte adeò ſancti Prophetæ necem plorantes. Hoc ex Iacobi ſententiâ refert D. Euſtathius Commentario in Hexameron his verbis. *His vocibus animo fractus, egreſſuſque ſacerdotibus nunciat, qui introeuntes, corpus non vident, ſed ſolum ſanguinem, ſciſſiſque veſtimentis, mortem illius lugebant, populoque nunciarunt, &* TRIBVS DIEBVS, ET TRIBVS NOCTIBVS *in luctu fuerunt*. Defuncto ſacerdoti non tantùm diurno, ſed & nocturno luctu pietatem impenderunt.

Zacharias tribus diebus, tribuſque noctibus ploratus.

D. Euſtath.

6 Idipſum egit D. Ambroſius Gratianum, & Valentinianum plorans defunctos, pro quibus aſſiduè tùm diurnas, tùm etiam nocturnas Deò preces effundebat. Audiamus, quid ipſe dicat concione in obitu Valentiniani. *Beati ambo, ſi quid meæ orationes valebunt.* NVLLA DIES *vos ſilentio præteribit, nulla inhonoratos vos mea tranſibit oratio,* NVLLA NOX *non donatos aliquâ precum mearum contextione tranſcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo*. O eximiam ſancti præſulis pietatem, qui & die, & nocte defunctis principibus precibus ſuis ſuffragabatur, agnoſcens mortuos amicos & diurnâ, & nocturnâ eſſe à ſuperſtitibus pietate proſequendos.

Ambroſius die ac nocte pro defunctis imperatorib. preces effundens.

D. Ambroſ.

7 Verùm vt etiam ex profanis authoribus nõnulla proferamus, Achilles apud Homerum Iliade 18. diurnum, ac nocturnum defuncto Patroclo promittit Troianorum luctum.

Patroclo, & Hectori nocte, ac die pietas exhibita.

Circùm autem te Troianæ, & Dardanides ampliſſimæ
Plorabunt, NOCTESQVE, ET DIES *lachrymas fundentes.*

Homerus.

Quin & Iliade 23. Venerem inducit ab Hectoris cadauere nocte, ac die canes abigentem.

hunc autem non canes lacerarunt,
Sed canes quidem abegit Iouis filia Venus
DIES, ET NOCTES, *roſaceo autẽ perfudit oleo.*

Adeò videlicet diurna, & nocturna pietas mortuis debetur, vt ipſas quoque Deas finxerint poëtæ dies, ac noctes in pietate illis exhibendâ impendentes.

8 Inſignis etiam fuit ergà defunctum Phaëtontem ſororum eius pietas, quæ die, ac nocte ſepulchro fratris aſſiſtebant, aſſiduiſq; illum gemitib. plorabant. De his cecinit Ouid. l. 2. Metam.

Phaetontem defunctũ die, ac nocte ſorores eius luxerunt.

Non auditurum miſeras Phaetonta querelas
NOCTE, DIEQ; *vocant, aſternunturq; ſepulchro.*

Ouidius.

Vide hìc quoque aſſiduam ſepulchri cuſtodiam, & cum nocturnâ diurnam copulatam in defunctum fratrem pietatem.

Digitized by Google

Cadauera die, ac nocte ſeruata, & plorata.

9 Sed nec videtur Spartanorum pietas prætereunda, quibus, Rege defuncto, nulla erat quies, ſed diurno, nocturnoque illum luctu viri, ac mulieres omnes honorabant. Quem refert morem Alexander ab Alex. lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Apud Spartanos erat conſtitutum, vt Rege defuncto equites obitum Regis enunciantes curſitent, fœminæque crinibus paſſis, & libero conqueſtu, tinnitu ollas pulſent æneas, quibus* Nec Nocte, Nec Die Qvies. Cui mori alius ritus Græcorum ſimilis eſt, quo decem, & ſeptem diebus, totidemque noctibus mortuorum cadauera, priuſquam cremarentur, ſeruare conſueuerant. De quo ritu hæc ibidem habet idem Alexander. *Græcis* Septemdecim Diebvs *corpora, antequam cremarentur,* Totidemqve Noctibvs *ſeruare mos erat.* Non tantùm diebus, ſed & noctibus mortuorum cadauera ſeruabant, oſtendentes diurnam miſerationem ſimul cum nocturnâ pietate mortuis eſſe impendendam.

Alex. ab Alex.

Idem mos ſeruandi nocte, ac die defunctos.

10 Hunc indicauit morem Petronius Arbiter in Satyrico, dum ait matronam Epheſinam die, ac nocte mariti defuncti cadauer Græco more ſeruaſſe, atque aſſiduo luctu ploraſſe. *In Conditorium etiam proſecuta eſt defunctum, poſitumque in hypogeo Græco more corpus cuſtodire, ac flere totis noctibus, diebuſque cœpit.* Eamdemque pietatis frequentiam attribuit Chariti maritum mortuũ lugenti Apuleius lib. 8. Metamorph. Dies Totos, Totasqve Noctes *inſumebat luctuoſo deſiderio pro ſuo marito.* Agnoſce, quantâ ſolertiâ diurnam, ac nocturnam defunctis Gentiles exhibuerint pietatem.

Petronius.

Apuleius.

Thebani die plorâtes mortuos, ac nocte circà funera ſedentes.

11 Quâ item ſolertiâ præditos fuiſſe Thebanos, affirmat Statius lib. 12. Thebaidos, cùm eos dixit interdiù mortuos ploraſſe, ac noctù vigilantes circa funera ſediſſe.

Statius.

In lacbrymis exempta DIES, nec ſecùs abegit
Veſper, amant miſeri lamenta, maliſque fruuntur,
Nec ſubire domos, ſed circùm funera PERNOX
Turba ſedet.

Non tantùm diurno luctu, ſed & nocturnâ cuſtodiâ ſuam Thebani ergà mortuos declarabant pietatem.

Octauio diurna, & nocturna poſt mortẽ pietas exhibita.

12 Caput demùm abſoluo, pietatem recolens Octauio Cæſari poſt mortem exhibitam, cuius corpus noctù elatum, & interdiù in baſilicis repoſitum, magnâ colebatur conuenientium populorum veneratione. Hæc ſcribit Suetonius in eius vitâ cap. 100. *Corpus Decuriones municipiorum, & coloniarum à Nolâ Bouillas vſque deportarunt* Noctibvs *propter anni tempus, cùm* Interdiv` *in baſilicâ cuiuſque oppidi, vel in ædium ſacrarum maximâ reponeretur.*

Suetonius.

Defuncto Imperatori & diurna, & nocturna exhibebant pietatis obſequia nam die, ac nocte viuorum pietas debetur defunctis.

CAPVT XVI.

Matutinis, ac veſpertinis obſequijs mortui ſunt honorandi.

Mane, ac veſpere mulieres Chriſto mortuo pietatem impenderunt.

1 HVcuſque probaui nocturnam, diurnamque mortuis deberi pietatem, nunc oſtendo mane quoque, ac veſpere noſtrâ illos eſſe pietate proſequendos. Narrat Matthæus, mulieres, quæ Chriſtum ſecutæ fuerant viuentem, ſuam declaraſſe pietatem ergà eum defunctum. Nam ſtatim tranſactâ Sabbati ſolennitate, cùm veſperaret, ad ſepulchrum perrexerunt, vt pretioſis eius cadauer aromatibus linirent. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in primâ Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum.* Matth. 28. 1. Dubium autem hic oritur, quomodo hæ mulieres veſpere ad monumentum perrexerint, quæ manè apud Marcum profectæ perhibentur. *Et valdè manè vna Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam ſole.* Marc. 16. 2. Quomodo manè acceſſerunt, dum veſpere perrexerunt? Nonnè matutino tempus opponitur veſpertinum? Cur igitur manè dicuntur acceſſiſſe, dum veſpere profectæ fuerunt? Nodum ſoluit Rabanus Maurus in catenâ in cap. 28. Matth. inquiens, has mulieres veſpere iter aggreſſas fuiſſe, manè autem ad ſepulchrum perueniſſe. *Quod dictum eſt, quia ſanctæ mulieres veſpere Sabbati, quæ luceſcit in primâ Sabbati, venerunt videre ſepulchrum, ita intelligendum, quia* Vespere *quidem cœperunt, ſed luceſcente* Mane` *in primâ Sabbati ad ſepulchrum peruenerunt, ideſt* Vespere *aromata parauerunt, quibus corpus Domini vngere deſiderabant, ſed aromata* Vespere *præparata* Mane` *ad ſepulchrum detulerunt.* Quibus ea conſonant, quæ habet Lyranus in cap. 16. Marci. *Quamdiù durauerat Sabbatum, non erat eis licitum aliquid emere, ſed in* Vespere *eiuſdem diei terminabatur ſolennitas, & tunc emerunt aromata, vt in craſtino benè* Mane` *venirent ad ſepulchrum.* Et veſpere, & mane ergà defunctum magiſtrum pietatem mulieres oſtenderunt, nam mortui tùm matutinâ, tùm veſpertinâ ſunt pietate honorandi.

Rabanus.

Lyranus.

Abrahã mane ſurrexit, vt mortuis compateretur

2 Et ſanè matutinam eis deberi pietatem Abraham oſtendit, qui poſt incendium, quo Deus Sodomæ, ac Gomorrhæ vrbes cremauit, manè ſurrexit, cunctaſque regiones illas ab igne vaſtatas aſpexit. *Abraham autem conſurgens manè, vbi ſteterat priùs cum Domino, intuitus eſt Sodomam, & Gomorrham, & vniuerſam terram regionis illius, viditque aſcendentem fauillam de terrâ, quaſi fornacis fumum.* Geneſ. 19. 27. Vt quid verò manè ad hoc intuendum Abraham ſurrexit, niſi quia eum ad id pietas, & charitas, quâ præditus erat, coëgit? Voluit ſcilicet crematis, & extinctis populis matutinam exhibere pietatem. *Ad iſtud intuendum,* inquit Dionyſ. Carthuſ. *exiuit Abraham*

Dion. Carth.

ex

Digitized by Google

ex piâ, & charitatiuâ ſolicitudine, atque compaſſione. Nouit Abraham defunctis matutinam exhibendam eſſe pietatem, quapropter manè ſurrexit, vt debitâ defunctis populis miſeratione compateretur.

Abner manè elatus.

3 Mortuum Abner ingēti pietate Dauid plorauit, ac celebri exequiarum pompâ ei parentās, ad ſepulchrum vſq; illius cadauer comitatus eſt, ibique defuncti laudes oratione funebri explicauit. Expletis autem exequijs, luctuque tranſacto, venit populus ad Dauid, vt vnà cum eo cibum caperet. At pius Rex, cùm adhuc dies clara eſſet, abſtinuit, & non niſi poſt Solis occaſum comedit. *Cùmque veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid clarâ adhuc die, iurauit Dauid, dicēs, Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi antè occaſum Solis guſtauero panem, vel aliud quicquam.* 2. Reg. 3. 35. Ex quibus infert Abul. funus Abner matutino tempore incœpiſſe, ac die adhuc vigente completum fuiſſe. Audiamus verba, quæ ſcribit quæſt. 22. in hunc locum. *Intelligendum, quòd cæremoniæ funeris Abner cœperunt* In Principio Diei, *& durauerunt vſque ad aliquantum tempus antè ſolis occaſum.* Statim oriente ſole, ac matutino adhuc tempore defuncti Abner funus duxerunt, eique præclarâ exequiarum ſolennitate debitam pietatem exhibuerunt.

Abulenſis.

Hectoris exequia manè celebrata.

4 Quin & Hectoris exequias matutino tempore à Troianis licet videre celebratas apud Homerum Iliade 24.

Homerus.

Quando autem MANE' genita apparuit roſeis digitis aurora,
Tunc circùm pyram inclyti Hectoris congregatus eſt populus.

Matutinum pietati defunctis exhibendę maximè tempus congruit, ideòque vix Aurorâ exoriente mortuo Hectori Troiani opportunâ pietate parentauerunt.

Militum cæſorum cadauera mane cremata.

5 Hoc eodem tempore militum in prælio cæſorum cadauera cremata fuiſſe, ac rogi flammis ex more honorata Silius tradit Italicus lib. 10. his verbis.

Silius Italic.

Poſt vbi fulſerunt PRIMIS Phaetontia frena
IGNIBVS, atque ſui terræ rediere colores,
Supponunt flammam, & manantia corpora tabo
Hoſtili tellure cremant.

Combuſtionis obſequium Aurorâ oriēte mortuis militibus impenderunt, nouerant quippè matutino tempore viuorum deberi pietatem defunctis.

Mane mortuorum corpora elata.

6 Hinc eſt, quòd manè mortuorum cadauera ſæpè legimus elata, vnde Callimachus in Anthologiâ lib. 3. cap. 23. ait.

Callimachus

Ἠῷοι Μελάνιππον ἐθάπτομεν, ἠελίου δὲ
Δυομένου Βασιλὼ κάτθανε παρθενική
Αὐτοχερί.

MANE' Menalippum ſepeliuimus, ſole verò
Occidente, Baſilo mortua eſt virgo
Suâ manu.

Theocritus.

Et Theocritus Idyll. 15. Adonidem manè refert elatum.

MANE' autē nos cū frequentes, dū ros eſt, foras
Efferemus ad vndas in littus excreantes:
Et ſolutis crinibus, & veſte ad talos demiſſâ,
Pectoribus apertis, canorum incipiemus cantum.

Adeò matutino tempore pietatem defunctis exhibendam eſſe cenſuerunt Gentiles, vt eorum cadauera tunc efferre conſueuerint, ac ſepulturæ mandare.

Aeneas primâ luce pietatem defuncto genitori exhibendam meditatur.

7 His addere placet ea, quæ habet Virgilius lib. 5. Aeneidos, pietatem commendans, quam Aeneas defuncti genitoris memoriæ anniuerſariâ celebritate impendit.

Poſtera cùm PRIMO ſtellas ORIENTE fugarat
Clara dies, ſocios in cœtum littore ab omni
Aduocat Aeneas, tumulique ex aggere fatur.

Virgilius.

Vide regium ducem primâ luce pietatis obſequia patri mortuo impendenda meditantem, & ad ea verbis opportunis, ac toto ſtudio ſocios hortantem. Matutino quippè tempore debent viui mortuis propinquis, & amicis impendere pietatem.

Veſpere Chriſtus ſepultus.

8 Sed iam tranſeamus à matutino ad veſpertinum, & probemus, non tantùm manè, ſed & veſpere mortuis deberi pietatem. Inſignis fuit pietas, quâ Ioſeph, & Nicodemus Chriſti cadauer pretioſis aromatibus perfuderunt, & Iudæorum odia contemnentes, in lapideo, ac nouo monumento ſepelierunt. *Acceperunt ergò corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire,* Ioan. 19. 40. At quando ſupremum iſtud pietatis obſequium defuncto magiſtro hi viri pij exhibuerunt? Profectò veſpertino tempore. *Et cùm iam ſerò eſſet factum, quia erat paraſceue, quod eſt antè Sabbatum, venit Ioſeph ab Arimathæâ nobis decurio.* Marc. 16. 42. Veſpertino tempore pietas eſt exhibenda defunctis, ideòq; Chriſtus veſpere à ſuis fuit, licet aliàs occultis, diſcipulis religiosè humatus. Do Bedam in catenâ in cap. 24. Lucæ ita loquentem. *Die paraſceue horâ nonâ ſpiritum tradens,* Vespere Sepultus, *manè prima Sabbati reſurrexit.* Horâ quidem nonâ expirauit, ſed non niſi veſpertinâ elatus fuit, ac ſepultus, nam veſpertino maximè tēpore ſunt pietatis obſequia mortuis exhibenda.

Beda.

Veſpere de cruce latronū corpora depoſita.

9 Cùm poſt Chriſti mortem Sabbati feſtiuitas immineret, rogauerunt Iudæi Pilatum, vt crucifixorum crura frangi iuberet, ac de patibulis cadauera deponi. Cùm autem eorum petitionem Pilatus exaudiſſet, latronum crura fregerunt. *Venerunt ergò milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo.* Ioan. 19. 32. Aduertit autem Simon Caſſianus, non eadem horâ crura fracta, & cadauera depoſita fuiſſe latronum, ſed illud circà meridiem, hoc verò ſerò, ac veſpertino tempore geſtū fuiſſe affirmat. Subdo eius verba, quæ habentur, lib. 13. in Euangelia c. 124. *Non eadem horâ, quâ crura ſunt fracta, eſt etiam depoſitio celebrata, ſed* Prorogata Serò, *quo magis decens erat damnatorum corpora ſepelire.* Decens, eſt vt mortuorum cadauera veſpertino tempore ſepeliantur, & idcircò ſuſpenſorum corpora de patibulis fuerunt

Simon Caſſianus.

ſerò depoſita, & debitâ pietate ſepulta.

Veſpertino tẽpore Gentiles defunctos humantes, & libamina pro eis effundẽtes

Athenæus.

10 Hùc videtur alluſiſſe Athenæus lib. 9. ca. vlt. cùm Athenienſium mores referẽs in exequijs mortuorum, eos dixit veſpere foſſam cauaſſe ſepulchri, & aquam circùm illam effudiſſe. *Cauanda foſſa erit ſepulchri* AD VESPERAM, *circùmque foſſam* AD VESPERAS *mox intuens, effunde aquam, dicens hæc, vobis lotionem, quibus oportet, & quibus fas. Poſt hæc rursùs vnguentum infunde.* Animaduerte, quâ pietate Gentiles quoque veſpertino tempore, & mortuos humauerint, & libamina pro eis effuderint.

Veſpillones dicti, quia veſpere mortuos efferebunt.

Suetonius.

Eutropius.

B. Petr. Dam.

Sidonius.

Feſtus.

11 Illud etiam in fine capitis adijciam, illos, qui cadauera efferebant mortuorum, appellatos fuiſſe Veſpillones, vndè Suetonius in Domitiano cap. 17. *Cadauer eius populari ſandapilâ* PER VESPILLONES *exportatum.* Eutropius lib. 7. PER VESPILLONES *exportatum, & ignobiliter eſt ſepultum.* Quin & ex ſacris authoribus B. Petrus Damianus Epiſtolâ 50. *Tanquam* VESPILLONVM *merces quini numorum ſolidi per quatuor altrinſecùs angulos in ſudario ſunt ligati*, & Sidonius Apollinaris lib. 2. Epiſtolâ 8. *Hanc tamen, ſi quis haud in caſſum honor cadaueribus impenditur, non* VESPILLONVM, *Sandapilariorumque miniſteria omi noſa tumulauere.* Cur verò cadauerum baiuli dicti ſunt Veſpillones, niſi quia veſpertino tempore illa efferebant, ac ſepulturæ mandabant? Ita docet Feſtus Pompeius. *Veſpæ, &* VESPILLONES *dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt, non à minutis illis volucribus, ſed quia* VESPERTINO TEMPORE *eos efferunt, qui funebri pompâ duci propter inopiam nequeunt.* Veſpertino tempore mortuorum cadauera efferebantur, eiſque ſuprema pietatis officia impendebantur. Si ergò hæc illis, quæ priori Capitis parte diximus, connectamus, quis non inferet matutinis, ac veſpertinis obſequijs mortuos eſſe honorandos?

CAPVT XVII.

Feſtiuis diebus pietate proſequendi ſunt defuncti.

Die feſtiuo Eliſæus mortuo pietatem impendit.

1 HOc etiam oſtendendum eſt, diebus feſtiuitate aliquâ conſpicuis viuorum pietatem deberi defunctis. Quod in primis ex pietate probare licet, quâ Eliſæus mulieris Sunamitidis filium ſuis precibus à morte ad vitam reuocauit. Hic namque Propheta, cùm ad cadauer profectus fuiſſet, clauſoque oſtio cubiculi, pro eius vitâ Dominum deprecatus eſſet, puero vitam reddidit, matremque reſurrectionis miraculo lætificauit. *Et ille vocauit Giezi, & dixit ei, Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata ingreſſa eſt ad eum. Qui ait tolle filium tuum.* 4. Reg. 4. 36. O' magnam viri Dei ergà defunctum pietatem, qui ad eum pergere, illumque ad vitam reuocare confeſtim decreuit. At quinam dies ille erat, quo tam egregiam mortuo puero propheta exhibuit pietatem? Tertullianus reſpondet illum diem Sabbati ſolennitate fuiſſe feſtiuũ.

Tertullianus

In quo die (Sabbati) ſi & Eliſæus Propheta Sunamitidis filium mortuum reſtituit in vitam, vides Phariſæe, tuque Marcion, olim Creatoris eſſe SABBATIS *benefacere?* Ita ille lib. 4. contrà Marcionem cap. 12. Quæ verba explicans Pamelius ait. *Potiùs videtur haberi contrarium hodie, quòd non in die Sabbati contigerit. Verùm videtur ſuo more accepiſſe Author ῖ, hoc eſt, Non, pro Nonnè, cùm dicitur, non Calendæ, & non Sabbatum. Ac ſi dicat, Quare hodie vadis ad eum, cùm ſit* ET NEOMENIA, ET SABBATVM, *quibus diebus proficiſci non licet.* Feſtiuis præcipuè diebus pietas debetur defunctis, ideóque Tertullianus cenſuit, die Sabbati puero defuncto Eliſęum ſuis precibus vitam fuiſſe præclarâ pietate largitum.

Pamelius.

Indecẽs erat cadauera diebus feſtiuis remanere inſepulta.

Lyranus.

2 Crucifixerat Pilatus Chriſtum, & vnà cum illo duos quoque latrones in crucis patibulo ſuſpenderat, Iudæi verò, quoniam Sabbati feſtiuitas imminebat, præſidem rogauerunt, vt ſuſpenſorum cruribus fractis, de cruce deponerentur, ac ſupremo pietatis officio ſepulchro mandarentur. Quod quidem eos egiſſe, ne remanerent in Cruce inſepulta cadauera Sabbato, ſacer ipſe textus affirmat. *Iudæi ergò, quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Ioan. 19. 31. Cur verò tantâ ſolicitudine curabant, ne Sabbato inſepulta remanerent cadauera ſuſpenſorum, niſi quia non decebat ſine ſepulturæ honore iacere abiectos tantæ ſolennitatis tempore defunctos? Hùc voco verba Lyrani. *Vt non remanerent in cruce corpora Sabbato,* ERAT ENIM HOC INDECENS IN TANTA SOLENNITATE. Dedecet abſque pietate diebus feſtiuis derelinquere defunctos, quapropter Iudæi noluerunt die Sabbati feſtiuitate conſpicuo in patibulis mortuos derelinquere inſepultos, ſed vt humarentur præſidem rogauerunt.

Dies feſtos profanat, qui mortuis pietatem non impendit.

Alb. Magnus

3 Addit Albertus Magnus, eumdem ſcripturę locum explicans, dies feſtos profanari, cùm ſine pietate crudeliter derelinquuntur defuncti, & idcircò ne Sabbati diem profanare viderentur, Pilatum pro ſuſpenſorum ſepulturâ orare Iudæi decreuerunt. *Erat magnus dies ille Sabbati, & ideò non erat licitum* ILLVM DIEM PROFANARE *horrore inſepultorum.* Dies feſtos profanat, qui debitam defunctis negligit impendere pietatem, ideòque nil mirum, quòd Iudæi, qui tantâ ſolicitudine feſtiuitates colere profitebantur, ſepulturam peterent cruci affixorum, ne illorum cadauera Sabbati die omittentes inſepulta, diem feſtiuum profanarent.

Feſtiuitates in luctũ vertuntur, cùm defunctis pietas non exhibetur.

4 Quin & illud addendum puto, quòd feſtiuitates in luctum vertuntur, cùm ſine pietatis obſequijs mortui derelinquuntur. Nadab, & Abiu alienum ignem temerè offerentes igne cœlitùs emiſſo Deus cremauit. Moyſes autem præcepit, vt eorum cadauera extrà caſtra confeſtim efferentur. *Voceatis autem Moyſes Miſaele, & Eliſa-*

phan

Digitized by Google

phan filijs Oziel patrui Aaron, ait ad eos, Ite, & tollite fratres veſtros de conſpectu ſanctuarij, & apportate extrà caſtra. Leuit. 10. 4. Quamobrem extrà caſtra cadauera horum defunctorum aſportari præcepit? Cur non potiùs ea ibi iacere permiſit, vt pœnâ peremptorum virorum cernentes à tranſgreſſione diuinorum mandatorum cauerent ſuperſtites? Ne lætitia turbaretur imminētis feſtiuitatis. Vertuntur feſtiuitates in luctum, cùm viuentes non miſerentur mortuorum, & idcircò iuſſit Moyſes vt cadauera è caſtris aſportata humarentur, ne iucunditas turbaretur feſtiuitatis. Accinit Dionyſius Carthuſianus. *Aſportate extrà caſtra ad locum, in quo honorificè ſepeliantur, ne ex eorum aſpectu iucunditas huius* Solennitatis, *in quâ pontifex, & ſacerdotes orſi ſunt exequi ſua officia*, In Luctum Vertatur. Vides in luctum feſtiuitates verti, cùm inſepulti iacent, ac ſine pietatis obſequijs derelinquuntur defuncti?

Dion. Carth.

Hebræi ſeruilia opera diebus feſtiuis pro mortuis exerceri permittunt.

Rabbi Moyſes

5 Hinc eſt quòd Hebræi, licet cuncta ſeruilia opera diebus feſtis excerceri prohibeant, ea tamen permittunt, quæ pro ſepulturâ fiunt mortuorum. Quamobrem Rabbi Moyſes filius Maymon in הלכות hæc habet. וביום שני תעשקו בו ישראל ועושין לו צרכים כגון עשיית חמטה ותפירת התכריכין וקציצת הבשמים וכל כיוצה בזה Die Festivitatis Secundo *laborabunt Iſraelitæ, & facient, quidquid pro mortui ſepulturâ neceſſarium erit, vt feretrum, ſudarium, aromata, & his ſimilia*. Diebus feſtiuis maxima debetur pietas defunctis, vndè his diebus ea, quæ pro mortuorum humatione ſunt neceſſaria, fieri permittunt, licet alias ob cauſas opera illa exerceri apud eos non poſſint.

Mulieres die Dominico Chriſto pietatem impendentes.

6 Dum Chriſti cadauer pretioſis aromatibus conditum ſepeliebatur à Ioſeph, & Nicodemo, ſedebāt mulieres contrà ſepulchrū, locum, in quo cōdebatur, diligenter obſeruabant? *Erat autē ibi Maria Magdalene, & altera Maria, ſedentes contrà ſepulchrum*. Matth. 27. 61. Rationem autem, cur ibi ſederent, eam fuiſſe ait Euthymius, vt Sabbato tranſacto, die Dominico pretioſâ vnctione Chriſto defuncto pietatem exhiberent. *Cùm eos, qui ſepeliebant, ſubſequi, & cum eis reuerti decreuiſſent, ſedebant ex aduerſo ſepulchri, aſpiciētes, vbi poneretur corpus, & quomodo poneretur, vt reuerſæ, paratis aromatibus, & vnguentis, venirent* Die Dominico, *& aromatibus, ac vnguentis illud vngerent*. Tam ſolerti diligentiâ ſepulchrum inſpiciebant, vt poſſent die Dominico defunctum præceptorem pijs, ac religioſis aromatum honorare ſtructuris. Quòd ſi expendamus tunc tranſacto Sabbato in Chriſti lege diem Dominicum euaſiſſe feſtiuum, quis non videt, diebus feſtiuis mortuis exhibendam eſſe pietatē?

Euthymius.

Pro Germanico luctus diebus feſtiuis.

7 Si verò Gentilium feſtiuitates conſideremus, in eis quoque pietatem defunctis exhibitā fuiſſe reperiemus. Sanè in Germanici funere publicus luctus diebus feſtis Decembris eſt celebratus, vndè Suetonius in Caligulâ cap. 6. ait. *Sed vt demùm fato functum palam factum eſt, non ſolatijs vllis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit, durauitque etiam* Per Festos Decembris Mensis Dies. Feſtiuis diebus defuncto Germanico pietatem Romani exhibuerunt, eumq; publico luctu, cunctis edictis contemptis, & ſolatijs, honorauerunt.

Suetonius.

Romani in funeribus imperatorum luctum feſtiuitati coniūgebant.

8 Faciunt etiam ad eamdem rem ea, quæ Romani in funeribus agebant Imperatorum, quos varijs honoribus, multiſque pietatis obſequijs decoratos tandem conſecrabant, atque in Deorum numerum, ſempiternam vt eis pararent memoriam, referebant. Narrat autem Herodianus lib. 4. tunc luctum fuiſſe totâ ciuitate feſtiuæ ſolennitati permixtum. *Mos eſt Romanis conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filijs, vel ſucceſſoribus moriuntur. Quique eo ſunt honore affecti, relati dicuntur in diuos. Eſt autem totâ vrbe quaſi luctus quidam* FESTAE CELEBRITATI PROMISCVVS. Feſtæ ſolennitati luctum pro defunctis Imperatoribus coniungebant, & feſtiuis diebus eis pietatem exhibebant.

Herodianus.

Idem contigit in funere filij Ptolomæi

9 Immani crudelitate Ptolomæus filium, quem Regem ab Alexandrinis creari metuebat, interfecit, interfectumque matri die natalis eius afferri præcepit. Filij autem cadauer vix hæc agnouit, ſtatimq; mœrorem natalis ſui feſtiuitati coniunxit, & multo ei luctu, ab epulis ad exequias tranſiens, parentauit. Audiamus Iuſtinum Hiſtoricum lib. 28. diſertis verbis rem narrantem. *Filium, quem ex eâ ſuſceperat, interficit, corpusque in membra diuiſum, & in ciſtâ impoſitū, matri die natalis eius inter epulas adferri curat. Quæ res, non reginæ tantùm, verùm etiam vniuerſæ ciuitati acerba, & luctuoſa fuit, tantumque moerorem* FESTIVISSIMO CONVIVIO *intulit, vt regia omnis repentino luctu incenderetur. Verſo igitur ſtudio principum ab epulis in exequias, membra lacerata populo oſtendunt, & quid ſperare de rege ſuo debeant, filij cæde demonſtrant*. En die feſtiuo luctum exhibitum, & Reginam die, quo diem natalem ſuum feſtâ ſolennitate celebrabat, mortuum filium piè lugentem.

Iuſtin. Hiſt.

Imperatores diebus feſtiuis cadauera de crucibus deponi iubentes.

10 Claudo caput, afferens id, quod narrat Philo Iudæus lib. in Flaccum, Imperatores videlicet conſueuiſſe, natalis ſui feſtiuitate imminente, ſepulturam concedere reis, ac iubere mortuorum cadauera in patibulis ſuſpenſa deponi, ac ſupremis officijs honorari. Cenſebant quippè diebus feſtiuis mortuos eſſe honorandos, ac præcipuâ pietate proſequendos. *Noui quoſdam iam crucifixos, inſtante* Tali Festo, *de cruce depoſitos, & ad ſepulturam ex more cognatis redditos, quandoquidem decebat vel ad mortuos redire aliquē fructum ex Imperatoris natalibus, ſimulque celebritati ſuum ſacrum honorem ſeruari*. Feſtis natalitijs diebus pios ergà mortuos ſe ſe oſtendebant Imperatores, agnoſcentes ipſi quoque, feſtiuis diebus pietate proſequendos eſſe defunctos.

Philo.

CAPVT XVIII.

Diebus, quibus conuiuia celebrantur, pietas mortuis debetur.

Mos cadauera, vel eorum imagines afferendi in cõuiuijs.

INitium Capitis duco ab antiquiſſimo more, quo conſueuerunt priſci Gentiles in conuiuijs, aut cadauer, aut laruas, ſeu imagines afferre defunctorum. Porrò Lucianus de luctu hæc habet, referens Ægyptiorum mores. *Muriâ condit Aegyptius. Atque hi quidem (rem à me viſam narro) deſiccatum cadauer* CONVIVAM, ET COMPOTOREM ADHIBENT. Plutarchus item in conuiuio ſeptem ſapientum. *Aegyptij* IN CONVIVIA *inferre ſolent ſceletrum, ideſt exſiccata hominis, atque inter ſe compacta oſſa.* Silius Italicus lib. 12.

Lucianus. *Plutarchus.* *Silius Italic.*

Aegyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & A MENSIS exanguem haud ſeparat vmbram.

Hunceque pium morem ſequuntur etiam nunc inter Chriſtianos nonnulli Religionis titulo Deo ſpecialiter dicati, qui, dum ad menſam accumbunt, hominis caluariam inter epulas apponunt. De ſimulachro verò mortuorum agit Petronius Arbiter in Satyrico. POTANTIBVS *ergò, & accuratiſſimas nobis lautitias mirãtibus, laruam argenteam attulit ſeruus*, & Ioannes Boëmus lib. 1. de moribus Gentium cap. 5. *Eorum cùm multi conuenerunt, & à coenâ diſceſſum eſt, circumfert aliquis in loculo mortuum è ligno factum, aut picturâ, & opere maximè imitantem, longitudine cubitali omninò, aut bicubitali, oſtendenſque ſingulis* CONVIVARVM, *ait, In hunc intuens pota, & oblectare, talis poſt mortem futurus.* Tali pietate conuiuiorum diebus mortuos proſequebantur, vt eos veluti conuiuas, & compotores ſecum admitterent, quò ſe ſe magis ad illorum miſerationem excitarent.

Petronius. *Io. Boemus.*

Iehu cõuiuij tempore cadauer Iezabel ſepeliri præcepit.

2 Sed ſacra iam adeamus, & Iehu nouiter in Regem vncti iuſtitiam expendamus, quâ impiã, ac maledictam Iezabel, quæ 101 prophetarum ſanguinem effuderat, è feneſtrâ præcipitari iuſſit, ac delictorum patratorum pœnas dare præcepit. *At ille dixit eis, præcipitate eam deorſum. Et præcipitauerunt eam, aſperſuſque eſt ſanguine paries, & equorũ vngulæ conculcauerunt eam.* 4. Reg. 9. 33. His peractis regiam aulam ingreſſus eſt, & paratum reperiens conuiuium, diſcubuit. Vix autem ad menſam accubuit, vt cibum ſumeret, ſtatimque defunctæ Iezabel recordatus, ſeruis ſuis iuſſit, vt eam ſepulturæ obſequijs honorarent. *Cùmque introgreſſus eſſet, vt comederet, biberetq; ait, Ite, & videte maledictam illam, & ſepelite eã.* 4. Reg 9. 34. Dubitari iurè poteſt, cur Iehu, qui Iezabel cadauer antequam aulam ingrederetur ſepulturæ mandari non iuſſerat, id introgreſſus iuberet. Cur qui eam permiſerat ab equorum vngulis conculcari, modò præcipit tantâ ſolicitudine humari? An inter epulas, & pocula diſcumbens conuiuij tempore defuncto cadaueri pietatem deberi exiſtimauit? Ita ſenſiſſe videtur Abulenſis in hunc locum quæſt. 32. *Rex Iehu deſiderans cibum non recordatus eſt dicere ſeruis ſuis, quòd ſepelirent Iezabel, quando deiecta eſt de turri, ſed* POSTQVAM COMEDIT, ET BIBIT, *recordatus eſt, & tunc dixit ſeruis ſuis, quòd ſepelirent eã.* Cùm aulam ingreſſus conuiuio vacauit, defunctæ Iezabel pietatem exhiberi ſepulturæ obſequio præcepit, nam tunc maximè debent viui miſereri mortuorum, cùm ſe oblectant dapibus conuiuiorum.

Abulenſis.

Tobias parato cõuiuio defuncti exequias honorat.

3 Feſtiuum Tobias parauerat conuiuium, vt annuæ celebritatis iucunditatem lautioris menſæ ferculis augeret. Cùm autem filius, quem, vt conuiuas inuitaret, ad propinquos miſerat, reuerſus fuiſſet, eique nunciaſſet, interfectum Iſraëlitam in plateâ iacere inſepultum, confeſtim à ferculis ad funera, ab epulis ad exequias, & à iucundis ad funebria tranſiuit. *Cùmque abijſſet, reuerſus nunciauit ei, vnum ex filus Iſrael iugulatum iacere in plateâ. Statimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus.* Tob. 2. 3. Quamobrem non diſtulit poſt conuiuium ſepulturam? Cur priùs conuiuas non excepit, & paratas iam dapes non comedit? Quare demùm menſæ iucunditatem cadaueris elatione funeſtauit? Quia die, quo conuiuiũ celebrabat, maximè debitam eſſe defunctis pietatem exiſtimabat, quam propterea non diſtulit, ſed inter ipſas epulas impendit. Præclarè D. Ambroſius lib. de Tobia cap. 1. DVM CONVIVA ACCERSITVR, *nũciatis inſepulti corporis reliquijs, cibum deſerebat, nec putauit pium, vt ipſe cibum ſumeret, cùm in publico corpus iaceret exanime.* Impium prorſus eſt diebus conuiuiorum obliuiſci mortuorum, vndè cùm Tobias conuiuium celebraret, mirâ celeritate ſepulturæ officio pietatem defuncto impendit.

D. Ambroſius

Herodes conuiuij tempore Ioanni defuncto ſepulturam concedit.

4 Quid? quòd Herodes ipſe conuiuij tempore defuncto Ioanni pietatem non negauit? Sanguine impius tyrannus maculauerat dapes, atque vt ſaltantem puellam remuneraret, Ioannis carceri tunc mancipati caput abſciderat. Quod vt diſcipuli eius agnouerunt, mortuo magiſtro exequiarum iuſta perſoluere cupientes, cadauer tulerunt, ſupremiſque ſepulturæ officijs honorauerunt. *Et accedentes diſcipuli eius tulerunt corpus, & ſepelierunt illud, & venientes nunciauerunt Ieſu.* Matth. 14. 12. Profectò hi pij diſcipuli, non niſi Herode aſſentiente, cadauer è carcere, vt ad ſepulchrum efferrent, aſportauerunt. Percontari ergò hic libet, cur Herodes adeò in Ioannẽ adhuc viuentem impius, vt innocentem, ac ſanctum, laſciuâ puellâ petente, decollauerit, poſt eius mortem impietatem deponat, eiuſque cadauer à diſcipulis humari permittat. Nonnè delicijs pœnas, poculis ſanguinem, & natali coniunxerat homicidium? Nonnè conuiuis carnifices, voluptatibus furores, & conuiuijs addiderat funera

nera

Digitized by Google

nera? Nonnè tandem triſtia lætis, ac feralia miſcuerat iucundis? Cur igitur omni barbariæ depoſitâ, vt diſcipulos defuncti Ioannis ad cadauer magiſtri accedentes vidit, vt obſequia ei præſtarent tantâ facilitate conceſſit? Quia conuiuium tunc celebrabat, ac diem feſtum ſui natalis ferculis, ac dapibus vnà cum primoribus Galilææ honorabat. *Et cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ.* Mar. 6. 21. Tempore ſcilicet cõuiuali non potuit Rex impius debitam defuncto negare pietatem. Hùc alluſiſſe videtur Ioannes Maldonatus in cap. 14. Matth.

Maldonatus. *Probabile eſt, petentibus diſcipulis corpus, ſpecie quadam humanitatis facilè conceſſum.* Inhumanus Rex humanitatis ſpeciem, dum ad menſam diſcumberet, mortuo exhibuit, eumque ſepulturæ honore donari permiſit, nam conuiuali tempore neque tyranni mortuis denegant pietatem.

Achilles diſcũbens Priamo Hectoris ſepulturã cõceſſit.

5 Quòd ſi à Rege, quem ſacræ proponunt hiſtoriæ, ad Regem tranſeamus, quem profanæ deſcribunt, quis Achillis iram ignorat, quâ in Hectorem exarſit ſibi dilecti Patrocli interfectorem. Hoc vnum Hector ab eo vulneratus, dum moriebatur, poſtulauit, vt ſuum canibus inſepultum non relinqueret cadauer, ſed illud parentibus cremandum, atque ad patriam reuehẽdum concederet. Hæc ſunt eius verba apud Homerum Iliad. 22.

Precor per animam, & amorẽ tuorumq; parẽtum,
Homerus. *Ne me ſine apud naues canes deuorare Achiuorũ,*
Sed tu quidem æsque ſufficienter, aurumq; ſuſcipe,
Dona, quæ tibi dabunt pater, & venerãda mater.
Corpus autem domum meum da retrò, vt igne me
Troiani, & Troianorum vxores ſortiãtur mortuũ.

Hæc cùm audiſſet Achilles, toruè illum intuitus, negauit ei hanc pietatem, eiuſque carnes poſt mortem canibus, auibuſque laniandas promiſit.

Neque ſi te ipſum auro liberari iuberet
Dardanides Priamus, neque ſic teque honoranda mater
Impoſita feretro lugebit, quem peperit ipſa,
Sed caneſque, & aues per omnia laniabunt.

Hæc quidem Achilles, vt Patrocli mortem vlciſceretur, Hectorem allocutus eſt morientem. Cæterùm ſenex Priamus filij mortem vberrimis lachrymis plorans, eique ſepulturæ honorem exhibere peroptans, ad caſtra hoſtium accedere, ac victorem Achillem pro filij exequijs rogare decreuit. Perrexit, & Achillem adeò pium inuenit, vt nedùm exequias mortuo conceſſerit, ſed inſuper eas præſentiâ ſuâ honorare voluerit.

Ipſe hunc Achilles lectis impoſuit eleuans.
Simul autem ſocij eleuauerũt bene politũ in currũ,
Gemuitq; poſteà, dilectum autem nominauit ſociũ.

Ita Homerus Iliade 24. Quamobrem Achilles, qui priùs adeò impius Hectoris cadauer auibus abijcere decreuerat, ac feris, vix verbis Priami auditis, ad pietatem conuertitur, & ipſe quoque vnà cum cæteris defuncto exequiarum iuſta perſoluit? Quia Priamus filij ſepulturam rogauit, cùm adhuc appoſitâ menſâ conuiuium cum reliquis exercitùs ducibus Achilles celebraret.

EDENS, ET BIBENS, adhuc, & adiacebat MENSA.
Hos autem latuit ingrediens Priamus magnus, propè autem ſtans
Manibus Achillis accepit genua, & oſculatus eſt manus.

Agnouit Achilles conuiuij tempore mortuis deberi pietatem, quare à Priamo rogatus de filij interfecti ſepulturâ, dum ad menſam accumberet, nedùm quidquid poſtulauerat conceſſit, ſed inſuper exequiarum pompam ſuâ præſentiâ, ſuiſque gemitibus honorauit.

6 His ea conſonant, quæ habet idem Homerus Iliade 7. Neſtoris conſilium referens, quo inter epulas eſt vſus. *Neſtor menſæ aſſidens cogitat mortuis exhibere pietatem.*

Sed poſtquam POTVS, ET CIBI deſiderium exemerunt,
His ſenex primus omnium cœpit texere conſilium *Homerus.*
Neſtor, cuius & antè optimum apparuerat conſilium

Verùm quodnam hoc fuit conſilium, quod in conuiuio Neſtor adhibuit? Conſilium reuehendi ad patriam interfectorum cadauera, ea comburendi, ac pro mortuorum manibus ſacrificandi.

Ipſi verò congregati aduehemus huc cadauera
Bobus, & mulis, & comburamus ea
Paulò longè antè naues, vt oſſa filijs quiſque
Domum ducat, quando iterum reuertemur in patriam terram.

Cùm cibo, & potu ſe reficiebat, & iucunditati conuiuij vacabat, de ſepulturâ, & honore mortuorum cogitauit, nam conuiuali tempore viuorum pietate proſequendi ſunt mortui.

7 Præcepit Deus Ieremiæ, ne domum ingrederetur conuiuij, deſolatio namque imminebat peruerſorum, quos nec poſt mortem lachrymarum effuſione honorari volebat. *Hæc enim dicit Dominus, Ne ingrediaris domum conuiuij, neque vadas ad plangendum, neque conſoleris eos, quia abſtuli pacem meam à populo iſto, dicit Dominus, miſericordiam, & miſerationes.* Ierem. 16. 5. Quid conuiuio cum luctu, vt ab ingreſſu in Domum cõuiuij arceret Deus Prophetam, ne mortuorum miſertus, eos lugeret? Acceſſum ad funera prohibere debebat, vt luctum remoueret, & non ad conuiuia. Sapienter tamen Prophetæ prohibuit acceſſum ad conuiuia, ne mortuos lugeret, nam adeò conuiuali tempore debita eſt mortuis miſeratio, vt non potuiſſet Propheta eorum non miſereri, eiſque pietatem non exhibere, ſi ad conuiuij domum acceſſiſſet. Audiamus Hugonem Cardinalem. *Ne ingrediaris domum conuiuij,* In CONVIVIIS *enim funebribus oporteret eum flere cum alijs.* Ita, cùm celebrantur conuiuia, eſt mortuis pietas exhibenda, vt ferè non poſſint conuiuia celebrari, & pietatis obſequia defunctis non exhiberi.

Ieremia, ne mortuos lugeret, ingreſſus prohibebatur in domum cõuiuij.

Hugo Card.

8 Hortatur Apoſtolus Paulus viduas, vt in vi-

dui-

Mariti conuiuij tempore vxoribus pietatem exhibentes.

duitatis ſtatu permaneant, nam ad ſecundas nuptias non tranſeuntes beatiores fore affirmat. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit, quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino, Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium.* 1. Cor. 7. 40. Cur beatior mulier dicitur, ſi ſola permaneat, quàm ſi nuptias cum ſecundo ineat marito? Verba placet afferre, quibus dubitationi reſpondet D. Ioannes Chryſoſtomus ſerm. 46. de diuerſis noui teſtamenti locis apud Nouarinum in hunc

D. Io. Chryſ.

locum. *Cohortamur autem, & conſulimus ad ſtabiliendam domûs ſecuritatem, ſæpè namque ſecundæ nuptiæ quotidianarum & pugnarum, & contentionum initium, & occaſionem attulerunt. Sanè multoties euenit, vt* Assidens Mensae *maritus, prioris vxoris recordatus, leniter fleat, at illa confeſtim excandeſcit, & tanquam fera inſilit, & ſuam illam amoris ab eo poenas exigit. Quòd ſi voluerit laudare defunctam, tùm contentionis, & pugnæ occaſio ex laudibus illius offertur.* Contentiones, ac lites iteratæ nuptiæ ſolent excitare, quatenùs coniux ſuperſtes defunctæ vxoris ad menſam recumbens meminit, eique luctu, ac laudibus parentat, quod cùm noua vxor ſuſtinere nequeat, indè contendendi occaſio promanat. Cur verò mariti defunctas, cùm diſcumbunt, plorant, & commendant vxores, niſi quia tempus conuiuiorum, tempus eſt, quo memoria eſt honoranda mortuorum?

Magdalena Chriſtũ vnxit ad honorem ſepulturæ, dum diſcũbebat.

9 Nouit hoc Magdalena, quæ cernens Chriſtum cum diſcipulis ſuis diſcumbentem. *Fecerunt autem ei coenam ibi.* Ioan. 12. 2. pretioſum accepit vnguentum, fractoque mirâ celeritate alabaſtro, proximam ſepulturam illius honorauit. *Maria ergò accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, & vnxit pedes Ieſu, & extersit pedes eius capillis ſuis, & domus impleta eſt ex odore vnguenti.* Ioan. 12. 3. Vides conuiuali tempore Chriſti exequias mulierem præuenientem, eiuſque ſepulturæ debitum honorem exhibentem? Opportunum videlicet pia fœmina tempus illud exiſtimauit, vt magiſtri ſepulchrum funebri vnctione honoraret, quo dapes erant diſpoſitæ, atque conuiuium inſtructum. Egregiè D. Auguſtinus lib. 50. Homiliarum, homiliâ 23. *Irruens, quaſi importuna* Convivio, *opportuna beneficio.* Opportunum pro ſepulchralis vnctionis beneficio tempus elegit, dum conuiuali tempore acceſſit, nam dum conuiuia celebrantur, pietatis obſequia defunctis debentur. Quod & Priamus agnouit, cùm à conuiuio ad efferendum Hectoris cadauer diſceſſit. De quo Seneca lib. 2. de Irâ ait. *Dignus fuit, cui permitteret à* Convivio *ad oſſa filij legenda diſcedere.* Tunc tempus exiſtimauit pietati defuncto filio exhibendæ congruum, cum inter conuiuij dapes, & pocula epulabatur, debent enim viui, cùm vacant conuiuijs, miſericordiæ obſequia impertire defunctis.

D. Auguſtinus.

Priamus à conuiuio ad ſepulturã diſceſſit.

Seneca.

Mulier defũcto, dum comederet, & biberet pietatem impẽdit.

10 Illud in fine capitis non cenſeo ſupprimendum, quod narrat D. Petrus Damianus Epiſtolâ 25. de quadam mulierculâ, quæ comedens, ac bibens, Domini ſui defuncti animam Deo commendabat, ac ſuis precibus è Purgatorij pœnis eripere, atque ad Cœli gaudia transferre ſtudebat. Piè ſcilicet, ac religioſè cenſuit, defuncti animam eſſe comeſtionis tempore ſuffragiorum obſequijs adiuuandam. *Mulier igitur* Cibo, Potuque Refecta, *mox lætitiâ cordis exultans, caput terræ proſtrauit, deindè ſe ſubrigens, ad Coelum manus extendit, & in vocem huius orationis erupit. Deus, inquit, omnipotens, qui das eſcam omni carni, ſicut caro mea refecta eſt hoc cibo corporeo, ita per miſericordiam tuam hodie & anima Domini mei ſatietur in Paradiſo.* Vt cibo, potuque refecta eſt, animæ defuncti Domini meminit, eiq; ſempiterna paradiſi gaudia precata eſt. Patet igitur, diebus, quibus conuiuia celebrantur, mortuis deberi pietatem.

D. Pet. Dam.

CAPVT XIX.

Vniuerſus populus defunctorum miſereri tenetur.

1 DE illis acturus, qui mortuis debent impendere pietatem, totum populum ad illius exhibitionem teneri, primò declaro. Aſcendit Aaron, iubente Domino, in montem Hor, ibique ſacerdotalibus indumentis nudatus, quibus Moyſes induit filium eius Eleazarum, mortuus eſt. Illius mortem vt Iſraëlitarum multitudo agnouit, vberrimis lachrymis plorauit, ac tam dilectum pontificem diuturno luctu honorauit. *Omnis autem multitudo, videns occubuiſſe Aaron, fleuit ſuper eo triginta diebus per cunctas familias ſuas.* Num. 20. 29. Aduertit autem Abulenſis, hunc luctum cum pompâ exequiarum fuiſſe coniunctum, atque à toto populo fuiſſe celebratum. Totvs Popvlvs *fleuit pro Aaron triginta diebus, faciendo honorabiles exequias.* Totus debet populus mortuis exhibere pietatem, vndè Aaron defunctum vniuerſus Iſraëlitarum populus luxit, & honorificis exequijs decorauit.

Totus populus Aarõ mortuum fleuit.

Abulenſis.

2 Hoc item ex eo patet, quod Abraham egit, cùm pro mortuâ vxore agrum, ac ſpeluncam emere voluit, rogauit namque populum Hethæũ, vt apud Ephron pro ſe intercederet, quatenùs ſibi agrum illum pro ſepulturâ coniugis venderet. *Intercedite pro me apud Ephron filium Seor, vt det mihi ſpeluncam duplicem, quam habet in extremâ parte agri ſui, pecuniâ dignâ tradat eam mihi coram vobis in poſſeſſionem ſepulchri.* Gen. 23. 9. Cur dũ ab Ephron agrum emere cupiebat, ipſum, vt agrum ſibi venderet, non rogauit? Nonnè ſimul cum Hethæis Ephron habitabat? Vtique dicitur. *Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth.* Gen. 23. 10. Quare igitur pro eo, quod obtinere optabat ab Ephron, eum immediatè non orauit? Quia preces totius populi pro ſepulchro mortuæ vxori concedendo adhibere voluit. Probè idem Abulenſis. *Non direxit petitionem*

Omnis Hethæorũ populus intercessor fuit pro ſepultura Saræ.

ſuam

Digitized by Google

Idem. *ſuam principaliter ad Ephron, ſed ad populum terræ, quia magis credebat preces* Totivs Popvli *valituras apud Ephron, quàm preces ſuas ſolùm.* Vt defunctæ vxori optatum ſepulchrum impetraret, vniuerſum Hethæorum populum apud Ephron interceſſorem habere voluit, agnoſcens totum populum fieri deberi pro mortuorum auxilio interceſſorem.

Samuel poſt mortē ab omni populo ploratus. 3 Confirmat hanc eamdem veritatem luctus, quem in morte Samuelis prophetæ vniuerſi egerunt Iſraëlitæ, qui congregati ſunt, vt eum plangerent, & exequiarum celebritate honorarent. *Mortuus eſt autem Samuel, & congregatus eſt vniuerſus Iſrael, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in domo ſuâ in Ramathâ.* 1. Reg. 25. 1. Vbi videre licet vniuerſum populum ad prophetæ defuncti exequias vnà congregatum. *Congregatus eſt*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *vniuerſus Iſrael, hoc eſt maiores* De Toto Popvlo. *Dion. Carth.* Totus populus defunctum Samuelem honorauit, & ad eius exequias vnà congregatus conuenit, quia totus debet populus pietatem impendere defunctis. Quod etiam teſtatur Abulenſis, inquiens. *Abulenſis.* Totvs Popvlvs *venit ad plangendum eum, hoc autem, quia erat vir honoratiſſimus, & princeps populi, ideò* Totvs Popvlvs *tenebatur ei ad honorem funeris.* Totus funus prophetæ comitari debebat populus, eique poſt mortem vniuerſalem tenebatur exhibere pietatem.

Viri Iabes cū omni populo Saul lugentes. 4 Quod præſtiterunt & viri Iabes Galaad, cùm Saul, eiuſque filiorum cadauera de Philiſthæorum muris ſuſtulerunt, atque ad propriam vrbem ſepelienda extulerunt. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntque Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni.* 1. Reg. 31. 12. Non in vrbe, ſed in nemore iuxtà morem tunc vigentem erant mortuorum corpora ſepelienda, adhuc tamen ad vrbem ea deferre voluerunt, vt vniuerſus populus exequias celebraret, ſuoque luctu defunctis principibus parentaret. Adeſt Ioſeph Hebræus apud Gloſſam in hunc locum. *Viri* *Ioſeph Hebr.* *Iabes* Cvm Omni Popvlo *flentes ſepelierunt corpora in optimo loco prouinciæ.* Vt totus populus Regem Saul, eiuſque filios mortuos lugeret, ad vrbem Iabenſes cadauera portauerunt, nam vniuerſali totius populi pietate ſemper ſunt mortui proſequendi.

Voluit Dauid, vt totus populus mortuum Abner lugeret. 5 Eamdem ob cauſam Dauid, non tantùm Abner à Ioab iniuſtè interfectum vberrimis lachrymis plorauit, ſed etiam eius feretrum ſecutus eſt, & cadauer vſque ad ſepulchrum eſt comitatus. *Porrò Rex Dauid ſequebatur feretrum.* 2. Reg. 3. 31. Vt quid enim tantâ pietate hoc egit, niſi vt populus vniuerſus Regis exemplum ſecutus, mortuum virum ſacco indutus lugeret, eique mœrore, lachrymis, ac precibus pietatem exhiberet? Audiendus idem Ioſeph Hebræus *Ioſeph Hebr.* lib. 7. Antiquit. Iudaic. cap. 1. *Edixit, vt* Totvs Popvlvs *defleret, ac lugeret virum, ac ſolennibus funeralibus ei parentaret, ſciſſis veſtibus, & ſacco indutus.* Non tantùm ſuâ, ſed & totius populi pietate honorare voluit Abner defunctum, & iccircò eum coram omnibus plorauit, plurimiſque alijs miſerationis obſequijs decorauit.

6 Hùc etiam ſpectauit, cùm præcepit Ioab, *Propter hoc præcepit lugeri ab omni populo, ut eū plorarent.* & Abiſai eius fratri, qui eumdem Abner dolosè interfecerant, vt exequias defuncti celebrarent, eumque ſciſſis veſtibus, ac ſaccis induti plorarēt. *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo, ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite antè exequias Abner.* 2. Reg. 3. 31. Non tantùm quippè amicis, ſed & hoſtibus, ac perſecutoribus Abner luctum edixit, ac pietatem in eius funere præcepit. Quam autem ob cauſam id egit? Quid poterat hoſtium ſimulata, & coacta pietas prodeſſe defuncto? Nonnè ſufficiebat, vt ipſe, vitique, qui ſecum erant, extinctum lugerent amicum? Cur ergò pręterea cogere voluit interfectores ad luctum? Multus erat cum Ioab, qui militiæ dux erat, populus, ideòque Dauid ei præcepit, vt lugeret Abner, quò defunctus amicus à populo vniuerſo præclarâ pietate lugeretur. Ita ſenſit Abulenſis quæſt. 32. in hunc locum. *Volebat Dauid honorificè ſepelire Abner, & funeralia celebriter agere, non erat* *Abulenſis.* *autem aliquis, qui honoraret ibi Abner, niſi Dauid, & viri ſui, &* Qvia Maior Pars Popvli Erat Cvm Ioab, *dixit ei Dauid, quòd ipſe, & populus, qui cum eo erat, plangerent. Si autem non ſuffiſſet eum, nec etiam populus, qui erat cum Ioab, planxiſſet.* Vniuerſus debet populus honorare defunctos, quapropter vt omnis Iſraëlitarum populus Abner pietatem exhiberet defuncto, eius quoque hoſtibus luctum, ac cætera, quæ mortuis impendi conſueuerunt, obſequia præcepit.

7 Nec ſanè fruſtratus eſt eo, quod optabat, *Totus populus funeri Abner pietatem impēdit.* nam cùm perueniſſet ad tumulum Abner, ibique vberioribus lachrymis eum plorans, epicediō illi caneret, omnis populus Regis verba congeminauit, & iterato luctu mortuo principi nouam pietatem exhibuit. *Congeminanſque omnis populus fleuit ſuper eum.* 2. Reg. 3. 34. Quę verba explicans idem Abulenſis, ait. *Abulenſis.* Totvs Popvlvs *congeminabat, id eſt repetebat verba Dauid, & flebat ſuper eum.* Vides totius populi pietatem, quâ defunctum plorauit, eique iterato luctu ſimul cum Rege parentauit?

8 Filiam ſuam Iephte, vt votum impleret, *Totus Iſraël anniuerſario luctu filiam Iephte defunctam plorauit.* interfecit, mos autem apud Iſraëlitas obtinuit, vt quolibet anno eorum virgines anniuerſario luctu illam plorarent. *Exindè mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniant in vnum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Iudic. 11. 40. Quærere autem hìc libet, vndè orta ſit hæc virginum conſuetudo? Nunquid aliquo Iſraëlitarum populus hunc anniuerſarium luctum præcepit ſtatuto? Ita ſenſit Caietanus. *Iuxtà Hebraum habetur, Et fuit ſtatutum in Iſrael.* *Caietanus.* Vniuerſus nimirùm populus Iſraël ſuâ voluit pietate virginem

hanc

hanc honorare defunctam. Subdo verba Abulenſis. *Voluit* TOTVS ISRAEL *honorare eum, magnum planctum anniuerſarium pro filiâ ſuâ celebrando, & credendum eſt, quòd in memoriâ huius puellæ magnum ſepulchrum, & venerabile factum ſit.* Iephte filiam defunctam vniuerſus Iſraëlitarum populus honorare voluit, ideóq; illam anniuerſarijs lachrymis à ſuis virginibus quotannis lugeri præcepit.

Abulenſis.

9 Poſtremo loco funus Lepolemi expendendum propono, quod funebri pompâ totum proſecutum fuiſſe populum, teſtatur Apuleius lib. 8. Metamorph. *Funus verò,* TOTO *feralem pompam proſequente* POPVLO, *deducitur ad ſepulturã.* Totus populus interfecti adoleſcentis cadauer comitatus eſt, eiuſque funus egregiâ pietate honorauit. Nam vniuerſus populus defunctorum miſereri tenetur.

Totus populus funus proſecutus eſt Lepolemi. Apuleius.

CAPVT XX.

Vrbium ciues debent mortuis exhibere pietatem.

1 Ciuitates mortuis debere pietatem ex eo in primis oſtendo, quòd cùm Abraham poſtulaſſet ab Ephron agrum, in quo mortuam ſepeliret vxorem, abſque pretio illum obtulit, quem tamen ipſe, non niſi numeratâ pecuniâ, recipere voluit. Verba verò, quibus allocutus eſt Ephron, coram vniuerſâ eius plebe prolata dicuntur. *Et locutus eſt ad Ephron circumſtante plebe eius, quæſo, vt audias me, dabo pecuniam pro agro, ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum in agro.* Gen. 23. 13. Quã ob cauſam Ephron agrum vendentem plebs vniuerſa circumſtabat? Nunquid omnes propria negotia omiſerant, vt agri venditioni adeſſent? Nequaquam, ſed vniuerſi vrbis illius ciues eò conuenerant, vt exequias mortuæ Saræ honorarent, eique pietatem ſolenni funere exhiberent. Do Lyranum ita hunc locum explicantem. OMNES DE CIVITATE *ab operibus ſuis ceſſauerant, vt ſepulturæ Saræ debitum honorem impenderent.* Vt mortuæ vxoris Abrahæ funeri vacarent, ab omnibus vacauerant ciues Hethæi, nã ſuâ debent pietate ciuitates honorare defunctos.

Ciuitas Hethæorum ab operibus vacauit, vt exequijs Saræ vacaret.

Lyranus.

2 Idipſum egerunt incolæ vrbis Hebron in funere Abner, nam completo fletu, & humato cadauere, vniuerſa multitudo cum Dauide reuerſa eſt, vt ad menſam feralem accumberet. *Cùmque veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid, clarâ adhuc die.* 2. Reg. 3. 35. Sed nunquid Rex omnibus Iſraëlitis conuiuium parauerat? Nunquid toti populo funereas exhibuerat dapes? Nunquid tandem cunctis ſubditis ſuis cibum protulerat, & potum? Minimè; ſed tantùm incolis ciuitatis Hebron, qui omnes ad exequias Abner conuenerant, funebre conuiuium, tanquam hoſpitibus parauit. Præiuit Abulenſis quæſt. 32. in hunc locum, *Quia tota gens* VRBIS HEBRON *conuenerat ad funera Abner, & iuit cum Dauid in domum ſuam, dicitur tota multitudo Iſrael iuiſſe cum Dauid.* Agnoſce ciuium Hebron pietatem ergà mortuum Abner, qui vt eius funus honorarent, propriam vrbem dereliquerunt, & omnes ad vrbem Dauid, vt defuncto parentarent, perrexerunt.

Tota Ciuitas Hebron conuenit ad exequias Abner.

Abulenſis.

3 Nec minorem ergà Saul, eiuſque filios defunctos pietatem ciues Iabenſes oſtenderunt, qui eorum cadauera è muris hoſtium turpiter pendentia ſuſtulerunt, & rogi flammis cremata honorificè ſepelierunt. *Quod cùm audiſſent habitatores Iabes Galaad, quæcumque fecerant Philiſthiim Saul, ſurrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan.* 1. Reg. 31. 11. Explicat autem Dionyſius Carthuſianus, quinam eſſent hi viri, dicens, eos fuiſſe habitatores vrbis, quæ in terrâ Galaad Iabes appellabatur. *Quod cùm audiſſent habitatores Iabes Galaad, ideſt* VRBIS *ſic nominatæ in terrâ Galaad trans Iordanem.* Opprobria defunctorum ſuſtinere non potuerunt ciues Iabeſitæ, ſed vt eis honorem ſepulturæ impenderent, mortis diſcrimini ſe obiecerunt, nam ciuitatum incolæ peculiarem tenentur mortuis exhibere pietatẽ.

Ciuitas vrbis Galaad Saul defũctis pietatem impendit. Dionyſ. Cart.

4 Mortuus eſt Samuel Propheta Domini, omniſq; mortem illius Iſraëlitarum cœtus plorauit. *Samuel autem mortuus eſt, planxitque eum omnis Iſrael, & ſepelierunt eum in Ramathâ vrbe ſuâ.* 1. Reg. 28. 3. Quo loco quærit Abulenſis quæſt. 7. quomodo omnes Iſraëlitæ plorauerint Samuelem. An totus populus Iſraël congregatus eſt in Ramathâ, vt exequijs Prophetæ intereſſet? An propria cuncti loca dereliquerunt, vt vnà conuenientes mortuum ſepelirent? An tandem ſenes, mulieres, pueri, omneſque cuiuſcumque conditionis perſonæ longa itinera, vt defuncto parentarent, ſuſceperunt? Non tanto labore ſuo Prophetæ Iſraëlitæ pietatem impenderunt, ſed omnes ſeorſim in proprijs vrbibus eum plorauerunt, ita vt quælibet ciuitas Iſraël peculiari luctu Samueli parentauerit defuncto. Hæc eſt ſententia Abulenſis. Cùm dicitur, quomodo totus Iſraël planxerit Samuelem, dicendum, quòd dupliciter poterat fieri. *Vno modo, quòd de omnibus locis Iſrael venirent aliqui in Ramathâ ad funera Samuelis, alio modo, quòd* IN QVALIBET VRBE *Iſrael fieret planctus ſpecialiter pro Samuele, tanquam pro parte populi, & hoc eſt ſatis conueniens, ſcilicet, quòd multi de optimatibus totius Iſrael venirent in Ramathâ ad funera Samuelis, deinde* PER SINGVLAS VRBES *ſpecialis planctus fieret pro eo.* Omnis Iſraël Samuelem defunctum plorauit, quia ſingulæ Iſraëlitarum vrbes ſingularem ergà eum plurimis obſequijs pietatem oſtenderũt.

Omnes ciuitates Iſraëlitarum Samuelem plorauerunt defunctum.

Abulenſis.

5 Hùc etiam ſpectat vox flebilis, quæ audita eſt in Rama, pio, ac multo luctu plorans defunctos. *Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Matth. 2. 18. Vbi aduertit

In ciuitate Rama innocẽtes defuncti plorati.

Albertus

Albertus Magnus.

Albertus Magnus Rama ciuitatem fuiſſe ad tribum Beniamin ſpectantem, quæ ſuo luctu iuſtos honorauit iniuſtâ morte interfectos. *Attende, quòd Rama eſt* Civitas *Saul in ſorte Beniamin*. Ciuitas fuit, quæ tantâ pietate defunctos honorauit, ad Ciuitates enim maximè pertinet ſingulari honorare pietate defunctos.

Propheta ſenex viri Dei cadauer ad ciuitatē trāſtulit, vt celebritate illū honoraret exequiarum.

6 Hinc Propheta ſenex, qui virū Dei à Leone in Itinere interfectū ſepeliuit, eius cadauer ad ſuam aſportauit ciuitatem. *Tulit ergò Propheta cadauer viri Dei, & poſuit illud ſuper aſinum, & reuerſus intulit in ciuitatem Prophetæ ſenis, vt plangerent eum.* 4. Reg. 13. 29. Vtique non erat vir Dei ſepeliendus in ciuitate, cùm tunc omnia cadauera extrà vrbes humarentur. Cur igitur ad ciuitatem eius cadauer ſenex propheta portauit? Cur non potiùs illud in eadem viâ, vel in proximo agro ſepeliuit? Vt mortuum virum maiori celebritate honoraret exequiarum. Adſtipulatur Abulenſis. *Ipſemet propheta duxit cadauer in ciuitatem ſuam, vt plangerent eum. Ad ſepeliendum non oportebat, quòd duceretur ad ciuitatem, quia ſepulchra non erant intrà ciuitatem, ſed extrà, vt tamen fieret ſolennitas funeris in plangendo,* Dvctvm Est Cadaver In Civitatem, *quia ibi fiebant iſtæ ſolemnitates.* In ciuitatibus funerum ſolennitate honorabantur mortui, vndè vt propheta virum Dei maiori exequiarum celebritate honeſtaret, ad ciuitatem eius corpus deduxit:

Abulenſis.

In funere Paulæ Palæſtinarum vrbium turba conuenit.

D. Hieronymus.

7 Sed & in funere Paulæ ciuitatum pietas claruit, cùm omnes Palęſtinæ vrbes ad eius exequias conuenerunt, multâq; illi pietate parentauerunt. Scribit hoc D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ. *Tota ad funus eius* Palaestinarvm Vrbivm *turba conuenit.* Vide quantâ pietate mortuam mulierem proſecutæ ſint vrbes Palæſtinæ, quarum populi omnes ad illius funus tantâ frequentiâ conuenerunt.

Magnum Cōſtantino defuncto vrbs Imperatoria pietatem impendit.

D. Gre. Naz.

8 Similem pietatem in funere Conſtantij vrbs imperatoria ei exhibuit, quæ tota illius cadaueri occurrit, ac præclarâ pietate honorauit. Teſtis eſt huius pietatis D. Greg. Nazianzenus Oratione 2. in Iulianum. *Vt autem magnæ, & imperatoriæ* Vrbi *propinquus fuit, quid totius exercitûs ſatellitium, & ſtipationem, ornatamque turmam imperatori, tanquam viuo commemorare attinet, aut* Praeclarae Civitatis *effuſionem omnium, quæ vnquam fuerunt, aut futuræ ſunt celeberrimam?* O' præclaram, & egregiam vrbis in ſuum Imperatorem defunctum pietatem, & dignam, quam cæterę orbis vrbes imitentur.

Imperatoribus defunctis munera ſuprema cunctę ciuitates afferebant.

Herodianus.

9 Non eſt hîc prætereunda pietas, quâ Imperatoribus Romanis defunctis vniuerſæ parentabant ciuitates, quæ vnà congregatæ certatim eis herbas, aromata, & ſuffimenta offerebant, quò maiori celebritate rogi flammæ arderent, ac defuncti cadauer cremarent. Subdo verba Herodiani lib. 4. *Neque gens eſt, neque* Civitas, *neque qui honore vllo, aut dignitate præcellat, quin certatim pro ſe quiſque ſuprema illa munera principis honori deferat.* Omnes ciuitates in eshibendo imperatorio funeri honore certabant, ac funerea munera defuncto principi præclarâ pietate offerebant.

Vrbs Ieroſolymæ pia in Ioſiam defunctam.

D. Hieronym.

10 Ioſiam defunctum, vulnere ab hoſtibus accepto, ad vrbem Ieruſalem Iſraëlitæ tranſtulerunt, ibique ingenti luctu in patrum ſepulchro eius cadauer condiderunt. *Aſportauerunt eum in Ieruſalem, mortuuſque eſt, & ſepultus in Mauſoleo patrum ſuorum, & vniuerſus Iuda, & Ieruſalem luxerunt eum.* 2. Paralip. 35. 24. Aduertit autem hîc D. Hieronymus in cap. 12. Zachariæ vrbis Ieroſolymæ in defunctum Regem pietatem, quæ tanto ei luctu parentauit, tantâ exequiarum pompâ eum plorauit, totq; obſequijs ei parentauit. *Eo tempore poſt reges peccatores ſpes omnis populi erat in Ioſia, & occiſo illo magnus planctus* In Vrbe *commotus eſt.* Magnam vrbes debent mortuis pietatem, quapropter vrbs Ieroſolymæ Regem ſuum multâ pietate plorauit, atque ingenti luctu eſt proſecuta.

Ciuitas in Hectorē mortuum pia.

Homerus.

11 Similem Hectori defuncto pietatem vrbs eius exhibuit, quæ cadaueri, quod ſenex pater ducebat, vniuerſa obuiauit, ingentique lachrymarum effuſione mortem illius plorauit. Quam pietatem deſcribens Homerus Iliade 24. ita loquitur.

Neque aliquis illic IN CIVITATE *relictus eſt vir,*
Neque mulier, omnes enim irretentibilis, occupauit luctus,
Propeque occurrerunt portas ducenti cadauer.

Vide vniuerſæ ciuitatis egregiam in defunctum pietatem.

Plurimarum vrbiū pietas in funeribus.

Euſ. Cęſar.

12 Quid ſingula proſequor? Nonnè Imperatoria Ciuitas magno dolore, ingentique lamentatione defunctum Conſtantinum plorauit? *Vt verò*, inquit Euſebius Cæſarienſis lib. 4. eius vitæ cap. 69. *Imperatorem vitâ functum eſſe Senatus, populuſque Romanus, ac tota imperatoria* Civitas *accepiſſet, cùm hac famâ nihil ſibi grauius, aut luctuoſius accidere poſſe exiſtimarent, nullum dolori, & lamentationi modum ſtatuebant, nam balnea clauſa, & fora, publica item ſpectacula ſummota.* Nonnè in Aegypto, defuncto aliquo, fœminæ per vrbem vagantes, plurima pietatis obſequia ei exhibebant. *Relicto*, inquit Herodotus lib. 2. *domi cadauere ipſæ* Per Vrbem *vagantes, ſe plangunt, ſuccinctæ.* Nonnè in funere Germanici plena vrbis itinera conſpiciebantur? *Plena* Vrbis *itinera*, inquit Cornelius Tacitus, *collucentes per campum Martis faces.* Nonnè in exequijs Lepolemi vniuerſa eſt ciuitas vacuata? *Confluunt*, ait Apuleius lib. 8. Metamorphoſeon, Civivm *moeſta caterua, ſequuntur obuij dolore ſociato,* Civitas Cvncta Vacvatvr *ſtudio viſionis.* Nonnè in Cannenſi clade totam vrbem luctus, quo milites plorabantur extincti, repleuit? *Adeò*, inquit Liuius lib. 22. Totam Vrbem *explent luctus, vt ſacrum anniuerſarium Cereris intermiſſum ſit.* Nonnè Romano Imperato-

Herodotus.

Corn. Tacit.

Apuleius.

Liuius.

re defuncto lachrymæ vrbē occupabant? *Eſt autem*, inquit Herodianus lib. 4. *totâ* VRBE *quaſi luctus quidam feſta ciuitati promiſcuus*. Nonnè tandem Alexander in Hephæſtionis funere vrbes reddidit propugnaculorum deiectione lugentes? *Propugnacula quoque*, ait Plutarchus in Pelopidâ, *murorum deiecit, vt* VRBES *ſpecie triſti, perindè ac animalia crinibus nudata lugere eum viderentur*. Quis ergò ex his non colliget Vrbium ciues debere mortuis exhibere pietatem?

Herodianus.

Plutarchus.

CAPVT XXI.

Pietas, quam familiæ mortuis debent, explicatur.

Tota familia Iacob Deboram plorauit defunctam.

1 VT familiarum pietatem mortuis debitam declarem, à luctu exordior, quo Deboram nutricem Rebeccæ in itinere defunctam Iacob plorauit. Qui luctus nomen loci, in quo ſepulta eſt, mutauit, ita vt in poſterum Quercus fletûs appellaretur. *Eodem tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercum, vocatumque eſt nomen loci illius Quercus fletûs*. Gen. 35. 8. Dubium hìc oritur, quomodo viri vnius lachrymæ loci mutare potuerint appellationem. Vtique, ſi quicumque mortuos lugeret, ſuis lachrymis nomen locis imponeret, omnia loca denominarentur à luctu. Quis enim, cùm defunctos propinquos, aut amicos extremo donat ſepulturæ officio, non luget? Non ex ſolis Iacob lachrymis nomen ſumpſit locus, ſed ex vniuerſæ illius familiæ luctu, quæ multâ pietate Deboram plorauit extinctam. Annuit Abulenſis. *Vocatumque eſt nomen loci illius, ſcilicet illius campi, in quo ſepulta eſt Debora, Quercus fletûs, quia ſub illâ quercu fleuit eam* TOTA FAMILIA IACOB, *cùm ſepeliretur*. Non ſolus Iacob, ſed vnà cum eo tota eius familia mortuam nutricem luxit, luctuque ſuo loci nomen mutauit, nam tota debet familia defunctis exhibere pietatem.

Abulenſis.

Iſraëlitæ Aaron per vniuerſas familias luxerũt.

2 Quod miro modo Iſraëlitæ declarauerunt, cùm Aaron in monte Hor Dei iuſſu vitam amiſit, nam omnis multitudo triginta diebus per vniuerſas familias ſuas eius mortem vberrimis lachrymis plorauit. *Omnis autem multitudo videns occubuiſſe Aaron, fleuit ſuper eo triginta diebus per cunctas familias ſuas*. Num. 21. 29. Vbi aduertit idem Abulenſis, populum vniuerſum ad ſui ſacerdotis exequias conuenire non potuiſſe, ideòque ſeorſim cunctas familias diuturnis lachrymis eum fleuiſſe. *Plorauit totus populus, & ſinguli* PER FAMILIAS SVAS, *ſcilicet, quòd non conueniebat totus populus ad plorandum ſimul, quia erat populus magnus valdè, ſed* SINGVLAE FAMILIAE *ſeorſim plorabant*. Debent familiæ multâ proſequi pietate defunctos, quapropter Aaron defunctum omnes Iſraëlitarum familiæ multis lachrymis plorauerunt.

Abulenſis.

Vt Samſonem ſepelirent Iſraelis familia conuenerunt.

3 Similem pietatem Samſoni mortuo in ædibus Philiſthæorum exhibitam agnoſcimus, cuius cadauer fratres eius cum vniuerſâ cognatione extulerunt, & patrio ſepulchro celebri exequiarum pompâ mandauerunt. *Deſcendentes autem fratres eius, & vniuerſa cognatio, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt inter Saraa, & Eſthaol, in ſepulchro patris ſui Manue*. Iud. 16. 31. Fratrum quippè nomine omnes illius cognati intelliguntur, cognatio autem vniuerſa cunctas Iſraëlitarum exprimit familias, quæ omnes ad eius funus conuenerunt, egregiâque pietate cadauer illius humauerunt. Ita cenſet Arias Montanus. *Funeris porrò exequias & fratrum, & cognatorum frequens turba proſecuta fuiſſe dicitur, namque horum huius rei præcipua cura ex more, officioque fuit. Fratres vero dicuntur, quicumque proximis gradibus coniuncti ſunt, cæteri verò, qui ad aliquam ex Nepotum Iſraelis* FAMILIIS *adnumerantur* בת אבי, *Domus patris eius, ſiue cognatio nominantur*. Singulari pietate vniuerſæ nepotum Iſraëlis familiæ Samſonis funus duxerunt, eiuſque cadauer ad patrium monumentum extulerunt.

Arias Mont.

Archiſynagogi familia in mortuã eius filiam pia.

4 Cùm turbas Chriſtus doceret, ac Phariſæos increparet, acceſſit ad eum Archiſynagogus, & humiliter ad eius genua prouolutus, illum rogauit, vt filiæ ſuæ defunctæ, accedens ad domum, in quâ iacebat cadauer, manumque ſuper illud imponẽs, vitã impertiri dignaretur. *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens, Domine filia mea modò defuncta eſt, ſed veni impone manum tuam ſuper eam, & viuet*. Matth. 9. 18. Hæc vt Chriſtus audiuit, confeſtim ſurrexit, & vnà cum diſcipulis ſuis ſecutus eſt rogantem. *Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius*. Matth. 9. 19. Miror, quòd cùm Chriſtus acri obiurgatione Regulum reprehendiſſet, eum rogantem, vt deſcenderet, ac ſanaret filium ſuum. *Dixit ergò Ieſus ad eum, Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis*. Ioan. 4. 48. hunc item non increpauerit Archiſynagogum, qui eum item orauit, vt ad ſuam accederet domum, defunctæ filiæ vt vitam largiretur? Nonnè vterque Chriſti corporalem præſentiam requiſiuit? Nonnè vterque ad domum ſuam eum deducere cogitauit? Cur ergò vtrumque non increpauit, ſed Regulum reprehendit, Archiſynagogum verò, celeriter eum ſequens, exaudiuit? Quia Regulus Chriſti aduentum ex modicâ fide cupiebat, non credens eum poſſe filium ſuum curare abſentem, Archiſynagogus autem, non ex fidei defectu, ſed vt familiæ ſuæ dolorem videret, ac preces pro mortuâ filiâ effuſas exaudiret, vt ad domum ſuam veniret, eum rogauit. Debemus hoc Alberto Magno in cap. 9. Matthæi. *Quare iſtum non increpauit, qui præſentiam corporalem quæſiuit, ſicut increpauit Regulum, dicens, Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis? Reſponſio ex circum-*

Albertus Magnus.

ſtan-

Digitized by Google

ſtantijs literæ dictis accipitur, quòd non tam duxit eum, quòd præſentiâ corporali crederet eum meliùs poſſe propinquè, quàm remotè, quàm vt oſtenderet ei dolorem, & deuotionem matris, & FAMILIAE *& ſic magis ad miſericordiam flecteretur, & ideò non reprehenditur.* Acchiſynagogi familia vniuerſa defunctam puellam plorabat, eique multam pietatem impendebat, & iccircò rogauit illle Chriſtum, vt ſecum veniret, quatenùs familię pietate, ac precibus faciliùs, ac celeriùs mortuæ filiæ vitam largiretur.

Ioſeph per familiam Pharaonis facultatem ab eo impetrauit transferendi paternum cadauer ad proprium ſepulchrum.

5 Quò ſpectauit & Ioſeph, cùm poſt ſui genitoris mortē luctûs tēpore expleto, vt eius cadauer ad terram Chananæorũ, vt ipſe moriens iuſſerat, transferret, ac in proprio monumento ſepeliret, familiam rogauit Pharaonis, vt ſibi à Rege facultatem eundi ſuâ interceſſione impetraret. *Et expleto planctûs tempore, locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis, Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis, eò quòd pater meus adiurauerit me, dicens, En morior, in ſepulchro meo, quod fodi mihi in terrâ Chanaan ſepelies me. Aſcendam igitur, & ſepeliam patrem meum, & reuertar.* Gen. 50. 4. Animaduerte Ioſeph, licet Regi valdè acceptum, familiam rogaſſe Pharaonis, vt ſibi eundi facultatem obtinerent, ac mortuo patri proprium ſepulchrum impetrarent, voluit nimirùm defunctum genitorem pietate quoque honorare familiæ Pharaonis. Appoſitè Abulenſis. *Nolebat Ioſeph rogare pro ſe immediatè, quia videretur ex paſſionali affectione hoc agere,* FAMILIA *autem Pharaonis poſſet ſuadere Regi, hoc eſſe rationabile, & ſic Rex conſentiret.* Precibus vſus eſt familiæ Pharaonis, quò facilius illud conſequeretur, quod in defuncti patris gratiam optabat.

Abulenſis.

Familia Iudæorum in Chriſti exequijs plorantes.

6 Iudæorum celebrem planctum deſcribit Zacharias, quo cunctæ familiæ ſeorsùm lugebunt, his verbis. *Et planget terra, familia, & familia ſeorsùm: familia domûs Dauid ſeorsùm, & mulieres eorum ſeorsùm, familia domûs Nathan ſeorsùm, & mulieres eorum ſeorsùm, familia domûs Leui ſeorsùm, & mulieres eorum ſeorsùm, familia Semei ſeorsùm, & mulieres eorum ſeorsùm, omnes familia reliquæ, familia, & familia ſeorsùm, & mulieres eorum ſeorsùm.* Zachar. 12. 11. At quid Iſraëlitarum familiæ tot lachrymis lugebunt? Chriſti paſſionem, ac mortem vaticinatus eſt Propheta, luctumq; prædixit, quem, videntes ſigna, quæ fiebant, in eius exequijs familiæ turbarum edituræ erant, nam tunc *Omnis turba eorum, qui aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.* Luc. 23. 48. Quia igitur in exequijs mortuorum familiæ lugere conſueuerant, ideò in Chriſti funere ploraturas dixit familias Iudæorum. Fauet Hugo Cardinalis in cap. 12. Zachariæ. *Poteſt exponi de paſſione Chriſti, quia Iudæi videntes ſe peccaſſe in morte Chriſti, & deſtructionem Ieruſalem ideò accidiſſe, planxerunt multùm aliqui ex eis, ſeorsùm homines, & ſeorsùm mulieres more Romanorũ, qui in exequijs mortuorum lugent hoc modo diuiſi* PER FAMILIAS *viri, & mulieres.* Familiarum pietas mortuis debetur, vndè in exequijs mortuorum lugebant, & multis eis lachrymis parentabant.

Hugo Card.

Imagines familiæ in funeribus præferebant mortuorum.

7 Ex hac pietate orta eſt conſuetudo, quâ in defunctorum funeribus familiæ maiorum imagines præferebant, vt videlicet maiori exequiæ ſolennitate ducerentur. De quo more Cornelius Tacitus lib. 3. Annalium. *Viginti clariſſimarum* FAMILIARVM *imagines antelatæ ſunt.* Et Plinius lib. 35. cap. 2. *Expreſſi cerâ vultus ſingulis diſponebantur armarijs, vt eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia, ſemperque defuncto aliquo totus aderat* FAMILIAE *eius, qui vnquam fuerat populus.* Vt maiori pompâ funera honeſtarent mortuorum, conſueuerant familiæ maiorum imagines præferre, quibus illorum exequias exornarent, & ſuam ergà eos pietatem declararent.

Corn. Tacit.

Plinius.

Familia laudationes mortuorum ſeruabant.

8 Alium etiam refert morem Cicero in Bruto, quo familiæ mortuorum ſuorum laudationes conſeruabant, vt magis apud ſe illorum memoria vigeret, quorum laudes in ſcrinijs exaratas habebant. *Extant mortuorum laudationes, ipſæ enim* FAMILIAE *ſua quaſi ornamenta, ac monumēta ſeruabant.* Vide, quâ pietate antiquæ Gentilium quoque familiæ ſuos proſequebantur defunctos.

Cicero.

Lepolemi familia mœſta ad eius funus conuenit.

9 Deſcribit etiam familiæ Lepolemi pietatem Apuleius lib. 8. Metamorphoſeon, quæ ad eum impiè interfectum cucurrit, eiuſque funus ducens, ingentibus pietatis obſequijs illius exequias honorauit. *Ad hunc modum defuncto iuuene, exciti latibulo ſuo quiſque,* FAMILIA MOESTA *concurrimus.* Mœſta familia conuenit, vt mortuo adoleſcenti exequias celebraret, ac ſuo luctu pietatem exhiberet.

Apuleius.

Aegyptiorum familia in ſuorum defunctorum funeribus pia.

Herodotus.

10 Capiti coronidem imponam, ſi miſerationis obſequia adiecero, quibus Aegyptiorum familiæ ſuis parentabant defunctis. Hæc deſcribit Herodotus lib. 2. his verbis. *Quibuſcumque aliquis ex domeſticis deceſſit, homo alicuius momenti, ibi omnes fœminæ illius* FAMILIAE *caput ſibi, & vultum oblinunt luto, deindè relicto domi cadauere, ipſæ per vrbem vagantes, ſe plangunt, ſuccinctæ, nudatis mammillis, & cum eis proxima quaque. Alterâ ex parte viri & ipſi expectorati ſe verberant.*

O'micam, & ingentem familiarum ergà ſuos defunctos miſerationem. Hæc igitur, ni fallor, pietas, quam familiæ mortuis debent, eſt ſufficienter explicata.

CAPVT XXII.

In Regnis, Prouincijs, Templis, Foris, & quibuſlibet locis pietas debetur defunctis.

Regnum Valentia bis celebrat in die commemorationis defunctorum ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ.

1 HÆc omnia Capite vno comprehendo, ac pro pietate, quam debent Regna defunctis, affero primo loco id, quod refert Ioannes de Lugo diſputat. 20. de Euchariſtiâ ſect. 1. Regnum Valentiæ in Hiſpaniâ priuilegium ab Apoſtolicâ ſede impetraſſe celebrãdi ſacrificium Miſſæ bis die Commemorationis defunctorum. Vt enim abundantioribus ſuffragijs Purgatorij animabus eâ die ſubueniant, nõ ſemel, ſed bis pro eis incruentum ſacrificium offerre, ſummo approbante Pontifice, conſueuerunt. *Priuilegium bis celebrandi in die commemorationis defunctorum ſecundâ Nouembris habent Sacerdotes ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ* IN REGNO *Valentiæ in Hiſpaniâ*. O' verè pium ergà Purgatorij animas regnum, quod iterato ſacrificio die illis ab Eccleſiâ dicatâ eas adiuuare, atque à pœnis, quas patiuntur, eripere, ſingulari fruens priuilegio, conatur.

Ioan. de Lugo

Regni Sinarũ pietas in Reges defunctos

2 Regni quoque Sinarum pietatem hìc apponere non grauabor, in quo tantâ miſeratione Regibus, ac Reginis parentatur extinctis, vt trienni luctu eorum exequiæ celebrentur, licet ex regiâ indulgentiâ tam diuturnus luctus ad menſtruum ſoleat reuocari ploratum. Hoc habet Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap. 7. *In Regis, aut Reginæ, quæ quidem legitima eſt, funere legitimum lugendi tempus etiam eſt trienne quaquauerſum patent* REGNI *fines. Sed nunc regiâ indulgentiâ, quæ publico edicto innoteſcit, pro menſibus dies computãtur, atque ita menſem vnum* REGNVM VNIVERSVM *mœrorem de Regis morte conceptum lugubri cultu profitetur.* Multâ debent pietate Regna honorare defunctos, quapropter totum Sinarum Regnum pio, ac diuturno luctu ſuos principes poſt mortem plorare conſueuit.

Nicolaus Trigautius.

In optimo loco prouinciæ Saul, eiuſque filij ſepulti.

3 Tranſeo à Regnis ad Prouincias, quæ item in pietate mortuis exhibendâ ſingulari debent fulgere diligentiâ. Poſtquam viri Iabes Galaad cadauera Saul, & filiorum eius è muris hoſtium extulerunt, & regio more honorificè cremauerunt, completis tandem exequijs, magnifico ſepulchro ea intulerunt. *Et tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes*. 1. Reg. 31. 13. Quòd ſi quæratur, vbi eſſet hoc nemus, & quem locum pro mortuorum iſtorum ſepulturâ hi viri elegerint, reſpondet Ioſeph Hebræus in Gloſsâ in optimo loco Prouinciæ defunctorum principium cadauera eos humaſſe. *Sepelierunt corpora in optimo loco* PROVINCIAE. Ex omnibus Prouinciæ locis optimum pro defunctorum ſepulturâ elegerunt, nam quò meliora ſunt Prouinciarum loco, eò maiorẽ debent mortuis impẽdere pietatẽ.

Ioſeph Hebr.

4 Agnoſcunt hoc & Gerrhi, qui mortuorum Regum cadauera per vniuerſas efferentes Prouincias, ibi varijs miſerationis obſequijs eos honorant. Quod narrat Alex. Sardus lib. 1. de Moribus Gentium cap. 24. his verbis. PER PROVINCIAS *cadauere delato, alijs auriculam, alijs crines præ mœrore ſibi tondentibus, & brachia ferientibus, frontem etiam, circumacto anno ad ſepulchrum quinquaginta interficiunt famulos ingenuos, quos totidem occiſis equis imponunt.* Barbara quidẽ pietas, ſed talis, vt ex eâ facilè colligere poſſimus, quãta miſeratio mortuis in Prouincijs debeatur.

Pietas prouinciarum ergà regẽ Gerrhorum poſt eius mortem.

Alex. ab Ale.

In templis Chriſtianorũ cadauera ſepulta.

5 Sed iam me templa vocant, in quibus peculiari defuncti ſunt pietate proſequendi. Sanè D. Gregor. Nazianzenus oratione 2. in Iulianum multam refert Imperatori Conſtantio in Apoſtolorum templo exhibitam pietatem. *Eum ſimul cum ijs, qui efferebant, ad ſepulchrum proſequebatur, nobileq; illud Apoſtolorum* FANVM, *qui ſacroſanctam ſobolem & ſuſceperunt, & cuſtodiunt, æquos propemodum honores, præmiaque carpentem. Ac talis fuit Imperatoris noſtri funus.* Funeris celebritate in templo omnium nobiliſſimo Defunctum Imperatorem honorauerunt, eiq; iuſta funebria ingenti pietate perſoluerunt. Pari pietate ad idem templum Conſtantini item Imperatoris cadauer extulerunt, de cuius elatione hæc ſcribit Euſebius Cæſarienſis in eius vitâ lib. 4. cap. 70. *Præibant turmatim militum cohortes, infinita hominum turba ſequebatur, Imperatoris funus haſtatis, & armatis militibus cingebatur; Vt verò ad Seruatoris noſtri* APOSTOLORVM AEDEM *ventum eſt, funus deponunt. Sic adoleſcens Conſtantius Imperator cùm præſentiâ ſuâ, tùm reliquis rebus tanto homine dignis omnia patri pietatis officia præſtabat.* In templo Apoſtolorum pius filius mortuum patrẽ honorauit, & Imperatori defuncto Imperator ſuperſtes Chriſtiano more parentauit. Digna eſt etiam, vt hìc recenſeatur pietas, quâ Herbipolenſis Antiſtes in maiori templo ſepelitur, de quâ hæc habet Ioannes Cuſpinianus apud Theatrum vitæ humanæ volum. 2. lib. 7. *Cadauer in maiori* ECCLESIA *D. Kiliano dicatâ conditur honorificè cũ inſigni pompâ funebri.* Pompâ funebri defuncto præſuli parentant, & in templo maiori præclaram ei pietatem impendunt.

D. Gregor. Nazianzen.

Euſeb. Cæſar.

Cuſpinianus

Gentiles in templis mortuis pietatem exhibentes.

6 Sed & Gentiles mortuis exhibuiſſe in templis pietatem, quamplurimi teſtantur Authores. Suetonius in Octauio cap. 100. ait cadauer eius in cuiuſq; oppidi baſilicis repoſitum. *Cùm interdiù* IN BASILICA *cuiuſque oppidi, vel in ædium ſacrorum maximâ reponeretur.* Heliodorus lib. 7 Aethiopicorum cap. 19. in morte Calaſiridis Idolorum Antiſtitis templum fuiſſe mœſtitiâ plenum tradit. *Quidam ex adituis prohibebat, & ablegabat, mœſtitiæ plenum eſſe* TEMPLVM *referens.* Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 2. ſcribit Panebios Regis defuncti caput in auguſtiſſimo templo ſeruare auratum. *Corpus quidem defodiunt, caput verò auratum* IN TEMPLO AVGVSTISSIMO *conſecrant*. Saitanos etiam refert eodem loco author idem in templo

Suetonius.

Heliodorus.

Alex. ab Ale.

Reges

Iuſtin. Hiſt.

Reges defunctos humare aſſuetos. *Saitanis, Reges, qui imperitarunt, intrà ſepta* Templi *ſepelire aſſuetum erat*. Iuſtinus tandem Hiſtoricus lib. 13 Alexandri cadauer in Hammonis templum ductum fuiſſe affirmat. *Iubetur Aridæus Rex corpus Alexandri in Hammonis* Templvm *deducere*. Vides, quantâ in templis pietate mortui ſint proſequendi?

Adoleſcentulum Naim in foro Chriſtus citò ſuſcitauit.

7 Venio ad fora, in quibus etiam defunctis pietas debetur. Ibat Ieſus cum diſcipulis ſuis ad Ciuitatem Naim, cùm autem ad portam vrbis perueniſſet, cadauer adoleſcentis reperit, quod Veſpillonum humeris efferebatur ad ſepulchrū. Vt autem ad feretrum accedens illud tetigit, defunctum confeſtim ad priſtinam vitam reuocauit. *Et acceſſit, & tetigit loculum, hi autem, qui portabant, ſteterunt, & ait, Adoleſcens tibi dico, ſurge, & reſedit, qui erat mortuus*. Luc. 7. 14. Obſeruanda hìc eſt celeritas, quâ Chriſtus huic adoleſcenti vitam impertiuit, nec enim expectauit, donec ad ſepulchrum efferretur, ſed ibi eum citò ſuſcitauit, vbi cadauer eius inuenit. Cur tam magnum, & glorioſum miraculum, à nemine rogatus, tantâ feſtinatione patrauit? Cur qui Lazarum, non niſi quatriduanum ſuſcitaturus erat, hunc iuuenem, dum adhuc efferebatur, nullâ interpoſitâ morâ, ſuſcitauit? Cur demùm iter, quo ad ciuitatem pergebat, interrupit, vt mortuum ab inferis excitaret, cui obuiauit? Quia eum propè portam Ciuitatis inuenit. In portis vrbium olim forum erat rerum venalium, vndè vt Chriſtus oſtenderet in foris pietatem exhibendam eſſe defunctis, mortuum, quem in foro inuenit, illicò, præſcindens omnem dilationem, ad vitam reuocauit. Non ſupprimo verba Cornelij à Lapide hùc tendentis. *Adde, in portâ eſſe ſolere turbam magnam hominum intrantium, & exeuntium, præſertim quia olim in portis erat* Forvm *rerum venalium, æquè ac tribunal, in quo lites, & cauſæ per iudices decidebantur. Dei nutu id factum eſt, vt viſo tanto miraculo, multi teſtes, multi fierent Dei laudatores*. Mortuis debetur pietas in foris, quare cùm Chriſtus mortuum iuxtà portam ciuitatis, vbi forum erat, inuenit, extemplò eum ad priſtinam vitam reuocauit.

Corn. à Lap.

Gentiles funera ducentes per forū.

8 Hanc veritatem agnouerunt & Gentiles, quapropter in foris plurimis pietatis obſequijs honorabant defunctos. Ducere nempè funus conſueuerant per forum, vndè Apuleius lib. 2. Metamorphoſeon ait. *Ecce iam ad vltimum defletus, atque conclamatus proceſſerat mortuus, ritu que patrio, vt pote vnus de optimatibus pompâ funeris publici ductabatur* Per Forvm. Alexander Sardus lib. 1. de moribus Gentium cap. 27. *Effertur ab ijs, qui mulſum anteà bibiſſent in funeſtâ domo* Per Forvm *extrà vrbem, vbi comburitur*. Plutarchus in quæſtionibus Romanis quæſt. 79. *Vt funeri* In Forvm Delato *fax ardens ſubijceretur, ſtatimque auferretur*. Honoribus in foris antiqui proſequebantur defunctos, quam ob cauſam ad illa eorum cadauera, priuſquam humarentur, efferebant.

Apuleius.

Alex. Sardus

Plutarchus.

Funebres laudationes in foris.

9 Vt autem ad forum peruenerant, funebri laudatione defunctos honorabant. Cuius rei plurima poſſunt afferri teſtimonia. Cicero in Oratore lib. 2. *Noſtræ laudationes, quibus* In Foro *vtimur, aut teſtimonij breuitatem habent nudam, atque inornatam, aut ſcribuntur ad funebrem orationem*. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 5. *Poſtero die atratus Bruti corpus* In Foro *propoſuit ſplendidè in lecto ornatum, populumque ad concionem conuocauit, & ſuggeſtu conſcenſo, in eius laudem habuit funebrem orationem*, & lib. 9. loquens de Appio, qui ſibi mortem conſciuerat. *Allato* In Forvm *cadauere, filius eius adijt Tribunos, & Conſules, petijtque, vt ſibi populum ad concionem legitimam conuocarent, ſibique in eâ more maiorum, & ex populi Romani conſuetudine patrem Oratione funebri, quæ in viros bonos haberi ſolet, ornare permitterent*. Plutarchus in Fabio. *Orationem, quam habent in clarorum virorum funere propinqui, ipſe* In Foro *dixit*. Alexander Sardus lib. 1. de moribus Gentium cap. 27. *Filij, vel propinqui, aut ſi ætate impedirentur, orator laudationem funebrem* In Foro *dicebat*. Ioannes Maria Cataneus in Epiſt. 1. lib. 2. Plinij. *Qualicumque functos vita ſine laudari* In Foro *inſtituerunt*. Nouerant priſci Gentiles, in foris pietatem deberi defunctis, quapropter ibi eos commendabant, eorumque virtutes plurimis laudibus extollebant.

Cicero.

Dion. Halic.

Plutarchus.

Alex. Sardus

Cataneus.

Cadauera ſepulta in foro.

10 Nec tantùm laudatos, ſed & in foris non ſemel reperio defunctos humatos. Plutarchus in quæſtionibus Romanis quæſt. 79. *Iis, qui res præclarè geſſiſſent, atque Imperatoribus hoc dederunt Romani, vt* In Foro *ſepelirentur, vt Valerio, & Fabricio*. Eutropius lib. 8. loquens de Traiano Imperatore. *Solus omnium Imperatorum intrà vrbem ſepultus eſt: Oſſa eius collocata in vrnâ aureâ* In Foro, *quod ædificauit ſibi, columnâ ibi poſitâ, ſunt*. Cornelius Tacitus lib. 2. Annalium. *Corpus antequam crematur, nudatum* In Foro *Antiochenſium, qui locus ſepulturæ deſtinabatur*. Habemus igitur, & deductos, & laudatos, & ſepultos in foris defunctos.

Plutarchus.

Eutropius.

Cornel. Tac.

Alia pietatis obſequia in foris mortuis exhibita.

11 Illud quoque obſeruandum cenſeo in foro apud Lacedæmonios in exequijs regum nihil vendi, ſed tunc paleis conſpergi. Quod ex Heraclide tradit Andreas Tiraquellus in lib. 3. dierum genialium cap. 7. Alexandri. *Tradit Heraclides in politicis, quòd Lacedæmonum Rege mortuo, per totum triduum nihil venditur, atque* Forvm Paleis Conspergitvr. Addo, non niſi funeris tempore forum frequentatum, vndè Diodorus Siculus lib. 1. cap. 3. *Cùm quis Regum deceſdit è vitâ, Aegyptij omnes mortem communi mœſtitiâ lugent, veſtes lacerant, templis clauſis,* Forvm Non Freqventant. Quin & extrà tempus exequiarum in defunctorum luctu forum claudebatur. Ita in funere Conſtantini geſtum fuiſſe, ſcribit Euſebius Cæſarienſis in eius vitâ

Tiraquellus.

Diodorus.

Euſeb. Cæſar. lib. 4. cap. 69. *Balnea clauſa*, ET FORA. Cùm verò vt funus ad illud efferretur aperiebatur, nemo, niſi depoſitâ pompâ, & lugubri veſte indutus ingrediebatur. Ouidius in Conſolatione ad Liuiam.

Ouidius.

Aſpicitur toto purpura nulla FORO

Forum enim ſufficienter cenſebant ornatum pópâ funebri mortuorum, ideòque alia cuncta ablegabant ornamenta. Quare Plinius lib. 2. Epiſtolâ 1. ait de Virginio Rufo. *Huius viri exequiæ magnum ornamentum principi, magnum ſæculo, magnum etiam* FORO, *& roſtris attulerunt*. Quis igitur hæc audiens, non fatebitur ingentem in foris eſſe defunctis exhibendam pietatē?

Plinius.

Iephte filiam defunctam in quolibet loco puellæ Iſrael plorabant.

12 Denique probo in quibuslibet locis mortuis impendendam eſſe pietatem, & anniuerſarium luctum expendo, quo filiam Iephte Iſraëlitarum adoleſcentulæ quotannis plorabant. Hæ igitur quolibet anno vnâ conueniebant, & defunctam virginem præclarâ pietate lugebant. *Exindè mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniant in vnum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor*. Iudic. 11. 40. Quærit hìc Abulenſis, quò puellæ iſtæ conuenerint, vt hunc adeo ſolennem, ac celebrem ederent luctum. Nunquid omnes Iſraëlitarum adoleſcentulæ ad huius virginis ſepulchrum, longa ſuſcipientes itinera eō uocabantur? Minimè, nec enim tam frequentia itinera Virginibus conueniebant, ſed in quolibet loco terræ Iſraël omnes illius loci puellæ congregabantur, & defunctæ Virgini ſuo luctu ſimul parentabant. *Debet intelligi, quòd conueniunt filiæ Iſrael in vnum, non de omnibus locis in vnum, ſed quòd virgines* CVIVSLIBET LOCI *congregabantur in vnum, & ibi plangebant, & ſic* IN QVOLIBET LOCO *terræ Iſrael plangebatur filia Iephte*. Hæc Abulenſis quæſt. 52. in locum allatum. In quolibet loco mortuis pietas debetur, quapropter filiam Iephte mortuam in quolibet loco Iſraëlitarum filiæ plorabant.

Abulenſis.

Samuel in quolibet loco poſt mortem ploratus.

13 Eodem pacto Samuelem Prophetam poſt eius mortem Hebræi plorauerunt. *Samuel autem mortuus eſt, planxitque eum omnis Iſrael, & ſepelierunt eum in Ramathâ vrbe ſuâ*. 1. Reg. 28. 3. Quomodo enim omnes defunctum prophetam fleuerunt, niſi quia in quibuslibet locis ingentem luctum pro illo ediderunt? Ita ſentit idem Abulenſis quæſt. 7. in hunc locum. *Per ſingulas vrbes ſpecialis planctus fiebat pro eo: ſic enim fit in gaudijs, quando celebranda ſunt feſtiua gaudia in natiuitate alicuius Domini regni, nam non conueniunt omnes ad locum natiuitatis ſuæ, ſed* IN QVIBVSLIBET LOCIS *ſpecialia gaudia celebrantur*. In quibuslibet locis Hebræi ſuâ pietate poſt mortem honorabant Samuelem, nam in quocumq; loco miſerationis obſequia mortuis impendere viui tenentur. Liquet igitur ex his omnibus in Capite hoc exaratis, in Regnis, Prouincijs, Templis, Foris, & quibuslibet locis pietatem deberi defunctis.

Idem.

CAPVT XXIII.

Ab vtriuſque ſexûs hominibus pietas impendenda eſt mortuis.

Puero Sunamitidis defuncto ab vtroque ſexu pietas exhibita.

1 NEc tantùm à viris, nec à ſolis mulieribus, ſed ab vtroq; hominū ſexu pietas debetur defunctis. Quod oſtendit Eliſæus, cùm ad eum Sunamitis mulier, vt ſuo filio defuncto iterùm vitam impetraret, acceſſit. Nam cùm eius pedes apprehendiſſet, ac extinctum filium plorans, pro eius vitâ rogaret, voluit Giezi prophetæ puer eam indè amouere, ſed Eliſæus hoc prohibuit, & mulierem ad ſuos pedes prouolutam manere permiſit. *Cùmq; veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius, & acceſſit Giezi, vt amoueret eam. Et ait homo Dei, dimitte illam, anima enim eius in amaritudine eſt*. 4. Reg. 4. 27. Cur qui cæteras mulieres à ſuis pedibus abijciebat, hanc iuxtà illos perſeuerare conceſſit? Cur à puero, qui reliquas amouebat, noluit hanc etiam amoueri? Vt & viri precibus, & mulieris lachrymis puero pietas exhiberetur defuncto. Ad rem Lyranus. *Vt non ſolùm per preces Eliſæi, ſed etiam per lachrymas matris impetraretur reſurrectio filij*. Vt ab vtroq; ſexu mortuo miſerationis obſequia impenderentur, mulierem iuxtà ſuos pedes plorantem perſeuerare permiſit, quatenùs viri preces cum mulieris lachrymis mortui reſurrectionem obtinerent.

Lyranus.

Archiſynagogus vnà cum matre reſurrectionem filiæ impetrauit.

2 Quò ſpectauit & Archiſynagogus, cùm rogauit Chriſtum, vt veniens, manum ſuam ſuper defunctam filiam imponeret, eamque ad vitam reuocaret. *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens, Domine filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet*. Matth. 9. 18. Nunquid non poterat Chriſtus etiam abſens mortuæ vitam largiri? Nunquid non poterat ſine cadaueris contactu extinctam viuificare puellam? Quare igitur eum rogauit, vt ſecum veniret? Audi reſpondentem Albertum Magnum. *Vt oſtenderet et deuotionem, & dolorem matris*. Non ſolus, ſed vnà cum matre pro extinctâ filiâ Chriſtum rogare volebat, vt hæc precibus adiuuaretur à parentibus vtriuſque ſexûs effuſis.

Albertus Magnus.

Viri Iabes vnà cum feminis Saul mortuum plorauerūt, & ieiunauerunt.

3 Hanc item firmant veritatem viri Iabes Galaad, qui cadauera Saul, filiorumque illius è muris hoſtilibus ſublata, ad propriam vrbem trāſtulerunt, ibique multâ exequiarum pompâ ea ſepelientes, ieiunio ſeptem dierum pietatem defunctis exhibuerunt. *Et tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt ſeptem diebus*. 1. Reg. 31. 13. Aduertit autem Ioſeph Hebræus apud Gloſſam in hunc locum, hoc ieiunium, cæteraque pietatis obſequia non ſolùm viros, ſed vnà cum eis etiam mulieres exhibuiſſe, vt videlicet ab vtroque ſexu principes honorarentur defuncti. *Ieiunium ſeptem dierum cum mulieribus, & infantibus ſuper eos celebrauerunt,* tun-

Ioſeph Hebr.

Digitized by Google

tundentes pectora, & lugentes Regem, & filios eius, nec cibum deſiderantes guſtare, nec potum. Simul cum viris mulieres pro defunctis ieiunauerunt, & alia ſuffragia eis impenderunt.

Viri, ac fœminæ Chriſtum mortuum lugentes.

4 Hùc etiam ſpectat luctus, quo Chriſtum defunctum Iſraëlitarum familiæ plorauerunt. Luxerunt enim non tantùm viri, ſed & mulieres, atque vterque ſexus lachrymis ſuis ei parentauit. *Et planget terra, familia, & familiæ ſeorsùm, familia domûs Dauid ſeorsùm, & mulieres eorum ſeorsùm, familia domûs Nathan ſeorsùm, & mulieres eorum ſeorsùm, familia domûs Leui ſeorsùm, & mulieres eorum ſeorsùm, familia Semei ſeorsùm, & mulieres eorum ſeorsùm.* Zachar. 12. 12. Vbi vides Chriſto mortuo & mares, & fœminas ex omnibus familijs ingenti luctu impendiſſe pietatem. Decebat quippè, vt qui pro cunctis mortuus fuerat, à cunctis lugeretur, eique vterque pietatem exhiberet ſexus, qui vtrumque venerat à culpis redimere ſexum. Rectè Arias Montanus. *Quæ ad huius luctûs rationem explicandam appellata ſunt nomina, eò pertinere videntur, vt Chriſti Ieroſolymis occiſi genus ad Dauidis domum referendum eſſe cognoſcatur, cuius mortem ea, quæ tempeſtate illâ, ex regio genere extarent familiæ, vt ſibi notiſſimi, & propter perſpectam virtutem, atque maximam cùm vitæ ſanctitatem, tùm doctrina miraculis probatæ authoritatem cariſſimi, & acceptiſſimi magno deſiderio, luctu, atque lachrymis proſecuturæ erant, id, quod factum eſſe Euangeliſtæ ſatis clarè ſignificauere, cùm plures,* Tv'm Viros, Tv'm Foeminas, *eaſque Galilæas, aliàs Mariæ ſorores dictas, triſti ſpectaculo affuiſſe eodem loco ſcribant, vbi de ſpectatorum luctu, & planctu mentionem faciunt.* Ingenti pietate viri, ac mulieres Chriſtum defunctum plorauerunt, & magno luctu ei vterque ſexus miſerationis obſequia poſt mortem impendit.

Arias Mont.

Famuli, ac famulæ cum Reſphâ cuſtodierunt cadauera eius filiorum.

5 Ab hac etiam re non eſt aliena pietas, quâ Reſpha cadauera filiorum ſuorum in patibulis à Gabaonitis affixa diù cuſtodiuit. Subſternens namque ſibi cilicium, iuxtà patibula die, ac nocte perſeuerauit, feras, & aues abigens, ne mortuorum carnes lacerarent. *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſuprà petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de Cælo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. 10. Hìc iuuat ſciſcitari, quomodo tam diuturno tempore potuerit hæc mulier cadauera ſeruare mortuorum. Nonnè aliquandò, vt neceſſarium ſumeret cibum, diſcumbebat? Nonnè interdum poſt diuturnas vigilias in obſequium naturæ ſomno indulgebat? Quo igitur tunc pacto ab auibus, ac feris cadauera illa tuebatur? Non ſola ibi morabatur, ſed ſecum famulos, ac famulas habebat, à quibus canes, & aues expellebantur, dum ipſa dormiebat, vel quippiam aliud agebat. Docet id Caietanus. *Ne ſis ita rudis, vt intelligas mulierem nobilem ſolam manſiſſe ibi, cuſtodiamque hanc exercuiſſe, ſed* Famvlas, Et Famvlos *ſecum habuiſſe.* Non famulas tantùm, ſed & famulos, vt mortuos tueretur, ſecum aſſumpſit, quatenùs ab vtroque ſexu diuturnâ cuſtodiâ pietas exhiberetur defunctis.

Caietanus.

In exequijs Ioſiæ vtriuſque ſexûs homines cecinerunt.

6 Pugnauit Ioſias contrà Nechao, & prælio inſtructo, lethaliter vulneratus à ſagittarijs occubuit. Honorificè autem ſepultum eſt eius cadauer in maiorum ſuorum mauſoleo, & vniuerſali tam pium regem luctu Iſraëlitæ omnes plorauerunt. Quod autem præcipuè in hoc luctu animaduertendum cenſeo, eſt cantus, quo cantores, & cantatrices lugubria canentes ei pietatem exhibebant. *Vniuerſus Iuda, & Ieruſalem luxerunt eum, Ieremias maximè, cuius omnes cantores, atque cantatrices vſque in præſentem diem lamentationes ſuper Ioſiam replicant, & quaſi lex obtinuit in Iſrael.* 2. Paralip. 35. 25. Obſerua, non tantùm cantores, ſed & cantatrices lugubri carmine laudes Regis ceciniſſe defuncti, vt ab vtriuſque ſexûs hominibus mortuo pietas exhiberetur. Appoſitè Dionyſius Carthuſianus. *Cantores, atque cantatrices, id eſt perſonæ* VTRIVSQVE SEXVS, *quæ carmina, & lamentationes factas à Ieremia decantant.* Vtriuſq; ſexûs homines pietatem debent impendere defunctis, vndè non tantùm cantores, ſed & cantatrices in exequijs cecinere Ioſiæ.

Dion. Carth.

In funeribus Imperatorũ vtriuſque ſexûs homines lugubria canentes.

7 Quinimò in Gentilium quoque hiſtorijs reperio vtriuſque ſexûs homines in exequijs lugubria ceciniſſe defunctorum. Vndè Suetonius in Octauio c. 100. *Cenſuerunt quidam funus triumphali portâ ducendum, præcedente Victoriâ, quæ eſt in curiâ, canentibus næniam principum liberis* VTRIVSQVE SEXVS. Et Herodianus lib. 4. de funeribus loquens Romanorum Imperatorum, ait. *Vtrimque gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinem extructi, in quibus alterâ ex parte puerorum chorus è nobiliſſimis, atque patricijs, alterâ fœminarum illuſtrium hymnos in defunctum, pæanaſq; canentium.* Nouerant etiam Gentiles ab vtroque ſexu pietatem deberi defunctis, quare vtrumque inducebant in ſuis funeribus canentem.

Suetonius.

Herodianus.

Ab vtroque ſexu funera ducta.

8 Mos etiam apud eoſdem obtinuit, vt homines vtriuſque ſexûs funera ducerent, & cadauera, dum efferebantur, comitarentur. Quare Demoſthenes refert hanc legem oratione aduersùs Macartatum. *Defuncto meus propoſito ſuo arbitratu, cadauer autem poſtridie, quàm propoſuerint, antè Solis exortum efferunto. Viri, cùm efferetur funus, antecedunto, mulieres ponè ſequuntur.* En cum viris mulieres funus ducentes, & ad ſepulchrum defunctorum cadauera comitantes. Hinc Dio de funere loquens Auguſti lib. 55. narrat, ductum illud fuiſſe ab equitibus, & coniugibus eorum. *Aderant ducendo funeri ſenatus,* EQVITESQVE CVM CONIVGIBVS. Plutarchus etiam in Numâ refert eum defunctum à viris, ac fœminis comitatum. *Reliqua multitudo mixtis fœminis, & pueris, non tanquam iuſtis aſſiſterent ſenis Regis, ſed quaſi efferret quiſque ex cariſſimis vnum in flore ætatis ſublatum, cuius deſiderio teneretur, ita cum eiulatu, & planctu ſecuti ſunt.* Alexander

Demoſthenes

Dio.

Plutarchus.

Digitized by Google

Alex. ab Alex.

xander item ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. Græcorum morem refert, quo fœminæ cum viris mortuorum exequias in candidâ veſte proſequuntur. *Apud Græcos* FOEMINAE, VIRIQVE *in candidâ veſte cum coronis ampliſſimi viri exequias proſequuntur, & velut in publico luctu complorant promiſcuè.* Plutarchus iterùm in Timoleonte, illius funus infinitam multitudinem virorum, ac mulierum comitatam fuiſſe teſtatur. *Comitata eſt funus,* VIRORVM, MVLIERVMQVE *infinita multitudo.* Quin & ex ſacris authoribus D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ refert ad eius funus monachos omnes, cunctaſque virgines fuiſſe congregatas. *Tota ad funus eius Palæſtinarum vrbium turba conuenit. Quem Monachorum iacentium in eremo cellula ſua tenuit? quam Virginum cubiculorum ſecreta texerunt?* Et viri, & mulieres funera ſequebantur, vt pietate vtriuſque ſexûs exequiæ honorarentur mortuorum.

Plutarchus.

D. Hieronym.

Ab vtroque ſexu mortui plorati.

9 In quibus exequijs item vterque ſexus plorabat. Quare de Neoptolemi ſepulturâ loquens Heliodorus lib. 3. Æthiopicorum cap. 8. ait. *Ploratum ſuſtulerunt* MVLIERES, ET VIRI, *inconditum clamorem ediderunt.* Bonfinius lib. 8. dec. 4. apud Theatrum vitæ humanæ volum. 3. lib. 9. exequias deſcribens Ioannis Coruini, hæc habet. *Ioannes Coruinus, qui ab omni periculo Pannoniam, Chriſtianamque Rempublicam liberauit, per vniuerſam Vngariam ab omni ætate,* AC VTROQVE SEXV *eſt diù publicè deploratus.* Alexander Sardus lib. 1. de moribus Gentium cap. 26. *Sequuntur parentes, vel capite obtecto filij inter amicos penulatos, matres, filiæ, vel vxores ſparſis crinibus cum fœminis lugentibus, repetentibuſque mortui nomen.* Vides quàm frequenter ab vtroq; ſexu mortui ſint plorati?

Heliodorus.

Bonfinius.

Alex. Sardus

Lacedæmonij vtrumque ſexum, vt pietatem defunctis impenderet, cogebant.

10 Quid? quòd cogebantur, ſi renuiſſent, viri, ac mulieres pietate proſequi defunctos? Sanè teſtatur hoc Gyraldus ſyntagmate de vario ſepeliendi ritu, ritus funebres referens Lacedæmoniorum. *Ex ſingulis domibus* MAS, ET FOEMINA *ſe ſe præ luctu, & lachrymis fœdabant. Quod ſi facere renuiſſent, grauibus pœnis mulctabantur.* Pœnarum grauitate vtrumque ſexum cogebant pietatem exhibere defunctis. Vndè etiam Alexander Sardus lib. 1. de moribus Gentium cap. 25. dixit. *Reges Lacedæmonios* MAS, ET FOEMINA *ex ſingulis domibus plorare coguntur.* Quod ab Herodoto deſumptum fuit lib. 6. qui ait. *Neceſſe eſt ex ſingulis domibus duos ingenuos,* MAREM, AC FOEMINAM *luctu fœdari, magnis pœnis, niſi hoc faxint, impoſitis.* Adeò quippè cenſebant ab vtroq; ſexu deberi pietatem defunctis, vt pœnis vtrumq; ad illam compellere voluerint pietatem. Conſtat igitur ex his, ab vtriuſq; ſexus hominibus pietatem impendendam eſſe mortuis.

Gyraldus.

Alex. Sardus.

Herodotus.

CAPVT XXIV.

Senes, ac iuuenes defunctorum miſereri tenentur.

1 QVemadmodum omnis ſexus, ita & omnis ætas pietatem debet exhibere defunctis, vndè Corippus lib. 3. apud Bulengerum libro. 3. de Imper. cap. 6. exequias Iuſtiniani deſcribens, dixit.

Omnis ætas pietatem debet exhibere defunctis.

OMNIS in exequias ſexus conuenit, ET AETAS,

Corippus.

Et Ouidius in Conſolatione ad Liuiam cecinit.

OMNIS ADEST AETAS, mœrent iuueneſq; ſeneſque

Auſoniæ matres, Auſoniæque nurus.

Ouidius.

Quin & Plutarchus in Philopœmenis funere ſenes ait luſiſſe cum pueris. *Vt verò* SENES FVERVNT CVM MVLIERIBVS, ET PVERIS COMMIXTI, *ibi comploratio per totum exercitum mœſſit ciuitatem, quæ illum deſiderabat; & eum caſum ferebat grauiter.* Omnis ætas pietatem debet exhibere defunctis, ita vt, & ſenes, & iuuenes pietatis obſequia eis impendere teneantur.

Plutarchus.

2 Vt verò à ſenibus incipiam, obſeruo Dauidem Abner defuncto multam exhibuiſſe pietatē, ita vt ad eius exequias ipſe quoque conuenerit, ac feretrum ſecutus cadauer ad ſepulchrum comitatus fuerit. *Porrò rex Dauid ſequebatur feretrum.* 2. Reg. 3. 31. Non ſolus autem has exequias eſt comitatus, ſed vnà cum ſenioribus pietatem ei exhibuit. Quod aduertit Ioſeph Hebræus lib. 7. Antiquit. Iudaic. cap. 1. his verbis. *Hoc modo exequias frequentari voluit, quas & ipſe* VNA CVM SENIORIBVS, *& præfectis deduxit, planctu, & lachrymis ſatis indicans, vel beneuolentiam ergà viuum, vel mœrorem ob defunctum.* Debent ſummâ pietate ſenes funera proſequi mortuorum, & idcircò Dauid vna cum ſenioribus Abner exequias celebrauit.

Dauid vnà cum ſeniorib. Abner mortuo pietatem impendit.

Ioſeph Hebr.

3 Non diſſimilem oſtenderunt in funere Iacob ſeniores Ægypti pietatem, qui vnà cum Ioſeph eius filio ad terram Chananæorum perrexerunt, ibique defuncti exequias ingenti luctu celebrauerunt. *Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domûs Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Ægypti.* Gen. 50. 7. Itineris adeò diuturni labores non timuerunt, ſed vt pietatem defuncto aduenæ impenderent, è propriâ regione diſceſſerunt. SENES, *& nobiles,* inquit Dionyſius Carthuſianus, *erant equeſtres, vel ſedebant in curribus, & ita iuerunt.* Iuerunt ſenes cum Ioſeph, vt eius patri iuſta funebria perſoluerent, & debitâ illius exequias pietate proſequerentur.

Senes Ægypti pietatem exhibuerunt Iacob defuncto.

Dion. Carth.

4 Admiranda fuit etiam pietas, quâ ſenex Priamus Herculis filij defuncti exequias celebrauit, dum ad hoſtium caſtra perrexit, Achillis genua apprehendit, & omnia contemnens vitæ pericula, pro interfecti ſepulturâ toto cordis affectu

Senex Priamus pro ſepulturâ rogauit filij defuncti.

Digitized by Google

ctu rogauit. Quam pietatem admiratus eſt & ipſe Achilles, vndè ſenilis miſertus ætatis, cadauer ei cremandum, & ſepeliendum conceſſit. Audiamus Homerum Iliade 24. ita loquentem.

Homerus.

Statim à ſolio ſurrexit: SENEM autem manu erexit,
Miſeratus canumque caput canamque barbam.

Tantâ pietate ſenex pater filium proſecutus eſt defunctum, vt ipſum quoque hoſtem ad miſerationis obſequia mouere potuerit, & filij cadauer ſibi concedere penè coëgerit.

Senex Propheta cum filijs iuuenibus cadauer ſepeliuit viri Dei.

5 Pergo, & pietatem recolo, quâ malus propheta cadauer viri Dei à Leone interfecti humauit. Cùm ergò hic mortem prophetæ à Deo miſſi cognouiſſet, confeſtim aſinum ſtrauit, atque ad locum pergens, vbi proiectum iacebat cadauer, illud tulit, ac ſuper aſinum imponens, ad vrbem, vt exequias celebraret, illudque ſepeliret, portauit. *Tulit ergò prophetes cadauer viri Dei, & poſuit illud ſuper aſinum, & reuerſus intulit in ciuitatem prophetæ ſenis, vt plangerent eum.* 3. Reg. 13. 29. Illud autem inſuper obſeruandum cenſeo, quòd cum eſſet iſte propheta ſenex, non ſolus ad hoc pietatis officium profectus eſt, ſed vnà cum filijs ſuis, qui iuuenes erant, perrexit, vt maiori poſſet facilitate cadauer aſportare defuncti. Adnotauit hoc Abulenſis quæſt. 34. in hunc locum. *Non ibat iſte propheta ſolus, ſed ipſe, & filij ſui, quia cùm ipſe eſſet* Senex, *non poſſet cōuenienter imponere cadauer ſuper aſinum, & ducere illud in ciuitatem, ſed fuerunt filij ſui, qui erant* Ivvenis *cum eo.* Senex pater defuncto pietatem exhibuit, & vnà cū illo iuuenes quoque filij ei miſericordiam impenderunt, vt nobis conſtaret, & ſenes, & iuuenes debere proſequi pietate defūctos.

Abulenſis.

Iuuenes cadauera ferebant mortuorum.

6 Et quidem iuuenes quoque pietatem debere defunctis, ex more colligere licet, quo in exequijs feretrum ferre ſolebant. Ad quem morem alluſit Ouidius in conſolatione ad Liuiam his carminibus.

Ouidius.

Cingor Apollineâ victricia tempora lauro,
Et ſenſi exequias funeris ipſe mei,
Decurſuſque virûm notos mihi, donaque regum
Cunctaque per titulos oppida lecta ſuos
Et quo me officio PORTAVERIT ILLA IVVENTVS,
Quæ fuit ante meum tam generoſa torum.

Herodianus.

Idem oſtendit Herodianus lib. 4. *Lectum humeris attollunt equeſtris, ſenatorijque ordinis nobiliſſimi, ac lectiſſimi* Ivvenes, *perque viam ſacram in vetus forum deferunt.* Plutarchus in Timoleonte.

Plutarchus.

Lecti ſuffragio Adolescentes *primarij feretrum ſubierunt, ſplendidèque ornatum per regiam Dionyſiorum tunc ſolo æquatam extulerunt.* Idem in Lucullo. *Mortuum perindè ac ſi in mediâ Reipublicæ, belliue adminiſtratione deceſſiſſet, dolens populus, concurſu facto, cùm eſſet corpus à nobiliſſimis* ADOLESCENTIBVS *in forum perlatum, in campū Martium efferre, ibique vt & Syllam ſepelire contendit.*

Dion. Halic.

Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 8. IVVENES *bellicis facinoribus clariſſimi eum in lecticâ ſuis humeris extulerunt.* Tantâ iuuenes pietate flagrare tenentur ergà defunctos, vt eos voluerint antiqui colla ſupponere feretris, in quibus cadauera efferebantur mortuorum.

Ioſeph Arimathæus iuuenis Chriſti cadauer ſepeliuit.

7 Nunquam ſatis laudatur pietas Ioſeph Arimathæi, qui audacter ad Pilatum ingreſſus, Chriſti cadauer ab eo poſtulauit, aromatibus illud condiuit, atq; in proprio, ac lapideo monumento humauit. *Et accepto corpore Ioſeph, inuoluit illud in ſindone mundâ, & poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petrâ.* Matth. 27. 59. Si quis verò curioſus inquirat, cuiuſnam ætatis eſſet vir iſte adeò pius, adeòq; in Euangelio commendatus, in promptu eſt reſponſio D. Cyrilli Alexandrini l. 12. in Ioannem cap. 40. qui eum iuuenem fuiſſe affirmat. *Accuſatur breui hic oratione Iudæorum rursùs impietas, cùm non fuiſſe abſque periculo monſtretur doctrinam Chriſti amplecti.* Probvs Enim Hic Ivvenis, *quamuis Chriſtum amaret, & diſciplinam eius legi anteponeret, latebat tamen, Iudæorum formidans minas, qui mortem in Chriſtum credentibus minitabantur.* Probus iuuenis fuit, qui ſepulturâ Chriſtum defunctum honorauit, proborum enim iuuenum eſt ſuâ honorare pietate defunctos.

D. Cyril. Ale.

Antilochus iuuenis ingenti luctu plorauit Patroclū defunctum.

8 Hùc ſpectauit Homerus Iliade 17. cùm Antilochum iuuenem in morte Patrocli magno luctu induxit plorantem, eique vberrimis lachrymis parentantem.

Homerus.

Sic dixit. Antilochus perculſus eſt, verbum vt audiuit.
Diù autem ipſum obmuteſcentia verborum corripuit, eiuſque oculi
Lachrymis impleti ſunt, IVVENILIS *autem eius hæſit vox.*

Nouerat pius adoleſcens, quantâ debeant iuuenes proſequi pietate defunctos, ideòque iuuenili fruens ætate multis lachrymis Patroclum plorauit extinctum. Cùm igitur pietas ergà mortuos & ſenectuti conueniat, & iuuentuti, reliquum eſt, vt ſenes, ac iuuenes defunctorum miſereri teneantur.

CAPVT XXV.

Imperatores, ac Reges mortuis debent exhibere pietatem.

Conſtantinus & Conſtantius Imperatores in mortuos pij.

1 QVantam debeant mortuis pietatem Imperatores, oſtendit in primis Alexander Monachus oratione de Inuentione ſanctæ Crucis apud Riccardum in primam orationē D. Procli, duos Imperatores Conſtantinum, & Conſtantium cōmendans, quorum primus Eccleſiam extruxit, in quâ Imperatorum, ac Sacerdotum cadauera conderentur, alter verò defuncti Patris corpus magnificâ pompâ extulit, & honorificè in eodem templo tumulauit. *Conſtantius Orientis Imperator acceptum patris cadauer, iuſtiſque* Imperatoriis *perſolutis, in edito loco condidit Conſtantinopoli in*

Ale. Monach.

templo

Digitized by Google

templo Apoſtolorum, vbi mater eius Helena ſepulta fuerat: in eum enim finem extruxerat Beatus Conſtantinus illam Eccleſiam, vt ibi imperatores, & ſacerdotes conderentur. Agnoſce vtriuſque Imperatoris præclaram pietatem, quorum alter templi ædificatione, alter verò funeris magnificentiâ religiosè, ac ſanctè honorauit memoriam defunctorum.

Imperator Nicolaum Patriarchã magnis honorib⁹ proſecutus.

2 Nec diſſimilis fuit pietas, quâ Nicolaum Patriarcham alius Imperator honorauit, qui, vt refert Ioannes Zonaras tom. 3. Annalium, magnificis eum honoribus extulit, ſuâque præſentiâ exequias illius honorauit. *Patriarcha Nicolaus, Eccleſiâ per annos viginti ſeptem gubernatâ, ſenex admodum deceſſit, cuius funus* IMPERATOR *magnificis honoribus proſecutus, alium in Patriarchico ſolio collocauit.* O' egregiam miſericordis Imperatoris pietatem, qui honorem ſibi peperit immortalem, dum tanto defunctum Patriarchã eſt proſecutus honore.

Io. Zonaras.

Imperatores funera ſequebantur, & pyras accendebant Imperatorum mortuorum.

3 Non debeo hîc omittere pompam, quâ Romani Imperatores poſt mortem honorabantur, atque peractâ exequiarum celebritate, in Deorum numerum referebantur. In quâ pompâ id, quod ad rem noſtram obſeruandum eſt, pietas eſt, quâ nouus Imperator defuncto parentabat, non tantùm enim cæteris in funere ducendo cum purpurâ imperatoriâ præibat, vndè Herodianus lib. 4. de funere Seueri dixit. *Præibant igitur p.incipes cum purpurâ* IMPERATORIA, *poſt ſequebantur Conſules, vrnam cum Seueri reliquijs geſtantes*, ſed & facem pyræ admouebat, ac rogi flammis cadauer cremabat. *Facem*, inquit idem Herodianus, *capit* IMPERII SVCCESSOR, *eamque tabernaculo admouet.* Noui dignitatem imperij à pietate in mortuum Imperatorem auſpicabantur, eiq; iuſta funebria magno miſerationis affectu perſoluebant.

Herodianus.

Adrianus Imperator Alcibiadem mortuum honorauit.

4 Nec etiam ſupprimenda videtur pietas Imperatoris Adriani, qui ſepulchrum Alcibiadis magnificè ornauit, & quotannis defuncto bouem immulari præcepit. Rem narrat Athenæus lib. 13. cap. 12. *Vidimus nos etiam Alcibiadis ſepulchrum in Meliſſâ, cùm ex Synadis in Metropolim proficiſceremur, vbi quotannis bos immolatur, cùm id optimus prorsùs* IMPERATOR *Adrianus imperaſſet, qui Alcibiadis imaginem etiam ſuper ſepulchro erexit ex Pario lapide.* Vides, quâ pietate ſepulchro, ſtatuâ, & anniuerſario ſacrificio defunctum proſecutus fuerit Imperator?

Athenæus.

Alij Imperatores in mortuos pij.

5 Nunquam ſcribendi finis eſſet, ſi omnes enumerare vellem Imperatores, qui mortuis pietatem impenderunt. Cæſar omnium primus epulum ferale in filiæ defunctæ memoriam conceſſit. *Munus*, inquit Suetonius in eius vitâ cap. 26. *populo, epulumque pronunciauit in filiæ memoriam, quod antè eum nemo.* Auguſtus Agrippam defunctum in vrbem aduexit, in foro collocauit, laudibuſque funebribus honorauit. *Simul ac de caſu Agrippæ cognouit*, ait Dio lib. 54. *properatò ex vrbe profectus, mortuum eum inuenit, corpus eius in vrbem aduexit, ac in foro propoſitum funebri laudatione decorauit.* Tiberius multorum exequias frequentauit. *Quorundam*, ſcribit Suetonius in eius vitâ cap. 32. *illuſtrium exequias vſque ad rogum frequentauit.* Antoninus multis ornamentis Alexandri ſepulchrum decorauit. *Vbi*, verba ſunt Herodiani lib. 4. *in vrbem iam peruenit, primò quidem templum ingreſſus eſt, multiſque victimis immolatis, ac thure cumulatis altaribus, ad Alexãdri monimentum ſe contulit, paludamentumque purpureum, & claris, ſpecioſiſque gemmis anulos conſpicuos, & ſi quæ alia geſtabat elegantiora, dempta ſibi, tùm illius impoſuit tumulo.* Omnes denique Imperatores ergà defunctos ſe ſe pios oſtenderũt, agnoſcentes talem pietatem imperatoriam ſemper decere maieſtatem.

Suetonius.

Dio.

Suetonius.

Herodianus.

Iulianus Imperator coactus honorare Conſtãtiũ defunctum.

6 Addo Imperatores ita debere ſe ſe oſtendere pios ergà mortuos, vt interdum à militibus coacti ſint hanc eis impendere pietatem. Sanè Iulianum Apoſtatam exercitus coëgit, vt Conſtantio iuſta perſolueret, eiuſque cadauer, diademate depoſito, ad templum, in quo ſepeliendũ erat, comitaretur. Subdo verba D. Gregorij Nazianzeni hoc referentis oratione 2. in Iulianum. *Exercitus vniuerſus, tametſi præſenti imperio cederet, maiorem tamen reuerentiam demortuo tribuens (quandoquidem recentibus adhuc calamitatibus maiorem quamdam beneuolentiam præ nobis ferre ſolemus) acriori amore inflammatus, miſerationeque motus, ac promdè cum* IMPERATORIIS *honoribus carere non ferens, Apoſtatam, vt eum ſuſcipiat, hortantur, mortuoque cum congruenti habitu, geſtuque obuiam prodire cogunt, hoc eſt vt diadematis ornamento à capite detracto, Imperatori ſe, vt decebat, ſubmitteret, & inflecteret.* Adeò defunctis debitam cenſebant ab Imperatoribus pietatem, vt eos interdum coëgerint miſericordiæ illis obſequia præſtare.

D. Greg. Naz.

Rex Dauid pius in Saul, cæteroſq; Iſraelitas defunctos.

7 Tranſeo ab Imperatoribus ad Reges, pro quorum pietate primus Dauid ſe ſe mihi offert, qui audiens mortuum fuiſſe Saul, ſuas apprehendit, ac lacerauit veſtes, & lachrymis effuſis, ieiunioque adhibito, diù eum plorauit. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſq; viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius.* 2. Reg. 1. 11. Expendendum hîc, Dauidem regiâ tunc dignitate fulſiſſe, atque à Samuele oleo ſacro fuiſſe perfuſum, cùm tam pio luctu Saul, cæteroſque plorauit defunctos, regium enim eſt mortuis exhibere pietatem. Hoc expendit Rupertus Abbas libr. 2. Reg. cap. 20. *Quis enim planxit?* REX *vnctus, electionis ſuæ non inſcius.* Ad reges pertinet miſerationis obſequia præſtare defunctis, ideòq; Dauid Rex iuſſu Dei vnctus ingenti pietate mortuos honorauit Iſraëlitas.

Rup. Abbas.

Regium luctũ populus imitatus eſt in funere Abner.

8 Nec minorem pietatem exhibuit in funere Abner, quem, vſque ad ſepulchrum cadauer ſciſsâ veſte comitatus, vberrimis lachrymis plorauit, funebri oratione laudauit, & iurato ieiunio decorauit.

Digitized by Google

corauit. Quæ cernens populus, luxit, & ipſe quoque ſuis lachrymis mortuo pietatem impendit. *Congeminanſque omnis populus, fleuit ſuper eū.* 2. Reg. 3. 34. Cur verò populus fleuit, niſi vt Regis pietatem imitaretur tam pio luctu defunctum amicum plorantis? Subſignat Abulenſis. *Fleuit Dauid ſuper tumulum Abner, fleuit & omnis populus, quia turpe putabant, quòd* REGE *flente, alij à fletibus temperarent.* Tot miſerationis obſequijs Dauid Rex proſecutus eſt Abner defunctū, vt populum puduerit regium non ſequi exemplū, & iccircò ſuum eius lachrymis voluerit coniungere luctum.

Abulenſis.

Rex Aeneas cæteris prior Miſeno defūcto pietatem exhibuit.

9 Similem apud profanum poëtam legimus pietatem, quâ Æneas defuncto Miſeno rogum extruxit, eius cadauer cremauit, illique ſepulchralia obſequia impendit. Ipſe namque inter cæteros primus ligna ſcindebat, pyram conſtruebat, & reliqua exequijs neceſſaria parabat. Audiamus Virgilium lib. 6. Æneidos.

Virgilius.

Itur in antiquam ſyluam, ſtabula alta ferarum,
Procumbunt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex,
Fraxineæque trabes cuneis, & fiſſile robur
Scinditur, aduoluunt ingentes montibus ornos.
Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur ſocios, paribuſque accingitur armis.

Cur Aeneas vilia hæc opera, ac ſi quiſpiam fuiſſet è gregarijs militibus, eſt aggreſſus? Cur non iubere contentus, primus ea peragere decreuit? Cur demùm ſecurim pro ſceptro accepit, ac ſuis manibus ſyluæ ligna præſcidit? Vt milites pietatem ſtuderent impendere mortuo, dum ſuum cernerent regem tantâ in eum pietate flagrantem. Adſtipulatur Donatus. *Vt non iam verba eſſent hortamenta, ſed facta, quis enim non faceret, quod faciebat &* REX? Suis militibus Rex Aeneas pietatis exemplum præbuit, dum cæteris prior extincto amico miſerationis obſequia impendit.

Donatus.

Rex Dauid iuit ad exequias mortuorum.

10 Ad Dauidem redeo, qui cùm ſeptem filios Saul Gabaonitis crucifigendos tradidiſſet, euſq; ſine ſepulturæ honore in montis vertice abiectos iacere cognouiſſet, eorum cadauera tulit, atque honorificè in patrio monumento humauit. *Et abijt Dauid, & tulit oſſa Saul, & oſſa Ionathæ filij eius à viris Iabes Galaad, qui furati fuerant ea de plateâ Bethſan, in quâ ſuſpenderant eos Philiſthym, cùm interfeciſſent Saul in Gelboe, & aſportauit indè oſſa Saul, & oſſa Ionathæ filij eius, & colligentes oſſa eorum, qui affixi fuerant, ſepelierunt ea cum oſſibus Saul, & Ionathæ filij eius.* 2. Reg. 21. 12. Notat autem hic Caietanus, Regem non miſiſſe, qui cadauera ſepelirent mortuorum, ſed ipſum profectum fuiſſe, illorumque humationi, ac exequijs aſtitiſſe, vt ſuâ eos pietate, ac præſentiâ honoraret. *Perſonaliter iuit* REX *ad tollendum oſſa Saulis, & Ionathæ, motus exemplo mulieris, non enim dicitur, & miſit Dauid, ſed dicitur, & iuit Dauid.* Spectat ad Reges proſequi pietate defunctos, vndè Rex Dauid ad mortuorum exequias non mittere, ſed ipſemet ire conſtituit.

Caietanus.

Statim ac agnouit cadauera eſſe inſepulta, ea humari curauit.

11 Neque obſtat huic Regis pietati diuturnitas temporis, quo ſuſpenſorum cadauera in patibulis inſepulta remanſerunt, nec enim hoc Regis iuſſu factum eſt, ſed ſatellitum errore, quē vt Rex agnouit, eos confeſtim ſepeliri curauit. Hæc fuit ſententia Rabbi Dauidis Kimchij, quā his verbis refert Abulenſis. REX *iuſſit de ſuſpenſione iſtorum, & putauit, quòd eodem die tollerentur ſecundùm legem, ideò nihil locutus eſt de ablatione, tunc enim audiuit Dauid de Reſpha, & ſciuit, quòd adhuc manebant cadauera in cruce, & fecit ea tolli.* Inſcio Rege ſine ſepulturæ honore tamdiù corpora iacuerunt defunctorum, nam ſi hoc agnouiſſet, profectò ſine pietate illa remanere non permiſiſſet.

Abulenſis.

Ionathas à Rege Dauide ſibi defuncto miſericordiā poſtulauit.

12 Illud quoque, antequam Dauidem relinquam, animaduertendum eſt, Ionatham eum rogaſſe, vt ſibi viuenti miſericordiam exhiberet, poſt mortem verò ſuam intuitu ſui poſteris familiæ ſuæ præmia largiretur. *Si vixero, facies mihi miſericordiam Domini, ſi verò mortuus fuero, non auferes miſericordiam tuam à domo meâ vſque in ſempiternum.* 1. Reg. 20. 15. Quod ſanè ab eo poſtulauit, quia Regem illum fore præuidit. Idque obſeruauit Dionyſius Carthuſianus. *Hæc locutus eſt Ionathas, quoniam firmiter credidit* REGNVM *eſſe transferendum à Saul ad Dauid.* Nouerat Ionathas Regum eſſe miſericordiam exhibere defunctis, ideòque vt Dauidem Regem futurum eſſe cognouit, ſtatim ſibi defuncto miſericordiam ab eo poſtulauit, vt videlicet ſui memoriam ſeruaret, ſuæque familiæ miſericordiam impertiret.

Dion. Carth.

Hethæi, cùm Abraham Regem appellauerunt, vt ſepeliret vxorē ei ſuaſerunt.

13 Quò ſpectauerunt etiam verba, quibus Hethæi allocuti ſunt Abraham poſt mortem vxoris eius. *Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuū.* Gen. 23. 6. Vbi ait idem Dionyſius Carthuſianus. *Alia litera habet,* REX *Dei es.* Quia honorauerunt Abraham, vt Regem, ei ſuaſerunt, vt in electis ſepulchris mortuæ vxoris cadauer humaret, nam valdè ad Reges pertinet proſequi pietate defunctos.

Idem.

Cùm Chriſtus Lazarū ſuſcitauit, Rex eſt appellatus.

14 Hinc eſt, quòd Chriſto Ieroſolymam ingredienti Hebræorum turba occurrit, & cum ramis palmarum, lætas voces extollens, obuiam proceſſit. *Acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, & clamabant, Hoſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael.* Ioan. 12. 13. Quo loco videre licet Ieroſolymorum turbam Chriſtum præclaris laudibus commendantem, eumque ſuum Regem miris præconijs appellantem. Cuius rei eam rationem affert Euangeliſta, quòd Lazaro vitam reſurrectionis miraculo fuiſſet largitus. *Propterea & obuiam venit ei turba, quia audierunt eum feciſſe hoc ſignū.* Ioan. 12. 18. Adeò ſcilicet ſpectat ad Reges pietatem exhibere defunctis, vt ſtatim Chriſtum Regem appellauerint, ac tanquam Regem honorauerint, cùm eū viderūt ergà Lazarū defūctū clementem. Adeſt idem Dionyſius Carthuſia-

nus.

nus. *Hæc turba, & illa fuerunt vna turba totalis, cuius partes turba dicuntur, quidam enim eorum, qui occurrerunt Chriſto, affuerunt, quando Lazarū ſuſcitauit, & alij non affuerunt, ſed ab illis hoc didicerunt, ſicque ſimul obuiauerunt Saluatori, tanquam excellentii viro, mirabili, potentique homini,* REGI, *Meſſiæ*. Tunc exiſtimauerunt Chriſtum Regem, cùm diuinâ virtute ſuſcitauit defunctum, agnoſcentes regium eſſe miſericordiæ obſequia præſtare defunctis. *Idem.*

Phariſæi Chriſtum interficere cogitauerũt, quia propter Lazari reſurrectionẽ eum populi tanquã regem habebãt.

15 Hæc Phariſæi cernentes, improbum cœtum congregauerunt, & Chriſtum interficere iniquo decreto ſtatuerunt. *Collegerunt ergò Pontifices, & Phariſæi conſilium, & dicebant, quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Ioan. 11. 47. At cur mortem infligere cogitant ei, qui mortuis vitam largitur? Cur non admirantur, ſed eius virtutem opprimere toto ſtudio conantur? Cur demum non honorare, ſed illum potiùs interficere decernunt? An ad id liuor eos cogebat, quo Chriſto inuidebant, quem poſt Lazari ſuſcitationem ab omnibus cernebant haberi vt Regem? Ita Ludolphus Carthuſianus in vitâ Chriſti par. 2. cap. 18. *Priùs quidem quærebant eum interficere, nunc autem ſententiam firmauerunt, & quærentes conſilium, apertè de morte eius tractauerunt, videbant enim Chriſtum à populo tanquam* REGEM *honorari*. Honorauerunt turbæ Chriſtū vt Regem, cùm eum viderunt mortuis vitam largientem, nam Regum eſt pietatem exhibere defunctis. *Ludol. Cart.*

Rex Sunamitidi in gratiā Eliſæi mortui prædia reddi præcepit.

16 Abierat mulier Sunamitis, vt famem vitaret, ad terram Philiſthæorum, poſt annos autem ſeptem reuertens, profecta eſt ad regem, eumque rogauit, vt ſuam domum, ſuoſq; ſibi agros reddi iuberet. Vt autem eam Rex interrogauit, cognouitque mulierem eſſe, cuius filium ſuſcitauerat Eliſæus, confeſtim omnia ei reddi præcepit. *Et interrogauit rex mulierem, quæ narrauit ei. Deditque ei rex eunuchum vnum, dicens, Reſtitue ei omnia, quæ ſua ſunt, & vniuerſos reditus agrorum à die, quâ reliquit terram, vſque ad præſens.* 4. Reg. 8. 6. Si autem quæratur, cur tantâ pietate ſit Rex mulieris miſertus, eique omnia conceſſerit, quæ petebat, reſpondet Caietanus hoc eum egiſſe in gratiam prophetæ, ita vt propter Eliſæum defunctum mulieri compaſſus fuerit viuenti. *Hinc coniectura fit, quòd fiſco applicata fuerant bona iſtius mulieris tanto tempore abſentis, vt pote habita pro derelictis. Et hoc fecit* REX *intuitu Eliſæi, ita quòd & mortuus Eliſæus profuerit huic mulieri*. Vide Regem ergà mortuum ita pium, vt eius intuitu bona, quæ ſuis reditibus applicata fuerant, reddi mulieri præceperit. *Caietanus.*

Hiſtoriarum profanarum Reges in mortuos pij.

17 Quòd ſi à ſacris ad profanas tranſire velimus hiſtorias, ex his quoque colligere licebit, ad Reges pertinere pietatem exhibitam defunctis. Profectò Suetonius in Nerone cap. 57. Parthorum Regem in mortuum Neronem clementiſſimum fuiſſe, atque vt eius memoria coleretur ab vniuerſis curauiſſe, oſtendit. *Vologeſus Parthorum* REX *miſſis ad ſenatum legatis de inſtaurandâ ſocietate hoc etiam magnoperè orauit, vt Neronis memoria coleretur*. Plutarchus in M. Antonio clementiam laudat plurium regum, qui corpus Antonij defuncti à Cæſare ſepeliendum, & regio funere honorandum petierunt. *M. Antonium triumuirum cæſum multis ducibus, ac* REGIBVS *ab Octauio petentibus funerare, nō ademit corpus Cæſar Cleopatræ, ſed illius manibus eſt humatus ſplendidè, &* REGALITER, *omniaque ei, quibus vti voluit, permiſit*. Idem poſt nonnulla ſubdit eumdem Cæſarem regaliter Cleopatræ cadauer apud Antonium condidiſſe. *Corpus condi apud Antonium ſplendidè, &* REGALITER *iuſſit*. Alexander tandem ab Alexandro lib. 7. dierum genialium cap. 3. Archelaum Macedoniæ Regem commendat, quòd Euripidem mortuum crinem tonſus pio luctu plorauerit. *Archelaus Macedoniæ* REX *Euripidem tragicum intimum familiarem crinem tonſus luxit*. Vide igitur, an regium ſit proſequi pietate defunctos, dum tot Reges certatim ſeſe in in eos pios oſtenderunt. Rectè igitur monuimus, debere Imperatores, ac Reges mortuis exhibere pietatem. *Suetonius.* *Alexãder ab Alexandro.*

CAPVT XXVI.

Principes miſericordiam defunctis impertire tenentur.

Principes loca, in quibus parentum cadauera ſeruabantur, ornabant, ac ditabant.

1 VEnio nunc ad Principes, quos debere pietatem impendere defunctis, colligo primò ex eo, quod ſcribit in Bibliothecâ veterum Patrum Goffridus Abbas lib. 5. Epiſtolâ 24. ſemper nimirùm, tùm in veteri, tùm in nouâ lege conſueuiſſe principes parentes honorare defunctos, & loca, in quibus eorum cadauera ſeruabantur, multis ornamentorum decorare generibus. *Olim & in veteri lege, & in nouâ religioſi, & omni laude, & memoriâ digni* PRINCIPES *extiterunt, qui loca, vbi patrum ſuorum corpora ſepulta ſciebant, ſemper carius diligentes, vt ea etiam vario ornamentorum genere decorarent, & multimodis poſſeſſionibus dilatarent, totâ intentione ſtudebant*. Adeò ergà mortuos parentes fuerunt principes pij, vt eorum intuitu loca ornauerint, ac ditauerint, in quibus condita cadauera illorum ſeruabantur. *Goffridus Abbas.*

Ioſeph. quia princeps erat, medicos habebat, qui cadauera cōdiebant mortuorum.

2 Huius pietatis egregium præſtitit exemplū Ioſeph, qui patrem cernens defunctum, poſtquā eum multis lachrymis fleuit, vultumq; illius in ſignum filialis amoris oſculatus fuit, ſeruis ſuis medicis præcepit, vt aromatibus pretioſis eius cadauer condirent. *Præcepitque ſeruis ſuis medicis, vt aromatibus condirent Patrem*. Geneſ. 50. 2. Dubitare hic licet, quinam eſſent hi medici, quos in domo ſuâ Ioſeph habebat, quibuſq; mandauit, vt paternum condirent cadauer. Ad medicos pertinet mortem arcere à viuis, non putredinem repellere à mortuis. Cur igitur mortuj

corpo-

Digitized by Google

corporis medicis cura mandatur? Appellantur hìc medici vnguentorum, ac pigmentorum confectores, quibus cura incumbebat condiendi cadauera defunctorum; his autem Ioſeph præcepit, vt vnguentis patris cadauer condirent. *Vocantur iſti*, inquit Abulenſis, *medici impropriè, quia medici ſunt qui curant de ſano, & ægro, corpus autem, quod mortuum eſt, quia nec ſanabile, nec ægrotabile eſt, exijt conſiderationem medicorum. Vocantur ergò magis pigmentarij, vel vnguentarij, qui talia conficiunt, quàm medici*. Pigmentarios Ioſeph habebat, quibus iuſſit, vt diligenter patrem curarent defunctum. Notandum eſt autem, hos pigmentarios appellari ſeruos Ioſeph, quia cùm eſſet princeps, in domo eius manebant, ſolebant namque principes tales adhibere medicos, qui cadauera ſeruarent mortuorum. Aptè Dionyſius Carthuſianus *Præcepit ſeruis ſuis medicis; Ioſeph quippè, vt moris eſt magnis* PRINCIPIBVS, *ſpeciales habuit medicos*. Cùm Ioſeph princeps eſſet, aromatarios, ac pigmentarios pro mortuis habebat, quia principum eſt curam gerere defunctorum, & homines habere, qui eorum iuſſu pietatem illis impendant.

Abulenſis.

Dion. Carth.

3 Quod innuere voluit Dauid, cùm in exequijs Abner iuſſit Ioab, vt veſtimenta ſcinderet, & ſaccó accinctus funus comitaretur, ac pio luctu ploraret. *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo, Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite antè exequias Abner*. 2. Reg. 3. 31. Quam ob cauſam, cùm Ioab interfeciſſet Abner, iuſſit ei, vt interfectum ploraret? Quare nedùm lachrymis amicorum, ſed etiam luctu voluit mortuum honorari hoſtium? Cur demum planctu non cōtentus, quem ipſe cum viris, qui ſecum erant, fundebat, plangere inſuper inimicum defuncti coëgit? Quia Ioab militiæ princeps erat, atque adeò peculiarem pietatem defunctis exhibere debebat. Do Abulenſem ita hunc locum explicantem. *Loquebatur Dauid ad Ioab, & ad reliquos de populo, vt pararent ſe ad exequias Abner, & dicitur ad populum eius, qui erat cum eo, id eſt cum Ioab, quia ipſe cùm eſſet* PRINCEPS *belli, totus exercitus ſequebatur eum*. Princeps Ioab erat, & iccircò mortuum Abner, licet hoſtem, plorare debebat, nam ſemper à principibus pietas exhibenda eſt defunctis.

Coactus fuit Ioab impendere pietatem Abner defuncto, quia princeps erat.

Abulenſis.

4 Hoc nouit princeps ille ſynagogæ, qui filiam ſuam cernens defunctam, ad Chriſtum acceſſit, eumque rogauit, vt ſuper illam manum imponens, iterum vitam ei largiretur. *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens, Domine filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet*. Matth. 9. 18. Vbi rectè aduertit Titus in catenâ, non aliquem ex vulgo, aut plebe Chriſto preces pro hac defunctâ obtuliſſe, ſed principem, ad principes enim maximè ſpectat pietatem impertire defunctis. *Acceſſit autem, non aliquis infirmorum, ſed* PRINCEPS *Synagogæ*. Principum eſt pietate proſequi defunctos, quare non vulgaris quiſpiam, ſed principis dignitate præfulgens ad Chriſtum acceſſit, vt pro mortuâ pueliâ oraret.

Princeps Synagogæ pietatem filiæ defunctæ impendit.

Titus.

5 Dixit Dauid Propheta principes populorū cum Deo Abraham fuiſſe congregatos. *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham*. Pſal. 46. 10. Quinam verò principes cum Deo Abraham ſunt congregati? Ioſeph, & Nicodemus, qui, reliquis abeuntibus, & præ timore fugientibus, diuinum Chriſti corpus aromatibus condierunt, atque in proprio monumento ſepelierunt. Ita cenſet Albertus Magnus in cap. 23. Lucæ. PRINCIPES *populorum congregati ſunt cum Deo Abraham, quia cæteris fugientibus, Ioſeph, & Nicodemus manſerunt, ſepulturæ Domini officium impendentes*. Principum eſt pietatem largiri defunctis, vndè in eo Ioſeph, & Nicodemus ſe ſe principes oſtenderunt, quòd Chriſtum mortuum tantâ pietate humauerunt.

Nicodemus, & Ioſeph, qui Chriſtum ſepelierūt, principes fuerūt.

Alb. Magn.

6 Firmat Hugo Cardinalis hæc eadem, expendens hos viros Chriſti quidem fuiſſe diſcipulos, ſed tamen propter Iudæorum metum occultos. *Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathæâ, eò quòd eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum*. Ioan. 19. 38. Et de Nicodemo ſubditur, eum ad Chriſtum nocte veniſſe, timebat quippè ad eum accedere, die adhuc luceſcente. *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è ſynagogâ non ejicerentur*. Io. 12. 42. Concludit ergò Ioſeph, & Nicodemum ex his principibus fuiſſe, qui Chriſtum viuentem palam confiteri timuerunt, mortuum verò multo cum honore ſepelierunt. *Occultus autem propter metum Iudæorum, hoc eſt, quod dicitur ſup. à, de* PRINCIPIBVS *multi credebant in eum, ſed propter Iudæos non confitebantur*. Ita Hugo in caput. 15. Ioannis. Principes fuerunt, qui ſuâ Chriſtum defunctum pietate honorauerunt, vt ex eo etiam pateret, principum eſſe mortuis exhibere pietatem.

Hi erāt principes ob Iudæorum metum Chriſtum palam confiteri non audētes.

Hugo Card.

7 Idipſum ex verbis deducere licet, quibus narrat idem Ioannes, Mariam Magdalenam veniſſe nocturno adhuc tempore, vt Chriſti cadauer vngeret, ad monumentum. *Vnâ autem Sabbati Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum*. Ioan. 20. 1. Cæteri Euangeliſtæ multas narrant ad Chriſti ſepulchrum cum aromatibus acceſſiſſe mulieres. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in primâ Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum*. Matth. 28. 1. *Et cùm tranſiſſet Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum* Marc. 16. 1. *Vnâ autem Sabbati valdè diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerant, aromata*. Luc. 24. 1. Cur igitur Ioannes vnam refert veniſſe ad ſepulchrum Magdalenam? Non cæteras Ioannes excluſit, ſed eas ſignificauit, dum ſolam Magdalenam nominauit.

Maria Magdalena, quæ tantâ pietate Chriſti ſepulchro aſtitit, princeps fuit.

Cùm enim Magdalena cæteris feruentior Chriſti ſepulchro aſſiſteret, reliquarum velùti princeps erat, ac propterea per eam ſolam omnes aliæ mulieres, quæ eum illâ erant, repræſentatæ fuerunt. Optimè D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 51. *Non diſcrepat Ioannes ab alijs, quòd ſolius Magdalenæ mentionem fecerit, cùm illi alias fuiſſe cum illâ aſſeuerent. Multò enim feruentior hæc cæteris fuerat, præcedebatque alias, eratque quaſi dux, &* PRINCEPS *aliarum*. Adeò ad peincipes pertinet pietatem exhibere defunctis, vt ſe principem oſtendat, qui talem pietatem exercet, vndè princeps appellari Magdalena meruit, quæ feruenti pietate ad Chriſti ſepulchrum properauit.

D. Cyril. Alex.

8 Non omittam hîc ea, quæ Abrahæ pro ſepulturâ vxoris defunctæ locum poſtulanti Hethæi dixerunt. *Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum.* Geneſ. 23. 6. Principem appellauerunt, quem tantâ pietate pro defunctâ coniuge orantem viderunt, nam principis meretur appellationem, qui ergà mortuos exercet pietatem. Appoſitè Abulenſis. *Princeps Dei es apud nos, ideſt tu inter nos es, quaſi quidam* PRINCEPS *datus à Deo, hunc honorem tibi dare debemus, ſcilicet quòd in electis ſepulchris noſtris ſepelias mortuum tuum.* Honorandus eſt vt princeps, qui defunctis pietatem impendit, actionem enim Principibus conuenientem exercet, qui ſuâ mortuos pietate adiuuare ſtudet.

Abraham honoratus eſt vt princeps, cùm defunctæ vxori pietatem impendit.

Abulenſis.

9 Et ſanè quodnam ex pietatis obſequijs, quę defunctis debentur, non eſt eis à principibus egregiâ pietate impenſum? Multos, vt hinc exordiar, inuenio funera ſecutos fuiſſe mortuorum, quod præcipuè colligo ex Ioſepho Hebræo lib. 1. de bello Iudaico cap. vltimo, qui ait Herodis cadauer, cùm ad caſtellum Herodion ſepeliendum efferretur, plurimos principes comitatos fuiſſe, ac vſque ad ſepulchrum non vulgari pietate deduxiſſe. *Cætera verò militum manus armata, ducesque ſuos, ordinumque* PRINCIPES *ſequebantur decenter.* Non grauati ſunt per ducenta ſtadia principes iſti cadauer comitari, agnoſcentes, mortuis pietatem à principibus deberi.

Principes cadauera ſequūtes mortuorū.

Ioſeph. Hebr.

10 Nec tantùm comitati ſunt, verùm etiam interdum extulerunt cadauera principes, quem profectò honorem Philopæmeni defuncto exhibuerunt, cuius vrnam prætoris filius Achæorum principibus vallatus efferebat. Narrat hoc in eius vitâ Plutarchus. *Videres coronis redimitos, videres eoſdem quoque lachrymantes, videres catenatos trahi hoſtes, ipſam vrnam præ uittarum, & coronarū numero conſpectui penè ademptam, quam prætoris Achæorum filius Polybius ferebat* PRINCIPIBUS *Achæorum cinctus.* Suis manibus vrnam principes extulerunt, & defuncti Regis cineres Veſpillonum munere fungentes ingenti pietate honorauerunt.

Cadauera à principibus elata.

Plutarchus.

11 Sed & aliquando in mortuorum funeribus principes cecinerunt. Et quidem præficas, quæ in mortuorum exequijs canebant lugubria, & ad fletum cæteros prouocabant, planctûs principes appellatas fuiſſe teſtatur Seruius in lib. 9. Æneid. ad illa verba. *Nec te tua funera mater. Apud maiores funeras dicebant eas, ad quas funus pertinet, vt ſororem, & matrem, nam præficæ ſunt planctûs* PRINCIPES. Et iterum in lib. 6. ad illa verba. *Et ferales ante cupreſſas* ait. *Reſpondens fletibus præficæ, ideſt* PRINCIPIS *plāctuum*. Adeò principibus fuit familiaris cantus in exequijs mortuorum, vt præficæ, quæ cæteris canendi modum tradebant, fletûs, & planctûs principes iurè ſint appellatæ. Hucque nonnulli ex vrbis ſenatoribus in Octauij morte ſpectauerunt, cùm in eius funere næniam à principum liberis cantandam cenſuerunt, vt ſcribit Suetonius in eius vitâ cap. 100. *Inter alia complura cenſuerunt quidam funus triumphali portâ ducendum, præcedente victoriâ, quæ eſt in curiâ, canentibus næniam* PRINCIPUM *liberis*. Vide, an principibus cantus conuenerit in funeribus, dum næniam ab eis cantandam eſſe in exequijs Octauij non pauci Senatores cenſuerunt.

Principes canentes in funeribus mortuorum.

Seruius.

Suetonius.

12 Tranſeo à cantu ad laudes, quas in exequijs mortuorum interdum principes dixerunt. Sanè hunc fuiſſe Romanorum principum morē tradit Henricus Boëthius lib. 6. apud Theatrum vitæ humanæ volum. 3. lib. 9. dum ait, Maximū legatum Britannię Eugenium Scotorum Regem à ſe victum, & cæſum more principum Romanorum funebribus laudibus extuliſſe. *Maximus legatus Britanniæ, Scotorum Regis Eugenij à ſe victi, cæſique funus magno ſumptu Romanorum* PRINCIPUM *more extulit, eumdemque pro concione, ſingularem ob virtutem, ac charitatem in patriam laudauit.* Tantam exhibebant mortuis Romani principes pietatem, vt eos funebri oratione commendare, ac ſummis laudibus extollere conſueuerint.

Mortui à principibus laudati.

Boethius.

13 Sacrificia quoque pro mortuis principes obtuliſſe diſco à Gyraldo ſyntagmate. 17. *Platæenſes manibus peremptorum ciuium dabāt inferias, tùm præcedente tibicine vehicula lauro, & myrto fuſea cum coronis ſequebantur, tùm lactis, vini, & olei libationes ſuccedebant, mox* PRINCEPS *indutus purpuram, ſeruis eiectis, taurum antè pyram immolabat, Iouemque, ac Mercurium deueneratus, eorum matres, qui pro patriâ occubuiſſent, ad cœna epulas conuocabat, cratere libans vinum, idque ſe defunctorum manibus propinare affirmabat.* Nedùm populi Platæenſes inferias pro mortuis dabant, ſed etiam eorum peincipes pio ſuffragio ſacrificia pro eis offerebant. Quod innuit etiam Virgilius lib. 5. Æneidos, dum Helymum induxit vna cum cum Ænea mortuo Anchiſæ parentantem.

Principes pro defunctis ſacrificia obtulerunt.

Gyraldus.

Sic fatus, velat maternâ tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc æui maturus Aceſtes
Hoc puer Aſcanius, ſequitur quos cætera pubes.

Virgilius.

Hunc autem Helymum Seruius ait principem fuiſſe Troianorum. *Hoc Helymus facit* PRINCEPS *Troianorum, qui dicitur tertius in Siciliâ condidiſſe ciuitates Aſcram, Entellam, Egeſtam.* Princeps fuit, qui mortuo anniuerſarijs ſacris parentauit,

Seruius.

rentauit, nam principum eſt memoriam venerari defunctorum.

Claudius maiorem habuit rationem lucius pro mortuo, quàm lætitiæ ex adepto principatu.

14 Capiti coronidem imponet pietas Claudij quâ Caij, qui eum in Imperio præceſſerat, memoriam ita honorauit, vt diem mortis eius inter feſtos computari noluerit, licet eo die principatum ipſe ſumpſiſſet, luctum videlicet, quo defunctum venerabatur, lætitiæ præferens, quam ex principatûs acquiſitione fuerat adeptus. Narrat hoc Suetonius in Claudio cap. 11. *Caij quoque etſi alia omnia reſcidit, diem tamen necis, quamuis exordium* PRINCIPATVS *ſui, vetuit inter feſtos referri*. Quibus addit Sabellicus. *Quaſi maiorem duxerit Caianæ cædis & luctûs ex eâ accepti, quàm propriæ lætitiæ ex adepto* PRINCIPATV *rationem habendam*. O ingentem clementiſſimi principis pietatem, qui potiùs defuncti memoriam annuo luctu, quàm ſui principatûs initium lætâ feſtiuitate voluit celebrari. Ex his igitur iam liquet principes teneri miſericordiam impertire defunctis.

Suetonius.

Sabellicus.

CAPVT XXVII.

Magnam Pontifices debent defunctis pietatem.

Numa Pontificibus tradidit curam parentalium pro defunctis.

1 CVm Numa ſecundus à Romulo Romanorum Rex, pacatis finitimorum odijs, ad Deorum cultum animum adieciſſet, Pontifices creauit, qui ſacra munera obirent, & ea, quæ iuris diuini ceniebat, pertractarent. Ad iſtos autem curam etiam ſpectare voluit iuſtorum funebrium, quæ à populo pro defunctorum animabus offerebantur, ita vt non tantùm ad eos pertinerent ſacra Deorum, ſed etiam parentalia mortuorum. Narrat hoc Liuius libr. 1. *Cætera quoque omnia publica, priuataque ſacra Pontificis scitis ſubiecit, vt eſſet, quò conſultum plebs veniret, ne quid diuini iuris, negligendo patrios ritus, peregrinoſque aſciſcendo turbaretur. Nec cæleſtes modo cæremonias, sed iuſta quoque funebria, placandoſque manes idem* PONTIFEX *edoceret*. Nouit ſapientiſſimus Rex iuſtitiâ, & pietate inſignis ad Pontifices curam pertinere mortuorum, & ideò voluit eos inſtruere populum, non tantùm de ijs, quæ ſpectant ad Deos, ſed etiam de illis, quæ pertinent ad mortuos. Vndè ortum eſt, quòd parentalia, quæ defunctis fiebant, à pontificibus decernerentur. *Fuit etiam*, inquit Gyraldus ſyntagm. 17. *Illud parentationis genus* À PONTIFICIBVS *sancitum, quod fuit per iniectionem pulueris, aut glebæ, quo cadauer inhumatum expiatur*. Ad Pontifices parentalia, & ſacrificia pertinebant mortuorum, quibus adiuuare ſtudebant defunctos, ſicut cæteris ſacrificijs Dijs commendabant viuos.

Liuius.

Gyraldus.

Nefas erat Pontificibus mortuorum cadauera videre non ſepelire.

2 Nec verò his obſtat præceptum, quo Pontifex à funeribus ablegabatur mortuorum, nam licet non poſſet, vt cadauer videret, accedere, cadauer tamen iam viſum ei licebat humare. Quinimò impiè ſe geſſiſſet, ſi abſque ſepulturæ honore illud omiſiſſet. Suodo verba Gyraldi ſyntagmate 17. *Cùm* PONTIFICIBVS *nefas eſſet cadauer videre, magis tamen nefas fuit, ſi viſum inſepultum reliquiſſent*. Nefas erat Pontificibus cadauera inſepulta relinquere mortuorum, ſed cùm ea videbant, humo tegere, ac ſepulchralibus obſequijs honorare debebant.

Gyraldus.

Sepultura locus à Pontificibus pro mortuis conceſſus.

3 Quin & ſepulturæ locum à Pontificibus repetio ſæpè mortuorum cadaueribus conceſſum. Quod conſtat ex veteris lapidis inſcriptione, quę ſepulchrum indicabat P. Actilij Tuffi, & Actilię Beronicæ vxoris illius, quibus *Indulgentiâ* PONTIFICVM *locus datus eſt*. Et in alio lapide habetur. *Locus datus eſt à* PONTIFICE *Manlio Fortunato patrono*. Adeò ad Pontifices pietas pertinebat mortuorum, vt eorum multoties eſſet ſepulchrorum locum eis prouidere.

Inſcriptio antiqua.

Pontifices funera curaare.

4 Funera verò ſæpe numero eos curaſſe ex pluribus colligere licet authoribus. Dio Caſſius lib. 56. Hiſtor. Roman. loqueos de funere Auguſti hæc habet. *Poſtquam cadauer rogo in campo Martio impoſitum fuit, primùm omnes* PONTIFICES *eum circumierunt, deindè milites, tùm legionarij, reliquique milites*. Primi Pontifices fuerunt, qui in Auguſti funere pietatem ei exhibuerunt. Calaſiridis etiam antiſtitis exequias pontifices curaſſe, illique iuſta funebria perſoluiſſe ſcribit Heliodorus libro. 7. Æthiopicorum capit. 19. *Nunc miſimus nuncios acceſſituros ex vrbe reliquum* PONTIFICIVM, *& ſacerdotale genus, vt illi iuſta funebria ſecundùm legem perſoluant*. Narrat quoque Socrates libr. 7. hiſtor. eccleſiaſtic. cap. 39. Proclum ſanctiſſimum præſulem ſtatim epiſcopalibus infulis ornatum Maximiani defuncti, cui ſucceſſerat in Epiſcopatu, cadauer extuliſſe, ac funus multâ pietate celebraſſe. *Proclus igitur* IN SEDE EPISCOPALI LOCATVS, *corpus Maximiani effert ad ſepulcrum, funuſque celebrat*. Eadem item pietate corpus D. Ioannis Chryſoſtomi Conſtantinopolim tranſtulit, & multâ pompâ in templo ſepeliuit. *Exiguo tempore pòſt*, inquit idem Socrates cap. 44. *Proclus* EPISCOPVS *eos, qui propter Ioannis abdicationem ſeparatim conuentus peragebant, cum cæteris in concordiam reduxit, & prudentiâ eorum animos offenſos permulſit. Sed quâ ratione iſtud effecerit, dicam. Corpus Ioannis Comanis ſepultum, vbi Imperatori eam rem perſuaſerat, trigeſimo quinto anno poſt eius abdicationem Conſtantinopolim transferendum curauit, quod cum multo honore, & ſplendidâ pompâ publicè celebratâ, in Eccleſiâ Apoſtolorum condidit*. Nec non Paulam Epiſcoporum manibus ad ſepulchrum translatam, & à pontificibus funus pompâ ſacrâ ducentibus lego comitatam apud D. Hieronymum in Epitaphio Paulæ. *Tranſlataque* EPISCOPORVM *manibus, & ceruicem ferctro ſubijcientibus, cùm alij* PONTIFICES *lampades, cereoſque præferrent, alij choros*

Dio.

Heliodorus.

Socrates.

D. Hieronym.

Digitized by Google

ros pſallentium ducerent in mediâ eccleſiâ ſpeluncæ ſaluatoris eſt poſita. Seuerus item Sulpicius lib. de Translatione corporis Sancti Martini, refert ſanctum antiſtitem Ambroſium, cùm ſacrum celebraret, dormientem D. Martini funeri aſtitiſse, illique iuſta vnà cum cæteris perſoluiſse. *Factum eſt, vt illâ die dominicâ, propheciâ iam lectâ, antè altare ſtante, qui lectionem Beati Pauli proferret, beatiſſimus* Antistes *Ambroſius ſuper altare obdormiret. Quod videntes multi, cùm nullus eum excitare præſumeret, tranſactis ferè duarum, aut trium horarum ſpatiis, excitauerunt eum, dicentes. Iam hora præterijt, iubeat dominus* Episcopvs *lectori lectionem legere, expectat enim populus valdè iam laſſus. Reſpondens autem Beatus Ambroſius, Nolite, inquit, turbari, multum mihi valuit ſic obdormiſſe, quia miraculum magnum Dominus mihi oſtendere dignatus eſt. Nam noueritis fratrem meum Martinum ſacerdotem de corpore egreſſum fuiſſe, me autem eius funeri obſequium præbuiſſe*. Agnoſce Pontificum ergà defunctos pietatem, qui tantâ eorum funera diligentiâ curauerunt, tantoque ſtudio exequiarum iuſta ei perſoluerunt.

Seu. Sulpic.

A ſummis Pōtificibus funeris officium præſtitum defunctis.

5 Addo ſummos quoque Pontifices funeris interdum officium præſtitiſse defunctis. Sanè Sanctæ Cæciliæ cadauer in Calliſti cæmeterio Vrbanus Papa ſepeliuit. Vndè Breuiarium Romanum in lectionibus huiùs virginis feſtiuitati dicatis die 22. Nouembris ait. *Eius corpus ab ipſo Vrbano* Papa *in Calliſti cæmeterio ſepultum eſt*. Et poſt nonnulla idem corpus ab alio ſummo Pontifice cum alijs Martyrum cadaueribus dicitur ad vrbem translatum. *Eius, & Vrbani, ac Lucij Pontificum, Tiburtij, Valeriani, & Maximi corpora à Paſchali primo* Pontifice *indè tranſlata in vrbem, in eadem Sanctæ Cæciliæ Eccleſiâ condita ſunt*. Inſignis etiam fuit Innocentij Quarti pietas ergà Sanctam Virginem Claram defunctam, qui omne funeris officium in eius exequijs ingenti pompâ eſt executus. Do verba, quibus hanc pompam narrat Baptiſta Fulgoſus lib. 8. de dictis, factiſque mirabilibus cap. 16. *Inter raros quoque honores is annumerandus eſt, qui Claræ in monaſterio propè vrbem Axim mortuæ habitus eſt. Nam cùm in eâ vrbe Innocentius Quartus* Pontifex *eſſet, ſtatim cum toto vrbis illius populo, totâque aulâ, vbi mortuæ corpus erat, profectus, canentibus tubicinibus, intrà vrbem, non vt mortuam, ſed in triumphantis ſpeciem eam detulit, atque ipſe omne funeris officium executus eſt*. O' ingentem ſummorum Pontificum ergà mortuos clementiam, qui eorum cadauera ſepelire, illiſque iuſta perſoluere tanto ſtudio voluerunt.

Breu. Roman.

Fulgoſus.

Eleazarus inductus antè mortē patris veſtibus pontificalibus, vt pontifex effectus eius funeri aſſiſteret.

6 Sed iam tempus eſt, vt ex ſacrâ Scripturâ ea, quæ ad rem noſtram faciunt, depromam. Ductus eſt Aaron à Moyſe, Deo iubente, ad verticem montis Hor, & vnà cum eo filius illius aſcendit Eleazarus, quem Moyſes, antequam pater eius moreretur, pontificalibus veſtibus induit, & ſacris infulis ornauit. *Cùmque Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in montis ſupercilio deſcendit cum Eleazaro*. Num. 20. 28. Quod egit Moyſes, vt Dei præceptum impleret, qui ei dixerat. *Cùmque nudaueris patrem veſte ſuâ, indues eâ Eleazarum filium eius, & Aaron colligetur, & morietur ibi*. Num. 20. 26. Quærere hic libet, cur antè mortem voluerit Deus Aaron pontificalibus exui veſtimentis. Cur eum voluit ſine proprijs inſignibus mori? Cur veſtem, quam viuens tulerat, moriens amiſit? Cur tandem Pontifex abſque pontificio deceſſit ornatu? Hoc geſtum eſt, vt Eleazarus iam pontifex effectus exequiarum officium patri præberet defuncto. Audi Lyranum ex D. Auguſtini ſententiâ loquentem. *Dicit Auguſtinus, quòd hoc factum fuit, vt* Pontifex *nouus præberet officium ſepulturæ defuncto*. Vt Deus nos inſtrueret, Pontificum eſſe pietatem exhibere defunctis, voluit antè mortem Aaron Eleazarum pontificalibus indui veſtibus, vt pontificiâ dignitate præditus eius exequias celebraret.

Lyranus.

Phinees ſummus ſacerdos præcipuam patri defuncto exhibuit pietatem.

7 Eamdem verò pietatem, quam Eleazarus exhibuit patri, ei exhibuit filius eius Phinees, qui eum defunctum filiali affectu ſepeliuit. *Eleazar quoque filius Aaron mortuus eſt, & ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filij eius, quæ data eſt ei in monte Ephraim*. Ioſue. 24. 33. Aduertit autem Abulenſis, inter filios, qui Eleazaro defuncto pietatis obſequia impenderunt, præcipuum fuiſſe Phinees, qui ſummi ſacerdotij dignitate fulgebat. *Dicitur, quòd ſepeliuit Phinees Eleazarum, quia cùm eſſet filius eius, ipſe debuit eſſe præcipuus circà honorem ſepulchri paterni. Iſte Phinees fuit* Svmmvs Sacerdos *immediatè poſt patrem ſuum Eleazarum*. Qui ſummo Sacerdotio fungebatur, ſummâ pietate patrem proſecutus eſt mortuum, pontificum enim, ac ſummorum eſt ſacerdotum ingenti honorare pietate defunctos.

Abulenſis.

Prælatus debet eſſe pius ergà defūctos

8 Mortui Abner cadauer ingenti funeris pompâ vſque ad ſepulchrum Dauid eſt comitatus, quò cùm peruenit, multis eum laudibus, & vberrimis lachrymis honorauit. *Porrò Rex Dauid ſequebatur feretrum. Cùmque ſepeliſſent Abner in Hebron, leuauit Rex Dauid vocem ſuam, & fleuit ſuper tumulum Abner*. 2. Reg. 3. 32. Myſtico ſenſu locum hunc explicat Dionyſius Carthuſianus, aitque per Dauidem pontificem ſignificari, & animarum paſtorem, qui defunctorum mortem lugere, illiſque pietatis obſequia impendere debet. *Per hoc inſinuatur, quòd* Bonvs Pastor *debet eſſe officioſus circà defunctos, & eorum mortem, & culpas deflere*. Debent pontifices, qui tanquam paſtores animas regunt fidelium, præcipuam defunctis exhibere pietatem, & lachrymas cum precibus effundere pro illis.

Dion. Carth.

9 Hoc etiā deducere licet ex Archiſynagogi pie-

Archiſynagogus veluti prælatus erat, ideòq; orauit Chriſtum pro filiâ defũctâ.

gi pietate, quâ Chriſtum pro filiâ ſuâ defunctâ orauit, vt vitam ei diuinâ pietate largiretur. *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum; dicens, Domine filia mea modò defuncta eſt, ſed veni impone manum tuam ſuper eam, & viuet.* Matth. 9. 18. Princeps autem Iſte, non ſæculari, ſed ſpirituali dignitate præditus erat, ita vt ſimilis quodammodo noſtris Epiſcopis, aut Archiepiſcopis eſſet. Adſtipulatur Albertus Magnus. *Nominatur per nomen, cui nomen Iairus, vbi etiam innuitur, quòd principatus erat ſpiritualis, vt magis idoneus eſſe cognoſcatur, quia dicitur Archiſynagogus,* TANQVAM EPISCOPVS, VEL ARCHIEPISCOPVS. Nec diſſentire videtur Dionyſius Carthuſianus, dum ait. *Per Iairum, qui interpretatur illuminans, quilibet bonus, ac doctus* PRAELATVS, *omniſque diligens propriæ animæ cuſtos exprimitur.* Quia Archiſynagogus veluti Pontifex, aut Prælatus erat, multâ pietate pro defunctâ filiâ rogauit, nam ad Pontifices, ac Prælatos maximè cura pertinere debet mortuorum.

Alb. Magnus.

Dion. Carth.

10 Finiam Caput, ſi illud addidero, quod narrat B. Petrus Damianus ſerm. de tranſlatione ſancti Hilarij, ſanctum videlicet Pontificem, puerum ſuarum precum efficaciâ ſuſcitaſſe defunctum, eique vnà cum vitâ fuiſſe largitum & fidem. *Sed & illud memoriæ conſequenter occurrit, quòd idem egregius* PONTIFEX *puerum ſine gratiâ regenerationis extinctum, non tantum matri reſuſcitatum, & incolumem reddidit, ſed & veræ fidei rudimentis inſtructum ſanctæ Eccleſiæ filijs aggregauit.* Animaduerte, quâ pietate ſanctus hic Pontifex ergà puerum flagrauerit defunctum. Miſereri ergo debent Præſules mortuorum, & magnam Pontifices debent defunctis pietatem.

Sanctus Pontifex Hilarius defuncto ſuis precibus vitã reſtituit

B. Petr. Dam.

CAPVT XXVIII.

Honorandi ſunt Sacerdotum, ac Leuitarum pietate defuncti.

Sacerdotes debent pro mortuis orare.

1 SAcerdotes pietatem debere defunctis probat Iodocus Clichtoueus ſerm. 2. in die Commemorationis Animarum ex eo, quòd plerumque beneficijs fruuntur Eccleſiaſticis, & prouentibus aluntur, quos pietate præditi Eccleſiæ reliquerunt defuncti. Debent enim illi, quibus eleemoſynæ titulo numi erogantur, ſuis precibus pietatem eis impendere, quorum pietate nutriuntur. SACERDOTES, *& religioſi, qui habent beneficia eccleſiaſtica, & ſuſtentationem ex fundatione defunctorum, obligantur ad orandum pro fundatoribus ſuis, quicumque enim ex eleemoſynis viuunt, magis debent eſſe deuoti, & aſſidui in oratione, quia non ſolùm pro ſe debent orare, ſed etiam pro illis, quorum eleemoſynis ſuſtentantur.* Debent præcipuè ſacerdotes, pro defunctis orationes effundere, qui defunctorum pietate fruuntur, ne cenſeantur impij, ſi eorum obliuiſcantur, quorum pietate aluntur.

Iod. Clicht.

Aaron ſacerdos pro viuis nõ ſolùm, ſed etiam orauit pro defunctis.

2 Hoc debitum nouerat Aaron, qui cernens incendium, quod murmurantem multitudinem vaſtabat, thymiama obtulit, & ſtans inter viuos, ac mortuos, pro eis orauit. *Obtulit thymiama, & ſtans inter mortuos, ac viuentes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit.* Numer. 16. 48. Sacerdos erat, ideòque non tantùm pro viuis, ſed etiam pro mortuis orauit, vt nobis innueret, ſacerdotes & pro viuis debere preces effundere, & pro defunctis. Appoſitè Ioannes Echius homil. 4. in die Animarum. *In eius rei figuram ſtetit Aaron inter viuos, & mortuos cum thuribulo, orans pro populo, & ceſſauit plaga, ſic* SACERDOS *Euangelicus in officio Miſſæ medius ſtat inter homines, ſupplicans Deo pro viuis, & mortuis.* Debet ſacerdos non tantùm viuos, verùm etiam ſuis precibus adiuuare defunctos.

Io. Echius.

Mortui per ſacerdotes debent à pœnis, quas patiuntur, abſolui.

3 Idipſum Chriſtus oſtendit, cùm ad Bethaniæ oppidum, vt Lazarum ſuſcitaret, perrexit, cùm enim ei præcepiſſet, vt è monumento exiens ad vitæ priſtinæ munera rediret, diſcipulis dixit, vt eum à vinculis, quibus conſtringebatur, ſoluerent. *Et ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Ieſus, ſoluite eum, & ſinite abire.* Ioan. 11. 44. Quid autem hoc ſignificauit, niſi mortuos precibus, ac miniſterio ſacerdotum eſſe à vinculis, quæ illos in Purgatorio torquent, abſoluendos? Hùc videtur ſpectaſſe Alcuinus in catenâ. *Chriſtus ſuſcitat, quia interiùs per ſeipſum viuificat, ſoluunt diſcipuli, quia per miniſterium* SACERDOTVM *abſoluuntur viuificati.* Ad ſacerdotes pertinet diuinis ſacrificijs, eccleſiaſticiſque precibus à pœnis, quas patiuntur, ſoluere animas defunctorum.

Alcuinus.

Omnia officia pietatis, quæ ſolet mortuis impendi, ſacerdotes eis exhibuerunt.

4 Quid? quòd ſacerdotes omnia pietatis obſequia, quæ defunctis impendi ſolent, eis exhibuerunt? Certè apud Turcas cadauera ſacerdotes abluunt mortuorum. Vndè Aleſander Sardus lib. 1. de moribus Gentium cap. 28. ait. *Turcæ, apud quos cadauer humi depoſitum lauant* SACERDOTES, *quos ipſi linguâ, & moribus barbari Taliſmanlar appellãt.* Funus verò eos proſecutos fuiſſe tradit Plurarchus exequias Numæ Pompilij eius in vitâ deſcribens. *Senatores lectum ſubierunt ac* SACERDOTES *Deorum præſentes ſunt eum proſecuti.* Rogum etiam, in quo mortui comburebantur eoſdem muneribus honoraſſe refert ex Statio Andreas Tiraquellus in lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Lycurgus* SACERDOS *ſceptrum, quo* SACERDOTES *vtebantur, & inſulas* SACERDOTALES *in rogum filij Archemori iniecit.*

Alex. Sard.

Plutarchus.

Andr. Tiraq.

Statius.

At Genitor ſceptrique decus, cultuſque tonantis
Inijcit ipſe rogis.

Oſſa etiam Auguſti defuncti poſt cadaueris cremationem per ſacerdotes legenda nonnulli cenſuerunt apud Suet. in eius vitâ c. 100. *Nonnulli* (cenſuerunt) *legenda oſſa per* SACERDOTES *ſummorum collegiorum.* Sepulchris autem defunctos illatos per ſacerdotes paſſim habemus, nam Sidon. Apollin. lib. 2. Epiſt. 8. de matronâ Philimathiâ

Suetonius.

Sidonius.

loquens, hæc habet. SACERDOTVM *propinquorumque manibus excepta perpetuis ſedibus dormienti ſimilior illata eſt.* Breuiarium item Romanum de cadauere Sanctæ Praxedis die 21. Iulij ait. *Cuius corpus à Paſtore* PRESBYTERO *in Patris, & ſororis Pudentianæ ſepulchrum illatum eſt in cameterio Priſcillæ viâ Salariâ.* Et iterum die 13. Augusti de corpore Sancti Hippolyti. *Spiritum*, inquit, *Deo reddidit, vnàque cum reliquis à Iuſtino* PRESBYTERO *ad agrum Veranum ſepultus eſt.* Vide, quâ pietate ſemper ſacerdotes miſerti fuerint defunctorum.

Breu. Rom.

Apud Aegyptios tantum ſacerdotibus nonnullos mortuos tangere licebat.

5 Addo apud Aegyptios nonnullos fuiſſe defunctos, quos ita proſequi pietate debebant, vt nemini eos tangere liceret, niſi ſacerdotibus. Refert hoc Herodotus lib. 2. *Quiſquis autem, vel ipſorum Aegyptiorum, vel externorum compertus ſit mortuus, ſiue à crocodilo raptus, ſiue ab ipſo flumine, neceſſarium prorsùs eſt ei ciuitati, ad quam electus eſt, condire, & quàm honeſtiſſimo funere ſepelire in ſacris monumentis, quem ne contingere quidem fas eſt alteri, neque proximorum, aut amicorum, niſi ipſis Nili* SACERDOTIBVS. Tantam cenſebant mortuis deberi à ſacerdotibus pietatem, vt eis ſolis ſeruari voluerint officia, quæ illis exhiberi ſolebant.

Herodotus.

Moyſes Leuitis præcepit ſepulturam defunctorum.

6 Sed iam me vocant Leuitæ, à quibus deberi pietatem defunctis ea demonſtrant, quæ dixit Moyſes, cùm Deus Nadab, & Abiu ignem alienum offerentes igne conſumpſit. Vocauit namque Miſaëlem, & Eliſaphan filios Oziel, eiſque præcepit, vt eorum cadauera extrà caſtra ſepelienda efferrent. *Vocatis autem Moyſes Miſaele, & Eliſaphan filijs Oziel patrui Aaron, ait ad eos, Ite, & tollite fratres veſtros de conſpectu ſanctuarij, & apportate extrà caſtra.* Leuit. 10. 4. Quòd ſi quæratur, quinam eſſent hi viri, quibus Moyſes defunctorum ſepulturam præcepit, reſpondet Caietanus eos fuiſſe Leuitas. LEVITAS *mittit Moyſes ad ſepeliendum ſacerdotes.* Sacerdotum ſepulturam præcepit Moyſes Leuitis, agnoſcens peculiari debere Leuitas proſequi pietate defunctos.

Caietanus.

Luctum etiã illis in eorũ funere præcepit.

7 Idem etiam colligere licet ex alijs verbis, quibus idem Moyſes dixit Aaron, Eleazar, & Ithamar, vt eorum fratres horum ſacerdotum mortem plorarent. *Fratres veſtri, & omnis domus Iſrael plangant incendium, quod Dominus ſuſcitauit.* Leuit. 10. 6. Hi namque fratres Leuitæ fuerunt, quibus luctum commiſit in funere mortuorum. Ad rem Dionyſius Carthuſianus. *Fratres veſtri, putà* LEVITÆ *non conſecrati in ſacerdotes, plangant incendium, quod Dominus ſuſcitauit, ideſt interitum ſacerdotum combuſtorum deplorent.* Tenentur Leuitæ miſerationis obſequia præſtare defunctis, quare peculiariter Moyſes iuſſit Leuitis, vt in ſacerdotum defunctorum exequijs plorarẽt, eiſque funereo luctu pietatem exhiberent.

Dion. Carth.

Leuitæ in Christi funere lugentes.

8 Hùc etiam ſpectauit Zacharias, cùm luctũ prædicens, quem in exequijs Chriſti erant familiæ Iſraëlitarum edituræ, inter eas familiam quoque Leui enumerauit. *Et planget terra, familiæ, & familiæ ſeorsùm, familiæ domûs Dauid ſeorsùm, familiæ domûs Nathan ſeorsùm, & mulieres eorum ſeorsùm, familiæ domûs Leui ſeorsùm, & mulieres eorum ſeorsùm*, Zachar. 12. 13. Quibus indicauit Leuitas pio luctu pietatem exhibituros Chriſto defuncto. Adeſt D. Cyrillus Alexandrinus. LEVITÆ *ſacerdotij honore depulſi vnà cum mulieribus planctui ſe dabunt.* Inter cæteras familias in Chriſti exequijs lugentes, fuit etiam familia Leuitarum, debent namque Leuitæ excolere præcipuam ergà defunctos pietatem.

D. Cyril. Alex.

Leuitæ in funere Iuſtiniani Imperatoris ei parentantes.

9 Quapropter deſcribens Corippus Imperatoris Iuſtiniani exequias, Leuitarum præcipuè meminit pijs vocibus defuncto principi parentãtium, & eccleſiaſticis precibus illius animæ ſuffragantium.

Hinc LEVITARVM *venerabilis ordo canentum,*
Virgineus tonat indè chorus, & æthera pulſat.

Corippus.

Leuitæ ſpecialiter in hoc funere pietatem Imperatori exhibentes nominantur, quia ipſi debent ſpeciali pietate proſequi, & adiuuare defunctos.

Leuitæ efferebant, & ſepeliebant cadauera Martyrum.

10 Hinc eſt, quòd Leuitæ conſueuerant, dum tyranni excandeſcebant in veram, & Chriſtianam religionem, martyrum corpora ſuis humeris efferre, ac obſequio pio inſerre ſepulchro. Quod colligo ex Victore Vticenſi in Bibliothecâ veterum Patrum lib. 3. de perſecutione Vuandalicâ *Gaudens autem, quæ aderat multitudo, corpora ſanctorum Martyrum diligenti tradidit ſepulturæ, præeunte Clero venerabili Chartaginenſis Eccleſiæ. Vbi etiam & prædicandi* DIACONES *tertiò iam confeſſores effecti Salutaris, & Murittageruli reliquiarum affuerunt.* Pio munere ſanctorum cadauera Leuitæ gerebant, & extremis miſerationis officijs donanda ad ſepulchrum efferebant. Imò ex Breuiario Romano colligitur, Leuitas etiam interdum ſepulchris intuliſſe cadauera mortuorũ. Nam loquens de corporibus ſanctarum virginũ, ac martyrum Flauiæ Domitillæ, Theodoræ & Euphroſinæ die 12. Maij, ait ea fuiſſe à Cæſario Diacono humata. *Quarum corpora integra inuenta à Cæſario* DIACONO *ſepulta ſunt.* Quin & ex his quæ immediatè ſubdit, poteſt deduci, nedùm à Diaconis, verùm etiam in Diaconijs fuiſſe humata corpora mortuorum. *Hæc verò duorum fratrum, ac Domitillæ corpora ex* DIACONIA *sancti Adriani ſimul tranſlata, in ipſorum martyrum baſilicam tituli Faſciolæ reſtituta ſunt.* Animaduerte Diaconos ſuis manibus, & in ſuis locis cadauera humaſſe Martyrum, vt hinc pateret, quàm debeant Leuitæ ſe ſe oſtendere pios ergà defunctos. Nedùm igitur Sacerdotes, ſed & Leuitæ miſereri debent mortuorum, & honorandi ſunt Sacerdotum, ac Leuitarum pietate defuncti.

Victor Vtic.

Breu. Rom.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXIX.

Clerici Regulares præcipuâ debent pietate adiuuare defunctos.

Clerici Regulares toto anni tẽpore defunctis pietatem exhibentes.

1 CApUt iſtud pro meæ Religionis alumnis exaro, à quibus adeò hæc pietas excolitur ergà defunctos, vt in vniuersâ propemodum Italiâ, & in nonnullis Hiſpaniarum locis, magnâ & viuentium, & mortuorum vtilitate illam propagare toto conatu ſtuduerint. Hinc laudabilem inuexerunt conſuetudinem, quâ toto Anni tempore qualibet Feriâ ſecundâ coram ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ad augendam fidelium deuotionem expoſito, preces pro mortuorum Animabus effunduntur, conciones ad hanc pietatem excitandam idoneæ habentur, alijſque Eccleſiaſticis ſuffragijs Purgatorij ſpiritus adiuuantur. Porrò viget adhuc, multoque conuenientium fidelium numero probatur conſuetudo iſta Romæ, Neapoli, Mediolani, Florentiæ, Placentiæ, Cremonæ, alijſque in vrbibus, quas incolunt noſtrates. Vbi verò hæc toto anni tempore non aguntur, in quadrageſimâ ſaltem ſanctâ obſeruatione exercentur, vt ijs diebus à pœnis ſubleuentur mortui, quibus pœnitentiam agunt viui. Hunc morem ita laudauerunt, & approbauerunt multi Principes, vt eum in noſtris Eccleſijs inſtitui ſuis in ciuitatibus curauerint, vt contigit Florentiæ, ac Mutinæ, & Vrbanus VIII. fœlicis recordationis Pontifex Maximus eum adeò commendauit, vt Romæ in ſuo hæc pietatis obſequia voluerit exhiberi ſacello, in templo noſtro D. Andreæ Apoſtolo dicato. Quin & quoſcumque fideles illùc rectè diſpoſitos, præmiſſoque Pœnitentiæ ſacramento, ac ſacroſancto cœli pane ſuſcepto, accedentes, qualibet Feriâ ſecundâ plenariâ Indulgentiâ, omniumque culparum remiſſione Apoſtolicâ pietate ditauit, aliaſque nonnullas Indulgentias effundentibus eâ die preces in cæteris noſtris Eccleſijs pro mortuis conceſſit. Vt igitur meos Patres ad hanc pietatem, quam adeò laudabiliter ſunt amplexi, magis, ac magis excitem, diligentiam, quâ eam exercere tenentur, declarare conſtitui.

Debẽt pietatẽ mortuis quia Clerici ſunt.

2 Et ſanè cùm ſint Clerici Regulares, & vt Clerici, & vt Regulares debent mortuis hanc exhibere pietatem. Clericos autem debere mortuis pietatem D. Hieronymus oſtendit Epiſtolâ ad Innocentium, dum eorum ait eſſe munus cadauera Eccleſiaſtico more ſepelire mortuorum. CLERICI, *quibus id officij erat, cruentum linteo cadauer obuoluunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes, ex more tumulum parant.* Ita pertinet ad Clericos pietatem exhibere mortuis, vt eorum iam eſſet munus cadauera linteis obuoluere, ac piè humare illorum. Debent igitur Clerici Regulares, vt Clerici ſunt, miſereri mortuorum.

D. Hieronym.

Eam quoque debent vt Regulares.

3 Nec minùs id debent vt Regulares, nam Regulæ noſtræ, ſeu Conſtitutiones hanc nobis præcipuè commendant, ac iubent pietatem. Legatur Caput IX. primæ partis Conſtitutionum, quod omnia præcipit pietatis obſequia defunctis exhibenda. Cùm quis ex noſtris defunctus fuerit, omnes eius cadauer ad Eccleſiam deducere iubemur, totum defunctorum officium, Miſſamque ſolennem pro eius Animâ celebrare, ac triginta diebus, vt eius expientur culpæ, ſacrificare. Clerici verò qui ſacrum non celebrant, totidem diebus Veſperas defunctorum, laici verò Beatæ Virginis coronã pro defuncti animâ recitare tenentur. *Cùm iam quis defunctus fuerit, ſiue is profeſſus, ſiue nouitius, ſiue hoſpes fuerit, deducentibus omnibus, corpus in Eccleſiam deferatur. Deindè opportuno tempore totum officium defunctorum in Choro dicatur. Fiat ſic etiam ſepultura, & celebretur Miſſa ſolennis, atque ſi profeſſus fuerit, Sacerdotes per triginta dies, pro eius animâ ſacrificent, Clerici diebus totidem dicant Veſperas defunctorum, Laici tricies Beatæ Virginis coronam.* Ergà ſummum quoque Pontificem, ergà Epiſcopus, & ergà Patrem Generalem præcipua nobis pietas, cùm defuncti fuerint, commendatur. *In obitu ſummi Pontificis totum officium defunctorum, & Miſſa ſolennis cum Reſponſorijs ad tumulum vbique dicatur. Idem in obitu Epiſcopi ex nobis aſſumpti. Epiſcopo Ciuitatis defuncto, dicatur ibi Miſſa ſolennis, & ad tumulum Reſponſoria.* Animaduerte ſolertiam, quâ ſingula pro defunctis exhibenda Regulæ noſtræ præſcribunt. Vltimò præcipiunt etiam die poſt fidelium defunctorum Commemorationem, omnibus noſtræ Congregationis defunctis precum, & ſacrificiorum ſuffragia exhiberi. *Die poſt fidelium Defunctorum Commemorationem, dicatur Miſſa ſolennis, & Reſponſoria ad tumulum pro defunctis fratribus noſtræ Congregationis.* Cùm ergò Regulæ noſtræ nobis tam diligenter hanc pietatem præſcribant, debemus nõ tantùm vt Clerici, ſed etiam vt Regulares hanc exercere pietatem.

Conſtitutiones Clericorum Regularium.

Mores pij pro defunctis apud Clericos Regulares.

4 Ex his autem Regulis multi laudabiles mores in Religione noſtra obtinuerunt, quibus pietas hæc magis fouetur. Abluuntur enim, ſacris veſtibus induuntur, & decenter in feretro componuntur, antequam ad Eccleſiam efferantur noſtrorum cadauera mortuorum. De quo more ait Antonius Caracciolus in Notis ad caput 9. prædictum Conſtitutionum. *Antequam ea deductio fiat, cadauer abluitur, induitur, & decenter componitur in feretro, ad exaugendam ſcilicet funeris grauitatem.* Mos etiam pius viget, quo Veſperas defunctorum pro fidelium mortuorum animabus quolibet die recitare ſolemus, vt nulla prætereat dies, quâ iſtam non exerceamus pietatem. Conſueuerunt etiam noſtri Superiores poſt Horas Canonicas in Choro recitatas iubere, vt Oratio Dominica, vna cum ſalutatione Angelicâ, vel Pſalmus *De profundis*, vel ſimiles aliæ preces ab vniuerſis recitentur pro defunctorum animabus, quorum pietati debeamus, quique ſuis eleemoſynis nobis neceſſaria piè ſuppeditauerunt.

Anton. Car.

Digitized by Google

uerunt. Qui omnes mores ideò apud nos obtinuerunt, quia noſtræ Conſtitutiones hanc nobis ergà defunctos pietatem multo ſtudin præcipiunt.

Ratione Crucis, quæ eſt eorum inſigne debent mortuis pietatem

5 Si verò vexillum Crucis, ſub quo militamus, quodque noſtrum eſt inſigne, quo Epiſtolas etiam munire ſolemus, expendamus, ratione quuque illius mortuis pietatem deberi à nobis agnoſcemus. Crucifixi ſunt vnà cum Chriſto in Caluariæ monte duo latrones, quorum alter eius diuinitatem agnoſcens, rogauit illum, vt ſui miſereretur, ſibique peccatorum veniam ad Regnũ perueniens impertiret. Has preces vt Chriſtus audiuit, eadem die Paradiſum ei donauit. *Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiſo*. Luc. 23. 43. Quòd Paradiſum latro in extremn vitæ articulo pœnitentiam agens acquireret, mirum eſt, ſed multò magis admiratione dignum mihi videtur, quòd eadem die, quâ ex hac vitâ migrauit, illud obtineret. Cur qui tnt delictis diuinam læſerat Maieſtatem, tam citò perfectè ab eis ablutus diuinam attingit fœlicitatem? Cur nullis præcedentibus inferorum pœnis, æternam conſequitur Cœlorum beatitudinem? Cur tandem in Purgatorij flammis culpas non expiat mortuus, quibus tam diuturno tẽpore vacauerat viuus? Quia Crux eius deleuit peccata, & Purgatorij flammas extinxit. Subſignat Arnoldus Carnotenſis in Bibliothecâ veterum Patrum Tractatu de ſeptem Verbis Domini. *Non ad loca* PVRGATORIA, *flammaſque peccatorum vltrices confitens deſtinatur, non ad loca tenebroſa, & tormentoſa deducitur, nullam pars aduerſa gratia Dei præſumit inferre calumniam, vna* CRVCIS *pœna omnia abolet crimina*. Ad Purgatorij locum non deſcendit, quia Crux eum indè liberauit, nam omnia Crux delet crimina, ac Purgatorij pœnas Crucis pœna tollit. Dum igitur hæc ita ſe habent, noſque Crucis vtimur vexillo, ignem purgatorium noſtris precibus, ac ſuffragijs extinguere, animaſque fidelium indè citò eripere debemus.

Arnoldus Carnotenſis.

B. Andreas Auellinus ergà defunctos pius.

6 Huic pietati noſter beatus ſenex Andreas Auellinus totâ pietate vacabat, preces enim crebras pro mortuorum fidelium animabus effundebat. In quâ effuſione illud etiam valdè mirum experiebatur, vt ſentiret ſe veluti propelli, cùm pro defunctis, qui fortè ad infernum damnati erant, orabat, gaudio verò affici, cùm pro ijs, qui ad ſedes cæleſtes, aut tranſlati eſſent, aut transferendi. Hoc narrat in eius vitâ Franciſcus Boluitus lib. 2. cap. 11. his verbis. *Aperiebat ſe etiã ipſius oratio ad defunctorũ ſortẽ coniectãdam, foelicẽ, infoelicẽ, ex ſui tranquillitate, intrãquillitate. Siquidem cùm pro ijs hoc precum ſacrificio litaret, qui in tartara eſſent deturbati, ſentiebat ſe velut robuſto obnitentis conatu propelli. At pro tranſlatis ad beatorum ſedes excipi blandè, benignè, ſuauiter*. Feruenti, ac deuotâ oratione, quam pro defunctis effundebat, hoc obtinuit, vt eorũ ſtatum Deo reuelante, dignoſceret. Vndè cùm in Patris morientis cellulâ concertantium tumultus, & fremitus auditi fuiſſent, ob idque męſti cęteri patres preces, ac ſacrificia iterarent, & poſt eius mortem de illius ſalute metuerent, ſolatus eſt omnes Andreas, aſſerens eum poſt nonnullarum horarum in Purgatorio moram ad Cęli gaudia euocatum. *Moerorem iſtum*, inquit idem Boluitus lib. 1. cap. 20. *non multò poſt ex omnium pectore ſeriò, ac veraciter excuſſit Andreas, narratâ Solarij Apparitione ſibi, & cuidam ſuo ſodali factâ, quâ idemmet faſſus erat, petiſum ſe temerario inſultu ab inferno carnifice, eum tamen nihil, quod in ipſo exigeret, repertentem, turpiter victum diſceſſiſſe, ſeque ab internuncijs pacis placidè è corpore euocatum, vix ad paucul as tantùm horas expiatricibus flammis purgatum, libero, & explicato itinere coeli penetralia ingreſſum.* Ob pietatem, quâ ſuffragabatur defunctis, eorũ ſtatus, & menſuræ temporis, quo in Purgatorio permanſiſſent, notitiam illi Deus permittebat. Ex hac eâdem huius Beati pietate oriebatur, vt ſemper ac poterat, Miſſas, quas vocant, defunctorum, celebraret. Cupiebat enim maximè incruenti ſacrificij oblatione Purgatorij animabus opem ferre. Hoc debeo Ioanni Baptiſtæ Caſtaldo cap. 8. eius vitæ. *Sacrum pro defunctis, ſemper ac poterat, faciebat*. Et precibus, & ſacrificijs Animabus Purgatorij beatus iſte ſuffragari nunquam deſiſtebat.

Franciſcus Boluitus.

Io. Baptiſta Caſtaldus.

Mortuus quoq; dilexit pietatem ergà defunctos.

7 Nec tantùm viuus, ſed & mortuus hanc dilexit in mortuos pietatem. Quare cùm Virgo pro ſe tunc defuncto Veſperas defunctorum recitare vellet, ſtatim ei Andreas ſub apiculæ figurâ apparuit, & ſacris chartis inſedit, ineffabilibus delicijs preces recitantem reficiens. Quo præmio piæ Virgini ſtatim exhibito, gratiſſimã ſibi eſſe pietatem ergà defunctos declarauit. *Contigit etiam tunc*, inquit iterum Boluitus lib. 1. cap. 28. *Virginem Magdalenam Baronam reclusã monaſterij Sanctæ Mariæ de Sapientiâ ſub hora noctis ſecundâ ad Chorum, vndè proſpectus ad altare Sanctiſſimi Sacramenti patebat, ſolitariam receſſiſſe, vt Veſperas defunctorum pro tot certaminum Athletâ coram rectè factorum remuneratore Deo recitaret, ſtatimque apiculam ſacris chartis, ad quarum præſcriptum orabat, inſediſſe, aures interim ipſius ſuaui bombilatione, mentem ineffabili dulcedine permulcentem, demiratæ vndè nam, & quo illicio in ſacrum illud Odæum eo tempore id animalculum ſe ſe intruſiſſet, ſibiq; minimè vt aliàs faſtidioſum, & formidoloſum. Verùm cùm recitatis poſteà precibus, & à ſacro libello, & ab ipſo etiam Odæo ſe apis ſubtraxiſſet, coniectaneo indicio ſuſpicata fuit Magdalena, exemplar id fuiſſe Andreæ, floriłegulæ dum hic viueret apis è vitæ huius agro in coeleſte iam alueare collecti, laudes tunc Deo ſempiternas concinentis*. O beatum ſenem, qui nedùm viuens, & in ſe, verùm etiam mortuus & in alijs pietatem defunctis exhibitam adeò dilexit.

Boluitus.

Pauli Quarti pietas in mortuos.

8 Suam etiam Paulus Quartus, noſtræ Religionis vnà cum Beato Caietano, cæteriſque duo-

bus

bus fundator, oſtendit ergà defunctos pietatem, Epiſtolâ, quam in morte P. D. Bartholomæi Veronenſis Beato Caietano, cæteriſque tunc Neapoli degentibus ſcripſit. Quá & ſuffragia, quæ pro eius animâ ſimul cum reliquis patribus impenderat, declarat, & abſentes ad pietatem defuncto exhibendam grauiter hortatur. *Mane facto, corpus ſacerdotalibus indumentis ornatum, in Eccleſiâ poſitum eſt, omneſque pro eo hoſtiam ſalutarem obtulimus, illud Amos Prophetæ interim dicentes, Feſtiuitates noſtræ conuerſæ ſunt in luctum, & cantica noſtra in planctum. Deindè poſt Veſperas Defunctorum vigiliæ celebrantur, nec funus effertur vſque ad diluculum ſequentis diei, quo poſt Victimam ſalutis oblatam, iuſtaque facta reuerſus eſt puluis in terram ſuam, vndè erat, & ſpiritus ad Deũ, qui dedit illum. Ergò & vos frates amantiſſimi celebrate frequentes exequias, cumulate altaria donis, plenoſque calathos odoratis ſanctarum precum floribus ſuper fratris tumulum ſpargite, Nunquam illius apud nos intermoriatur memoria, qui viuit in Christo.* O'elegantia, & verè digna, quæ hìc apponerentur verba, quibus huius noſtri Præſulis pietas ergà mortuos declararetur.

Paulus Quartus.

Ieremias Iſachinus pius ergà defunctos.

9 Ieremiæ quoque Iſachini pietas refulſit ergà defunctos, dum Patauij anno 1576. peſte graſſante nedùm ægrotis ſanctiſſima ſacramenta, miniſtrauit, pijſque verbis eos conſolatus eſt, cibos inſuper corporales, & quidquid neceſſarium erat ſuppeditans, ſed etiam mortuis honorem ſepulturæ impertiuit, quos ſuis manibus, mortis, quam etiam ſubijt in his pietatis operibus, pericula contemnens, humauit. Audiamus Caſtaldum in eius vitâ hæc ſcribentem. *Nedùm ſacramentis, pijſque verbis ægrotos conſolabatur, ſed etiam cibos et corporales miniſtrabat, aliaque neceſſaria ſummâ ebritate ſuppedibat. Qum & cadauera eorum, qui, morbo vrgente, migrauerunt ex hac vitâ, proprijs manibus humabat.* Mortem contempſit, ne mortuos abſque ſepulturæ honore cerneret abiectos, vitæque diſcrimini ſe generosè obiecit, vt extremis pietatis officijs eos donaret.

Christophori de Refrigerijs oratio ergà defunctos.

10 Non debeo hìc pietatem omittere Chriſtophori de Refrigerijs, qui tãtâ ſolertiâ ſuis precibus Animabus defunctorum ſuffragabatur, vt ferè ſemper in Cœmeterio pro eis preces effũderet, & à ſummo Pontifice Gregorio XIII, quotieſcumque illac tranſibat pontificalem benedictionem illis efflagitaret. *Pro mortuorum Animabus*, inquit idem Caſtaldus in eius vitâ, *preces in Coemeterio, vbi aſſiduus erat, effundebat, & à Gregorio XIII. ſummo Pontifice illac tranſeunte, pro eis pontificalem benedictionẽ implorabat.* Quin & in extremâ, quâ defunctus eſt ægritudine, in lectulo decumbere, ne à Cœmeterio cogeretur abeſſe, recuſabat, quod idem refert poſt nonnulla Caſtaldus.

Caſtaldus.

Matthæi Bencij pietas ergà mortuos.

11 Matthæus etiam Bencius in hac pietate ſingulariter laudandus fuit, qui noctù ad Cœmeterium pergere conſueuerat, vbi catenis, flagelliſque ſe cædens, vt ignem extingueret Purgatorij, proprium è venis eruorem vbertim effundebat. *Sæpè noctù*, ait idem Caſtaldus in eius vitâ, *coemeterium deſcendebat, ibique ferreis catenis, effuſo ſanguine, ſe cædebat, & pro Purgatorij Animabus Deo illud opus mortificationis deuotè offerebat.* O'egregiam viri ergà defunctos affecti, ac ſingularem pietatem, ac verè dignam, quam omnes imitentur. Sed iam ab his deſiſtendum, nam ſi omnes recenſere vellem noſtræ Religionis alumnos, qui in huius pietatis exhibitione excelluerunt, nimis præ alijs caput hoc excreſceret.

Caſtaldus.

Scriptores, & Cōcionatores huius pietatis.

12 Caput ergò abſoluo, illud ſolùm addens, multos ex noſtrâ Religione, non tantùm precibus, & ſuffragijs, ſed etiam ſcriptis adiuuaſſe defunctos. Librum integrum de hac pietate defunctis exhibendâ Italico ſermone compoſuit Vincentius Gilibertus, alium item in duas partes diuiſum publicæ luci nuper tradidit Stephanus Pepe, qui ambo ea, quæ ediderunt, antequã ederent, è ſuggeſtis, non modicâ audientium vtilitate, dixerunt, Paulus etiam Areſius Derthonẽſis Epiſcopus in ſuis Impreſijs hoc Argumentum pertractat Impreſiâ 151. Nonnulla de pietate Virginis in Purgatorij animas attigit fœliciſſimus ſcriptor Aloyſius Nouarinus in Vmbrâ virgineâ. Et quædam alia de hac pietate inſeruit libello, cui titulus eſt, Deliciæ diuini amoris, & de illâ rurſùm in alio diſſeruit Italico ſermone conſcripto, qui cordium Sigillum inſcribitur. Scripſit de hac eàdem pietate Andreas Lanfranchi in opuſculis Theologicis opuſculo 40. Quædam etiam annotauit de illâ in primâ Decade Euãgeliorum Quadrageſimalium Fer. 6. poſt. 1. Dominicam Quadrageſimæ Thomas de Aquino, & multi ſunt, qui de hac re integra volumina meditantur, quæ publicæ lucis quam primùm fieri peropto. Non omittã, hanc pietatem à noſtris concionatoribus populo in concionibus adeò ſtudiosè ſuaderi, vt multi toto anni curriculo, qualibet ſecundâ Feriâ, eam eleganter explicent, quorum nomina, cùm ſatis apud auditores nota, & eloquentiæ laude ſint celebria, reticeo. Hæc igitur cùm ita ſint, quis non videt, quantam nos Clerici Regulares debeamus mortuis exhibere pietatem, vt noſtrum munus impleamus, noſtras conſtitutiones ſeruemus, noſtroſque maiores imitemur? Eia igitur Patres pergite hanc ſemper propagare pietatẽ, & qui præcipuo titulo defunctis debetis, præcipuæ illis exhibete obſequia miſerationis.

Vincent. Gilibertus. *Stephanus Pepe.* *Paulus Areſius.* *Aloyſius Nouarinus.* *Andreas Lãfranchi.* *Thomas de Aquino.*

CAPVT XXX.

Senatores pietate præditi eſſe debent ergà defunctos.

Senatus non puniebat, qui defunctis pietatem exhibere nolebãt.

1 NEc verò pietas, quam defunctis debẽt Senatores, hìc omittenda. Eam autem primò colligo ex eo, quòd apud Senatum cauſæ agebantur defunctorum.

Debe-

Debebat frater viri ſine liberis defuncti relictã vxorem accipere, ac mortuo prolis procreatione ſemen ſuſcitare. Quòd ſi renuiſſet, mulier maiores natu interpellabat, & apud eos mortui viri fratrem impietatis accuſabat. *Sin autem noluerit accipere vxorem fratris ſui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit maiores natu, dicetque, Non vult frater viri mei ſuſcitare ſemen fratris ſui in Iſrael, nec me in coniugem ſumere.* Deut. 25. 7. Qui autem erant hi maiores natu, niſi Iſraëlitarum Senatores, ad quos pertinebat iura ſeruare defunctorum, eoſq; pœnis coërcere, qui pietatem illis exhibere renuebant? Hoc voluit Ioſeph Hebræus lib. 4. Antiquit. Iudaic. cap. 8. *Si frater nolit eam ducere, mulier* SENATVM *accedens, teſtetur, quòd volentem eam in familiâ manere, & ex ipſo liberos gignere, cum iniuriâ defuncti repulerit.* Adeò ad Senatores pertinebat pietas ergà defunctos, vt iniurioſos in eos voluerit Deus à Senatu iudicari, & condignâ pœnâ mulctari.

Ioſeph Hebr.

2 Quare Booz hominem propinquo ſuo hãc pietatem exhibere nolentem apud maiores natu vocauit, & calceamentum de illius pede tolli præcepit. *Dixit ergò propinquo ſuo Booz, Tolle calceamentum tuum. Quod ſtatim ſoluit de pede ſuo. At ille maioribus natu, & vniuerſo populo. Teſtes vos, inquit, eſtis hodie.* Ruth. 4. 9. Ad Senatum ſpectabat impios in defunctos mulctare, ideòque Booz ad Maiores natu, qui Iudæorum ſenatum componebant, confugit, vt ab eis impietas propinqui ergà defunctum conſanguineum legalibus pœnis afficeretur. *Id*, inquit idem Ioſeph Hebræus lib. 5. Antiquit. Iud. cap. 11. *Boozus apud* SENATVM *conteſtatus, iuſſit mulierem accedere illum, & ſecundùm legem calceum ei detrahere, & in faciem eum cædere.* Apud ſenatum pœnas impietatis in defunctum à propinquo exegit, nam Senatores præcipuam defunctorum curam habebant, & eos, qui pietatem illis negabant, pœnas coërcebant.

Booz apud Senatum pœnas impietatis in defunctum à propinquo exegit.

Idem.

3 Obtulit Iephte, poſtquam conſecutus eſt in bello cum Ammonitis victoriam, propriam filiam Deo in holocauſtum, illam autẽ adeò poſt mortem Iſraëlitarum populus honorauit, vt quolibet anno Virgines eius anniuerſariu illam quatuor diebus plorauerint luctu. *Exindè mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniant in vnum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Iud. 11. 40. Quomodo hic mos tãdiù apud Iſraëlitas obtinuit? Quamobrem tã inuiolabiliter annuo luctu puellam honorauerunt defunctam? Quam tandem ob cauſam tam diuturnâ eam Virgines proſecutæ ſunt pietate? Quia Senatus inuiolabili decreto hanc eſſe mortuæ miſerationem quotannis exhibendam conſtituit. Optimè Arias Montanus. *Latini antiqui huiuſmodi decretũ, ſiue* SENATVSCONSVLTVM *in hanc formam edidiſſent, opinor, Iſraeliticæ puellæ quatuor diebus ferias in honorem filiæ Iephte Ghilghaditæ quotannis haben-*

Senatus filiæ Iephte mortuæ annuos honores decreuit.

Arias Mont.

to. Senatus Iſraëlitarum defunctam virginem honorauit, eique annua parentalia cum puellarum luctu exhibenda decreuit.

4 Sed & multa huiuſmodi Senatuſconſulta profani proferunt authores, quibus pietatem defunctis exhibendam frequenter Senatores decreuerunt. Dio Caſſius lib. 40. Hiſtoriæ Romanæ narrat Senatum Romanum decreuiſſe vt Clodij interfecti oſſa mandanda ſepulchro colligerentur. *Pompeius paulò poſt ad vrbem venit, tum circumfuſo præſidio extrà pomærium ad theatrum* SENATVS *habitus eſt, decretumque, vt Clodij oſſa colligerentur.* Idem lib. 56. Auguſti cadauer dixit ex ſenatuſconſulto triumphali portâ eſſe elatum. *Feretrum ſublatum triumphali portâ ex* SENATVSCONSVLTO *extulerunt.* Et lib. 58. eumdem ait Senatum in morte Liuiæ mulieribus in totum an num pium indixiſſe luctum. SENATVS *non contentus iis, quæ Tiberius ei decernenda ſcripſiſſet, luctum mulieribus in totum annum indixit.* Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 5. Antiquit. Roman. Valerio Poplicolæ mortuo à ſenatu refert, & rogũ, & rogi locum, & intrà vrbem ſepulchrum fuiſſe decretum. *Fuiſſet à cognatis miſerè velut vnus è vulgo extrà vrbem crematus, & inhumatus, niſi* SENATVS, *re cognitâ, miſeratus eius egeſtatem decreuiſſet in ſepulturam impenſas ex ærario, locumque rogo, & ſepulchro intrà vrbem propè forum aſſignaſſet.* Quintilianus lib. 3. Inſtitution. cap. 9. ex Senatuſconſulto funebres laudationes ſcribit fuiſſe defunctis decretas. *Nam & funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atque ex* SENATVSCONSVLTO *magiſtralibus ſæpè mandantur.* Plutarchus in Camillo ait Senatum conſtituiſſe, vt funebribus laudibus mulierum quoque funera honeſtarentur. *Honor iis à* SENATV *meritus eſt habitus, decreto, vt in matronarum laudem oratio funebris, vt fieri viris ſolet, neq; enim laudari publicè fœminam defunctam antè fuerat receptum, haberetur.* Valerius Denique Maximus lib. 5. cap. 1. ait Siphacem licet hoſtem Numidiæ Regem publico funere ſenatum cenſuiſſe efferendum. *Illud quoque non paruum humanitatis* SENATVS *indicium eſt. Siphacem enim quondam opulentiſſimum Numidiæ regem captiuũ in cuſtodiâ Tiburi mortuum, publico funere cenſuit efferendum, vt vitæ dono honorem ſepulturæ adiiceret.* Vide, quã pietate fuerint Senatores mortuos proſecuti, qui adeò frequenter, ſepulchrales honores eis decernebant exhibendos.

Senatuſconſulta, quibus decreta ſunt pietatis officia defunctis.

Dio.

Dion. Halic.

Quintilianus.

Plutarchus.

Val. Max.

5 Nec eo contenti, exequiarum officio ſæpè intererant, ſuâque præſentia mortuorum funera honorabant. Hinc funeri Iuſtiniani Imperatoris vnà cum plebe atratus adſtabat Senatus. Vndè Corippus lib. 3. apud Bulengerum lib. 3. de Imperat. cap. 6. ait.

Senatores intererant ſæpè funeribꝰ mortuorum.

paſſimque per aulam
Porticibus longis ſtabat cum plebe SENATVS

Corippus.

Imperatoris quoque Conſtantini funus comitatum fuiſſe Senatum tradit Euſebius Cæſarienſis in vitâ Conſtantini lib. 4. *Imperatorem in vrnâ quaſi*

Euſ. Cæſar.

quaſi viuentem ſalutabant, genua incuruabant. Inſequebatur ordo SENATORIVS. Vitellius etiam publico funere à Senatu eſt honoratus, vt ait Suetonius in eius vitâ cap. 3. *Defunctum* SENATVS *publico funere honorauit*. In exequijs etiam Octauię ſororis Auguſti Druſus veſtem ſenatoriã lugubri commutauit, vt ait Dio lib. 57. *Druſusq; pro roſtris, videlicet in publico luctu*, SENATORIAM *veſtem lugubri permutauit*. Idemque vnà cum Tiberio in funere Auguſti ex Senatuſconſulto funebrem orationem dixit ex eodem Dione lib. 56. *Feretro poſito ad roſtra, pro illis Druſus quamdam orationem de ſcripto recitauit, cæterùm pro roſtris Iulijs Tiberius ex* SENATVSCONSVLTO *ad populum in hæc propemodum verba perorauit*. Nedùm funebres honores decernere, ſed etiam exequijs aſſiſtere, ac defunctos laudare Senatores conſueuerunt.

Suetonius. — *Dio.*

Cadauera interdum ſuis humeris extulerunt.

6 Quin & eorum interdum cadauera ſuis humeris vſque ad ſepulchrum geſtauerunt. Vndè Alexander ab Alexandro lib. 7. dierum genialium cap. 3. ait. *Plerumque* SENATORII, *prætorij, & conſulares, quique ampliſſimis honoribus functi erant, Imperatorum, & conſularium virorum feretrum detulere*. Suetonius in Auguſto cap. 100. SENATORVM *humeris delatus in campum, crematuſque eſt*. Et Appianus Alexandrinus lib. 1. belli ciuilis loquens de funere Syllæ, hæc ſcribit. SENATORES *robuſtiſſimi humeris lectum in Campum Martium intulerunt, vbi ſoli Reges ſepulti*. O' ingentem Senatorum ergà defunctos pietatẽ, qui eos honorare, ac frequenter ſuis humeris ad ſepulchrum geſtare voluerunt.

Alexãder ab Alex. — *Suetonius.* — *Appianus Alex.*

Et etiã quãdoque ſepelierunt.

7 Quid? Quòd eos etiam interdum ſuis manibus humauerunt. Sanè Aſtyrius Romanus ſenator martyris Marini exequijs interfuit, eiuſq; cadauer officio ſepulturæ honorauit. Subdo verba Euſebij Cæſarienſis lib. 7. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 13. *Suprà cæteros inſignis memoratur Aſtyrius vir Romanæ vrbis* SENATOR *patricius, nobilitate, facultatibus, propinquitate etiam regiâ, & omni bonorum famâ ſatis clarus. Qui cùm ſupradicti Martyris* (Marini) *extremis intereſſet exequijs, & capite cæſum cadauer ſubiectis humeris ſuis, & ſubſtratâ veſte, quâ induebatur, exciperet, honorem, quem martyri detulit, continuò ipſe Martyr aſſequitur*. Iulianæ quoque cadauer Sephonia ſenatrix mulier accepit, ſecumque tulit, ac honorificè ſepeliuit. *Cuius corpus*, inquit Petrus de Natalibus lib. 3. Catalogi cap. 32. *Sephonia* SENATRIX *accepit, & illud in naui detulit, vt Romam veniens ipſum ibidem ſepeliret*. Maximilla etiam, quæ cadauer Sancti Andreæ Apoſtoli ſepeliuit, de quâ canit Eccleſia, *Maximilla Chriſto amabilis tulit corpus Apoſtoli, optimo loco cum aromatibus ſepeliuit*, ſenatrix fuit, vndè idem Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 8. *Cuius*, inquit, *corpus Maximilla* SENATRIX *cum aromatibus ſepeliuit pridie calendas Decembris*. Semper fuit & viris, & mulieribus dignitate ſenatoriâ præditis familiaris pietas ergà defunctos, ita vt eorum quoque cadauera ſepulchro proprijs manibus inferre præclaro miſerationis obſequio voluerint.

Euſeb. Cæſar. — *Petrus de Natalibus.*

Ioſeph Arimathæus qui Chriſtum ſepeliuit, ſenator fuit.

8 Verùm præ cæteris omnibus hac fuit pietate conſpicuus Ioſeph Arimathæus, qui, Chriſto defuncto, ad Pilatum audacter acceſſit, eius cadauer ſupplicιter poſtulauit, & obtentum honorificè ſepeliuit. *Venit Ioſeph ab Arimathæâ nobilis decurio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu*. Marc. 15. 43. Quodnam verò erat hoc munus Decurionis, quod vir iſte pius exercebat? Quænam hæc erat dignitas, quâ Euangeliſta præditum eum fuiſſe affirmat? Dignitas Senatoria. Audiatur Euthymius in cap. 27. Matthæi. *Hũc Ioſeph Marcus honeſtum* SENATOREM *ſcripſit, ac expectantem regnum Dei. Honeſtum quidem, vt pote grauem, & modeſtum,* SENATOREM *verò, nempè vnum* SENATORVM *ciuitatis, erant autem* SENATORES *decuriones, conſiliarij, & officiales curiæ*. Quibus ea quoque conſonant, quæ habet Theophylactus in cap. 15. Marci. *Erat & ipſe diſcipulus, ſciens dignum honore dominum, & honeſtus, hoc eſt pius, irreprehenſibilis.* SENATOR *autem, quæ dignitas quædam erat, vel potiùs miniſterium, & onus ciuile, per quod cogebatur intendere his, quæ fori erant, & multa ſępè indè oriebantur pericula propter fori malitiam. Audiant diuites, & publicis muneribus fungentes, quomodo Ioſepho nihil obſiſtat ad virtutem* SENATORIA DIGNITAS Non obſtitit Senatoria dignitas, quâ Ioſeph Arimathæus præditus erat, pietati ergà Chriſtum defunctum, ſed eius corpus religioſus ſenator egregio miſerationis obſequio ſepeliuit.

Euthymius. — *Theophylact.*

Nobilis fuit vir, qui ſedit cum Senatoribus terra.

9 Sed illud quoq; hic obſeruandum, quòd non tantùm dicitur decurio, ſed etiam nobilis. *Venit Ioſeph ab Arimathæâ nobilis Decurio*. Marc. 15. 43. Nobilis quippè vir ille fuit, quem tanto tempore antè Salomon commendauit, dicens. *Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ*. Prou. 31. 23. Senatoriâ quippè dignitate Ioſeph iſte fulgebat, & inter ſenatores primum locum habebat. Diſce id ex Alberto Magno in cap. 15. Marci. *Nobilis, Laus eſt à natalibus, talibus enim natalibus dignus fuit, qui ſummo maieſtatis Domino in obſequio electus eſt. Hic eſt, qui laudatur in Eccleſijs Prouerb. vltimo. Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum* SENATORIBVS *terræ, inter quos tenet principatum, quia alijs fugientibus, Chriſto accreuit*. O' ſummam pij Senatoris ergà defunctum magiſtrum pietatem! Diſcamus igitur hinc, & ex alijs huiuſque in hoc capite exaratis Senatores pietate præditos eſſe debere ergà defunctos.

Albertus Magnus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXXI.

In dignitate conſtituti ſint ergà defunctos pietate conſpicui.

Quia Ioſeph in Aegypto magnâ dignitate fulgebat medicos, qui cadauera mortuorũ cōdirent, habebat.

1 NOn minuere, ſed augere debent banc pietatem dignitates, ita vt qui cæteris eſt gradu ſublimior, cæteris etiam ſit ergà defunctos clementior. Super defunctum patrem filiali pietate Ioſepb ruit, eiuſque cadauer oſculis plurimis excipiens, vberrimis lachrymis plorauit. Quod cùm egiſſet, medicis præcepit, vt pretioſis illud aromatibus condirent. *Præcepitque ſeruis ſuis medicis, vt aromatibus condirent patrem.* Geneſ. 50. 2. Qui medici non curabant ab ægritudine viuos, ſed cuſtodiebant à corruptione defunctos, non reficiebant medicaminibus corpora, ſed vngebant pigmentis cadauera, non demùm ſanitatem berbarum virtute conferebant, ſed ſepulturam aromatum effuſione honorabant. Hos ergò medicos in domo Ioſeph habebar, bos ſuis impenſis alebat, his tanquam ſeruis annua ſtipendia ſoluebat. Cur verò iſtud? Quia in dignitate conſtitutus, toti Ægypto imperabat. Decebat quippè virum tantâ dignitate conſpicuum ergà defunctos pietatē oſtendere, ac medicos, qui eorum cadauera piâ vnctione condirent, habere. Accinit Abulenſis. *Quia Ioſepb erat* PRAEPOSITVS TOTIVS AEGYPTI, *medicos multos babebat, qui ſcirent condire corpora mortuorum.* Debent, qui dignitate aliquâ præditi ſunt, ſingularem defunctis exhibere pietatem, quare Ioſeph, qui tantâ in Aegypto dignitate fulgebat, medicos multos, qui aromatibus, & pigmentis cadauera condirent mortuorum, alebat.

Abulenſis.

Senes, qui authoritatem babebant in Aegypto, cadauer Patriarchæ Iacob ſunt comitati.

2 Nec tantùm Ioſepb, ſed & cum eo ſenes Aegypti Iacob defuncto pietatem exhibuerunt; dum vnà cum eo ad Chananæorum terram, vt ſepelirent ſenis cadauer, perrexerunt. *Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Argypti.* Geneſ. 50. 7. Qui autem erant hi ſenes, & maiores natu, qui tantâ proſecuti ſunt pietate Iacob defunctũ, niſi viri dignitate præditi, atque in eo regno iudicandi authoritatem habentès. Profectò id cenſet idem Abulenſis. *Ierunt cum eo omnes ſenes, ideſt omnes viri prudentes, & iudicantes, vel* HABENTES AVTHORITATEM, *qui vocantur ſenes, ideſt ſenſati.* Qui dignitate præditi erant, authoritatemque in Aegypti regno habebant, cadauer Patriarchæ ad proprium ſepulchrum ſunt comitati, nam ad eos præcipuè ſpectat, qui ſunt in dignitate conſtituti pietatem exhibere defunctis.

Idem.

Moyſes dignitate præditus tranſtulit oſſa Ioſeph.

3 Hinc eſt, quòd cùm Iſraëlitæ, Deo iubente, ſunt ex Aegypto egreſſi, Moyſes oſſa Ioſepb ſecum tulit, & ad promiſſionis terram ſepelienda honorificè aſportauit. *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum, eo quòd adiuraſſet filios Iſrael dicens. Viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum.* Exod. 13. 19. Cur tantâ ſolertiâ mortui Patriarchæ oſſa Moyſes extulit? Cur mortuum efferre voluit, qui vix mortem effugere valebat? Cur tandem ſepulchrum effodit, oſſa eruit, & dum fugæ tempus erat, cadauer tanto ſtudio quæſiuit? Quia cùm magnâ dignitate præditus eſſet, vniuerſumque regeret populum Iſraëlitarum, defuncto Patriarchæ pietatem exhibere debebat. *Cùm* RECTOR TOTIVS POPVLI HEBRAEORVM *eſſet Moyſes, ad eum ſpecialiter iſta obligatio pertinebat, ideò ipſe aſportauit oſſa Ioſeph.* Ita idem Abulenſis. Cadaueris tranſlatione pietatem defuncto impendit, quia totum Hebræorum populum regebat, & inter cæteros dignitate præcellebat.

Idem.

Primates vrbis Galaad Saul, & Ionatha mortuis pietatem impenderunt.

4 Poſt cædem ſeptem filiorum Saul, eorumq; ſuſpenſionem, tulit Dauid à viris Iabes Galaad oſſa Saul, & Ionathæ, eaque ad proprium aſportauit ſepulchrum. *Et abijt Dauid, & tulit oſſa Saul, & oſſa Ionathæ filij eius à viris Iabes Galaad, qui furati fuerant ea de plateâ Bethſan, in quâ ſuſpenderant eos Philiſthijm, cùm interfeciſſent Saul in Gelboe, & aſportauit indè oſſa Saul, & oſſa Ionathæ filij eius.* 2. Reg. 21. 12. Aduertit autem Caietanus, Iabenſes iſtos, qui conceſſerunt cadauera Dauidi, fuiſſe vrbis illius primates, qui ea honorificè ſeruabant, & vt maiori defuncti pietate honorarentur, ad patrium ſepulchrum trãsferri permiſerunt. Ad viros quippè dignitate conſpicuos pertinebat paterni ſepulchri honorē cadaueribus concedere mortuorum. Subdo verba Caietani. *Legendum eſſet,* A' PRIMATIBVS *Iabes Galaad, conſenſus ſiquidem* PRIMATVM *ciuitatis interueniens deſcribitur, eò quòd cara illis erant oſſa Saul.* Vrbis primates conſenſum præbuerunt, vt ad proprium cadauera transferrentur ſepulchrum, nam cùm eſſent præ cæteris dignitate conſpicui, maiori, quàm cæteri, debebant proſequi pietate defunctos.

Caietanus.

Optimates totius Iſrael mortuum Samuelem luxerunt.

5 Facit etiam ad rem hanc luctus, quem in morte Samuelis Prophetæ vniuerſus edidit Iſraëlitarum populus, qui congregatus eſt, vt ei exequiarum pompâ parentaret, & iuſta funebria extremo ſepulturæ officio perſolueret. *Mortuus eſt autem Samuel, & congregatus eſt vniuerſus Iſrael, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in domo ſuâ, in Ramathâ.* 1. Reg. 25. 1. Hic iuuat ſciſcitari, quomodo ad Samuelis exequias totus ſit populus congregatus. An omnes Iſraëlitæ reliquas ciuitates deſeruerunt, & ad eam, in quâ ſepultus eſt Samuel perrexerunt? Minimè; ſed totius populi optimates funeri eius interfuerunt. Ita cenſet Abulenſis, in cap. 28. 1. Reg. *Hoc eſt ſatis conueniens, quòd multi* DE OPTIMATIBVS *totius Iſrael venerint in Ramathâ ad funera Samuelis:* Optimates totius Iſrael, qui maiori dignitate præfulgebant, exequiarum celebratione pietatem defuncto Prophetæ impenderunt, ideòq; vniuerſus dicitur populus ad eius exequias conueniſſe, quia iſti, qui ſunt maior, ac dignior populi pars, ad eas conuenerunt.

Abulenſis.

6 Non eſt hìc ſupprimendus luctus, quo Rachel

Rachel patrona vrbis Bethleem effecta plorauit mortuos.

chel filios ſuos dicitur ploraſſe defunctos. *Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus. Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Matth. 2. 18. Hi, quorum ſcribuntur cædes, & funera, in ciuitate, ac finibus Bethleem interfecti fuerunt, quæ ſpectabat ad tribum Iuda, filij Liæ. Cur ergò Rachel eos luxiſſe dicitur, & non Lia? An quia Rachel, cùm iuxtà Bethleem ſepulta eſſet, veluti vrbis patrona erat, ideòque peculiari luctu mortuos honorare debebat? Ita exiſtimauit Hugo Cardinalis in cap. 10. lib. 1. Regum. *Rachel propè Bethleem ſepulta fuit, ideò quaſi* PATRONA VRBIS *erat, & ideò plorare filios ſuos dicitur.* Ad eos præcipuè ſpectat pietas ergà defunctos, qui aliquâ ſunt dignitate conſpicui, quare cùm Rachel vrbis Bethleem patrona eſſet, pio luctu Bethleemitas honorauit defunctos.

Hugo Card.

Magna dignitatis fuit Ioſeph Arimathæus, qui Chriſtum ſepeliuit.

7 Confirmat hoc ipſum Ioſeph Arimathæus, qui cùm eſſet nobilis Decurio, Chriſtum audacter ſepeliuit, eiuſque ſepulturam pretioſis aromatibus honorauit. *Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat Decurio, vir bonus, & iuſtus.* Luc. 23. 50. Vbi obſeruat Caietanus, magnæ dignitatis hunc virum fuiſſe, cæteriſque alijs ratione muneris, quod gerebat, præfectum. *Non eſt hoc in loco Decurio nomen militaris officij, ſed nomen* DIGNITATIS, *putà ſenator. Decurionis enim nomen in Senatores aliarum vrbium, & in præfectos alijs translatum eſt.* Quibus ſimilia ſunt, quæ habet Gloſſa in cap. 15. Marci. *Officium curiæ adminiſtrans,* MAGNAE DIGNITATIS *apud ſæculum, maioris apud Deum fuiſſe legitur.* Magnâ dignitate præditus fuit, qui Chriſtum defunctum extremis pietatis officijs honorauit, nam qui magnâ præcellunt dignitate, magnâ etiam defunctos proſequuntur pietate.

Caietanus.

Gloſſa.

Qui dignitate præcellebant, munera Imperatorib. defunctis exhibebant.

8 Hoc in Imperatorum funeribus obſeruabant Romani, in quibus quicumque dignitate aliquâ præcellebat, ſupremis muneribus defunctum principem honorabat. Nouerant nimirum & ipſi ab ijs, qui ſunt in dignitate conſtituti, peculiarem defunctis deberi pietatem. Refert hoc Herodianus lib. 4. *Neque gens eſt, neque ciuitas, neque qui honore vllo, aut* DIGNITATE *præcellat, quin certatim pro ſe quiſque ſuprema illa munera principis honori deferant.* Vides illos præcipuâ pietate honoraſſe defunctos, qui præcipuis erant præditi dignitatibus?

Herodianus.

Dignitate præditi cadauera extulerunt mortuorum.

9 Sed illud quoque aduertendum eſt, non rarò eos, qui erant in dignitate conſtituti, conſueuiſſe mortuorum cadauera efferre, ac ſepulchro mandare. Hinc Suetonius in Claudio loquens de funere Druſi cap. 1. ait. *Corpus eius per municipiorum, coloniarumque* PRIMORES, *ſuſcipientibus obuijs ſcribarum Decurijs, ad vrbem deuectum, ſepultum eſt in Martio Campo.* Idem in Cæſare cap. 84. *Lectum*, inquit, *pro Roſtris in forum* MAGISTRATVS, ET HONORIBVS FVNCTI *detulerunt.* Dio etiam Caſſius lib. 56. Hiſt. Rom. ſcribit, cadauer Auguſti à primoribus ſingularũ vrbium fuiſſe elatum. *Corpus Auguſti Nolâ ad Romam vſque* PRIMORES *ſingularum ciuitatum per ordinem geſtauerunt.* Adeò cenſebant ſe mortuis debere pietatem, qui dignitatibus præditi erant, vt eorum cadauera ſuis humeris geſtare, atque ad ſepulchrum efferre voluerint.

Suetonius.

Dio.

Pietas Victorij Comitis in Antiſtitẽ defunctum.

10 Addo in calce Capitis pietatem, quam ergà defunctum Antiſtitem Victorius Comes oſtẽdit, quamque Sidonius Apollinaris lib. 7. Epiſtolâ 17. egregijs laudibus commendauit. Iſte quippè munere, quem gerebat, præclarus, & dignitate, quâ præditus erat, conſpicuus, multâ mortuum ſacerdotem eſt pietate proſecutus. *Satis docuit, quæ ſibi, aut qualis ergà famulos Chriſti cura ferueret, cùm thorum circà decumbentis Antiſtitis, non* DIGNITATEM *minùs, quàm membra curuatus, ac ſuprà vultum propinquâ morte pallentem dolore concolor factus, quid viro vellet, lachrymis indicibus oſtenderet. Et quia ſibi maximas humandi funeris partes ipſe præripuit, totum apparatum ſupercurrentis impendij, quod funerando ſacerdoti competeret, impartiens, ſaltem ad obſequium, quæ remanſerunt, verba conferimus.* Poterat ne pietas viri ampliſſimi, ac præclaræ dignitatis faſtigio conſpicui elegantioribus verbis deſcribi? Hæc profectò ſatis indicant, viros dignitatibus præditos præcipuam mortuis debere pietatem. Rectè igitur monui, dum dixi; In dignitate conſtituti ſint ergà defunctos pietate conſpicui.

Sidonius.

CAPVT XXXII.

Mulieres nobilitate præditæ debent eſſe in mortuos piæ.

Magdalena, & Martha nobiles mulieres Lazaro defuncto pietatem exhibuerunt.

1 A Viris in dignitate conſtitutis ad mulieres nobiles tranſeo, quas mortuis debere pietatem, oſtenderunt in primis Martha, & Magdalena, quæ tantâ pietate pro fratre defuncto Chriſtum rogauerũt, ſuiſque precibus vitam ei obtinuerunt. Reſurrectionis autem miraculo multi affuerunt ex Iudæis, qui ad eas conſolationis gratiâ perrexerant, & vnà cum illis ad ſepulchrum profecti, Lazarum viderunt è ſepulchri tenebris ad vitæ lucem redeuntem. *Multi ergò ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum.* Ioan. 11. 45. Cæterùm quomodo ad has mulieres in Chriſtum credentes Iudæi acceſſerunt, cùm iam ſtatuiſſent omnes è ſynagogâ eijcere illum confitentes? Quomodo conſolationes illis attulerunt, quas vt Chriſtum diligentes odio habebant? Reſpondet D. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Ioan. cap. 17. id eos egiſſe, quia hæ mulieres ex illuſtri genere, ac nobiles erant. *Quaſi* NOBILES HAS MVLIERES *reuerentes, eas conſolabantur.* Nobiles erant hæ mulieres, quæ tantam pietatem defuncto Lazaro impenderunt, ſuâque hac pietate nos docuerunt, ad mulieres quoque nobiles pertinere pietatem exhibere defunctis.

D. Cyr. Alex.

2 Eâdem nobilitate prædita erat Reſpha,

Reſpha mulier nobilis mortuorũ cadauera custodiuit.

quæ defunctorum cadauera in monte à Gabaonitis ſuſpenſa cuſtodiuit,ac,ne à beſtijs, & auibus lacerarentur, curauit. *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſuprà petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. 10. Obſeruat autem Caietanus, hanc mulierem ſecum famulos, & famulas habuiſſe, nam cùm nobilis eſſet, non decebat eam in monte ſolam manere, ac ſine famulitio mortuorum cadauera diurno, ac nocturno tempore cuſtodire. *Ne ſis ita rudis, vt intelligas,* MVLIEREM NOBILEM *ſolam manſiſſe ibi, cuſtodiamque hanc exercuiſſe, ſed famulas, ac famulos ſecum habuiſſe.* Debent ſingulari pietate mulieres nobiles honorare defunctos, vndè Reſpha, quæ nobilitate prædita erat, nocte, ac die cadauera cuſtodiuit mortuorum.

Caietanus.

Matrona Sunamitis Eliſæum pro filij ſuſcitatione orauit.

3 Hùc etiam perſeuerantia ſpectat, quâ mulier Sunamitis Eliſæum rogauit, vt filio ſuo amiſſam vitam iterum impertiret. *Porrò mater pueri ait, Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergò, & ſecutus eſt eam.* 4. Reg. 4. 30. Præceperat Propheta Giezi puero, vt baculum ſuum tollens, ad mortuum pergeret, ſuperque vultum illius eum poneret, nec tamen hoc matri ſuffecit, ſed iteratis precibus prophetam ipſum, vt ſecum ad filij veniret cadauer, orauit. Cur tam diuturnas coram Eliſæo hæc mulier preces effudit? Cur poſt miſſum puerum adhuc eius aduentum adeò efficaci poſtulatione rogauit? Cur demum apprehenſis eius pedibus, donec iret, illum dimittere noluit? Quia mulier nobilis, ac matrona erat. Hanc reddit rationẽ Dionyſius Carthuſianus. *Habuit iſta* MATRONA *maiorem in Eliſæo fiduciam, quàm in eius miniſtro.* Matrona hæc mulier fuit, ideòque pueri miſſione haud contenta, iteratis precibus Eliſæum, vt ad filium defunctum veniret, rogauit, nam ad matronas pertinet, crebras, ac feruentes pro mortuis effundere preces.

Dion. Carth.

Mulierũ nobilium luctus diù durabat.

4 Non omittam etiam hìc expendere luctũ, quem in morte Vrię Bethſabee vxor illius edidit, virum enim ſuum nonnullis diebus hæc mulier plorauit, & luctu tranſacto, Regem Dauid, cum quo adulterium patrauerat, coniugem ac cepit. *Tranſactoque luctu miſit Dauid, & introduxit eam in domum ſuam, & facta eſt ei vxor, peperitque ei filium.* 2. Reg. 11. 27. Hìc autem notat Caietanus, Bethſabee hoc luctu adulterij crimen, quod patrauerat, cunctis manifeſtum feciſſe, nã cùm mulieres nobiles diù ſolerent lugere defunctos, hæcq; multo tempore maritum plorauerit, ac deindè ſtatim poſt nouas nuptias initas filium peperit, manifeſtè oſtendit, ſe turpiter cognitã fuiſſe à Rege antè mortem mariti. *In hoc facto publicauit adulterium, pariente præſertim illâ in tam breui tempore poſt nuptias, multi enim menſes præterierant, nam ſaltem poſt menſem agnouit ſe grauidã, & tempus luctûs* NOBILIVM MVLIERVM *non modicum credendum eſt.* Non modico tempore defunctos nobiles mulieres lugebant, ſed eos pietate diuturnâ proſequebantur, & iccircò paulò antè partum luctum, quo mortuum maritum Bethſabee luxit, compleuit, ac propterea crimen, quod cum Rege commiſerat, manifeſtauit.

Caietanus.

5 Pergo, & oſtendo, tantâ pietate mulieres nobiles proſecutas fuiſſe defunctos, vt eorum cadauera frequenter humare, & eſtremo ſepulturę officio donare voluerint. Hoc non ſemel, aut iterum, ſed ſæpè oſtendit Breuiarium Romanum. Beati Martyris Pancratij cadauer Octauilla matrona vnguentis deliniuit, & honorificè Aureliâ viâ ſepeliuit. Vndè die 12. Maij ait. *Cuius corpus Octauilla* MATRONA *noctù ſuſtulit, & vnguentis delibutum viâ Aureliâ ſepeliuit.* Rufinam item, & Secundam virgines Romanas à Plautillâ matronâ refert in eius prædio ſepultas die 10. Iulij. *Quarum corpora à Plautillâ* MATRONA *in eius prædio ſepulta.* Sanctórum quoque Viti, Modeſti, & Creſcentiæ corpora narrat die 15. Iunij vnguentis condita, & honorificè terræ à Florentiâ matronâ mandata. *Eas reliquias Florentia* NOBILIS FOEMINA *vnguentis conditas honorificè ſepeliuit.* Sabinam etiam ſcribit matronam Romanam Seraphiæ virginis cadauer poſt martyrium ſepulchralibus honoribus proſecutam fuiſſe die 29. Auguſti. *Sabina mulier Romana Valentini* VIRI CLARISSIMI VXOR *à Seraphiâ Virgine Chriſtianæ fidei præceptis inſtituta, poſt ſanctæ Virginis martyrium collectas eius reliquias pijs exequijs ſepeliuit.* Rursùs die 9. Nouembris Sancti Theodori corpus ab Euſebiâ matronâ dicit ſindone inuolutum, ac in ſuo prædio fuiſſe ſepultum. *Cuius corpus Euſebia* MATRONA *ſindone inuolutum ſepeliuit in ſuo prædio.* Petrus demùm de Natalibus lib. 3. Catalogi cap. 124. ſcribit, corpus Sancti Valentini à Sauinellâ matronâ collectum fuiſſe, atque humatum. *Cuius corpus à quadam* MATRONA *Sauinellâ collectum, in eodem loco ſepultum eſt.* Vide, quã frequenter mulieres nobiles, ac matronæ ſepulchralia præſtiterint obſequia defunctis.

Matronæ frequenter mortuorum cadauera ſepeliuerunt.

Breu. Rom.

Petrus de Natalibus.

6 Inſignis etiam fuit pietas, quâ matrona corpus humauit Sancti Lupicini, quæ illud rapuit, & cum cereis, & aromatibus eccleſiaſtica pompâ terræ mandauit. Quod narrat in Bibliothecâ veterum patrum D. Gregorius Turonenſis lib. de vitâ ſanctorum Patrum cap. 7. *Conuocatis* MATRONA *auxilijs, fugatis Pagenſibus, rapuit ſanctum corpus, & ferre cœpit in feretro ad vicum Trãſaliacenſem, depoſitis in itinere pſallentium turmis, cum crucibus, cereis, atque odore flagrantis thymiamatis.* Nouerat matronarum eſſe pietate proſequi defunctos, ideòque cadauer ſtudiosè raptum nobili funere duxit, ac pręclarâ pietate ſepeliuit.

Matrona Sancti Lupicini raptum cadauer ſepeliuit.

D. Gregorius Turonenſis.

7 Hanc nõ ignorauerunt veritatẽ Gentiles, quare ſcribit Herodianus lib. 4. in funeribus Imperatorũ, non tantũ ſenatores atratos aſtitiſſe, verùm etiã exequijs matronas interfuiſſe lugentes. *Circà lectum verò vtrinq; magnã partem diei ſedent, à læuâ quidẽ ſenatus omnis veſtibus atratis amictus, à dextrâ verò* MATRONAE, *quæ virorum, aut parentium*

Exequijs Imperatorũ aſſiſtebant matronæ.

Herodotus.

Digitized by Google

tum dignitas honeſtat. Mulieres, quæ magnâ præcellebant dignitate, magnâ flagrabant erga defunctum Imperatorem pietate, & vnà cum Senatoribus pio eum luctu honorabant.

Matronæ mortuos per annũ deponẽtes aurum, & purpuram, lugebant.

8 Nec modico tempore hoc luctu mortuis pietatem matronæ impendebant, ſed eos per integrum annum lugebant. Teſtatur hoc Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 5. Antiquitat. Romanar. loquens de funere Valerij Poplicolæ. MATRONAE *quoque vniuerſæ communi conſenſu eum, ſicut priùs Iunium Brutum, depoſito auro, & purpurâ per integrum annum luxerunt.* Idemque Plutarchus affirmat in Poplicolâ. MATRONAE *ſeorſùm concilio habito, ad ſingulare eius decus, & laudem totum annum luxerunt.* Toto autem hoc tempore aurum, purpuramque deponebant, & atra veſtimenta ſumebant. Quod ſcribit Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Tempore luctûs* MATRONAE *purpuram, aurumq; deponunt, atraſque veſtes induunt, & in pellibus degunt, nec illa reſumere, donec eluxerunt, licet.* Diù mortuos atratæ matronæ lugebant, vt lachrymis, ac veſtibus ſuam teſtarentur erga mortuos pietatem.

Dion. Halic.

Plutarchus.

Alex. ab Al.

In Cannenſi clade nulla matrona in vrbe luctûs expers fuit.

9 Poſtremo loco luctum expendo, quem in Cannenſi clade Romanæ matronæ ediderunt, quæ interfectos milites, omnes plorauerunt, ita vt nulla in vrbe nobilis mulier extiterit, quæ luctûs illius expers fuerit. Diſco id ex Liuio lib. 22. *Adeò totam vrbem expleuit luctus, vt ſacrum anniuerſarium Cereris intermiſſum ſit: quia nec lugentibus id facere eſt fas, nec vlla in illâ tempeſtate* MATRONA *expers luctûs fuerat.* Non decet Matronam in funeribus non exhibere defunctis pietatem, quare in Cannenſi clade omnes vrbis matronæ mortuos luxerunt, nec vlla reperta fuit, quæ ſuis lachrymis non parentauerit interfectis. Nedùm igitur viri in dignitate conſtituti clemẽtiam tenentur impendere defunctis, ſed & mulieres nobilitate præditæ debẽt eſſe in mortuos piæ.

Liuius.

CAPVT XXXIII.

Aulici miſerationis obſequia tenentur præſtare defunctis.

Iacob voluit à filio aulico ſibi defuncto pietatem impendi.

1 AVlicis quoque hanc debemus ergà defunctos perſuadere pietatem, vt mortui, qui ad cœleſtem properant aulam, ab ijs, qui terrenis miniſtrant aulis, adiuuentur. Caput autem exordior à Iacob Patriarchâ, qui cùm ad extremam ſenectutem perueniens, diem ſuæ mortis cerneret appropinquantem, filium ſuum Ioſeph vocauit, eumque, vt ſuum ad patrium ſepulchrum transferret cadauer, enixè rogauit. *Cùmque appropinquare cerneret diem mortis ſuæ, vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ad eum; Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub fæmore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum patribus meis.* Gen. 47. 29. Aduertit autem Abulenſis, Iacob vocauiſſe filium ſuum per nuncios, quia ipſe morabatur in terrâ Geſſen, Ioſeph autem in Regis curiâ ſemper manebat. Ex quo patet, Iacob voluiſſe à filio aulico, & ſemper in curiâ moranti pietatem ſibi exhiberi defuncto. Nouerat quippè ſanctus ſenex, aulicos, & curiales debere mortuis impendere pietatem. Subdo verba Abulẽſis. *Vocauit filium ſuum Ioſeph, ideſt fecit eum vocari per nuncium, quia non morabatur in eodem loco Ioſeph, in quo pater ſuus Iacob, quia Iacob manebat in terrâ Geſſen, Ioſeph autem* SEMPER ERAT IN CVRIA REGIS. Sepulturam ſui cadaueris commendauit Iacob filio aulico, & in curiâ commoranti, quia præcipuâ tenentur aulici, & curiales proſequi pietate defunctos.

Abulenſis.

Ioſeph per aulicos facultatem obtinuit transferendi paternum cadauer.

2 Agnouit hoc & ipſe Ioſeph, vndè mortuum cernens patrem, eiuſque vltimæ voluntati morem gerere cupiens, familiam rogauit Pharaonis, vt ſibi facultatem eundi ad terram Chananæorum, ibique paternum cadauer humandi à Rege impetrarent. *Et expleto planctûs tempore locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis. Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis, eò quòd pater meus adiurauerit me, dicens; En morior, In ſepulchro meo, quod fodi mihi in terrâ Chanaan, ſepelies me.* Gen. 50. 4. Cur Ioſeph per ſeipſum Regem non rogauit, eique quod cupiebat, non patefecit? Quid interceſſoribus egebat, qui ſecundus poſt Pharaonem in Aegypti Regno imperabat? Quam tandem ob cauſam noluit pro hac facultate illũ adire, quem pro negotijs regni quotidie adibat? Vt aulicis mortui patris translationem commẽdaret, eoſque ad pietatem ei exhibendam ſuis precibus excitaret. Audi Lippomanum in catenâ ita loquentem. *Secundus à Rege interceſſores mittit, vt fauorem experiretur* AVLICORVM *in externum ſe hominem, quandoquidem difficilè impetrandam translationem putauit corporis.* Vt mortuo patri extremum ſepulturæ officium à Rege impetraret, ad aulicos confugit; ad aulicos enim ſpectat mortuis exhibere pietatem.

Lippomanus.

Aulici vnà cum eo aſcenderunt ad patrium ſepulchrum.

3 Hinc eſt, quòd cùm ad Chananæorum terram cum patris cadauere aſcendit, ierunt etiam cum eo Pharaonis ſeniores, & maiores natu terræ Aegypti. *Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domùs Pharaonis, cunctique maiores natu Aegypti.* Gen. 50. 7. Quòd ſi quæratur, quinam eſſent hi, qui tantâ pietate funus patriarchæ duxerunt, ac tam diuturno luctu ei parentauerunt, reſpondet Oleaſter in Annotatione morali, aulicos eos fuiſſe, qui morabantur in curiâ Pharaonis, hancque pietatem intuitu Ioſeph eius patri exhibuiſſe. *Diſcamus, qualiter* AVLICI *ei in omnibus obſequuntur, quem viderint Regi eſſe acceptum, & gratum.* Aulici fuerunt, qui patri defuncto, vt filio ſuperſtiti obſequerentur, tantam impenderunt pietatem, neceſſitatibus namque defunctorũ debet miſeratio ſubuenire aulicorũ.

Oleaſter.

4 Sed & Abrahã in funere defũctæ vxoris auli-

Hethæorũ curia vxori Abrahæ ſepulchrum cõceſſit.

corum eſt expertus pietatem, cùm locum poſtulans ab Hethæis, apud quos tunc habitabat, in quo eius cadauer humare poſſet, eos audiuit electa, & magnificentiora ſepulchra certatim ſibi offerentes. *Reſponderunt filÿ Heth, dicentes, Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit, quin in monumento eius ſepelias mortuum tuum.* Gen. 23. 6. Quamobrem tam celeriter Abrahæ preces Hethæi exaudierunt? Quare tantâ pietate illi reſponderunt? Cur denũm tam promptè ſua ſepulchra pro coniugis humatione ei obtulerunt? Quia tanquam curiales eum audierunt, aulicorumque more illi reſpõderunt. Opportunus adeſt Lyranus. *Hic conſequenter agitur de ſepulturâ Saræ, & primò ponitur* CVRIALIS *populi reſponſio*. Tanquam curiales Hethæi Abrahæ reſponderunt, dum tantâ ei pietate ſepulchra ſua pro ſepulturâ coniugis obtulerunt, nam valdè ſpectat ad curiales miſereri mortuorum.

Lyranus.

Ioſeph Arimathæus, qui Chriſtum ſepeliuit, curialis fuit.

5 Quapropter Ioſeph Arimathæus, qui Chriſti cadauer tantâ petijt audaciâ, tantâque humauit, & honorauit pompâ, Decurio fuit. *Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat Decurio, vir bonus, & iuſtus.* Luc. 23. 50. Cur autem Decurio dictus fuit, niſi quia de curiâ erat, & curiæ muneribus præcellebat? Rectè Albertus Magnus. *Decurio, quia erat aliquis officialium* CVRIAE. Et ſubſignat Beda in catenâ. *Decurio vocatur, quòd ſit de ordine* CVRIAE, *& officia* CVRIAE *adminiſtret.* Debent curiales præcipuâ pietate honorare defunctos, ideòque Ioſeph Arimathæus, qui curialis fuit, tantâ pompâ, & pietate Chriſtum defunctum honorauit.

Alb. Magnus.

Beda.

Apud Sinas curiales quater in anno parentãt Regibus, ac Reginis defũctis.

6 Huc ſpectat mos adhuc apud Sinas vigens, quo conuenerunt omnes curiales quotannis quater ad Regum, Reginarumque ſepulchra conuenire, donaria deferre, à delicatioribus cibis abſtinere, alijſque pietatis obſequijs defunctis parentare. Norunt ſcilicet à curialibus & magnâ, & ſæpè mortuis deberi pietatem. Refert hunc Nicolaus Trigautius lib. 1. expedit. Chriſtian. apud Sinas cap. 7. his verbis. *Quater annis ſingulis ſub quatuor anni tempeſtates* CVRIALES OMNES MAGISTRATVS *ad priſcorum Regum, & Reginarum ſepulchra conueniunt, & ſuos ritus, ac donaria deferunt.* Animaduerte, quâ ſolertiâ, & frequentiâ mortuis principibus curiales omnes conſueſcant exhibere pietatem.

Nicolaus Trigautius.

Aula ſummi Pontificis virginis Claræ funeri interfuit.

7 Egregiam quoque pietatem ſummi Pontificis Innocentij Quarti aula ſanctæ virginis Claræ funeri exhibuit, quæ vnà cùm ſummo Antiſtite ad locum vbi cadauer iacebat profecta, magnificas pauperrimæ mulieri exequias celebrauit. Narrat hoc Baptiſta Fulgoſus lib. 8. de dictis factiſque mirabil. cap. 16. *Cum toto vrbis illius populo,* TOTAQVE AVLA, *vbi mortuæ corpus erat, profectus, canentibus tubicinibus, intrà vrbem, non vt mortuam, ſed in triumphantis ſpeciem eam detulit.* O' præclaram, & maximam Maximi Pontificis, aulæque illius ergà defunctam Virginem pietatem. Diſcant hinc Aulici, ſe teneri miſerationis obſequia præſtare defunctis.

Fulgoſus.

CAPVT XXXIV.

Militum munus eſt piè honorare defunctos.

Iabenſes, qui Saul, eiuſque filÿs mortuis pietatem exhibuerunt, milites fuerunt.

1 Militaria caſtra capite iſto ſunt luſtrãda, & oſtendendum eſt à militibus quoque mortuis deberi pietatem. Corruerat infœliciter interemptus in monte Gelboë Saul rex Iſraël, cuius mortem vt Philiſthæi agnouerunt, caput à reliquo corpore præſciderunt, & in terram ſuam illud mittentes, cadauer vnà cum corporibus filiorum eius in muro Bethſan à volucribus laniandum, & à feris diſcerpendum crudeliter ſuſpenderunt. Cuius impietatis certiores effecti viri Iabes Galaad, ſurrexerunt ex eis omnes fortiſſimi, & ad hoſtium mœnia totâ nocte properantes, cadauera indè abſtulerunt, & honorificè cremata ſepelierunt. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntque Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni.* 1. Reg. 31. 12. At quinam fuerunt hi viri fortiſſimi, qui nocturnum iter aggreſſi, nulli pepercerunt labori, nullumque metuerunt periculum, vt cadauera ſepelirent mortuorum? Viri militares, ac pugnatores, qui præclaræ fortitudinis in prælijs meruerant laudem. Adſtipulatur Abulenſis. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, ſcilicet* OMNES VIRI PVGNATORES, *qui erant in vrbe Iabes, congregati ſunt, & iuerunt in Bethſan ad portandum indè cadauera Saulis, & filiorum ſuorum.* Ex omnibus viris, qui erant in vrbe Iabes, milites tantummodo ad tam egregium facinus perrexerunt, & cadauera ſepulturæ obſequijs honoranda è muris hoſtium abſtulerunt, atque ad propria delata honorificâ pompâ condiderunt.

Abulenſis.

Milites quinque Reges Ioſue interfectos de patibulis depoſitos humauerunt.

2 Sed & milites fuerunt, qui quinque Reges à Ioſue ſuper quinque ſtipites ſuſpenſos, occumbente Sole, de patibulis depoſuerunt, & in ſpeluncâ ſepelierunt. *Cùmq; occumberet Sol præcepit ſocÿs, vt deponerent eos de patibulis. Qui depoſitos proiecerunt in ſpeluncam, in quâ latuerant, & poſuerunt ſuper os eius ſaxa ingentia, quæ permanent vſque in præſens.* Ioſue. 10. 27. Qui enim ſocij ducum dicuntur, niſi milites, quos illi habent in militiâ conſortes? Dum igitur Ioſue, qui erat Iſraëlitici populi dux, ſocijs ſuis præcepit, vt Regum cadauera de patibulis deponerent, ac ſepelirent, vtiq; hanc ſepulturæ curam ſuis militibus commiſit. Annuit idem Abulenſis. *Præcepit ſocÿs, idest aliquibus* MILITIBVS SVIS, *quos vocat ſocios in bello, nam & ipſi duces omnes alios* MILITANTES *ſub eis ſocios appellare ſolent, & ipſi Imperatores Romani vocabant* MILITES *ſuos commilitones, idest ſocios in militiâ.* Debent milites pietatem exhibere defunctis, vndè Ioſue ſocijs, ac militibus ſuis præcepit, vt Regũ cadauera piè ſepelirent mortuorũ.

Idem.

3 Hinc

Cum Ioſeph eius milites aſcenderunt, vt cadauer Iacob ad patrium efferrent ſepulchrum.

3 Hinc & in morte Patriarchæ Iacob, cùm eius funus celebri pompâ duceretur, & vſque ad Chananæorum terram cadauer transferretur, nō tantùm ſenes domûs Pharaonis, & maiores natu terræ Aegypti cum Ioſeph perrexerunt, ſed etiam domus illius vnà cum eo dicitur profecta. *Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domûs Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Aegypti, domus Ioſeph cum fratribus ſuis.* Gen. 50. 8. Quòd ſi quæratur, quinam intelligantur per domum Ioſeph, in promptu eſt reſponſio eiuſdem Abulenſis, qui ait famulos intelligi, ac milites, quos Ioſeph ſuis impenſis alebat. *Domus Ioſeph, ideſt omnes famuli Ioſeph, &* MILITES SVI. *Idem.* Defuncto Iacob milites pietatem exhibuerunt, & vſq; ad patrium ſepulchrum longo itinere, vt exequiarum, & funeris pompâ augerent, extulerunt.

Milites Abſalom defunctum lugentes.

4 Cùm Abſalom contrà patrem ingratus inſurrexiſſet, regnumque populi ſeditione aucupaſſet, prælio tandem victus, & tribus lanceis fuit à Ioab confoſſus. Quod cùm Dauidi nunciatum fuiſſet, vberrimis lachrymis plorauit, & inconſolabiliter lugens, filio licet ingrato piè parentauit. Lachrymas autem regis intelligens populus, noluit ingredi ciuitatem, ſed plorans ipſe quoque, verſa eſt victoria in luctum. *Et declinauit populus in die illâ ingredi ciuitatem, quomodo declinare ſolet populus verſus, & fugiens de prælio.* 2. Reg. 19. 3. Poteſt hìc dubitari, quinam populus hìc eſſet, qui ciuitatem noluit introire, ſed lachrymis, ac luctui vacare. Nonnè populus erat cum Rege in vrbe, dum Abſalom eius filius fuit à Ioab interfectus? Quomodo ergò dicitur declinauiſſe, ac ciuitatem ingredi noluiſſe? Non populus hìc ſignificatur, qui erat cum Rege, ſed ille, qui erat cum Ioab principe militiæ, videlicet militum exercitus, qui Regis exemplo commoti, eum ipſum Abſalom, quem interfecerant viuum, ſuo luctu honorauerunt mortuum. Do Ioſeph Hebræum lib. 7. Antiquit. Iudaic. cap. 10. hæc ſcribentem. EXERCITVM, *& Ioabum, audito, quòd Rex filium ita lugeat, puduit triumphabundos in oppidum ingredi, ſed emiſſo capite lachrymantes, non aliter, quàm clade acceptâ veniebant.* *Ioſeph Hebræus.* Non triumphauit, ſed in morte Abſalom exercitus plorauit, militari pietate principem honorans defunctum.

Milites Aſael defunctū plorantes.

5 Quâ etiam militari pietate honoratus eſt Aſaël, dum ab Abner haſtâ in inguine percuſſus, corruit immundo ſanguine aſperſus in viâ. Omnes enim milites, qui Abner, viroſque illius vnà cum Ioab perſequebantur, vt ad locum perueniebant, in quo cadauer iacebat, ſubſiſtebant, & pugnæ obliti vltrà non progrediebantur. *Percuſſit ergò eum Abner auersâ haſtâ in inguine, & transfodit, & mortuus eſt in eodem loco, omneſque, qui tranſibant per locum illum, in quo ceciderat Aſael, & mortuus erat, ſubſiſtebant.* 2. Reg. 2. 3. Agnoſce hìc ingentem horum militum erga defūctum commilitonem pietatem, qui dum in ipſo prælij ardore hoſtes victoriæ cupidi perſequebantur, nō poterant tamen, cùm ad eius cadauer perueniebant, non ſubſiſtere, ac pijs eum lachrymis non lugere. *Magno*, inquit Gaſpar Sanctius, *animorum ardore, & incitato curſu ſuos inſequebantur hoſtes,* QVI DAVIDIS SEQVEBANTVR SIGNA, *at illorum fregit animos, & retardauit greſſus in medio curſu exanimatus Aſael.* *Sanctius.* A' fortitudine ad pietatem flectebantur militum animi, cùm proiectum, & ſanguine conſperſum intuebantur cadauer, & iccircò prælium interrumpentes, ſubſiſtebant, & defunctū pio luctu plorabant.

Ad Amaſa cadauer peruenie̅tes ſubſiſtebant.

6 Idemque contigit, cùm Amaſa doloſè à Ioab interfectus, iacebat ipſe quoque in itinere proiectus, omnes enim, qui eò perueniebant, ſubſiſtebant, ac prælium omittebant, quapropter neceſſe fuit, vt vir quidam cadauer amoueret, & ad agrum transferret. *Amaſa autem conſperſus ſanguine iacebat in mediâ viâ. Vidit, hoc quidam vir, quòd ſubſiſteret omnis populus ad videndū eum, & amouit Amaſam de viâ in agrum, operuitque eum veſtimento, ne ſubſiſterent tranſeuntes propter eum.* 2. Reg. 20. 12. Siſtebant milites ad prælium procedentes, cùm ad Amaſæ cadauer perueniebant pietate in eum affecti, quare ne propter hoc prælium impediretur, amotum eſt cadauer, & aliò translatum. Rectè Abulenſis. *Ne ſubſiſterent tranſeuntes propter eum, ſcilicet quia ex hoc impediebantur perſequi Abiſai, & Ioab* EVNTES AD BELLVM. *Abulenſis.* Tantâ præditi fuerunt in defunctum virum pietate milites, dum procedebant ad bellum, vt propter eum ſubſiſterent, prælium omitterent, cunctaque miſerationis obſequijs, quæ illi exhibebant, poſthaberent.

Milites omnia pietatis obſequia exhibuerunt mortuis.

7 Sed quid moror, dum conſtat milites ſemper in defunctos clementes, omnia eis obſequia impendiſſe pietatis? In Imperatoris Marci exequijs luctus vniuerſum exercitum occupauit, vndè ait Herodianus lib. 1. *Poſtquam illius mortem fama vulgauit, incredibilis repentè* EXERCITVM IPSVM *luctus occupauit.* *Herodianus.* Idem egiſſe milites in funere Othonis ſcribit Suetonius in eius vitâ cap. 12. *Suetonius.* *Multi præſentium* MILITVM *cum plurimo fletu manus, ac pedes iacentis ex oſculati.* Nec aliter Aeneæ milites interfectorum commilitonum mortem luxerunt, de quibus ait Virg lib. 11. Æn. *Virgilius.*

Spargitur & tellus lachrymis, ſpargūtur, & arma,
It coelo clamorque virûm, clangorque tubarum

Vbi ait Donatus. *Alterum pertinebat ad gemitus animi, alterum ad exequias* BELLATORVM. *Donatus.* Nec tantùm luctu, ſed & cantu pietatem interdum milites exhibuerunt defunctis. Quod in Regum ſuorum morte præſtant Perſæ, vt ait Alexander Sardus lib. 1. de moribus Gentium cap. 24. *Alexander Sardus.* *Septem dies in contubernia diuiſi* MILITES *epulantur, canuntque nænias.* Aſtitiſſe quoque militem cadaueribus, teſtatur Euſebius Cæſarienſis lib. 6. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 30. *Euſ. Cæſar.* *Vir quidam* MILITARIS, *cùm aſſiſteret, & quoſdam volentes etiam mortuis illudere cadaueribus reprimeret, clamor repentè aduerſùs cum totius vulgi extollitur.* Sed & cadauera interdum extulerunt, vndè Dio

Caſſius lib. 55. Hiſt. Rom. de cadauere Druſi loquens, ait. *Romam corpus defuncti attulit, portantibus id princ pio vſque ad hyberna* CENTVRIONIBVS, AC TRIBVNIS MILITVM. Funera verò ab eis comitata ſæpè leguntur. Euſebius Cæſarienſis lib. 4. de vitâ Conſtantini. *Omnes primi cunei* MILITVM, *decem millia armatorum funus obibant*. Ioſeph Hebræus lib. 1. de bello Iudaico cap. vltimo. *Omnes veluti ad bellum inſtructi lectum antecedebant. Cætera autem* MILITVM MANVS ARMATA *ducesque ſuos, ordinumq; principes decenter ſequebatur*. Tumulos quoque interdum eis erexerunt. Suetonius in Claudio cap. 1. *Cæterùm* EXERCITVS *honorarium ei tumulum excitauit, circà quem deinceps ſtato die quotannis* MILES *decurreret*. Vides omnia pietatis obſequia defunctis promptè à militibus impenſa?

Dio Caſſius. *Euſ. Cæſar.* *Ioſeph Hebr.* *Suetonius.*

Militaria ſtudia ergà mortuos duces & imperatores.

8 Verùm militaria ſtudia ergà defunctos optimè deſcribit Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. dum pompam recenſet, quâ in centurias, ac legiones milites diſtinctis ſuis Imperatoribus, ac ducibus publico luctu parentabant. *Sæpè Imperatoris, aut Ducis, qui occubuiſſet in acie, funus,* QVILIBET, QVANTVM POTERANT, MILITARIBVS STVDIIS *celebrarunt. Ea pompa fuit, vt armatæ, inſtructæque legiones in turmas, & centurias cum vexillis militaribus inuerſis, aut abiectis militiæ inſignibus, defunctum comitentur, phalerasque equis detrahant, enſium mucrones, & lancearum cuſpides humi deiectos fer nt, & rogum luſtrent*. O ingentem militum ergà mortuos pietatem, qui tantâ eos poſtà honorabant, tantâque miſeratione illorum funera ducebant.

Alexander ab Alexand.

Milites, præſtiterunt ſepulturam defunctis. *Cœlius Rhodiginus.* *Phauorinus.* *Herodotus.*

9 Reliquum eſt, vt veniam ad ſepulturam, quam milites frequenter impendiſſe defunctis conſtat ex Cœlio Rhodigino lib. 17. Antiqu lect. cap. 19. *Macedonibus vix vllum* MILITIAE *tam ſolenne munus eſt, quàm ſuos ſepelire*. Idem tradit de Lacedæmonibus Phauorinus lib. de hominis excellentiâ par. 1. cap. 22. *Sancitum fuit ex Lacedæmoniorum legibus, vt cadauera defunctorum* IN BELLO *quoque ſepelirentur, atque hac conditione bellum aggredi liceret, eâque deficiente bellum quoque deficeret, nec legitimum eâ conditione orbatum videbatur*. Herodotus etiam lib. 4. ait Parthos bellum non integraſſe, niſi iam crematis, & humatis cadaueribus mortuorû. *Perſtabant* PRAELIVM INTEGRATVRI, *cùm primùm cadauera concremaſſent*. Eâ pietate milites in defunctos flagrabant, vt eos & cremare, & ſepelire, & omnibus pietatis obſequijs voluerint honorare, nouerant namque militarem deberi mortuis miſe rationem.

Si renuant, debent milites cogi ad pietatem ergà defunctos.

10 Addo, antequam Caput abſoluam, ita mortuis deberi à militibus pietatem, vt ad eam ſint cogendi, ſi fortè nolint illam exhibere. Interfecit Ioab militiæ principem Abner, cuius mortem vt Rex Dauid agnouit, veſtes ſuas ſcidit, ingentique luctu eum honorauit. Sed & præcepit Ioab, ac viris, qui erant cum eo, vt veſtes lacerarent, ſaccos induerent, & in mortui exequijs plorarent. *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo, ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite antè exequias Abner*. 2. Reg. 3. 31. Voluit defunctum Abner ab interfectore quoque ipſo honorari, quem plorare, atque alia obſequia exhibere coëgit. Cur verò iſtud? An quia Ioab militiæ Dauidis princeps erat, totuſque cum eo erat militum exercitus? Ita cenſet Abulenſis. *Loquebatur Dauid ad Ioab, & ad reliquos de populo, vt pararent ſe ad exequias Abner. Et dicitur ad populum eius, qui erat cum eo, id eſt cum Ioab, quia ipſe cùm* CVM ESSET PRINCEPS BELLI, TOTVS EXERCITVS SEQVEBATVR EVM. Coegit Dauid Ioab, & viros, qui cum eo erant, pietatem exhibere defunctis, quia milites erant, nam milites adeò debent pietatem impendere mortuis, vt ſint ad eam omni conatu cogendi, ſi fortè ſponte illam renuant exhibere. Agnoſcant igitur, qui caſtra ſequuntur, quàm debeant eſſe in mortuos clementes, & ſciant militum munus eſſe piè honorare defunctos.

Abulenſis.

CAPVT XXXV.

Mortui ſunt ab Heredibus adiuuandi.

Heredes mortuorum debita ſoluere tenentur.

1 INcongruum eſſet, heredes bonis frui defunctorum, eiſque ſuffragia denegare pietatis, quare vt hanc ab eis ingratitudinem remoueam, quantâ illos debeant miſeratione proſequi, oſtendere decreui. Et primò quis ignorat, iura omnia, tùm canonica, tùm ciuilia ſtatuere, vt heredes debita ſoluant mortuorum, quorum hereditate fruuntur? HEREDES *de iure canonico*, inquit Ioannes Bromyardus in ſummâ Prædicantium Verbo Reſtitutio, *tenentur ad omnia debita patris ſoluenda, ſi executores illa non potuerint, vel noluerint ſoluere, quia hereditas tranſit cum onere ſuo, ſicut oſtenſum eſt per leges tam canonicas, quàm ciuiles*. Omnia debent heredes defunctorum ſoluere debita, quorû hereditate fruuntur, quare eùm multùm diuinæ iuſtitiæ pro patratis culpis defuncti debent, ſunt ab heredibus adiuuandi, & à purgatorio carcere, in quo torquentur, ſuffragijs quantocyus eripiendi.

Ioannes Bromyardus.

Ad eos animæ Purgatorij præcipuè ſuas dirigunt preces.

2 Quapropter voces, quas toties in grauiſſimis illis pœnis iterant, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei*. Iob. 19. 21. ad eos præcipuè dirigunt, quibus ſuas reliquerunt facultates, quique ſunt ab eis adhuc viuentibus heredes inſtituti. *Quaſi dicant*, inquit Gregorius Britannicus, *ſi alieni non ſubueniunt, ſaltem vos ſubuenite, qui eſtis affines, vel conſanguinei, vos qui poſſidetis* HEREDITATEM *noſtram*. Debent heredes, qui defunctorum poſſident facultates, pluribus eos honorare pietatis obſequijs, & ideò, qui torquentur in Purgatorio, ab eis præcipuè, qui ſuam poſſident hereditatem, veluti ſibi debitam

Gregorius Britannicus.

bitam

bitam exigunt pietatem.

Non debent heredes crudelitate ſuâ contriſtare defunctos.

3 Hoc vult Sapiens, cùm nos hortatur, vt pauperi aurem declinemus, eique noſtrum debitum reddamus. *Declina pauperi ſine triſtitiâ aurem tuam, & redde debitum tuum.* Eccleſiaſtici 4. 8. Quis pauperior defunctis, qui ſuis non poſſunt ſe adiuuare meritis, & alienis indigent in Purgatorio ſuffragijs? His igitur aurem iubet ſapiens inclinari, ac debitum reddi, nam his pauperibus debent heredes ab illis ditati pietatem. Probè Ioannes Gritſch ſer. 2. *Verba iſta poſſunt cuilibet* HEREDI *dici, qui hereditatem amici ſui tollit, & debita eius non ſoluit. Declina aurem tuam ſine triſtitiâ, & audi deſiderium pauperis amici tui, qui eſt in* PVRGATORIO, *& noli eum contriſtare in dilectione, quia forſitan pro his punitur.* Non ſunt ab heredibus contriſtandi mortui, qui Purgatorij pœnis torquentur, ſed ſunt ab eis crebris precibus, alijſque ſuffragijs adiuuandi; nec enim heredes ingratitudinis crimen effugere valent, niſi defunctis pietatem impendant.

Io. Gritſch.

Mortua anus ab herede elata.

4 Hoc agnouiſſe videtur & ille apud Horatiū lib. 2. ſermonum ſatyrâ 5. qui à vetulâ quadam heres inſtitutus, eius cadauer nudis humeris extulit, & vt honorificè humaretur curauit. Tantam videlicet ei voluit, à quâ hereditatem acceperat, exhibere pietatem, vt ſuis, ac nudis humeris ad ſepulchrum cadauer illius efferre ſtatuerit.

Horatius.

Me ſene, quod dicam, factum eſt, anus improba Thebis
Ex teſtamento ſic eſt elata, cadauer
Vnctum oleo largo nudis humeris tulit HERES

Mulieris cadauer extulit heres, vt hanc ei gratitudinis gratiâ impenderet pietatem, ſeque oſtenderet honorare defunctam, cuius hereditate fruebatur.

Phinees heres à patre inſtitutus præcipuus fuit in pietate illi exhibendâ.

5 Nec tantùm elati, ſed & ſepulti fuerunt interdum ab heredibus defuncti. Mortuus eſt Eleazar ſummus ſacerdos, & à filijs ſuis fuit in Gabaath humatus. *Eleazar quoque filius Aaron mortuus eſt, & ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filij eius, quæ data eſt ei in monte Ephraim.* Ioſue, 24. 33. Obſeruat autem Dionyſius Carthuſianus alios legere, *Et ſepeliuit eum in Gabaath Phinees filius eius.* Cuius rei ea eſt ratio, quia cùm Phinees tanquàm primogenitus fuerit ab Eleazaro heres inſtitutus, præcipuo ſtudio patrem defunctum humauit, eique ſepulchralia obſequia impendit. Audiamus Carthuſianum. *Aliqui textus habent, Et ſepeliuit eum in Gabaath Phinees filius eius, quia videlicet Phinees primogenitus Eleazari fuit principalis in patris ſui ſepultione, circa quod ſcribit quidam, quòd Phinees* SVCCESSIT IN HEREDITATE *patris ſui.* Heres inſtitutus præcipuam defuncto patri ſepulturæ obſequio pietatem exhibuit, nam præcipuâ debent heredes proſequi miſeratione defunctos.

Dion. Carth.

Heres in defuncti rogum ſe iniecit.

6 Quid? quòd heredem reperio tantâ erga defunctum, cuius hereditatem ſuſceperat, pietate flagrantem, vt mortem ſubire non metuerit, & in rogum, in quo cremabatur, ſpontè ſe iecerit? Profectò de quodam P. Catieno Philotimo narrat hoc Plinius lib. 7. cap. 36. *P. Catienus Philotimus patronum adeò dilexit, vt* HERES *omnibus bonis inſtitutus, in rogum eius ſe iaceret.* Vitam non curauit, incendium non timuit, flammas contempſit, & mortem non horruit, dummodo heres inſtitutus, defuncto, à quo hereditatem ſuſceperat, pietatem exhiberet.

Plinius.

Heredes puniendi ſunt, ſi mortuis nō exhibeāt pietatem.

7 Pergo, & addo ita heredes mortuis debere pietatem, vt ſi hanc non exhibeant, ſeuerè tanquam crudeles puniantur. Et quidem has exigunt pœnas ipſi mortui, ad Deum clamantes, & petentes, vt ingrati heredes debitas ingratitudinis pœnas luant. De quo clamore ait Chriſtus. *Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte, & patientiam habebit in illis?* Luc. 18. 7. Clamant quotidie defuncti, qui Purgatorij pœnis torquentur, contrà ingratos heredes, Deumque, vt tantam vlciſcatur impietatem aſſiduis precibus rogant. Quas profectò preces vacuas ire Deus non permittet, vndè ſubditur. *Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.* Luc. 18. 8. Hæc omnia debemus D. Vincentio Ferrerio ſerm. 2. in die Animarum. *Quando ſunt negligentes, nec curant adimplere, petunt à Deo iuſtitiam contrà illos, ideò caueant manumiſſores, &* HEREDES, *quia Deus faciet illis iuſtitiam, qui ſunt in maiori pœnâ, quàm ſi hìc cum corpore, & animâ comburerentur, quia ille ignis eſt maioris actiuitatis. De hoc dicit ſcriptura, Nunquid Deus faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe?* Vlciſcetur Deus heredum crudelitatem, & defunctos exaudiens contrà eos clamantes, rigidiſſimas illis pœnas infliget.

D. Vinc. Fer.

Defuncti antè mortem teſtamento iubebant pietatem ſibi ab heredibus exhibendam.

8 Hanc heredum crudelitatem antiqui vitare cupientes, non rarò teſtamento pietatem, quam ſibi ab heredibus cupiebant exhiberi, iubebant. Vndè Horatius paulò ante à nobis adductus lib. 2. ſermon. ſatyrâ 5.

Horatius.

Ex teſtamento ſic eſt elata, cadauer
Vnctum oleo largo nudis humeris tulit HERES.

Alphenus.

Alphenus L. 44. D. de hered. inſtit. ap. Kirchmannum lib. 3. de funeribus Romanorum cap. 12. *Pater familias duos* HEREDES *inſtituerat, eos monumentum facere iuſſerat in diebus certis.* Et rurſus L. 202. de Verb. ſignific. *Cùm in teſtamento ſcriptum eſſet, vt* HERES *in funere, aut in monumento dumtaxat aureos centum conſumeret, non licet minus conſumere, ſi amplius vellet, licet, neque ob eam rem contrà teſtamentum facere videtur.* Et denuò L. 27. De condic. & demonſtr. *In teſtamento quidam ſcripſerat, vt ſibi monumentum ad exemplum eius, quod in viâ Salariâ eſſet Pub. Septimij Demetrij fieret, niſi factum eſſet,* HEREDES *magnâ pecuniâ mulctare.* Hinc ſæpè in vetuſtis lapidibus hæc verba leguntur. *Teſtamento fieri iuſſit,* HEREDES *faciundum curauerunt.* Vel hæc alia. HEREDES *ex teſtamento fecerunt.* Quæ omnia clarè indicant, quantâ debeant heredes diligentiâ defunctorum implere voluntates quācumque

Inſcriptiones antiquæ.

eamque

Digitized by Google

tamque illis debeant exhibere pietatem.

Quales ſunt heredes in defunctos, tales poſt mortem heredes habebunt.

9 Illud tandem eſt obſeruandum, quòd quales erunt ergà defunctos heredes, tales ipſi quoque, cùm defuncti fuerint heredes habebunt, ita vt pij pios, impij autem impios ſint habituri heredes. Itaque poteſt hùc quoque flecti, quod Chriſtus dixit. *Quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur & vobis.* Matth. 7. 2. Aptè Bernardinus de Buſtis tom. 2. Roſarij ſerm. 1. par. 2. *Scitote, quòd taliter facient* HEREDES *veſtri vobis, ſicut vos facitis mortuis veſtris, dicente domino, Quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur & vobis. E contrà verò ſi ergà defunctos veſtros pietatem exercebitis, dabit vobis Deus* HEREDES *pios, qui ſuis eleemoſynis, & pijs operibus vos à Purgatorio liberantes, ad requiem peruenire facient ſempiternam.* Debent heredes pietate proſequi defunctos, ne ſi crudeles extiterint, crudeles ipſi quoque poſt mortem ſuos ſortiantur heredes. Verè igitur dictum eſt, mortuos eſſe ab heredibus adiuuandos.

Bernardinus de Buſtis.

CAPVT XXXVI.

Socij mortuis miſericordiam impertire tenentur.

Filiā Iephte mortuam virgines Sodales luxerunt.

1 NOn debent, qui ſocij fuerunt viuorum, eos derelinquere defunctos, ſed etiam poſt mortem eorum ſeruare memoriam, eiſque tenentur exhibere pietatem. Quod primò probare placet ex anniuerſario luctu, quo filiam Iephte defunctam puellæ Iſraël quatuor diebus quolibet anno plorabant. *Exindè mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniant in vnum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Iud. 11. 40. Quænam verò erant hæ filiæ Iſraël, quæ hâc puellam defunctam quotannis plorabant? An omnes Iſraëlitæ mulieres ad hunc luctum vnà conueniebant? Minimè; ſed ſolæ Virgines defunctæ Virginis ſodales ad eam lugendam congregabantur, præcipuam enim debent ſodales ſodalibus defunctis impendere pietatem. Appoſitè Abulenſis quæſt. 52. in hunc locum. *Conueniant in vnum filiæ Iſrael, ſcilicet Virgines, quia ſicut ſolæ Virgines* SODALES FILIAE IAPHTE; *circumierunt montes cum ipſâ, plangendo virginitatem eius, ita poſteà conueniebant puellæ virgines ad plangendum.* Sodales filiæ Iephte anniuerſario luctu ei poſt mortem pietatem impenderunt, nam magis à ſodalibus, quàm à cæteris pietate proſequendi ſunt defuncti.

Abulenſis.

Abner mortē ſocij pietatis cauſâ nunciauerunt.

2 Abner principem militiæ Saul Ioab doloſè interfecit, ſtatim autem mors eius nunciata eſt Isboſeth filio eiuſdem Saul, qui valdè perturbatus defunctum principem plorauit. *Audiuit autem Isboſeth filius Saul, quòd cecidiſſet Abner in Hebron, & diſſolutæ ſunt manus eius, omniſque Iſrael perturbatus eſt.* 2. Reg. 4. 1. Quis autem tam citò huius principis mortem Isboſeth nunciauit? Eius comites, qui cum eo venerant in Hebron. *Venitque ad Dauid in Hebron cum viginti viris.* 2. Reg. 3. 20. Hi enim, vt ſocio defuncto pietas à cæteris exhiberetur, eius mortem confeſtim patefecerunt. Annuit Iacobus Salianus in Annalibus eccleſiaſticis anno mundi 2986. *Citò ad Isboſethum de morte Abneris perlatus eſt nuncius. Nam viginti illi viri,* QVI ABNERIS COMITES FVERANT, *eo occiſo, quam primùm ad regem ſuum contulere ſe, remque illi totam expoſuerunt.* Statim ſocij Abner eius mortem cunctis nunciauerunt, vt cuncti eum debitâ pietate proſequerentur.

Salianus.

Sodalitium pro ſuffragijs mortuorum Romæ contractum.

3 Hùc ſpectant tot ſodalitia, quæ in Catholicis ciuitatibus cernuntur, in quibus vnuſquiſque ſodalem præcipuis pietatis obſequijs adiuuat defunctum, & cùm mors vnius intercedit, omnes pro eo preces effundunt, ſacrificia offerri curant, & alia pro illius animâ eccleſiaſtica ſuffragia impendunt. Qui ſanè mos indè ortus eſt, quia ſodales debent ſe ſe pios exhibere in defunctos. Hinc Cæſar Baronius tom. 10. Annalium refert anno Domini 984. contractum eſſe Romę huiuſmodi ſodalitium, in quo multi & Sacerdotes, & Epiſcopi ſunt adſcripti, qui omnes eò tendebant, vt conſodales defunctos toto ſtudio, totâque diligentiâ precibus, & ſuffragijs adiuuarent. *Hoc eodem anno Romæ contractum eſt* SODALITIVM *plurimorum ſacerdotum, inter quos & Epiſcopi nonnulli ſunt adſcripti, ad hoc vt poſt obitum ſinguli* CONSODALIVM *ſacrificijs iuuarentur.* Nouerant hi pij viri, maximam deberi à ſodalibus ſocijs defunctis pietatem, ideòque, vt maiori poſt mortem pietate adiuuarentur, hoc pium ſodalitium inſtituere voluerunt.

Baronius.

Socij Numæ Pompilij eum honorauerūt mortuum.

4 Non omittam hìc pietatem ſociorum Numæ Pompilij, qui eo defuncto, ad illius exequias conuenerunt, & cum aromatibus coronas, aliaque ſepulchralia munera afferentes, mortui Regis funus honorauerunt. Audiamus Plutarchum in eius vitâ hæc ſcribentem. *Vitam eius* SOCII, *& amici populi, qui ad exequias eius conuenerunt, etiam funere cohoneſtauerunt, allatis publicè odoribus, & coronis.* Mortuum ſocium, ac Regem ſocij ſuperſtites varijs pietatis obſequijs honorauerunt, nam ſemper debent ſocij ſuâ pietate ſocios honorare defunctos.

Plutarchus.

Socij lugentes Patroclum, et Hectorem defunctos.

5 Hinc ſæpè Homerus inducit ſocios mortuis parentantes, ac piè in eorum funeribus lugentes. Vndè Iliade 23. loquens de funere Patrocli, cecinit.

Flentes autem SOCII PII, oſſa alba
Collegerunt in auream phialam, & duplicem adipem,
In tentorijs autem ponentes, velo ſubtili operuerunt.

Homerus.

Et Iliade 18.

Alacriter Patroclum extrà ſagittas auferentes,
Depoſuerunt in lectis, dilecti autem circumſtabant SOCII
Lugentes.

Et Iliade vltimâ loquens de exequijs Hectoris, hæc habet.

At

Digitized by Google

at poſteà
Oſſa alba collegerunt fratres, SOCIIQVE
Lugentes, teneræ autem diſtillabant lachrymæ à genis.

Vide vbique ſocios in funeribus lugentes, & pręclarâ pietate defunctis parentantes?

Socij pij in morte Pallantis, Lauſi, & Anchiſæ & aliorum.

6 Sed & Virgilius hanc pietatem à ſocijs deberi mortuis non ſemel indicauit, vndè lib. 10. Æneidos loquens de funere Pallantis ait.

at SOCII multo gemitu, lachrymisque
Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes.

Et in morte Lauſi Æneam ibidem inducit ſocios eius cunctabundos increpantem, & vt defuncti cadauer ſubleuarent, ſuo exemplo efficaciter hortantem.

Virgilius.

Increpat vltrò
Cunctantes SOCIOS, & terrâ ſubleuat ipſum
Sanguine turpantem comptos de more capillos.

In anniuerſarijs etiam parentalibus, quibus Aeneas defuncti patris memoriam honorauit, ſocios refert munera offerentes, ac iumenta ſacrificantes. Vndè lib. 5. Aeneides ſcribit.

Nec non & SOCII, quacumque eſt copia, læti
Dona ferunt, onerantque aras, mactantque iuuencos.

Iaſon quoque iuſſit apud Valerium Flaccum lib. 3. Argonautic. ſocios rogos luſtrari, ac muneribus cumulari.

Val. Flaccus.

Vos age funereas ad littora voluite ſyluas,
Et SOCIOS luſtrate rogos, date debita caſis
Munera.

Cùm agitur de pietate defunctis exhibendâ, cæteros debent præcedere ſocij, quapropter & lugentes, & ſacrificantes, & cætera pietatis obſequia eis exhibentes paſſim inducuntur.

Annibal ſociorum corpora terræ iubet mandari.

7 Annibal item apud Silium Italicum libro. 10. Punicorum, ſociorum corpora terræ mandari, ac ſepulchralibus obſequijs iuſſit honorari.

Hæc ait, & SOCIVM mandari corpora terræ,
Poſtera cùm thalamis Aurora rubebit apertis,
Imperat.

Sil. Italicus.

Nouerat pius Dux defunctis deberi à ſuperſtitibus ſocijs pietatem, quamobrem iuſſit, vt extremis exequiarum officijs honorarentur, ac militari pietate in caſtris cremata conderentur.

Græcos defunctos ſocij lugent, & honorant.

8 Græcorum morem tandem affero, quo ſocij cadauera efferre conſueuerant mortuorum. Cuius moris meminit Alexander Sardus libr. 1. de moribus Gentium cap. 26. Socii *cadauer efferunt, ſequuntur neceſſarij.* Quem etiam morem innuit Stobęus ſerm. 277. de ſepulturâ.

Alex. Sard.

Vt funus ei adornent fratres, SOCIIQVE
Tumulo, & cippo, hic enim honor defunctorum eſt.

Stobæus.

Eam inter Græcos ſocij exhibebant mortuis pietatem, vt eorum etiam cadauera efferre, eorumque funera ornare ſolerent.

Sunt igitur defuncti ſodalium pietate adiuuandi, & ſocij mortuis miſericordiam impertire tenentur.

CAPVT XXXVII.

Subleuandi ſunt Viatorum miſeratione defuncti.

Aſaelem defunctum viatores lugebãt

1 Hanc viatorum miſerationem ergà defunctos placet primò probare ex pietate, quam Aſaëli ab Abner interfecto, & in viâ iacenti à militibus legimus fuiſſe impenſam. Omnes quippè, qui per eam viam tranſibant, ſubſiſtebant, & prælium deſerentes iuxta cadauer manebant. *Mortuus eſt in eodem loco, omneſque* Qvi Transibant *per locum illum, in quo ceciderat Aſael, & mortuus erat, ſubſiſtebant.* 2. Reg. 2. 23. Quid viatores iſti iuxtà cadauer Aſaëlis agebant? Cur tranſeuntes omnes prælium vlteriùs non curantes, ibi ſubſiſtebant? Quia dum iter agebant, interfecto adoleſcenti lachrymis pietatem exhibebant. Rectè Dionyſius Carthuſianus. *Subſiſtebant ad videndum cum admiratione, & forſan compaſſione tam egregium, audacem, ac velocem iuuenem tam ſubitò interfectum.* Viatores iter agentes miſereri debent mortuorum, quare dum iter milites agebant, & per locum, in quo Aſaëlis cadauer iacebat, pertranſibant, prælium, vt defuncto compaterentur, omittebant.

Dion. Carth.

Idem cum Amaſa faciebant.

2 Quod item contigit in morte Amaſæ, quem Ioab dux militiæ Dauid iniquè, ac dolosè interfecit. Nam cùm eius quoque cadauer ſanguine conſperſum iaceret in viâ, totus populus illac tranſiens ſubſiſtebat, & iuxtà mortuum remanẽs, ab hoſtium perſecutione deſiſtebat. Quamobrem vir fuit, qui hoc cernens, è viâ cadauer amouit, & veſte opertum in agrum aſportauit. *Amaſa autem conſperſus ſanguine iacebat in mediâ viâ. Vidit hoc quidam vir, quòd ſubſiſteret omnis populus ad videndum eum, & amouit Amaſam de viâ in agrum, operuitque eum veſtimento, ne ſubſiſterent tranſeuntes propter eum.* 2. Reg. 20. 12. Notandum eſt, hunc virum, non tantùm amouere, ſed & veſtimento voluiſſe tegere cadauer, nam ſi tantùm amouiſſet à viâ, & detectum in agro illud reliquiſſet, tranſeuntes mortuum inſepultum cernẽtes, à viâ diuertiſſent ad agrũ, & adhuc prælium omittentes, lachrymis, ac luctui vacauiſſent. Debeo id Abulenſi locum hunc his verbis illuſtranti. *Operuit eum veſtimento, ſcilicet, vt non putarent eſſe hominem mortuum, nam ſi manſiſſet in agro conſperſus ſanguine, quamquam eſſet aliqualiter diſtans à via, videretur à* Transevntibvs, *& diuerterent illùc, opertus autem veſtimento non putaretur eſſe mortuus.* Ita mortuis debent viatores pietatem, vt non potuiſſent iter agentes mortuum videre, ac eum non lugere, quare ne luctûs gratiâ milites illac tranſeuntes ſubſiſterent, neceſſe fuit mortuum veſtimento operire, ita vt viatoribus cadauer non appareret.

Abulenſis.

Iacob iter agens ſepul-

3 Confirmat hanc eamdem veritatem ſepulchrum, quod Racheli vxori Iacob erexit, dum

iter

[Sepul]chrum magnificum vxori erexit.

iter agebant, in viâ, quæ ducit Ephratam. *Mortua eſt ergò Rachel, & ſepulta eſt in viâ, quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethleem, erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius.* Gen. 35. 19. Quod quidem ſepulchrum ex duodecim lapidibus ait Abulenſis fuiſſe miro modo erectum, & ſingulari artificio extructum. *Fuit factum iſtud ſepulchrum à Iacob ex duodecim lapidibus ſatis magnis in memoriam duodecim filiorum ſuorum, & in extremitate titulus iſte in piramidem acuitur, quæ à tranſeuntibus terram illam de peregrinis noſtris adhuc videtur.* Animaduerte ſancti Viatoris ergà defunctam vxorem pietatem, qui & titulum, & ſepulchrum, iter interumpens, tam ſpecioſum, tamque magnificum ei erexit, nos inſtruens, quâ ſint ab itee agentibus mortui pietate proſequendi.

Idem.

Suum filium credidit à viatoribus ſepeliendũ, ſi fuiſſet ab hoſtib⁹ ſine ſepulturâ abiectus.

4 Quod etiam docuit, cùm putans Ioſeph à ferâ fuiſſe laniatum, amariſſimè illum ploeauit, nec à cæteris filijs congregatis, vt eius dolorem lenirent, conſolationem eecipere voluit. *Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere, ſed ait, Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Gen. 37. 35. Cur tandiù filium ſenex patriarcha plorauit, quem putauit defunctum? Cur noluit à filijs conſolationem accipere vnà congregatis, vt eum conſolarentur? Cur demùm tam diuturno luctu ſe afflixit? Quia cùm eum crederet à feris deuoratum, credidit eius cadauer ſepulturæ honoris expertem, vndè potius filium ſuum voluiſſet ab hoſtibus interfici, quàm à beluis laniari, nam ſi fuiſſet ab hoſtibus cæſus, vel ipſi eum humaſſent, vel ſi in viâ inſepultum abieciſſent, fuiſſet eius cadauee ab aliquo tranſeunte viatore piè ſepultum. Hæc diſco à Philone Hebræo lib. de Ioſeph, qui Iacob inducit his verbis filium, quem putabat mortuum, alloquentem. *Si omninò moriturus eras per vim, & inſidias, leuius fuiſſet extingui manibus hominum, qui mortuum ſaltem miserati obruiſſent terrâ, & cadauer tumulaſſent, aut vt crudeliſſimi fuerunt, quid ampliùs potuiſſent, quàm inſepultum proijcere? Quem mox* VIATOR ALIQVIS PRAETERIENS *memor naturæ communis humaſſet, tactus miſericordiâ.* Filium potiùs voluiſſet hoſtium gladio interfici, quàm beſtiarum dentibus laniari, nam credere non poterat, eius cadauer, licet ab interfectoribus abiectum, & ſine ſepulturæ honore in viâ derelictum, non fore ab aliquo viatore pietate proſequendum.

Philo.

Filio defũcto à viatoribus pater ſepulturam poſtulauit.

5 Hoc & infœlix pater ſpeeauit exhibendum filio, cui crudelis mater legis prætextu honorem denegabat ſepulchri, dum ad viatorum genua ſe prouoluere conſtituit, non ſtipem ſibi poſtulans, ſed ſepulturam filio expoſcens. Audiamus eius verba apud Quintilianum declamat. 6. *Circà ſingulorum domus ad genua* PRAETEREVNTIVM *ibo, & recepto tam miſeris more, ſupplex, non cibos petam, non ſtipem, mendicabo terram, & collatas miſerantium manu glebas.* Nouerat, à viatoribus pietatem deberi defunctis, & iecircò à prætereũtibus mortuo filio ſepulturam poſtulare decreuit.

Quintilian.

Ignotis etiã defunctis pietatem exhibent viatores.

6 Nec errauit profectò, nam ignotis quoque defunctis pietatem ſolent exhibere viatores & collatitijs eos honorare ſepulchris. Quod idem in eadem declamatione docet Quintilianus. *Indè ignotis quoque corporibus* TRANSEVNTIVM VIATORVM *collatitia ſepultura, indè iniecta ab alienis humus.* Et declamatione 5. neminem tantâ feſtinatione ait agere iter, vt ſi cadauer in viâ inſepultum eeperiat, illud ſine pietate omittat. *Ignotis cadaueribus humum congerimus, & inſepultum quodlibet corpus nulla feſtinatio tam rapida tranſcurrit, vt non quantulocumque veneretur aggeſtu.* Vide, quantâ pietate defunctos viatores proſequantue, qui, vt eorum cadauera ſepeliant, iter ſuum interrumpere non curant.

Idem.

Nathan iter agens Belıar defunctum ſepeliuit.

7 Tale pietatis obſequium præſtitit Nathan propheta, cùm itee agens ad Dauidem properaret, Beliar defuncto, cuius cadauer, cùm in viâ nudum inueniſſet, ac inſepultum, cunctatus eſt, donec illud ſepulturæ obſequijs honoraret. Hoc refert D. Epiphanius lib. de vitâ, & interitu Prophetarum. *Cùm exanimem eum* IN ITINERE *nudum reperiſſet, tantiſper cunctatus eſt, quoad terræ mandaret, ne indignis admodum modis corpus hominis ab animalibus brutis, ac belluis dilaniaretur.* Pietatẽ derelicto cadaueri, dum iter agebat, impendit, impium enim exiſtimauit iter agere, & ſine miſerationis obſequijs defunctum inſepultum in viâ mediâ conculcandum, ac diſcerpendum omittere.

D. Epiphan.

Ioſue defunctum omnes tranſeuntes lugebant.

8 Mortuum Ioſue ſepelierunt Iſraëlitæ in finibus vrbis Thamnathſare. *Sepelieruntque eum in finibus poſſeſſionis ſuæ, in Thamnathſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim, à ſeptentrionali parte montis Gaas.* Ioſue. 24. 30. Huius autem loci nomen indè ortum habuiſſe dicunt Hebræi, quod qui ſepelierunt Ioſue, marmoream ſolis imaginem ſuper ſepulchrum illius erexerunt, nam Thamnathſare interpretantue imaginem, ſiue ſimulachrum Solis. Cæterùm cue ſuper ſepulchrum Ioſue hoc ſimulachrum Solis conſtituerunt? Vt viatores illac, vbi erat ſepulchrum eius, tranſeuntes, gloriam viri admirarentur, cuius precibus ſteterat Sol, eumque defunctum ſuo dolore, ac luctu honoearent. *Hebræi dicunt*, inquit Abulenſis, *quòd Thamnathſare vocatur ſic, quia interpretatur ſimilitudo, vel imago Solis, & dicunt, quòd mortuo Ioſue, ſuper ſepulchrum ſuum fuit factum quoddam ſimulachrum Solis marmoreum, vt* OMNES TRANSEVNTES *agnoſcerent gloriam viri illius, ad cuius preces Deus fecerat ſtare Solem, & dolerent de morte eius, quòd talis vir periret.* Quicumq; Viatores per viam tranſibant, in quâ ſepulchrum erat Ioſue, dolore, ac luctu pietatem ei exhibebant.

Abulenſis.

Fratres Amnon iter agentes eum defũctũ luxerunt.

9 Luctu etiam filij Dauidis fratri ſuo Amnon, quem Abſalom interfecerat, parentauerunt, qui præ timore fugientes, vt ad patris aulam peruenerunt, defunctum fratrem ploratu magno luxerunt. *Cùmque ceſſaſſet loqui, apparuerunt & filij Regis, & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fle- uerunt,*

Digitized by Google

uerunt, ſed & rex, & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis. 2. Reg. 13. 36. Neque putandum eſt, eos tunc ſolùm fleuiſſe, cùm ad patrem peruenerunt, ſed tunc etiam luxerunt, cùm iter agentes fugâ vitæ ſuæ conſuluerunt, nam ſpectat ad viatores, & iter agentes pietatis obſequijs honorare defunctos. Optimè idem Abulenſis quæſt. 18. in hunc locum. PER ITER IPSI FLEBANT *Idem.* MORTEM AMARAM FRATRIS SVI AMNON, *cùm tamen introierunt coram Rege, cœperunt planctum nouum, eleuantes voces magno eiulatu ad ſignandum hanc triſtitiam.* Dum iter egerunt, defuncto fratri luctu pietatem exhibuerunt, nam iter agentes debent ſuâ honorare pietate defunctos.

Viatores ad ſepulchra ſiſtebant, & ad eos epitaphia dirigebãtur. 10 Hinc eſt, quòd cùm viatores ad ſepulchra in itinere perueniebant, ſiſtere ſolebant, & inſcriptiones legere, quæ ſepulchrales lapides ornabant. Quod indicauit Ouidius lib. 3. Triſtium Elegiâ 3.

Ouidius. *Quosq; legat verſus oculo properante VIATOR,*
Grandibus in tumuli marmore cæde notis.

Martialis. Et Martialis lib. 11. Epigram. 14. loquens de ſepulchro Paridis hiſtrionis, ait.

Quiſquis Flaminiam teris VIATOR,
Noli nobile præterire marmor

Raderus. Vbi Matthæus Raderus aduertit, hanc ob cauſam monumenta fuiſſe iuxtà vias erecta, & epitaphia plerumque ad viatores directa. *Iuxtà vias cippos, & marmora demortuis erigebant. Hinc Epitaphia plerumque ſunt ad* VIATORES. Adeò debitam cenſebant antiqui mortuis viatorum pietatem, vt ad eos epitaphia dirigere, ac ſepulchra iuxtà vias, per quas tranſibant, extruere voluerint.

Antiqui mortuos inducebant à Viatoribus pietatẽ poſtulantes. 11 Quapropter & mortuos induxerunt ſæpe viatores alloquentes, atque ab eis pietatem poſtulantes. Vndè Horatius lib. 1. Ode 28. induxit Architam Tarentinum à viatore ſepulturæ officium expoſcentem.

Horatius. *At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ*
Oſſibus, & capiti inhumato
Particulam dare.

Porphyrio. Ad quæ ſcribit Porphyrio. AD PRAETEREVNTES NAVTAS *Architam ſe conuertiſſe fingit.* Et Eutyches auriga in inſcriptione antiquâ viatorem precabatur vt ſuprà ſuum ſepulchrum ſpargeret flores.

Sparge precor flores ſuprà mea buſta VIATOR.

Quæ omnia ſatis legentibus indicant, ſubleuandos eſſe Viatorum miſeratione defunctos.

CAPVT XXXVIII.

Famuli, ac Serui debent mortuis obſequia pietatis.

Famuli Ioſeph mortuo Iacob pietatem impenderũt. 1 VIros præclaros, ac dignitatibus præditos mortuis debere pietatem, iam ſatis ex ſuperioribus conſtat, nunc à ſeruis quoque defunctos miſeratione proſequendos eſſe oſtendo. Quod probo in primis argumento ab exequijs Iacob deducto, quas vt honoraret, ad terram Chananæorum Ioſeph aſcendit, eòque paternum cadauer ex regno Ægypti aſportauit. Aſcendit autem vnà cum eo domus quoque illius. *Quo aſcendente ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Aegypti, domus Ioſeph cum fratribus ſuis.* Gen. 50. 7. Quæ autem fuit hæc domus Ioſeph, niſi ſerui, qui ei miniſtrabant? Hi defuncto patriarchæ pietatem exhibuerunt, & vnà cum filio illius cadauer ad patrium ſepulchrum tranſtulerunt. Audiamus Abulenſem. *Domus Ioſeph id eſt* OMNES FAMVLI *Ioſeph.* *Abulenſis.* Debent famuli pietatem exhibere defunctis, vndè famuli Ioſeph patris eius cadauer piè ad patrium monumentum tranſtulerunt.

2 Percuſſit Deus, vt Pharaonis obſtinationẽ puniret omnes Aegypti primogenitos, eoſque Angelico gladio noctù interfecit. Quod cùm Pharao agnouiſſet, ſurrexit, idemque omnes ſerui eius egerunt. *Surrexitque Pharao nocte, &* OMNES SERVI EIVS. Exod. 12. 30. Cur verò hi ſerui noctù ſurrexerunt, niſi vt defunctos primogenitos lugerent? Agnoſcebant quippè ſeruorum luctum, ac pietatem deberi defunctis. Hanc affert rationem idem Abulenſis. *Surrexerunt propter duo, primò vt plangerent primogenitum Regis, qui erat Dominus eorum; ſecundò vt etiam plangerent ſuos primogenitos, nam inter ipſos* SERVOS *Pharaonis multi moriebantur, quia multi erant primogeniti.* Tantam ergà defunctos oſtenderunt ſerui Pharaonis pietatem, vt diei lucem èxpectare noluerint, ſed noctù ſurrexerint, vt ſuo eis luctu parentarent. *Serui Pharaonis noctù ſurrexerunt, vt plorarent defunctos.* *Abulenſis.*

3 Pergo, & Reſphæ pietatem expendo, quæ vt cadauera cuſtodiret mortuorum, nocte, ac die iuxtà patibula perſeuerauit, & ne à volucribus, vel feris lacerarentur, diligenter curauit. *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſuprà petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. 10. Obſeruat autem Caietanus, hanc mulierem, quippè quæ nobilis erat, & Regis vxor fuerat, non ſolam in morte manſiſſe, ſed multos vnà ſecum famulos, multaſque famulas habuiſſe, à quibus itidem cuſtodiebantur a beluarum inſultibus corpora defunctorum. *Ne ſis ita rudis, vt intelligas mulierem nobilem ſolam manſiſſe ibi, cuſtodiamque hanc exercuiſſe, ſed* FAMVLAS, ET FAMVLOS *ſecum habuiſſe.* Non tantùm Reſpha, quæ mortuorum mater erat, ſed famuli quoque, ac famulæ diligenti eis cuſtodiâ pietatem exhibuerunt. *Famuli & famulæ cum Reſphà cadauera cuſtodiebant.* *Caietanus.*

4 Hùc etiam ſpectat luctus, quo Dauid plorauit filium ſuum Amnon doloſè ab Abſalom interfectum, quem luctum, non ſolus edidit, ſed vnà cum ſeruis ſuis, qui ſecum erant, emiſit. *Cùmque ceſſaſſet loqui, apparuerunt filij Regis, & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt, ſed & rex, & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis.* 2. Reg. 13. 36. Animaduerte, non ſolùm Regem, *Dauid vnà cùm ſeruis filium mortuũ plorauit.*

ſed

ſed eius quoque ſeruos vnà cum eo Amnon fleuiſſe defunctum, vt nobis innueretur, à ſeruis quoque pietatem exhibendam eſſe defunctis. *Tunc Rex*, inquit Abulenſis, *& SERVI SVI cœperunt olorare amariùs, quàm primò.*

Abulenſis.

Regis luctum lachrymæ comitabantur ſeruorum, nam non tantùm liberi, ſed etiam ſerui debent miſereri mortuorũ.

Petrus pro mortuâ Tabithâ vt ſeruus Deum orauit

5 Faciunt etiam ad hanc eamdem rem preces, quas pro Tabithæ reſurrectione Petrus effudit, cùm enim à viduis vocatus aduenisſet, & pro defunctæ vitâ Deum rogaſſet, continuò illa ſurrexit, vitamque priſtinam recuperauit. *Electis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, & conuerſus ad corpus, dixit, Tabitha ſurge. At illa aperuit oculos, & viſo Petro reſedit.* Act. 9. 40.

Gloſſa Interl.

Vbi obſeruat Gloſſa interlinearis, Petrum has preces effudiſſe vt ſeruum, Chriſtum autem eas exaudiuiſſe vt Deum. *Orat, vt SERVVS, Ieſus autem implet, vt Deus.* Dum pro vitâ mulieri defunctæ reddendâ orauit, vt ſeruus orauit, nam valdè ad ſeruos pertinet miſericordia, quæ impenditur defunctis.

Seruorum, & Ancillarum luctus in funeribus mortuorum.

6 Hinc in funeribus mortuorum ſępè legimus apud profanos quoque authores luctum à ſeruis effuſum, & ab ancillis. Homerus Iliade 18. loquens de funere Patrocli ait.

Homerus.

ANCILLAE autem, quas Achilles prædatus
erat, Patroclusque,
Animo afflictæ vehementer eiulabant, & foras
Exierunt circà Achillem bellicoſum, palmis verò omnes
Pectora plangebant.

Valerius Flaccus lib. 3. Argonaut. loquens de funere Cyzici.

Val. Flaccus.

Sic FAMVLVM, matrumque dolor, ſic omnis ad vnum
Verſa manus, circà lachrymis, ac mentibus ægri
Stant Minyæ.

Alex. ab Ale.

Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialiũ cap. 7. *Apud Lacedæmonios obitu Regis enunciato Spartiatæ SERVI, & mulieres, ingenti coactâ manu, laceratis crinibus, abſciſſâ veſte, cum vocibus, & eiulatu frontes manu plangunt, & capite conuerberato, interitum miſerantes, eum fuiſſe optimum Regum voce ſignificant.* Gemuerunt in funeribus Dominorum ſerui, ſuiſque lachrymis ingentem defunctis pietatem exhibuerunt.

Serui, qui comitati ſunt funera mortuorum.

7 Funus etiam non rarò legimus ſeruos fuiſſe comitatos. Vndè Dionyſ. Halicarnaſſeus libr. 4. Antiquitat. Roman. *Scio, qui tota SERVITIA teſtamento libera eſſe iuſſerunt, vt benignitatis laudem ferrent poſt obitum, & in funeris elatione lecticam eorum magna pileatorum proſequeretur frequentia.*

Dion. Halic.

Alex. ab Ale.

Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Tùm ſi qui ab eo SERVI manumiſſi, & libertate donati fuerant, illi præcipuè qui fide inſignes à Domino cogniti forent, herilem interitum miſerantes, pleni lachrymarum, elatum corpus præcedebant pileati, aut albâ lanâ capitibus velatis.* Quæ magis explicans Andreas Tiraquellus, ait. *Et hic illud ſciendum, & SERVOS pileatos funus Domini antecedere ſolitos, idque facientes voluntate teſtatoris, vel heredis libertatem conſequi.*

Tiraquellus.

Hinc Q. Terentius Culleo, quem Scipio Aphricanus libertate donauerat eius funus eſt proſecutus, vndè Alexander allatus. *Q. Terentium Culleonem, quem Scipio Aphricanus SERVITIO exemerat, quique triumphantis currum capite raſo fuerat proſecutus, eiuſdem elatum corpus pileatum præiſſe memorant.*

Alex. ab Ale.

Funus etiam Herodis tradit Ioſeph Hebræus lib. 1. de bello Iudaico cap. vltimo quingentos ſeruos fuiſſe ſecutos, qui ſimul cum liberis aromata & odores ferebant. *Quingenti autem SERVI, ac liberi odores ferebant, corpus autem per ducenta ſtadia portatum eſt in Caſtellum Herodion, ibique ſecundùm ipſius Regis mandata ſepultum eſt.*

Ioſeph Hebr.

Vide igitur ſeruos funera Dominorum comitatos, interdum cadauera præceſſiſſe, interdum verò ſecutos fuiſſe, aromata quoque ad maiorem defunctorum honorem ferentes.

Serui comœdias, & tragœdias recitabant in honorem mortuorum.

8 Sed & comœdias, ac tragœdias interdum in defunctorum honorem ſerui recitabant. Conſueuerant hiſtriones, & pantomimi in antiquorum funeribus tragœdias, & comœdias recitare, quibus & lachrymas lugentium, & geſta referebant mortuorum. Quare Plinius lib. 7. Epiſtolâ 24. hæc de funere Quadratillæ matronæ habet. *In theatrum curſitabant, exultabant, plaudebant, mirabantur, ac deindè ſingulos geſtus dominæ cum canticis reddebant.*

Plinius.

Vbi Catanæus inquit. *Mimos in funeribus ſolitos reddere omnes defuncti geſtus.*

Catanæus.

Quod confirmat Suetonius in Veſpaſiano cap. 19. *Sed & in funere Fauo archimimus, perſonam eius ferens, imitanſque, vt eſt mos, facta, ac dicta viui.*

Suetonius.

Hos verò, qui hæc referebant, & in defunctorum honorem recitabant, ſeruos fuiſſe, teſtatur Guido Pancirolus in Theſauro var. lect. libr. 1. cap. 45. *Artifices plurimi ex SERVIS erant, & præſertim Pantomimi, qui in ſcenis varios geſtus edebant, in funere quoque defunctorum lugubres & lachrymantium, & eorum etiam, qui deceſſerant, actus imitabantur.* Et poſt nonnulla. *Tragoedias, & Comoedias in honorem defunctorum recitabant, & & qui mores eorum repræſentabant, pantomimi vocabantur, qui plerumque erant SERVI.*

Pancirolus.

Vt mortuos honorarent pantomimi ſerui fiebant, eorumque geſtus, vt cæteros ad miſerationem excitarent, referebant.

Serui & ancillæ erexerũt ſepulchra defunctis.

9 Neque his contenti, ſepulchra quoque interdum vnà cum ancillis ſerui dominis defunctis erexerunt. Quod diſco ex Herodoto lib. 1. *Ibi eſt Halyattis Croeſi parentis ſepulchrum, cuius baſis è grandioribus eſt lapidibus, reliqua ſepulchri pars aggeſtio eſt terra.*

Herodotus.

Quod ſepulchrum conſtruxiſſe feruntur homines EMPTITII, atque operarij, & vnà cum his adiuuantes ANCILLAE. Cæterùm ad noſtram vſque ætatem in ſummo tumulo quinque termini ſtabant, quibus literæ inſculptæ indicant, quæ ſinguli elaborauerint, apparebatque ex menſurâ ANCILLARVM opus eſſe maximum. Laborabant ſerui cum ancillis, vt dominos defunctos honorarent, & ſepulchra ædificabant, vt eis pietatẽ exhiberẽt.

10 Ho-

Honores diuini mortuis à ſeruis tributi

Apuleius.

Beroaldus.

10 Honores etiam diuinos interdum ſerui mortuis exhibuerunt. Tradit Apuleius libr. 8. metamorphoſeon, Chariten mortuum maritum aſſiduis lachrymis luxiſſe, illiuſque imaginem diuinis honoribus coluiſſe. Hoc autem affixo ſeruitio fecit. *Imaginem defuncti, quam ad habitum Dei Liberi formauerat,* Affixo Servitio, *diuinis percolens honoribus, ipſo ſe ſolatio cruciabat.* Explicat autem Beroaldus, quodnam eſſet hoc ſeruitium affixum, atque ſeruos fuiſſe ad hoc miniſterium ab eâ electos. *Affixo* Servitio, *ideſt appoſitis* Mancipiis *ad hoc miniſterium.* O' ingentem ſeruorum ergà defunctos pietatem, qui non contenti humanis, diuinos quoque, licet incongruos, & non exhibendos, eis impendebant honores.

Serui ſinebāt ſe in rogis cremari dominorum.

Cæſar.

Virgilius.

11 Quid? quòd putantes obſequium ſe præſtare mortuis, vnà cum eis in rogo ſe cremari ſinebant? Profectò de Gallis Cæſar lib. 6. de bello Gallico hæc habet. *Funera ſunt pro cultu Gallorum magnifica, & ſumptuoſa, omniaque, quæuis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inſerunt, etiam animalia, ac paulò ſuprà hanc memoriam,* Servos, *& clientes, quos ab ijs dilectos eſſe conſtabat, iuſtis funebribus confectis, vnà cremabantur.* Quod & ſubindicauit Virgilius lib. 5. Aeneidos, cùm dixit, Aeneam ſuſpicatum fuiſſe, anguem ex paterno ſepulchro prodeuntem, famulum fuiſſe parentis, eum videlicet, qui vnà cum eo fuerat crematus.

Incertus, geniumne loci, FAMVLVM ne parentis
Eſſe putet.

Seruius.

Quibus hæc Seruius addit. *Fuit hæc maiorum conſuetudo, ſicut hodieque apud Indos eſt, vt quoties Reges moriebantur, cum his dilecti equi, vel* Servi, *& vna de vxoribus charior incenderentur. Inter quos de hoc ipſo erat magna contentio. Poſſumus* ergò Famvlvm Servvm *ſepultum cum Anchiſa accipere.* Aduerte ſeruos vitam contempſiſſe, mortemque nequaquam horruiſſe, vt ſuos dominos honorarent defunctos.

Pelagia noluit, niſi poſt quartum diē ſepeliri, vt ſuis exequijs famuli, & famulæ intereſſent.

D.Greg.Tur.

12 Illud tandem in fine Capitis prætereundū non cenſeo, quod ſancta mulier Pelagia filio ſuo Abbati Aredio, cùm febribus vrgeretur, præcepit. Cernens morti ſe propinquam eſſe, filium orauit, ne antè quartum diem ſuum cadauer humaret, idque, vt famuli, ac famulæ ſuis intereſſent exequijs, ſibique debitam pietatem exhiberent. Narrat hoc in Bibliothecâ veterum Patrum D. Gregorius Turonenſis libro de gloriâ Confeſſorum capit. 104. *Pelagia genetrix beati Aredij Abbatis, cuius ſuprà meminimus, valdè religioſa, cùm vrgeretur febribus, & eſſet in tranſitu, petijt filium, dicens, Quæſo fili dulciſſime, ne me antè diem quartum ſepeliatis, vt venientes* Famvli, Famvlaeqve Omnes, *videant corpuſculum meum, nec vllus fruſtretur ab exequijs meis de his, quos ſtudioſiſſimè enutriui, & hæc dicens emiſit ſpiritum.* Non niſi poſt quartam diem ſepeliri voluit, vt famuli, ac famulæ ſibi defunctæ debitam exhiberent pietatem. Nouerat quippè famulos, ac famulas Dominos ſuos proſequi debere pietate defunctos, ideòque voluit ſuo funeri famulos, ac famulas intereſſe. Ex his igitur iam in confeſſo eſt, famulos, ac ſeruos debere mortuis obſequia pietatis.

CAPVT XXXIX.

Defunctos pietate proſequantur, qui tempore tribulationis affliguntur.

Philiſthæi afflicti ſepulturam Samſoni defuncto conceſſerunt.

1 VT oſtendam afflictos mortuis debere pietatem, à Samſonis afflictione Caput exordior, qui ab hoſtibus comprehenſus, vtraque luce orbatus, alijſque innumeris iniurijs petitus, è vitâ migrare adeò infœlici, ac ſibi & Philiſthæis aulæ ruinâ mortem infligere decreuit. Aedis igitur, in quâ vnà cum eis morabatur, columnas concuſſit, & inter ædificij ruinas oppreſſus vitam amiſit. Quod cùm agnouiſsent eius fratres, & cognati, deſcenderunt, eiuſque cadauer tulerunt, vt in patrio illud honorificè humarent ſepulchro. *Deſcendentes autem fratres eius, & vniuerſa cognatio, tulerunt corpus eius, et ſepelierunt inter Saraa, & Eſthaol in ſepulchro patris ſui Manue.* Iud. 16. 31. Miror, Philiſtæos tantâ facilitate permiſiſse, vt Samſonis adeò acerrimi hoſtis cadauer tolleretur, atque ad patrium ſepulchrum transferretur! Cur potiùs eum, qui tot ſibi damna intulerat, ſine ſepulturæ honore abiectum iacere non iuſserunt? Cur auibus, ac feris eius corpus laniandum non tradiderunt? Cur demùm ſuæ regionis vaſtatorem, ſuorumque conciuium interemptorem in fruſta non conciderunt? Quia ob Regum, ac principum ſuorum mortem valdè affligebantur. Hac reſponſione ſoluit nodum Abulenſis. *Quia nunc erant Philiſthim* Valdè Afflicti, *cùm omnes Reges ſui mortui eſſent, non auſi ſunt contendere, & ſpontè donauerunt corpus Samſonis cognatis eius.* Debent afflicti pietate proſequi, & honore afficere defunctos, quare cùm Philiſthæi propter ſuorum principum, ac regum mortem eſſent afflicti, Samſoni defuncto ſepulturæ obſequia conceſſerunt.

Elias afflictus pro defuncti vitâ Deum orauit.

2 Mortuus eſt filius mulieris Sarepthanæ, quæ hoſpitio Eliam excipiebat, eique cœnaculum in domo ſuâ parauerat, cuius mortem cùm Elias cognouiſset, ad Dominum clamauit, & pro eo preces effundens, ad vitam illum reuocauit. *Et clamauit ad Dominum, & ait, Domine Deus meus, reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius, & exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuerſa eſt anima pueri intrà eum, & reuixit.* 3.

Reg 17. 21. Quærendum hic, quare Elias pro mortuo puero preces effundere voluerit. Nemo adhuc mortuum ſuſcitauerat, cuius exemplo animatus ipſe quoque ad idem obtinendum aſpiraret. Cur igitur non timuit poſtulare à Deo non adhuc viſum reſurrectionis miraculum? Afflictus erat Propheta, quem Achab perſequebatur, quem ſiccatus torrens reliquit, quemque aliæ calamitates opprimebant, ac propterea tantâ pietate pro mortuo preces effudit. Ad rem Abulenſis. *Dicebat iſta Elias, quaſi conquerens, ſcilicet, Domine Deus, Nunquid tantùm volebas me affligere, vt viduam, apud quam ego maneo, nimis affligeres, occidendo filium ſuum? quaſi dicat.* ISTVD EST MAXIMVM MALVM, VEL DOLOR GRAVIOR, QVÀM EGO PATI POTERAM, IDEÒ ORO, VT VIVAT. Afflictio, quâ Elias vrgebatur, ratio fuit, cur coram Deo pro defuncti vitâ preces effuderit, eique precibus illis vitam reſtituerit.

Abulenſis.

Vidua Naim ærumnis oppreſſa filium defunctum luxit.

3 Hanc etiam ob cauſam vidua Naim adoleſcentulum filium vberrimis lachrymis plorauit, ita vt Chriſtus miſeratione motus eas deterſerit, ac extinctum filium ei reſurrectionis miraculo reddiderit. *Quam tùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere.* Luc. 7. 13. Vt quid enim tantam ſuis lacbrymis defuncto filio pietatem impendit, niſi quia in viduitate multis ærumnis obruebatur? Hùc alluſit D. Ioannes Chryſoſtomus in catenâ. ÆRVMNAE *molem breuibus verbis explicuit. Mater vidua erat, & non ſperabat vlteriùs filios procreare, non habebat, in quem aſpectum dirigeret vice defuncti.* Aerumnæ miſeram mulierem opprimebant, atque ideò tot lacbrymis filio mortuo pietatem exhibuit, nam qui premuntur ærumnis, debent miſericordiæ obſequia præſtare defunctis.

D. Io. Chryſ.

Populus Iſrael in ærumnis poſitus, Moyſi quem cenſebat mortuum pietatem impendit.

4 Aſcenderat Moyſes ad montem, in quo familiariter cum Deo loquebatur, cùmque diutiùs ibi moraretur, timuerunt Iſraëlitæ, ac putauerunt eum ab aliquâ ferâ interfectum, aut alio modo defunctum. Inter afflictiones autem, quibus peregrinantes premebantur, nihil magis eos turbabat, quàm hæc de morte Moyſis opinio, cui nec mortuo poſſent obſequijs parentare ſepulchralibus. Rectè Ioſeph Hebræus lib. 3. Antiquit. Iudaic. cap. 4. *Cùm diutiùs moraretur (per quadraginta enim dies abfuit) cœperunt ſolicits eſſe, ne quid grauius illi accidiſſet, neque in tot* ÆRVMNIS *aliud quicquam eos ſic contriſtauit, vt interitûs Moyſis opinio.* Dum ærumnis affligebantur, dolore, ac triſtitiâ Moyſi, quem cenſebant mortuum, pietatem exhibuerunt, vt nobis pateret ab afflictis deberi pietatem defunctis.

Ioſeph Hebr.

Tobias cæcitate percuſſus dolebat, ſe nō poſſe pietatem exhibere defunctis.

5 Fulcit quoque hanc veritatem oratio, quâ Tobias cæcitate percuſſus, Deum rogauit, vt ſibi mortem immitteret, ſeque adeò infœlici vitæ genere priuaret. *Igitur cùm Tobias putaret, orationem ſuam exaudiri, vt mori potuiſſet, vocauit ad ſe Tobiam filium ſuum.* Tob. 4. 1. Cur verò à Deo Tobias mortem poſtulauit? An eum ſuſtinere pigebat cæcitatis afflictionem, quâ Deus eius virtutem experiebatur? An doloris impatientiâ mori optauit? An demùm vitæ lucem non curabat, dum oculorum lucem non habebat? Abſit, nec enim dolebat, quòd cæcus eſſet, ſed quòd in cæcitate conſtitutus pietatis obſequia mortuis exhibere non poſſet. Eleganter D. Ambroſius lib. de Tobia cap. 2. *Fraudari magis ſe doluit obſequiorum, quàm oculorum munere, nec* CAECITATEM *pœnam, ſed impedimentum putabat.* Dum cæcitate percuſſus affligebatur, ingentem defunctis pietatem exhibebat, magiſque ſe non poſſe defunctos humare, quàm ſe lucem Solis non aſpicere dolebat.

D. Ambroſius

Archiſynagogum cogit afflictio pietatē exhibere filiæ defunctæ.

6 Acceſſit ad Chriſtum Archiſynagogus, cuius filia mortua fuerat, & procidens antè pedes illius, eum rogauit, vt defunctæ manum imponeret, eamque ad priſtinam vitam reuocaret. *Et ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipſe princeps ſynagogæ erat, & cecidit ad pedes Ieſu, rogans eum, vt intraret in domum eius.* Luc. 8. 41. Si verò quæratur, cur pro defunctâ filiâ tantâ humilitate orauerit, atque ad Chriſti pedes prouolutus, eum adorauerit, vt faciliùs ei vitam impetraret, reſpondet Theophylactus, hoc eum egiſſe, quia in afflictione poſitus erat. *Accidit ad pedes Ieſu, vrgente neceſſitate, quamuis enim ſine illâ oporteat procidere, & agnoſcere Deum eſſe Ieſum, attamen &* AFFLICTIO *cogit homines, vt meliora ſectentur.* Afflictio Archiſynagogum coëgit, vt Chriſtum adoraret, ac ſuppliciter pro defunctæ filiæ reſurrectione preces effunderet.

Theophylact.

Magdalena dolens, & afflicta ſepulchro Chriſti aſtitit.

7 Eademque coëgit Magdalenam, quæ ad Chriſti monumentum cum aromatibus cucurrerat, ad ſepulchrum ſiſtere, & illud ſæpè affectu pio proſpicere. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergò fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum.* Ioan. 20. 11. Cur toties Magdalena intrà monumentum intuetur? Cur ſublatum credens magiſtrum, adhuc ſiſtit ad ſepulchrum? An ad id cogebatur à dolore, quo affligebatur? Ita exiſtimauit Hugo Cardinalis. *Inclinauit ſe. Sed quare hoc, cùm iam ſciret ibi non eſſe? hoc enim nunciauerat diſcipulis, Tulerunt dominum de monumento, & neſcimus, vbi poſuerunt eum, & propter hoc etiam plorabat, quia ſublatum credebat. Reſpondemus. Arctabat eam* DOLOR, *& amor.* Propter afflictionem, ac dolorem interauit intuitum, ad ſepulchrum permanſit, & Chriſto, quem defunctum credebat, pietatem exhibuit, ſunt enim defuncti pietate ab afflictis proſequendi.

Hugo Card.

Senatus, & Populus Romanus afflictus pietatem

8 Quod oſtendit in morte Imperatoris Conſtantini Senatus, populuſque Romanus, qui cùm eſſet in maximâ afflictione, nihilque cenſeret ſibi poſſe accidere grauius, luctu, lamentatione,

aliiſque

Digitized by Google

Conſtantino defuncto impendit.

Euſ. Cæſar.

aliiſque innumeris pietatis obſequiis ei pietatem impendit. *Cùm hac famâ*, inquit Euſebius Cæſarienſis, *nihil ſibi* GRAVIVS, AVT LVCTVOSIVS *accidere poſſe exiſtimarent, nullum dolori, & lamentationi modum ſtatuebant, nam balnea clauſa, & fora, publica item ſpectacula ſummota.* Cùm grauiſſimâ opprimebantur afflictione, tunc mortuum Imperatorem præclarâ proſequebantur pietate, agnoſcentes, ab afflictis pietatis obſequia deberi defunctis.

Ancillæ afflictæ Patroclũ defunctum pietate ſunt proſecutæ.

Homerus.

9 Idipſum ex Homero probare poſſum, apud quem Ancillæ ob captiuitatem afflictæ in funere Patrocli fleuerunt, palmis pectora planxerunt, aliiſque obſequiis defuncto parentauerunt. Audiamus, quid canat Iliade 18.

Ancillæ autem, quas Achilles prædatus erat,
Patroclusque,
ANIMO AFFLICTAE vehementer eiulabant, & foras
Exiuerunt circà Achillem bellicoſum, palmis verò omnes
Pectora plangebant.

Vides animo afflictas luxiſſe, atque ingenti mortuum pietate proſecutas fuiſſe?

Theſſali calamitate affecti Pelopidæ mortuo pietatem exhibuerunt.

Plutarchus.

10 Pergo, & Theſſalorum pietatem in funere Pelopidæ expendo, qui multâ calamitate oppreſſi, à Thebanis petierunt, vt ſibi liceret exequias ei celebrare, funus ducere, ac honorificè cadauer humare. Quod narrat Plutarchus in eius vitâ. *Vbi iam efferendum corpus fuit, ſeniores Theſſali adierunt Thebanos, poſtulaueruntque, vt permitterent ipſis mortuum funerare, quorum vnus ita verba fecit. Beneficium ſocii à vobis petimus hoc, quod ornamento* IN TANTA CALAMITATE *nobis, & ſolatio erit. Non enim viuum Theſſali Pelopidam proſequuntur, nec meritos honores ſentienti habent, ſed ſi contrectare exanimem licebit, & per nos decorare, atque humare corpus eius, fidem faciemus vobis, credere nos cladem hanc eſſe Theſſalis, quàm Thebanis maiorem.* O' egregiam, quam defuncto impenderunt in calamitate conſtituti Theſſali, pietatem.

Thaſii afflicti Niconem mortuum honorauerunt.

Suidas.

11 Denique illud proferam, quod de Nicone refert Suidas verbo Νίκων, eius videlicet defuncti ſtatuam, quæ in hominem collapſa, eum interfecerat, proieciſſe Thaſios in mare, quam tamen, oraculo ita ſuadente, cùm afflictione afficerentur, è mari extraxerunt, & in priſtinum locum reſtituerunt. Quare ſtatuæ honorem, quem à mortuo abſtulerant fœlices, eidem præſtiterunt afflicti. Hæc ſunt verba Suidæ. *Interfecti filii cæſis ream egerunt ſtatuam. Thaſii itaque eam in mare abiecerunt ſecundùm legem Draconis Athenienſis, qui etiam inanima ob cædem factam in exilium agit. Pythia verò Thaſios* CALAMITATE CONFLICTANTES *eam ſtatuam reſtituere iuſſit. Qui cùm dubitarent, quo pacto illa è mari extrahenda eſſet, piſcatores, retia cùm laxaſſent, vt piſces caperent, eam extraxerunt, quam Thaſii in priſtinum locum reſtituerunt.* Calamitates Thaſios reddiderunt in mortuum Niconem pios, ita vt ei ſtatuam erexerint vrgente afflictione, quam in mare abiecerant perſeuerante iucunditate. Hæc igitur cùm ita ſe habeant, defunctos pietate proſequantur, qui tempore tribulationis affliguntur.

CAPVT XL.

Virgines, ac Viduæ debent mortuis exhibere pietatem.

Virgines in funere Paulæ pietatem exhibentes.

D. Hieronym.

1 CApitis initium duco à funere Paulæ, quod elegantibus verbis D. Hieronymus deſcribit, ad Euſtochium ſeribens. Inter cætera verò, quæ pompam exequiarum augebant, agmina Virginum recenſet, quę omnes, vt honorarent defunctam, proceſſerunt, & ædium ſecreta reliquerunt. *Quam* VIRGINVM *cubiculorum ſecreta texerunt? Sacrilegum putabant, qui non tali fœminæ vltimum reddidiſſet officium.* Vt pietatem defunctæ impenderent, ſolitudinem ſuam Virgines reliquerunt, omneſque ad illius exequias ex totâ Palæſtinâ conuenerunt. Reliquis autem maiorem in eam oſtendit virgo Euſtochium pietatem, quæ ſacrum cadauer oſculata, illudque millies amplexa, vnà cum eo ſepeliri cupiebat. *Venerabilis* VIRGO *filia eius Euſtochium, quaſi ablactata ſuper matrem ſuam, abſtrahi à parente non poterat, deoſculari oculos, hærere vultui, totum corpus amplexari, & ſe cum matre velle ſepeliri.* Poteratne verbis elegantioribus virginalis ergà defunctam pietas commendari, & ſtudium, quo ei Virgines præſtabant miſerationem, deſcribi?

Virgines in rogum vittas virginalis comæ proiiciebant.

Alex. ab Ale.

2 Addo, Virgines interdum conſueuiſſe in exequiis mortuorum comæ virginalis vittas in rogum proiicere, in quo flammis cadauera cremabantur. Quod obſeruat Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Mulieres, ne ſtudio vincerentur, ornamenta ſua, armillas, zonas, mundumque muliebrem, vittaſque* VIRGINALES COMAE, *alia retortos cincinnos, & torques, & bullas, prætextaſque liberorum flammæ indidere.* Vt ſe pias exhiberent ergà defunctos, virginalibus vittis ſe priuabant, eaſque igni, ac pyræ in eorum honorem cremandas proiiciebant.

Virgines, quæ ſuis humeris mortuorum cadauera extulerunt.

Appian. Ale.

Alex. ab Ale.

3 Quin & interdum cadauera ſuis humeris Virgines efferre ſolebant. Hoc autem de cadauere Syllæ teſtatur Appianus Alexandrinus lib. 1. bellorum ciuilium. *Corpus denique, occurrente exercitu, ſacerdotes,* SACRAEQVE VIRGINES *per vices detulere*, & Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Syllæ dictatoris feretrum ſenatores, &* SACRAE VIRGINES *extulerunt.* Ad quem morem videtur reſpexiſſe Ludouicus Cortuſius Iureconſultus Patauinus, qui teſtamento iuſſit ſuum cadauer à duodecim Virginibus efferri, quibus hanc ob cauſam cer-

Digitized by Google

tam pecuniam pro dote dati præcepit. Id refert Ieremias Drexellius in Prodromo æternitatis cap. 1. his verbis. *Feretrum portari iuſſit à duodecim innuptis puellis, quæ praſinâ, aut viridi veſte indutæ, altâ voce cantarent, quicquid lætitia ſuggereret. Harum* VIRGINVM *ſingulis certa pecunia dotis loco deſtinata.* Agnoſce igitur Virgines tantâ pietate flagraſſe in defunctos, vt eorum cadauera interdum extulerint, ſuiſque humeris ad ſepulchri locum portauerint.

Ier. Drexel.

Filiæ Iephte anniuerſarius luctus à Virginib⁹ exhibitus.

4 Anniuerſarium quoque luctum pro defunctis reperio à Virginibus præclarâ pietate celebratum. Vtique mortuam filiam Iephte Iſraëlitarum filiæ quotannis quatriduano luctu plorabant. *Exindè mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniant in vnum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Iudic. 11. 40. Quænam autem erant filiæ iſtæ, quæ tantâ pietate defunctam puellam ſingulis annis lugebant, niſi quæ virginitate præditæ erant? Ita cenſet Abulenſis quæſt. 52. in hunc locum. *Conueniant in vnum filiæ Iſrael, ſcilicet* VIRGINES, *quia ſicut ſolæ* VIRGINES *ſodales filiæ Iephte circumierunt montes cum ipſâ, plangendo virginitatem eius, ita poſteà conueniebant puellæ* VIRGINES *ad plangendum.* Ad Virgines pertinet proſequi pietate defunctos, vndè mortuam filiam Iephte quotannis Virgines plorabant, & ſuis lachrymis honorabant.

Abulenſis.

Vidua Sarepthana in mortuũ filiũ pia.

5 Transeo à Virginibus ad Viduas, quas etiã conſtat pietatem impendiſſe defunctis. Hoſpitabatur Elias apud Viduam Sarepthanam, cuius filius ægrotans, mortuus fuit. Quare illa Eliam rogauit, vt vitam ei ſuis precibus largiretur. Annuit propheta, & puerum de ſinu matris tollens, poſuit ſuper lectulum ſuum, ac feruenti oratione ad vitam reuocauit. *Ait ad eam Elias, Da mihi filium tuum. Tulitque eum de ſinu eius, & portauit in coenaculum, vbi ipſe manebat, & poſuit ſuper lectulum ſuum.* 3. Reg. 17. 19. Vt quid mulier iſta mortuum filium in ſinu gerebat, niſi vt ei miſericordiæ obſequia lachrymis, oſculis, & amplexibus exhiberet? Adeſt Abulenſis. *Habebat mater filium defunctum in gremio ſuo, exhibens pietatis officium, lachrymando, eo, quem genuerat. Elias autem ſuſcepit illum, & tulit in coenaculum, vbi ipſe manebat, ideſt in domum quamdam, quam ipſe habebat intrà domum* VIDVAE. Vide Viduam in ſinu mortuum filium gerentem, multamque illi pietatem exhibentem, & agnoſce Viduas quoque mortuis impendere miſerationem.

Idem.

Vidua Naim ergà filium defunctum pietatem oſtẽdit.

6 Quod licet confirmare lachrymis, quas vidua Naim in funere filij ſui vberrimas effudit, quapropter Chriſtus eius eſt miſertus, filiumque à mortuis excitauit. *Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus, dixit illi, Noli flere. Et acceſſit, & tetigit loculum.* Luc. 7. 13. Cuius tam feſtinæ, atque inſperatæ reſurrectionis quænam alia cauſa fuit, niſi vehementiſſimus dolor, quo vidua mater vnigenitum plorauit extinctum? Adſtipulatur Dionyſius Carthuſianus. *Miſericordiâ motus eſt ſuper eam, quoniam talis amor ad vnicum filium maximus conſiſtit in* VIDVA, *quia viri eſt deſtituta ſolatio, iccircò dolor eius de vnigeniti morte vehementiſſimus eſt.* Vehementi dolore vidua iſta mortuo filio pietatem impendit, ideòque vt illam conſolaretur, eum ſtatim ad priſtinam vitam reuocauit.

Dion. Carth.

Viduæ in mortuam Tabitham valdè piæ.

7 Idipſum egit Petrus, cùm eum Viduæ vocauerunt, & vt mortuam Tabitham ſuſcitaret, rogauerunt. Continuò namque ſurrexit, & eò vbi cadauer iacebat perrexit. Quò cum peruenit, effuſis ad Deum precibus, defunctæ priſtinæ vitæ munera conceſſit. *Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, & conuerſus ad corpus dixit, Tabitha ſurge. At illa aperuit oculos ſuos, & viſo Petro reſedit.* Act. 9. 40. Cur Petrus tantâ celeritate ad hanc mulierem, vt eam ſuſcitaret, eſt profectus? Cur nullâ interpoſitâ morâ, ſtatim cum nuncijs, qui ad ſe miſſi fuerant, perrexit? Cur cætera omnia, quibus vacabat, reliquit, vt ſoli defunctæ ſuſcitationi vacaret? Quia viduæ ſuis lachrymis, & precibus illum ad vitam ei largiendam induxerunt. Hùc alluſit D. Ioannes Chryſoſtomus homiliâ 21. in Actus Apoſtolorum. VIDVAE *circumſtantes, & lachrymantes, non solùm à præſenti, ſed etiam à futurâ poſſunt eripere morte.* Viduæ in mortuam Tabitham valdè piæ, tot pro eâ preces effuderunt, vt ferè coëgerint Petrum vitam ei reſurrectionis miraculo reſtituere amiſſam.

D. Io. Chryſ.

Viduæ in funere Paulæ miſericordiæ obſequia præſtantes.

8 Quam pietatem aliæ Viduæ ſunt imitatæ in funere Paulæ, quæ veſtes à defunctæ charitate acceptas, vt eam viuis laudibus attollerent, ac pijs obſequijs honorarent, circumferebant, & cunctis oſtendebant. Audi D. Hieronymum in Epitaphio Paulæ Matris hæc ſcribentem. VIDVAE, *& pauperes in exemplum Dorcadis veſtes ab eâ præbitas oſtendebant.*

D. Hieron.

Flagrabant Viduæ illæ pietate in
Paulam defunctam, & iccircò
veſtes ab eâ acceptas, vt
eam honorarent,
omnibus oſten-
debant.
His
igitur ſuprà in hoc eodem Capite
ſcripta connectamus, & con-
cludamus, Virgines, ac
Viduas debere mor-
tuis exhibere
pieta-
tem.

Digitized by Google

CAPVT XLI.

Coniuges ſuperſtites Coniugum tenentur misereri mortuorum.

Abraham vxori defunctæ pietatem impendit.

1 VEnio ad eos, qui cum defunctis, antequam decederent, matrimonij vinculo coniuncti fuerunt, eoſq; probo ſpecialem illis debere pietatem. Primò autem miſericordiam expendam à viris debitam mulieribus mortuis, ac deindè pietatem à mulieribus exhibendam viris defunctis. Cùm Abrahã apud Hethæos aduena, & peregrinus moraretur, mortua eſt Sara eius vxor, quam cùm diuturno luctu fleuiſſet, ac exequiarum pompâ honorauiſſet, populum, apud quem habitabat, rogauit, vt ſibi locum permitteret, in quo poſſet eius humare cadauer. *Cùmque ſurrexiſſet ab officio funeris, locutus eſt ad filios Heth, dicens, Aduena ſum, & peregrinus apud vos, date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum.* Gen. 23. 3. Quo loco quid aliud nobis innuitur, niſi pietas, quam debent mariti ſuperſtites vxoribus defunctis? Aptè Oleaſter. *Hic* VIRI CONIVGATI *diſcant, quantum debent vxores diligere, & funera curare.* Vberrimis lachrymis plorauit, ſupplices preces adhibuit, multis impenſis agrum emit, omnemque lapidem mouit, vt debitâ mortuam vxorem pietate proſequeretur. Quibus obſequijs vir iſte ſanctus affectum probauit, quo eam diligebat, nam tunc maritalis probatur affectus, cùm etiam poſt mortem perſeuerat viuus. *Locus, qui legitur,* addit D. Ambroſius lib. de Abraham cap. 9. *habet mortem vxoris, fletum* MARITI*, ſepulturæ officium, quibus* MARITALIS *affectus probatur.* Suum Abraham ergà vxorem oſtẽdit affectum, cùm ei mortuæ pietatem impendit, nam tunc maritalis probatur affectus, cùm vxori pietas exhibetur defunctæ.

Oleaſter.

D. Ambroſius

Idem egit Iacob cum Rachele.

2 Illud etiam hìc obſeruandum eſt, Abraham Saram defunctam appellauiſſe mortuum ſuum. *Date mihi ius ſepulchri, vt ſepeliam mortuum meum.* Cur verò ſuum? Nonnè per mortem vinculum matrimonij ſolutum erat? Vtique; ſed tamen dixit mortuum ſuum, ideſt ad ſuam pertinens curam, ſuamque pietatem. Appoſitè Dionyſius Carthuſianus. *Sepeliam mortuum meum, hoc eſt exanime corpus, ſeu cadauer* CONIVGIS MEAE*, quod meum eſt, ſeu ad meam pertinens curam, quantùm ad ſepulturam.* Spectat ad maritos pietatem vxoribus impendere defunctis, eiſque cura incumbit debita illis exhibendi poſt mortem miſerationis obſequia.

Dion. Carth.

Iacob in viâ vxoris funus curauit.

3 Vndè etiam Iacob, cùm in itinere vxorem amiſit Rachelem, quæ obijt propter partûs difficultatem, eam honorificè ſepeliuit, & ſuper ſepulchrum eius magnificum titulum erexit. *Erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius, hic eſt titulus monumenti Rachel vſque in præſentem diẽ.* Geneſ. 35. 20. Cur namque titulum iſtum Iacob erexit, niſi vt nos admoneret, quantam debeant mariti defunctis vxoribus exhibere pietatem? Hoc monuit Oleaſter. *Admonentur hìc* VIRI CVRARE VXORVM *funera.* Tenentur mariti vxoribus defunctis funera, lachrymas, preces, aliaque miſericordiæ obſequia præſtare, vndè vt id, quod Iacob debebat, impleret, mortuam coniugem luxit, ſepeliuit, multâque pietate ſuper tumulum eius illuſtrem titulum erexit.

Oleaſter.

Moriens Iacob vxori mortuæ nomen excitauit.

4 Neque citò huius oblitus eſt pietatis, ſed eam vſque ad mortem exhibuit, & adhuc moriens in illius exhibitione perſeuerauit. Ægrotauit ſenex in Ægypto, & ad eum Ioſeph vnà cum duobus filijs ſuis Ephraim, & Manaſſe perrexit, quos ſuos filios per adoptionem fieri voluit. *Duo ergò filij tui, qui nati ſunt tibi in terrâ Aegypti, antequam hùc venirem ad te, mei erunt, Ephraim, & Manaſſes, ſicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi.* Gen. 48. 5. Rationem verò, cur ſuos eſſe voluerit filios Ioſeph, ſtatim ſubdidit. *Mihi enim, quando veniebam de Meſopotamiâ, mortua eſt Rachel in terrâ Chanaan in ipſo itinere.* Gen. 48. 7. Hoc videlicet egit, vt mortuæ vxori nomen excitaret, & filios adoptione acquireret. Ex quo patet, Iacob, cùm moreretur, mortuæ vxori pietatem impendiſſe, illique nominis excitationem toto ſtudio exhibuiſſe. Rectè Rupertus Abbas lib. 9. cap. 23. *Iccircò hi duo filij tui mei erunt, vt* MORTVAE CONIVGI *ſemen ſuſcitem, & ſuppleam adoptione, quod minus habui naturali generatione.* Tantâ Iacob proſecutus eſt pietate mortuam vxorem, vt etiam moriens nomen ei ſuſcitare cogitauerit.

Rup. Abbas.

Vxores à maritis funebri laudatione commendatæ.

5 Hanc veritatem Gentilium quoque authoritate comprobare poſſum, apud quos conſueuerant mariti funebribus laudibus coniuges commendare defunctas. Primus autem hunc morem Cæſar inuexit, qui vxorem ſuam licet iuniorem, poſt mortem laudauit, cùm antè ipſum non ſolerent, niſi prouectas, in funeribus commendare mulieres. Vndè Plutarchus in eius vitâ hæc ſcribit. *Aetate prouectiores mulieres in funere laudari, moris antiqui apud Romanos fuit. Primus Cæſar* VXOREM SVAM*, cùm iuniores laudari non eſſet receptum, mortuam oratione funebri decorauit.* Cæſarem ſecutus eſt M. Lepidus, qui Druſillam vxorem poſt mortem funebri laudatione decorauit, vt ait Dio lib. 59. Hiſt. Rom. *Mortuam* MARITVS *laudauit, publicam ſepulturam frater tribuit.* Hoc etiam pietatis obſequio defunctas vxores mariti decorabant, quo earum laudes funebri laudatione populo eleganter exponebant.

Plutarchus.

Dio.

Mariti honoris gratiâ ſuper ſepulchra vxorum ſpargebant flores.

6 Solebant etiam mariti, vt coniuges defunctas honorarent, ſuper earum ſepulchra ſpargere flores, hoc etiam obſequium ſuum ergà eas amorem teſtantes. Diſco id ex D. Hieronymo Epiſtolâ ad Pammachium. *Cæteri mariti ſuper tumulos* CONIVGVM *ſpargũt violas, roſas, lilia, floreſq;*

pu pu eos, & dolorem pectoris his officiis conſolantur. Vt maiori mariti coniuges defunctas pietate proſequerentur, obſequia multiplicabant, & officia, quibus ſuum in eas etiam poſt mortem perſeuerantem amorem teſtarentur, iterabant.

Iuſſum eſt vxoribus, vt defunctorum virorum nomen ſuſcitarent.

7 Venio nunc ad pietatem, quam ſuperſtites vxores maritis debent exhibere defunctis. Præcepit Deus in veteri lege, vt viro ſine liberis mortuo, alteri vxor eius non nuberet, ſed fratrem defuncti acciperet, vt ei prolis procreatione nomen ſuſcitaret. *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui.* Deut. 25. 5. Quam autem ob cauſam hoc in lege mulieribus iniunxit, niſi, vt agnoſcerent, quantâ debeant pietate maritos proſequi, & honorare defunctos? Profectò hæc fuit mens Oleaſtri locum hunc ita illuſtrantis. *Docentur hic fœminæ, quales ergà* DEFVNCTOS VIROS *ſe debeant exhibere, vt quoad poſſunt, velint honorem, ac nomen eorum ſeruare.* Iuſſit Deus mulieribus, vt defunctis maritis nomen ſuſcitarent, eoſque nominis ſuſcitatione apud ſuperſtites honorarent.

Oleaſter.

Vxores in defunctos viros maximo amore feruntur.

8 Nec tantùm id iuſſit, ſed etiam fratrem defuncti viri nolentem inire coniugium pro fraterni ſeminis ſuſcitatione varijs pœnis mulctari præcepit. *Accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius, ſpuetque in faciem illius, & dicet, ſic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* Deut. 25. 9. Vt quid neceſſe erat huius legis violatoribus tam graues imponere pœnas? Nonnè frater defuncti libenter coniugem relictam duxiſſet, maximè cùm tunc plures ducere ſolerent vxores? Quid igitur opus erat violatorum pœnis hoc magis roborare præceptum? Placet ſolutio, quam affert Abulenſis in cap. 4. Ruth, qui ait fratres relictos non libenter ſuſcepiſſe fratrum defunctorum ſuperſtites vxores, quia cùm hæ in mortuos viros maximo amore ferantur, minùs diligunt viuos, quare ad hæc ſubeunda coniugia neceſſe fuit eos lege, ac pœnis excitare. *Fœmina viro ſuo ducit in memoriam virum, quem priùs habuit, quod viuenti grauiſſimum eſt, non quidem quòd mortuum zelet, ſed quia zelat, ſe non integrè diligi,* CVM AMOR VXORIS AD DEFVNCTVM CVM MAGNO DESIDERIO TENDAT. Tantâ pietate vxores viros priores, ac defunctos proſequuntur, vt eorum comparatione minùs diligant poſteriores, ac viuos.

Abulenſis.

Vxores ſeruant memoriâ mariti mortui.

9 Nec mirum ſanè, nam defuncti ſemper ſeruant in pectore memoriam mariti. Quod conſtat ex Apuleio libro. 8. Metamorphoſeon, apud quem Charites Thraſyllo cum eâ nuptias inire cupienti reſpondit, ſe ad nouas nuptias tranſire non poſſe, cùm adhuc in ſuo pectore maritus viueret extinctus. *Adhuc inquit tui fratris,* MEIQVE CARISSIMI MARITI *facies pulchra illa in meis diuerſatur oculis, adhuc odor cinnameus ambroſii corporis per nares meas percurrit, adhuc formoſus Lepolemus in meo viuit pectore.* Ad quæ Beroaldus ait. *Fœminæ pudicæ memoria* DEFVNCTI CONIVGIS *ſemper eſt recens, &* ILLI SEMPER MARITVS VIVIT. Vxor ſuperſtes mortui mariti ſemper viuam debet in pectore ſeruare memoriam, ita vt cui ſingularem amorem exhibuit viuenti, ſingularem etiam pietatem impendat defuncto.

Apuleius.

Beroaldus.

Valeria renuit ſecundas nuptias, quia ſemper viuus pietati maritus viuebat.

10 Hoc egregiè præſtitit Valeria Meſſalarum ſoror, quæ, mortuo Seruio viro ſuo, alteri nubere noluit, & interrogata, cur ſecundas reſpueret nuptias, reſpondit, ſe id agere, quia ſibi, ſuoque amori adhuc mortuus viuebat maritus. Narrat hoc idem Beroaldus in locum nuper allatum Apuleij. *Valeria Meſſalarum ſoror, amiſſo Seruio viro, nulli volebat nubere, quæ interrogata, cur hoc faceret? ait* SIBI SEMPER MARITVM SERVIVM VIVERE. O' præclaram, ac imitandam mulieris ergà defunctum virum pietatem.

Beroaldus.

Vxores in ſepulchris maritorum habitantes.

11 Sed & vxores leguntur tantâ pietate in maritos mortuos flagrantes, vt ad eorum ſepulchra commorari, & vnà cum illorum cadaueribus degere voluerint, vt maiorem eorum, ac diuturniorem memoriam haberent. Hoc profectò Heracleis mulier Tarentina præſtitit, de quâ Aelianus lib. 8. de Animalibus capit. 22. hæc habet. *Tarentina mulier nomine Heracleis & cæteris in rebus ex maximè raro fœminarum genere fuit, & verò ab omni ſtupro integram, caſtamque ſe marito conſeruauit, quippè quæ vt viuentem eum ſtudioſè, & diligenter coluiſſet, ſic poſteaquam è vitâ exceſſiſſet, ſe fidiſſimam, & ab omni libidine continentem* HVMATO CONIVGI *præſtans, vrbanas commorationes, & domum, in quâ mortuum vidiſſet maritum, adeò malè odit, vt præ mœrore ad ſepulchri monumentum, vbi ſepulturâ ille affectus eſſet miſerrimè commoraretur.* Quid poterat pro pietate vxoris ergà defunctum virum illuſtrius apponi? Hoc idem optauit Charites apud Apuleium libr. 8. metamorphoſeon, quæ ad ſepulchrum properans mariti, vnà cum eo inediâ perire cupiebat. *Officijs inferialibus ſtatim exeptis, puella protinus feſtinat* AD MARITVM SVVM *demeare, cunctaſque prorſus pertentat vias. Certè illam lenem, otioſamque, nec telis vllis indigentem, ſed placidæ quieti conſimilem inediâ denique miſera, & incuriâ ſqualida tenebris imis abſcondita cum luce iam tranſegerat.* Idem refert Petronius Arbiter in Satyrico matronam egiſſe Epheſinam de quâ hæc loquitur. *Cùm* VIRVM *extuliſſet, non contenta vulgari more funus paſſis proſequi crinibus, aut nudatum pectus in conſpectu frequentiæ plangere, in conditorium etiam proſecuta eſt defunctum, poſitumque in hypogæo, Græco more, corpus cuſtodire, ac flere totis noctibus, diebuſque cœpit.* Vide quàm viuam ſeruauerint hæ mulieres defunctorũ virorum memoriam, quæ vnà cum eorum cadaueribus in ſepulchris habitare voluerunt.

Aelianus.

Apuleius.

Petronius.

12 Ve-

Vxores, vt maritis mortuis pietatem impenderent mortem appetiuere.

12 Verùm neque illud hìc omittendum eſt, quòd multæ coniuges, eam defunctis maritis exhibuerunt pietatem, vt ſuâ eis morte parentauerint, cum lætitiâ vitam amittentes, vt ſuos viros poſt mortem adirent. Indorum peruulgata hiſtoria eſt, vt viro defuncto, vxor magis ab eo dilecta, in eaſdem rogi flammas, quibus ille crematur, ſe proijciat, & vnà cum illius cadauere læta comburatur. Audiamus Valerium Maximum lib. 2. cap. 1. *Reſpiciantur Indorum foeminæ, quæ cùm more patrio complures eidem nuptæ eſſe ſoleant,* MORTVO MARITO, *in certamen, iudiciumque veniunt, quam ex iis maximè dilexerit. Victrix gaudio exultans, deductaque à neceſſarijs, lætum præferens vultum, coniugis ſe flammis ſuperiacit, & cum eo, tanquam foeliciſſima, crematur; ſuperata cùm triſtitiâ, & moerore in vitâ remanent.* Eumdem Getorum vxoribus eſſe morem, teſtatur Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Getis erat iſte mos, vt* VIRO DEFVNCTO, *præcipuè dilecta coniux, maximo cultu ornata, ad tumulum duci, & à propinquiore mactari, eodemque tumulo humari debeat.* Idem apud Thraeces mos viget, vt ſcribit Pomponius Mela lib. 1. de ſitu Orbis cap. 2. *Ne foeminis quidem ſegnis eſt animus, ſuper* MOTVORVM VIRORVM *corpora interfici, ſimulque ſepeliri votum eximium habent, & quia plures ſimul ſingulis nuptæ ſũt, cuius id ſit decus, apud iudicaturos magno certamine aſfectant, moribus datur, eſtque maximè lætum, cùm in hoc contenditur, vincere.* Addit Solinus in Polyhiſt. cap. 16. non vnam, ſed plures, eaſque, quæ pudicitiam magis diligunt, vnà cum defunctis coniugibus comburi. *Quæ foeminæ tenaces ſunt pudicitiæ,* DEFVNCTORVM INSILIVNT CONIVGVM ROGOS, *& quod maximum inſigne ducunt caſtitatis, præcipites in flammas eunt.* Apud Catheos etiam hoc vxorum viuicomburium in funeribus virorum eſt in vſu, vt tradit Strabo lib. 15. Geograph. *Catheorum id quoque peculiare fertur, quòd vt ſponſus, & ſponſa ſe mutuò eligant. Item vt vxores* CVM VIRIS DEFVNCTIS *comburantur.* Procopius etiam Cæſarienſis lib. 2. de bello Gothorum narrat vxores apud Erulos in funeribus virorum ſe interficere ſolitas, quod ſi non præſtent, infamiæ poenâ mulctantur. DEFVNCTO APVD ERVLOS MARITO, *cogebatur vxor virtute prædita, ſuique opinionem apud poſteros relinquere cupiens, apud ſepulchrum eius interire. Quod ſi renuiſſet, infamiâ notabatur, & odio in defuncti viri propinquos affecta cenſebatur.* Mortem etiam ſibi voluntariè gladio conſciuit apud ſepulchrum Lepolemi Charites vxor illius, de quâ ſcribit Apuleius lib. 8. metamorph., eam mariti ſui interfectorem plurimis ærumnis confeciſſe, ac deindè ſuam ei vitam litaſſe. *Vindicaui in* MEI MARITI *cruentum peremptorem, punita ſum funeſtum mearum nuptiarum prædonem, iam tempus eſt, vt iſto gladio deorsùs ad meum Lepolemum viam quæram, & enarratis ordine ſingulis, quæ ſibi per ſomnium nunciauerat maritus, quoque aſtu Thraſyllũ inductum petiſſet, ferro ſub papillam dexteram tranſacto, horruit, & in ſuo ſibi peruoluta ſanguine poſtremò balbuttiens, incerto ſermone perflauit animam virilem.* Animaduerte, quo amore defunctos maritos ſuperſtites proſecutæ fuerint vxores, quæ, vt eis, quod credebant, pietatis obſequium impenderent, vitam ſponte amittere, ac mortem libenter ſubire, non effoeminatâ, ſed virili fortitudine haud metuerunt. Liquet igitur ex his, teneri Coniuges ſuperſtites Coniugum miſereri mortuorum.

Val. Max.

Alex. ab Alex.

Pomponius Mela.

Solinus.

Strabo.

Procopius Cæſar.

Apuleius.

CAPVT XLII.

Ab hominibus etiam malis miſericordia debetur defunctis.

Mortui morte in peccatis ſepelierũt.

1 LIcet iuſti, & gratiâ præditi eſſe debeãt, qui defunctis pietatem impendunt, vt maiori efficaciâ eos adiuuent, non tamen hanc ob cauſam peccatores, & praui ſunt ab his pietatis obſequijs eximendi, ſed ipſi quoque debent eis miſericordiæ viſcera exhibere. Vocauit Chriſtus diſcipulum, cuius tunc pater mortuus erat, quapropter ipſe illũ, vt ſibi tantiſper morari permitteret, donec ſepulchralibus obſequijs cadaueri ſolitum exequiarum officium præſtitiſſet. Quod cùm Chriſtus audiuiſſet, ei præcepit, vt fineret mortuos ſepelire mortuos ſuos. *Ieſus autem ait illi, Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Matth. 8. 22. At quomodo poterant mortui mortuis obſequia impendere ſepulturæ? Non vtique poſſunt à ſepulchris cadauera reſurgere, vt alia in ſepulchris cadauera condant. Quo igitur pacto mortui mortuos humare valebant? Mortui morte culpæ mortuos humabant morte naturæ. Rectè Albertus Magnus. *Notatur, plures ad exequias eius* IN CVLPA MORTVOS *conueniſſe.* Licet peccatores eſſent, & in culpis mortui, non propter hoc pietatis obſequia omiſerunt, ſed defunctum piè ſepelierunt.

Albertus Magnus.

Aegyptij mortui morte culpa mortuos ſuos ſepelierunt.

2 Cùm Iſraëlitæ, iubente Deo, exierunt ex Aegypto, ſepeliebant Aegyptij primogenitos, quos Deus interfecerat, & extremis eos pietatis officijs honorabant. *Profecti igitur de Rameſſe menſe primo, quintadecimâ die menſis primi, fecerunt alterâ die phaſe filij Iſrael in manu excelsâ, videntibus cunctis Aegyptijs, & ſepelientibus primogenitos, quos percuſſerat Dominus.* Numer. 33. 4. Aduertendum autem, Aegyptios homines fuiſſe peruerſos, ac populi Dei hoſtes acerrimos, quapropter Deus & filijs eos priuauit, & pecuniarum amiſſione mulctauit. Nec tamen hanc ob cauſam pietatis obſequia defunctis exhibenda reliquerunt, ſed ſepulturæ officio eos honorauerunt, nam etiam mali, & in peccatis mor-

tui

tui miſereri debent mortuorum. A͞udiēda Gloſ-
[*Gloſſa Interlin.*] ſa Interlinearis. MORTVI *ſepeliebant mortuos ſuos, & viuentes ſequebantur Dominum ſuum*. Licet mortui eſſent morte culpæ, non tamen pietatem omiſerunt, ſed mortuos ſuos funeribus, exequijs, & ſepulturis decorauerunt.

[*Dæmon mortuus morte gratiæ diuitē ſepeliuit defunctum.*] 3 Sed quis magis mortuus eſt morte gratiæ, quàm Diabolus omnium peruerſorum peruerſiſſimus? Adhuc tamen ipſe quoque aliquam pietatis ſpeciem interdum viſus eſt exhibere defunctis. Mortuus eſt diues ille, qui ſplendidè quotidie epulabatur, & poſt mortem ſepultus eſt in Inferno. *Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in Inferno*. Luc. 16. 22. Quis verò in inferorum antris hunc hominem ſepeliuit? Quis ei exequiarum officium præſtitit? Quis in terræ viſceribus funus ei celebrauit? Diabolus fuit, qui hæc illi ſimulata obſequia impendit. Appoſitè [*Alb. Magnus.*] Albertus Magnus. *Mortuus eſt Dæmon presbyter* MORTE GRATIAE, *& mortuus eſt diues morte gratiæ, naturæ, & gloriæ, & ideò dæmon ſepeliuit diuitem*. Vides Dæmonem mortuum morte gratiæ quamdam pietatis ſpeciem diuiti exhibuiſſe in inferno, dum eum, veluti ſi presbyter fuiſſet, ſepeliuit.

[*Iuda Chriſtus ſuaſit, vt licet proditor, ſibi ſepulchrales cōcederet honores.*] 4 Et quia de Diabolo ſermo incidit, non eſt hìc omittendus Iudas Iſcariotes, quia ipſe quoq; Chriſti ſententiâ Diabolus erat. *Reſpondit eis Ieſus, Nonnè ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt? Dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem*. Ioan. 6. 70. Hic ergò cùm vidiſſet Magdalenam Chriſti corpus ad ſepulturæ illius honorem vngentem, illud reprehendit obſequiū pietatis, & pretij iacturam appellauit. Chriſtus verò mulieris deuotionem probauit, & proditoris peruicaciam increpauit. *Dixit ergò Ieſus, Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud*. Ioan. 12. 6. Quibus verbis Iudæ ſuadere voluit, vt quamuis perfidus, & proditor ſepulchrales ei permitteret honores, & obſequia non inuideret debita defunctis. Hùc ſpectauit in Bibliothecâ veterum Patrum D. Baſilius Seleucienſis Orat. 31. Chriſtum hæc Iudam inducens al-
[*D. Baſil. Seleuc.*] loquentem. ETSI CAEDEM APPARAS, *tumulum ſaltem c͞ncede*. Non debent mali, etſi peccata patrent, à pietate deſiſtere impendendâ mortuis, vndè Iudam, licet proditorem, hortatus eſt Chriſtus, vt ſibi obſequia permitteret ſepulturæ.

[*Propheta peſſimus virum Dei honorificè ſepeliuit.*] 5 Hinc Propheta ille, qui virum Dei venientem de Iuda ad Ieroboam decepit, eique vt cibis vetitis veſceretur doloſè ſuaſit, vt audiuit eum à leone interfectum ſine ſepulturæ honore iacere in itinere abiectum, ad cadauer illius properauit, illudque ad ciuitatem deferens pio funeris officio, ac ſolenni exequiarum celebritate honorauit. *Tulit ergò prophetes cadauer viri Dei, & poſuit illud ſuper aſinum, & reuerſus intulit in ciuitatem prophetæ ſ͞nis, vt plang͞erent eum*. 3. Reg. 13. 29. Homo peſſimus erat propheta iſte, qui fauebat idolatris, & propterea virum Dei ſeduxit, qui Regem reprehenderat idola colentem, adhuc tamen pietatem exhibuit ſepulturæ obſequijs mortuo, & quem doloſis verbis decepit viuum, pijs officijs humauit defunctum. Debent enim etiam mali, ac peruerſi pietatis obſequia præſtare defunctis. Accinit Abulenſis quæſt. 33
in hunc locum. *Iſte propheta erat* VIR PESSIMVS, *nam ipſe ſeduxit virum Dei, vt occideretur, vt patet ſuprà, & fauebat regi in Idolatriâ, vt declaratum eſt*. Non debent homines, quamuis mali, derelinquere pietatem ergà defunctos, & iccircò propheta iſte peſſimus viro Dei mortuo pietatem exhibuit, cumque celebri exequiarum pompâ honorauit. [*Abulenſis.*]

[*Meretrix Ioāni Mariæ defuncto pietatem exhibuit.*] 6 Digna eſt etiam, quæ hìc apponatur pietas, quâ meretrix Ioannis Mariæ cadauer ab omnibus deſertum honorauit, ipſum enim ſanguine, ac vulneribus deturpatum roſis contexit, & quo poterat, miſerationis obſequio decorauit. *Cùm foedis vulneribus*, inquit Paulus Iouius in eius vitâ, *& multo cruore deformatus, non ſine ludibrio ſpectaretur*, INFIMAE SORTIS MERETRIX *tempeſtiuæ pietatis officium vſurpans, totum cadauer multâ recenti roſâ contexit*. Animaduerte mulierem, licet proſtitutæ honeſtatis, & laſciuam, opportunâ pietate honorem præſtitiſſe cadaueri abiecto Ducis defuncti, & diſce, non tantùm à bonis, verùm etiam à malis debeti mortuis pietatem. [*Paulus Iouius.*]

[*Gentiles animæ immortalitatem negātes in mortuos pij.*] 7 Quid? quòd homines ipſi, qui corporum reſurrectionem, animarumque immortalitatem negabant, aliquam pietatem ſacrificijs, libaminibus, & ſepulchris impenderunt Defunctis? Docet hoc in Bibliothecâ veterum Patrum D. [*D. Zeno.*] Zeno ſerm. de Reſurrectione his verbis. *Igitur primum omnium probandum puto, animas noſtras ſuorum corporum exuuijs, nec eum labe carnalis huiuſce domicilij iſtâ primâ morte diſſolui, sed pro qualitate factorum quaſdam locis poenalibus relegari, quaſdam placidis ſedibus refoueri, vt tunc demū credi poſſit reſurgere, quod omnibus palam ſit non penitùs interire*. GENTES. QVÆ ISTA NON CREDVNT, *tamen eum libamine infauſto ad ſepulchra concurrunt, & à mortuis, quos in quiete tacitæ noctis agnouerint, expeti à ſe aliquoties alimenta contendunt, ac ſic fidem rei, quam reprobant, faciunt*. Ipſi quoque Gentiles Animæ rationalis immortalitatem negantes mortuos pietate quadā proſequebantur, vt hinc pateret, ab hominibus etiam malis miſericordiam deberi defunctis. Ex his igitur modus conſtat, quo pietas debet exhiberi animabus mortuorum, eſt enim diligenter, citò, ſemper, & ab omnibus impendenda.

FINIS LIBRI QVARTI.

R. P.

R. P.
D. CHRYSANTHI SOLARII
PLACENTINI CLE.ci REG.ris
PENTATEVCHVS MORTVORVM.
LIBER QVINTVS.
De Suffragijs, quibus adiuuandæ ſunt Animæ Defunctorum.

Huius libri materia explicatur.

HActenùs & probauimus deberi, & modum etiam explicauimus, quo viuis exhibenda ſunt ſuffragia pietatis defunctis. Reliquum eſt, vt quænam iſta ſint, in hoc poſtremo libro declaremus, & ita Operi vniuerſo finē imponamus. Omnes, vt vidimus, cuiuſcumq; ſint ſexûs, ætatis, conditionis, & ſtatûs, debent ſuffragari defunctis. Omnes igitur etiam ſuffragia, quæ ſunt illis impendenda, callere tenentur. Hæc ergò vltimo loco propono, & eorum ſingula diligenter expendo.

CAPVT I.
Poſſe Purgatorij mortuos viuentium ſuffragijs adiuuari probatur.

Cùm mortui ſint membra Eccleſiæ debent poſſe à fidelibus viuentibus iuuari.

1 HOc antè omnia ſtatuendum eſt contrà recentiores, & nōnullos etiā veteres hæreticos, animabus fidelium defunctorum ſuffragia prodeſſe viuorum. Quod ſanè Apoſtolus Paulus non obſcurè indicauit, cùm Eccleſiam corpori, ſingulos autem fideles membris comparauit. *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*. 1. Corinth. 12. 27. Vt enim membra in corpore mutuum ſibi auxilium præſtant, ita fideles, qui membra ſunt Eccleſiæ ſe inuicem adiuuant, quare cùm Animæ Purgatorij membra ſint Eccleſiæ, reliquum eſt vt poſſint à cæteris fidelibus adiuuari, ac ſuffragijs Eccleſiaſticis à pœnis, quas patiuntur, citò liberari. Clariſſimè rem explicat D. Antoninus in ſummâ 1. par. tit. 10. cap. 2. *In corpore humano natura per vnum membrum ſupplet indigentiam alterius; ergò cum gratia ſit potentior, quàm natura, in corpore myſtico vnum membrum poteſt ſupplere indigentiam alterius. Et hinc eſt, quòd ſuffragia membrorum Eccleſiæ poſſunt prodeſſe membris indigentibus. Quia verò per mortem non deſinunt eſſe membra eiuſdem corporis,* SVFFRAGIA VIVORVM POSSVNT PRODESSE. *Nam ad hoc, quòd aliquis defunctus iuuetur, duo requiruntur ex parte eius, vnum eſt indigentia, & ideò non proſunt beatis, alterum eſt conditionale meritum, ſcilicet, vt hìc meruerit ſibi prodeſſe, & ideò non proſunt damnatis. Vtrumque verò eſt in his, qui ſunt in* PVRGATORIO, *& idcircò proſunt illis*. Membra ſunt Eccleſiæ fideles defuncti, & ideò debent poſſe à cæteris fidelibus viuentibus, qui eiuſdem Eccleſiæ membra ſunt, ſuffragijs adiuuari.

D. Antonin.

Eccleſiæ authoritas, & conſuetudo probat ſuffragia prodeſſe defunctis.

2 Hinc Eccleſia ipſa in ſuis precibus, & ſacrificijs hæc exhibet ſuffragia defunctis, vndè ait Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 1. ſolam vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudinem, & authoritatem ſatis fore ad ſtabiliendam hanc veritatem, licet veterum ſcripturarum teſtimonia deeſſent. *Etſi nunquam in ſcripturis veteribus omninò legeretur, non parua tamen eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret authoritas, vbi in precibus ſacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam* COMMENDATIO MORTVORVM. Ex quâ conſuetudine, & authoritate deducit etiam D. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. de Officijs Eccleſiaſticis cap. 18. hanc camdem veritatem. *Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerri, vel pro eis orari, quia per totum hoc orbem cuſtoditur, credimus, quòd ab ipſis Apoſtolis traditum ſit. Hoc enim vbique catholica tenet Eccleſia, quæ niſi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum ſpiritibus, vel eleemoſynam faceret, vel Deo ſacrificium offerret*. Dum Eccleſia precibus, ſacrificijs, alijſque ſpiritualibus auxilijs Deo commendat Animas defunctorum, profectò hinc ſequitur poſſe viuos Eccleſiaſticis ſuffragijs adiuuare defunctos.

D. Auguſtin.

D. Iſidorus Hiſpal.

3 Idipſum

Dum ſuffragiorum flores Eccleſia fundit, floreſcũt animæ in Purgatorio.

3 Idipſum aptâ explicat ſimilitudine D. Athanaſius in Quæſtionibus quæſt. 33. comparans defunctos vino, quod conflorescit recluſum in dolio, cùm vitis extrà dolium floreſcit in agro. Floreſcunt enim, & conſolationes experiuntur Animæ recluſæ in Purgatorio, dum fideles precibus, ac ſuffragijs pro eis exhibitis floreſcunt in hoc mundo. *Nùm ſentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ, cùm ſuper illis fiunt conuentus, & peractiones bonorum operum, & oblationum? Niſi aliqua beneficia participarent ex illo, non vtiq; in curâ, & exequijs fieret commemoratio. At ſicut vitis floreſcit extrà in agro, & odorem ſentit in vaſe vinum, ſicque confloreſcit etiam ipſum; ita quoque peccatorum animæ* PIORVM PRECIBVS, ET BONIS OPERIBVS CONSOLANTVR. Vt vite florente, floret quodammodo & vinum, quamuis in dolio recluſum, ita precum, ac ſuffragiorum flores Eccleſiâ fundente, animæ adiuuantur mortuorum, licet in Purgatorij carcere captiuæ.

D. Athanaſ.

Munera ſuffragiorum iras Purgatorij extinguũt.

4 Hoc voluit Sapiens, cùm dixit, munus abſconditum extinguere iras. *Munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu indignationem maximam.* Prou. 21. 14. Vbi enim magis ardet ira Dei, quàm in Purgatorio, dum tot pœnis, & cruciatibus animas torquet ad æterna beatitudinis gaudia electas? Hæc igitur ira tunc extinguitur, cùm ſuffragiorum munera à fidelibus effunduntur. Egregiè D. Thomas Opuſculo 58. de Sacramento Altaris cap. 25. *Munus abſconditum extinguit iras, iras ſcilicet Dei, ideſt poenas* PVRGATORII. Purgatorij pœnas fidelium munera extinguunt, nam tormenta illa tunc animæ defunctorum euadunt, cùm ſuffragia viuentes pro eis effundunt.

D. Thomas.

Suffragiorum alis animæ aſcendunt ad Cœlum.

5 Quapropter auibus animæ iſtæ comparantur, quæ auolantes ex Ægypto in domibus ſuis à Deo collocantur. *Et auolabunt quaſi auis ex Ægypto, & quaſi columba de terrâ Aſſyriorum, & collocabo eos in domibus ſuis, dicit Dominus.* Oſee. 11. 11. Cur ſanctæ animæ illæ aues appellantur? Quid commune auibus, quæ ad æthera volant, & animabus, quæ apud inferos commorantur? Quid volucribus Cœli cum ſpiritibus Purgatorij? Aues dicuntur Animæ Purgaturij, quia ſicut aues alis ſurſum feruntur, ita ipſæ ad cœleſtia ſuffragijs eueluntur. Hoc tradit Ioannes à Sancto Geminiano concione 9. funebri diſc. 4. *Sicut auis aſcendit ſurſum duabus alis, ſic anima* PVRGATORII *eleemoſynâ, & oratione ad gloriam Paradiſi facilè tranſmigrare poteſt.* Suffragia fidelium viuentium ſunt alæ, quibus attolluntur animæ mortuorum, ita vt à pœnis eripiantur, quibus torquentur, cùm preces effunduntur, quibus adiuuentur.

Ioannes à Sãcto Geminiano.

Chriſtianorũ preces Deus exaudiuit pro Animabus in Purgatorio crematis.

6 Quarum precum efficaciam oſtendit & Zacharias Propheta, cùm Deum dixit preces populi ſe inuocantis ſuſcepturum pro animabus illis, quæ igne crematæ, inſtar auri, & argenti examinantur, & probantur. *Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos, ſicut vritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum. Ipſe vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum, & dicam, Populus meus es, & ipſe dicet, Dominus Deus meus.* Zachar. 13. 9. Quænam ſunt animæ iſtę, quæ igne, vt aurum, & argentum, probantur, niſi animæ, quæ in Purgatorij flammis cruciantur? Quinam eſt populus hic, qui pro eis Deum inuocat, niſi populus Chriſtifidelium preces, ac ſuffragia pro illis effundentium? Exaudit igitur Deus preces, & ſuffragia fidelium, ac eorum intuitu Purgatorij animas, quæ igne vruntur, euehit ad regna Cœlorum. Hoc explicatu locum iſtum donat D. Thomas Opuſculo 58. de Sacramento Altaris cap. 25. *Orationibus, & eleemoſynis ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari non eſt dubium defunctorum animas releuari, vt cum eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt in hoc mundo. Partes duæ in terrâ diſpergentur, & deficient, ideſt infideles, & mali Chriſtiani damnabuntur, & tertia pars relinquetur in eâ, ideſt poenitentes, & ducam tertiam partem per ignem, ideſt animas poenitentium per* PVRGATORIVM, *& vram eos, ſicut vritur argentum, & probabo eos, ſicut probatur aurum, ipſe inuocabit nomen meum, & exaudiam eum. Ipſe ſcilicet populus Chriſtianus in terrâ relictus inuocabit me orationibus, & eleemoſynis, & ſacrificio altaris pro parte ductâ per ignem, ideſt pro Animabus, quæ ſunt in* PVRGATORIO, *& exaudiam eum, alleuiando ſcilicet pœnam illorum, & abbreuiando.* Quid clarius poterat ad rem noſtram exarari, & elegantius? Exaudit Deus preces populi Chriſtiani ad eum pro animabus Purgatorij clamantis, & ſuffragia ſuſcipiens, quæ pro illis offeruntur, flammas extinguit, quibus cruciantur.

D. Thomas.

Requieſcunt in Purgatorio preces pro animabus ibi cruciatis effuſæ.

7 Firmat hanc eamdem veritatem Columba, quam diluuij tempore Noè dimiſit ex arcâ, quæ ter egreſſa, primâ vice redijt, non inueniens, vbi requieſceret pes eius, ſecundâ reuerſa eſt, ore ferens ramum oliuæ, tertiâ verò non ampliùs ad arcam redijt. Hæc autem Columba innuit orationem, quæ cùm effunditur pro damnatis, reuertitur ad orantem, cùm pro fruentibus gloriâ, redit ferens oliuæ ramum, qui miſericordiam indicat à Deo illis præſtitam, cùm verò pro ijs, qui ſunt in Purgatorio, non redit, ſed illis, pro quibus effunditur, proficit. Hoc debemus Ioanni Cluniacenſi ſerm. 1. de Defunctis. *Per Columbam, quæ habet gemitum pro cantu, intelligimus deuotam orationem. Quando aliquis orat pro mortuo damnato, tunc mittit columbam, quæ redit ad Dominum ſuum eò quòd non inuenit, vbi pes requieſcat. Quando orat pro animâ alicuius ſaluati, tunc mittit ſecundam, quæ redit ad dominum ſuum, & affert ramum oliuæ, in quo notatur, quòd anima illa habuit miſericordiam à Deo, & quòd aquæ, ideſt tribulationes* PVRGATORII *ceſſauerunt ab illâ. Quando verò orat pro illo, cuius anima eſt in* PVRGATORIO, *tunc mittit Columbam, ideſt orationem, quæ non redit, quia illa benè inuenit, vbi pes eius requieſcat.* Requieſcunt in Purgatorio preces pro Animabus

Ioan. Clun.

nimabus

Digitized by Google

nimabus effuſæ, quæ ibi torquentur, quia eas à pœnis eripiunt, & ad cœleſtia gaudia perducunt.

Orantes fideles refrigerium & gloriã impetrant Animabus Purgatorij.

Denique illud reticendum non eſt, quod notat Armandus ſermone 58., orantes videlicet fideles refrigerium, & gloriam animabus mortuorum impetrare à Deo, ſicut Elias oratione ſuâ pluuiã obtinuit à Cœlo. Nonnè ſimul ac orauit Elias, *coeli contenebrati ſunt, & nubes & ventus, & facta eſt pluuia grandis*. 3. Reg. 18. 45. Cur igitur potuit Elias oratione impetrare pluuiam viuis, & non poterũt fideles eadem obtinere gloriam defunctis? *Elias*, verba ſunt Armandi, *homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, & orauit, & cœlum dedit pluuiam, ita ad orationem viuentium Deus dat mortuis refrigerium, & gloriam*. Gloria mortuis obtinetur, cùm preces pro illis effunduntur, & refrigerium ſentiunt in flammis, cùm oratione adiuuantur à viuis. His ergò ſatis, ni fallor, poſſe Purgatorij mortuos viuentium ſuffragijs adiuuari, probatur.

Armandus.

CAPVT II.

Piè honoranda eſt Memoria mortuorum.

Ignominia apud Deum mulctatur, qui nolebat memoriam ſuſcitare defuncti.

1 PRimum, quod mortuis debetur, ſuffragium eſt cura, & diligentia in ſeruandâ, & honorandâ memoriâ illorum adhibenda. Quam diligentiam Deus præcepit, cùm iuſſit in lege veteri, vt frater viri ſine liberis defuncti relictam illius vxorem duceret, & nomen illi prolis procreatione ſuſcitaret. Quod ſi renueret, voluit eum ignominiæ notis puniri, & perpetuâ confuſione mulctari. *Accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentũ de pede eius, ſpuetque in faciem illius, & dicet, Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui*. Deuter. 25. 9. Cur enim hanc ei pœnam iuſſit infligi, niſi quia defuncti fratris memoriam negligebat, dum nomen ei ſuſcitare prolis generatione renuebat? Appoſitè Dionyſius Carthuſianus. *In faciem eius ſpuet, vel coram eo in terram, ipſo cernente, & hoc in confuſionem ipſius, quia ſecundùm legem noluit facere, nec fratri ſuo defuncto charitatem, pietatemque ei exhibere, procreando prolem*, IN IPSIVS MEMORIAM. Memoriam vult Deus honorari mortuorum, & ideò confuſionis, atque ignominiæ pœnâ eum, qui hanc noluiſſet ſeruare memoriam, mulctari præcepit.

Dion. Carth.

Lex de ſuſcitatione ſeminis lata eſt, ne periret memoria mortuorum.

2 Quare Booz propinquo agrum Noëmi emere volenti dixit, vt Ruth Moabitidem duceret, ac propinquo defuncto nomen ſuſcitaret. *Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere, vt ſuſcites nomen propinqui tui in hereditate ſuâ*. Ruth. 4. 5. Quorum verborum ſenſum tradens idem Dionyſius Carthuſianus, ait. *Vt ſuſcites nomen propinqui tui in hereditate ſuâ, hoc eſt filium gignas ex Ruth, qui vocetur filius cognati tui defuncti, & ei in ſuâ ſuccedat hereditate. Talis autem filius vocabatur filius legalis defuncti*, NE PERIRET EIVS MEMORIA. Statuit lex, vt fratri defuncto, à fratre ſuperſtite filiorum generatione nomen ſuſcitaretur, ne mortui memoria deleretur, nobis innuens, memoriam honore proſequendam eſſe mortuorum.

Idem.

Anniuerſario luctu Iſraëlitæ memoriam honorabant filiæ Iephte defunctæ.

3 Hùc etiam ſpectat luctus anniuerſarius, quo Iſraëlitæ Virgines filiam Iephte mortuam quatuor diebus quotannis plorabant. *Exindè mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniant in vnum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor*. Iudic. 11. 40. Quem ſane luctum non aliam ob cauſam populus Iſrael ſingulis annis fieri conſtituit, niſi vt defunctæ adoleſcentulæ memoriam honoraret. Hoc voluit Abulenſis quæſt. 53. in hunc locum. MAGNAM MEMORIAM, *& glorioſam ei præſtare debuit, quæ pro patria ſeipſam gratis impendit*. Anniuerſarijs lachrymis voluerunt Iſraëlitę memoriam honorari mortuæ Virginis, vt nobis conſtaret, mortuorum memoriæ perpetuum ſemper eſſe honorem exhibendum, perpetuumque deberi à viuis pietatis obſequium.

Abulenſis.

Simon ad æternam defunctorum memoriam ſepulchrum conſtruxit.

4 Sed clariſſimè confirmauit hanc veritatem Simon, qui patri, fratribuſque defunctis magnificum ſepulchrum, altiſſimumque ædificium ad æternam memoriam conſtruxit. *Et ædificauit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui, & fratrum ſuorum, ædificium altum viſu, lapide polito, retrò, & antè, & ſtatuit ſeptem pyramides, vnam contrà vnam patri, & matri, & quatuor fratribus, & his circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma* AD MEMORIAM ÆTERNAM. 1. Machab. 13. 29. Vide, quo ſtudio, quâ ſolertiâ, quot impenſis glorioſiſſimus vir iſte ſuorum honorauerit memoriam defunctorum. Rectè Dionyſius Carthuſianus. AD MEMORIAM ÆTERNAM *ſtrenuiſſimorum operum bellicorum Mathatię, filiorumque eius, imò in recordationem auxiliorum diuinorum, ac triumphorum eis deſuper conceſſorum, atque ad intuentium ædificationem, in conſiderationem, qualiter ſit propugnandum pro defenſione legis diuinæ, & pro conſeruatione iuſtitiæ, ac pro bono communi*. Tam nobile, atque honorificum defunctis erexit monumentum, vt perpetuâ eos memoriâ honoraret, æternamque apud poſteros recordationem illorum ſeruaret.

Dion. Carth.

Iuda Machabæi mortui memoria publico luctu honorata.

5 Nec item alienus eſt ab hac memoriâ luctus, quem in morte Iudæ Machabæi per multos dies vniuerſus edidit populus Iſraëlitarum: *Et fleuerunt eum omnis populus Iſrael planctu magno, & lugebant dies multos*. 1. Machab. 9. 20. Quorſùm tendebat adeò diuturnus luctus? Quò lachrymæ tam aſſiduæ ſpectabant? Cur demũ tot diebus eius exequias celebrauerunt? Vt ſuâ pietate defuncti memoriam honorarent. Audiendus Ioſeph Hebræus lib. 12. Antiquit. Iudaic. cap. 19. *Publico luctu per multos dies* HONORAVERVNT EIVS MEMORIAM. Honorare debent viui memoriam defunctorum, vndè tot diebus Iudam Iſraëlitæ plorauerunt, vt memoriam illius honorarent.

Ioſeph Hebr.

6 Eam-

Iacob titulũ ſuper ſepulchrum vxoris erexit, vt eius memoriã honoraret.

6 Eamdemque ob cauſam Iacob, cùm in itinere dilectam amiſiſſet vxorem, eam honorificè ſepeliuit, titulumque ſuper illius monumentum erexit. *Erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius: hic eſt titulus monumenti Rachel vſque in præſentem diem.* Gen. 35. 20. Iter, quod aggreſſus fuerat, interrupit, in media via ſubſiſtit, nec vlteriùs, niſi poſt ſepulchri magnificam erectionẽ progredi voluit. Cur verò illud, niſi vt mortuæ coniugis memoriam honoraret? Ita cenſet Dionyſius Carthuſianus. *Erexit Iacob titulum, hoc eſt notabile,* MEMORIALEQVE *ſignum ſepulturæ Rachelis.* Egregiâ pietate ſemper ſancti memoriam honorauerunt mortuorum, vndè Iacob, vt maiorem defunctæ vxoris memoriæ impenderet honorem, nobile ſepulchrum ei extruxit, & honorificum ſuper ſepulchrum titulum erexit.

Dion. Carth.

Plorauit Magdalena, quia timuit memoriã abolendam eſſe Chriſti defũcti.

7 Lachrymas non debeo hìc præterire, quibus Magdalena ad monumentum profecta, cùm non inueniſſet cadauer, magiſtrum plorauit. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans.* Ioan. 20. 11. Cur tot lachrymis Magdalena magiſtrum, quem adhuc defunctum cenſebat, plorauit? Cur ad eius monumentum, lachrymas tam vberes effundens, perſeuerauit? Cur demùm tanto ei dolore, tantaque pietate parentauit? Quia Chriſti cadauer credens amiſſum, eius timebat memoriam fore delendam. Probè Gloſſa Ordinaria. *Plorat, quia tanti Magiſtri, cuius vita ſubtracta fuerat, nec* MEMORIA *remanebat.* Memoria ſemper eſt honoranda mortuorum, quare cùm timuit Magdalena mortui magiſtri delendam eſſe memoriam, diuturno luctu plorauit.

Gloſſa Ordin.

Sepulchra monumẽta et memoria, ſũt appellata, quia ad memoriam mortuorum ædificabantur.

8 Et ſanè quantâ ſit pietate honoranda memoria mortuorum, nomen etiam oſtendit, quo eorum ſepulchra conſueuerant appellare antiqui; Monumenta enim, & Memorias ea dicebant, eò quòd ædificarentur, vt memoria honoraretur mortuorum. D. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 14. Originum cap. 11. *Monumentum ideò nuncupatur, eò quòd mentem moneat* AD DEFVNCTI MEMORIAM. *Cùm enim non videris monumentum, obliuiſceris mortuum. Hoc eſt illud, quod ſcriptum eſt, Excidit, tanquam mortuus à corde. Cùm autẽ videris, monet mentem, & ad* MEMORIAM *te reducit, vt mortuum recorderis. Monumenta itaque, &* MEMORIAE *pro monitis admonitione dicta.* D. Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 4. *Non ob aliud vel* MEMORIAE, *vel monumenta dicuntur ea, quæ inſignita fiunt ſepulchra mortuorum, niſi quia eos, qui viuentium oculis morte ſubtracti ſunt, ne obliuione etiam cordibus ſubtrahantur, in* MEMORIAM *reuocant, & admonendo faciunt cogitari, nam &* MEMORIAE *nomen id apertiſſimè oſtendit, & monumentum, eò quòd moneat mentem, ideſt admoneat, nuncupatur. Propter quod & Græci, μνημεῖον vocant, quod nos* MEMORIAM, *ſeu monumentum appellamus, quoniam linguâ eorũ* MEMORIA *ipſa, quâ meminimus, μνήμη dicitur.* D. Cyprianus lib. de duplici Martyrio. *An non videmus ad Martyrum* MEMORIAS *Chriſtianum à Chriſtiano cogi ad ebrietatem?* Varro lib. 5. de linguâ Latinâ. *Monumenta, quæ in ſepulchris, & ideò ſecundùm viam, quò prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales. Ab eo cætera, quæ ſcripta, ac facta* MEMORIAE *causâ, Monumenta dicta.* Feſtus. *Monumentum eſt, quod mortui causâ ædificatum eſt, & quidquid* OB MEMORIAM *alicuius factum eſt, vt fana, porticus, ſcripta, & carmina.* Cœlius Rhodiginus lib. 17. Antiqu. lect. cap. 20. *Monumentum, inquit Florentinus, res eſt* MEMORIAE *causâ in poſterum prodita, quòd ſi corpus, vel reliquiæ inferuntur, fiet ſepulchrum.* Ingenti curâ mortuorum memoriam honorare antiqui ſtudebant, ac propterea ædificia, & ſepulchra, quæ illis erigebant, monumenta, & memorias appellabant.

D. Iſidorus Hiſpal.

D. Auguſtinus.

D. Cyprian.

Varro.

Feſtus.

Imagines in funerib⁹ adhibita propter memoriã defunctorum.

9 Hæc etiam ratio fuit, cur mortuorum imagines exprimere, iiſque atria ſua exornare voluerint. Non ob aliud quippè hoc geſtum eſt, niſi vt diutiùs memoria retineretur defunctorũ. Ita docet in Bibliothecâ veterum Patrum Lactãtius Firmianus lib. 2. de falsâ religione cap. 2. *Omninò fingendarum ſimilitudinum ratio idcircò ab omnibus inuenta eſt, vt poſſet eorum* MEMORIA *retineri, qui vel morte ſubtracti, vel abſentiâ fuerunt ſeparati.* Omnibus modis curauerunt antiqui memoriam retinere defunctorum, vndè & vſum imaginum excogitauerunt, quarum intuitu recordatio eorum in viuentium mentibus excitaretur.

Lactantius.

Eadem ratione munera in rogos proiecta.

10 Munera etiam, quæ in rogos proijciebãt, quorum flammis cadauera cremabantur, eò tendebant, vt mortuorum memoriam honorarent. Vndè Virgilius lib. 11. Æneidos.

Virgilius.

Hinc alij ſpolia occiſis decerpta Latinis
Conijciunt igni, galeas, enſeſque decoros,
Frenaque, feruenteſque rotas: pars munera nota,
Ipſorum clypeos, & non fœlicia tela.

Vbi Donatus ait hæc omnia cremata fuiſſe, quia combuſtionem hanc memoria exigebat defunctorum. *In his ſpeciebus licet eſſent multæ ob pulchritudinem ſeruandæ, tamen omnes mittebantur in flammam, hoc enim exigebat* MEMORIA DEFVNCTORVM, *vt quæ occiſis Latinis detraxerant, cum ipſis funeribus verterentur in cinerem.* Vides ritus ſepulchrales, flammarumque feralium munera ob honorandam mortuorum memoriam fuiſſe inſtituta?

Donatus.

Ludis, ac certaminib⁹ memoria honorata mortuorum.

11 Nec minùs ludi, ac certamina in funeribus conſueta, vt hanc honorarent memoriam, fuerunt excogitata. Teſtatur hoc Suetonius in Tiberio cap. 7. qui ait hunc Imperatorem munera gladiatoria in patris, & aui defunctorum memoriam dediſſe. *Munus gladiatorium* IN MEMORIA *patris, & alterum in aui Druſi dedit, diuerſis temporibus, ac locis.* Idem tradit de Græcis Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. quos ait certamina in defuncti, cuius funus celebrant, memoriam exhibere. *Græcis gymnica certamina, & equeſtria* IN DEFVNCTI

Suetonius.

Alex. ab Alex.

ME-

MEMORIAM *populo dari ſeruatum eſt*. Exhibebant priſci Gentiles funebres ludos, non vt ſpectacula præberent viuis, ſed vt pietatem impenderent defunctis, quorum memoriam hiſce ritibus honorabant.

Idem inanibus tumulis præſitum.

12 Sed & tumulos inanes, cùm cadauera, vel aquis obruta, vel alio modo amiſſa non licebat humare, defunctis erigebant, vt eorum memoriam honorarent. Cuius rei habemus exemplũ illuſtre apud Virgilium lib. 6. Aeneidos, qui Aeneam talia inducit apud inferos Deiphobum alloquentem.

Virgilius.

Tunc egomet tumulum Rhoeteo in littore manem
Conſtitui, & magnâ manes ter voce vocaui.

Vt quid autem hunc tumulum Aeneas erexit, niſi vt mortui memoriam honoraret? Audiendus Donatus in hunc locum. *Feci, ait, non quod volui, ſed quod potui, optans enim te reperire, & in ſolo patrio tuas reliquias condere, quod quia non prouenit, inueni remedium doloris, ne* MEMORIA *tua inhonorata remaneret*. Dum non potuit extincti amici cadauer humare, voluit ſaltem inanem ei tumulum conſtituere, ne debito memoria illius honore careret.

Donatus.

Memoria mortuorũ in ſacrificio Miſſæ, & horis Canonicis.

13 Honoratur quoque mortuorum memoria in ſacrificijs, vndè D. Auguſtinus lib. 20. de ciuit. Dei cap. 9. *Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſiâ, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum* MEMORIA *in communicatione corporis Chriſti*. D. Io. Chryſoſtomus homil. 41. in Epiſt. 1. ad Corinth. *Non ſunt enim hæc temerè excogitata, nec fruſtrà* MEMORIAM *eorum, qui exceſſerunt, inter ſacra myſteria celebramus, aut accedimus pro iſtis agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes*. D. Ioan. Damaſcenus Oratione de defunctis. *Diui autem Apoſtoli diſcipuli Saluatoris, qui totum mundi circulum viuum cepere prædicando verbum, quod ſuis oculis viderant, in tremendis, & impollutis, vitalibuſque ſacramentis,* MEMORIAM *eorum, qui fideliter obdormierunt, habendam eſſe dixerunt*. Concilium Carthaginenſe 4. can. 79. loquens de pœnitentibus defunctis, ait. MEMORIA *eorum orationibus, & oblationibus commendetur*. In horis quoque Canonicis poſt Martyrologij recitationem, in quo agebatur memoria ſanctorum, memoria olim fiebat mortuorum, vndè Radulpus Riuius in Bibliothecâ veterum Patrum lib. de Canonum obſeruantiâ propoſitione 14. *Primò, inquit, memoria ſanctorum in recitatione Martyrologij, cum verſu Pretioſa, & capitulo, Sancta Maria, ſecundò* MEMORIA DEFVNCTORVM *in anniuerſarijs recitandis cum Miſerere mei Deus, & Collectis* Vide, quâ ſolertia ſemper in Eccleſiâ ſemper memoria ſit honorata mortuorum.

D. Auguſt.

D. Io. Chryſ.

D. Io. Dama.

Conc. Carth.

Radul. Riu.

Memoria mortuorũ ſermone honorata.

14 Pietatem quoque reperio interdum exhibitam defunctis frequenti ſermone, quem de ipſis viui habuerunt. Hi autem ſermones eò etiam tendebant, vt defunctorum memoria coleretur. Quod tradit Eutropius lib. 8. loquens de Traiano. *Huius tantum* MEMORIAE *delatum eſt, vt vſque ad noſtram ætatem non aliter in ſenatu principibus acclametur, Ne ſis fœlicior Auguſto, melior Traiano*. Defunctum Imperatorem appellatione honorificâ populus extollebat, vt illi pietatem exhiberet, eiuſque memoriam congruâ commemoratione honoraret.

Eutropius.

Vt defunctorum funera honorarẽt, ſeruos antiqui manumittebant.

15 Solebant etiam antiqui memoriã honorare mortuorum, manumittendo ſeruos, vt pileati defunctorum funus antecederent, & exequiarum pompam augerent. Quos omnes voluit libertate donari Iuſtinianus Imperator. Quamobrem Guido Pancirolus lib. 2. Theſauri var. lect. cap. 220. ait. *Cupientes heredes videri ſe plures* OB MEMORIAM DEFVNCTI *manumiſiſſe, pileatos ſeruos funus antecedere iubebant, cùm neminem tamen libertate donaſſent, quos omnes liberos eſſe Iuſtinianus ſanxit, ne vana liberalitatis iactantiâ heredes populum eluderent*. Manumiſſione ſeruorum, qui pileati funus antecederent, Dominorum honorabant memoriam defunctorum.

Pancirolus.

Imperatores ab honore Memoria defunctorũ Imperium exordientes.

16 Verùm neque illud hic ſupprimendum cenſeo, Imperatores ab hac pietate, quâ memoria honoratur defunctorum, imperium ſuum incœpiſſe. Hinc orſus eſt, Nero, qui, vt refert Suetonius in eius vitâ cap. 9. ſimul ac imperium aggreſſus eſt, maximis honoribus mortui patris memoriam decorauit. *Orſus hinc à pietatis oſtentatione, Claudium apparatiſſimo funere elatum laudauit, conſecrauitque*. MEMORIAE *Domitij patris honores maximos habuit*. Hinc etiam incœpit Macrinus, qui vt à militibus ad imperium eſt electus, eos hortatus eſt, vt Antonini defuncti memoriam honorarent. Refert hoc Herodianus lib. 4. *Illius* MEMORIA *veſtris æternùm præcordijs inſidebit, atque ad poſteritatem propagabitur, rerum fortiter, ac magnificè geſtarum, prætereà amoris, beneuolentiæque, & communicatorum vobiſcũ laborum laudem ſecum deferens ſempiternam, nunc autem poſtulat tempus, honore habito illius* MEMORIAE, *iuſtiſque omnibus perſolutis, occurrere imminenti periculo*. Adeò debent viui memoriam honorare mortuorum, vt non aliundè, quàm ex hoc honore ſuum aggredi voluerint Imperatores principatum.

Suetonius.

Herodianus.

Parthorum Rex memoriã rogauit honorari Neronis defuncti.

17 Caput claudo, addens, Vologeſum Parthorum Regem hanc agnouiſſe veritatem, ideòque Senatum Romanum, miſſis legatis, rogauiſſe, vt defuncti Neronis memoria honoraretur à cunctis. *Vologeſus*, inquit Suetonius in Nerone cap. 57. *Parthorum Rex, miſſis ad Senatum legatis de inſtaurandâ ſocietate, hoc etiam magnopere orauit, vt Neronis* MEMORIA *coleretur*. Vide, quâ pietate Rex etiam exterus, & barbarus memoriam petierit honorari defuncti Imperatoris. Ne igitur barbaris peiores, & inhumaniores efficiamur, defunctis pietatem exhibeamus, & diſcamus, piè honorandam eſſe Memoriam mortuorum.

Suetonius.

CAPVT III.

Sacrificio Miſſæ Animæ ſubleuantur Mortuorum.

Sacrificiū Animabus prodeſt mortuorum.

1 IAm particulatim expendenda ſunt ſuffragia, quibus Animæ adiuuantur defunctorum, inter quæ primum obtinet locum ſacrificium Miſſæ, quo eas adiuuari clariſſimè teſtatur D. Auguſtinus ſerm. 32. de verbis Apoſtoli. *Orationibus ſanctæ Eccleſiæ,* & SACRIFICIO SALVTARI, *& eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari.* Idem tradit D. Ioannes Chryſoſtomus homil. 70. ad populum Antiochenum. *Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis indè multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cùm enim totus conſtiterit populus extenſis manibus, ſacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur* SACRIFICIVM, *quomodo Deum non exorabimus, pro his deprecantes?* Tradit etiam hanc veritatem Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. *Cùm Catholica Eccleſia ſpiritu ſancto edocta ex ſacris literis, & antiquâ Patrum traditione in ſacris Concilijs, & nouiſſimè in hac oecumenicâ ſynodo docuerit,* PVRGATORIVM *eſſe, animaſque ibi detentas, fidelium ſuffragijs, potiſſimùm verò acceptabili* ALTARIS SACRIFICIO *iuuari.* Altaris incruento ſacrificio Purgatorij animæ potiſſimùm adiuuantur, & à pœnis, quæ illas torquent, citò eripiuntur.

D. Auguſtinus.

D. Io. Chryſ.

Concil. Trid.

Sacrificiū Altaris pœnas mitigat Purgatorij.

2 Nec mirum profectò, nam vt docet Angelicus Doctor D. Thomas opuſc. 58. de Sacramento Altaris cap. 25. ſacrificium altaris tres habet peculiares, ac præcipuos effectus, in hoc mundo, & in Purgatorio, & in Cœlo. In mundo culpas delet, in Purgatorio pœnas mitigat, in cœlo gloriam auget. *Corpus Domini nominatur ſacramentum Altaris, & ſecundùm hoc habet triplicem effectum, ſcilicet in triplici ſtatu fidelium, in hoc mundo, in cælo, in* PVRGATORIO. *In ſtatu mundi peccata relaxat, in* STATV PVRGATORII POENAM ALLEVIAT, *In ſtatu coeli gloriam augmentat.* Sacrificio Altaris Purgatorij pœnæ mitigantur, & Animæ, quæ illis torquentur, ad cœleſtia regna euehuntur.

D. Thomas.

Hoc ſacrificium Animæ Purgatorij expoſcunt.

3 Hinc eſt, quòd Animæ Purgatorij ſuffragij huius vtilitatem agnoſcentes, ſæpè illud ſibi exhiberi à fidelibus expoſcunt. Vndè Lucas Tudenſis in Bibliothecâ veterum Patrum lib. 1. cap. 17. ait. *Quantum proſit Animabus defunctorum* IMMOLATIO SACRAE OBLATIONIS *oſtenditur, quando hanc & ipſi mortuorum ſpiritus à viuentibus petunt.* Quapropter apud Hugonem Etherianū lib. de Animarum regreſſu cap. 15. Anima Purgatorij fideles ita alloquitur. *Præſtate auxilia, & offerte pro nobis* HOSTIAM REDEMPTIONIS, *nā talibus ſuffragijs poenæ noſtræ mitigantur, & tabeſcunt, locus quietis aperitur, & verum lumen faciei diuinæ, quod erat nobis abſconditum, pauliſper illuceſcit.* Et aliæ itidem Animæ apud Petrum Thyræum par. 1. de locis infeſtis cap. 1. dixerunt. *Ieiunijs, & orationibus,* ET MAXIME, OBLATIONE CORPORIS, ET SANGVINIS CHRISTI *adiuuari poſſumus, & rogamus.* Rogant Animæ defunctorum, vt pro ipſis altaris offeratur ſacrificium, nam experiuntur hoc potiſſimùm ſe adiuuari ſuffragio, vt citò à pœnis, quas patiuntur, eripiantur.

Lucas Tudenſis.

Hugo Etherianus.

Petrus Thyræus.

Machabæi ſacrificijs prodeſſe mortuis quærebant.

4 Interfectis nonnullis militibus Iudæis, qui donaria ſuſtulerant idolorum, quæ in lege prohibebantur, Iudas Machabæus, vt congruo ſuffragio animas eorum adiuuaret, collectam pecuniam Ieroſolymam miſit, vt pro defunctorum peccatis ſacrificium offerretur. *Factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymā, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè, & religioſè de reſurrectione cogitans.* 2. Machab. 12. 43. Si autem veteris legis oblationes, & ſacrificia proderant animabus mortuorum, quam eis vtilitatem afferet ſacroſanctum Altaris ſacrificium pro earum peccatis oblatum? Profectò magnoperè illas iuuabit, atque à pœnis, quibus cruciantur, eripiet. Vtitur hoc argumento Iodocus Clichtoueus ſerm. 2. in die Animarum. *Si in veteri lege ſacrificia, & oblationes factæ pro peccatis mortuorum, eis credebantur prodeſſe (alioquin inclytus ille princeps Iudas Machabæus non mandaſſet ea fieri) nonnè potiori ratione* SACRIFICIVM *illud excellentiſſimum nouæ legis, ſacroſanctum ſcilicet Euchariſtiæ Sacramentum per manus ſacerdotum in altari oblatum præſtat etiam defunctis relaxationē à poenis, quibus detinentur?* Et iterum ſerm. 3. addit. *Si hoſtia veteris legis ex pecoribus, & vitulis habuerunt vim, & efficaciam ſubleuandi animas defunctorum à poenis* PVRGATORII, *& abſoluendi eas à peccatis, nonnè multò ampliùs ſacroſanctum Chriſti corpus, & ſanguis oblata in officio* MISSAE PRO SACRIFICIO *ſoluent animas defunctorum à poenis, cùm hæc nouæ legis oblatio ſit potior quibuſcumque ſacrificijs veteris legis.* Excedit dignitate, ac virtute ſacrificium altaris quæcumque alia veteris legis ſacrificia, vndè ſi hæc animabus proderant mortuorum, multò magis illud eis proderit, & leuiores reddet pœnas, quibus in Purgatorio cruciantur.

Iodocus Clichtoueus.

Pinguis panis Chriſti dicitur, quia prodeſt viuis, & mortuis.

5 Quam ob cauſam panis oblatus in hoc ſacrificio appellatur ab Eccleſiâ pinguis. *Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus.* Cur enim pinguis dicitur, niſi quia & viuis prodeſt in hoc mundo commorantibus, & mortuis vtilitatem affert in Purgatorio cruciatis? Appoſitè Alphonſus de Oroſco Tract. in canticum Magnificat. *Adeò pinguis eſt, vt nedùm viuis ſit ſacramentum, ſed etiam mortuis, & in* PVRGATORIO *cruciatis ſit* SACRIFICIVM, *quod alijs ſacramentis non contigit.* Pinguedine ſuâ hoc ſacrificium viuos reficit, & recreat mortuos, illos à culpis,

Alphonſus de Oroſco.

quibus

Digitized by Google

quibus opprimuntur, iſtos verò à pœnis liberans, quibus excruciantur. Quod confirmans D. Thomas 3. par. q. 52. art. 8. ad 2. ait. *Sacramentum Euchariſtiæ liberat hominem à* PVRGATORIO, *in quãtum eſt* SACRIFICIVM *quoddam ſatiſfactorium pro peccato*. Satisfacit hoc ſacrificium pro peccatis, & ideò Purgatorij animas à pœnis liberat, quas pro patratis delictis debent.

D. Thomas.

Chriſti ſanguis in altari oblatus animas expiat Purgatorij.

6 Quod ſatis clarè innuit Deus in veteri lege, cùm dixit ſe dare ſanguinem, vt ſuper altare pro animarum expiatione offerretur. *Anima carnis in ſanguine eſt, & ego dedi illum vobis, vt ſuper altare meum in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit*. Leuit. 17. 11. At nunquid poterat ſanguis animalium animas expiare peccatorum? Nunquid iumentorum cruor effuſus hominum culpas detergere valebat? Signabat hic ſanguis Chriſti Domini ſanguinem, qui ſuper altare oblatus in ſacrificio Miſſæ, culpas expiat animarum, quæ ſunt in Purgatorio, eaſque ad gloriam eleuat fruendam in Cœlo. Debemus hunc ſenſum D. Thomæ opuſc. 58. de Sacramento Altaris cap. 25. *Dedi vobis ſanguinem, ideſt* SACRIFICIVM CORPORIS, ET SANGVINIS CHRISTI. *Sanguinis pro corpore ſimul, & ſanguine, pars pro toto, & quia ſanguis in altari non eſt ſine corpore, nec corpus ſine ſanguine, pro animabus ſcilicet, quæ ſunt in* PVRGATORIO. Chriſti ſanguis in altari oblatus animas expiat, quæ in Purgatorio cruciantur, & eas ad gloriam euehit, quâ beati fruuntur.

D. Thomas.

Hoc ſanguine aſperſus latro Purgatorium euaſit.

7 Hoc ſanguine Chriſti latro aſperſus Purgatorij flammas non ſenſit, ſed eadem die, quâ ſpiritum emiſit, paradiſum intrauit. *Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiſo*. Luc. 23. 43. Tot homicidia patrauerat, tot rapinas commiſerat, tot delictis ſe inquinauerat, & tamen confeſtim vix mortuus Paradiſum ingreſſus eſt, nulliſque crematus eſt Purgatorij flammis. O' præclaram, & mirabilem Chriſti ſanguinis vim, qui Purgatorij flammas extinxit, ſtatimq; latronem ad Paradiſum euexit. Audiamus Rupertum Abbatem lib. 3. in Geneſim cap. 32. *Secutus eſt confeſtim latro ille venerabilis, quẽ confeſſum in cruce continuò muniuerat fides* SANGVINIS CHRISTI *contrà illum ignem, ne obſiſteret illi*. Munit ſanguis Chriſti in ſacrificium oblatus cõtrà ignem Purgatorij, quamobrem hoc ſanguine incruento Crucis ſacrificio immolato munitus latro, Purgatorium ignem euaſit, ſtatimque Paradiſi gaudia impetrauit.

Ruper. Abb.

Hoc ſacrificium defunctis æternam vitam confert.

8 Nec mirum videri debet, quòd ſtatim æternam vitam obtineant qui hoc ſacrificio adiuuantur, nam de illo Chriſtus ipſe loquens, dixit *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*. Ioan. 6. 54 Hoc videlicet peculiare eſt huius ſacrificij munus beatam impertire mortuis vitam. *Dat vitam mundo*, inquit Rupertus Abbas lib. 6. in Ioannem, *vt comedant homines mortui, & à duplici morte corporis, & animæ reſuſcitentur*. Mortuis hominibus æternã, & animę & corporis hic cibus vitã largitur.

Idem.

Adoleſcẽtem Naim ſuo corpore Chriſtus ſuſcitauit.

9 Et ſanè quòd vitam quoque corporis mortuis Chriſti corpus largiatur, ex eo colligitur, quòd vt ad corporalem vitam adoleſcentem Naim reuocaret, acceſſit ad locum, ſuiſque manibus exanime tetigit cadauer. *Et acceſſit, & tetigit loculum*. Luc. 7. 14. Cur vt reſurrectionis miraculum operaretur, loculum tetigit Chriſtus, & defunctum? Nonnè vnicum ſufficiebat illius verbum, vt ab inferis anima egreſſa iterum corpus viuificaret? Quare igitur verbo addidit contactum, & nedùm loqui, ſed etiam tangere decreuit? Vt oſtenderet, carnem, corpuſque ſuum cadauera poſſe viuificare mortuorum. Do verba D. Cyrilli in catenâ. *Ideò autem non ſolo verbo peragit miraculum, ſed & feretrum tangit, vt cognoſcas efficax eſſe* SACRVM CHRISTI CORPVS *ad humanam ſalutem, eſt enim corpus vitæ, & caro verbi omnipotentis, cuius habet virtutem. Sicut enim ferrum adiunctum igni perficit opus ignis, ſic poſtquam caro vnita eſt verbo, quod viuificat omnia, ipſa quoque facta eſt viuificatiua, & mortis expulſiua*. A' defunctis mortem Chriſti corpus expellit, eiſque vitam largitur, ideòque hunc mortuum tetigit, vt ſuo corpore oſtenderet ſe illi vitam impartire.

D. Cyrillus.

Idem eſt Archiſynagogi filiã præſtitit.

10 Quod & egit, cùm Archiſynagogi filiam ad vitam reuocauit, cuius manum prius tenuit, ac deinde illam ab inferis excitauit. *Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius, & ſurrexit puella*. Matth. 9. 25. Hoc autem ſimiliter egit, vt oſtenderet ſuam carnem vitam largiri defunctis. *Quamuis Saluator*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *ſine contactu potuerit illam reduxiſſe ad vitam, tenuit tamen manum eius, ad oſtendendum, quòd* SVA CARO, *ſeu humanitas extitit inſtrumentum vnitæ, ac operantis Deitatis*. Vide, an Chriſti caro mortuis proficiat, dum eis amiſſam etiam corporis vitam communicat.

Dion. Carth.

Virtute cibi Euchariſtici mortui ſurrexerunt.

11 Idipſum ex reſurrectione deducitur ſanctorum, qui Chriſto reſurgente ſurrexerunt, & ad ſanctam ciuitatem perrexerunt. *Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*. Matth. 27. 52. Cuius virtute cadauera iſta ſepulchra reliquerunt, iterumque ad viuos remearunt? Quis ab inferorum ædibus eorum animas reuexit? Quæ tandem potentia vitam reddidit amiſſam defunctis? Potentia corporis Chriſti, quæ cadauera etiam valet viuificare mortuorum. Audi Rupertum Abbatem lib. 6. in Ioannem pluſculis, ſed appoſitis verbis rem hanc explicantem. *Ipſe fructus vitæ æternæ in ligno crucis pendere voluit, & per paſſionem mortis mortuorum ſimul, & viuorum cibus fieri, vt ſuo quique modo comederent eum tam mortui, quàm viui. Decerptum quippè illum de arbore crucis manu patris, ipſo dicente, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, comederunt illum animæ ſanctorum, eo videlicet modo, quo & Angeli eundẽ comedũt, comederũt inquam veram*

Rup. Abb.

diuinitatem, & verè aperti ſunt oculi eorum, & exindè viderunt Deum, quem ante hac nemo vidit vnquam. Corpora quoque illorum in monumentis iacétia virtute cibi huius non caruerunt, mox vt eodem ventre, quo tenebantur & ipſa, receptum eſt corpus eius, ſicut Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, nam & VIRTVTE HVIVS CIBI factum eſt, vt multa ex ipſis reſurgerent in teſtimonium futuræ vniuerſalis reſurrectionis. Proficit mortuis Euchariſtiæ cibus, ſuâque virtute illis vitam communicat, vndè virtute huius cibi mortuorum corpora in Chriſti reſurrectione reſurrexerunt.

Chriſtus lilium eſt mortuos recreăs.

12 Conſueuerant antiqui ſuper mortuorum ſepulchra ſpargere lilia, vndè Virgilius lib. 6. Aeneidos.

Conſuetudo ſpargendi lilia ſuper ſepulchra.

Virgilius.

Tu Marcellus eris, manibus date LILIA plenis.

Dioſcorides.

Et Dioſcorides lib. 3, Anthologiæ cap. 6.

Βαλλεθ' ὑπὲρ τύμβω πολλὰ κρίνα.

Conijcite ſuprà meum tumulum alba LILIA.

D. Hierony.

Et D. Hieronymus Epiſtolâ ad Pammachium. *Cæteri mariti ſuper tumulos coniugum ſpargunt violas, roſas,* LILIA. At lilium, quod verè mortuis proficit, Chriſtus eſt, qui de ſeipſo dicit. *Ego flos campi, & LILIVM conuallium.* Cant. 2. 1. Hoc igitur lilium Deo ſacerdotum manibus oblatum in altari mortuis affert vtilitatem, & vitam. Quod lilium pro animâ Imperatoris Valentiniani offerri poſcebat Ambroſius concione in obitu ipſius.

D. Ambroſius

Date manibus ſancta myſteria, pio requiem ei poſcamus affectu, date ſacramenta coeleſtia, animam piam noſtris oblationibus proſequamur. Extollite populi mecum manus in ſancta, vt eo ſaltē munere vicem eius meritis rependamus. Non ego floribus tumulū eius aſpergam, ſed ſpiritum eius Chriſti odore profundam. Spargant alij plenis lilia calathis, NOBIS LILIVM CHRISTVS EST. Chriſtus in ſacramento altaris oblatus verum lilium eſt, quod mirâ fragrantia ſpiritus recreat, & reficit mortuorum.

Eccleſia tertiam hoſtiæ partē pro animabus Purgatorij offert.

13 Quod agnoſcens Eccleſia, ſalutarem hoſtiam in tres partes diuidit, quarum primam offert ad gloriam ſanctorum, alteram pro ſalute viuorum, tertiam in vtilitatem purgantium. Aſſerit hoc D. Bonauentura in expoſitione Miſſæ.

D. Bonauentura.

Prima pars miſſam calicem offertur pro viuis Chriſtianis, altera pars extrà calicem reſeruata offertur ad laudem, & ad gloriam ſanctorum, tertia pars offertur pro his, qui ſunt in PVRGATORIO. Nouit Eccleſia ſacrificium eis prodeſſe, qui torquentur in Purgatorio, ac propterea tertiam hoſtiæ partem Deo pro eis offert in Miſſa.

Gentiles ſacrificia offerebāt pro defunctis.

14 Quid autem mirum, quòd ſacrificium noſtrum proſit defunctis, cùm Gentiles quoque ſua ſacrificia eis prodeſſe putarent. Sanè menſe Februario ſacrificiorum oblatione mortuis parentabant, quapropter menſis iſte à februis, quæ purgationes quædam, & expiationes erant, nomen deſumpſit. Hinc ait Plutarchus in Numâ.

Plutarchus.

Februarius quaſi luſtralis quidam dictus eſt, expiationem enim ferè februa ſignificant, & tunc mortuis parentant. Et Gyraldus ſyntagmate 17.

Gyraldus.

Fuerunt & apud Romanos defunctorum piamina Februa appellata, vndè & Februarius menſis, eo enim menſe populus februabatur, ideſt purgabatur, per duodecim enim dies februa celebrantur, hiſque diebus pro impetrandâ mortuorum animabus quiete omnis populus piaculis, SACRIFICIISQVE *circà ſepulchra, accenſis facibus, cereiſque intentus erat.* Aduerte gentiles pro mortuorum quiete ſacrificijs intentos, putabant quippè, ſacrificijs quietem impetrarj defunctorum.

Idem ex aliorū more comprobatur.

15 Nec tantùm Romani, ſed & cæteræ Gentes pro defunctorum Animabus ſacrificia offerebant. Teſtatur hoc Plutarchus in Theſeo de Athenienſibus.

Plutarchus.

Hæc (Theſei oſſa) *cùm triremibus attuliſſet Cimon domum, læti Athenienſes, tanquam ſi ipſe Theſeus in vrbem rediret, illuſtri pompâ obuiam progreſſi,* PERACTIS SACRIFICIIS, *exceperunt.* De Maſilienſibus idem tradit Valerius Maximus lib. 2. cap. 1.

Valer. Max.

Funeris dies DOMESTICO SACRIFICIO, *adiectòque neceſſariorum conuiuio finitur.* Hoc ipſum de Argeis aſſerit Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7.

Alex. ab Ale.

Argiuorum inſtitutum fuit, vt defuncti affines ſtatim ab exceſſu Apollini SACRIFICENT. Sibylla quoque apud Virgilium lib. 6. Aeneidos Aeneæ conſuluit, vt in funere Miſeni pecudes nigras ſacrificaret.

Virgilius.

Sedibus hunc refer antè ſuis, & conde ſepulchro,
Duc nigras pecudes: ea prima PIACVLA *ſunto.*

Vbi Aſcenſius ait. *Duc ad inferias, aut ſacrificium funebre pecudes nigras.* Demùm Dionyſius Carthuſianus in cap. 17. Actuum Apoſtolorum hæc ſcribit.

Dion. Carth.

Quidam etiam infernalibus Dijs SACRIFICAVERVNT; *Quatenùs amicorum, & propinquorum ſuorum ſpiritibus in inferno detentis mitiores conſiſterent.* Adeò verum eſt, ſacrificia oblata Deo prodeſſe defunctis, vt ſacrificijs quoque Dijs infernalibus oblatis putauerint, licet falsò, vtilitatem ſe poſſe illis afferre Gentiles. Cùm igitur Altaris oblatio ſit omnium ſanctiſſima, & nobiliſſima, rectè dictum eſt Sacrificio Miſſæ animas ſubleuari Mortuorum.

CAPVT IV.

In auxilium defunctorum ſuffragia ſunt exhibenda Orationum.

Orationis ſuffragium prodeſt defūctis.

1 POſt Sacrificium ſecundum inter ſuffragia obtinet locum Oratio, quam prodeſſe defunctis conſtat ex cap. Cùm grauia 13. quæſt. 2. vbi decernitur mortuorum ſepulturam in ſacris locis eatenùs mortuis prodeſſe, quatenùs ibi pro eis Deo preces funduntur. *Hoc prodeſt mortuis, ſi in Eccleſiâ ſepeliantur, quòd eorum proximi, quoties ad eadem ſacra*

loca veniunt, ſuorum, quorum ſepulchra aſpiciunt, recordantur, & pro eis Domino PRECES FVNDVNT. Idemque ex precibus, quibus pro defunctis Machabæi orauerunt, colligit Iodocus Clichtoueus ſerm. 3. in die Animarum. *Rurſùm conſtat indubitatam fuiſſe hanc ſententiam apud Hebræos, quòd* ORATIONES *viuentium multùm proſunt defunctis ad relaxationem peccatorum.* Diuus etiam Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis gerẽdâ cap. 18. ait. *Non exiſtimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, prouenire, niſi quòd pro eis, ſiue altaris, ſiue* ORATIONVM, *ſiue eleemoſynarum ſacrificijs ſolenniter ſupplicamus.* Proſunt orationes viuentium Animabus defunctorum, quarum pœnæ leniuntur, dum pro eis preces effunduntur.

Iodocus Clichtoueus.

D. Auguſtin.

2 Nec ſanè mirum hoc videri debet, nam ſi propter preces Ioſue ſol ſtetit, & elongata eſt dies. *Non fuit anteà, & poſteà tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael.* Ioſue 10. 14. cur propter preces fidelium non poterunt dies breuiari, quibus in Purgatorio animæ torquentur? Rectè hoc argumento vtitur Hugo Florenſis ſerm. 2. de Animabus. *Dicitur, quòd Ioſue rogauit Dominum, vt non moueretur Sol contrà Gabaon, nec Luna contrà vallem Habilon, quòd ſtetit ſol per ſpatium vnius diei, obediente Deo voci hominis. Si ergò elongata eſt dies ad vocem vnius hominis, ad impugnationem inimicorũ, à fortiori nonnè ad* SVPPLICATIONEM *omnium fidelium breuiatur pœna iuſtorum in* PVRGATORIO *poſitorum?* Breues fiunt dies quibus animæ torquendæ ſunt in Purgatorio, dum pro eis preces effunduntur, hanc enim habet vim oratio, vt & breuiores pœnas illas reddat, & mitiores.

Propter orationes fideliũ breues fiunt pœnę Purgatorij.

Hugo Flor.

3 Ex hoc lucem accipient verba, quibus nos hortatur ſapiens, ne in mortuorum funeribus nimis triſtemur. *Ne dederis in triſtitiâ cor tuum, ſed repelle eam à te, & memento nouiſſimorum.* Eccleſiaſtici 38. 21. Cur triſtitia nobis prohibetur in exequijs defunctorum? Nonnè funeribus lachrymæ congruunt, & luctus? Vtique; nec ſimplex, ſed immodica, & nimia nobis prohibetur triſtitia, quâ ita hominis animus afficitur, vt pro eo nequeat orare, cuius mortem plorat. Hunc ſenſum tradit D. Antoninus 1. par. tit. 5. cap. 1. *Ideò dicitur, Ne dederis in triſtitiâ cor tuum, dum enim homo tantâ triſtitiâ abſorbetur, animum non habet liberum ad* ORANDVM *pro eo, quem luget.* Orandum eſt pro defunctis, vt noſtrum ſentiant in ſuis pœnis auxilium, quare ne oratio iſta impediatur, immodica nobis in eorum exequijs triſtitia prohibetur.

Triſtitia eſt expellenda, quę impedit orationẽ pro defunctis.

D. Antonin.

4 Hoc voluit Dauid, cùm in morte Saul, & Iſraëlitarum vnà cum eo in prælio peremptorum, iuſſit, vt arcum filios Iuda docerent. *Et præcepit, vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro iuſtorum.* 2. Reg. 1. 18. Quis enim iſte arcus erat, quem diſcere debebant filij Iuda, niſi oratio, quâ cor diuinum à fidelibus orantibus veluti ſagittatur? Hunc igitur arcum in morte ſuorum eos diſcere Dauid voluit, vt oſtenderet orationem eſſe pro defunctorum animabus à viuentibus effundendam. *Ars ſagittandi*, inquit Nicolaus Lyranus in Gloſſâ morali, *ſpirituale eſt exercitium deuotæ* ORATIONIS. In mortuorum funeribus è cordis arcu precum ſagittæ ſunt eiaculandæ, vt veram eis afferamus vtilitatem.

Hanc orationem in morte Saul, & Iſraelitarũ Dauid poſtulauit.

Lyranus.

5 Hanc agnouit veritatem Caleb, qui miſſus cum cæteris exploratoribus ad conſiderandam terram promiſſionis, aſcendit in Hebron. *Aſcenderuntque ad meridiem, & venerunt in Hebron.* Num. 13. 23. Rationem autem, cur venerit in Hebron, tradit ex ſententiâ Rabbi Salomonis Lyranus, dicens eò perrexiſſe, vt ſuper ſepulchra oraret patrum ſuorum. *Dicit Rabbi Salomon, quòd ſolus Caleb iuit illùc, &* ORAVIT DOMINVM SVPER SEPVLCHRA PATRVM. Fundendæ ſunt ſuper ſepulchra mortuorum orationes, & iccircò dum Caleb ad promiſſionis terrã acceſſit, in Hebrõ venit, vt ibi ſuper monumẽta patrum oraret.

Caleb ſuper ſepulchra patrum orauit.

Lyranus.

6 Hinc eſt, quòd Hebræi tam diligentes in ſepulchrorum constructione fuerunt, vt multas propterea impenſas facerent, ita vt ad pauper tatem interdum redigerentur. Cur enim tantâ diligentiâ mortuorum monumenta ædificabant, niſi vt viui ad eorum memoriam excitarentur, & pro ipſis Deum deprecarentur? Ita cẽſet Dionyſius Carthuſianus in cap. 35. Geneſis. *Hebræi ſemper fuerunt ſpeciali er diligentes de honorificâ ſepulturâ ſuorum, tanquam fidem habentes vitæ ſequentis, reſurrectionis futuræ, atque vt viui haberent mortuorum memoriam ad ſequendum bonorum exempla,* AD ORANDVM PRO IPSIS. Hùc magnifica tendebant ſepulchra mortuorum, vt viui eorum monumenta conſpicientes, ad pietatem mouerentur, & crebras pro eorum animabus effunderent preces. Qui enim defunctos adiuuare ſatagit, curare debet, vt preces pro eis effundantur.

Hebræi magnifica ſepulchra conſtruebant, vt homines ad preces excitarẽt pro defunctis.

Dion. Carth.

7 Quod præſtitit mulier Sunamitis, cùm filium ſuum defunctum ſuper lectulum Eliſæi prophetæ collocauit. *Aſcendit autem, & collocauit eum ſuper lectulum hominis Dei, & clauſit oſtium.* 4. Reg. 4. 21. Quamobrem cùm mortui collocentur in feretro, hæc mulier mortuum filium collocauit in lectulo? Nonnè lectulus locus eſt viuentium quiete membra fouentium? Quomodo igitur puer ſuper eum collocatur iam defunctus? Id egit mulier, quia firmiter credidit prophetæ precibus puerum eſſe ab inferis excitandum. Annuit Lyranus. *Collocauit eum ſuper lectulum hominis Dei, ſperans, quòd* PER EIVS PRECES *ſuſcitaretur, quia petierat ab eo filium victurum.* Super lectulum prophetæ defunctum filium collocauit, vt eius precibus adiuuaretur, & ad priſtinam vitam reuocaretur.

Sunamitis ſperauit Eliſæi precibus mortuũ filiũ eſſe ſuſcitandum.

Lyranus.

8 Nec certè ſpes eius eam fefellit, nam propheta ingreſſus eſt domum, in quâ cadauer iacebat, & oſtio clauſo, ad Dominũ pro eius vitâ orauit, eique ab eo vitam impetrauit. *Igreſſusq;*

Clauſit propheta oſtium domũ, ut attentè oraret.

Nn 3 *clauſit*

Caietanus.

Clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum, & orauit ad dominum. 4. Reg. 4. 33. Vbi etiam eſt aduertendum, Eliſæum oſtio clauſo Deum orauiſſe, quod, vt maiori attentione, ac deuotione abſque impedimento oraret, egit. Adeſt Caietanus. *Clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum, ne impediretur* ORATVRVS DEVM *pro tanto miraculo*. Clauſit oſtium, vt attentè oraret, nam attentè, ac deuotè oratio eſt effundenda pro defunctis.

Puero incubuit, proſternens ſe, vt humiles preces effunderet. Caietanus.

9 Poſtquam autem orauit, lectulum aſcendit, & ſuper puerum iucubuit, ſuumque corpus ſuper illius cadauer incuruauit. *Et aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & caleſacta eſt caro pueri*. 4. Reg. 4. 34. Quò autem hic prophetæ ſitus tetendit? Quid ſibi voluit, imcumbens, ac ſuper defunctum ſe incuruans? Humiliare ſe voluit, vt humili oratione auxilium efficacius puero afferret extincto. Adſtipulatur idem Caietanus. *Modus* ORANDI *deſcribitur, imitando patrem ſuum Eliam, reſuſcitantem filium viduæ, ſimili ſiquidem modo proſtrauit ſe Eliſæus*, ORANDO *ſuper puerum, tanquam ſuper materiam miraculi*. Proſtrauit ſe, vt humiles preces effundens, citiùs, ac faciliùs vitam impertiret defuncto. Nec ſemel tantùm hoc egit, ſed eumdem actum iterauit, vndè ſubditur. *Et aſcendit, & incubuit ſuper eum, & oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos*. 4. Reg. 4. 35. Ad quæ ait idem Caietanus. *Iterùm ſe humiliat, proſternendo ſe ſuper puerum* IN ORATIONE, *vt priùs*. Orauit, & vnicâ oratione non contentus, eam iterauit, vt priſtinâ mortuo reſtitueret vitâ.

Tunc etiã orauit, cùm deambulauit.

10 Quinimò tunc quoque orauit, cùm ſurgens à lectulo, per domum deambulauit. *At ille reuerſus deambulabat in domo ſemel hùc, atque illùc*. 4. Reg. 4. 35. Hac autem deambulatio, vt idem addit Caietanus, nouus fuit orandi modus.

Idem.

Diuerſus ORANDI MODVS *deſcribitur; primùm enim* ORAVIT *proſtratus ſuper corpus pueri mortui, deindè* ORAVIT *deambulando*. Vide, quoties hic ſanctus propheta pro mortuo preces effuderit, quàmque illuſtre, ac efficax exemplum orandi pro defunctis nobis reliquerit.

Deus nolebat hoc miraculũ facere, niſi exoratus.

11 Sed & illud aduertendum hìc cenſeo, prophetam hunc puerum non ſuſcitaſſe, cùm ad eum miſit Giezi cum baculo, ſed eùm ad eum perrexit. *Giezi autem præceſſerat antè eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus, reuerſuſque eſt in occurſum eius, & nunciauit ei, dicens, Non ſurrexit puer*. 4. Reg. 4. 29. Nunquid in virtute Dei mortuum ſuſcitare non poterat baculus Eliſæi? Nunquid puer ab eo miſſus non poterat eius nomine hoc miraculum parrare? Quare igitur non reuixit puer, niſi cũ ad eum propheta eſt profectus? Quia tunc tantùm Deum orauit Eliſæus, & non niſi orationis ſuffragio ad vitam erat reuocandus defunctus. Hoc debetur Abulenſi quæſt. 51. in hunc locum.

Abulenſis.

ORAVIT *pro ſuſcitatione eius, quia Deus nolebat facere tantum miraculum, niſi* EXORATVS. Preꝫ cum ſuffragio pietas exhibetur defuncto, vndè tunc tantùm Eliſæus mortuum ſuſcitauit, cùm pro eo preces effudit.

Vt vitã morto largiretur, Elias ſæpè orauit.

12 Nec aliter Elias viduæ Sarepthanæ filiũ ſuſcitauit, qui ſuper eum ſe ter expandit, & ad Deum pro eius vitâ clamauit. *Et expandit se, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait Domine Deus meus, reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius*, 3. Reg. 17. 21. Quòd ſi quis inquirat, quoties propheta pro mortuo iſto preces effuderit, audiat ſibi reſpondentem Abulenſem quæſt. 31. in hunc locum.

Idem.

Poſtquam collocauit ſe ſuper puerum, ORAVIT, *& iterum expandit se, & poſteà* ORAVIT *& ſic fecit tertiâ vice*. Et poſt nonnulla. *Primò* ORAVIT *ad Dominum, vt ſuſcitaret puerum, & tunc extendit ſe ſuper eum, & cùm ſic non ſuſcitaretur, ſurrexit, iterum* ORAVIT, *& poſt* ORATIONEM *incubuit ſuper puerum, extendens ſe ſuper eum, & cùm etiam ſic non reſurgeret, ſurrexit, &* ORAVIT *tertiò, & poſt* ORATIONEM *extendit ſe ſuper puerum, & in hac tertiâ vice puer ſurrexit, & ſic fuerunt tres extenſiones* CVM TRIBVS ORATIONIBVS. Non ſemel, ſed ſæpè pro defuncti ſuſcitatione orauit, quia tunc à Deo miſericordia mortuis obtinetur, cùm pro eis preces multiplicantur.

Non imperio in hac ſuſcitatione vſus eſt, ſed oratione.

13 Quam ob cauſam in hac ſuſcitatione, non imperio vſus eſt, ſed oratione. Clauſit Elias Cœlum, ita vt ſuis non irrigauerit pluuijs terram, donec ipſe id permiſerit, hocque ſuo imperio effecit. *Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab, Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto: ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba*. 3. Reg. 17. 1. Cur igitur, vt Cœlo præcepit, vt pluuias emitteret, defuncto quoque non iuſſit, vt ab inferis reſurgeret? Cur Cœlum imperans clauſit, mortuum deprecans ſuſcitauit? Quia maior defunctis vtilitas affertur oratione, quàm alio ſermone. Opportunè Dionyſius Carthuſianus. *Suſcitatio mortui magis impetratur humili* ORATIONE, *quàm admiratione, aut quaſi increpatorio quodam ſermone*. Adhibuit Elias in mortui ſuſcitatione orationem, agnoſcens precum ſuffragijs valdè adiuuari defunctos.

Dion. Carth.

Petrus factâ oratione Tabitham ſuſcitauit.

14 Quam adhibuit etiam Apoſtolus Petrus, cùm eum ſanctæ viduæ vocauerunt, vt mortuæ Tabithæ vitam Apoſtolicâ interceſſione impertiret. Cùm enim ad cadauer perueniſſet, omnes eiecit, & genibus flexis, pro mortuâ preces effudit, quæ, oratione peractâ, viua ſurrexit. *Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua, orauit, & conuerſus ad corpus, dixit. Tabitha ſurge. At illa aperuit oculos ſuos, & viſo Petro reſedit*. Act. 9. 40. Vbi aduertendum primò, non niſi factâ oratione, Apoſtolum vitam largitum fuiſſe defunctæ. Quod obſeruauit Hugo purpuratus. *At illa* FACTA ORATIONE *reſedit ex iuſſione Petri*. Oratione ab inferis eam excitauit, & ad priſtinam vitam reuocauit. Obſeruandum deindè,

Hugo Card.

Petrum

Petrum omnes eieciſſe, quod egit, vt efficaciori oratione Deum pro defunctâ rogaret. Docet hoc Lyranus. *Eiectis omnibus, vt Deum ſecretiùs, & efficaciùs* EXORARET. Nouerat Petrus oratione impendendam eſſe pietatem defunctis, ideòque pro mortuâ orauit, & vt magis efficaces effunderet preces, omnes eiecit.

Lyranus.

Viduæ quoq; orationis ſuffragio ei vitã impetrauerunt.

15 Nec ſolùm Petrus, ſed & viduæ hoc orationis ſuffragio vitam defunctæ impetrauerunt. Omnes quippè Apoſtolorum principem circumſteterunt, & lachrymas effundentes, tunicas, & veſtes, quæ acceperant à Tabithâ, ei oſtenderũt. *Et circumſteterunt illum omnes viduæ, flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.* Act. 9. 39. Vt quid enim hæc agentes eum circumſteterunt, niſi vt mortuam ſuis precibus adiuuarent? Aduocatum habeo hac in re D. Cyprianum lib. de opere, & eleemoſynis cap. 2. *Quæ laborantibus viduis largita fuerat ſubſidia viuendi, meruit ad vitam* VIDVARVM PETITIONE *reuocari*. Viduarum ſuperſtitum orationes viduæ defunctæ vitam impetrauerunt, eamque ab inferis excitatam luci reddiderunt.

D. Cyprian.

Chriſtus oratione vitam Lazaro impertiuit.

16 Chriſtus quoque hoc orationis ſuffragio vitam Lazaro impertiuit, vndè non feſtinanter ad monumentum properauit, ſed aliquo tempore in viâ ſubſtitit, ita vt Magdalena eum adhuc in viâ repererit, cùm à ſorore de illius aduentu admonita ſurrexit. *Nondum enim venerat Ieſus in caſtellũ, ſed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha.* Ioan. 11. 30. Cur verò tamdiù cunctatus eſt, nec ſtatim ad vitam reuocauit defunctum amicum? Vt ei vitam reſtitueret ab alijs exoratus. Hùc ſpectauit D. Ioannes Chryſoſtomus in catenâ. *Vacantiùs ibat, vt non videretur inijcere ſeipſum miraculo, ſed* ROGARI *ab alijs*. Orationes effundendæ ſunt pro mortuis, quæ vt effunderentur pro Lazaro, Chriſtus non properauit, ſed cunctanter ad eum perrexit.

D. Io. Chryſ.

Interrogauit Lazari ſorores, vt ſe pro ſuſcitatione illius orarẽt.

17 Hanc eamdem ob rationem defuncti ſorores de loco interrogauit, in quo cadauer humauerant defuncti. *Dixit, Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei, Domine veni, & vide.* Ioan. 11. 34. Nonnè cognoſcebat Chriſtus locum, in quo Lazari cadauer iacebat? Nonnè vbi eſſet hoc ſepulchrum, ſciebat, qui cætera cuncta, quantũuis latentia cernebat? Cur igitur interrogatione vſus, hoc ab eis poſtulauit? An id egit, vt reſpõſionis occaſione pro defuncti vitâ effunderent preces? Ita cenſet Theophylactus. *Interrogat, non vt ignorans, verùm vult omnia ab eis diſcere, ne ſeipſum miraculo temerè ingerere videatur, ſed* EXORATVS *facere*. Orationem vult Deus effundi pro defunctis, quare in reſurrectione Lazari vſus eſt Chriſtus interogatione, vt cæteri vterentur pro eius vitâ oratione.

Theophylact.

Chriſtus omnes mortuos, pro quibus exoratus fuit, ſuſcitauit.

18 Ex his facilè conſtabit, cur Chriſtus tres tantùm mortuos, qui legantur in ſacris codicibus, ad vitam reuocauerit. Plures enim non ſuſcitauit, quia defuerunt, qui pro eis effunderent preces. Hanc affert rationem Rabanus apud Hugonem Cardinalem in cap. 9. Matthæi. *Quartum mortuum non ſuſcitauit, quia qui pro eius ſuſcitatione.* DEPRECARENTVR, *viui defuerunt*. Gaudet Deus pietatem defunctis exhibere rogatus, ideòque Chriſtus non niſi tres mortuos ſuſcitauit, quia non niſi pro trium ſuſcitatione rogatus fuit.

Rabanus.

Mortuo ægro præcipit Eccleſia, vt campana pulſetur, vt fideles pro eo precentur.

19 Eccleſia quoque oſtendit, quàm gratum ſit Deo, quàmque efficax ad impetrandam mortuis pietatem ſuffragium orationis, dum præcipit, vt ſtatim ſpiritu emiſſo ab ægroto, ſignum detur campanæ, vt illud populi audientes, pro defuncti animâ coram Deo preces effundant. Audiamus verba Ritualis Romani in Ordine commendationis Animæ. *Interim detur campanæ ſignum tranſitûs defuncti pro loci conſuetudine, vt audientes pro eius animâ Deum* PRECENTVR. Ad precum effuſionem pro defunctis campanę ſigno excitat Eccleſia fideles, agnoſcens animabus mortuorum valdè prodeſſe preces viuentium.

Rituale Rom.

Gentiles pro mortuis orabant.

20 Quid? quòd Gentiles ipſi pro mortuis ſuis preces effundere ſolebant? Audiamus Diodorum Siculum lib. 1. cap. 5. hæc ſcribentem. *Inuocatis inferis Dijs* PRECANTVR, *vt eum inter pios locent, ad quæ verba omnis multitudo correſpõdet, gloriam mortui extollens, tanquam apud inferos cum beatis ſemper futuri.* Suetonius etiam Galliarum ciuitates ait ſupplicationes inſtituiſſe in funere Druſi in Claudio cap. 1. *Exercitus honorarium et tumulum excitauit, circà quem deinceps ſtato die quotannis miles decurreret, Galliarumque ciuitates publicè* SVPPLICARENT. Vide igitur, Gentiles quoque pro defunctis oraſſe, ac ſupplicationes publicas inſtituiſſe, ac diſce in auxilium defunctorum ſuffragia exhibenda eſſe orationum.

Diodorus.

Suetonius.

CAPVT V.

Facilè à Deo exaudiuntur, quæ pro defunctis preces effunduntur.

Tobiæ preces exauditæ fuerunt, cũ mortuis pietatem impendit.

1 VT magis ad exhibendum hoc ſuffragium orationis defunctis fideles excitentur, hoc etiam oſtendere ſtatui, facilè à Deo exaudiri eos, qui orant pro defunctis. Quod clariſſimè oſtendit Archangelus Raphaël, cùm Tobiæ dixit, ſe illius orationem obtuliſſe Domino, cùm mortuos lugens, eiſque ſepulturæ obſequia impendens, orabat. *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tuâ, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Tob. 12. 12. Tunc obtulit Archangelus Deo prèces Tobiæ, cùm ſepeliens mortuos orauit, nam tunc à Deo noſtræ orationes exaudiuntur, cùm pro defunctis piè funduntur. Accipe verba Gloſſæ interlinearis. *Ego obtuli orationem tuam Domino, quæ* ACCEPTA EST *cum his operibus miſericordiæ*. Cùm defunctis Tobias miſericordiam impendebat,

Gloſſa Inter.

eius orationem Deus exaudiebat, nam valdè acceptæ ſunt preces illæ, quibus viuentes miſerentur mortuorum.

Ioab Thecuitì præcepit, vt ſe lugere mortuum ſimularet, vt faciliùs à Rege exaudiretur,

2 Nouit hoc Ioab, qui vt à Dauid Rege reditum impetraret Abſalonis, mulierem aduocauit Thecuitem, eique iuſſit, vt ſe mortuum lugere ſimularet. *Miſit Thecuam, & tulit indè mulierem ſapientem, dixitque ad eam, lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne vngaris oleo, vt ſis quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum.* 2. Reg. 14.2. Vt faciliùs Regem diſponeret ad concedendum mulieri, quidquid petebat, voluit eam induere ſe veſte lugubri, & eſſe quaſi mortuum plorantem, nam facilè preces exaudiuntur eorum, qui mortuis pietatem impendunt. Subſignat B. Theodoretus quæſt. 29. in libr. 2. Regum. *Cùm tres anni præteriſſent, & tempore extincta eſſet ira, tale quid machinatur Dux exercitus. Suggeſſit mulieri prudenti effingere actum, qui poſset Regem mouere ad miſericordiam.* Cenſuit Ioab poſſe mulierem facilè à Rege impetrare miſericordiam, cùm ſe mortuum lugere ſimularet, impetrant enim quidquid petunt, qui mortuos pietate proſequuntur.

B. Theodoret.

Paulus certus fuit ſe exaudiendum à Deo, cum pro defuncto orauit.

3 Quod Paulus agnoſcens, cùm Eutychus adoleſcens è feneſtrâ cecidiſſet, ac ſpiritum corruens emiſiſſet, ijs, qui eum lugebant, iuſſit, ne turbarentur, cùm adoleſcens viuus eſſet. *Ad quem cùm deſcendiſset Paulus, incubuit ſuper eum, & complexus dixit, Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt.* Act. 20. 10. At quomodo in adoleſcente anima erat, qui cadens mortuus ſublatus fuerat? Nunquid poterat ſimul & mortuus eſſe, & animatus? Nequaquam; ſed eum dixit Paulus animatum, quia certè cognouit, preces, quas pro illo effundebat, eſſe à Deo citò exaudiendas, ita vt qui repentinâ oppreſſus fuerat morte, mox orationis ſuffragio reuocaretur ad vitam. Annuit Dionyſius Carthuſianus. *Dixit nolite turbari, iam enim* CERTVS FVIT APOSTOLVS, SE EXAVDIENDVM *pro pueri ſuſcitatione.* Certè impetrant, qui Deum pro mortuis exorãt, vndè certus fuit Apoſtolus ſuas preces exaudiendas iri, cùm eas obtulit, vt mortuo reſurrectionis miraculo vitam impetraret.

Dion. Carth.

Idem ſenſit Petrus, cùm pro Tabithâ preces effudit

4 Nec à Paulo Petrus diſſenſit, qui cùm ad Tabithæ cadauer perrexiſſet, plenus fiduciâ ei præcepit, vt denuò ad vitam rediret. *Conuerſus ad corpus, dixit: Tabitha ſurge.* Act. 9.40. Si autem quæras, cur tantâ confidentiâ cadaueri, vt viueret, præceperit, in promptu eſt reſponſio D. Cypriani lib. de opere, & eleemoſynis cap. 2. qui ait eum ſenſiſse facilè poſse impetrari, quod petebatur, dum pro defunctæ vitâ preces à ſe, & à viduis fundebantur. *Circumſteterunt eum viduæ flentes, & rogantes, pallia, & tunicas, & omnia illa, quæ priùs ſumpſerant, indumenta monſtrantes, nec pro defunctâ ſuis vocibus, ſed ipſius operibus deprecantes.* *Senſit Petrus* IMPETRARI POSSE, *quod ſic petebatur.* Cum Petrus oraſset, mortuo, vt reſurgeret, præcepit, quia nouit ſuum habere orationes effectum, cùm ad auxilium tendunt mortuorum.

D. Cyprian.

Chriſtus Archiſynagogi preces pro filiâ defunctâ rogantis exaudiuit.

5 Non eſt ab hac re alienum, quod contigit Archiſynagogo, cuius filia defuncta fuerat. Hic videlicet ad Chriſtum acceſſit, & ad eius genua humiliter prouolutus, vt ad cadauer accederet, ſuâque illum virtute ſuſcitaret, enixè rogauit. Mox autem ſurgens Chriſtus, eum ſecutus eſt, & ad mortuam puellam accedens, vitam illi donauit. *Et ſurgens Ieſus, ſequebatur eum, & diſcipuli eius.* Matth. 9.19. Cætera illicò reliquit, nihil diſtulit, omneſque moras, vt ſynagogæ principem exaudiret, amputauit. Itaque rogans pro defunctâ, quod petijt impetrauit, meruitq; Chriſtum & ſequentem habere, & exaudientem. *Mox vt rogatus eſt*, inquit Abulenſis, *rogantem cœpit ſequi.* Pro mortuâ rogauit, ſtatimque quod rogabat, impetrauit, nam impetrant quidquid petunt, quicumque pro defunctis exorant.

Abulenſis.

Manum eius tetigit, vt ſatisfaceret deſiderio patris

6 Hinc etiam eſt, quòd vt ad huius puellæ cadauer peruenit, eius manum tenuit, & continuò defuncta ſurrexit. *Et cùm eiecta eſset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & ſurrexit puella.* Matth. 9. 25. Cur manum tenuit mortuæ, vt eam ad vitam reuocaret? Nonnè potuit illam ſimplici oris ſui verbo viuificare? An non ſolum ſufficiebat ad eam excitandam imperium? Vtique; ſed tamen eius manum tenere voluit, vt Archiſynagogi preces exaudiret, qui eum rogauerat, vt ſuprà illam manum imponeret. Audiatur idem Abulenſis, qui ait quæſt. 126. in hunc locum ideò tenuiſſe manum puellæ Chriſtum, *Vt ſatisfaceret deſiderio patris eius, dixerat enim, Veni, & pone manum tuam ſuper eam, & viuet.* Orationem, quâ rogauerat Archiſynagogus Chriſtum, vt filiæ ſuæ manum imponeret, ipſe exaudiuit, & quamuis tactus neceſſarius non eſſet, eam tamen tangere voluit, ne redderet irritas preces rogantis pro defunctâ.

Idem.

Pilatus exaudiuit orationem Ioſeph Arimathæi pro Chriſto mortuo rogantis.

7 Mortuo Chriſto, acceſſit Ioſeph Arimathæus ad Pilatum, eumque rogauit, vt ſibi facultatem permitteret illius cadauer honorificè humandi. Quem vt audiuit Pilatus, libenter exaudiuit, & Centurioni, vt corpus concederet, præcepit. *Et cùm cognouiſset à Centurione, donauit corpus Ioſeph.* Marc. 15. 45. Vide quæſo præſidem, qui Chriſtum iniuſtè flagellis ceciderat, & ad Crucis mortem damnauerat, eius diſcipulum multâ facilitate exaudientem, eique ſepulturam illius, quem tanquam ſeductorem crucifixerat, citò concedentem, & expende, quàm facilè orantes pro defunctis exaudiantur, dum preces à Ioſeph pro defuncto magiſtro effuſas etiam Pilatus exaudiuit. Rectè Franciſcus Titelmannus in cap. 19. Ioannis. *Pilatus, cognito, quòd iam mortuus eſset Chriſtus,* FACILE IOSEPH ANNVIT POSTVLATIONI, *pro compaſſione eius, quẽ innocenter ſciebat eſſe damnatum.* Quia pro Chriſto mortuo Ioſeph preces effudit, eum Pilatus exaudiuit, nam facile à cunctis exaudiuntur preces, quæ pro mortuis effunduntur.

Titelmannus

8 La-

Digitized by Google

Latro exauditus eſt quia rogauit pro ſe defuncto.

8 Latro quoque ille hoc innuit, qui vnà cum Chriſto pendens in patibulo, eum rogauit, vt ſui memoriam haberet, cùm ad regnum perueniſſet. *Et dicebat ad Ieſum, Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Luc. 23. 42. Quorum verborum ſenſum tradens D. Vincentius Ferrerius ſerm. in die paraſceues, ait eum, non vt ſibi tunc parceret preces effudiſſe, ſed vt ſui miſereretur, cùm in Purgatorio veniſſet, credidit quippè ſuas preces faciliùs exaudiendas pro ſe mortuo, & in Purgatorio exiſtente fuſas, quàm pro ſe adhuc viuo exhibitas. *Non dico, quòd modò parcas mihi, quia non ſum dignus, ſed poſtquam in* PVRGATORIO *fuero, tunc memento mei.* Facilè preces exaudiuntur, quæ pro exiſtentibus in Purgatorio funduntur, ideòque latro, non pro ſe viuo, ſed pro ſe, cùm veniſſet ad Purgatorium, Chriſtum orauit.

D. Vinc. Fer.

Gentiles faciliè preces exaudiebant effuſas pro mortuis.

9 Capiti coronidem imponam, ſi addidero Gentiles quoque preces facilè ſuſcepiſſe pro mortuis effuſas, vnde Achilles apud Homerum Iliade 24. ſenis Priami pro ſepulturâ filij orantis exaudiuit.

Homerus.

Ne amplius nunc me irrita ſenex, intelligo autem & ipſe
Hectora tibi ſoluere.

Æneas etiam apud Virgilium lib. 11. Æneidos Latinos oratores pro defunctorum militum ſepultura rogantes confeſtim exaudiuit.

Pacem me exanimis, & Martis ſorte peremptis
Oratis? equidem & viuis concedere vellem.

Virgilius.

Vbi ait Donatus. *Hìc pro Æneæ reſponſione ſpectanda ſunt duo, vnum, quòd* PRECIBVS ASSENSVS EST, *alterum, quòd ipſe deſiderata cumulauit.* Pro mortuis rogantes non tantùm exaudiuit, ſed & eorum vota cumulauit. Virginios denique apud Dionyſium Halicarnaſſeum lib 11. Antiquit. Roman. fingens propinqui mortem facilè ab Antonio profectionem, vt eum ſepeliret, impetrauit. *Verâ apud Antonium causâ diſſimulatâ, fingens nunciatum ſibi à propinqui neceſſarij morte, cuius exequias, & ſepulturam procurare lege teneretur,* MISSIONEM IMPETRARAT. Quidquid voluit, cùm pro mortuo rogauit, facilè impetrauit. Si ergò homines quoque preces exaudiunt pro mortuis effuſas, quomodo eas Deus non exaudiet? Rectè dictum eſt, facilè à Deo exaudiri, quæ pro defunctis preces effunduntur.

Donatus.

Dion. Halic.

CAPVT VI.

Deuotis debemus operibus pietatem exhibere defunctis.

Elias portauit puerum defunctum in cœnaculum, vt deuotè pro eo oraret.

1 NOn quomodocumque, ſed deuotè pro mortuis orandum eſt, vt noſtræ faciliùs eis pietatem impetrent preces. Quod oſtendit Elias, cùm defunctum Sareptanæ filium de ſinu matris tulit, & in cœnaculum, vbi manere conſueuerat, portauit. *Et ait ad eam Elias, da mihi filium tuum. Tulitque eum de ſinu eius, & portauit in cœnaculum, vbi ipſe manebat, & poſuit ſuper lectulum ſuum.* 3. Reg. 17. 19. Quærendum hic eſt, quare ad cœnaculum ſuum extulerit propheta pueri cadauer. Cur defunctum, dum adhuc in vlnis iacebat maternis, non excitauit? Cur matre præſente, preces pro ipſius vitâ non effudit? Cur demùm non niſi ſolitarius orauit? Id egit, vt ſeparatus à cunctis, quæ illius animum diſtrahere poterant, multâ poſſet deuotione Deum pro defuncto exorare. Ita ſenſit Dionyſius Carthuſianus. *Portauit in cœnaculum, vbi ipſe manebat, videlicet in camerâ ſeparatâ, in quâ ſolus ſoli Deo cum inæſtimabili* DEVOTIONE *vacabat, vt ibi ſolus Deum* DEVOTIVS, *atque liberiùs exoraret.* Multâ cum deuotione ſunt preces pro defunctis effundendæ, quapropter Elias ad cœnaculum receſſit, vt pro puero mortuo maiori deuotione Deum oraret.

Dion. Carth.

Eliſæus prohibuit Giezi ne aliquem ſalutaret, vt deuotè mortuo pietatem exhiberet.

2 Quò etiam ſpectauit præceptum, quo Eliæ diſcipulus Eliſæus iuſſit Giezi, quem mittebat, vt Sunamitidis filium ad vitam reuocaret, ne aliquem per viam ſalutaret, neve ſalutanti cuipiam aliquid reſponderet. *Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* 4. Reg. 4. 29. Cur enim hoc puero Propheta præcepit, niſi vt ab omnibus, quæ illum impedire poſſent, expeditus, magnâ deuotione pergeret ad cadauer, ad quod vitam communicaturus pergebat? Hoc debeo D. Ambroſio in Gloſsâ. *Non ſalutationis officium aufertur, ſed obſtaculum impediendæ* DEVOTIONIS *aboletur.* Cùm mortuis pietas eſt exhibenda, hoc fieri debet multâ deuotione, quam vt Giezi haberet, ei Eliſæus præcepit, ne aliquem in viâ ſalutaret.

D. Ambr.

D. Petrus deuotè pro Tabithâ mortuâ Deum rogauit.

3 Hoc etiam videre licet in Petro, qui vt ad Tabitham mortuam, eam ſuſcitaturus, acceſſit, poſitis genibus Deum orauit, omneſque, vt liberiùs oraret, eiecit. *Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, & conuerſus ad corpus dixit, Tabitha, ſurge.* Act. 9. 40. Animaduerte, quâ deuotione princeps Apoſtolorum mortuæ viduæ pietatem exhibuit, qui vt feruentiùs pro eius reſurrectione oraret, genua flexit, cunctos eiecit, & ſoli Deo vacauit. Nec à deuotis precibus, quas effudit, deſtitit, donec eas à Deo exauditas eſſe cognouit. Do verba Lyrani. ORAVIT DEVOTE *Deum, quouſque intellexit ſe exauditum.* Vt vitam defunctæ largiretur, deuotè in oratione perſeuerauit, noſque docuit, deuotionem adhibendam eſſe, cùm pro mortuis preces effunduntur.

Lyranus.

Iob deuotè pro filijs defunctis orauit.

4 Hanc adhibuit & Iob, cùm liberos ſuos defunctos eſſe cognouit, nam veſtimenta ſua ſcidit, & corruens in terram, adorauit. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite, corruens in terram, adorauit.* Iob. 1. 20. Mirum, quòd Iob, qui tantâ patientiâ tribulationes immiſſas tolerabat, mortem audiens filiorum, dolore correptus corrueret! Si mala omnia, quæ ſibi cõtingebant, de manu Dei ſuſcipiebat, cur etiam filiorum necem patienter de manu eadem

oon

non ſuſcepit? Suſcepit ſanè de manu Dei patienter hoc quoque malum, nec immodico dolore correptus corruit, ſed vt deuotè pro defunctis liberis oraret, ſe proſtrauit. Accipe Diouyſium Carthuſianum ita loquentem. *Non ex mentis immoderato mœrore, ſed* Ex Vera Devotione *ſolo ſe proſtrauit.* Corruit, vt coram Deo humiliatus, maiori deuotione pro mortuis filijs preces effunderet; deuotâ quippè oratione pietas exhibenda eſt defunctis.

Dion. Carth.

Iudas Machabæus piâ deuotione pro mortuis offerri ſacrificium curauit.

5 Non fuit minor deuotio, quâ egregius vir Iudas Machabæus pro mortuorum militum animabus Ieroſolymæ ſacrificium offerri curauit, eòque multas argenti drachmas hoc intuitu miſit. *Et factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium.* 2. Machab. 12.43. Nec enim ob aliud, quàm ob deuotionem tantâ pietate defunctis militibus exhibere ſuffragia curauit. Adſtipulatur in Bibliothecâ veterum Patrum Hugo Etherianus lib. de regreſſu Animarum c. 15. *Pro mortuis offerre ſacrificium* Pia Devotione *cenſuit.* Deuotè ſunt exhibenda ſuffragia defunctis, quare Iudas Machabæus, pietatem cum deuotione coniunxit, cùm ſacrificia pro defunctis offerri curauit.

Hugo Ether.

Antiqui in funeribus muſicam adhibebant, quæ excitaret ad deuotionem.

6 Profectus eſt Chriſtus cum Archiſynagogo, vt eius filiæ vitam impertiret, ad cuius domum cùm perueniſſet, tibicines vidit vnà cum turbâ tumultuante lugubria canentes. *Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat, Recedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit.* Matth. 9. 23. Quòd ſi quis miretur, muſicam adhibitam fuiſſe in luctu, deſinat mirari, agnoſcens muſicam interdum ad pietatem excitare, ac deuotionem. Vt igitur ad deuotionem excitarentur, qui funeribus intererant mortuorum, muſica in exequijs adhibebatur eorum. Subdo verba Ludolphi Carthuſiani libro. de vitâ Chriſti par. 1. cap. 49. *Aliquæ (melodiæ) excitant fletum, &* Devotam *lamentationem, & talibus vtebantur antiquitùs in exequijs magnarum perſonarum, vt prouocaretur multitudo ad fletum, & luctum.* Deuotionem exigit pietas, quæ defunctis exhibetur, vnde antiqui ad hanc deuotionem ſuauitate cantùs, & aptâ vocis modulatione, illos, qui exequijs aſſiſtebant, opportunè prouocabant.

Ludol. Carth.

Magdalena magnâ deuotione pro Lazaro mortuo Chriſtum rogauit.

7 Non eſt hic ſupprimenda Magdalenæ deuotio, quæ vt audiuit Chriſtum Bethanian veniſſe, confeſtim ſurrexit, & ad eum feſtina properauit. *Illa, vt audiuit, ſurrexit citò, & venit ad eum.* Io. 11.29. Cur tantâ feſtinatione ad Chriſtum mulier iſta perrexit? Cur eum potiùs in domo, vt conſueuerant lugentes, non expectauit? Cur demùm nihil allocuta Iudæos, qui ſecum erant, adeò citò ſurrexit? Vt magnâ deuotione ad Chriſtum veniret, eumque pro fratris defuncti reſurrectione oraret. Aptè Lyranus. *Venit ad eum* Ex Magna Devotione. Magnâ venit feſtinatione, quia magnâ Lazarum voluit adiuuare deuotione, nouerat ſcilicet, magnam adhibendam eſſe deuotionem ab eis, qui mortuis impenderunt pietatem.

Lyranus.

Ex deuotione Chriſtum ad honorem ſepulturæ vnxit.

8 Quod & præſtitit, cùm Chriſtum Bethaniæ recumbentem pretioſis vnguentis perfudit, vt proximam ſepulturam illius opportunâ vnctione honoraret. Quam quidem actionem, licet piâ, ac ſanctam, indignabundi auſi ſunt increpare diſcipuli, cenſentes vnguenti pretium eſſe in pauperum auxilium erogandum. Hos arguit Chriſtus, & mulierem defendens, eam dixit opus bonum, ac memoriâ æternâ dignum fuiſſe operatam. *Sciens autem Ieſus, ait illis, quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me.* Matth. 26. 10. Inueſtigatione dignum eſt, cur tot laudibus Chriſtus voluerit hoc opus in vniuerſo mundo commendari. Quid magnum erat ſuper caput recumbentis effundere vnguenta, vt hæc effuſio eſſet vbique celebranda? Magnum erat prorsùs opus, quia in honorem ſepulturæ Chriſti deuotè à Magdalenâ exhibebatur. Diſce hoc à Dionyſio Carthuſiano. *Opus bonum operata eſt in me, quia effundendo vnguentum ſuper me, non perdidit illud, ſed religioſiſſimè fecit, ex charitate, &* Devotione *magiſtrum ſuum honorans.* Vnguentum ſuper Chriſti caput effundens, deuotè ſepulturam illius Magdalena honorauit, ideòque tot laudibus in Euangelio commendari promeruit.

Dion. Carth.

Propter hanc deuotionem Angelorum viſionem meruit.

9 Nec tantùm laudem, ſed & Angelorum hæc eius deuotio meruit viſionem. Ad Chriſti monumentum cum aromatibus acceſſerat, vt eius cadauer piâ vnctione deliniret, quod cùm non inueniſſet, lapidemque ſublatum reperiſſet, luctui vacauit, atque ad monumentum plorans perſeuerauit: Dum autem hæc ageret, duos Angelos vidit intra ſepulchrum ſedentes. *Et vidit duos Angelos in albis, ſedentes vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu.* Ioan. 20. 12. Quam autem ob cauſam meruit recreari hac Angelorum viſione, niſi quia ad monumentum acceſſit magnâ prædita deuotione. Audi Lyranum hanc afferentem. *Ex feruore* Devotionis *illam viſionem meruerat.* Angelorum meruit viſionem, quæ defuncto magiſtro cum pietate parauerat deuotionem, valdè namque apud Deum merentur, qui mortuos piâ deuotione proſequuntur.

Lyranus.

Mulieres multæ cum deuotione ad Chriſti ſepulchrũ cucurrerunt.

10 Hanc item deuotionem oſtenderunt cæteræ mulieres, quæ vnà cum Magdalenâ tranſacto Sabbato ad monumentum Chriſti perrexerunt, & aromata, vt eius vngerent cadauer, tulerunt. *Et cùm tranſiſſet Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum.* Marc. 16. 1. Multâ quippè deuotione mulieres iſtæ, vt Chriſto mortuo pietatem impenderent, ad ſepulchrum eius cucurrerunt, & vnguenta, vt eum perfunderent, ſecum tulerunt. *Mulieres*, inquit Seuerianus in catenâ, *hoc loco fœmineâ* Devotione *diſcurrunt, quæ non vt viuenti fidem, ſed vt mortuo vnguenta*

Seuerianus.

defe-

Digitized by Google

deferunt ad ſepulchrum, & vt ſepulto parant moeroris obſequia. Miſerationis obſequia deuotè parauerunt, vnà cum pietate deuotionem quoque impendentes, nam deuotè ſunt exhibenda obſequia, quæ debentur defunctis.

Eamdē deuotionem oſtenderūt euntes, licet lapidem è monumento ſublatum non crederent.

11 Hinc eſt, quòd mulieres iſtæ ad monumētum ſunt profectæ, licet crederent lapide illud tegi, quem non poterant remouere. *Et dicebant ad inuicem, Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Marc. 16. 3. Cur enim ad ſepulchrum perrexerunt, dum ingredi ſe non poſſe propter lapidis impedimentum nō crediderunt, niſi quia eas deuotio compulit ad profectionem, vt ſaltem ſacro cadaueri aſſiſterent, eique ſuis lachrymis parentarent? Hoc voluit D. Vincentius Ferrerius ſerm. 2. in die Paſchæ. *Quare iſtæ mulieres volebant appropinquare monumento, cùm nullam haberent de reuolutione lapidis certitudinem? Ratio eſt, quia credebant, adhuc corpus Chriſti eſſe in monumento, vndè dicebant, Etſi non poſſumus eum vngere, ſaltem poterimus monumentum eius tangere, & ibi eum flere, & aſſociare. Ecce mirabilis dilectio*, & DEVOT o *mulierum ergà mortuum ſuum*. Et miram dilectionem, & ſanctam Chriſto exhibuerunt, ſepulchrum adeuntes, deuotionem.

D. Vinc. Ferr.

Multa fuit deuotio Ioſeph. & Nicodemi ergà Chriſtū defunctū.

12 Poſtremo expendenda eſt deuotio quā Ioſeph Arimathæus Chriſti corpus à Pilato audacter poſtulatum, & fœliciter impetratum, ſepeliuit. *Ioſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum, inuoluit ſindone, & poſuit eum in monumento, quod erat exciſum de petrâ, & aduoluit lapidem ad oſtium monumenti*. Marc. 15. 46. Hic enim vir dicitur bonus, & iuſtus. *Et ecce vir nomine Ioſeph qui erat decurio, vir bonus, & iuſtus*. Luc. 23. 50. Quia erat deuotus. *Vir bonus, & iuſtus*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *idest pius, ac Deo* DEVOTE *intentus*. Sanctus vir magnam præ ſe tulit deuotionem, cùm defuncto magiſtro exhibuit pietatem. Nec diſſimilem habuit deuotionem Nicodemus, qui vt vnà cum Ioſeph Chriſtum honorificè humaret, aromatum copiam tulit, & ad Caluariæ montem properauit. *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum*. Ioan. 19. 39. Cuius viri deuotionem commendat idem Dionyſius Carthuſianus, dum ait. *Ferens mixturam, idest vnguentum confectum ex myrrhâ, & aloe, per quod patet, quòd diues erat, ſicut Ioſeph, &* DEVOTVS, *à pretioſitate ſcilicet vnguenti, & ſepultura*. Hinc Lyranus deuotam appellat Chriſti humationem, ſcribens in cap. 23. Lucæ. *Hìc deſcribitur* DEVOTA *Chriſti tumulatio, quæ fuit ſolennis, & pretioſa*. Et Ludolphus Carthuſianus lib. de vitâ Chriſti 2. par. cap. 66. amborum extollens deuotionem, inquit. *In omnibus oſtendunt diſcipuli* DEVOTIONEM *ſuam ad Magiſtrum, & quòd venerunt velociter, & tulerunt reuerenter, & ſepelierunt humaniter, & quòd nunciauerunt compatienter*. Et iterum. *Sepelierunt eum reuerenter, &* DEVOTE, *flexis genibus, magnis ſingultibus, & ſuſpirijs validis, & ſic Dominum vitæ dederunt ſepulturæ mortis*. Vide, quantâ deuotione hi pij viri Chriſto pietatem exhibuerint defuncto, & agnoſce nos diuinis debere operibus pietatem exhibere defunctis.

Dion. Carth.

Lyranus.

Ludo. Carth.

CAPVT VII.

Eleemoſynæ ſuffragio Animæ ſubleuantur Mortuorum.

1 HOc item ſuffragium poſtulant à nobis animæ defunctorum, quæ in Purgatorij flammis cruciatæ, clamant, *Miſeremini mei, Miſeremini mei ſaltem vos amici mei*. Iob. 19. 21. Quarum verba explicans Hugo Florenſis ſerm. 1. de Animabus, ait. *Clamant fideles defuncti, Miſeremini mei, pro nobis orando, & miſeremini mei pro nobis* ELEEMOSYNAS LARGIENDO. Eleemoſynis, quas pro eis largiuntur, valdè adiuuantur animæ Purgatorij, vndè hoc aſſiduis precibus ab illis petunt, vt pro ſui liberatione pauperibus eleemoſynas erogent.

Animæ Purgatorij Eleemoſynæ ſuffragium à nobis expoſcunt.

Hugo Floren.

2 Et iurè quidem, nam eleemoſyna eſt veluti aqua ignem Purgatorij extinguens, & animabus in eo cruciatis opportunum refrigerium afferens. Aptè Iodocus Clichtoueus ſerm. 3. pro defunctis. *Sicut magnam ſatisfactionis vim habet* ELEEMOSYNA *facta pro viuis, ita & magnam habet efficaciam pro mortuis, tanquam aqua* EXTINGVENS IGNEM PVRGATORII. Pecuniæ pauperibus erogatæ animas valdè adiuuant mortuorum, nam eleemoſynæ aqua ignem Purgatorij extinguit.

Eleemoſyna eſt aqua ignē Purgatorij extinguens.

Iod. Clicht.

3 Hùc ſpectauit Iudas Machabæus, cùm pro interfectis militibus duodecim millia drachmas argenti Ieroſolymam miſit. *Et factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymā, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè, & religioſè de reſurrectione cogitans*. 2. Machab. 12. 43. Cur enim hanc pecuniarum collationem fecit, niſi vt eleemoſynæ ſuffragio prodeſſet interfectis, noſque doceret, viuentium eleemoſynis à peccatorum vinculis abſolui defunctos? Ita cenſet Ioannes Gritſch ſerm. 2. *Miſit Ieroſolymam duodecim millia drachmas argenti offerre ibi pro peccatis mortuorum in bello, ſic etiam nos debemus facere* ELEEMOSYNAS, *& talia huiuſmodi offerre pro parentibus, vt à peccatorum vinculis abſoluantur*. Mortuorum animæ ſunt eleemoſynis adiuuandæ, quapropter Iudas Machabæus interfectorum militum animas à peccatis abſoluere ſuffragio eleemoſynæ curauit.

Iudas Machabæus eleemoſynæ ſuffragio animas defunctorum militum adiuuit.

Ioa. Gritſch.

4 Hoc oſtenderunt Ioſeph Arimathæus, & Nicodemus, qui vt Chriſti cadauer honorificâ pompâ humarent, pecuniarum copiam in aromatum emptione, quibus illud perfunderent, in ſumpſerunt. *Acceperunt ergò corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire*. Ioan. 19. 40. Condiebantur vnguentis cadauera, vt diù à corruptione, ac tabe illæſa perſeuerarent. At quid his opus habebat

Ioſeph. & Nicodemus, vt Chriſto mortuo pietatem impenderent, dimiſerunt erogaverunt.

Chriſti

Chriſti corpus, quod vnitum diuinitati nullam poterat ſentire corruptionem? Profectò etiamſi diù in ſepulchro manſiſſet vnguentis non perfuſum, nullo vnquam tempore fuiſſet corruptum. Vt quid igitur tot pecunias in aromatibus, quibus magiſtri cadauer vngerent, hi pij viri inſumpſerunt? Vt nos inſtruerent, pecuniarum, ac diuitiarum copiam eſſe pro defunctis erogandam.

Hugo Ether.

Siſto verba Hugonis Etheriani in Bibliothecâ veterum Patrum lib. de regreſſu Animarum cap. 7. *Ecce Ioſeph, & Nicodemus multam inſumpſerunt pecuniam, vt illud tantùm corpus à vermibus defenderent. Certè qui poteſt,* DIVITIARVM COPIAM EROGARE DEBET, *vt corpus amici honeſtè ſepeliat, maximè verò vt animam eripiat dæmonum faucibus.* Cùm agitur de pietate mortuis exhibendâ, eroganda eſt copia diuitiarum, ideòque hi viri, vt pietatem defuncto magiſtro impenderent, multam pecuniam in aromatibus, & vnguentis inſumpſerunt.

Tobias filio præcepit, vt pro defunctis eleemoſynam erogaret.

5 Firmauit hoc, quod probamus, Tobias, cùm ſalutis monitis filium inſtruens, ei præcepit, vt panem, ac vinum ſuper mortuorum ſepulchra conſtitueret. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue.* Tob. 4. 18. Gentiles cōſueuerant menſas confundere cum ſepulchris, & ibi condimenta parare ciborum, vbi oſſa iacebāt mortuorum.

Gentiles ſuper ſepulchra mēſas ſtatuebant.

D. Gaudent.

Vndè D. Gaudentius in Bibliothecâ veterum Patrum Tract. 4. *Coeperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipſi comederent.* Et paulò infrà. *Super ſepulchrorum menſas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, ſpiritum balbutiunt.* Tertullianus lib. de teſtimonio animæ c. 4.

Tertullian.

Si quandò extrà portam cum obſonijs, & matteis tibi potiùs parentans ad buſta recedis, aut à buſtis dilutior redis. Et D. Auguſtinus lib. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 34.

D. Auguſt.

Noui multos eſſe, qui luxurioſiſſimè ſuper mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes ſuper ſepultos ſe ipſos ſepeliant. Cùm ergò hic eſſet mos Gentilium à ſanctis Patribus non immeritò reprobatus, cur eum Tobias filio ſuaſit, quem à Gentilitatis erroribus cupiebat eſſe alienum? Noluit ſenex pater filium ſequi mores Gentilium, ſed ei præcipiens, vt panem, ac vinum ſuper ſepulchra conſtitueret, ſuadere illi voluit, vt pro animabus mortuorum pauperibus erogaret copiam eleemoſynarum. Hunc tradit ſenſum Nicolaus Lyranus.

Lyranus.

Alij magna feſta in morte parentum faciebant ad oſtentationem, & indè depauperabantur. Hoc non intelligit hic Tobias, ſed quòd in morte iuſtorum PASCENDI SVNT PAVPERES PRO ANIMABVS EORVM. Profanum morē in ſanctum, ac pium Tobias commutari voluit, ita vt in funeribus mortuorum, non comeſſationes, & ebrietates celebrarentur, ſed cibo, ac potu pauperes paſcerentur.

Chriſtiani in menſas pauperum eas commutauerunt.

Quod Chriſtianos modò ſeruare, teſtatur Iacobus Pamelius in allatum locum Tertulliani. *Hodie in locum illarum epularū apud ſepulchra ſucceſſit Agape, ſeu* MENSA PAVPERVM. Cùm multùm defunctorum animabus eleemoſyna proſit, pro epulis ſepulchrorum parare Chriſtiani conſueuerunt cibos egenorum.

Vidua Sareptbana eleemoſynâ filio defuncto vitā obtinuit.

6 Et ſanè immeritò id egerunt, nam magnā ex Eleemoſynæ ſuffragio referunt defuncti vtilitatem. Vnicum habebat vidua Sareptbana filiū, qui morbo, ac languore oppreſſus vitam cum morte commutauit. Adijt mulier Eliam prophetam, eum rogans, vt ſuis precibus vitam extincto impertiret. Nec abnuit Elias, ſed cadauer tollens, ac ſuper lectulum ſuum collocans, Deum orauit, atque oratione ſuâ puerum à mortuis excitauit. *Et exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuerſa eſt anima pueri intrà eum, & reuixit.* 3. Reg. 17. 22. Cur tam promptè Deum pro defuncti reſurrectione propheta orauit? Cur ſtatim omnia reliquit, & mulierem exaudiens, precibus vacauit? Cur tandem omnium primus auſus eſt petere priſtinam mortuo vitam? Quia mater defuncti pueri ſuis eum eleemoſynis paſcebat. Ita dubium ſoluit Abulenſis quæſt. 125. in hunc locum.

Abulenſis.

Elias condolens viduæ Sareptbanæ, QVAE PASCEBAT EVM *ſuſcitauit filium eius.* Pauperis, quem paſcebat, precibus, defunctum filium mater adiuuit, eique vitam amiſſam impetrauit.

Pauperes mā ducantes panem doloris pro mortuis erant.

7 Nec mirum, nam tenentur pauperes, quibus pro animabus defunctorum eleemoſyna erogatur, pro ipſis effundere preces. Hùc ſpectauit Dauid, cùm dixit. *Surgite, poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Pſal. 126. 2. Quis eſt enim panis doloris, niſi panis, quem propinqui, & heredes lugentes, ac dolētes pauperibus diſtribuunt in funeribus mortuorum? Debent igitur pauperes, qui hunc panem comedunt, poſtquam comederint, ſurgere, ac pro defunctorum animabus orare. Hæc debemus B. Vmberto 2. par. ſer. 100.

B. Vmbertus.

Panis ſiquidem doloris eſt panis pro mortuis, qui ſunt in dolore PVRGATORII, *exhibitus, poſtquam comeſtus fuerit, ſurgendum eſt ad ſubueniendum eis.* Prodeſt Eleemoſynæ ſuffragium defunctis, non tantùm ratione ſui, ſed etiam quia pauperes obligat ad effundendum preces pro ipſis. Hinc Ioannes Bromyardus in ſummâ Prædicantium Literâ M. 11. 120. pauperes mortuorum procuratores appellat. *Date* PROCVRATORIBVS MORTVORVM, *ideſt pauperibus.* Pauperes, quibus eleemoſyna erogatur, pro animabus defunctorum ſatagunt, eiſque perpetuæ gloriæ vitam procurant.

Diuitiæ pauperibus erogatæ animam redimunt à pœnis Purgatorij.

8 Hinc dixit Salomon, theſauros diuitiarum eſſe redemptionem animarum. *Redemptio animæ viri diuitiæ ſuæ.* Prouerb. 13. 8. Redimunt quippè à tribulationibus inferni animas viuorum, & à pœnis Purgatorij ſpiritus mortuorum. Accinit Hugo Cardinalis.

Hugo Card.

Diuitiæ ſunt redemptio animæ eorum, quia per illas liberantur à tribulationibus inferni, & ETIAM PVRGATORII. Non tantùm diuitiæ pauperibus erogatæ ad pœnitentiam excitant, & ab inferno liberant viuos, ſed etiam ad gloriam euehunt, & à Purgatorio eripiunt defunctos.

Etiā ſi à malis erogentur eleemoſynæ, iuuant defun

9 Quin & illud valdè adnotādum eſt, eleemoſynas quoq; malorum pro defunctis erogatas, eis prodeſſe, quatenùs videlicet pauperes, quibus erogantur, eorum animabus æternam requiem deprecan-

dos, cura pro eis pauperes orent.
D. Antonin.

precantur. Præiuit D. Antoninus in ſummâ 1. par. tit. 5. cap. 2. *Per* ELEEMOSYNAM *mali homines pauperes excitati orant pro defunctis.* Nunquam ſine fructu eleemoſynæ ſuffragium impenditur defunctis, ſed tunc etiam cùm erogatur à malis eis prodeſt ratione precum, quas pauperes, quibus erogatur, pro illis effundunt.

Mortui amici ſunt de mãmonâ iniquitatis facidã.

10 Hortatus eſt nos Dñus, vt nobis amicos faciamus de mãmonâ iniquitatis, cuius nomine diuitiæ intelligũtur. *Et ego vobis dico, Facite vobis amicos de mãmonâ iniquitatis, vt cũ defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 16. 9. Cæterùm qui ſunt hi amici, quos nobis diuicijs comparare debemus? Defuncti, quos eleemoſynas erogantes adiuuare, ac nobis amicos reddere debemus. Hæc ſunt Verba D. Vincentij Ferrerij Dom. 9. poſt Trinitatem. *De diuitijs, quæ aſſociant vos in delicijs, ſed in tranſitu periculoſo mortis deſerunt dominum ſuum, de his lucrandi ſunt amici, ſcilicet mortui. Heredes, & manumiſſores mortui deberent dicere. O' peſſimæ diuitiæ, dimiſiſtis Dominum veſtrum, certè vos ibitis cum eo, dantes eas in miſſis,* ELEEMOSYNIS. *Sic ſequuntur Dominum ſuum, & mortui efficiuntur tunc amici veſtri.* Eleemoſynis pro eorum animabus erogatis debemus defunctos reddere nobis amicos, cùm enim hoc ſuffragio valdè adiuuentur, amiciſſimi eis redduntur, à quibus eo ſubleuantur.

D. Vinc. Fer.

Qui non poteſt multam, debet modicã pro defunctis erogare eleemoſynam.
Lucas Tud.

11 Quòd ſi quis propter penuriam non poteſt eleemoſynarum copiâ ſuffragari defunctis, ſaltem non negligat modicum pro eis erogare, digiti ſui extremum intingens, vt aliquâ eleemoſynæ guttulâ ſubueniat animabus, quæ in Purgatorij flammis cruciantur. Appoſitè Lucas Tudenſis in Bibliothecâ veterum Patrum lib. 1. cap. 17. *Si tanta eſt penuria, vt ad calicem aquæ frigidæ dandum non ſufficiat, intingat ſaltem extremũ digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam proximi in flammâ ignis* PVRGATORII *patientis. Quid eſt extremum digiti ad refrigerationem linguæ in aquam intingere, niſi aliquod pietatis opus quantumcumque minimum pro abſolutione alicuius mortui operari?* Aquâ prorsùs eleemoſynæ refrigerandę ſunt Animę in Purgatorio cruciatæ, & qui non poteſt multam, ſaltẽ modicã debet pro eis erogare eleemoſynã.

Gentiles pecunias diſtribuerunt in exequijs mortuorum.
Liuius.

12 Hoc ſuffragio videntur Gentiles quoque pietatem ſuis exhibuiſſe defunctis, nam in eorum funeribus pecunias plurimas erogare ſolebant. Liuius de funere loquens P. Valerij Conſulis ait. *In conſulis domum plebes quadrantes, vt funere ampliore efferretur iactaſſe fertur.* In exequijs quoq; Q. Fabij Maximi, vt refert Valerius Maximus lib. 5. cap. 2. pecunias populus cõtulit. *Aes certatim contulit, quò maior, ac ſpecioſior eius funeris põpa duceretur.* Eodẽ modo funeratus eſt Menenius Agrippa, de quo Seneca in conſolatione ad Heluiã. *Menenius Agrippa, qui inter patres, ac plebẽ publicæ gratiæ ſequeſter fuit, ære collato funeratus eſt.* Iulius etiã Capitolinus in M. Anton. Philoſopho ait. *Tãta clemẽtia fuit, vt & ſũptu publico vulgaris funera iuberet fieri.* Vides, quomodo Gẽtiles quoq; eleemoſynas in exequijs cõtulerint mortuorum.

Valer. Max.
Seneca.
Iulius Capit.

Epulum pauperibus, & plebi in funeribus exhibitum.
Dio.
Cicero.

13 Hinc ortus eſt mos, quo plebi, ac pauperibus epulum in funeribus exhibebant. Vndè Dio lib. 37. Rom. hiſt. *Sub idem tempus Fauſtus Sylla filius ludos gladiatorios in honorem patris exhibuit, populumq;* LAVTO CONVIVIO *excepit, ipſiq; balnea, & oleum donauit.* Et Cicero Oratione pro L. Murænâ. *Cùm* EPVLVM *Q. Maximus Africani patrui ſui nomine populo daret.* Et Suetonius in Iulio Cęſare cap. 26. *Munus populo,* EPVLVMQVE *pronũciauit in filiæ memoriam, quod antè eum nemo.* Viſcerationes etiam celebrabant, quæ erant munera populo in funeribus exhibita, hoc nomine appellata, quia ex carnibus animalium cõſtabant. T. Liuius lib. 8. *Populo* VISCERATIO *data à M. Flauio in funere matris.* Et lib. 39. *P. Licinij funeris causâ* VISCERATIO DATA. Animaduerte, quâ liberalitate ſua pauperibus erogabant, vt defunctorum exequias, & memoriam honorarent. Agnoſcere quippè ſuboſcurè ipſi quoque videbantur, Eleemoſynæ ſuffragio Animas ſubleuari mortuorũ.

Suetonius.
Viſceratio in eiſdem collata.
Liuius.

CAPVT VIII.

Defunctis pietas exhibetur, dum hoſpitalitate pauperibus victus erogatur.

Elias filium viduæ Sarepthane ſuſcitauit propter eius hoſpitalitatem.

1 Hoſpitalitatis quoque virtute affertur non modica vtilitas defunctis. Quod oſtendit in primis vidua illa Sarepthana, quæ mortuum filium ſuſcipiens, attulit Eliæ prophetæ, vt ſuis eũ precibus ad priſtinam vitam reuocaret. Quã vt propheta vidit, cõfeſtim exaudiuit, & factâ oratione filio eius vitã impertiuit. *Et exaudiuit Dominus vocẽ Eliæ, & reuerſa eſt anima pueri intrà eum, & reuixit.* 3. Reg. 17. 22. Hoſpitio excipiebat mulier iſta ſanctũ prophetã, hacq; hoſpitalitate pietatẽ, ac vitã defuncto filio celeriter impetrauit. Affero verba Chriſtiani Druthmari in Bibliothecâ veterũ Patrũ cap. 28. in Matthæũ. *Illi, qui recipiebant prophetas, quando circumibant terrã Iudæorũ, docendo, vt legimus in libris Regum, quòd & cellas illorũ, & vtentiſilia habebant eis parata, receperunt à Deo mercedẽ, quia in nomine Domini fecerũt eis obſequia, vndè illa mulier recepit filiũ ſuum reſuſcitatum ab Elia.* Hoſpitalitas, quâ benignè mulier exceperat Eliam puero profuit defuncto, eiq; priſtinã obtinuit vitam. Quod & docuit clariſſimè D. Epiphanius lib. de vitâ, & interitu Prophetarũ. *Reſuſcitauit eum Deus per Eliã, reſtituitq; ipſũ ſuæ genitrici viuentem* PROPTER HOSPITALITATEM. Multã defunctis affert hoſpitalitas vtilitatem, ideòque mulier, quæ prophetam hoſpitabatur, vitã defuncto filio impetrauit.

Chriſt. Drut.
D. Epiphan.

Hanc ob rationem in ſuâ oratione fecit hoſpitij mentionem.

2 Hinc Elias, cùm ad Dominũ pro pueri vitâ clamauit, hoſpitij meminit, & ſuſtentationis, quã à vidua muliere accipiebat. *Et clamauit ad Dominũ, & dixit, Domine Deus meus etiamne viduã, apud quã ego vt cumq; ſuſtentor, afflixiſti, vt interficeres filium eius.* 3. Reg. 17. 2. Nouerat Elias valdè hoſpitalitate adiuuari defunctos, vndè ut mortui à Deo impetraret reſurrectionem, matris attulit hoſpitalitatẽ. Rectè Ioſeph Hebræus lib. 8. Antiquit. Iudaic. cap. 7. *Iubet eam ſibi tradere filium, breui recepturã viuum, acceptũq; mox in propriũ cubiculum detulit, quo depoſito ſuper ſuum lectulũ, exclamauit*

Ioſeph Hebr.

Digitized by Google

maut ad Deum non bonam HOSPITII *gratiam altri- ci relatam, extincto ipſius puero, rogabatque, vt re- miſſo ſpiritu vitam ei reſtitueret.* Hoſpitij mentio- nem Elias fecit, vt facilè vitam defuncto impe- traret, nam facilè mortuis Deus pietatem impē- dit, cùm hoſpitalitate viui eos adiuuare ſatagūt.

Eliſaus item filio Sunamitidis vitam impertiuit, vt reſolueret hoſpitij mercedem.

3 Nec minùs, quàm Elias, hanc veritatem cōmprobauit Eliſæus, qui Sunamitidis filium ex- tinctum ſuis precibus ad vitam reuocauit. *Ingreſ- ſus eſt ergò Eliſæus domum, & ecce puer mortuus ia- cebat in lectulo eius, ingreſſuſque clauſit oſtium, ſuper ſe, & ſuper puerum, & orauit ad Dominum.* 4. Reg. 4. 32. Nec enim ob aliam rationem tantâ pieta- te pro eo Deum orauit, tantâque celeritate vitā illi obtinuit, niſi quia eius mater cœnaculum pro- phetæ faciens, multâ charitate hoſpitio eum trā- ſeuntem excipiebat. Disertè hoc aſſerit D. Ambr. lib. 1. de Abraham c. 5. *Eliſæus defuncti pignoris re- ſuſcitatione donatā, reſoluit* HOSPITII *penſionem.* Ex hoſpitalitate, quâ benignè mater prophetam excepit, vtilitatem defunctus retulit, & priſtinā mox vitam recuperauit, vt nobis conſtaret ho- ſpitalitatis virtute adiuuari defunctos.

D. Ambr.

Rachel propter hoſpitiū plorauit mortuos Bethleemitas.

4 Non erit ab eo, de quo agimus alienus lu- ctus, quo Rachel Bethleemitas defunctos piè plo- rauit, de quo Matthæus ait. *Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans fi- lios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Matth. 2. 18. Statim autem dubium inſurgit, quomodo Be- thleemitæ defuncti dicantur filij Rachelis, cùm eſſent ex tribu Iuda, qui erat filius Liæ. An pote- rant duas habere matres à quibus geniti fuiſſent? Nequaquam; ſed Lia erat eorum mater naturâ, Rachel verò pietate, ac dilectione. Vndè verò tā- ta pietas, ac dilectio Racheli, vt eos lugeret, vt fi- lios, niſi quia Bethleemitæ in ſuis monumentis hoſpitio exceperant illius cadauer. Audiamus, quid dicat D. Hieronymus in catenâ. *De Rachel natus eſt Beniamin, in cuius tribu non eſt Bethleem. Quæritur ergò, quomodo Rachel, filios Iudæ, id eſt fi- lios Bethleem, quaſi ſuos ploret? Reſpondemus breui- ter, quia ſepulta eſt iuxtà Bethleem in Ephratâ, & ex corpuſculi* HOSPITIO *matris nomen accepit.* Hoc ſuis defunctis Bethleemitæ comparauerunt, ho- ſpitio corpus Rachelis excipientes, quòd eorum mater facta eſt, eoſque non ſecùs ac ſi proprij eſ- ſent filij, pio, atque ingenti honorauit luctu.

D. Hieronym.

Iudæi hoſpitalitatem ſecta bātur, vt ſuis mortuis pietatem efferrent.

5 Caput abſoluo, dum Iudæorum decretum expendo, quo pretio ex Chriſti venditione colla- to, & à proditore in templum proiecto, agrū pro ſepulturā peregrinorum emere ſtatuerunt. *Conſi- lio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepul- turam peregrinorum.* Matth. 27. 7. Cur potiùs hac pecuniâ peregrinis, quam ſuis monumenta con- ſtruere voluerunt? Cur nō pro Ieroſolymitis ege- nis, ac proprio ſepulcbro carentibus agrum illum emerunt? Cur demùm tantam curam ergà pere- grinos oſtenderunt? Quia hoſpitalitate cupiebāt prodeſſe defunctis. Adeſt Theophylactus. *Diſce autem & hoc, quòd & apud Iudæos fuerit in pretio* HOSPITALITAS, *vndè in ſepulturam peregrinorum agrum illum emerunt.* Magna hoſpitalitate pietas impenditur defunctis, quare Iudæi, vt ſuis mor- tuis vtilitatem afferrent, ergà peregrinos benè affecti, hoſpitalitatis virtutem ſectabantur. Iam igitur ſatis patet, defunctis pietatem exhiberi, dum hoſpitalitate pauperibus victus erogatur.

Theophylact.

CAPVT IX.

Abſtinentiæ rigore mortuos adiuuare debemus.

Viri Iabenſes abſtinētia ſuffragio mortuis pietatem impenderunt.

1 ABſtinentiam viuorum Animabus pro- deſſe mortuorum, oſtenderūt viri Ia- hes Galaad, qui vt audierunt corruiſ- ſe in prælio Saul, eiuſq; filios, audacter ad caſtra hoſtium acceſſerunt, mortuorumq; cadauera ibi ſuſpenſa intrepidè tulerunt, atque ad propria re- meantes, honorificè ſepelierunt. His autem om- nibus longam abſtinentiam addētes, ſeptem die- bus ieiunauerunt. *Et tulerunt oſſa eorum, & ſepe- lierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt ſeptem die- bus.* 1. Reg. 31. 13. Cur verò tamdiù in mortuo- rum exequijs abſtinuerūt, niſi vt eorum peccata delerent, ac pro pœnis, quibus ob culpas patra- tas obnoxij erant, ſatisfacerent? Accipe verba Dionyſij Carthuſiani in c. 10. lib. 1. Paralipom. *Pro peccatis defunctorum* ABSTINENTIAM *illam pœ- nitentialiter complenerunt.* Abſtinentiæ ſuffragium pœnas tollit, quæ peccatis debentur mortuorum, quapropter Iabenſes abſtinētiā ſuā mortuis prin- cipibus prodeſſe curauerunt.

Dion. Carth.

Ab omnibus delectationibus in eorum funere abſtinuerant.

2 Nec tantùm à cibo, ſed & ab omnibus dele- ctationibus hi viri, vt mortuis iſtis pietatem im- penderent, abſtinuerunt. Quod tradit Abul. in c. 31. lib. 1. Regum. *Erat iſtud ieiunium ſecundùm mo- rem Hebræorum, in his enim diebus* ABSTINEBANT *Iudæi ab omnibus delectationibus.* Vt abſtinentiæ ſuffragio defunctis, quorum funera celebrabant, vtilitatem afferrent, nedum à cibo, ſed à cæteris etiam quibuſcumque iucundis abſtinuerunt.

Abulenſis.

Dauid in funere Abner à cibo, & potu abſtinuit.

3 Quod imitatus Dauid in funere Abner, iu- ſtis funebribus expletis, cum cæteris recumbere noluit, ſed nec panem, nec aliud quicquam ſume- re, iuramento præſtito, conſtituit. *Cùmque veniſ- ſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid, cla- râ adhuc die, iurauit Dauid dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi antè occaſum ſolis guſtauero panem, vel aliud quicquam.* 2. Reg. 3. 35. Quibus verbis non tantùm à cibo, vt in ieiunio ſolemus, ſed etiam à potu, & à quocumque alio ad cibum, vel potum ſpectāte, ſe velle in defunctorum gra- tiam abſtinere indicauit. Hoc voluit idem Abul. *Dauid fortè voluit ſe obligare, non ſolùm ad non comedendum, ſed etiam ad non bibendem ideò dixit, quòd non guſtaret panem, vel quicquam aliud, ſcilicet per- tinens ad cibum, vel ad potum.* Abſtinentiæ rigo- re cupiens prodeſſe Abner defuncto, non tantùm quę ad cibum, ſed etiam ea reſpuere voluit, quæ pertinebant ad potum.

Idem.

Aegyptij à delicatioribus epulis in funeribus abſtinent.

4 Nec aliter in Regum ſuorum funeribus Æ- gyptij ſe gerunt, qui à delicatioribus epulis abſti- nentes, neque carnes comedunt, neque vinum bi- bunt, ſed omnia reſpuentes oblectamenta, de- functo parentant. Narrat hoc Diodorus Siculus lib.

Diod. Sicul.

lib. 1. cap. 3. *Cibis animantium, coli ſque, ac vino, omnique menſæ apparatu* Abstinent. Abſtinentiæ vacant, vt mortuis regibus pietatem impendant, cibumque, ac potum conſuetum ſibi ſubtrahunt, vt eorum exequias honorent.

Herodes à cibo, & ſermone in funere filij abſtinuit.

5 Quod & in funere filij egit Herodes, qui à cibo, ſermone, & quibuſcumque alijs abſtinens, ſoli dolori operam dedit, & amiſſum Pacorum inconſolabiliter luxit. *Horodes* inquit Iuſtinus Hiſtoricus lib. 42. *pater Pacori, qui paulò antè vaſtatam Syriam, occupatam Aſiam à Parthis audierat, victoremque Pacorum Romanorum gloriabatur, repentè filij morte, & exercitûs clade auditâ, ex dolore in furorem vertitur. Multis diebus non alloqui quêquam, non cibum ſumere, non vocem mittere, ita vt etiam mutus factus videretur.* Vide, quo rigore in filij funere pius pater abſtinuerit, quâque pietate, vt eum miſeratione proſequeretur, omnia ſibi ſubtraxerit.

Iuſt. Hiſtor.

Alexander principibus Macedonum quatriduanâ abſtinentiâ parentauit.

6 Nec minùs pium ſe in funere principum Macedoniæ Alexander exhibuit, qui quatriduanâ eis abſtinentiâ parentauit. Proferenda ſunt verba, quæ habet idem Iuſtinus lib. 12. *Tunc Parmenion, & Philotas, tunc Amyntas conſobrinus, tunc nouerca fratreſque interfecti, tunc Attalus, Eurylocus, Pauſanias, aliique Macedoniæ extincti principes occurrebant. Ob hæc illi quatriduò perſeuerata inedia eſt.* O' pium non minùs, quàm inuictum Regem, qui tantâ defunctis abſtinentiâ parentare decreuit.

Idem.

Achilles à cibo, & potu abſtinuit, donec Patroclum humaret defunctum.

7 Inſigne quoque huius Abſtinentię ſpecimen exhibuit Achilles apud Homerum Iliade 19. qui nec cibum, nec potum ſumere voluit, antequam extinctum cremaret, atque humaret amicum.

Ante verò nequaquam mihi carum per guttur deſcendent
Nec potus, neque cibus amico mortuo,
Qui mihi in tentorio confoſſus acuto ære
Iacet ad ianuam pedibus conuerſus.

Homerus.

Abſtinentiâ pietas exhibenda eſt defunctis, quare Achilles, vt mortui miſereretur Patrocli a cibo abſtinuit, & potu.

Siſigambis, Charite, & nonnulli canes inediâ mori in exequijs voluerunt.

8 Quod imitata Siſigambis Darij mater, vt Alexandri Magni mortem audiuit, cibo abſtinuit, & dolore oppreſſa voluntariâ ſibi abſtinentiâ mortem inflixit. Refert hoc Philippus Beroaldus in lib. 8. Apuleij. *Siſigambis Darij mater auditâ Alexandri Magni morte, ſuccumbens dolori, cibo pariter abſtinuit.* Animaduerte, quàm diuturnam in Regis morte regia mulier exhibuerit abſtinentiam, quæ mori potiùs, quam ab hoc pietatis obſequio deſiſtere decreuit. Quod & agere voluit Charites in funere mariti apud Apuleium lib. 8. metamorph. quæ *inediâ miſera, & incuriâ ſqualida tenebris imis abſcondita cum luce iam tranſegerat.* Quæ magis explicans Beroaldus, ait, *ſenſus eſt. Deſtinauerat Charite mori inediâ.* Mortem elegit, vt inediâ, & abſtinentiâ exequias defuncti honoraret mariti. Quod & canem egiſſe in funere Iaſonis Lycij legimus apud Plinium lib. 8. cap. 40. *Canis, Iaſone Lycio interfecto cibum capere noluit, inediâque conſumptus eſt.* Idemque de alio tradit Ælianus lib. 10. de hiſtoriâ Animalium c. 41. qui Eupolide mortuo, *non tantùm vlulatu primùm illius exceſſum è vitâ luxit, ſed deindè mœrore, inediaque extabuit.* Nimirùm Animalia quoque ratione carentia pro defunctis abſtinentiam exhibuerunt, & vnà cum eis inediâ mori non timuerunt.

Beroaldus.

Apuleius.

Aelianus.

In funeribus ignis non accendebatur, quo dapes condirentur.

9 Pergo, & addo abſtinentiam ita viguiſſe apud antiquos in exequijs mortuorũ, vt nec ignẽ accendere conſueuerint, quo cibi condiuntur. Vndè Apuleius lib. 2. Metamorph. *Abi fatue, qui in domo funeſtâ cœnas, & partes requiris, in quâ totiugis iam diebus, ne fumus quidem vllus viſus eſt, &* Iuuenalis lib. 1. Satyrâ 3.

Tunc gemimus caſus vrbis, tunc odimus ignem

Hinc ignis extinctus funera, & exequias portendebat. Vndè Artemidorus lib. 2. de ſomnijs c. 9. *Ignis extinctus inopiam innuit, & ſi in domo ſit æger mortem portendit.* Adeò in luctu, & funeribus antiqui abſtinentiæ vacabant, vt nec ignem accendere conſueuerint, quo cibos coquerent, aut condirent. Quod multos in morte Pelopidæ egiſſe Plutarchus teſtatur his verbis. *Multos* (fama eſt) *cùm in tentoria ſe recepiſſent, nec ignem accendiſſe, nec cibum cepiſſe.* Ignem non accendebant, vt cibo abſtinerent, ſuâque abſtinentiâ defunctorum exequias honorarent.

Apuleius.

Iuuenalis.

Artemidor.

Plutarchus.

Apoſtolus Iacobus diuturnâ abſtinentiâ Chriſtum defunctum honorauit.

10 Illud tandem, tanquam Capitis coronidẽ adijciam, Apoſtolum Iacobum in Chriſti morte ab omni cibi genere abſtinuiſſe, atque ad hãc abſtinentiam voto ſe obſtrinxiſſe. Quamobrem Chriſtus à mortuis reſurgens ei apparuit, atque vt comederet, iam funere tranſacto ſuaſit. *Deindè viſus eſt Iacobo.* 1. Corinth. 15. 7. Hoc ex D. Hieronymi ſententiâ tradit D. Bernardinus tom. 2. ſerm. 58. in die Reſurrectionis cap. 2. *Hieronymus refert, quòd dolore mortis ſauciatus, ſe nunquam comedere vouerat, niſi Chriſtum videret reſurrexiſſe à mortuis. Huic ergò apparuit Dominus, & dixit ei, & his, qui cum eo erant, ponite menſam, deindè panem accipiens, dedit ei dicens, Comede frater dilectiſſime, quia filius hominis reſurrexit à mortuis.* Verè digna fuit adeò diuturna abſtinentia, quâ Chriſtũ defunctum honorauit, vt magno præmio afficeretur, vndè & peculiarem meruit eius reſurgentis apparitionem. Abſtinentiæ itaque rigore mortuos adiuuare debemus.

D. Bernard.

CAPVT X.

Ieiunij ſuffragio defunctorum miſereri tenemur.

Ieiunij ſuffragio ad viſionẽ Dei animæ pertingunt.

1 IEiunij ſuffragium Animabus prodeſſe defunctorum ex eo in primis colligere licet quod Moyſi contigit, qui quadragenario ſe affligens ieiunio, cum Deo meruit facie ad faciem loqui. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuũ.* Exod. 33. 11. Hoc videlicet ideò accidit, vt agno ſceremus ieiunij ſuffragio animas ad viſionem per-

pertingere Dei, claramq; illius faciem intueri. Annuit Euſebius Emiſſenus homiliâ de initio Quadrageſimæ. *Beatum Moyſen per quadragenarium continuatæ abſtinentiæ ſacrificium cœleſtis colloquij legimus acquiſiuiſſe conſortium, ſic enim habemus, loquebatur ad Moyſen Dominus facie ad faciẽ, ſicut ſolet homo loqui ad amicum. Hoc ideò legimus, vt intelligamus hominibus purificatione* IEIVNII *viciniam Dei, præſentiamq; conferri.* Ieiunio Dei præſentiam animę acquirunt, vndè vt animæ defunctorum ad Diuinam, quam tantoperè exoptant, præſentiam pertingant, ieiunij ſuffragium eſt pro illis exhibendum.

Euſ. Emiſſen.

2 Hinc iuſſit Deus populo ſuo, vt decimâ die menſis ſeptimi, omnes animas ſuas affligerent, nullumque in eâ opus exercerent. *Menſe ſeptimo, decimâ die menſis affligetis animas veſtras, nullumq; opus facietis.* Leuit. 16. 29. Quæ autem afflictio hæc erat, quam Iſraëlitarum populo Deus præcepit? Ieiunium pro animabus mortuorum ſoluendum. Ita cenſet Petrus Comeſtor cap. 22. in Leuiticum. *Dicebatur etiam dies afflictionis, quia eâ die* IEIVNABANT *homines, & iumenta, etiam pueri ſeptennes, & agebatur eâ die memoria mortuorũ.* Quæ repetens cap. 46. in librum Numerorum, ait. *Eâ die* IEIVNABANT *homines, & iumenta, & pueri ſeptennes à veſperâ vſque ad veſperam pro memoriâ mortuorum.* Magnam defunctis vtilitatem affert ieiunij ſuffragium, & iccircò eâ die præcepit Deus celebrari ieiunium, quâ memoria agebatur mortuorum.

Deus Iſraelitis ieiunium pro mortuis præcepit.

Petrus Com.

3 Hoc agnouerũt viri Iabes Galaad, qui poſt ſublata è caſtris Philiſthæorum Saul, eiuſque filiorum cadauera ignominiosè ibi pendentia, ea ſepelierunt, ac ſeptem diebus ieiunauerunt. *Et tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerũt ſeptem diebus.* 1. Reg. 31. 13. Quod ieiunium adeò diuturnum vt quid ſeruauerunt, niſi vt eo defunctorum ſpiritibus, quorum cadauera ſepelierant prodeſſent? Nouerant videlicet magnam ieiunij ſuffragio vtilitatem afferri defunctis. IEIVNAVERVNT *ſeptem diebus*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *in ſignum mœroris, & luctûs, & pro defunctorum ſpiritibus.* Vt defunctorum ſpiritus adiuuarent, ſeptem dierum ieiunio ſe afflixerunt, nam magnam, cùm ieiunant, mortuis pietatem impendunt viuentes.

Viri Iabes pro defunctis ſeptem diebus ieiunauerũt.

Dion. Carth.

4 Hanc pietatem imitati ſunt Dauid, & viri, qui erant cum eo, nam vt audierunt Saul cum populo, qui ad prælium profectus fuerat, corruiſſe fleuerunt, & vſque ad veſperam ieiunauerunt. *Et planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionatham filiũ eius, & ſuper populum Domini, & ſuper domum Iſrael, eò quòd corruiſſent gladio.* 2. Reg. 1. 12. Ieiunij ſuffragio debent viui pietatem impendere mortuis, ideòque Dauid, & viri eius pro mortuorum animabus ieiunauerunt. Appoſitè idem Carthuſianus. IEIVNABANT *autem ex mœrore, & forſan pro animabus occiſorum, vt citiùs transferentur de* PVRGATORII *pœnis ad Lymbum Patrum. Quod de Dauid, & cæteris deuotioribus credi plus poteſt.* Vim habet ieiunium ferendi è Purgatorio animas mortuorum, quam vim Dauid, cæterique, qui cũ eo erant, agnoſcentes, hoc ſuffragium pro interfectorum principum, ac militum animabus pietate multâ exhibuerunt.

Dauid ieiunit pro mortuis, vt à Purgatorij pœnis eruerentur.

Idem.

5 Nec obſtat, quòd tantùm die vnâ Dauid ieiunauerit, nam etiam hoc vnico ieiunio magnã ergà defunctos miſericordiam oſtendit. Ieiuniũ quippè eſt ſuffragium adeò vtile defunctis, vt etiã vnicâ die pro eis impenſum magnæ ſit ergà eos effectus pietatis. Audiendus Abulenſis quæſt. 19. in cap. 31. lib. 1. Regum. *Non* IEIVNAVIT, *niſi die vno, quia etiam ad hoc non tenebatur, ſed fecit ad oſtẽdendam miſericordiam, quam præſtabat funeri Saul.* Magnam oſtendit miſericordiam, qui mortuos ieiunij ſuffragio adiuuare conatur, vndè licet Dauid vnicâ die pro defunctis ieiunauerit, multam eis tamen hoc ieiunio miſericordiam impendit.

Multam eis hoc ieiunio pietatem impendit.

Abulenſis.

6 Similem etiam pietatem oſtendit Dauid in funere Abner, poſt cuius exequias cùm vniuerſus populus ad eum veniſſet, vt vnà cum illo comederet, ipſe comedere noluit, ſed vſque ad veſperam pro defuncto ieiunauit. *Cumque veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid, clarâ adhuc die iurauit Dauid, dicens; Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi antè occaſum Solis guſtauero panẽ, vel aliud quicquam.* 2. Reg. 3. 35. Cur autem hoc ieiunio ſe afflixit, & à quocumque cibo abſtinere iurauit, niſi quia ieiunium eſt certum pietatis ergà defunctos indicium? Subſignat Abulenſis. *Quia* IEIVNARE *pro mortuis eſt magnum ſignum doloris de morte eorum, ſub iuramento pollicitus eſt, quòd nihil guſtaret.* Ieiunauit Dauid in morte Abner, quia ieiunium eſt maximum doloris, ac pietatis ergà defunctos ſignum.

In funere Abner item ieiunauit.

Abulenſis.

7 Quod ieiunium vt populus vidit, valdè approbauit, atque laudauit. *Omniſque populus audiuit, & placuerunt eis cuncta, quæ fecit rex in conſpectu totius populi.* 2. Reg. 3. 35. Non poterat quippè ſuffragium adeò efficax pro defunctis populus nõ commendare. Aptè Caietanus. *Bonum iudicatum eſt regis* IEIVNIVM, *quemadmodum vniuerſum officium, quod exhibuit Rex in luctu Abner, viſum eſt bonum.* Valdè commendabile eſt ieiunij ſuffragiũ pro defunctis exhibitum, quapropter non potuit populus non commendare, atq; approbare ieiunium, quo Dauid in morte Abner ſe afflixit, eiq; pietatem impendit.

Hoc ieiunium populus approbauit.

Caietanus.

8 Pugnauerunt reliquæ tribus Iſrael contrà tribum Beniamin, omneſq; Beniamitas, præter ſexcentos, qui in ſolitudinem fugerant, penitùs deleuerũt. Cæterùm cùm id egiſſent, doluerũt, quòd ferè integram tribum deſtruxiſſent, & ideò pœnitentiam egerunt. *Vniuerſuſq; Iſrael valdè doluit, & egit pœnitentiam ſuper interfectione vnius tribus ex Iſrael.* Iudic. 21. 25. Quòd ſi quæratur, quam pœnitentiam egerint in morte Beniamitarum cæteri Iſraëlitę, in promptu eſt reſponſio Ioſeph Hebręi, qui ait eos ieiunio ſe afflixiſſe. *Quamuis iuſtis armis oppreſſos cenſerent, vt qui cõtrà leges diuinas peccauerant,* IEIVNIVM *tamen indixerunt ob eorum exitium.* Aptiſſimum eſt pro defunctis ieiunij ſuffragium,

Pro Beniamitis mortuis reliquæ trib° Iſrael ieiunauerunt.

Ioſeph Hebr.

Digitized by Google

gium,atq;ideò vt mortuis Beniamitis pietatẽ impenderet, ieiuniũ reliquus populus Iſraël indixit.

Ieiunandum eſt pro animabus in Purgatorio captiuis.

9 Hoc etiã patet ex eo, quod Nehemias egit, cũ audiuit filios Iſraël in captiuitate affligi, nã diebus multis luxit,& ieiunauit. *Cùmque audiſſem verba huiuſcemodi, ſedi, & fleui, & luxi diebus multis,& ieiunabam, & orabam antè faciem Dei Cæli.* 2. Eſdr.1.4. Quid autem hoc indicat, niſi animas mortuorum in Purgatorio captiuas eſſe ieiunij ſuffragio adiuuandas? Hoc tradit Ioannes Gritſch. ſer. 2. *Cognatorum* Ieivnio *Animæ liberantur. Figuratur Nehemiæ, vbi legitur, quòd Nehemias luxit, & ieiunauit multis diebus pro filijs Iſrael captiuatis, & liberati fuerunt, ſic & animæ.* Ieiunij ſuffragium animas adiuuat mortuorum, eiſque prodeſt, dum in Purgatorij flammis captiuæ morantur.

Io. Gritſch.

D. Hieronym. vidua in morte mariti ieiunium commẽdat.

10 Hinc D. Hieronymus ad Saluinam ſcribens, ei commendat in morte mariti ieiunium, nihil oſtendens eam neceſſe habere præter hoc ſuffragium, eſt nimirùm neceſſarium, quod pro mortuis exhibetur ieiunium. *Tu verò, quæ in tumulo mariti ſepeliſti omnes pariter voluptates, quæ litam purpuriſſo, & ceruſsâ faciem, ſuper feretrum eius lachrymis diluiſti, quæ pullam tunicam, nigroſque calceolos candidæ veſtis, & aurati ſocci depoſitione ſumpſiſti, nihil habes neceſſe aliud, niſi perſeuerare* In Ieivnio. *Pallor, & ſordes gemmæ tuæ ſint.* Vide, quàm elegantibus verbis in mariti morte ieiunij ſuadeat viduæ ſuffragium, & agnoſce impendendum eſſe pro defunctis hoc ſuffragium.

D. Hieronym.

Ieiunium ab Hebræis, & Sinis pro mortuis adhibitũ

11 Agnoſcunt hoc & Hebræi, apud quos nonnulli conſueuerunt quolibet anno ieiunare anniuerſariâ die, quâ mortui ſunt eorum parentes. Teſtatur hoc Rabbi Leo in ſuo Rituali 5. par. cap. 8. n.6. *Quidam* Ieivnare *ſolent quolibet anno, die, quâ defuncti ſunt eorum parentes.* Cognoſcunt ieiunium efficax eſſe pro defunctis ſuffragium, vndè mortuis parentibus quotannis ieiunio ſuffragari conantur. Quin & Sinæ ad ritus ſepulchrales, quibus ſingulis annis quater defunctis regibus, ac reginis parentant, ieiunio ſe comparant, vt tradit Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap.7. *Ad hunc ritum ſe aliquot diebus priùs comparant, indicto iuſtitio, &* Ieivniis, *quæ intrà domeſticos parietes religioſè obſeruant.* Religioſâ ieiunij obſeruatione mortuorũ memoriam colunt, hocque ſuffragio eis pietatem impendunt, nam ieiunij ſuffragio defunctorum miſereri tenemur.

Rabbi Leo.

Nic. Trigaut.

CAPVT XI.

Defunctis pietatem impendunt qui cilicio membra domant.

Iacob cilicio filio ſuo, quẽ defunctum credidit, pietatem impendit.

1 Hoc item pœnitentiæ opus prodeſt defunctis, quod colligere licet primò ex luctu, quo Iacob plorauit Ioſeph filium ſuum, quem à feris credidit laniatum, atq; interemptum, cilicio namque indutus, veſtimenta ſua ſcidit, & vberes lachrymas effudit. *Sciſſiſque veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* Gen. 47. 34. Cur enim cilicio ſe accinxit, niſi quia hoc ſuffragio animam filij, quẽ defunctum credebat, ſubleuare cupiebat. Ita docet, explicans hunc locum Dionyſius Carthuſianus. *Cur auxit ſibi afflictionem, induendo* Cilicivm? *An vt filio cariſſimo oſtenderet ſe condolere? Vel pro releuamine animæ eius.* Nouerat Iacob, deferentes cilicium ſubleuare animas mortuorum, quare vt filio, quem defunctum arbitrabatur, pietatem impenderet, cilicio eſt indutus.

Dion. Carth.

Reſpha mortuos cuſtodiẽs cilicium ſibi ſubſtrauit.

2 Quod & Reſpha egit, cùm filiorum cadauera in monte à Gabaonitis ſuſpenſa cuſtodiuit, cilicium enim ſuprà petram ſibi ſubſtrauit, atque ita cuſtodiæ obſequium eis impendit. *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſuprà petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de Cœlo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neq; beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. 10. Vide mulieris delicatæ, atque in regijs cubilibus cubare conſuetæ pietatem, quæ omnem abijciens pompam, ac delectationem, cilicium ſibi, vt defunctis miſericordiam impetraret, ſubſtrauit. O' verè præclaram, & egregiam ergà mortuos filios miſerationem, ac vere dignam, vt omnibus imitanda proponatur, qui ſuis cupiunt ſuffragijs adiuuare defunctos. Audiendus D. Bachiarius Epiſtolâ ad Ianuarium. *Mulier fuit concubina Saulis, quæ corpora defunctorum, quos David pro Gabaonitarum vltione percuſſerat, eò vſque accincta ſacco, hoc eſt* Cilicio *cuſtodiuit, donec eis roraret aqua de Coelo, ideſt donec pro venia eorum miſericordia coeleſtis ſtilla deflueret.* Vt defunctis filijs cœleſtem miſericordiam impetraret, cilicium ſibi ſubſtrauit, agnoſcens hunc pœnitentiæ actum valdè animabus prodeſſe defunctorum.

D. Bachiar.

In luctu antè qui accingebãtur cilicio.

3 Hortatus eſt Ieremias propheta vrbem Ieruſalem, vt luctui ſe dederet propter aduerſa, quę illi imminebant, ac quaſi lugens vnigenitum ſacco, ac cilicio accingeretur. *Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere in cinere, luctum dilecti fac tibi, planctum miſerabilem, quia repentè veniet miſeria ſuper vos.* Ierem.6. 26. Cur dum ad cilicium Ieroſolymam hortatur Propheta, luctûs meminit in vnigeniti morte exhibendi? An quia in mortuorum luctu cilicio ſe antiqui accingere ſolebant? Ita Michaël Ghiſlerius. *Accinctio* Cilicii *antiquitùs fiebat ad magnum conteſtandum moerorem, atque in luctu.* Dum mortuos lugebant, cilicio ſe accingebant, nam cilicij accinctione debemus pietate proſequi defunctos.

Mich. Ghiſl.

Sinæ in funeribus mortuorum cilicio induuntur.

4 Hoc agunt & Sinæ, qui dum parentes lugẽt, cilicinâ veſte induuntur, eiſq; pietatem exhibẽt, non tantùm effuſione lachrymarum, ſed etiam aſperitate veſtium. Accipe verba Nicolai Trigautij libro. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap. 7. *In luctu parentum filij* Cannarina Veste Asperrima *induuntur, primis ſaltem menſibus, & ipſa forma talaris tunicæ, pilei, calceorum ſatis abſona, primoque aſpectu miſerabilis, fune quoque propè nautico renes cingunt ad eum modum, quo Patres è D. Franciſci familiâ ſolent.* Cilicio vtuntur, vt parentes mortuos pietate proſequantur,

nam magnam vtilitatem defunctis afferunt, qui cilicio carnem ſuam pro eis accingunt.

Euſebius cilicio D. Hieronymi vitâ defuncto impertiuit.

5 Profero tandem id, quod D. Cyrillus aſſerit Epiſtolâ ad Auguſtinum, quæ habetur tom.9. operum D. Hieronymi. Refert quippè Euſebium D. Hieronymi diſcipulum præmiſsâ oratione, ac ieiunio ad tria defūctorū cadauera acceſſiſſe, atque illa cilicio, quo D.Hieronymus, dum viuebat, vti conſueuerat, tetigiſſe, ac protinùs eis vitæ ſpiritum infudiſſe. Voluit videlicet ſanctus iſte oſtendere, quantam cilicium afferat mortuis vtilitatem, dum eos cilicio, quo ſe viuens accinxerat, viuificauit. *Oratione finitâ* (verba ſunt Cyrilli) *ſingula* SACCO, *quo ſuprà carnem glorioſus Hieronymus vtebatur, tangens cadauera, protinùs in ea vitæ ſpiritum introduxit*. O' miram huius ſuffragij virtutem, quod nedùm animas ſubleuare, ſed etiam corpora valet interdum viuificare. Quis igitur non agnoſcit, eos defunctis pietatem impendere, qui cilicio membra domant.

D.Cyrillus.

CAPVT XII.

Mortuis proſunt qui mortificationis gratiâ flagellis ſe cædunt.

Monaci flagellis pro mortuis ſe cædentes.

1 HOc mortificationis opus, quod vulgò diſciplinæ nomine appellari ſolet, prodeſſe defunctis, conſtat in primis ex pio more, quo monaci Fontis Auelliani conſueuerant in morte cuiuſcumque fratris ſepties flagellis ſe cædere, vt illius animæ optatam requiem obtinerent. Quem morem ex B. Petro Damiano refert Guillelmus Pepinus ſerm. in die defunctorum. *Narrat Petrus Damianus, quòd in monaſterio ſuo Fontis Auelliani talis erat conſuetudo, quòd mortuo aliquo fratre, vnuſquiſque de ſuperuiuentibus ieiunabat ſeptem dies pro eo, inſuper* SEPTEM DISCIPLINAS CVM MILLENIS SCOPARVM ICTIBVS *accipiebat*. Vt mortuis pietatem exhiberent, ictibus flagellorum ſe cædebant, nam magnum defunctis miſerationis obſequium impendit, qui ſe propter eos flagellorum ictibus cædit.

Guil.Pepin.

D. Dominicus pro Animabus Purgatorij ſe flagellis cædebat.

2 Hinc etiam Diuus Dominicus qualibet ferè nocte pro Animabus Purgatorij ad ſanguinē vſque ſe cædebat, & vt eas ſubleuaret ferreâ catenâ ſe percutiebat. Hoc refert D. Antoninus 1. par.tit.5. cap.5. *De Beato Dominico legitur, quòd quaſi omni nocte* VNAM DISCIPLINAM *inter alias cum catenâ ferreâ vſque ad ſanguinem ſibi dabat pro ſubleuamine defunctorum.* Catenis ſe percutiebat, vt animas à Purgatorij catenis liberaret, & flagellorum ictibus ſe cædebat, vt æternam eis gloriæ vitam obtineret.

D.Antonin.

Flagellis, ac puncturis Gentiles in mortuorum funeribus ſe cædebant.

3 Hunc morē ſeruabāt & Gentiles, vndè prohibuit Deus Hebræis, ne in eorū errores inciderēt incisiones ſuprà defunctos. *Filij eſtote Domini Dei veſtri, non vos incidetis, nec facietis caluitium ſuper mortuo.* Deuter. 14.1. Vbi in Hebræo habetur לא תתגדדו. Verbum autem גדד propriè ſignificat multis punctionibus incidi. Quam ſanè inciſionem, quia ſuperſtitioſè fiebat, Deus prohibuit. Aptè Oleaſter. *Significat verbum* גדד *multiplicari per modum exercitus, aut congregari, aut cadere, vel incidi multis puncturis ad modum exercitûs, quomodo Gentiles ſolebant ſe* LVCTVS GRATIA INCIDERE. Flagellis, ac puncturis Gentiles in mortuorum funeribus ſe cædebant, quod ſi abſque ſuperſtitione feciſſent, ſanctè proculdubio egiſſent.

Oleaſter.

Idem mos ex Ieremia prophetiâ confirmatur.

4 Idem etiam conſtat ex prophetiâ Ieremiæ, qui peruerſis pœnam etiam poſt mortem comminatus, dixit eos neque ſepeliendos, neque eſſe à viuentibus plorandos. Sed inſuper addidit ſuperſtites non ſe in morte illorum inciſuros. *Et morientur grandes, & parui in terrâ iſtâ, non ſepelientur, neque plangentur, & non ſe incident, neque caluitium fiet pro eis.* Ierem. 16.6. Alluſit nimirùm propheta ad hunc morem, quo Iudæi quoque cōſueuerant in exequijs mortuorum ſibi lacertos, ac humeros incidere flagellis. Hoc explicatu donat locum iſtum Hugo Cardinalis. *Modus fuit apud veteres, & vſque hodie peruenit in quibuſdam Iudæorum, in luctu* LACERTOS INCIDERE, *quod etiā legimus Iob feciſſe*. Cenſebant antiqui mortuos adiuuari, cùm viui pro eis flagellis ſe cædūt, ideòque in mortuorum exequijs ſe flagellis incidebāt.

Hugo Card.

Aegyptij in ſuorum funeribus ſe verberabant.

5 Ægyptij quoque hunc morem in ſuorum funeribus obſeruabant, dum relicto cadauere domi, per vrbem ſe verberabant. Refert hoc Herodotus lib.2. *Relicto domi cadauere, ipſæ* (fœminæ) *per vrbem vagantes,* SE PLANGVNT, *ſuccinctæ, nudatis mammillis, & cum eis proximæ quæque. Alterâ ex parte viri & ipſi expectorati* SE VERBERANT. Hoc etiam inter cætera pietatis obſequia mortuis exhibuerunt, & ſe verberabant, vt miſerationem eis impenderent.

Herodotus.

In flammis rogi ſanguinē antiqui fundebant.

6 Addo, conſueuiſſe antiquos in flammis rogi ſanguinem effundere, vndè & ſeruos quandoque immolabant, vt ſanguine ſpargerent flammas. Hinc Virgilius lib. 10. Aeneidos.

Virgilius.

Quatuor hìc iuuenes, totidem quos educat Vfens,
Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris,
Captiuoque rogi perfundat ſanguine flammas.

Et lib. 11.

Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret vmbris
Inferias cæſo ſparſurus ſanguine flammas.

Seruius etiam in lib. 12. Aeneidos ait. *Moris fuerat, vt antè rogos humanus ſanguis effunderetur.* Alexander item Sardus l. 1. de moribus Gentiū c.24. *Hunni reddunt terræ corpus, & in illuſtrium virorum funere, capillis detonſis, vulnera in faciem ſibi faciūt, vt ſanguine plorent.* Credebant antiqui Gentiles, ſanguine effuſo animas adiuuari defunctorum, ac propterea, & ſe, & alios, vt ſanguinem effunderent, cædebant. Hæc ſanè, ſi abſq; homicidio, ac ritè, vt modò Chriſtiani agunt, egiſſent, laudabilis mos eorum fuiſſet, nam mortuis proſunt, qui mortificationis gratiâ flagellis ſe cædunt.

Seruius.

Alex.Sardus

CAPVT XIII.

Miſericordiā defunctis exhibēt humi pro eis cubātes.

Humi cubantes pro defunctis, miſericordi motis præſtant.

1 QVatuor ſuffragia Theologi cōmuniter enumerant pro defunctorum animabus exhibenda, videlicet Sacrificium, Oratio, Eleemoſyna, & Ieiuniū. Verū Ieiunij no-

mine

Digitized by Google

mine cætera opera pœnalia intelligũtur,& ſigillatim humi cubatio exprimitur. Audiamus Iodocum Clichtoueũ ſer. 3. pro defũctis clariſſimè id affirmantẽ. *Sub nomine ieiunij debent intelligi quæcumque alia pia opera, quæ ſunt corporis afflictiua, vt aſperitas veſtium, ſiue cilicium, peregrinationes,* DVRITIES CVBATIONIS, ET LECTISTERNII *vltrò aſſumpta in ſubleuationem animarum corpore exutarum.* Qui ſuper duram humum cubantes, corpus macerant, hocque pœnale opus pro defunctis impendunt, maximam eis pietatem exhibent, nam hoc etiam miſerationis obſequio eorum animæ ſubleuantur.

Iudocus Clic.

Dauid audiens filios ſuos ab Abſalone necatos, ſuper terram iacuit.

2 Hoc ſuffragium exhibuit Dauid, cùm audiuit, omnes ſuos filios ab Abſalone fuiſſe in cõuiuio necatos, nam ſcindens veſtimenta ſua, cecidit ſuper terram. *Surrexit itaque rex, & ſcidit veſtimenta ſua, & cecidit ſuper terram.* 2. Reg. 13. 31. Vides Regem in morte, quam putabat, filiorum thronum relinquentem, & ſuper puluerem, vt eis pietatem exhibeat, iacentem? Nouerat videlicet humi cubatione defunctis impendi miſerationem. Rectè Abulenſis quæſt. 18. in hunc locum. *Cùm nunciatum eſt, omnes filios Dauid interfectos, non poterat ipſe magis anxiari, quàm ſuper hoc, ideò ſcidit veſtimenta, &* IACVIT SVPER PVLVEREM. Super puluerem iacuit, vt omnes filios ſuos mortuos eſſe putauit, defunctorum enim miſerentur,qui ſuper puluerem iacent, & humi proſternuntur.

Abulenſis.

Idem egit, cũ ſolum Amnõ mortuum eſſe cognouit.

3 Hoc etiam idem rex Dauid egit, cùm ſolum Amnon mortuum eſſe cognouit, ploratu enim magno eum luxit. *Cùmque ceſſaſſet loqui, apparuerunt & filij Regis, & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt, ſed & Rex, & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis.* 2. Reg. 13. 36. Nec fuit ſimplex hic luctus, ſed vnà cum lachrymis multa quoque pietatis obſequia mortuo exhibuit, inter quæ humi etiam cubationem impendit. Affert hoc Ioſeph Hebræus lib. 7. Antiquit. Iudaic. cap. 8. *Iure propter facinoris magnitudinem incredibili, totum ſe luctui tradens, conſciſſâ veſte,* HVMI PROSTRATVS IACEBAT. Humi proſtratus mortuum filium plorauit, vt nobis innueret, humi cubantes pro defunctis, magnã eis hoc ſuffragio exhibere pietatem.

Ioſeph Hebr.

Reſpha cuſtodiens filiorũ cadauera humi cubauit.

4 Sed & Reſpha mortuis filijs non abſimilẽ pietatem impendit, cùm eorũ cadauera in patibulis à Gabaonitis ſuſpenſa humi iacens, ac ſuprà petram proſtrata die, ac nocte ab auibus, ac feris cuſtodiuit. *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſuprà petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de coelo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. 10. O' ingentem, & verè admirandam regiæ mulieris cum pietate coniunctam conſtantiam, quæ cùm molliter iacere antea ſoleret, ſuprà petram cubare, vt cadauera defunctorum cuſtodiret, elegit? Rectè Gaſpar Sanctius. *Sanè charitas potens eſt, & qui amat, nihil non audet, nihil non deuorat, quantumcumque durum, & amarum. Iacebat concubina regia, in delicijs antea, & in mollibus ſtratis enutrita,* SVPRA' PETRAM, *quam cilicio inſtrauerat, idest vili, atque duro ſtragulo.* Suprà petram iacuit, vt defunctos pietate proſequeretur, qui enim humi iacentes, carnem ſuam pro defunctis affiligunt, magnam eis pietatem impendunt.

Gaſp. Sanct.

Hebræi dum mortuus iacet inſepultus, humi iacent.

5 Norunt hoc & Hebræi, qui dum mortuus iacet inſepultus, humi iacent, nec ſuper mollia ſtrata cubare illis licet. Quod tradit Rabbi Ioſeph in שלחן ערוך his verbis כל זמן שלא נקבר המת אינו חולץ מנעל וסנדל ואינו חייב בעטיפת הראש וככפיית המטה אבל אסור לישב או לישן על גבי מטה. *Toto tempore, quo inſepultus iacet defunctus, non ſoluantur calcei, nec ornetur caput, nec duplicetur lectus, quinimò* VETITVM EST IACERE, VEL DORMIRE SVPER LECTVM Qui lugent inſepultũ defunctũ, iacere, vel dormire ſuper lectum apud Hebræos prohibentur, nam qui defunctos lugent, humi cubare debent, vt magnam eis pietatem impendant.

Rabbi Ioſeph.

Apud alias Gentes idem mos obtinuit.

6 Hic verò mos apud alias quoq; Gentes obtinuit, nam & Lacedæmones, vt refert Aleſander ab Aleſandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. humi iacere in funeribus mortuorum ſolebãt. *Præualuit mos regum, & optimatum in funebri põpâ, vbi dolore inteſtino premuntur, vt decoris immemores cinere caput aſpergant, faciem deturpent, tunicam diſcindant,* HVMI IACEANT. Idem præſtare Sinas aſſerit Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap. 7. *Somnum in lecticis minimè capiunt, ſed in ſtramineis culcitris* SVPRA' NVDAM HVMVM *collocatis iuxtà cadaueris ſarcophagum.* Hinc Lucianus dialogo de luctu ait. *Alijs autem, & veſtis diſcerpitur, & puluis capiti inſpergitur, adeò vt viuentes miſerabiliores ſint mortuo. Nam illi* HVMI VOLVTANTVR *ſæpenumerò, & capita ſolo alliſdunt, hic verò decorus, ac formoſus, ac diligentiſſimè coronatus, ſublimis propoſitus eſt, & excelſus, velut ad pompam adornatus.* Animaduerte, apud quot gentes conſuetudo iſta inualuerit, quantâque pietate humi iacentes conſueuerint antiqui plorare defunctos.

Ale. ab Alex.

Nic. Trigaut.

Lucianus.

Darij mater, Alexandri morte auditâ humi corpus abiecit.

7 Non eſt hìc ſilentio ſupprimendum, Darij matrem, Alexandri morte auditâ, abſciſſâ veſte, quâ induta erat, crinem vnguibus laceraſſe, ac humi corpus abieciſſe, vt Regi, à quo multa ſuſceperat beneficia, gratitudinis ergò pietatem exhiberet. Do verba Q. Curtij lib. 10. id narrantis. *Ad Darij quoque matrem celeriter* (mors Alexandri) *perlata eſt. Abſciſſâ ergò veſte, quâ induta erat, lugubrem ſumpſit, laceratiſque crinibus* HVMI CORPVS ABIECIT. Humi iacuit, vt Regi, qui ſibi benefecerat, miſericordiam impertiret, nam humi cubatione conſueuerant antiqui pietatem exhibere defunctis.

Q. Curtius.

Nonnulla ex poëtis pro eodem more referuntur.

8 Abſoluo caput, nonnulla quoque ex poëtis ad rem noſtram proferens. Homerus ergò Iliade 18. Achillem ait in funere Patrocli in pulueribus ſe ſe extendiſſe.

Ipſe

Homerus.

Ipſe verò IN PVLVERIBVS magnus latè extenſus
IACEBAT, dilectis autem manibus comam deturpabat ſcindens

Et Statius item Papinius hunc morem comprobat lib, 2. ſyluarum Epicedio in Glauciam Melioris.

Statius.

Tu modò FVSVS HVMI lucem auerſaris iniquam

Humi fuſi defunctos antiqui plorabant, agnoſcentes, miſericordiam defunctis exhibere humi pro eis cubantes.

CAPVT XIV.

Pectoris tunſione pietas impenditur mortuis.

Viri Iabes vnà tum mulieribus, & paruulis pectora ſua tuderunt in exequis Saul, & filiorum eius.

1 PEctora quoque mortificationis, ac voluntariæ pœnæ causâ tundentes poſſumus defunctis exhibere pietatem. Quod vt probem, à viris Iabes Galaad exordior, qui ſurgentes, ad Philiſthæorum caſtra perrexerunt, & indè cadauera Saul, ac filiorum eius è patibulis pendentia ſuſtulerunt, & ad propriam vrbem, vt ea ſepulturæ obſequijs honorarent, extulerunt. *Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, veneruntque Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni.* 1. Reg, 31. 12. Vt quid verò cadauera, quæ in nemore ſepelienda erant, ad vrbem portauerunt? Cur non potiùs ad nemus ea immediatè extulerunt? Vt omnes, qui vrbem incolebant, poſſent in eorum exequijs pectora tundere tam viri, quàm mulieres. Ita Ioſeph Hebræus in Gloſsâ.

Ioſeph Hebr.

Viri autem Iabes cum omni populo flentes, ſepelierunt corpora in optimo loco prouinciæ, quem Segebê appellant, & ieiunium ſeptem dierum cum mulieribus, & infantibus ſuper eos celebrauerunt, TVNDENTES PECTORA, *ac lugentes regem, & filios eius.* Pectora in funeribus mortuorum tuderunt, hac tunſione principibus pietatem exhibentes extinctis.

Dauid idem egit in morte Abſalom.

2 Quam pietatem imitatus eſt Dauid in morte Abſalom, quam vt cognouit, ad cœnaculum aſcendit, ibique dilectum filium pio luctu plorauit. *Contriſtatus itaque rex, aſcendit coenaculum portæ, & fleuit, & ſic loquebatur vadens: Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?* 2. Reg. 18. 33. Nec ſimpliciter lachrymas tantùm effudit, ſed multis alijs quoque obſequijs eũ honorauit, & præſertim crinem lacerans, ac pectus tondens, magnam ei pietatem impendit. Do verba eiuſdem Ioſeph Hebræi lib. 7. Antiquit. Iudaic. cap. 10. ita loquentis.

Idem.

Conſcensâ editiſſimâ vrbis parte, deflebat filium, PLANGENS PECTVS, *& capillitium dilacerans, & modis omnibus ſe ſe affligens.* Pectoris etiam tunſione proſequendi ſunt pietate defuncti, vndè pectus tunc ſuũ Dauid dolenter tudit, cũ filiũ defunctũ luxit.

Mater, vt mortuæ filiæ vitam obtineret, pectoris tunſionem cũ precibus vniuit.

3 Vt Chriſtus Archiſynagogum pro defunctæ filiæ vitâ rogantem audiuit, confeſtim ad domum, in quâ cadauer iacebat, perrexit, quò cùm peruenit, cum nonnullis Apoſtolis patrem, & matrem puellæ aſſumpſit, & mortuæ vitam impertiuit. *Et cùm veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ.* Luc. 8. 51. Aduertit autem Albertus Magnus matrem pro defunctæ filiæ vitâ, non ſolùm tundendo, ſed & lacerando ſibi pectus fuiſſe deprecatam.

Alb. Magn.

Aſſumit patrem, & matrem, patrem acerbo luctu de morte filiæ lugentem, & matrem LACERATO PECTORE *pro filiâ deprecantem.* Vt mortuæ filiæ vitam obtineret, vnà cum precibus pectoris tunſionem coniunxit, & ſic ei pietatem impendit.

Turba in morte Chriſti pectus ſibi percutiebant.

4 Hùc ſpectauit in morte Chriſti eorum turba, qui aderant, cùm percutientes pectora ſua reuertebantur. *Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.* Luc. 23. 48. Vt Chriſto, quem dolebant iniuſtè interfectum, parentarent, ſua pectora percutiebant, vndè hoc exemplo ad pietatem excitatus Pilatus, Chriſti cadauer ſepulchralibus obſequijs honorari permiſit. Appoſitè Dionyſius Carthuſianus in cap. 19. Ioannis.

Dion. Carth.

Permiſit Pilatus hoc fieri, quoniam Ioſeph iſte notus fuit Pilato, & vir potens, diues, ac nobilis, propter quod in Marco ſcriptum eſt, quòd fuit nobilis decurio, idque propter reuerentiam eius, & propter innocentiam Chriſti, itemque propter rumorem redeuntium de loco dominicæ paſſionis, PERCVTIENTIVM PECTORA SVA. Pectoris tunſione pietatem Chriſto mortuo impenderunt, & ad pietatem exhibendam iniquum præſidem excitauerunt.

Annæ in morte ſororis pectus percuſſit.

5 Hoc ſuffragium Gentiles quoque conſueuerant exhibere defunctis, vndè Virgilius lib. 4. Æneidos Annam inducit ſororem Didonis in eius morte ſuum pectus pugnis cædentem.

Virgilius.

Audijt exanimis, trepidoque exterrita curſu
Vnguibus ora ſoror foedans, & PECTORA PVGNIS.

Vbi Donatus ait.

Donatus.

Cùm igitur audiſſet, & ex eo, quod audijt, exanimis fuiſſet effecta, vt in doloribus fieri ſolet, vnguibus ora ſua, vt pote vnanimis ſoror foedabat, & PECTORA PVGNIS. Vt ergà ſororem defunctam pietatem oſtenderet ſoror ſuperſtes, pectora pugnis percutiebat, hocque miſerationis obſequio eam honorabat.

Idem mos percutiendi pectus in funeribus oſtenditur.

6 Sed & Ouidius non ſemel huius pietatis defunctis exhibitæ meminit. Quare lib. 8. metamorph. ita cecinit.

Ouidius.

Immemores decoris liuentia PECTORA TVNDVNT,
Dumque manet corpus, corpus refouentque, fouentque
Oſcula dant ipſi, poſito dant oſcula lecto.

Et iterum lib. 3. de Triſtibus Elegiâ 3.

Ecquid vbi audieris, totâ turbabere mente,
Et FERIES pauidâ PECTORA fida manu

Et

Et rurſus Epiſtolâ Sappho Phaoni.

Poſtquam ſe dolor imminuit, MEA PECTORA PLANXI,
Nec puduit ruptis exululare comis.

Et tandem lib. 2. Amorum Elegiâ 6. ad hunc morem alluſit, cùm in morte Pſittaci volucres inuitauit, vt pectus plangerent pennis.

Pſittacus, Eois ales mihi miſſus ab Indis
Occidit; exequias ferte frequenter aues
Ite piæ volucres, & PLANGITE PECTORA *pennis*
Et rigido teneras vngue notate genas

Vides, quâ frequentiâ poëta iſte hoc pietatis obſequium commendet in funeribus mortuorum.

Multi alij in mortuorũ exequijs pectus percutientes. Silius Italic.

7 Sed alij paſſim authores eiuſdem obſequij mentionem faciunt. Silius Italicus lib. 2.

Squalentemque erecta comam, ac LIVENTIA PLANCTV PECTORA, *nudatis oſtendens ſæua lacertis.*

Statius. Statius lib. 2. Achilleidos Epicedio in Glauciam Melioris.

Nunc toruus pariter veſtes, & PECTORA RVMPIS.

Petronius. Petronius Arbiter in Satyrico. *Non contenta vulgari modo funus paſſis proſequi crinibus, aut* NVDATVM PECTVS IN CONSPECTV FREQVENTIÆ PLANGERE. *Alex. ab Ale.* Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Chartaginenſes in luctu comas, & ora lacerant, &* VBERA PLANGVNT. *Alex. Sardus* Alexander tandem Sardus lib. 1. de moribus Gentium cap. 24. *Mulieres luto fœdato vultu per vrbem diſcurrunt, manu* PECTORA PLANGENTES, *quod & viri faciunt.* Quid frequentius hoc pietatis obſequio in exequijs defunctorum. Concludendum eſt igitur, pectoris tunſione mortuis pietatem impendi.

CAPVT XV.

Vigilandum eſt, vt pietas exhibeatur defunctis.

Reſpha nocte, ac die vigilauit, vt mortuorum cadauera cuſtodiret.

1 Vigilandum eſſe pro mortuis, docuit nos in primis laudabilis mulier illa Reſpha concubina Saul Regis, quæ vt filiorum cadauera in patibulis ſuſpenſa ab auibus cuſtodiret, & feris, die ac nocte in rupe ſubſtrato ſibi cilicio permanſit. *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſuprà petrã ab initio meſsis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de Cælo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. 10. Quis enim hîc non admiratur nobilis, ac regiæ mulieris perſeuerantiam, quâ die, ac nocte iuxtà patibula, vt mortuos filios cuſtodiret, vigilauit? *Fuit,* *Abulenſis.* inquit Abulenſis, *nocte, & die* VIGILANS *apud patibula, ne aues Cœli lacerarent cadauera, & quandocumque venirent aues, ipſa lapidibus abigebat eas.* Vigiliæ ſuffragio pietas exhibenda eſt mortuis, vndè vt mortuos filios Reſpha pietate proſequeretur, non tantùm die, ſed & nocte perpetuâ cuſtodiâ vigilauit.

Mulieres mortuo Chriſto lachrymas vigilauerunt.

2 Quam pietatem imitatæ ſunt mulieres illę, quæ tranſacto Sabbato ad Chriſti monumentum perrexerunt, eòque vnguenta, quæ parauerant, vt eius cadauer vngerent, detulerunt. *Vnâ autem Sabbati valdè diluculo venerunt ad monumentũ, portantes, quæ parauerant, aromata.* Luc. 24. 1. Cur enim adeò diluculo venerunt, niſi quia totâ nocte parantes aromata, & lachrymas effundẽtes vigilauerant? Adſtipulatur Rupertus Abbas lib. 14. in Ioannem. *Rupert. Abb.* *Conſtat itaque, quia in lachrymis* PERVIGILES, *amore, nimiumque longâ retardantis Sabbati morâ fatigatæ, quo nec operari, nec plus mille paſsibus ambulare licitum erat Iudæis, mox vt onerosum illud Sabbatum abijt, receſsit, tranſiuit, non quieuerunt, non dederunt oculis ſuis ſomnum.* Tota nocte mulieres vigilauerunt, vt Chriſtum ſuâ pietate honorarent, nam valdè honorantur defuncti, cùm Vigiliæ ſuffragio pietas eis exhibetur.

Terræmotus factus eſt, vt mulieres euigilarent.

3 Hoc etiam terræmotus oſtendit, qui factus eſt, cùm hæ mulieres ad ſepulchrum acceſſerunt. *Et ecce terræmotus factus eſt magnus, Angelus enim Domini deſcendit de Cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum.* Matth. 28. 2. Cur hoc terræmotu mulieres Deus exterruit, quæ tantam Chriſto pietatem impendebant? Cur quas potiùs conſolari debebat, eo timore percuſſit? Cur demùm eas non præmio, ſed pauore affecit? Terræmotus hic factus eſt, non vt mulieres timerent, ſed vt vigilarent, nam fortè cùm noctu acceſſiſſent, dormitauerunt. Adeſt D. Ioannes Chryſoſtomus in cantenâ. *Terræmotus factus eſt, vt* EXVRGANT ET EVIGILENT, *mulieres,* *D. Io. Chryſ.* Vigilandum eſt, cùm pietas exhibetur defunctis, vndè ne mulieres obdormirent iuxtà ſepulchrũ, ſed vigilarent, factus eſt terræmotus qui eas excitaret.

Vigiliæ ſuffragium pro mortuis conſuetum.

4 Hoc vigiliæ ſuffragium fuiſſe pro mortuis conſuetum, indicat B. Petrus Damianus Epiſtolâ 35. apud quem mulier quædam ſacerdotem promiſiſſe circa defunctum vigilantiam teſtatur. *B. Pet. Dam.* *Regreſſa igitur ad dominam ſuam, mulier, quid reſponſum ſit à ſacerdote requirit, illa verò, gratias egiſſe, & circà defunctum* VIGILANTIAM *promiſiſſe teſtatur.* Vides Vigilantiam adhibitam in pietate, quæ defunctis exhibebatur.

In funere Cõſtantini vigiles adhibiti.

5 Sed & hanc oſtendit Carolus Sigonius lib. 5. Imperat. Occid., cùm in funere Imperatoris Conſtantini multos ait circà eius cadauer vigilaſſe, & nocte, ac die cuſtodiam illi adhibuiſſe. *Carolus Sig.* *In palatio, loco, vt ab omnibus conſpiceretur, excelſo, depoſuerunt, ac luminibus circùm accenſis,* VIGILES, *qui diurnam, nocturnamque cuſtodiam agerent addiderunt.* Vt defuncto Imperatori pietatem exhiberent, vigiles eius cadaueri cuſtodiendo adhibuerunt.

Menſe Februario Gentiles pro mortuis ſacrificantes vigilabant.

6 Quin & ex Gentilium ritibus idem colligere licet, nam menſe Februario, qua Plutoni, cæteriſque inferis Dijs pro mortuorum animabus libamina, & ſacrificia offerebant, totâ nocte vigilabant. Teſtatur hoc Petrus de Natalibus lib.

3. Ca-

Pet. de Nat.

3. Catalogi cap. 73. *Menſe Februario ſacrificabant Februo, ideſt Plutoni Deo inferorum, & cæteris inferis, & hoc pro animabus ſuorum anteceſſorũ, & vt propitiarentur eis, ſolemnes hoſtias eis offerebant, & totâ nocte cum cereis, & facibus* Vigilabant. Vnà cum ſacrificijs, & precibus vigiliam connectebant, nam qui pro mortuis vigilat, magnam eis pietatem impendit.

Priamus in Hectoris morte vigilauit.

7 Priamus etiam apud Homerum Iliade 24. in Hectoris filij funere diù vigilauit, nec vnquã, donec eius cadauer è manibus hoſtium eripuit, vt ſomno indulgeret, oculos clauſit.

Homerus.

Nondum enim clauſi ſunt oculi ſub palpebris meis,
Ex quo tuis ſub manibus meus filius amiſit animam.

Vide pietatem ſenis genitoris ergà filium defunctum, qui tamdiù pro eo vigilauit, & ſomnum, vt illi pietatem impenderet, accipere noluit.

Neceſſariam ducebant Gentiles in funeribus mortuorum vigilantiam.

Apuleius.

8 Denique hanc vigiliam conſuetam fuiſſe ait etiam Apuleius lib. 2. metamorph., vbi hæc habet. *Hic, inquit, auctoratus ad cuſtodiam mariti tui fidenter acceſſit. At illa crinibus antependulis, Vide, oro, inquit quam* Expergitè *munus obeas.* Et rursùs. *Perpetem noctem* Eximiè Vigilandum Est, *exertis, & inconuerſis oculis, ſemper in cadauer intentis.* Attende quæſo, quàm neceſſariam duxerint priſci Gentiles in defunctorum funeribus vigilantiam, & agnoſce vigilandum eſſe, vt pietas exhibeatur defunctis.

CAPVT XVI.

Peregrinantes pro mortuis magnam eis miſericordiam præſtant.

Peregrinationibus adiuuandi sũt mortui.

1 Peregrinatione mortuos iuuari docet in Bibliothecâ veterum Patrum Lucas Tudenſis lib. 1. cap. 17. dum nos hortatur, vt non tantùm ſacrificijs, eleemoſynis, & orationibus, verùm etiam vt peregrinationibus pietatem eis exhibere ſtudeamus. *Studeamus defunctis exhibere ſtudia charitatis, & ſacrificijs, eleemoſynis, & orationibus* Peregrinatiobvs, *& omnibus bonis operibus eorum poenæ compatiendo, diuino auxilio eorum temporalem miſeriam miſericorditer releuare.* Idemque docet D. Vincentius Ferrerius ſerm. 2. Domin. 11. poſt Trinitatem.

Lucas Tud.

D. Vinc. Fer.

Quia Animæ de Purgatorio non poſſunt meritoriè operari, ideò de iſto mundo debent habere adiutorium per orationes, eleemoſynas, Peregrinationes, *& Miſſas.* Vincentius demùm Belluacenſis in ſpeculo morali lib. 2. diſt. 13. par. 1. ait. *Iuuari poſſunt per afflictiua ieiunia, quando ſcilicet pro poenitentiâ, cui mortui ſunt aſtricti, ſatisfaciunt eorum amici. Hoc autem intellige ieiunium large pro omni quod eſt corporis afflictiuum, ſicut eſt abſtinentia,* Peregrinatio. Valdè prodeſt peregrinaionis, ſuffragium defunctis, ideòque ab omnibus tanquam eis exhibendũ commendatur, & ſuadetur.

Vinc. Bellua.

Sãcta eſt peregrinatio

2 Sanctam, & ſalubrem ſæpè diximus eſſe cogitationem, quâ cogitant viuentes exorare pro defunctis. *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* 2. Machab. 12. 46. Aduertendum eſt autem nomine orationis non intelligi ſolas preces coram Deo pro defunctis effuſas, ſed omnia exprimi pietatis obſequia, quæ illis debentur, & inter hæc etiam peregrinationem. Audiamus D. Auguſtinum ſerm. 44. ad fratres in eremo. *Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, & eleemoſynam dare, & carnem affligere, & opera charitatis exercere, &* PEREGRINATIONES FACERE *vt à peccatis ſoluantur.* Sancta eſt peregrinatio, quæ pro defunctis aſſumitur, vt ipſi ad patriam Cœli pertingant, & gaudia æterna poſſideant.

pro defunctis aſſumpta.

D. Auguſtin.

3 Parabolam propoſuit Chriſtus hominis deſcendentis ab Ieruſalem in Ierico, qui cùm à latronibus expoliatus, & ſemiuiuus fuiſſet relictus, à Samaritano curatus fuit, qui oleum, & vinum vulneribus infudit, eumque ſuprà iumentum suũ impoſuit. *Et appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum, & imponens illum in iumentum ſuum.* Luc. 10. 34. Hoc homine Purgatorij defunctos exprimi docet D. Vincentius Ferrerius ſerm. 1. Domin. 13. poſt Trinitatem, qui ſemiuiui dici poſſunt, quia cùm morte corporis ſint mortui, vitâ gratiæ viuunt. Quis autem eſt Samaritanus, qui curam illorum agit, niſi fidelis, qui ſuis ſuffragijs pietatem eis impendit? Vino vulnera lauat, cum orat, oleum infundit, cùm eleemoſynam erogat, ſuper iumentum autem imponit, cùm corpus ſuum, quod veluti iumentum eſt, affligens, peregrinatur. Sed iam audiamus verba D. Vincentij. *Debemus cauere, ne ſimus crudeles, vt ſacerdos, & leuita Iudæi, ſed ſimus, vt Samaritanus miſericordes, qui in illum fecit opera pietatis, primò eum vino lauit eius vulnera. Ecce oratio, quam nos miſericorditer debemus facere pro animabus* Pvrgatorii, *oratio enim, vt vinum calefacit in Dei amore, & facit plorare oculos. Secundò Samaritanus infudit oleum, ecce eleemoſynæ, quę ſunt opus miſericordiæ per oleũ ſignificatæ. Tertiò poſuit eum ſuper iumentum, ecce afflictio corporalis. Iumentum eſt corpus, ideò quando vos ieiunatis, vel portatis cilium, vel* Peregrinationem Facitis, *anima patris, vel matris portatur in iumento corporis veſtri.* Adeò potens pro animabus Purgatorij ſuffragium peregrinationis exhibitum, vt eas extollat ad regna Cœlorũ.

Suffragium peregrinationis animas extollit ad regna Cœlorũ.

D. Vinc. Fer.

4 Chriſto ad inferos deſcendente, multa ſanctorum corpora vnà cum eo ſurrexerunt, & in ſanctam ciuitatem venerunt. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Matth. 27. 53. Obſeruat autem Euſebius Emiſſenus homil. 6. de Paſchâ horum mortuorum reſurrectionem effectum fuiſſe Chriſti apud inferos peregrinationis. *Domino reſurgente viſa ſunt multa ſanctorum corpora reſurrexiſſe, & apparuerunt in ſanctâ ciuitate. Regrediens ergò Dominus poſt diem tertiam; ſi nctus ſecum triduanæ* PEREGRINATIO-

Chriſtus riduanâ peregrinatione mortuos exitauit.

Euſeb. Emiſſ.

NIS

Digitized by Google

NIS *viuentibus reportauit*. Cùm apud inferos Chriſtus peregrinatus eſt vitam defunctis impertiuit, nam tunc adiuuantur mortui, cum peregrinationis ſuffragium eis exhibetur.

Ioſeph ſanctâ peregrinatione patrem honorauit mortuum.

5 Hinc eſt, quòd cùm Ioſeph ad Chananæorum terram perrexit, vt ibi genitoris cadauer humaret, ſecum ſeniores, & maiores natu terræ Aegypti aſcendere permiſit. *Quo aſcendente, ierunt eum eo omnes ſenes domûs Pharaonis, cunctiq; que maiores natu terræ Aegypti.* Gen. 50. 7. Nouerat ſcilicet peregrinationis ſuffragio adiuuari defunctos, & ideò voluit ſanctâ illâ peregrinatione mortuo pietatem exhibere parenti. Accinit Rupertus Abbas lib. 9. in Geneſim cap. 41.

Rupert. Abb.

Aegyptias exequias ſapienter admittere debuit nihil nocituras ſancto propoſito PERERINATIONIS. Mortuo patri peregrinatione pietatem exhibere volpit, & iccircò vnà cum Aegyptijs ad Chananæorum terram, vt eius transferret cadauer, perreſit.

Multi peregrinando Saræ defunctæ pietatem impenderunt.

6 Cùm Saram vxorem apud Hethæos Abraham amiſiſſet, rogauit Ephron, vt ſibi agrum venderet, ac ſpeluncam, in quâ poſſet coniugis humare cadauer. Annuente autem Ephron, pretium ſoluit, & cunctis videntibus Hethæis, & vniuerſis, qui portam ingrediebantur Ciuitatis, agrum, & ſpeluncam emit. *Videntibus filijs Heth, & cunctis, qui intrabant portam ciuitatis illius.* Gen. 23. 18. Qui erant iſti, qui portam Ciuitatis ingrediebantur, niſi viri, qui peregrinando mulieri pietatem impenderunt defunctæ, dum emptionis teſtes fuerunt, quæ in gratiam illlius fiebat? Probè Abulenſis.

Abulenſis.

Non ſolùm fuerunt teſtes homines terræ illius, ſed etiam alienigenæ, qui PEREGRINANDO *intrabant portam ciuitatis Hebron.* Non ſolùm Hethæi, ſed etiam alienigenæ ſuâ peregrinatione mortuæ mulieri pietatem exhibuerunt.

Simonides poeta peregrè proficiſcẽs inſepultum cadauer humanit.

7 Eſemplum etiam huius pietatis exhibuit Simonides poëta, qui peregrè proficiſcens, inſepultum cadauer, quòd iuxtà litus reperit, humauit, vndè ſuæ pietatis præmium retulit, naufragium fugiens, in quod ſocij inciderunt, à mortuo, quem ſepelierat admonitus in ſomnis. Audiamus verba, quibus hoc narrat Bernardinus de Buſtis tom. 2. Roſarij ſerm. 1. par. 1.

Bernardinus de Buſtis.

Simonides poeta PEREGRE VADENS, *cùm nauis, in quâ erat, applicuiſſet ad litus, & corpus inhumatum iacens vidiſſet, ſepulturæ tradidit. Quo beneficio is, qui ſepultus fuerat, motus, nocte ſibi in ſomnis apparuit, eumque ne proximo die nauigaret admonuit. Qui ſomnio parens, in terrâ remanſit. Illi verò, qui indè receſſerunt, nauigantes, in eius conſpectu procellis, & fluctibus abſorpti ſunt, & ſuffocati.* Suâ peregrinatione poëta iſte mortuo pietatem impendit, cuius pietatis præmium conſeruationem vitæ accepit.

Ciuis Romanus Pompeiũ peregrinando tumulauit.

8 Poſtremò illud apponam, quod narrat Plutarchus in Pompeio ciui cuidam Romano contigiſſe, qui cùm peregrinaretur, vidit Pompeij libertum illius cadauer ſepelientem, & gauiſus eſt ſe ſuâ peregrinatione principi exhibere pietatem defuncto, vndè vnà cum eo ſepulchralibus illum obſequijs honorauit.

Plutarchus.

Quidam iam graui ætate ciuis Romanus aſſiſtens, qui prima ſtipendia iuuenis ſub Pompeio fecerat; Tu, inquit, quis hominum es, qui magnum Pompeium funerare paras? Qui vbi reſpondit, libertum eius eſſe. Atqui hoc decus, inquit, non apud vnum te reſidebit. Admitte me quaſi pij, & inſperati lucri conſortem, ne vndequaque de hac conquerar PEREGRINITATE, *pro multis moleſtijs id certè nactus, vt manibus meis contingam, & cooperiam ſummum populi Romani Imperatorem. Ita funeratus eſt Pompeius.* Vides, quam pietatem egregius hic vir peregrinando exhibuit Pompeio defuncto? Rectè igitur diximus, peregrinantes pro mortuis magnam eis miſericordiam præſtare.

CAPVT XVII.

Mortificationis operibus debemus adiuuare defunctos.

In lactu mortificatio in veſtitu adhibita.

1 RELIQVA Mortificationis opera, quæ mortuis proſunt, hactenùs intacta hoc Capite complector, atque vt ordinatè procedam, mortificationem in veſtitu, inceſſu, lecto, venatione, ac venereis mortuis deberi oſtendo. Vt autem à veſtitu exordiar, quis ignorat in funeribus mortuorum diuites, ac pretioſas veſtes depoſitas, & lugubres, ac obſoletas adhibitas? Audiamus Apuleium lib. 4. Floridorum.

Apuleius.

Aſclepiades, cùm fortè in ciuitatem ſe ſe reciperet, & rure ſuo ſuburbano rediret, aſpexit in pomerijs ciuitatis funus ingens locatum, plurimos homines ingenti multitudine, qui exequias venerant, circumſtare, omnes triſtiſſimos, & ABSOLETISSIMOS VESTITV. Herodianus quoque lib. 4. matronas lugentes ait aurum deponere, ac monilia.

Herodianus.

Harum nulla, vel aurum geſtant, vel ornata monilibus conſpicitur. Dionyſius etiam Halicarnaſſeus de matronis Romanis loquens, hæc habet.

Dion. Halic.

Romanorum matronæ, vt mos eſt illis in luctu domeſtico, & neceſſariorum funeribus, depoſito auro, & purpurâ, cæteroque ornatu, atratæ ipſum per annum integrum luxerunt. Ouidius demùm lib. 6. Metamorphoſeon cecinit de Progne.

Ouidius.

Velamina Progne
Deripit ex humeris auro fulgentia laeo,
Induiturque atras veſtes, & inane ſepulchrum
Conſtituit.

Vides quomodo apud Gentiles, quoque in mortuorum funeribus mortificationem viri, ac mulieres præſetulerint in veſtitu.

Pedibus, ac pedibus nudis in exequijs iter agebant.

2 Nec minorem oſtenderunt in inceſſu, cùm ſolerent calceis detractis Imperatorum funera comitari. Quod tradit Suetonius in Auguſto cap. 100.

Suetonius.

Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis tunicati, & diſcincti, PE[illegible]VE NVDIS, *ac in Manſoleo condiderunt.* Singularis etiam ad

rem

rem noſtram fuit pietas Tiberij ergà fratrẽ Druſum defunctum, cuius cadauer longo itinere pedibus proficiſcens Romam deuexit. Sribit hoc idem Suetonius in Tiberio cap. 7. *Druſum fratrẽ Germanũ amiſit, cuius corpus* Pedibus Toto Itinere Praegrediens *Romam vſque peruexit*. Nec equitare, nec curru vehi, ſed pedibus incedere voluit, vt mortificatus in inceſſu maiorem defuncto fratri pietatem exhiberet.

Exhibenda pro mortuis mortificatio in lecto.

3 Venio nunc ad mortificationem, quæ pro mortuis exhibenda eſt in lecto, cuius ſpecimen exhibuit Elias propheta, cùm viduæ Sarephtanæ filium defunctum de ſinu matris tulit, & ad cœnaculum, in quo manebat, elatum ſuper lectulum ſuum poſuit. *Et ait ad eam Elias, da mihi filium tuum. Tulitque eum de ſinu eius, & portauit in coenaculum, vbi ipſe manebat, & poſuit ſuper lectulum ſuum*. 3. Reg. 17. 19. Quam ob cauſam ſuper lectum ſuum defunctum puerum propheta collocauit? Cur non potiùs dum in ſinu matris erat, eum non ſuſcitauit? Vt lectus durus, ac lachrymis prophetæ frequenter manans mortuo prodeſſet. Optimè Gaſpar Sanctius. *Ab eo complexu à prophetâ diſtrahitur, & ad illud traducitur cubile, vbi ſolicitos ſomnos, & inſomnes noctes ipſe ducebat, & quod potiùs lachrymis iugiter manantibus, quam ſuaue aliquid halantibus vnguentis irrorat*. Super lectum, in quo propheta ſuum corpus mortificabat, mortuum depoſuit, vt ei vitam impertiret, ſciebat enim mortificationem in lecto valdè prodeſſe defunctis.

Gaſpar Sãct.

Plumarum mollities, cũ defunctis pietas impenditur, eſt abijcienda.

4 Hanc item oſtendit veritatem D. Hieronymus ad Sabinam ſcribens, cui, defuncto marito, ſuadet, vt plumarum mollitiem abijciat. *Plumarum mollities iuuenilia membra non foueat, balnearum calor nouum adoleſcentulæ ſanguinem nõ incendat*. Plumarum mollities eſt prorſùs abijcienda, cùm defunctis pietas impenditur, vt in cubili quoque mortificationis virtutem exercentes, maiori eos miſeratione proſequamur.

D. Hierony.

In funere Germanici à venatione Rex Parthorũ abſtinuit.

5 Iam verò à venatione quoque ſi homines, qui ei vacare ſolent, abſtineant, & hoc mortificationis opus pro defunctis exhibeant, non modicum eis pietatis obſequium impendunt. Quam pietatem Germanico mortuo Rex Parthorum exhibuit, de quo ait Suetonius in Caligulâ Cap. 5. *Regum etiam regem, &* Exercitatione Venandi, *& conuictu Megiſtanum abſtinuiſſe, quod apud Parthos iuſtitij inſtar eſt*. A venatione abſtinuit, vt maiori pietate mortuum principem honoraret, nam hoc etiam mortificationis actu honorantur defuncti.

Suetonius.

A voluptatibus carnis abſtinendũ pro defunctis.

6 Sed & valdè honorantur, cùm pro eis homines carnales abſtinent à dilectationibus ſenſiis. Præcepit Deus in veteri lege, captiuam mulierem, cum quâ forte nuptias inire vellet Iſraëlita, vno anteà menſe defunctos parentes lugere, ac poſteà cum marito cubare. *Deponet veſtem, in quâ capta eſt, ſedenſque in domo tuâ flebit patrem, & matrem ſuam vno menſe, & poſteà intrabis ad eam, dormieſque cum illâ, & erit vxor tua*. Deuter. 21. 13. Quid autem hoc præcepto Deus voluit, niſi vt mulier captiua in funere ſuorum à ſenſûs voluptate abſtinere, vt hoc mortificationis opere pietatem eis exhiberet? Profectò id voluit hunc locum explicans Dionyſius Cartbuſianus. *Pietas edoretur, ne qua perſona poſt ſuorum mortem parentum, ſtatim ad voluptatem ſe donet*. A' carnis delectationibus abſtinendum eſt, vt maior pietas exhibeatur defunctis.

Dion. Carth.

Res venerea prohibita lugentibus.

7 Hinc Hebræi rem veneream prohibent lugentibus defunctos vndè Rabbi Ioſeph in שלחן ערוך hæc habet. אסור תשמיש המטה לאבל. *Probibetur res venerea lugenti*. Quin & Aegyptij hoc opus mortificationis in Regum ſuorum exequijs exercent. Quod tradit Diodorus Siculus lib. 1. par. 2. cap. 3. his verbis. *Non lauacris, non vnguentis, non ſtratis lectis*, Non Venereis Vtuntur, *ſed tanquam defuncto filio per eos dies moerentes lugent*. Cùm igitur in mortuorum funeribus mortificatio ſit exercenda in veſtitu, inceſſu, lecto, venatione, ac venereis, quis non fatebitur nos debere mortificationis operibus adiuuare defunctos.

Rabbi Ioſeph.

Diodorus Siculus.

CAPVT XVIII.

Animæ à Purgatorio Indulgentiæ ſuffragio ſunt liberandæ.

Indulgentiæ ad mortuos interdum extenduntur.

1 Non quælibet Indulgentiæ ad Animas Purgatorij extenduntur, ſed illæ tantùm, quas cùm ſummus Pontifex concedit, ad earum liberationem extendit, tuncq; Indulgentiæ non tantùm viuis proſunt, ſed etiam defunctis. Hinc D. Antoninus 1. par. tit. 10. cap. 3. ait. *Poſſunt valere* Indulgentiae, *non ſolum viuis, ſed etiam exiſtentibus in* Purgatorio, *quando ſcilicet in formâ Indulgentiæ continetur, quòd qui facit hoc, vel illud, ipſe faciens, vel alius pro quo facit, conſequatur tantum Indulgentiæ*. Animabus Purgatorij proſunt Indulgentiæ, cùm permittitur, vt per modum ſuffragij ad eas extendantur, tuncque maximam eis afferunt conſolationem.

D. Antonin.

Magnam Indulgentiæ afferunt mortuis vtilitatem.

2 Dixit Rex Dauid, virgam, & baculum ſibi attuliſſe conſolationem. *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt*. Pſal. 22. 4. Loquitur autem, vt vult D. Antoninus 3. par. tit. 32. nomine Animarum Purgatorij, quæ conſolationem accipiunt à baculo Crucis Chriſti, quatenùs ab eius cruce, ac paſſione valorem habent Indulgentiæ, quæ ad illas extenduntur. *Baculus Dei eſt Crux, in quâ Deus humanatus fuit ſuſtentatus, nam &* Indulgentiae, *quæ aliquandò extenduntur ad defunctos, habent præcipuè valorem ex cruce, ideſt paſſione Chriſti*. Chriſti crux, & paſſio conſolantur defunctos, quatenùs ratione ipſarum Indulgentiæ, quæ illis valdè proſunt, ad eas extenduntur, magnam enim conſolationem Animæ Purgatorij accipiunt, cùm Indulgentiæ ſuffragium eis exhibetur.

Idem.

3 Hoc

Indulgentiã plenariam Chriſtus deſcendens ad inferos animabus Purgatorij conceſſit.

3 Hoc Indulgentiæ beneficio conſolatus eſt eas Chriſtus, cùm ad inferos poſt paſſionem ſuam deſcendit, & ſpiritibus in carcere poſitis prædicauit. *In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus, veniens prædicauit.* 1. Petr. 3. 19. Quid ſpiritibus in carcere apud inferos conſtitutis prædicauit? Nunquid egent prædicatione illi, à quibus tempus operandi iam præterijt, nocte adueniente, in quâ nemo poteſt operari? Non pœnitentiam Chriſtus apud inferos prædicauit, ſed indulgentiam, quâ ſpiritus in Purgatorio detenti ad cœleſtia gaudia eueherentur. Audiamus, quid dicat Cornelius à Lapide in hunc locum. *Alij cenſet (nec aliud videtur voluiſſe Auguſtinus 3. de Geneſi 33.) Chriſtum prædicaſſe animabus in* PVRGATORIO *detentis, eiſque euangelizaſſe primum ſui Iubileum, ac contuliſſe illis* INDVLGENTIAM PLENARIAM *liberando omnes à pœnis.* Indulgentiam Chriſtus Purgatorij animabus contulit, cum ad inferos deſcendit, eaſque à pœnis quas patiebantur liberauit.

Cornelius à Lapide.

Eadem Indulgentiã dolores Purgatorij ſoluit.

4 Huc etiam illud ſpectat, quòd in Actibus Apoſtolorum Lucas dixit, Deum videlicet ſuſcitare Chriſtum, doloribus inferni ſolutis. *Quem Deus ſuſcitauit, ſolutis doloribus inferni.* Act. 2. 24. Nec enim hic nomine Inferni ædes intelligitur damnatorum, quorum ſolui non poſſunt dolores, ſed Purgatorium, cuius dolores ſoluit, quia primam, & plenariam Indulgentiam Animabus, quæ ibi claudebantur, miſericorditer conceſſit. Aptè idem Cornelius à Lapide. *Meliùs alij cenſent Chriſtum morientem, vel omnes, vel plurimos ex* PVRGATORIO *liberaſſe eiſque dediſſe primam, & plenariam* INDVLGENTIAM.

Idem.

Moriens Chriſtus Indulgentiam Animabus Purgatorij conceſſit, eaſque ſuæ miſericordiæ plenitudine indè liberauit.

Vinctos Purgatorij plenaria Indulgentiã Chriſtus liberauit.

5 Ex his lucem accipient verba Iſaiæ, quibus dicitur Chriſtum veniſſe, vt vinctis annunciarent liberationem. *Vt diceres his, qui vincti ſunt, exite, & his, qui in tenebris, Reuelamini.* Iſa 49. 9. Vbi ſermo eſt de animabus in Purgatorio vinctis, quibus Chriſtus indulgentiam prædicauit. Ita D. Vincentius Ferrerius ſerm. in Sabbato Sancto. *Non ibi loquitur de illis, qui ſunt in inferno damnatorum, quia nullus indè exit, ſed de illis de* PVRGATORIO. *Similitudo eſt de Papa nouiter creato, qui tunc concedit largas indulgentias, & gratias quamplurimas, quantò magis Papa Ieſus, qui eſt dominus gratiarum,* INDVLGENTIARVM, *quia Papa eius Vicarius non eſt Dominus Eccleſiæ, ſed diſpenſator, & procurator.* Vinctos Purgatorij Chriſtus liberauit, & plenariam eis indulgentiam conceſſit.

D. Vinc. Fer.

Latro Purgatorium propter Indulgentiam euaſit.

6 Hinc latro Chriſtum in cruce agnoſcens, & ab eo miſericordiam poſtulans Purgatorium vitauit, & eadem die, qua mortuus eſt, Paradiſum obtinuit. *Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23. 43. Quòd ſi quæratur, cur tam citò Paradiſum impetrauit, nullaſque Purgatorij flammas tetigerit, qui ſe tot flagitijs inquinauerat, quænam alia ratio afferri poterit, niſi plenaria, quâ eum liberauit Chriſtus, Indulgentia. Quapropter Arnoldus Carnotenſis in Bibliothecâ veterum Patrum Tract. de ſeptem verbis Domini latronem Indulgentiæ appellat præconem. *Inter cætera pietatis exempla latro noſter nobis occurrit, pœnitentiæ regula, confeſſionis forma,* INDVLGENTIAE PRAECO, *ſpei exemplum, qui dum ingemit, ſubitò quod quærit inuenit, & illicò audit, Hodie mecum eris in Paradiſo, non ad loca* PVRGATORIA, *flammaſeue peccatorum vltrices conſitens deſtinatur.* Purgatorium latro euaſit propter Indulgentiam, quam Chriſtus ei conceſſit, nam Chriſtus defunctis indugentiã ſuâ pietatem frequenter exhibuit.

Arnoldus Carnotenſis.

Chriſtus Indulgentia dicitur, eum defuncto Lazaro pietatẽ exhibuit.

7 Quamobrem eùm defuncto Lazaro vitam reddidit. *Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamauit, Lazare veni foras.* Ioan. 11. 43. D. Petrus Chryſologus Indulgentiam eum appellauit. Adeò quippe Chriſtus indulgentiã prodeſt defunctis, vt cùm eis pietatem impendit, Indulgentia nuncupetur. Audi verba huius Patris ſerm. 65. *Fremit ſpiritus, vt caro reuiuiſcat fremit vita, vt mors fugetur, fremit Deus, vt reſurgat homo, fremit* INDVLGENTIA, *ne ſententia contradicat.* Ita Chriſtus Indulgentiam conſueuit concedere defunctis, vt vocetur Indulgentia, eùm eis miſericordiam largitur.

D. Petrus Chryſologus.

Flamma Purgatorij rore Indulgentiæ mitigantur.

D. Paulinus.

8 Iurè igitur D. Paulinus Epiſtolâ 1. ad Amandum dixit, rorem Indulgentiæ ad inferna deſcendere, vbi ardet ignis diuini furoris virtute accenſus, flammæ nanque Purgatorij rore Indulgentiæ mitigantur, extinguuntur. *Sicut ignis accenſus ab eo ardebit vſque ad inferos deorſum, ita procuidubio etiam ros* INDVLGENTIAE *eius inferna penetrabit, vt roſcido pietatis eius lumine in tenebris ardentibus æſtuantes refrigeremur.* Rori comparatur Indulgentia, quia flammas refrigerat, quibus in Purgatorio animæ cruciantur. Cùm igitur hæc ita ſe habeant, iam liquet animas à Purgatorio Indulgentiæ ſuffragio eſſe liberandas.

CAPVT XIX.

Recitatione Pſalmorum adiuuandæ ſunt Animæ defunctorum.

Semper conſueuerunt Chriſtiani pro defunctis Pſalmos recitare.

D. Auguſtinus.

1 SEmper conſueuerunt Chriſti fideles Pſalmos in exequijs recitare mortuorum, hiſque precibus eis exhibere pietatem. Hinc D. Auguſt. lib. 20. Confeſſ. cap. 12. de funere matris loquens, ait. *Pſalterium arripuit Euodius, & cătare cœpit* PSALMVM, *cui reſpondebat omnis domus, Miſericordiam & iudicium cătabo tibi Domine.* Gregorius Turonenſis lib. 4. Hiſtoriæ Francorum cap. 1. *Igitur Chrothildis regina plena dierum, bonisque operibus prædita apud vrbem Turon-*

Greg. Turon.

ronicam obijt, tempore Iniurioſi Epiſcopi, quæ Pariſios cum magno PSALLENTIVM *præconio deportata, in baſilicâ S. Petri ad latus Clodouei Regis ſepulta eſt.* Adamus Sasbout in cap. 2. Epiſt. Ad Hebræos. *Efferebatur funus, vocabantur ſacerdotes, adhibebantur pſalmiſtæ, accendebantur lampades*, CANTABANTVR PSALMI. Magna pietas pſalmodiæ cantu exhibetur defunctis, ideòque ſemper conſueta fuit in Eccleſia pro eis recitatio Pſalmorum.

Adamus Saſbout.

2 Quin & in Cœmiterijs, vbi cadauera ſepeliebantur mortuorum, vt pſallerent, conuenire ſolebant. Quod innuit D. Clemens Romanus lib. 6. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 30. apud Cornelium à Lapide in cap. 47. Geneſis. *Conuenite in Cæmeteria, ſacros libros in eis legentes, &* PSALLENTES *pro ijs, qui dormierunt.* Vt animas adiuuarent mortuorum, in Cæmeterijs, in quibus eorum corpora condebantur, pſallebant, eos, qui iam fideliter obdormierant, recitatione pſalmorum adiuuantes.

In cœmiterijs pſalmi canebantur.

Clemens Romanus.

3 Addo, Pſalmos interdum linguis diuerſis in mortuorum funeribus fuiſſe recitatos, ita ut & Græco, & Hebræo, & latino ſermone canerentur. Quod teſtatur D. Hieronymus Epiſtolâ 27. *Exin non vlulatus, non planctus, vt inter ſæculi homines fieri ſolet, ſed* PSALLENTIVM LINGVIS DIVERSIS *examina concrepabant*, Et infrà. *Hebræo, Græco, Latinoque ſermone* PSALMI *in ordine perſonabant.* Non vnico idiomate, ſed plutibus pſalmos recitabant pro defunctis, vt ad multiplicationem ſermonis exhibitionem multiplicarent pietatis.

Linguis diuerſis pro mortuis pſalmos canebãt.

D. Hierony.

4 Illud etiam eſt animaduertendum, lachrymantibus oculis pſalmos fuiſſe recitatos, ita vt non rarò pſalmi à luctu interrumperentur. Narrat hoc D. Gregorius Nazianzenus oratione in laudem Baſilij. PSALMODIAE *luctu interrumpebantur, ac vincebantur, patientia doloris magnitudine frangebatur.* Cùm lachrymas effundebant, pſalmos canebant, & luctu, & pſalmodiâ ſuis pietatem impendentes defunctis.

Lachrymantibus oculis pſalmi pro defunctis recitabantur.

D. Gre. Naz.

5 Quid? quòd Angeli quoque interdum Pſalmos in mortuorum funeribus cecinerunt? Audiamus D. Gregorium Nazianzenum oratione 2. in Iulianum de funere Imperatoris Conſtantij loquentem. *Id quoque multorum auribus diuulgatum eſt, quòd cùm corpus, Tauro monte ſuperato, ad paternam ciuitatem, hanc, inquam, illi cognominem, in primiſque claram, & nobilem veheretur, vox quædam è ſummis locis à nonnullis exaudiebatur, velut* PSALLENTIVM, *& proſequentium (angelicorum opinor coetum) quod pietatis illi præmium erat, funebriſque remuneratio.* Adeò pſallendum eſt in exequijs mortuorum, vt Angeli quoque ipſi pſalmos in eorum funeribus cecinerint. Recitatione igitur Pſalmorum adiuuandæ ſunt animæ defunctorum.

Angeli Pſalmos cenentes in exequijs Imperatoris Conſtantij.

D. Gre. Naz.

CAPVT XX.

Aqua benedictæ aſperſione refrigerium affertur defunctis.

1 AQuæ benedictæ aſperſionem prodeſſe defunctis, tùm Eccleſiæ conſuetudo, quæ illâ vtitur in eorum exequijs, tùm plerique docent illuſtres authores D. Bernardinus ſerm. 63. art. 3. cap. 2. *Proſunt quoque defunctis cæremoniæ & ſolemnitates, quæ in Eccleſijs pro eis fiunt, ſicuti ſunt campanarum pulſatio, officiorum decantatio, cereorum illuminatio,* AQVAE BENEDICTAE ASPERSIO Lucas Tudenſis in Bibliothecâ veterum Patrum lib. 1. cap. 15. CVM AQVA BENEDICTA, *cruce, incenſo, & oratione egrediuntur fideles ſuper tumulos mortuorum, & vt eis remiſſionem, & ſolatium à Domino valeant impetrare*, ASPERGVNT. D. Iſidorus apud eumdem lib. 1. cap. 22. *Quæcumque ex deuotione fiunt ab Eccleſiâ, vt modulatio cantûs pſalmorum,* AQVAE BENEDICTAE ASPERSIO, *odoramenta thuris, & thymiamatis, vel etiam pulsatio campanarum illis, pro quibus fiunt viuis fidelibus, ſiue mortuis conferunt.* Iodocus Clichtoueus ſerm. 2. in die Animarum, ait animas mortuorum iuuari. ASPERSIONE AQVAE BENEDICTAE *ſuper ſepulchra mortuorum, vt Deus præſtet eis refrigerium ab ardore ignis purgatorij, qui grauiſſimus eſt.* Refrigerium affert Animabus in Purgatorij flammis cruciatis Aquæ benedictæ aſperſio, earumque pœnas mitigat, & ardores.

Aqua benedicte aſperſio prodeſt mortuis.

D. Bernard.

Lucas Tudenſis.

D. Iſidorus.

Iodocus Clichtoueus.

2 Hoc refrigerium poſtulabat diues in inferno ſepultus, cùm rogabat Abraham, vt mitteret Lazarum, qui digiti ſui extremum in aquam intingeret, vt ſibi refrigerium in flammis afferret. *Et ipſe clamans, dixit, Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flammâ.* Luc. 16. 24. Miſer in inferno iacens refrigerio, quod optabat, potiri non potuit, quo tamen potiuntur Animæ Purgatorij, cùm viuentes fideles aquam benedictam ſuper eorum ſepulchra piè aſpergunt. Ad rem Ioannes Echius homil. 5. in die Animarum. *Diues refrigerium petijt in inferno, etiam ex guttâ aquæ frigidæ, neque tamen impetrauit, nec impetrabit vnquam, ſed qui in* PVRGATORIO *ſunt aſſequuntur, cùm quis eis* AQVAM ASPERGIT BENEDICTAM Aquæ benedictæ aſperſione refrigerium in flammis animæ Purgatorij experiuntur, & à pœnis, quæ illas exerucíant, ſubleuantur.

Animæ Purgatorij hac aſperſione refrigeriũ experiuntur.

Ioan. Echius.

2 Hinc

Hoc refrigerium expliсauit Anima ſacerdotis defuncti. D. Iſidorus.

3 Hinc Lucas Tudenſis in hiſtoriâ miraculorum Sancti Iſidori cap. 31. apud Baëzam lib. 8. in Euangelia cap. 3. ait Animam ſacerdotis dixiſſe mortuorum Animas aquæ benedictæ aſperſione ingenti refrigerio perfundi. *Ad loca, quò corpora noſtra iacent, venire permittimur, quæ ſi incenſo, vel* AQVA BENEDICTA REPERIMVS ASPERSA, *tanto perfundimur refrigerio, vt nobis ferè quaſi paradiſiaca requies videatur.* Ingenti refrigerio, magnâque require Animæ Purgatorij fruuntur, cùm ſuorum cadauerum tumuli aquâ benedictâ aſperguntur.

S. Tereſia Aqua benedicta aſperſione diabolū eiecit ſe turbantem ne preces pro defunctis effunderet. S. Tereſia.

4 Huius aquæ benedictæ efficaciam pro Animabus Purgatorij agnouit Beata Tereſia, quæ cùm in die commemorationis fidelium defunctorum preces pro eis offerret, & Dæmon eam turbaret aquæ benedictæ aſperſione illum fugauit, & animabus Purgatorij pietatem impendit. Audiamus quid ipſa dicat in ſuâ vitâ cap. 31. *Cùm pro mortuis preces in die Commemorationis animarum effunderem, Dæmon librum, quo vtebar, occupauit, vt autem me ſigno crucis muniebam recedebat, ſed cùm preces proſequi vellem denuò reuertebatur, quod ter contigit, nec vnquam prorsùs abijt, niſi cùm* AQVAM BENEDICTAM *adhibui.* Nouerat ſancta mulier aquâ benedictâ Purgatorij animas adiuuari, ideòque, vt pro eis preces effundere poſſet, aquam benedictam adhibuit, eâque diabolum ſe turbantem abiecit.

In Cœmeterijs pro aſperſione vas aqua benedicta appoſitū. Acta Eccl. Mediol.

5 Acta etiam Eccleſiæ Mediolanenſis hanc veritatem comprobant, cùm lib. 4. præcipiunt, vt in Cæmeterijs vas aquæ benedictæ ponatur, vt eâ poſſint aſpergi ſepulchra mortuorum. *Habeat item* (Cœmeterium) *vas* AQVAE SANCTAE, *formâ ſuprà demonſtratâ cum aſperſorio, non tamen appenſo, ſed quod amoueri poſſit* AD ASPERGENDI VSVM Aqua benedicta in cœmiterijs ſeruatur, vt eius aſperſione defunctorum animabus pietas exhibeatur.

Aquâ benedictâ à fidelibus viuis pœna deleantur, quas debent mortui. Virgilius. Iodocus Aſcens.

6 Addo in calce capitis, quod ait Virgilius lib. 6. Aeneidos, nonnullorum ſcilicet mortuorum animas apud inferos aquâ purgari.

alijs ſub gurgite vaſto.
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Vbi Iodocus Aſcenſius ait. *Scelus infectum auſertur alijs per oblationem ſub gurgite vaſto, quia etiam* AQVA BENEDICTA *venalia purgantur?* Aquâ benedictâ piè à fidelibus effusâ pœnæ delentur, quibus obnoxiæ ſunt animæ defunctorū, vt eorum peccata citiùs purgantur. Liquet igitur aquæ benedictæ aſperſione refrigerium afferri defunctis.

CAPVT XXI.

Annuis mortui ſunt adiuuandi ſuffragijs.

Annua ſuffragia exhibita mortuis, & quare. Tertullian.

1 ANnua ſacrificia, & alia ſuffragia exhibita fuiſſe defunctis, teſtatur clariſſimè Tertullianus lib. de coronâ militis cap. 3. *Oblationes pro defunctis* ANNVA DIE *facimus.* Et lib. de Monogamiâ. *Pro animâ eius oret, offerat* ANNVIS DIEBVS *dormitionis eius.* Apud pios fideles mos iſte obtinuit, vt annuæ preces, & oblationes pro mortuorum animabus offerantur, vt à pœnis, quibus torquentur, eripiantur. Cuius moris eam affert rationem Amalarius Fortunatus in Bibliothecâ veterum Patrum lib. 3. de officijs eccleſiaſticis cap. vlt. quòd cùm neſciamus, qualis ſit ſtatus defunctorum, ſemper eis ſuffragari debemus, ita vt ſicut annuâ die honoramus ſanctos, ita eâdem die adiuuemus defunctos. ANNIVERSARIA DIES *ideò repetitur pro defunctis, quoniam neſcimus, qualiter eorum cauſa habeatur in aliâ vitâ. Sicut ſanctorum anniuerſaria dies in eorum honore ad memoriam nobis reducitur ſuper vtilitate noſtrâ, ita defunctorum, ad vtilitatem illorum, & noſtram deuotionem, credendo eos aliquando venturos ad conſortium ſanctorum.* Cùm nunquam ſciamus defunctos à Purgatorij pœnis fuiſſe ereptos, debemus ſemper eis annua exhibere ſuffragia pietatis.

Amalarius.

Iſraelitæ filiæ Iephte annuo luctu pietatē exhibuerunt.

2 Hoc egerunt Iſraëlitæ in morte filiæ Iephte, qui ſtatuerunt, vt quotannis filiæ Iſraël in vnum conuenirent, eique pio luctu parentarent. *Exindè mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniant in vnum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Iudic. 11. 40. Quò enim iſte planctus tendebat, niſi eò, vt annua defunctæ Virgini pietas à ſodalibus exhiberetur? Appoſitè Abulenſis quæſt. 52. in hunc locum. *Erat iſte planctus* ANNIVERSARIVS *pro filia Iephte, & incipiebat iſte annus, non ſecundùm inchoationem anni Iudæorum, ſed computando à die, quo occiſa eſt, ita vt ſemper in eodem die fieret planctus pro eâ.* Cognoſcebant Iſraëlitæ, anniuerſariâ pietate honorandos eſſe defunctos, & ideò voluerunt, vt annuo luctu mortuæ filiæ Iephte pietas exhiberetur.

Abulenſis.

Anniuerſario dolore Chriſti mors celebratur. Idem.

3 Hùc etiam ſpectat lugubre pietatis officiū, quo mortis Chriſti quotannis mentionem facimus, feria 6. antè Paſcham. Quid enim aliud eſt luctus hic Eccleſiaſticus, niſi annua pietas, quam Chriſto exhibemus defuncto. Ita cenſet Abulenſis quæſt. 54. in cap. 11. Iudicum. ANNIVERSARIVM *dolorem pro morte eius die Crucis agimus.* Vt oſtendat Eccleſia, mortuis eſſe anniuerſariam pietatem exhibendam, anniuerſario dolore quotannis Chriſti mortem celebrat, annuoque dolore illius paſſionem plorat.

Anniuerſaria depoſitio Abbatis ſolenniter celebrata. Ioannes Caſſianus.

4 Legimus quoque apud Ioannem Caſſianū Collat. 19. cap. 1. innumeram Monachorum turbam vnà conueniſſe, vt defuncti Abbatis anniuerſariam depoſitionem celebraret. *Ad Abbatis Pauli cœnobium ſummâ ſpiritûs alacritate perreximus, vbi licet plus quàm ducentorum fratrum numerus moraretur, in honorem tamen ſolennitatis, quæ id temporis agebatur infinita quoque de alijs cœnobijs monachorum turba confluxerat. Nam prioris Abbatis, qui eidem cœnobio præfuerat,* ANNI-

VERSARIA DEPOSITIO *ſolenniter celebrabatur*. Vide, quanta confluxerit piorum virorum multitudo, vt anniuerſario pietatis obſequio mortuum honorarent Abbatem.

Gentiles annuis ſacrificijs mortuis parentantes. Iuſtin. Hiſt.

5 Quid? quòd & Gentiles annuis conſueuerant ſacrificijs animabus parentare defunctorum? Audiamus Iuſtinum Hiſtoricum lib. 9. hæc ſcribentem. *Paucos poſt dies refixum corpus interfectoris ſuper reliquias mariti cremauit, & tumulum ei eodem fecit in loco*, PARENTARIQVE EIDEM QVOTANNIS, *incuſſâ populo ſuperſtitione, curauit*. Athenæus quoque lib. 13. cap. 12. ait, *Alcibiadis ſepulchrum in Meliſſâ eſt, vbi* QVOTANNIS BOS IMOLATVR. Plutarchus in Ariſtide. *Eo approbato ſcito Platæenſes receperant Græcis, qui ceciderant illic, & humati fuerant*, QVOTANNIS PARENTARE. Ouidius etiam lib. 2. Faſtorum huius morem parentandi quotannis defunctis apud Latinos ab Aenea inquit originem duxiſſe.

Athenæus. Plutarchus. Ouidius.

Hunc morem Aeneas pietatis idoneus author
Attulit in terras iuſte Latine tuos.

Paulus Marſus.

Vbi Paulus Marſus ait. *Hanc annuam conſuetudinem pro mortuis ſacrificandi, nam* PRO PATRE QVOTANNIS SACRIFICABAT. Annua ſacrificia pro mortuis offerebant, & in eorum honorem parentalia quotannis exhibebant.

Annua ſerta ſuper mortuorum ſepulchra collocata. Tibullus.

6 Annua quoque ſerta ſuper mortuorum ſepulchra collocare ſolebant. Quod innuit Tibullus lib. 2. Elegiâ 4.

Atque aliquis ſenior veteres veneratus amores
ANNVA conſtructo SERTA dabit tumulo

Gyraldus.

Gyraldus lib. de vario ſepeliendi ritu. *Redeuntes poſteri ad agros, vere iam florente, cariſſimorum iacentium cùm reminiſcerentur, pro tempore floribus, &* SERTIS *cæteriſque eiuſmodi reliquijs ſuorum memoriam celebrabant, ex quâ re* ANNVA, *& tot alia mortuorum ſacra adinuenta*. Hocque voluiſſe videtur ille, qui in antiquâ Inſcriptione præcepit, *Vt* QVOTANNIS ROSAS *ad monumentum eius deferant*. Vt ſuam oſtenderent ergà mortuos pietatem florum ſertis eorum ſepulchra quotannis honorabant, & anniuerſariam eis miſerationem impendebant.

Inſcriptio Antiqua.

Munera quotannis in defunctorũ honorẽ oblata. Virgilius.

7 Nec tantùm ſerta, ſed & alia munera quotannis in defunctorum honorem offerebant. Vnde Virgilius lib. 5. Aeneidos cecinit.

Iamque dies, ni fallor, adeſt, quem ſemper acerbum,
Semper honoratum, ſic Dij voluiſtis, habebo
Hunc ego Getulis agerem ſi ſyrtibus exul,
Argolicoue mari deprenſus, & vrbe Mycenæ,
ANNVA VOTA tamen, ſollenneſque ordine pompas
Exequerer, ſtrueremque ſuis altaria DONIS.

Nicolaus Trigautius.

Nicolaus Trigautius lib. 1. de Chriſtianâ expeditione apud Sinas cap. 7. *Ad hos tumulos* QVOTANNIS *propinqui conueniunt diebus ad eam rem deputatis. Vbi ritus ſuos exhibent, Suffitus accendunt*, DONARIA *explicant, & epulum funebre inſtituunt*. Thucidides lib. 3. *In nemini ſepulchra patrum veſtrorum, quos à Medis interemptos, & in noſtrâ terrâ ſitos* QVOTANNIS *publicè honeſtabamus, cùm alijs inferijs, tùm verò indumentorum apparatu, primitijs etiam fructuum, quoſcumque noſtrum ſolum fert, iuſta ſoluentes, viri ex amicâ vobis regione, & beneuoli, aliquando ſocij veſtri, ac commilitones*. Plato lib. 34. de Legibus. Annuas curas defunctorum, quæ ornamentum afferant, inſtaurare decet, & nouâ quotidie repetitâ memoriâ ſemper parentes ſummopere honorare. Auſonius demùm in parentalibus carm. 24.

Thucydides. Plato.

Qui lætum ingenium, mores qui diligit æquos,
Quique fidem ſanctâ cum pietate colit,
Paulini manes mecum veneratus, amicis
Irroret lacbrymis ANNVA VOTA ferens.

Auſonius.

Animaduerte apud omnes annuis obſequijs honoratos fuiſſe defunctos, & agnoſce annuis mortuos honorandos eſſe ſuffragijs.

CAPVT XXII.

Publica ſunt exhibenda ſuffragia defunctis.

Sumptu publico defuncta honorata ſoror Moyſis Maria.

1 INcipio à ſumptu, qui fit, vt pietas defunctis exhibeatur, quem publicè factum fuiſſe conſtat ex funeriæ ſororis Moyſis, quæ mortua eſt in Cades, & ibidem ſepulta. *Veneruntque filij Iſrael, & omnis multitudo in deſertum Sin, menſe primo, & manſit populus in Cades. Mortuaque eſt ibi Maria, & ſepulta in eodem loco*. Num. 20. 1. Obſeruat autem Ioſeph Hebræus lib. 4. Antiquit. Iudaic. cap. 4. magnificè fuiſſe hanc mulierem ſepultam, & publico ſumptu elatam. *Eodem tempore ſorori eius Mariæ vltimus vitæ dies aduenit quadrageſimo anno, ex quo Aegyptum reliquerat menſis Xantici lunâ primâ, ſepultaque eſt* PVBLICO SVMPTV *magnificè ſuper quodam monte, qui appellatur Sein*. Magnficè Mariam ſepelierunt, publicoque ſumptu funeris ei officium impenderunt.

Ioſeph Hebr.

Alij publicis ſumptibus tumulati. Euſeb. Cæſar.

2 Hoc idem in obſidione Ieroſolymæ præſtiterunt Iudæi, qui publico ſumptu ſuorum cadauera ſepelierunt. Vndè Euſebius Cæſarienſis lib. 3. cap. 6. ait. PVBLICI AERARII SVMPTV *cadauera ſepulturæ mandarunt*. Iulius quoque Capitolinus ſcribit M. Antonium Philoſophum iuſſiſſe publico ſumptu funera vulgaria efferri. *Tantâ clementiâ fuit, vt &* SVMPTV PVBLICO *vulgaria funera iuberet fieri*. Idem aſſerit Plutarchus in Ariſtide in illius funere Athenienſes egiſſe. *Tumulus eius extat in portu Phaleri, quem ei, cùm ne ſumptum quidem funeris reliquiſſet*, PVBLICE *ferunt factum*. Eâdem etiam pietate proſecuti ſunt Phocionem, vt idem tradit Plutarchus in eius vitâ. *Statuam ei ex ære poſuere, & oſſa* PVBLICE EXTVLERE. Agnoſcentes publicam deberi pietatem defunctis, publicis eos

Iul. Capitol. Plutarchus.

ſum

ſumptibus extulerunt, & honoribus decorauerunt.

Aaron publico luctu honoratur.

3 Venio ad luctum, quem publicè defunctis deberi, colligo ex luctu, quo Iſraëlitarum multitudo Aaron plorauit extinctum. Vt enim agnouerunt, eum in morte vitam amiſiſſe, triginta diebus lachrymis eum honorauerunt. *Omnis autem multitudo, videns occubuiſſe Aaron, fleuit ſuper eo triginta diebus per cunctas familias ſuas*. Numer. 20. 29. Vide quæſo, quàm publicus fuerit hic luctus, qui per cunctas familias tantâ fuit diuturnitate celebratus, & agnoſce publico luctu mortuos eſſe à viuentibus honorandos. Probè

Oleaſter.

Oleaſter. *Colligimus ex hoc loco, publicas perſonas, quales ſunt ſummi ſacerdotes, & reges* PVBLICO LVCTV *eſſe deflendas*. Dum per cunctas familias ſuas Aaron defunctum Iſraelitæ plorauerunt, publicis lachrymis defunctos honorandos eſſe oſtenderunt.

Funere publico elati defuncti.

4 Funus etiam, quo elati ſunt defuncti, ſæpe numerò publicum fuit. Quare Eutropius loquẽs de Aurelio Antonin. Caracallâ lib. 8. hæc ſcribit

Eutropius.

Vix egreſſus ætatis quadrageſimum tertium annum, FVNERE PVBLICO *elatus eſt*. Dio Caſſius lib.

Dio Caſſius.

53. de Marcello ait. FVNERE PVBLICO *elatum, laudatumque pro more Auguſtus in ſepulchrum ab ipſo factum condidit*. Diogenes Laërtius lib. 9. in vitâ Democriti. *Vitâ functus*, PVBLICE SE-

Diog. Laert.

PVLTVS EST, *cùm vixiſſet vltrà centum annos*. Quia publicâ cenſebant pietate honorandos eſſe defunctos, funere publico illos efferebant, publicisque exequijs honeſtabant.

Publicis laudibus commendati.

5 Publicis item laudibus atque acclamationibus honoratos fuiſſe, cùm ad ſepulchrum deducerentur, defunctos. Quod de Conſtantio Imperatore teſtatur D. Gregorius Nazianzenus

D. Gre. Naz.

Oratione 2. in Iulianum. *Ille igitur* PVBLICIS LAVDIBVS, *fauſtiſque ominationibus, pompiſque deducitur*. Vt publicam pietatem defuncto Imperatori afferrent, publicis eum laudibus extulerunt. Quin & inferijs publicis defunctis pietatẽ

Suetonius.

impẽſam fuiſſe tradit Suetonius in Claudio cap. 11: inquiens eum decreuiſſe. *Parentibus* INFERIAS PVBLICAS. Non priuatis, ſed publicis inferijs voluit Imperator extinctos honorare parentes, vt nobis conſtaret, publicâ proſequendos eſſe pietate defunctos.

Publicus locus pro defunctorum ſepulturâ decretus.

6 Publicus quoque locus pro defunctorum ſepulturâ fuit in Exquilijs Romæ decretus, quem locum Puticulos appellabant. Scribit hoc Cœlius Rhodiginus lib. 10. Lect. Antiqu. cap. 17.

Cœlius Rhodigin.

In exquilijs præterea, vel vltra potiùs, vt Varroni placere animaduerto, Romæ LOCVS PVBLICVS *erat, quem Puticulos vocabant, quoniam illic eſſet ſepulchrum miſeræ plebi. Quod in Sermonibus Horatius ſignificat, & Acron expoſuit, nam eo in loco* VSTRINAS FVISSE PVBLICAS *ſcribit Porphyrio*. Adeò cenſebant publicam defunctis deberi pietatem vt publicum quoque pro ſepulturâ defunctorum voluerint decernere locum.

Conuiuia publica in funeribus.

7 Conuiuium denique funebre publicum fuiſſe conſtat ex eo, quòd in exequijs Abner populus vniuerſus ad Dauidem profectus eſt, vt cum eo cibum ſumeret. *Cumque veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid, clarâ adhuc die, iurauit Dauid dicens; Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi antè occaſum ſolis guſtauero panem, vel aliud quicquam*. 2. Reg. 3. 35. Cur totus populus ad Regem, vt cœnaret, eſt profectus? Cur ad proprias domos non ſe recepit? An publicum in funere amici Rex parauerat conuiuium? Ita

Gaſpar San.

cenſet Gaſpar Sanctius. *Colligo, in parentali alicuius honore* PVBLICVM *populis exhiberi* CONVIVIVM, *quod vſque adeò ſolenne fuit Hebræis, vt Ioſepho teſte, qui id ſæpè in ſuâ gente viderat, id omittere probro fuerit, & impium haberetur*. Mos erat in funeribus mortuorum publicum populo exhibere conuiuium, quod & Dauid præſtitit, ideòque totus populus ad eum, vt cibum ſumeret conuenit. Nec tantùm hunc morem ſectabantur Hebræi, ſed & Romani, vndè, nonnullis interiectis, ſubdit idem Sanctius. *Quàm porrò id eſſet familiare Romanis, docent multorum exempla adhuc ſepulchralibus inciſa ſaxis, qui teſtamento iuſſerunt, in ſuo funere* PVBLICVM POPVLIS EPVLVM *præberi*. Publicis epulis mortuos honorabant, hoc quoque more innuentes, publica exhibenda eſſe ſuffragia defunctis.

CAPVT XXIII.

Suffragia fide animata mortuis præſtare debemus.

Elias ſolus orauit, quia timuit, ne infidelitas matris noceret ſuſcitationi defuncti.

1 FIdem vnà cum ſuffragijs coniungendam eſſe, vt hæc defunctis proſint, oſtendit in primis Elias, qui vt Viduæ Sarepthanæ filio vitam impertiret, eius cadauer de ſinu matris tulit, & oraturus ad cœnaculum ſuum ſeceſſit. *Et ait ad eam Elias da mihi filium tuum. Tulitque eum de ſinu eius, & portauit in cœnaculum, vbi ipſe manebat, & poſuit ſuper lectulum ſuum*. 3. Reg. 17. 19. Cur puerum, dum adhuc in vlnis maternis iacebat, non excitauit? Cur præſente matre, pro illius vitâ non orauit? Cur tandem ad proprium cubiculum, vt pro eo preces effunderet, ſeceſſit? Elias ter erat pro defuncti vitâ oraturus, quod ſi mater eius vidiſſet, & prophetam primâ vice non exauditum cognouiſſet, fortè puerum ſuſcitandum eſſe amplius non credidiſſet, quare ne matris infidelitas reſurrectioni pueri noceret, in proprio cubiculo, abſente ipſâ, propheta orauit. *Elias*,

Abulenſis.

inquit Abulenſis, *oraturus erat ſæpè pro ſuſcitatione pueri, & ſi mater pueri videret, quòd poſtquam ſemel pro eo orauerat, & incubuerat ſuper ipſum, non ſuſcitabatur, deſperaret eum ſuſcitandum, & iſta* INFIDELITAS *matris fortè impediret ſuſcitationem pueri*. Fides requiritur, vt mortui adiuuentur, & idcircò noluit propheta præſente matre orare, ne ſi eius deficeret fides, defuncti pueri ſuſcitatio impediretur.

Digitized by Google

Eliſæū Deus bis, Eliam verò nō niſi ter pro mortuo deprecantem exaudiuit, quia ille maiorem fidē habuit. Idem.

2 Hinc facilè ratio afferetur, cur Deus Eliam pro mortuo deprecantem, non niſi tertiâ vice exaudiuit. *Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus.* 3. Reg. 17. 21. Eliſæum autem ſecundò pro Sunamitidis filio exaudierit deprecantem. Porrò maiori fide orauit Eliſæus, quam Elias, atque ideò vitam citiùs impetrauit defuncto. Adeſt idem Abulenſis. *Deus noluit exaudire Eliam, niſi ter orantem, Eliſæum autem exaudiuit orantem bis. Hoc autem fuit fortè, quia Eliſæus fuit* MAIORIS FIDEI *in orando.* Prodeſt fides defunctis, quare qui maiori præditus fuit fide, celeriorem defuncto impetrauit à Deo pietatem.

Ter Elias orauit fidem profeſſus Trinitatis.

Lyranus.

3 Niſi fortè dicamus, ter prophetam orauiſſe, vt trinâ oratione ſanctiſſimæ Trinitatis fidem profiteretur, hacque fide mortuo puero, pro quo rogabat, vtilitatem afferret. Quod ſenſit Lyranus. *Tribus vicibus hoc facit Elias, facto profitens* FIDEM TRINITATIS, *quia fides maximè operatur in operibus miraculoſis.* Trinitatis fidem trinâ oratione profeſſus eſt, vt cum orationis ſuffragio fides coniuncta magis prodeſſet defuncto, tunc enim valdè proſunt ſuffragia defunctis cùm vnà cum fide coniunguntur.

Sunamitis magnâ fide puerum mortuum ſuper lectū Eliſei collocauit.

Abulenſis.

4 Hanc veritatem agnouit mulier Sunamitis, quæ vt filium ſuum mortuum vidit, ſuper lectulum Eliſæi eum collocauit. *Aſcendit autem, & collocauit eum ſuper lectulum hominis Dei, & clauſit oſtium.* 4. Reg. 4. 21. Cur enim ſuper Prophetæ lectulum cadauer collocauit, niſi quia prophetæ precibus filium ſuſcitandum eſſe credidit? *Cùm mortuus eſt puer*, inquit Abulenſis, *mater credens, quòd ſicut Eliſæus poterat obtinere à Domino, quòd ille puer naſceretur, ita poſſet obtinere, quòd ſuſcitaretur à morte,* HABENS FIRMAM FIDEM, *poſuit puerum in lecto, & recurrit ad Eliſæum.* Firmâ fide mortuum puerum in prophetæ lectulo collocauit, eique ſuis lachrymis amiſſam vitam impetrauit. Nouerat enim fide adiuuandos eſſe defunctos.

Marito nihil reſpondit, ne ſuſcitationē pueri eius infidelitas turbaret.

Idem.

5 Quapropter cùm à marito facultatem petijſſet eundi ad Eliſæum, ab eo interrogata, quam ob cauſam pergeret ad illum, mortem filij tacuit, nihilque ad rem ei reſpondit. *Qui ait illi, quam ob cauſam vadis ad eum, hodie non ſunt calendæ, neque Sabbatum. Quæ reſpondit, Vadam.* 4. Reg. 4. 23. Cur interroganti marito cauſam non attulit hæc mulier ſuæ profectionis? Quare communis filij mortem ſilere voluit? Vt quid tandem nihil ei reſpondens abijt? Quia timebat, ne infidelitas patris filij ſuſcitationem turbaret. Adeſt idem Abulenſis. *Pater non erat fidelis, ſicut mater, ſed deſperaret de reſurrectione, & inciperet plangere filium ſuum, tanquam perpetuò mortuum, &* ISTA INFIDELITAS *fortè noceret nimis ad ſuſcitationem pueri.* Tacuit mortem filij mulier, ne pater ſuâ infidelitate ſuſcitationem eius impediret.

Rectè dixit ſi filium ſuum ſe habere, quia credidit eum ſuſcitandum.

Idem.

6 Sed illud etiam hic obſeruandum eſt, quòd cùm hæc mulier perueniſſet ad Eliſæum, & Giezi eius nomine illam interrogaſſet, num rectè omnia ſe haberent, illa rectè ſe habere affirmauit. *Vade ergò in occurſum eius, & dic ei, Rectène agitur circà te, & circà virum tuum, & circà filium tuum? Quæ reſpondit, Rectè.* 4. Reg. 4. 26. Quomodo rectè omnia ſe habere dixit, dum filius eius in prophetæ lectulo iacebat extinctus? Nonnè hoc erat Eliſæo per puerum eam interroganti mentiri? Nequaquam; nam cùm certiſſimè crederet filium ſuum prophetæ precibus eſſe ſuſcitandum, ſopore potiùs, quàm morte illum cenſebat affectum. Annuit idem Abulenſis. *Non mentita eſt iſta mulier, nec peccauit, quia dixit, quòd rectè agebatur apud filium ſuum,* CERTISSIME SPERANS *ſuſcitationem eius, & ideò mortem iſtam non reputabat vt mortem, ſed vt ſoporem.* Adeò certè credidit filium ſuum eſſe ab Eliſæo ſuſcitandum, vt iam eum rectè ſe habere dixerit propter hanc fidem, licet adhuc iaceret defunctus.

Giezi eum non ſuſcitauit, quia plena fides non eſt ſuffragata.

Caietanus.

7 Non deſcedam ab hoc defuncto, niſi & illud expendam, cur cùm Eliſæus miſiſſet Giezi, vt ſuo baculo eum ſuſcitaret, puer non reuixerit. *Giezi autem præceſſerat antè eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus, reuerſuſque eſt in occurſum eius, & nunciauit ei, dicens, Non ſurrexit puer.* 4. Reg. 4. 31. Cur puer non ſurrexit, cùm ſuper eius cadauer Giezi Eliſæi nomine baculum poſuit? Quia plena fides non eſt ſuffragata defuncto. Aptè Caietanus. *Non eſt mirum hoc, quia nec matris, nec ipſius Eliſæi* PLENA FIDVCIA *ſuffragata eſt.* Deficiente fide non ſurrexit puer, quia ſuffragia noſtra plenam requirunt fidem, vt poſſint prodeſſe defunctis.

Vt Chriſtus fidem Archiſynagogi pro defunctâ filiâ deprecantis augeret, mulierem ſanguinis fluxu laborantem.

D. Bonauent.

8 Hoc oſtendit Chriſtus, cùm ſynagogæ princeps eum rogauit, vt filiæ ſuæ defunctæ vitam largiretur. Nam vnà cum eo proficiſcens, in itinere mulierem ſanguinis fluxu laborantem ſanauit. *Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius.* Luc. 8. 44. Quod cur egit, niſi vt Archiſynagogi fidem pro defunctâ filiâ deprecantis confirmaret? Rectè D. Bonauentura. *Quia difficile erat credere, mortuum ſuſcitari, ideò Dominus in ipſo itinere miraculum fecit, per quod adiuuit* FIDEM *Archiſynagogi.* Miraculum illud Chriſtus effecit, vt Archiſynagogus, eo viſo, fidem augeret, eamque cum precibus, quas pro defunctà effundebat, vniret.

Fidem ab eo Chriſtus exegit.

Theophylact.

9 Quò etiam ſpectauit, cùm nuncius ad Archiſynagogum venit, qui ei ſuaſit, ne vltrà magiſtrum vexaret, ad eum enim conuerſus, dixit ei, ne timeret, ſed crederet. *Ieſus autem audito hoc verbo reſpondit patri puellæ, Noli timere, crede tantùm, & ſalua erit.* Luc. 8. 50. Ab eo quippè, qui defunctam adiuuare ſatagebat, fidem Chriſtus exegit. *Ieſus*, inquit Theophylactus, *vt audiuit, quòd dixit quidam ad Archiſynagogum, Ne vexes magiſtrum, hoc eſt ne facias negotium, ne adducas illum, non expectauit, vt princeps ſynagogæ ſibi*

loque-

Digitized by Google

laqueretur, ſed præuenit eum, ne fortè diceret Archiſynagogus, Non opus habeo te, iam enim malum factum eſt, mortua eſt, quam ſperabamus à te ſanandam, ideò ne quid tale diceret, incredulus enim erat, & Iudæus, præueniens illum Chriſtus, dicit, Ne timeas, tantùm CREDE. Fides requiritur, cùm mortui adiuuantur, quare vt Archiſynagogi filiam ſuſcitaret, fidem ab eo Chriſtus exegit.

Quia fidem habuit, cum eo ſtatim perrexit, & reſurectionis miraculo eſt adeſſe voluit Dion. Carth.

10 Hinc quia fidem habuit, cum eo confeſtim perrexit. *Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum*, Matth. 9. 19. Quod propter Archiſynagogi fidem Chriſtum egiſſe, teſtatur Dionyſius Carthuſianus in cap. 8. Lucæ. *Iairus* FIDELITER, *atque humiliter Chriſtum fuerat deprecatus, quamquam fides eius non fuerit ita perfecta, vt Centurionis.* Eamdemque ob cauſam cùm omnes eiecit, puellæ parentes ingredi, vbi erat cadauer permiſit. *Ipſe verò eiectis omnibus, aſſumit patrem, & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingrediuntur, vbi puella erat iacens*, Marc. 6. 40. Ad quæ verba inquit Albertus Magnus. *Aſſumit patrem, & matrem puellæ, quas* IN FIDE CONFORTATOS *tanto miraculo honorare diſponebant.* Voluit eos adeſſe miraculo reſurrectionis, quia fide præditi erant, fide namque præditi eſſe debent, qui mortuis pietatem impendunt.

Alb. Magn.

Eiecit turbã, quia deſidebar, & non credebat.

11 Quâ fide quia prædita non erat cætera turba, illam eiecit. *Et cùm veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Iacob, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ.* Luc. 8. 51. Vt quid enim turbam eiecit, niſi quia non credebat, ſed eum deridebat? Ita Hugo ſenſit Cardinalis. *Erant autem ibi plurimi flentes, & plangentes ſuper puellam defunctam, quos eliminauit, quia indigni erant videre miraculum, cùm potiùs deriderent, quàm* CREDERENT. Cum fide coniungẽda ſunt obſequia pietatis, quæ impenduntur defunctis, quam fidem cùm deridentes non haberent, ideò Chriſtus eorum luctum paruipendit, & eos eiecit.

Hugo Card.

Sororum Lazari fides ei mortuo vitã impetrauerũt

12 Iuit Chriſtus ad oppidum Bethaniæ, quò cùm perueniſſet, Lazarum defunctum ad vitam reuocauit. Sed antequam id ageret, longum cum Marthâ ſermonem habuit, eamque paulatim ad fidem reduxit. *Ait illi, vtique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti*, Ioan. 11. 27. Aduertit autem Albertus Magnus, hanc Marthæ fidem cum precibus, quas effuderat, coniunctam, vitam à Chriſto impetrauiſſe fratri defuncto. *Clauſtra mortis, quæ defunctum detinebant, aduersùs illam* FIDEM *nihil potuerunt, ſed defunctum, quem abſorbuerant, reddiderunt.* Cum fide ſunt coniungenda ſuffragia, quæ impenduntur defunctis, atq; ideo cùm Martha fidem cum precibus vniuit, defuncto fratri vitam obtinuit. Quin & vtriuſque ſororis fidem hãc impetrauiſſe docet Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi. 5. *Tantum potuit illa ſororum* FIDES, *vt mortuus à portâ inferi reuocaretur.* Cum precibus coniunxerunt Lazari ſorores fidem, & ſic mortuo fratri vitam impetrauerunt.

Alb. Magn.

Cyril. Hieroſ.

Magdalenæ vnctionem Chriſtus commẽdauit, qui a magnâ fide facta fuit.

13 Hanc item fidem Magdalena oſtendit, cùm ſuper caput Chriſti Bethaniæ recumbentis vnguentum effudit, vt proximam ſepulturam illius honoraret. Quamobrem cùm diſcipuli aduersùs eam indignati vnguenti effuſionem pretij appellarent iacturam, Chriſtus eam defendit, & increpantes diſcipulos reprehendit. *Sciens autem Ieſus, ait illis, quid moleſti eſtis huic mulieri, opus enim bonum operata eſt in me*, Matth. 26. 10. Cur autem opus hoc tanquam bonum eſt commendatum, niſi quia cum fide fuit coniunctum? Ita ſentit Theophylactus. MAGNAM FIDEM *oſtendit, quòd tam pretioſum vnguentum, & abſque parſimoniâ, in caput eius effudit, honorem exhibens membro præcipuo.* Accinit & Gloſſa ordinaria. *Officium eſt ſepulturæ, quod vos perditionem eſſe putatis, nec mirum, ſi mihi dat* FIDEI ODOREM, *pro quâ mox fuſurus ſum ſanguinem.* Adſtipulatur tandem & D. Ioannes Chryſoſtomus. *Nec latere quoquo modo huius præclarum facinus ſim paſſurus, ſed totus ſit orbis cogniturus, quæ in domo hac, atque in occulto hæc ipſa perfecerit; ſi quidem à mente admodum piâ,* FERVENTIQVE FIDE, *& animâ prorſus contritâ id geſtum fuit.* Feruentem fidem hæc mulier cum obſequio pietatis ad honorem ſepulturæ impenſo exhibuit, ideòque opus eius tot laudibus Chriſtus commendauit.

Theophyl.

Gloſſa Ordin.

D. Io. Chryſ.

Ioſeph Arimathæus roboratus in fide Chriſtum ſepeliuit.

14 Non debeo etiam hîc præterire Ioſeph Arimathæum, qui ad Pilatum audacter introiuit, & vt ſibi liceret Chriſti defuncti cadauer humare, audacter poſtulauit. *Venit Ioſeph ab Arimathæâ nobilis decurio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu*, Marc. 15. 43. Vt quid diſcipulus, qui anteà fuerat adeò meticuloſus tantâ ad Pilatum audaciâ perrexit, & Chriſti cadauer ſepeliuit? Audi reſpondentem Dionyſium Carthuſianum. *Iam roboratus fuit* IN FIDE, *videns, quæ in Chriſti paſſione, & obitu acciderant, ideò quamuis antè fuiſſet occultus Chriſti diſcipulus, nunc tamen manifeſtauit, quod fuit.* Fidem cum pietate diſcipulus iſte coniunxit, vt Chriſtum honoraret defunctum, nam cum fide coniungenda ſunt pietatis obſequia, quæ impenduntur defunctis.

Dion. Carth.

Mulier filij cadauer ad S. Maioli Eccleſiam vt preces pro eo funderet, magnâ fide portauit.

15 Coronidem Capiti, & Libro impono, addens id, quod ſcribit Petrus Cluniacenſis in Bibliothecâ veterum Patrum libr. 2. de Miraculis cap. 31. Mulierem videlicet, cuius filius mortuus fuerat, eius cadauer ad Sancti Maioli templum detuliſſe, ac magnâ fide preces pro eo effudiſſe, quibus vitam ei à Sancto impetrauit. *Excitata mirandis operibus, quæ non ſolùm frequenter ad ſepulchrum ſanctiſſimi confeſſoris facta audierat, ſed etiam plerumque viderat, in ſpem animum erexit, & ſibi ab eo poſſe reddi filium, non irritâ* FIDE *præſumpſit.* Fidem cum precibus vniuit, & ita filio defuncto priſtinam vitam obtinuit, nam cum fide ſuffragia ſunt vnienda, quæ impenduntur defunctis. Omnia igitur, quæ hoc in libro explicauimus, ſuffragia fide animata mortuis præſtare debemus.

Petrus Clun.

FINIS LIBRI QVINTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P.
D. CHRYSANTHI SOLARII
PLACENTINI CLE.[ci] REG.[ris]
PENTATEVCHI MORTVORVM AVCTARIVM.

Ratio cur adſdatur hoc Auctarium Pentateucho explicatur.

1 QVinque libros iuſtâ menſurâ mortuorum Pentateuchum efformãtes exhibui. Exhibeo nunc ex ijs, quæ inter ſcribendũ mihi exciderunt, Auctarium, ne fragmenta pereant, quæ poſt Voluminis compoſitionem ſuperfuerunt. Omnibus, quę hic ſcribuntur, iam ſcripta in ſuperioribus libris confirmantur, vndè in margine libros, & capita, quibus inſerenda eſſent, ſi forte Volumen reconderetur, annotaui. Vtinam hoc quoque Auctarium noſtram augeat pietatem, & fideles viuos clementiores reddat ergà defunctos.

Lib. I. C. III. Chriſtus ſtatim Archiſynagogum eſt ſecutus, vt pietatem defunctæ impendens Dei opus exerceret.

2 Diuinum eſſe opus pietatem exhibitam defunctis illud etiam probat, quòd ſtatim ac Archiſynagogus Chriſtum rogauit, vt ſuæ filiæ defunctæ vitam communicaret, ipſe ſecutus eſt eum. *Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius.* Matth. 9. 19. Cur enim tantâ celeritate reſurrectionis opus eſt aggreſſus, niſi quia opus erat diuinum? Præclarè D. Ioannes Chryſoſtomus apud Ludolphum lib. de vitâ Chriſti 1. par. cap. 49. *Cùm interrogatus eſſet Dominus à Iairo, vt ad ſuſcitandam filiam ipſius veniret, non moratur, ſed ſtatim ſurgens ſecutus eſt eum. Quo exemplo docuit, nos impigros in omni* OPERA DEI *eſſe debere.* Opus erat Dei pietas exhibenda puellæ defunctæ, ideòque tantâ feſtinatione Chriſtus eam impendere curauit.

D. Io. Chryſ.

Cap. IV. Deo prouidente Dauid Iſraëlitas plorauit mortuos.

3 Dei prouidentiam ergà defunctos commendat luctus, quo Dauid Saul, eiuſque filios in monte Gelboë interfectos plorauit. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam.* 2. Reg. 1. 11. Tantam enim pietatem lachrymis, ieiunio, alijſque ſuffragijs Dauid exhibuit, Deo prouidente, defunctis. Aſſerit hoc Repertus Abbas lib. 2. in libros Regum cap. 18. *Nunquid hoc caſu, & non potiùs* PER DEI PROVIDENTIAM *geſtum eſt? Vtique* DEO PROVIDENTE *factum eſt.* Dei prouidentiâ defunctos Iſraëlitas Dauid plorauit, ac pro eorum animabus ieiunauit, nam Deo prouidente impenduntur ſuffragia pietatis, quæ in auxilium defunctorum à viuentibus exhibentur.

Rup. Abbas.

Dei prouidentia quatuor Aquilas miſit, qui ſancti Stanislai cadauer cuſtodirent.

4 Singularem quoque hanc Dei prouidentiã præſefert id, quod contigit ſancto Præſuli Stanislao defuncto, cuius cùm famam improbi homines lacerarent, eiuſque corpus vulneribus, & cruore deformatum proiecissent, vt ab auibus diſcerperetur, ac feris, diuina confeſtim aſtitit prouidentia, quæ quatuor Aquilas ingentis magnitudinis ſacri cadaueris cuſtodes, donec ſepulturæ obſequijs donaretur, effecit. Narrat hoc Ioannes Longinus in eius vitâ apud Surium die 8. Maij. *Non paſſus eſt ille omnia circumſpectans* DIVINAE PROVIDENTIAE *oculus tam fœdè lacerari exiſtimationem martyris ſui. Nam alterâ ab eius cæde die, cùm Rex, & impij adminiſtri crudelitatis eius putarent iam corpus omne à canibus, & auibus abſumptum, à quatuor mundi partibus totidem raræ formæ, & magnitudinis aduolarunt aquilæ, magnoque ſtudio loca, in quibus diſſipata erant ſancti Præſulis membra, circumuolitantes, non ſinebant ab vllis, vel feris, vel volucribus ea attingi.* Ab auium, & canũ iniurijs Martyris cadauer diuina ſeruauit prouidentia, nam ſingulari Deus prouidentiâ curam agit, & miſeretur mortuorum.

Io. Longinus.

Cap. VI. Ex defuncti Naim reſurrectione glorificatus eſt Deus.

5 Glorificari Deum pietate defunctis exhibitâ, ex eo probare licet, quod contigit, cùm Chriſtus adoleſcenti Naim vitam impertiuit, nam poſt eius reſurrectionem omnes Deum magnificauerunt. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes, Quia propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.* Luc. 7. 16. Quomodo autem Deum turbæ magnificabant, niſi eum glorificantes propter pietatem, quam viderant à Chriſto reſurrectionis miraculo exhiberi defuncto? Appoſitè Caietanus. *Hic eſt fructus miraculi in alijs, intùs ſcilicet*

Caietanus.

Digitized by Google

& fortis GLORIFICATIO DEI. Glorificatur Deus, cùm pietas exhibetur mortuis, vndè vt Chriſtus adoleſcentulo defuncto vitam impartiuit, Deo gloriam omnes exhibuerunt.

Ex eâdem eſt etiam laudatus.

6 Sed & eum laudauerunt, vndè voluit Deus, turbam multam huic miraculo eſſe præſentem. *Et factum eſt deinceps ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa.* Luc. 7. 11. Cur tantam voluit Chriſtus huic miraculo turbam eſſe præſentem, niſi vt multi Dei laudatores exiſterent, dum multi eum pietate mortuum proſequentem viderent? Ita Gloſſa Ordinaria ſenſit, explicans hunc locum. *Multi cum Domino, multi cum viduâ, vt viſo miraculo, multi* DEI LAVDATORES, *& teſtes fiant.* Dei laus ex pietate conſurgit ergà defunctos, quare cùm Chriſtus adoleſcentulo pietatem exhibuit defuncto, multi qui affuerunt, Deum laudauerunt.

Gloſſ. Ord.

Cap. VIII. Mulieres nūcia Apoſtolorum effectæ propter pietatem in mortuos.

7 Mulieres propter pietatem ergà Chriſtum defunctum nuntias futuras Apoſtolorum prædixit etiam Iſaias, dum ait, *Mulieres venientes, & docentes eam, non eſt enim populus ſapiens.* Iſa. 27. 11. Theophylactus autem in cap. 27. Matthæi ita legit. *Mulieres venientes à ſpectaculo, venite, non enim eſt populus habens intellectum.* Sermonē autem ait, hic eſſe de mulieribus, quæ ad Chriſti monumentum profectæ ſunt, quas propheta hortatur, vt populum Hebræorum derelinquāt, & ad Apoſtolos, vt reſurrectionem ei nuncient, pergant. *De his mulieribus dicebat Iſaias, Mulieres venientes à ſpectaculo, venite, non enim populus eſt habens intellectum. Manifeſtè loquitur de Iudaico populo, qui crucifixerat Dominum, quòd non habeat intellectum. Aduocat igitur mulieres, vt populum quidem intellectu carentem derelinquerent, ad Apoſtolos autem accederent, & illis reſurrectionis Euangelium prædicarent.* Vides præmium, quo mulieres factæ ſunt propter ſuam pietatem nunciæ Apoſtolorum ab Iſaia prophetico intuitu fuiſſe præuiſum?

Theophylact.

Tobias ex ſua pietate in defunctos præmia cœlitùs retulit.

8 Præmium quoque non modicum Tobias propter hanc pietatem recepit, qui oculorum lumen recuperauit, filium reuertentem vidit, & omnibus bonis repletus fuit. *Dicebatque Tobias, Benedico te Domine Deus Iſrael, quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me, & ecce ego video Tobiam filium meum.* Tob. 12. 17. Non enim ob aliud tot conſolationibus poſt ingentes tribulationes abūdauit, niſi quia ſepulturæ obſequio defunctis pietatem exhibuit? Egregiè Prudentius in Bibliothecâ veterum Patrum hymno 10. ad exequias defunctorum.

Prudentius.

Iam ſtantibus ille miniſtris
Cyathos, & fercula liquit,
Studioque accinctus humandi
Fletu dedit oſſa ſepulchro
Veniunt mox PRÆMIA *Cœlo;*
Pretiumque rependitur ingens,
Nam [illegible] *neſcia Solis*
Deus illita felle ſerenat,

Pulchrè ſanè. Præmia pietatis defunctis exhibitæ cœlitùs retulit, & propter ſepulturam, quam defunctis præſtiterat, oculorum lumen recuperauit.

Cap XIII. Gratiâ Spiritûs ſancti Magdalena plorauit ad Chriſti monumentum.

9 Spiritu ſancto quoque edocta ad Chriſti monumentum Magdalena cucurrit, ibique magiſtrum ingenti luctu honorans, perſeuerauit. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans.* Io. 20. 11. Hoc enim Spiritûs ſancti gratiâ illuminata egit. Ita Rupertus Abbas in cap. 11. Ioannis. *Non ergò mirum, quòd accedente gratiâ* SPIRITVS SANCTI, *& cum hac naturali pietate ſuperno munere coniuncto, Dominum Ieſum tanto amore dilexit, quem & plorans ad monumentum prima omnium mortalium videre, & Apoſtolis æternam conſolationem nunciare digna extitit.* Gratiâ Spiritûs ſancti repleta ad Chriſti monumentum Magdalena plorauit, quia ſuâ gratiâ excitat Spiritus ſanctus ad exhibendam pietatem defunctis.

Rup. Abb.

Spiritus ſanctus in corde Moyſis erat, cùm legem tulit, vt cadauera ſepelirentur crucifixorum.

10 Iuſſit Moyſes in Deuteronomio, vt homo adiudicatus morti, & in patibulo appenſus eâdē die ſepeliretur, nec eius cadauer in ligno permaneret. *Non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eâdem die ſepelietur.* Deuter. 21. 23. Aduertit autem Rupertus Abbas in cap. 19. Ioannis, Spiritum ſanctum in corde Moyſis fuiſſe, cùm hæc ſcribebat, eumque ad hanc pietatem defunctis exhibendam excitaſſe. *Nonnè ergò* PROPHETICVS CRVCIFIGENDI SPIRITVS *rugiebat in corde Moyſis talem legem ſcribentis, vt dum crucifixi omnes ex lege ſepeliuntur, ſepulturâ non careat hic vnus pro ſalute mundi crucifixus?* Non à ſe, ſed Spiritu ſancto vrgente, Moyſes præcepit, vt ſepulturæ obſequijs honorarentur cadauera crucifixorum, à Spiritu enim ſancto vrgentur quicumque defunctos pietate proſequuntur.

Rupert. Abb.

Cap. XVIII. Poſt reſurrectionem Chriſti ſanctorum corpora ſurrexerunt.

11 Chriſto moriente monumenta reſerata ſunt, mortui tamen indè non exierunt viuificati, niſi poſt eius reſurrectionem. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Matth. 27. 53. Quod factum eſt, vt agnoſceremus, à Chriſto reſurgente pietatem exhibitam fuiſſe defunctis. Idque obſeruauit Rupertus Abbas lib. 14. in Ioannem. *Monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, non antequam reſurgeres, ſed* TE PRIMOGENITO MORTVORVM RESVRGENTE *reſurrexerunt.* Chriſto reſurgente reliqui reſurrexerunt defuncti, quia ſe mortuis pium Chriſtus exhibuit, cùm viuus ab inferis reſurrexit.

Rupert. Abb.

Cap. XXIV. Apoſtoli, nedum ſeipſis, ſed etiā ſuis reb⁹ mortuos ſuſcitabant.

12 Miſit Eliſæus Giezi puerum ſuum cum baculo, vt filium Sunamitidis defunctum à morte ad vitam reuocaret. Profectus eſt puer, & prophetæ baculum ſuper cadauer poſuit, nec tamen reuixit. *Giezi autem præceſſerat antè eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus, reuerſuſque eſt in occurſum eius, & nunciauit ei, dicens, Non ſurrexit puer.* 4. Reg. 4. 31. Cur non ſurrexit puer, dum Giezi poſuit ſuper eum baculum Prophetæ? Quia ſuſcitare

mor-

Digitized by Google

mortuos ſuis rebus erat priuilegium ſolis Apoſtolis concedendum. Ita nodum ſoluit Abulenſis. *In operatione miraculorum Deus volebat, quòd viri ſancti veteris teſtamenti per ſeipſos facerent miracula, & tamen cum rebus eorum nullus poſſet facere miracula; quia iſte erat quidam gradus magnæ ſublimitatis, ſcilicet, quòd non ſolùm ipſi per ſe facerent miracula, ſed etiam alij loco illorum. Hunc autem gradum conceſſit* APOSTOLIS, *ſcilicet quia non ſolùm ipſi per ſe, ſed etiam alij nomine eorum faciebant miracula, ſicut in exemplo allegato de mortuis ſuſcitatis per tunicam B. Ioannis, quam poſuit ſuper eos ex mãdato eius quidam infidelis, & ſic de multis alijs.* Tantâ fulſerunt pietate Apoſtoli ergà defunctos, vt non tantùm per ſeipſos, ſed etiam ſuis rebus eis vitam communicauerint.

Abulenſis.

13 Mortuis deberi iure Humanitatis pietatem oſtendit & Iob, qui cùm audiſſet filios ſuos repentè vento irruente fuiſſe in domo, in quá comedebant, oppreſſos, ſurrexit, ſciſſiſque veſtibus, ac tonſo capite in terram corruit. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram, adorauit.* Iob. 1. 20. Si verò cauſa quæratur, cur qui adeò patienter omnia mala ſuſtinebat, tot ſigna doloris in morte filiorum exhibuerit, in promptu eſt reſponſio D. Ioannis Chryſoſtomi in catenâ Græcâ, qui ait id eum egiſſe, ne à communi humanitatis ſenſu abhorrere videretur, ſi nullâ defunctos filios pietate proſequeretur. *Niſi illud feciſſet, ſuſpicatus forſitan quiſpiam eſſet, eius philoſophiam à communi ſenſu* HVMANITATIS *abhorrere.* A ſenſu communi humanitatis abhorret, qui mortuis pietatem non impendit, vndè ne Iob inhumanus videretur, in morte filiorum luxit, ſciſſiſque veſtibus in terram corruit.

Li. II. C. III. Iob filios mortuos luxit, ne ab humanitatis ſenſu abhorrere videretur.

D. Io. Chryſ.

14 Iurè igitur expendens Theophylactus, Herodem iuſſiſſe, vt ſaltanti puellæ caput daretur Ioannis Baptiſtæ. *Et contriſtatus eſt Rex, propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebãt, iuſſit dari.* Matth. 14. 9. donum iſtud à tyranno datum, donum appellauit inhumanum. Nec enim poterat non eſſe inhumanum donum, quo ſæuiebat in defunctum, eius caput non ſepulturæ obſequijs honorans, ſed puellę illudendum tradens. *Indoluit propter virtutem: admiratur enim virtutem & hoſtis, attamen propter iuſiurandum dat donum* INHVMANVM. Verè inhumanus fuit largitor, dum ſæuijt in mortuum, vt largiretur, inhumanus enim eſt quicumque ſæuit impius in defunctos.

Inhumanus fuit Herodes, qui caput Ioãnis Baptiſtæ non ſepeliuit ſed illudendum puellę tradidit.

Theophylact.

15 Hinc Hæreticum arguens Hincmarus in Bibliothecâ veterum Patrum opuſculo 55. cap. 33. ſepulturæ obſequia mortuis denegantem, nimiâ eum inhumanitate agere affirmauit. Valdè namque inhumanè operantur, qui debitâ mortuos pietate non proſequuntur. *In eo verò Capitulo, quo ſepulturam mortuis, ſicut in petitione à Laudunenſi Eccleſiâ mihi porrectâ continetur, denegari iuſſiſti,* NIMIA INHVMANITATE *contrà ſacras hiſtorias, ſacroſque Canones agere non erubuiſti.* Iure humanitatis pietatem viui debent defunctis, vndè nimiùm fuit inhumanus, qui ſepulturam denegari præcepit.

Nimiâ inhumanitate agebant, qui ſepulturam defunctis denegabant.

Hincmarus.

16 Docuit etiam Virgilius lib. 11. Æneidos deberi pietatem defunctis, dum Latinos oratores mortuorum militum ſepulturam deprecantes dixit non aſpernanda fuiſſe deprecatos.

Quos bonus Aeneas haud aſpernanda precantes.

Vbi Seruius ait. *Iuſta non contemnenda, ſepulturæ enim officium generalitate* DEBETVR *vniuerſis.* Non aſpernanda rogauerunt, dum pro mortuorum ſepulturâ deprecati ſunt, nam pro eo, quod debetur rogat, qui rogat, vt mortuis pietas exhibeatur.

Cap. IV. Vniuerſis debetur ſepulturæ officium.

Virgilius.

Seruius.

17 Iuſtitiæ titulo pietatem deberi mortuis innuit Booz, cùm propinquo emere volenti partem agri Elimelech dixit, vt Ruth Moabitidem vxorem acciperet, hoc enim debebat, vt nomen mortuo ſuſcitaret propinquo. *Cui dixit Booz. Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere, vt ſuſcites nomen propinqui tui in hereditate ſuâ* Ruth. 4. 5. Vbi Theodoretus aduertit æquum fuiſſe, vt qui defuncti agros poſſidebat, defuncto nomen filiorum procreatione ſuſcitaret. *Cùm ille contractum lubenter accepiſſet, adiecit ſermonem de nuptijs, dicens* ÆQVVM ESSE, *vt qui agros defuncti poſſideat, vxorem quoque eius ducat, & liberorum procreatione defuncti conſeruet memoriã.* Hoc æquitas poſcit iuſtitiæ, vt qui bona defunctorum poſſident, eorum memoriam conſeruent.

Cap. V. Aequitas iuſtitia poſcit, vt qui bona defunctorum poſſident, eorũ memoriam conſeruent.

Theodoretus.

18 Sepulturæ obſequia defunctis fratribus magnâ pietate Tobias impendebat, nec Regis decreto, quo ſtatuerat, vt inſepulti abijcerentur, ab hoc pietatis officio reuocari poterat. Propinqui autem eius hoc cernentes eum arguebãt. *Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes Iam huius rei causâ interfici iuſſus es, & vix effugiſti mortis imperium, & iterum ſepelis mortuos?* Tob. 2. 8. Iniuſtam verò docet Lyranus hanc fuiſſe reprehenſionem, nam iniuſtæ impediuntur pietatis obſequia, quæ mortuis impenduntur. *Hic conſequenter ponitur amicorum Tobiæ increpatio* INIVSTA. Iuſtitiæ titulo pietas debetur mortuis, vndè non niſi iniuſtè conatur quis quomodocumque hanc turbare pietatem.

Iniuſtè increpatus eſt Tobias, quòd mortuos humaret.

Lyranus.

19 Suadet quoque hanc veritatem Plutarchus in Solone, dum Solonis legem laudat, quâ vetuit detrahere defunctis, iuſtum enim eſt à vituperio eorum abſtinere, qui vitam amiſerunt *Solonis ea etiam lex laudatur, quâ vetuit mortuis male dicere, pietatis eſt enim vitâ defunctos, ſacros exiſtimare,* IVSTVMQVE *abſtinere ab iis, qui non ſint.* Idemque tradit Stobæus ſerm. 279. cui titulus eſt, in defunctos non exercendam eſſe contumeliam.

Qui mortuos lædit, iniuſtè agit, & iuſtitia vltionem experitur.

Plutarchus.

Vitâ functos, ſi libet beneficijs proſequere,
Nã iniuriam illis inferre facile quidem factus eſt
Verùm Nemeſis ſuperior n[illegible],
Et ipſa IVSTITIA mortuum vindicat.

Stobæus.

Iniuſtè

Digitized by Google

Iniuſtè agit, qui mortuos lædit, vndè & Iuſtitiæ vltionem experitur.

Cap. VII. Dauid pietatem impendit Abſaloni defuncto, quia diligebat eũ.

20 Abſalom defunctum Dauid vberrimis lachrymis plorauit, & pro eo mori optauit. *Contriſtatus itaque rex, aſcendit cœnaculum portæ, & fleuit, & ſic loquebatur, vadens, Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?* 2. Reg. 18. 33. Vt quid verò tantâ eum pietate plorauit, tantoq; feruore pro eo mori optauit, niſi quia valdè illũ diligebat? Qui enim verè amat viuos, pietate illos proſequitur defunctos. Rectè Abulenſis. *Hoc dicebat Dauid ex nimio dolore, & quia valdè* DILIGEBAT *Abſalom, licet offendiſſet eum nimis.*

Abulenſis.

Qui diligit viuentem, ſuâ honorat pietate defunctum, quare Dauid, qui multùm dilexit Abſalom pio luctu eum poſt mortem fleuit, & mori pro eo deſiderauit.

Cap. VIII. Serui fide inſignes Dominos defunctos pietate proſequebantur.

21 Fidelitatem oſtendere illos, qui mortuos pietate proſequuntur, comprobat mos, quo ſerui illi, qui fide in ſuos dominos erant inſignes, funus eorum præcedebant vberes lachrymas effundentes. De quo more ait Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Si qui ab eo* (defuncto) *ſerui manumiſſi, & libertate donati fuerant, illi præcipuè, qui* FIDE INSIGNES *à Domino cogniti forent, herilem interitum miſerantes, pleni lachrymarum, elatum corpus præcedebant pileati, aut albâ lanâ capitibus velatis.* Qui ergà Dominos fide inſigniores erant, pietate maiori eos proſequebantur, vt nobis conſtaret, pietate defunctis exhibitâ veram oſtendi fidelitatem.

Alex. ab Ale.

Ea, quæ adhibētur, vt mortuis pietas impendatur, fidelia nuncupantur.

22 Quod adeò verũ eſt, vt ea quoq; quæ adhibemus, vt mortuis pietatē fidelia nuncupētur. Cũ Chriſtus iã morti proximus Bethaniæ recũberet, acceſſit ad eum Magdalena, & piſtico vnguento, vt ſepulturam eius honoraret, illum perfudit. *Maria ergò accepit libram vnguenti nardi piſtici, pretioſi, & vnxit pedes Ieſu.* Ioan. 12. 3. Quid verò piſticum ſignificat, niſi fidele? Igitur vnguentum, quod pro ſepulturæ honore eſt effuſum, piſticum, ideſt fidele eſt appellatum. Audi Rabanum in catenâ in cap. 26. Matthæi. *Piſtis græcè, latinè dicitur fides, vndè piſticum, ideſt fidele,* ERAT ENIM ILLVD VNGVENTVM FIDELE. Adeò ſpectat ad eos, qui veram fidelitatem profitentur, pietatem exhibere defunctis, vt ea etiã, quibus hæc pietas exhibetur, fidelia appellentur.

Rabanus.

Cap. IX. Dauid pietate defuncto Abner exhibitâ ſuam oſtēdit charitatē.

23 Charitatem coniungi cum pietate defunctis impenſâ probant ea, quæ Dauid egit in funere Abner, cum plorans, ad ſepulchrum comitans, funebri laudatione commendans, & pro illo vſque ad veſperam ieiunans. Quæ omnia populo valdè placuerunt. *Omniſque populus audiuit, & placuerunt eis cuncta, quæ fecit rex in conſpectu totius populi.* 2. Reg. 3. 36. Cur enim adeò hæc populo placuerunt, niſi quia talibus pietatis obſequijs defuncto exhibitis ſuam Dauid charitatem oſtendit? *Placuerunt eis*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *cuncta, quæ fecit rex ad demonſtrationem innocentiæ ſuæ, & ad oſtendendum ſuam* CHARITATEM *ad Abner, atq; dolorem ſuum de illius interitu.* Tunc noſtram oſtendimus charitatem, cùm defunctis exhibemus pietatem, quapropter Dauid charitatem ſuam patefecit, cum mortuo Abner pietatem impendit.

Dion. Carth.

Magdalena ſuam oſtēdit charitatem, cùm poſt Chriſti mortem Dominũ ſuũ eum appellauit.

24 Idem etiam oſtendit Magdalena, cùm Chriſtum, quem adhuc defunctum credebat ſuũ Dominum appellauit. *Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus, vbi poſuerunt eum.* Ioan. 20. 2. Multi autem codices teſte D. Auguſtino Tract. 120. in Ioannem legunt. *Tulerunt Dominum meũ,* iuxta id, quod ipſa dixit Chriſto, quem hortulanum putabat. *Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio, vbi poſuerunt eum.* Ioan. 20. 13. Dominum ſuum Magdalena Chriſtum appellauit, hacque honorificâ appellatione ſuam in eum charitatē oſtendit. *Nonnulli codices* (verba ſunt Auguſtini) *etiam Græci habent, Tulerunt Dominum meum, quod videri dictum poteſt propenſione* CHARITATIS, *vel famulatûs affectu.* Dum Chriſtum, quem mortuum credebat, tantâ pietate mulier iſta proſequebatur, ſuam charitatem, quâ flagrabat, ingentem oſtendebat, charitatis enim dilectionem pietas conſequitur in defunctos.

D. Auguſt.

Ex nonnullis profanis colligitur connexio charitatis, et pietatis ergà defunctos.

25 Nonnulla ſuperſunt ex profanis eamdem veritatem confirmantia. Hieronis funus ciuium charitate regium fuiſſe, ac ſolenne teſtatur Liuius lib. 24. *Funus fit regium magis amore ciuium, &* CHARITATE, *quàm curâ ſuorum celebre.* Charitatem quoque militum ergà Claudij patrem Druſum defunctum celebrat Alexander ab Alexandro lib. 2. dierum genialium cap. 6. *Caſtra quoque, in quibus Claudij pater Druſus graui morbo afflictus, & triſti fato ſublatus fuit, quia intempeſtiuâ morte præuentus, acerbo funere deceſſit, ſcelerata etiam dixere, quantâ eum* CHARITATE *milites proſecuti fuerint, turpi conuicio, & infando nomine ſignificantes.* Idem lib. 3. cap. 7. Æthiopes narrat mortuum Regem tantâ charitate proſequi, vt ſibi mortem ob dolorem conſciſcant. *Rege morte ſublato, familiares, & qui cum eo coniunctiſſimè vixerant,* CHARITATE *principis, vim vitæ ſibi ad mortem afferunt, vnàque morte intereunt.* Quin & Canibus quoq; tribuit idem author Charitatem, qui amore Dominorũ in flammas rogi ſeſe iniecerunt. *De canibus, qui* CHARITATE *dominorum in flammas ſe iniecere, memoriæ proditum eſt.* Adeò cum charitate coniungitur pietas, quæ defunctis exhibetur, vt canes etiam, qui quomodocumque hanc impenderunt pietatem, dicti ſint habere charitatem.

Liuius.

Alex. ab Ale.

Propinquus Ruth, qui noluit pietatem exhibere defuncto eius marito, charitate præditus non fuit.

26 Illud etiam hìc non eſt reticēdum propinquum mariti Ruth Moabitidis noluiſſe illã vxorem ducere, ac propinquo ſuo nomen ſuſcitare. *Qui reſpondit, Cedo iuri propinquitatis, neque enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo.* Ruth. 4. 4. Hoc videlicet ait Dionyſius Carthuſianus eum egiſſe, quia charitate præditus non erat. Nec enim vnquam defuncto propinquo denegaſſet pietatem, ſi veram habuiſſet charitatem. *Vir iſte non erat* CHARITATIVVS, *ſed prauus, reputans velut*

Dion. Carth.

Digitized by Google

lut ſuperfluum ſemen ſuſcitare alteri ſeu defuncto. Charitate præditi libenter defunctis pietatem impendunt, vndè homo iſte, qui noluit nomen, & memoriam excitare defuncti, charitate nullo modo præditus fuit.

Cap. XI. Barbari horrent flagitia in defunctos.

27 Barbaros pietatem exhibere defunctis probatur ex D. Ambroſio lib. 3. de Virginibus, qui crudelitatem expendens Herodis, qui inter epulas defuncti Ioannis caput præcepit puellæ illudendum afferri. *Et allatum eſt caput eius in diſco, & datum eſt puellæ, & attulit matri ſuæ.* Matt. 14. 11. dixit barbaros quoque huiuſmodi horrere flagitia. *Poſtremò (quod etiam omnes* BARBARI *horrere conſueuerunt) inter epulas, atque conuiuia conſummandæ crudelitatis profertur edictum, & à conuiuio ad carcerem, de carcere ad conuiuium feralis flagitij circumfertur obſequium.* Feralia in mortuos flagitia barbari quoque horrere conſueuerunt. Quod etiam confirmare poſſumus authoritate Valerij Maximi, qui lib. 5. cap. 10. commendans pietatem Annibalis in hoſtes defunctos, ſubdit. *Ergò humanitatis dulcedo etiam in efferata* BARBARORVM *ingenia penetrat, oruoſque, & truces hoſtium mollit oculos.* Barbarorum quoque ingenia barbariem deponunt, & ſinunt ſe pietate duci ergà defunctos. Hinc in obitu Imperatoris Valentiniani barbaros quoque fleuiſſe teſtatur D. Ambroſius Concione in obitu eiuſdem. *Flent omnes, flent ignoti, flent & timentes, flent & inuiti,* FLENT ET BARBARI, *flent & qui videbantur inimici.* Imperatorem defunctum barbari quoq; fleuerunt, ſuoque fletu ei pietatem impenderunt.

Ambroſius. *Val. Max.* *Ambroſius.*

Cap. XIII. Leo, Lupus, & Delphinus pij ergà defunctos. Plutarchus.

28 Nonnulla de Brutorum pietate ergà defunctos hic ſunt adijcienda Cleomenis cadauer è patibulo pendens inquit Plutarchus in eius vitâ fuiſſe à dracone cuſtoditũ, ne ab auibus laniaretur. *Paucis poſt diebus, qui Cleomenis corpus cruci ſuffixũ cuſtodiebant,* DRACONEM *ingentẽ conſpexerunt, qui caput illius circumplicabat faciemque contegebat, ne auis carniuora eam vlla attingeret.* Lupus quoque Edmundi Regis defuncti corpus cuſtodiuit, & vſque ad ſepulchrũ portauit. Quod narrat Vincentius Belluacẽſis lib. 25. ſpeculi hiſtorialis ca. 34. *Caput à litore inter dumeta proiectum eſt, quod dum ciues quærerent, audierunt vocem capitis omnes ad ſe mittantis, quod* LVPVS *lacertis circũplexus cuſtodiebat, qui & baiulus poſt tergum vſque ad tumulũ ſecutus eſt, neminem lædens, & à nemine læſus.* Delphinus demũm cum defuncto puero mortem ſibi inflixiſſe, & vnà commori voluiſſe narrat Oppianus lib. 5. apud Cerdam in lib. 9. Æneidos.

Vinc. Bellua. *Oppianus.*

illum quidem pueri deſiderium defuncti;
Extinxit, & mortuo commori feſtinauit ſodali.

Vide, quantâ naturaliter pietate proſequantur animalia rationis expertia defunctos.

Caput XIV. Stellæ pietas ergà defunctum. Sophronius.

29 Afferre hìc libet pro pietate rerum ſenſu carentiũ ergà defunctos, quod refert Sophronius in Prato ſpirituali cap. 6., ſtellam ſuprà defuncti caput apparuiſſe, illũq; vſq; ad ſepulchrũ comitatã fuiſſe. *Idẽ etiã Abb.* (Polichronius) *hoc narrauit, quòd cũ eſſet in monaſterio Abbatis Cõſtantini du en Monaſterij Sanctæ Mariæ Dei genitricis, quę noua dicitur, audiuit quendam fratrũ in Xenodochio Hiericuntino requieuiſſe, quem cùm accepiſſent fratres ad Monaſterium turrium, & ſepeliuent, ex quo iter agere cum corpore cœperunt,* STELLA *ſuprà defuncti caput, quaſi comes itineris, apparere non deſtitit, donec ipſum ſepulturæ traderent.* In rebus quoque inanimatis pietas relucet ergà defunctos, vndè ſtella comes itineris apparuit, quæ defunctum ad ſepulchrum eſt comitata.

Cap. XVI. Vult Deus mortuos adiuuari à viuis, vt horum merita augeantur.

30 Cùm poſſibile ſit Deo ſine viuorum ſuffragijs animas ſubleuare mortuorum, quærendum eſt, quare Deus noſtris voluerit precibus, atque intercesſionibus Purgatorij animas adiuuari. Cui dubitationi reſpondet in Bibliothecâ veterũ Patrum Eckbertus ſerm. 9. aduersùs Catharos, hoc Deum diſpoſuiſſe, vt augeantur merita viuorum per pietatem exhibitam ſpiritibus mortuorum. *Poſſibile quidem eſſet Deo ſine alicuius interuentu quorumlibet hominum animas liberare à pœnis ſuis. Vult autem hoc ordine ea liberari, vt à viuis ei ſeruiatur pro eis, quatenùs in hoc ipſo magis cõmoneantur viui Deum venereri, & offenſam eius cauere, pariterque augeantur &* MERITA *eorum per opera pietatis, quæ faciunt pro dilectione ipſorum.* Augentur eorum merita, qui defunctis pietatem impendunt, ideòque Deus voluit, vt noſtris ſuffragijs eorum animæ adiuuarentur.

Eckbertus.

Meritũ Magdalenæ, ac diſcipulorũ Ioãnis propter pietatẽ ergà defunctos.

31 Perrexit ad Chriſti monumẽtum Magdalena, & vberrimis lachrymis plorans, ſe inclinauit, & duos Angelos vidit, qui etiam eam ſunt allocuti. *Vidit duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu.* Ioan. 20. 12. Plorabat pio luctu Chriſtum, quem adhuc cẽſebat mortuum, ideòq; ſecũ Angelos loquentes videre promeruit. Præclarè Rupertus Abbas lib. 14. in Ioannem. *Plorando inclinata mulier hæc Angelos vidit, & percontãtes audire* MERVIT. Valdè merentur, qui defunctorum miſerentur, vndè Angelos alloquentes habere Magdalena meruit, quæ ad Chriſti monumentũ plorauit. Simili quoque pietatis obſequio diſcipuli Ioannis, qui magiſtrum ſuum obſequio pio humauerunt, ad Chriſti ſocietatem perduci meruerunt. Quod ſcribit Ludolphus Carthuſianus lib. de vitâ Chriſti par. 1. cap. 66. *Iſti erant diſcipuli Ioannis, qui ad Chriſti diſcipulatum tranſierunt, huius enim pietatis officio tranſire in Chriſti ſocietatẽ* MERVERVNT. Pietate defuncto Ioanni exhibitâ, cùm *Tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud,* Mat. 14. 12. ad Chriſtum tranſierunt, & cum diuino humanum magiſtrum commutare meruerunt.

Rupert. Abb. *Ludol. Cart.*

Caput XX. Licerius Maximinulã cõſolatus eſt lugentem Sauinam defunctam.

32 Conſolationibus eos affici, qui defunctis pietatem impendunt probari etiam poteſt ex eo, quod contigit Maximinulæ famulæ Sauinæ, quæ cùm dominam cerneret defunctam, nec ea, quæ neceſſaria erant pro ſepulturâ illius haberet, & iccirco amariſſimè fleret, Licerius eam conſolatus eſt quidquid neceſſarium erat pro ſepulturâ illius attulit. Audiamus ea, quæ habentur apud Surium die 29. Auguſti.

Digitized by Google

gurius.

Maximinula eius (Sauinæ) *famula cœpit flere, quia neceſſaria ad eam ſepeliendam non habebat. Illâ autem flente, ecce vir venerabilis Licerius ad ciuitatem remeabat, & videns Sauinam mortuam, Maximinulam* CONSOLATVS EST, *& veſtes ad eam ſepeliendam præparauit.* Dum pia fœmina defunctã Dominam lugebat, eam conſolatus eſt Licerius, nam illi merentur conſolationem, qui defunctis impendunt pietatem.

Alexander vxorem, & Matrem Darij conſolatus eſt eam tanquam mortuum, lugentes.
Diod. Sicul.

33 Hinc & Alexander Magnus, vt audiuit matrem, & vxorem Darij, eum lugere tanquam defunctum, miſit ad eas vnum è familiaribus ſuis, qui eas conſolaretur. Nouit quippè lugentibus mortuum deberi conſolationem. Refert hoc Diodorus Siculus lib. 17. Bibliothecæ. *Leonnatum, vnum è familiaribus ſuis ad eas miſit qui tumultum ſedaret, ac Siſyngambrim, & alias, quæ cum eâ erant, de vitâ Darij, certiores eas faciens, quòdque Alexander earum dignitatis rationem habiturus, & primâ luce eos ſalutaturus, atque reipsâ humanitatem ſuam oſtenſurus eſſet, ſignificans* CONSOLARETVR. Aduerte conſolationem mulieribus Darium, tanquam defunctum lugentibus ab Alexandro conceſſam, & diſce illos conſolationem accipere, qui defunctis pietatem impendũt.

Cap. XXIII.
Ioſeph Arimathæus non timuit ſibi ad crimen imputandam ſepulturam Chriſti.

34 Audacter introiuit Ioſeph Arimathæus ad Pilatum, & ab eo Chriſti corpus ad ſepulturam poſtulauit. *Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus.* Matth. 27. 58. At quomodo tantâ audaciâ vir iſte Chriſtum ſepeliuit? Quomodo non timuit obſequium illud pietatis imputandum ſibi ad crimen, cùm eſſet omnibus Chriſtus inuiſus? Quia Chriſtus erat mortuus, nam peccator non cenſetur, qui pietate proſequitur mortuum. Audi

Caietanus.

Caietanum. *Vbi Ieſum mortuum agnouit, putauit non ſibi imputandum ad crimen contrà Pontifices opus humanitatis in mortuum, & propterea petijt corpus Ieſu.* Sciebat, criminoſos eos non iudicari, qui pietatem exhibent defunctis, & ideircò abſque vllo timore Chriſto defuncto pietatem impendit.

Antigonus ne author cædis crederetur defunctæ pietatem impendit.
Diodorus.

35 Hanc veritatem nouit & Antigonus, qui ne author cædis Cleopatræ diceretur eius funus regio more curauit. *Antigonus*, inquit Diodorus lib. 20. Bibliothecæ, *nolens ſe cædis authorem dici, ex illis mulieribus aliquas, quaſi quæ inſidias struxiſſent, ſupplicio affecit, & funus regiè procurauit.* Vt à cæde immunis crederetur, pietatem defunctæ impendit, agnoſcens, non cenſeri peccatores eos, qui pietate proſequuntur defunctos.

Cap. XXIV.
Eliſæus præcepit Giezi rationabiliter, ne per viam aliquem ſalutaret, dum ibat ad ſuſcitandum mortuum.
Dion. Carth.

36 Rationabiliter pietatem deberi defunctis præceptum ſuadet, quo Eliſæus præcepit Giezi ad ſuſcitandum mortuum proficiſcenti, ne aliquem in itinere ſalutaret, nec vlli ſalutanti reſponderet. *Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* 4. Reg. 4. 29. Dum namque hoc Giezi præcepit, vt mortuo celeriùs pietatem exhiberet, ex rationabili cauſa id iuſſit. Probè Dionyſius Carthuſianus. *Quamuis proximum ſalutare, & ſalutantem reſalutare ſint actus laudabiles in ſe, tamen* EX RATIONABILI CAVSA *poſſunt ſuſpendi, atque differri, vt ſcilicet interim quis altioribus vacet.* Rationabilem cauſam habuit prohibendi ſalutationem puero, dum hoc in gratiam prohibebat defuncti.

Rationabiliter filiæ Iſrael quotannis filiam Iephte mortuam lugebant.

37 Hùc etiã facit ſtatutũ quo Iſraëlitæ decreuerunt, vt quotãnis filię Iſraëlitæ defunctam filiã Iephte lugerent, & quatriduanis lachrymis honorarent. *Exindè mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniãt in vnum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Iudic. 11. 40. Quæ conſuetudo, cùm in honorem defunctæ apud Hebræos obtinuerit, proculdubiò rationabiliter viguit, rationabilia enim ſunt, quæcumque in gratiam operamur mortuorum. Aptè Lyranus. *Dicendum eſt, quòd hæc conſuetudo facta eſt* RATIONABILITER *in memoriam filiæ Iephte.* Rationabiliter defunctæ memoriam annuo luctu honorauerunt, nam rationabilis eſt pietas, quæ debetur defunctis.

Lyranus.

Cap. XXV. Chriſtum magnum in ſapientiâ turbæ prædicauerũt, cùm eum in adoleſcentem defunctũ pium cognouerunt.
Hugo. Card.

38 Sapientiæ laude illos fulgere, qui defunctis pietatem impendunt, turbæ oſtenderunt, quæ Chriſtum adoleſcentulo Naim vitam largientem prophetam magnum appellauerunt. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deũ, dicentes, Quia propheta magnus ſurrexit in nobis.* Luc. 7. 16. In quo autem magnum eum prædicauerunt? Profectò magnum in ſapientiâ. Ad rem Hugo Cardinalis. *Propheta magnus* SAPIENTIA, *potentiâ, clementiâ. De primo, & ſecundo Iob 9. Sapiens corde eſt, & fortis robore. De tertio Pſal. 144. Patiens, & multùm miſericors.* Sapientia comitatur pietatem ergà defunctos, vndè tunc magnum in ſapientiâ turbæ Chriſtum prædicauerunt, cùm eum pium ergà defunctum cognouerunt.

Sapientiæ laude Iob refulſit, cùm pro filijs mortuis orauit.
Olympiodor.

39 Sapientiæ quoque laude Iob refulſit, cum pro filijs mortuis, veſtimenta ſcindens, & in terram corruens orauit. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit.* Quod expendens Olympiodorus, in catenâ Græca hæc habet. *Quod ſi tunicam dilacerauit, cæſariemque circumcidit, non propterea affectum* SAPIENTIS *virtute alienum ſuſcepit.* A ſapientis virtute non eſt alienus, qui pietate proſequitur defunctos, vndè ſapientis affectum ſe habere Iob oſtendit, cum pro defunctis filijs orauit.

Cap. XXVII.
Mater Darij non ſine laude mortua fuit, quia Alexandrũ defunctũ luxit.
Diodorus.

40 Laudabiliter eos operari, qui defunctis pietatem impendunt oſtendit etiam Diodorus Siculus lib. 17. Bibliothecæ, qui ait Siſyngambrim Darij matrem, non ſine laude extinctam fuiſſe, dum fuit extincta lugens Alexandrum. *Mortuo Alexandro Siſyngambris Darij mater, cùm multùm, & illius obitum, & ſuam calamitatem, quòd tanto præſidio in extremo vitæ fuiſſet priuata defleret intrà diem ſeptimum defuncta eſt, in ſummâ quidem triſtitiâ, ſed* NON LAVDEM CITRA LAVDEM *extincta.* Cum laude nobiles hæ mulier

extin-

extincta fuit, quia defunctum Regem magnâ pietate plorauit.

Ca. XXVIII Honorata eſt Magdalena à Chriſto ad Chriſti monumentum perſeuerans.

41 Reſurgens Chriſtus, apparuit, Mariæ Magdalenæ, illique dixit, vt ad Apoſtolos iret, & eis reſurrectionem, aſcenſionemque ſuam nunciaret, *Vade ad fratres meos, & dic eis Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum*. Ioan. 20. 17. Hoc enim cur egit, niſi, vt Magdalenam honoraret, dum eam nuncium Apoſtolorum efficeret? Audiendus eſt D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 51. AD HONOREM

D. Cyr. Alex.

ET GLORIAM *Magdalenæ in Saluatore conceſſum eſt, vt hæc poſſet ad diſcipulos Euangelium deferre, quia Chriſtus ſurrexerit, & ad patrem, ac Deum ſuum, & diſcipulorum aſcendit*. Honorauit Chriſtus Magdalenam, quam ita vidit ad monumentum ſuum perſeuerantem, nam ſemper honorantur, qui defunctos pietate proſequuntur.

Cap. XXIX. Annibal ingentem gloriam retulit ex hoſtium ſepulturâ. Valerius Maximus.

42 Gloriam conſequi apud viuos eos, qui pietate proſequuntur defunctos, illud ſuadet, quod narrat Valerius Maximus lib. 5. cap. 1. Annibalem maiorem gloriam ex ſepulturâ Pauli, & Gracchi, & Marcelli hoſtium, quàm ex victoriâ retuliſſe. *Aliquantò ei plus* GLORIAE *Paulus, & Gracchus, & Marcellus ſepulti, quàm oppreſſi attulerunt*. Gloriam ingentem conſecutus eſt Annibal ex pietate defunctis exhibitâ, nam magnam affert gloriam viuis pietas impenſa defunctis.

Cap. XXX. Infamata eſt ciuitas, quæ fuit in defunctos. Quintilianus.

43 Infamiæ notam illos contrahere, qui pietatem renuunt exhibere defunctis, colligitur ex Quintiliano declamat 12. qui vocat infamatam ciuitatem, quæ famę vrgente comederat cadauera mortuorum. *In iudicium produxi publicum ſcelus, &* INFAMATAE *ciuitati quæro velamentum*. Infamata eſt ciuitas, cùm ſæuijt, licet neceſſitate vrgente, in defunctos, nam infamiæ notam contrahunt, qui defunctis pietatē non impêdunt.

Cap. XXXII Iudæi impietatis in Chriſtum defunctum indignationem Pilati contraxerunt.

44 Indignationem contrahere viuentium eos, qui non miſerentur mortuorum facilitas eciam probat, & celeritas, quâ Pilatus Ioſeph Arimathæo Chriſti cadauer humandum conceſſit. *Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathæa, eò quòd eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum, vt tolleret corpus Ieſu. Et permiſit Pilatus. Venit ergò, & tulit corpus Ieſu*. Ioan. 19. 38. Vt quid tantâ facilitate hoc Ioſeph Arimathæo, Iudæis contradicentibus, conceſſit, niſi quia indignationem contrà eos, qui adhuc defunctum perſequebantur, habuit? Rectè Hugo Cardinalis. *Quomodo conceſſit? Quia Chriſto, vt innocenti condolebat, Iudæis autem* INDIGNABATVR. Suâ impietate, quam ergà Chriſtum defunctum oſtenderunt, Pilati quoque indignationem Iudæi contraxerunt, nam qui perſequuntur mortuos contrà ſe indignatos habent viuos.

Hugo Card.

Buzyges execratus eſt obtemptores cadauerum.

45 Sed & execrantur viui eos, qui defunctis renuunt exhibere pietatem, quamobrem Cœlius Rhodiginus lib. 17. Antiq. lect. cap. 20. dixit Buzygen dixit eos apud Athenienſes execratum fuiſſe, qui cadauer inſepultum contempſiſſent. *Athenis Buzyges eos* EST EXECRATVS, *qui inhumatum cadauer neglectui habuiſſent*. Execrationem merentur viuorum, qui non miſerentur mortuorum, vndè nil mirum, quòd Buzyges eos ſit execratus, qui cadauera contemnebant defunctorum.

Cæl. Rhod.

Ca. XXXIII Magdalena vnguento Chriſtū perfudit in præmium reſurrectionis Lazari.

46 Chriſtum Magdalena Bethaniæ tecum bentem adijt, & ſuper caput eius pretioſum vnguentum effudit. *Acceſſit ad eum mulier, habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis*. Matth. 26. 7. Quæri autem hic poteſt, cur ſuper caput Chriſti modo hæc vnguenta mulier iſta effuderit. Cur quæ anteà Chriſtum non vnxerat, nunc illum tam pretioſo vnguento perfundit? Vt veluti quodam præmio pietatis afficiat, quâ Chriſtus fratrem Lazarum ſuſcitauerat extinctum, hæc enim pietas præmio afficitur etiam humano. Hùc alluſit Chriſtianus Druthmarus in paſſione Dominicâ. *Quæritur, quare iſta mulier tunc hoc voluerit facere Domino, quod antè non fecerat, vel quare permiſerit ſibi fieri hoc pretioſum opus. Poſtquam Dominus Lazarum ſuſcitauerat, in Bethaniam non venerat, niſi tunc primùm, & illa non potuit ampliùs obſequium facere pro ſuſcitato fratre*. Præſtitit Magdalena Chriſto illud obſequium, veluti præmium pietatis, quâ eius fratrem ab inferis excitauerat, & ad priſtinam vitā reuocauerat.

Chriſtian. Druthm.

Cap. XXXVI Arator amore captus mulieris vnà cū eâ virum illius defunctū lugebat.

47 Oſtendit lepido Apologo Æſopus eos, qui diligunt viuos adiuuare defunctos, dum ait mulierem, cuius recenter mortuus fuerat maritus, quotidie ad tumulum conſueuiſſe proficiſci, vt ſuo ei luctu parentaret. Cùm autem quidam non longè à ſepulchro arans amore illius captus eſſet, vnà cum eâ pergebat ad ſepulchrum, & mortuum virum lugebat, amore mulieris ſuperſtitis, marito lachrymas elargiens defuncto. Narrat hunc Apologum in vitâ Æſopi Maximus Planudes his verbis. *Mulier quædam, cùm recenter ſuum virum ſepeliuiſſet, quotidie profecta ad tumulum plorabat. Arans autem quidam non procul à ſepulchro,* AMORE *captus eſt mulieris, & derelictis bobus, iuit & ipſe ad tumulum, & ſedens vnà cum muliere plorabat*. Quia diligebat mulierem viuam, eius virum ingenti pietate plorauit defunctum, nam qui amat viuos, debet adiuuare defunctos.

Max. Plan.

Cap. XXXVIII. Miſeri fuerunt Troiani, cùm nō potuerunt pietatem exhibere mortuis. Virgilius.

48 Quanta ſit miſeria non adiuuare defunctos, declarauit Virgilius, dum lib. 9. Æneidos Rutulos induxit capita Niſi, & Euryali hoſtis præfigentes, quæ videntes Troiani, miſeri ab eo appellantur.

Stant mœſti, ſimul ora virûm præfixa videbant,
Nota nimis MISERIS, atroque fluentia tabo

Vbi ſcribit Iodocus Aſcenſius. *Nota nimis miſeris idest ipſis miſeratione dignis, qui lib nter ſuccurrere voluiſſent, ſi ſeuiſſent, & potuiſſent, aut* MISERE. SE AFFLIGENTIBVS. Vide igitur, quam miſerum ſit pietatem non exhibere defunctis.

Iodocus Aſcēſius.

 49 Mi-

Cap. XLVIII. Tanquam magnę virtutis opera Dauidi ſunt nunciata ea quæ fecit Reſpha in auxilium defunctorum.

49 Miſericordiam defunctis præſtitam magnam eſſe, oſtenderunt illi, qui Dauidi nunciauerunt, quæcumque fecerat Reſpha, vt mortuorum cadauera è patiboulis pendentia cuſtodiret. *Et nunciata ſunt Dauid quæ fecerat Reſpha filia Aia concubina Saul.* 2. Reg. 21. 11. Porrò hæc nũciata ſunt Dauidi tanquam magnæ virtutis opera. Ita Abulenſis quæſt. 31. in hunc locum. *Nunciatum fuit hoc Dauid, tanquam opus* MAGNAE VIRTVTIS, *& veriſſimè ſic erat.* Magna ſunt, quæ in defunctorum auxilium exhibentur, quamobrem tanquam magnę virtutis opera ſunt Dauidi nunciata ea, quæ Reſpha egit, vt defunctis pietatem exhiberet.

Abulenſis.

Cap. XLIX. Rex Dauid magnificè ſepeliuit Abner defunctum.

50 Interfectus eſt dolosè Abner à Ioab, eum autem defunctum rex Dauid luxit, illiuſque cadauer vſque ad ſepulchrum comitatus, funebri oratione virtutes eius commendauit. *Plangenſque Rex, & lugens Abner, ait. Nequaquam vt mori ſolent ignaui, mortuus eſt Abner.* 2. Reg. 3. 33. Vide, quantâ magnificentiâ extinctum amicum Dauid proſecutus fuerit, quantamque illi pietatem impenderit. Rectè Sabellicus Enneade 1. lib. 9. *Quàm* MAGNIFICENTISSIMO *funeris apparatu corpus extulit.* Vt magnificè ageret, multâ pietate defunctum Abner ſepeliuit, magnificè namque agunt, qui mortuis pietatem impẽdunt.

Sabellicus.

Chriſtus magnificè à Ioſeph, & Nicodemo ſepultus.

50 Hanc etiam comprobauit veritatem Nicodemus, qui multorum aromatum mixturam attulit, vt Chriſti cadauer vnà cum Ioſeph Arimathæo ſepeliret. *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum.* Ioan. 19. 39. Cur namque tot parauit aromata, vt Chriſti cadauer condiret, niſi vt illud magnificè ſepeliret? Accinit D. Ioannes Chryſoſtomus homilià 84. in Ioannem. *Accedens ad Pilatum, corpus Ieſu rogat, & conceſſum eſt, nam cur non debuiſſet? Iuuit autem ipſum & Nicodemus, & MAGNIFICE SEPELIVNT.* Magnificè Chriſtum defunctum ſepelierunt, dum tantam ei pietatem impenderunt, magnificè namque operantur, qui mortuos pietate proſequuntur.

D. Io. Chryſ.

Cap. L. Iudæi labijs fuerunt religioſi, dum petierunt ſepulturam crucifixorum.

52 Adeò religioſum eſt pietatem exhibere defunctis, vt Iudæi quoque ore fuerint religioſi, cùm Pilatum rogauerunt, vt fineret crucifixorum cadauera ſepeliri. *Iudæi ergò, quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, erat enim magnus dies ille Sabbati, rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Ioan. 19. 31. Vbi aduertit Rupertus Abbas Iudæos, licet corde impios, ore tamen fuiſſe religioſos, dum ergà mortuos pietatem oſtenderunt, *Iudæi labijs* RELIGIOSI, *corde autem cruenti.* Religionis virtutem exercet, qui mortuis pietatis obſequia impendit, vndè cùm Iudæi petierunt à Pilato facultatem ſepeliendi mortuos, labijs, quibus id petierunt, religioſi fuerunt.

Rupert. Abb.

Quædam ex profanis authoribus, quæ

53 Nonnulla etiam ex profanis Authoribus ſuperſunt, quæ huic ſuffragantur veritati. Virgilius lib. 5. Aeneidos Aeneam religioſum appellauit, cùm ſacris annuis parenti defuncto parentauit.

probant religioſum eſſe pietatem exhibere mortuis.

Iamque dies ni fallor adeſt, quem ſemper acerbum,
Semper honoratum, ſic Dij voluiſtis, habebo.

Virgilius.

Vbi ait Donatus RELIGIOSI *filij perſonam induxit, dicentis, Quem ſemper acerbum, &c.* De quo more loquens & Ouidius lib. 2. Faſtorum, cecinit.

Donatus.

Hunc morem Aeneas pietatis idoneus author
Attulit in terras iuſtè latine tuas.

Ouidius.

Ad quæ Paulus Marſus inquit. *Pietatis idoneus author, quaſi* RELIGIOSI *officij.* Plutarchus quoque in Lycurgo ſcribit, eum cenſuiſſe ſepulchra mortuorum monumenta rerum religioſarum. *Omnem eximens ſuperſtitionem, funerare in vrbe extinctos, & habere antè oculos rerum monumenta* RELIGIOSARVM *non interdixit.* Vides, ab omnibus commendari tanquam religioſa pietatis obſequia, quæ impenduntur defunctis?

Paulus Marſ.

Plutarchus.

Cap. LI. Sancta fuit mulier Sunamitis, quæ ſuis precibus vitam filio mortuo impetrauit.

54 Sanctè illos operari, qui mortuos honorant, conſtat ex eo, quod dixit mulier Sunamitis, cùm perrexit ad Eliſæum, vt defuncto filio vitam obtineret, quæ interrogata, num rectè omnia ſe haberent, rectè ſe habere reſpondit. *Vade ergò in occurſum eius, & dic ei, Rectè ne agitur circà te, & circà virum tuum? Quæ reſpondit, Rectè.* 4. Reg. 4. 26. Quomodo autem reſpondit rectè, cùm filius eius eſſet defunctus? An mentita eſt mulier prophetæ? Nequaquam, ſancta enim erat hæc mulier, cùm tantam defuncto exhiberet pietatẽ, vndè non mentita eſt, ſed omnia dixit rectè ſe habere, quia filij mortem de manu Domini ſuſcepit, eamque rectè prouenisse autumauit. Appoſitè Caietanus. *Nec mentita eſt mulier, reſpondendo, Rectè, quoniam vincendo ſeipſam hoc dixit,* SANCTA ENIM MVLIER *maternum ſuperando affectum, interpretata eſt filij mortem in bonum è diuina fuiſſe prouidentià.* Sancta fuit, ac proindè mentita nõ eſt mulier, quæ ſuis precibus vitam filio impetrauit defuncto.

Caietanus.

Cap. LII. Dauid coëgit Ioab lugere Abner defunctum, vt eum honorificè ſepeliret.

55 Interfectum Abner iuſſit Rex Dauid Ioab qui eum interfecerat, vt veſte ſciſsâ, & ſacco accinctus vberrimis lachrymis ploraret. *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo, Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite antè exequias Abner.* 2. Reg. 3. 31. Non autem ob aliud Dauid coëgit Ioab lugere virum à ſe interfectum, niſi vt eius exequias magnificâ pompâ celebraret, eumque honorificè ſepeliret. Ad rem Abulenſis quæſt. 32. in hũc locum. *Quæret aliquis, quare Dauid iuſſerit Ioab, quòd iret ad exequias Abner, ſciſſâ tunicâ, & plangens cùm ipſe occidiſſet Abner. Reſpondendum, quòd hoc fecit Dauid propter duo. Primò, quia volebat Dauid* HONORIFICE *ſepelire Abner, & funeralia celebriter agere.* Vt honorificè ſepeliret Abner, voluit, quòd eum hoſtes quoque lugerent.

Abulenſis.

Horatius præcepit honorificum defuncto ab herede conſirui ſepulchrum.

56 Hortatur Horatius lib. 2. ſermonum ſatyrâ 5. heredem, vt ſine ſordibus teſtatori extruat ſepulchrum.

Horatius.

ſepulchrum
Commiſſum arbitrio ſine ſordibus extrue, funus
Egre-

Egregiè factum laudet vicinia.

Iod. Aſcenſ. Quid eſt autem ſepulchrum ſine ſordibus extruere, niſi illud honorificè ædificare? Ita explicat Iodocus Aſcenſius. *Extrue ſepelchrum commiſſum à defuncto arbitrio tuo ſine ſordibus, id eſt* HONORIFICE. Honorificum vult Horatius ab herede mortuo extrui ſepulchrum, nam honorificè ſe gerũt, qui mortuis pietatem impendunt.

Cap. LVIII. Breuitas temporis coegit diſcipulos ad celerem Chriſti ſepulturã.

57 Chriſtum vix mortuum ſepelierunt, ſtatimque Ioſeph Arimathæus ad Pilatum audacter acceſſit, vt ei hoc pietatis obſequium impetraret. Tantâque celeritate id egit, vt Pilatus vix crederet Chriſtum eſſe defunctum. *Pilatus autem mirabatur, ſi iam obiiſſet.* Marc. 15. 44. Rationem verò cur tantâ feſtinatione hoc actum ſit, affert Caietanus in cap. 19. Ioannis, inquiens breuitatem temporis ad hoc eos coëgiſſe. *Breuitas temporis* COGENS *ad celerem ſepulturam deſcribitur ex eo quòd erat paraſceue, hoc eſt dies præcedens Sabbatum.* En pios Chriſti diſcipulos celeriter ei defuncto pietatem exhibere coactos.

Caietanus.

Iulianus coactus fuit pietatem exhibere Conſtantio defuncto.

58 Sed & impius Imperator Iulianus à militibus coactus fuit funus proſequi Conſtantij defuncti, & ei exhibere pietatem. Quod ſcribit D. Gregorius Nazianzenus Oratione 2. in Iulianũ. *Eum imperatorijs honoribus carere non ferens* (exercitus) *Apoſtatam, vt eum ſuſcipiat, hortantur, mortuoque cum congruenti habitu, geſtuq; obuiam prodire* COGVNT. Coëgerunt eum milites honorificè ſuſcipere Imperatorem defunctum, nam cogendi ſunt viui pietatem impendere defunctis.

D. Greg. Naz.

L. III. C. XIV Specialiter Dauid Ionatham defunctum luxit, quia vir probus erat.

59 Vt mortem Dauid audiuit populi, qui corruerat in prælio ſciſſis veſtibus multas lachrymas effudit. Specialiter autem vnà cum viris, qui ſecum erant ſuo luctu Saul, & Ionatham honorauit. *Et planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius.* 2. Reg. 1. 12. Quòd ſpecialiter lugerent Saul, rectè ſe habet, quia Rex erat. At Ionatham cur potiùs, quàm cæteros Regis filios ſpeciali pietate ſunt proſecuti? Quia præ cæteris vir erat probus, ac ſingulari virtute præditus. Ita reſpondet Dionyſius Carthuſianus. *Planxerunt ſuper Saul, & ſuper Ionatham, quem ſpecialiter defleuerunt* PROPTER PROBITATEM IPSIVS. Defuncti probi ſpeciali pietate ſunt proſequendi, & iccirco Ionatham, quia bonus erat, ſpecialibus lachrymis honorauerunt.

Dion. Carth.

Samuelem populus honorauit, quia virtute præditus erat.

60 Hæc etiam cauſa fuit, cur Samuelem vniuerſus Iſraëlitarum populus tantâ pietate honorauit. *Mortuus eſt autem Samuel, & congregatus eſt vniuerſus Iſrael, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in domo ſuâ, in Ramathâ.* 1. Reg. 25. 1. Tot enim Prophetæ pietatis obſequia impenderunt, quia vir erat iuſtitiâ, & bonitate præditus, ac Deo valdè acceptus. Ita cenſet Ioſeph Hebræus lib. 6. Antiquit. Iud. cap. 14. *Luctum in longum tempus prorogat, non quaſi in publico mœrore, ſed quaſi ad vnumquemuis propriè hæc orbitas pertineret, fuerat enim vir ad omnem iuſtitiam, ac bonitatem à naturâ compoſitus, &* OB HAS VIRTVTES *Deo longè acceptiſſimus.* Samuelem defunctum propter eius virtutes valdè honorauerunt, nam valdè ſunt pietate proſequendi defuncti, qui virtute præditi, à Deo ſunt accepti.

Ioſeph Hebr.

Probitas Abner excitauit populum ad luctum.

61 Hùc etiam facit planctus, quo populus Iſrael mortuum Abner plorauit. *Cùmque ſepeliſſent Abner in Hebron, leuauit Rex Dauid vocem ſuam, & fleuit ſuper tumulum Abner, fleuit autem & omnis populus.* 2. Reg. 3. 32. De quo luctu hęc ſcribit Dionyſius Carthuſianus, explicans hunc locum. *Ex verbis Regis tam doloroſis, & affectuoſis, atque ex planctu eius tam cordiali, & copioſo, mota fuerunt eorum corda vehementer ad fletum, & quia recordabantur* PROBITATVM, *& fortitudinum tanti viri, qui taliter corruit.* Probitas Abner defuncti populum ad luctum excitauit, & pietatem, nam qui virtute ſunt præditi peculiari ſunt pietate honorandi defuncti.

Dion. Carth.

Cap. XVIII. Chriſtus vocauit diſcipulum antè ſepulturam patris, quia propinqui erant qui eum ſepelirent.

62 Diſcipulum Chriſtus vocauit, qui cùm dilationem peteret, vt mortuum poſſet humare parentem, reſpondit ei Chriſtus, vt ſineret mortuos ſepelire mortuos ſuos. *Dixitque ei Ieſus, ſine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos.* Luc. 9. 60. Qui autem erant hi mortui, qui mortuum diſcipuli genitorem humare debebant? Eius propinqui. *Erant*, inquit D. Cyrillus in catenâ, *& alij curatores* LINEA PARENTELÆ ADSTRICTI, *ſed vt aſtimo, mortui, eò quòd nondùm Chriſto crediderant.* Vocauit Chriſtus ad ſe diſcipulum antè ſepulturam patris, quia eo deficiente cæteri propinqui eum humaſſent, cùm viui teneantur propinquis pietatem exhibere defunctis.

D. Cyrillus.

Cõceſſit Deus ſacerdotibus, vt propinquos lugerent defunctos.

63 Prohibuit Deus ſacerdotibus, ne lugerent defunctos, excepit tamen propinquos, quos lugere, ac ſepelire illis permiſit. *Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis, ac propinquis.* Leuit. 21. 2. Vbi videre licet propinquis magis, quàm cæteris defunctis deberi pietatem, nam qui prohibuit in cæterorum morte lugere, id conceſſit in morte propinquorum. Audiendus Oleaſter. *Contaminabit ſe ſuper carne ſuâ, nempè ſuper propinquo ſuo, ac ſi dicat, non ſuper omnem carnem, ſed* SVPER PROPINQVAM. Multâ ſunt pietate proſequendi mortui propinquitate coniuncti, & ideò permiſit Deus ſacerdotibus, vt propinquos lugerent defunctos.

Oleaſter.

Cap. XXIII. In morte Menalippi eius ſoror mortem præ dolore ſibi conſciuit.

64 Pietatem ergà fratres defunctos probat illud quod narrat Callimachus lib. 3. Anthologię cap. 23. Menalippi videlicet ſororem vnà cum fratre defunctam eſſe præ luctu, ac dolore.

Manè Menalippum ſepeliuimus, ſole verò
Occidente Baſilo mortua eſt virgo,
Suâ manu, viuere enim FRATREM in igne ponens,
Non ſuſtinuit,

Callimach.

Mortem non timuit, ſed eam ſibi libenter irrogauit, vt, quam credebat, pietatem fratri defuncto exhiberet.

Fratres Amnon multã ei exhibuerunt pietatem.

65 Multam etiam fratres Amnon ei exhibuerunt poſt mortem pietatem, qui fugientes ab Abſalom, vt ad patrem peruenerunt, vberrimis la-

chrymis luxerunt. *Cùmque ceſſaſſet loqui, apparuerunt & filij Regis, & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt.* 2. Reg. 13. 36. Quamobrem tot lachrymis eum honorauerunt, niſi quia eorũ frater erat? Opportunè Ioſeph Hebræus libr. 7. Antiquit. Iudaic. cap. 8. *Pater occurrit flens flentibus, ex inſperato videns, quos paulò antè extinctos acceperat denuòque gemitus, ac lachrymæ inſtaurantur, bis* FRATREM, *Rege filium fœdè trucidatum deplorantibus.* Tantâ pietate deplorauerunt Amnon, quia eorum frater erat, fratres enim defuncti multâ ſunt pietate proſequendi.

Ioſeph Hebr.

Cap XXV. Dauid oſſa Saul tranſtulit ad paternum ſepulchrum quia oſſa regia erant.

66 Peculiarem pietatem Regibus deberi defunctis, poteſt etiam ex eo confirmari, quod geſſit Dauid, cùm abijt ad vrbem Iabes Galaad, & indè oſſa Saul, vt ea in paterno humaret ſepulchro, aſportauit. *Et abijt Dauid, & tulit oſſa Saul, & oſſa Ionathæ filij eius à viris Iabes Galaad, qui furati fuerant ea de plateâ Bethſan, in quâ ſuſpenderant eos Philiſthijm.* 2. Reg. 21. 12. Quem honorem aliam ob cauſam oſſibus illis non exhibuit, niſi quia oſſa regia erant. Aptè Abulenſis quæſt. 32. in hunc locum. *Ipſe iuit de Ieruſalem in Iabes Galaad pro illis, & cum eo magna pars populi Iſrael, & honorabiliter tranſtulerunt oſſa illa, ſicut decebat* OSSA REGIA *transferri.* Speciali pietate proſequendi ſunt reges poſt mortem, quare cùm Saul Rex eſſet eius oſſa Dauid ingenti pietate honorauit.

Abulenſis.

Senatus Romanus extulit Regem Numidiæ.

67 Senatus etiam Romanus oſtendit, quanta defunctis Regibus pietas debeatur, cùm Siphacem Numidiæ Regem in captiuitate defunctum funere publico extulit. Quam pietatem commendans Valerius Maximus lib. 5. cap. 1. hæc habet. *Illud quoque non paruum humanitatis Senatûs indicium eſt. Siphacem enim quondam opulentiſſimum Numidiæ* REGEM *captiuum in cuſtodiâ Tiburi mortuum publico funere cenſuit efferendum.* Regem, licet captiuum defunctum ſenatus honorauit, agnoſcens pietatem deberi Regibus defunctis.

Val. Max.

Cap. XXX. Baſſianus Getam fratrem, quem interfecerat, ſæpè plorauit.

68 Debere homines adiuuare defunctos eos, quos læſerunt viuos, declarat item pietas, quâ Baſſianus Imperator Getam fratrem, quem occiderat, lachrymabatur, quotieſcumque vel eius imagines aſpiciebat, vel eum ad memoriam reuocabat. Quod teſtatur Ælius Spartanus apud Paulum Manutium in Adagio Crocodili lachrymæ, his verbis. *Lachrymabatur, quoties, aut mentio fieret, aut imagines videret Geta fratris,* QVEM OCCIDERAT. Fratrem quidem occidit, ſed occiſum crebris lachrymis honorauit, vt quem læſerat iniuſtitiæ crimine viuentem, proſequeretur pietatis virtute necatum.

Aelius Spart.

Lib. IV. C. I. Nicodemus multo ſtudio linteamina pro ſepulturâ Chriſti addidit.

69 Quanto ſtudio pietas debeatur defunctis, Nicodemus declarauit, qui multo ſtudio Chriſti ſepulturam curauit. Scribit Ioannes ſe vnà cum Petro profectum fuiſſe ad Chriſti monumentum, & ibi vidiſſe linteamina poſita, cùm iam ille à mortuis reſurrexiſſet. *Et cùm ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina.* Ioan. 20. 5. Matthæus verò ait, Ioſeph Arimathæum Chriſti cadauer ſindone mundâ inuoluiſſe. *Et accepto corpore Ioſeph, inuoluit illud in ſindone mundâ.* Matth 27. 59. Si Ioſeph vnicam adhibuit ſindonem, quomodo plura diſcipuli linteamina inuenerunt? An quia Nicodemus, vt maiori ſtudio Chriſto defuncto pietatem exhiberet, alia linteamina ſuperaddidit. Ita Paſchaſius Rathbertus lib. 12. in Matthæum. *Neque in eo diſcrepare videntur, quòd Ioſeph eum in vnâ tantum ſindone inuoluiſſe dicitur, & Ioannes linteaminibus inuolutum narrare probatur. Quia poterat & Nicodemus alia ſuperaddere linteamina ob reuerentiam, &* STVDIVM *honeſtatis.* Studium Nicodemus in pietate Chriſto defunctâ exhibuit, & ideo præter ſindonem, in quâ Ioſeph eũ inuoluit alia etiam linteamina attulit.

Paſchaſius.

Studium ab alijs adhibitum in funeribus defunctorum.

70 Studioſè quoque populus exequias honorauit Conſtantini, de cuius pietate hæc ſcribit Euſebius Cæſarienſis in eius vitâ lib. 4. cap. 71. *Aderant Dei ſacerdotes circumfuſi turbâ, ac vniuerſo pietatis* STVDIOSO *populo, à quibus diuinus per preces cultus adhibitus eſt.* Militum etiam ſtudium in funeribus Ducum vel Imperatorum adhibitũ commendat Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 7. *Sæpè Imperatoris, aut Ducis, qui occubuiſſet in acie funus, milites, quantum poterant, militaribus* STVDIIS *celebrarunt.* Virgilius tandem ſtudium laudauit Troianorum in funere Miſeni lib. 6. Aeneidos.

Euſeb. Cæſar.

Alex. ab Ale.

Haud mora, feſtinant flentes, aramque ſepulchri
Congerere arboribus, cœloque educere certant.

Virgilius.

Ad quæ Ioannes Ludouicus Cerda ait. *Exprimitur* STVDIVM *Troianorum in peragendis Miſeno iuſtis,* Obſerua quanto ſtudio cuncti defunctis pietatem impendant.

Ludou. Cerda

Cap. IV. Antoninum Imperatorem certatim omnes inter Deos retulerunt

71 Certatim eſſe defunctos pietate proſequendos declarauit populus in exequijs Antonini Imperatoris, dum eum cuncti certatim inter Deos retulerunt. Narrat hoc Eutropius lib. 8. *Obijt decimo octauo Imperij anno, vitæ trigeſimo primo, & omnibus* CERTATIM *adnitentibus, inter Deos relatus eſt.* Defunctum Imperatorem certatim honorauerunt, ſcientes, mortuos à cunctis eſſe certatim honorandos.

Eutropius.

Concl. Operis

72 Hæc ſunt, quæ tanquam Auctarium noſtro Pentateucho addere ſtatuimus, quæ omnia vnà cum cæteris in toto opere exaratis, opto aliquam defunctorum Animabus afferre vtilitatem quatenùs ab his viui ad pietatem eis exhibendã excitati, æternæ gloriæ vitam eis a Deo ſuis precibus, ac ſuffragijs obtineant. Ad quam nos quoque deducere dignetur, qui noſtrûm causâ carnem ſumere, ac pro nobis Crucem ſubire non abhorruit.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Quæ in hoc Opere continentur.

Aaron.

AB Eleazaro Sacerdote ſepultus 18. 20.
Ab angelis ſepultus 65. 10.
Diuturno luctu ob gratitudinem lugetur 91. 15.
Qui cunctis benefecerat à cunctis lugetur. ibid.
Vt retineret proceſſum vindictæ inter mortuos orauit. 131. 2.
Rationabile fuit quod lex de pollutione ſuper mortuum diſpenſaretur, vt pietas ei mortuo exhiberetur. 146. 6.
In montis vertice honorifice ſepultus. 226. 3.
Populus Iſrael Aarõ luxit, quia erat eius prælatus. 305. 3
Totus populus Aaron mortuum fleuit. 370. 1.
Iſraelitæ per vniuerſas familias eum luxerunt. 374. 2.
Pro uiuis non ſolum, ſed etiam orauit pro defunctis. 389. 2.
Publico luctu honoratus. 449. 3.

Abel.

Clamor mortui Abel aduerſus Cain. 281. 3.
Hoc clamore Dei vltionem contra crudelem fratrem petebat 281. 4.
Adam, & Eua pro eo defuncto ad Deum clamauerunt 291. 1.
Adam, & Eua centum annis eum mortuum luxerunt. 356. 11.

Abimelec.

Saræ pro eius ſepultura multa munera largitus eſt. 330. 8.

Abner.

Dauid luctu, ac ieiunio mortuo vicem rependit. 90. 10.
Vt Dauid ſuam cum eo amicitiam probaret epulas pro eo diſtribuit ferales. 96. 12.
Dauid ei fidem ſeruauit, vnde illius exequias celebrauit. 97. 3. & ſeq.
Vt dedecus vitaret voluit Dauid vt Ioab lugeret eum defunctum. 168. 4.
Dauid à populo dilectus fuit, cum Abner mortuo iuſta perſoluit. 171. 4.
Dauid coegit Ioab plangere Abner mortuum. 242. 11.
In morte Abner Dauid luxit, quia princeps erat. 304. 8.
Dauid eum licet hoſtem poſt mortem plorauit. 309. 3.
A Dauide Ioab coactus eum interfectum lugere. 311. 2.
Eius defuncti Dauid curam egit? 323. 9.
Dauid in eius funere cum lachrymis ieiunium coniunxit. 343. 4.
Compulit Dauid Ioab vt ploraret Abner, vt iſte cõmunibus lachrymis honoraretur. 346. 9.
Mane elatus. 365. 3.
Dauid vt ei mortuo pietatem impenderet, nihil die exequiarum guſtauit. 358. 1.
Ex hac diurna eius pietate eius innocentiam populus cognouit. 358. 3.
Voluit Dauid vt totus populus mortuum Abner lugeret. 371. 5.
Præcepit Dauid Ioab vt cum toto populo ploraret Abner. 371. 6.
Totus populus eius funeri pietatem impendit. 371. 7.
Tota ciuitas Hebrõ cõuenit ad exequias Abner. 372. 2
Dauid vna cum ſenioribus ei mortuo pietatem impendit. 380. 2.
Dauidis luctũ imitatus eſt populus in funere illius. 382. 8
Coactus fuit Ioab ei pietatem impendere, quia princeps erat. 385. 5.
Eius mortem ſocij pietatis cauſâ nuntiauerunt. 404. 2.
Populus eum fleuit, quia vir bonus erat. 461. 61.

Abominatio.

Aues lacerantes cadauera mortuorum abominabiles. 174. 10.
Signis abominationis notabantur, qui nolebant fratribus pietatem exhibere defunctis. 174. 11.
Onam fratre mortuo pietatem denegans rem abominabilem omnibus patrabat. 174. 12.
Antiqui Patres poſteris commendabant, ne illam contemnentes abominabiles redderentur. 175. 13.

Abraham.

Diuinitatem præſefert dum ſe in Defunctum pium oſtendit. 6. 6.
Apud inferos Angelis annunciantibus Chriſti diem vidit. 61. 9.
Cum memor fuit humanitatis monumentum ædificauit vxori mortuæ. 81. 13.
Feſtinauit pro loco in quo ſepelienda erat Sara prætium ſoluere. 86. 4.
Sepulchrum ſibi iuſtitiæ titulo debitum humiliter petit ab Hethæis. 86. 6.
Eius petitio iuſta, & humilis. ibid.
Fidelitatem ſuam pietate defunctæ vxori exhibitâ oſtendit. 97. 1.
Noluit gratis accipere infidelium ſepulchra. 106. 1.
Noluit coniugem cum infidelibus ſepelire, neque in eorum ſepulchris. 106. 2.
Pium putauit vxorem mortuam deflere. 106. 12.
Barbaros Hethæos adorauit. 107. 9.
Eum pro ſepultura vxoris petentem Hethæi vt rationabiliter poſtulantem exaudierunt. 146. 4.
Eleuatus eſt pietate, quam defunctæ vxori exhibuit. 194. 1.

Eadem

INDEX

Eadem pietate ad altiorem viuendi ſtatũ eua ſit. 194.2.
Se ſapientem oſtendit cum mortuæ vxori ſepulturam poſtulauit. 150. 3.
Idem ægit cum eam piè plorauit 151. 4.
Magna eum proſecuti ſunt reuerentia Hethæi cum depræcatus eſt pro mortuo 162. 11.
Tanquam Principem eum honorauerunt. 162. 12.
A ſuis operibus vacauerunt, vt eum ſepelientem vxorem honorarent. 162. 13.
Populum in mortuum pium honorauit cultu duliæ. 162. 14.
Hethæi adeo eum petentem pro vxore mortua ſepultuturam dilexerunt, vt ei negare non potuerint ea quæ petebat. 171. 9.
Dominum eum Hethæi appellauerunt, quia eum valde dilexerunt. 172. 10.
Quia Hetbæi eum dlligebant viuum ſepulturam conceſſerunt Saræ defunctæ. 182. 1.
Hethæi eum ſuum principem appellauerunt cum eum viderunt in defunctam vxorem pium, quia pluſquam hominem eum exiſtimauerunt. 202. 12.
Princeps Dei hoc eſt magnus & appellatus exhibens vxori defunctæ pietatem. 217. 7.
Magno fletu plorauit mortuam vxorem. 217. 8.
A filijs honorificee ſepultus. 226. 4.
Si aliquis eum prohibuiſſet quin in ſuo ſepulchro ſepeliret vxotem, eum ad id concedendum Hethæi coegiſſent 240. 2.
Precibus coegit Ephron vt ſibi venderet agrum pro ſepultura defunctæ coniugis. 240. 3.
Pro ſepultura Saræ vxoris ingenti cura agrum, & ſpeluneam emit. 322. 6.
Facile ab Ephron agrum impetrauit pro ſepultura coniugis defunctæ, quia iuſtus fuit 340. 7.
Mane ſurrexit vt mortuis compateretur. 364. 2.
Cum eum Hethæi regem appellauerunt, vt ſepeliret vxorem ei ſuaſerunt. 383. 13.
Vt princeps eſt honoratus cum defunctæ vxori pietatem impendit. 386. 8.
Prò vxore mortua ab Hethæis ſepulchrum obtinuit 399. 4.
Vxori defunctæ pietatem impendit. 413. 1.

Abſalon.

Eum Dauid plorauit defunctum, quia Charitatis viſceribus affluebat. 101. 11.
Rationabile fuit quod eius cadauer transferretur ad locum honorabilem. 148. 12.
Eum licet rebellem Dauid luſit, quia filius eius erat 292. 2.
Lapideum monumentum eſt & ei erectum, quia filius regis erat. 303. 3.
Dauid eum defunctum plorauit, quem habuerat inimicum. 309. 2.
Magnum amorem erga eum defunctum Dauid oſtendit. 314. 2. & ſeq.
A Dauide licet paricida ploratus. 316. 5.
Dauid mori optabat vt ille à morte ſuſcitaretur. 337. 6.
Milites eum defunctum luxerunt. 401. 4.

Abſtinentia.

Viri Iabenſes abſtinentiæ ſuffragio mortuis pietatem impenderunt. 434. 1.
Ab omnibus delectationibus in eorum funere abſtinuerunt. 434. 2.
Dauid in funere Abner à cibo, & potu abſtinuit. 434. 3.
Aegyptij à delicatioribus epulis in funeribus abſtinent. 434. 4.
Herodes à cibo, & ſermone in funere filij abſtinuit. 435. 5.
Alexander principibus Macedonum quatriduana abſtinentia parentault. 435. 6.
Achilles à cibo, & potu abſtinuit donec Patroclum humaret defunctum. 435. 7.
Siſigambis, Charite, & nonnulli canes inedia mori in exequijs voluerunt. 435. 8.
In funeribus ignis non accendebatur, quo dapes condirentur. 435. 9.
Apoſtolus Iacobus diuturnâ abſtinentiâ Chriſtum defunctum honorauit. 435. 10.

Acab.

Canes linxerunt cadauer Acab, qui cadauer Naboth canibus lingendum abiecerat 180. 6.
In ſamaria quæ tunc erat metropolis Regni conditus fuit. 208. 12.
Iniquè egit dum mortuo Naboth non pepercit. 231. 2.
Crudelis fuit, quia Naboth mortuum inſepultum omiſit. 234. 7.

Accipiter.

Inſepultos mortuos ſepelit. 112. 8.

Achan.

Lapidatio eius combuſtio eſt appellata. 259. 6.

Achaz.

Roſurrectionem mortui non popoſcit ne Deus glorificaretur. 20. 7.

Achilles.

Hector qui in Patroclum mortuum crudelia cogitauit crudelem in ſe Achillem cum mortuus fuit habuit. 180. 8.
Quia Dei amicus erat ſolemniter eſt ei parentatum. 275. 13.
Mater eius illi mortuo miſericordiam exhibuit. 294. 14
Celeriter pietatem defunctis exhibuit. 352. 26.
Perſeuerans in luctu pro Patroclo mortuo. 357. 21.
Diſcumbens Priamo ſepulturam Hectoris, conceſſit. 369. 5.
A cibo, & potu abſtinuit, donec Patroclum humaret defunctum. 435. 7.

Adam.

Adam.

Sepultus erat in caluaria. 49. 10.
Vt ille Cœlum adiret Chriſtus pati voluit in caluaria. ibid.
Cum eius puluere ſanguinem ſuum Chriſtus comiſcuit. 49. 11.
Paradiſo propinquus ingemiſcebat. 270. 7.
Pro Abel defuncto ad Deum plorauit. 291. 1.
Centum annis Abel mortuum luxit. 356. 1.

Sanctus Adrianus.

Eius cadauer Delphini ad lictus detulerunt. 115. 26.
Eius cadauer Antoninus Pius Sancte ſepeliuit. 226. 12.
Alcibiadem mortuum honorauit. 382. 4.

Aegyptij.

Ieremiam, qui eos ab aquarum beſtijs liberauerat iuxta regum tumulum condiderunt. 90. 8.
Eorum gratitudo in Iacob defunctum. 90. 12.
Timuit Ioſeph, ne ob gratitudinem Aegyptij ſibi defuncto diuinos tribuerent honores. 91. 13.
Ioſeph honorifice ſepelierunt vt ſuum in eum amorem oſtenderent. 94. 8.
Quadraginta diebus mortuos lugebant 107. 6.
Ab eis pietatem didicerunt Hebræi ergà Iacob defunctum 107. 7.
Aegyptiorum honores, quos Iacob defuncto exhibuerunt ſapienter Ioſeph admiſit. 151. 6.
Vt Ioſeph honorarent cum eo iuerunt ad ſepulchrum Iacob. 163. 17. & ſeq.
Honore dignos cenſebant eos qui curabant cadauera mortuorum. 164. 22.
Gloriantur de pietate exhibita defunctis. 166. 7.
Malignos accuſatores mortuorum magna pœna mulctabant. 177. 3.
Infames habiti apud eos illi, qui cadauera non redimebant mortuorum. 168. 8.
Sciſſores cadauerum execrantur. 174. 8.
Quia diligebant Ioſeph plorauerunt Iacob defunctum. 182. 2.
Magno fletu fleuerunt Iacob mortuum. 217. 10.
Sepulcra conſtruentes preſignem oſtendebant magnificentiam. 220. 9.
Honorifice tumulauerunt Ioſeph. 227. 5.
Iniurioſi in ædificatione domorum diligentes erant in conſtructione ſepulcbrorum. 246. 11.
Permiſit Ioſeph Patrem mortuum ab Aegyptijs honorari ne patrem videretur amaſſe tepidius. 288. 3.
Nocte ſurrexerunt vt filios mortuos lugerent, 293. 10.
Eorum ritus in Regum funeribus. 302. 15.
Magnam oſtendunt beneuolentiam erga Principes defunctos. 304. 10.
Studium in funeribus mortuorum adhibebant. 320. 8.
Sepulturam, defunctorum diuitijs prætulerunt. 334. 6.
Suum regem communi meſtitia lugent. 348. 18.
Noctu primogenitos defunctos plorauerunt 360. 5.
Eorum familiæ in defunctorum funeribus piæ. 375. 10.
Eorum ſacerdotibus tantum nonnullos mortuos tangere licebat. 390. 5.
Cùm eſſent mortui morte culpæ mortuos ſuos ſepelierunt. 415. 2.
Aegyptij à delicatioribus epulis in funeribus abſtinent. 434. 4.
A voluptatibus ſensûs in Regum ſuorum exequijs abſtinebant. 444. 8.
In ſuorum funeribus ſe verberabant. 438. 5.

Aegyptus.

Significat Purgatorium. 3. 8. 69. 4.
Mundum repræſentat. 52. 9.
Aegyptus inferior infernum repreſentat. 52. 9.
Tribus tantum diebus tenebras in ea permiſit ne ſi diutius duraſſent vniuerſi Aegyptij perirent. 264. 3.
Senes Aegypti exhibuerunt pietatem Iacob defuncto. 380. 3.

Aeneas.

Suas laudes auxit, cùm ſepulturæ honorem mortuis conceſſit. 160. 22.
Permitens defunctis militibus honorem ſepulturæ inimicorum beneuolentiam captauit. 171. 8.
Quia pius in funere Miſeni clamabat 213. 9.
Magno clamore Miſeni funus cum militibus celebrauit. 217. 8.
Excuſatur quod ſocios non ſepelierit mortuos. 236. 6. & ſeq.
Parentem mortuum honorauit. 287. 12.
Patri quotannis parentabat, huncque morem Romanis dedit. 289. 13.
Miſeni amici funus honorauit. 299. 10.
Verum amici animum oſtendit cum Deiphobo defuncto pietatem exhibuit. 299. 11.
Anchiſi Patri, & Miſeno amico certatim cum ſocijs parentauit. 328. 8.
Cum multis defuncto Patri parentauit. 348. 18.
Cum ſuis militibus celeriter mortuis pietatem exhibuit. 352. 27.
Perpetuam pietatem patri mortuo exhibuit. 357. 22.
Diurno tempore patri mortuo parentauit. 359. 11.
Prima luce pietatem defuncto genitori exhibendam meditatur. 365. 7.
Ceteris prior Miſeno defuncto pietatem exhibuit. 383. 9.

Aeolus.

Vt filiæ inceſtum atrocius puniret cum ea filium mori præcepit. 269. 11.

Aer.

Lugens in exequijs defunctorum. 116. 6.
Defunctorum iniurias propulſat. 117. 7.

Aetas.

Omnis Aetas pietatem debet exhibere defunctis. 380. 1.

Aethio.

Digitized by Google

INDEX

Aethiopes.

Mortem ſibi, vt amicitiam in mortuum regem oſtendant, conſciſcunt. 96. 21.

Propinquorum cadauera domi ſeruabant diù, ne in obliuionem inciderent domeſticorum 284.7.

In morte principis mortem ſibi inferunt. 304. 10.

Magna pietate antiſtiti parentantes. 305. 7.

Afflicti.

Philiſthæi afflicti ſepulturã Sampſoni defuncto conceſſerunt 409. 1.

Elias afflictus pro defuncti vita Deum orauit. 409.2.

Vidua Naim ærumnis oppreſſa filium defunctum luxit. 410. 2.

Populus Iſrael in ærumnis poſitus. Moyſi, quem cenſebar mortuum pietatem impendit. 410. 4.

Tobias cæcitate percuſſus dolebat, ſe non poſſe pietatem exhibere defunctis. 410. 5.

Archiſynagogum coegit afflictio pietatem exhibere filiæ defunctæ. 410. 6.

Magdalena dolens, & afflicta ſepulchro Chriſti aſtitit. 410 7.

Senatus, & populus Romanus afflictus pietatem Conſtantino defuncto impendit. 410. 8.

Ancillæ afflictæ Patroclum defunctum pietate ſunt proſecutæ. 411. 9.

Theſſali calamitate afflicti Pelopidæ mortuo pietatem exhibuerunt,

Thaſij afflicti Niconem mortuum honorauerunt. 411. 11.

Agamenon.

Celeriter pietatem defunctis exhibuit. 352. 26.

Agar.

Sub arbore morientem abiecit puerum, ne videns eum cruciatum magis torqueretur. 268. 3.

Agathocles.

Per inuidiam Gelinis monumenta deſtruxit. 185. 9.

Ager.

Ager ille ſurrexit, qui vxorem Abrahæ mortuam recepit. 194. 3.

Agiſtrata.

Filio defuncto pietatis obſequia magna exhibuit. 294. 14.

Agrippa.

Auguſtus eum defunctum honorauit. 382. 5.

Agrippina.

Germanici defuncti cineres honorauit. 207. 3.

Alcibiades.

Magno ſtudio eius cadauer Timandra extulit. 321.9.

Eum mortuum Adrianus honorauit. 382. 4.

Alethius.

In vxoris morte lachrymas effudit & eleemoſynas erogauit. 343. 13.

Alexander.

Humanitatis cauſa vxorem Darij plorauit defunctam. 81. 15.

Matris Darij gratitudo in eum defunctum. 92. 20.

In eum defunctum magis hoſtes Barbari, quam ciues macedones pij fuerunt. 108. 14.

Hepheſtioni mortuo præclaras exequias celebrauit. 119. 22.

Se confeſſus eſt amentem, cum Clytum mortuum contumelijs affecit. 154. 10.

Simulans erga mortuum Antiochum pietatem, populorum beneuolentiam ſibi conciliauit. 172. 14.

Maximum artificem, vt monumentum edificaret Ephæſtioni mortuo vocauit. 219. 21.

Ieremiam Alexandriæ humauit, vnde propterea eiecti ſunt crocodyli, & aſpides. 279. 11.

Eius in Darium Defunctum pietas. 302. 13.

In eos quos læſerat poſt eorum mortem pius. 313. 10.

Eius diligentia in Epheſtionis funere. 326. 15.

Magnis impenſis defunctos honorauit. 333. 18.

Prima illi cura exequiarum paternarum fuit. 335. 15.

Antoninus multis ornamentis eius ſepulchrum decorauit. 382. 5.

Principibus Macedonum quatriduana abſtinentia parentauit. 435. 6.

Vxorem, & matrem Darij conſolatus eſt, eum tamquam mortuum, lugentes. 458. 33.

Alexandrini.

Peſſimi hominis exequias venerati. 317. 13.

Alphonſus.

Alphonſus Arragonius multa munera impenſus eſt in funere Ferdinandi. 330. 9.

Altitudo.

Abraham eleuatus eſt pietate quam defunctæ vxori exhibuit. 194. 1.

Eadem pietate ad altiorem viuendi ſtatum euaſit. 194. 2.

Ager ſurrexit cum mortui cadauer recepit. 194. 3.

In excelſis commorantur qui mortuorum miſerentur. 195. 4.

Ad excelſa tendunt, qui mortuis pietatem impendunt. 195. 5.

Iob ſurrexit cum pro filijs mortuis orauit. 195. 6.

Tobiæ operationes aſcenderunt ad Deum cum mortuorum cadauera ſepeliuit. 195. 7.

Tabitham in ſuperiori domus parte viduæ collocauerũt, vt Petri ſublimitatem innuerent, qui eam ſuſcitabat. 195. 8.

Vt Chriſtus attolleret ſua miracula noluit Archiſynagogi filiam curare viuam, ſed ſuſcitare mortuam. 196. 9.

Altior Chriſti poteſtas apparuit, cum ad mortuorum auxilium per pietatem declinauit. 196. 10.

Magdalenam ſuæ ſepulturæ honorem exhibentem ad ſumma laudum præconia Chriſtus eleuauit. 196. 11.

Eam horas canonicas recitantem Angeli eleuabant. 197. 12.

Iudas ad ſuperiora eleuatus, pro mortuorum animabus offerri ſacrificium curauit. 197. 13.

Codrus omnium laudibus euectus, cum Pompeium humauit. 197. 14.

Cum mortuos latini & Teucri ſepelierunt lux diei dicitur elata. 197. 15.

Amaſa.

Milites eum defunctum plorantes prælium omittebant. 334. 5.

Milites ad eius cadauer peruenientes ſubſiſtebant. 401. 6.

Viatorem eum defunctum fleuerunt. 405. 2.

Ama-

Digitized by Google

Amator.

Diſcrimen inter amicum, & amatorem. 298.4.

D. Ambroſius.

Apparuit in funere B. Martini cum Mediolani exiſteret 64.6.387.4.

Theodoſium non deſeruit mortuum, quem dilexerat viuum. 94.5.

Puellam à qua Ieſus fuerat honorifice ſepeliuit. 315.5.

Orans, & lugens mortuum ſuſcitauit. 343.12.

Die, ac nocte pro defunctis imperatoribus preces effundens. 367.6.

Amicitia.

Animæ purgatorij auxilia ſibi iurè amicitiæ debita Implorant. 93.1.

Ad probandam amicitiam ſuffragia debent exhiberi amico mortuo. 93.4.

Vt Dauid ſuam cum Abner amicitiam probaret epulas pro eo diſtribuit ferales. 95.12.

Æthiopes mortem ſibi vt amicitiam in defunctum regem oſtendant, conſciſcunt. 96.21.

Facile credi poteſt amicus, qui pietatem exhibet defuncto. 96.22.

Eſt potiſſima cauſa ratione cuius adiuuãdi ſunt mortui. 99.15.

Amicus.

Animæ purgatorij ab amicis miſericordiam ſibi debitam poſtulant. 82.1.

Corpora amicorum honeſtè ſunt ſepelienda. 82.2.

Amicorum auxilia tanquam ſibi debita animæ Purgatorij implorant. 93.1.

Tempore neceſſitatis quo animæ patiuntur in Purgatorio veri probantur amici. 93.2.

Qui amici mortui non miſeretur amicus eius non videtur. 93.3.

Amicus ille eſt fidelis, qui ſeruat dilectionem defunctis. 99.14.

Amici ante alios debent adiuuare defunctos. 99.15.

Homines potius eligunt mori manibus amicorum, quã inimicorum. 251.9.

Viuentibus cum amicis mortuis debent eſſe opera pietatis communia. 298.1.

Amicorum omnia communia. ibid.

Qui voce amicus eſt debet amicum diligere etiam poſt mortem. 298.2.

In tentatione Purgatoriæ afflictionis debet amicus poſſideri. 298.3.

Amicus debet eſſe perpetuus, & animam adiuuare amici. 298.4.

Amicus dicitur quaſi animi cuſtos. ibid.

Diſcrimen inter amicum, & amatorem. ibid.

Amici noſtri in Purgatorio cupiunt audire voces precum noſtrarum. 298.5.

Booz ſe oſtendit verum amicum amicitiam ſeruans cum defuncto. 298.6.

Chriſtus dixit Lazarum eſſe amicum, vt oſtenderet neceſſarium iter, quo eum reuocaturus erat ad vitam, 299.7.

Ioſeph, & Nicodemus magnam dilectionem oſtenderũt, cum Chriſto pietatem impenderunt defuncto. 299.8.

Gentiles ornamenta igni quo cadauera vrebantur amicorum donabant. 299.9.

Æneas Miſeni amici funus honorauit. 299.10.

Verum amici animum oſtendit, cum Deiphobo mortuo pietatem exhibuit. 299.11.

Mortui amici ſunt faciendi de mamonâ iniquitatis. 433.40.

Amnon.

Magnificas ei Dauid exequias celebrauit. 219.2.

Magnificæ fuerunt illi exequiæ celebratæ, quia filius regis erat. 303.2.

A' Dauide ploratus. 316.4.

Maiorem luctum pro eo Dauid cum filijs, quam ſolus edidit. 346.10.

Fratres iter agentes eum fleuerunt. 406.9.

Pietas multa fuit ei à fratribus exhibita. 462.65.

Amor.

Ioſeph oſculatus eſt Patrem mortuum in ſignum amoris, quo eum dilexerat viuum. 94.7.

Egyptij Ioſeph honorifice ſepelierunt, vt ſuum in eum amorem oſtenderent. 94.8.

D. Ambroſius Theodoſium non deſeruit mortuum, quem amauerat viuum. 94.5.

Ioſeph oſtendit in mortuo Patre quam vehementer eum amauerat viuum. 94.6.

Ad probandam dilectionem debent mortuis ſuffragia exhiberi 93.4.

Qui amici mortui non miſeretur, potius eũ odiſſe, quàm amaſſe videtur. 93.3.

Quia Dauid ſpecialiter Ionatham amauerat, ſpecialiter eum defunctum plorauit. 95.10.

Quia eum amabat fratrem vocauit, eique monumentum erexit. 95.11.

Verus amor exhibet poſt mortem dilecto pietatem. 95.13.

Mulieres propè ſepulchrum cæteris diutius perſeuerauerũt, quæ cæteris feruentius amauerunt. 95.14.

Magdalenã amore duce, vt defuncto pietatem impenderet pericula omnia contempſit. 96.15.

Thomas verum in Lazarum amorem oſtendit, cum mortem, vt ille ſuſcitaretur ſpreuit. 96.16.

Ex Chriſti lachrymis quibus fleuit Lazarum mortuum collegerunt Iudæi amorem, quo eum dilexerat viuum. 96.17.

Magdalena in vrgente amoris ſe poſſe deferre, ac ſepelire cadauer putauit. 96.18.

Matrona Epheſina, quia pia in defunctum veri amoris exemplum eſt appellata. 96.19.

Chriſtum mortuum Ioſeph, & Nicodemus honorauerũt, vt ſuum declararent amorem. 96.20.

Apoſtoli præ cæteris ad Ahriſti monumentum cucurrerunt, qui præ cæteris eum amauerunt. 101.9.

Vxores in defunctos viros maximo amore feruntur. 414.8.

Seruant amoris gratiâ memoriam mariti mortui. 414.9.

Hâc ratione Valeria renuit ſecundas nuptias. 414.10.

Et aliæ mulieres in ſepulchris maritorum habitabant. 414.11.

Vxores, quæ maritos viuos amore proſequebantur mortem poſt ipſorum mortem appetebant, 415.12.

Da-

Dauid pietatem impendit Abſaloni defuncto, quia valde eum diligebat. 456. 20.
Arator amore captus mulieris vna cum eâ virum illius defunctum lugebat. 459. 47.

Ananias.

Ipſe cum ſua vxore fuit à iuuenibus ſepultus. 19. 21.

Anaxagoras.

Proprijs manibus liberos ſepeliuit. 294. 13.

Anaxaretes.

A Venere propter crudelitatem in mortuũ punita. 11. 4.

Anchyſes.

Ei defuncto Aeneas certatim cum ſocijs parentauit. 328. 8.
Socij eum mortuum lugent. 405. 6.

Ancillæ.

Ancilla quædam fidiſſima, quæ defunctum lugebat, ac lumen in ſepulchro renouabant. 99. 11.
Afflictæ Patroclum defunctum pietate ſunt proſecutæ. 411. 9.

B. Andreas Auellinus.

Ergà defunctos pius. 392. 6.
Semper ac poterat, Miſſas, quas vocant defunctorũ celebrabat. 392. 6.
Mortuus quoque dilexit pietatem erga defunctos 392. 7

Angeli.

Angelorum allocutionem bis mulieres ad ſepulchrum euntes meruerunt. 26. 6.
Chriſto reſurgenti, vt miniſtrarent à Patre miſſi. 36. 9.
Per Angelos in Cœlum animæ Purgatorij euehuntur. 60. 1.
Cum Angelorum honoribus defunctorum ſuffragia connexa. 60. 2.
Angelorum eſt defunctorum animas ab inferis eripere. 60. 3.
Angelo duce ab inferis anima filiæ Archyſinagogi educta 60. 4.
Angelico miniſterio fiet ſuſcitatio mortuorum. 61. 5.
Animas Purgatorij Angeli conſolantur. 61. 6.
Sub terra Deum laudant Angeli, qui animas Purgatorij conſolantur. 61. 7.
Chriſti natiuitatem defunctis Angeli annunciauerunt. 61. 8.
Abraham apud inferos Angelis annunciantibus Chriſti diem vidit. 61. 9.
Letum liberationis nuntium defunctis Angeli detulerunt. 62. 10.
Defunctorum figuram aſſumunt vt eis officium ſepulturæ obtineant. 62. 11.
Non poſſunt animas torquere Purgatorij. 62. 12.
Mortuos Angeli lugent. 62. 1.
Sepulchrum eis conſtruunt. 63. 2.
Mortuos interdum efferre non renuerunt. 63. 3.
Funera comitantur. 63. 4.
In Chriſti exequijs cecinerunt. 63. 5.
Idem in exequijs D. Martini egerunt. 64. 6.
In ijſdem exequijs in forma D. Ambroſij Angelus apparuit. ibid.
Defunctos laudauerunt. 64. 7.
Moyſen ſepelierunt. 64. 8.
Aaron, & D. Catharinam ſepelierunt. 65. 10.
Inſcriptiones pro defunctis fecerunt. 65. 11.
Angeli cadauerum cuſtodes. 65. 12.
Corui formâ vt cadauer cuſtodirent ſumpſerunt. ibid.
Cadauera tranſtulerunt. 66. 15.
Angelorum conſolationes meruerunt mulieris, quæ ſepulchra mortuorum frequentauerunt. 124. 11.
Conſolati ſunt Magdalenam ad Chriſti monumentum plorantem. 135. 13.
Ad fletum eam prouocauerum vt maioribus frueretur conſolationibus. 135. 14.
Ore angelico propter pietatem erga mortuos commendatur Tobias. 155. 2.
Honorauerunt mulieres honorem Chriſti ſepulchro præbentes. 163. 20.
Angeli ad ſepulchrum tanquam apud Cœlum manebant. 204. 6.
Pluribus allocuti ſunt mulieres circa ſepulchra commorantes, tanquam ſuas conciues. 204. 7.
Angelus aſpectu terribilis milites, qui cuſtodiebant ſepulchrum magno timore affecit. 253. 8.
Angelum Zacharias videns timore magno eſt affectus. 254. 9.
Angelum terribili aſpectu videns Dauid pronus in terram præ timore cecidit. 254. 10.
Dauid Angelum terribili aſpectu videns timore percuſſus ad templum Dei aſcendere non potuit. 254. 11.
Vſque ad mortem hic timor in eo perſeuerauit. 254. 12.
Iſraëlitis Dei præſentia priuatis nullam attulit Angelus conſolationem. 272. 11.
Magis torquentur, qui in conſpectu angelorum cruciantur. 272. 12.
Vna conuenientes pietatẽ exhibent *defunctis*. 347. 17.

Anima.

Gaudet Deus dum ad Cœlum animæ reducuntur. 6. 2.
Pœna Purgatorij omnes alias excedit, quia animam affligit. 254. 1.
Tribulatio animæ omnimodam tribulato affert afflictionem. 255. 2.
Eliſæus noluit mulierem à ſuis pedibus amoueri, quia cum eius anima in amaritudine eſſet magna torquebatur amaritudine. 255. 3.
Adeo magna eſt animæ amaritudo, vt pœnè homines cogat limites excedere rationis. 255. 4.
Cætera tormenta comparata cum pœnis animæ parua videntur. 255. 5.
Tanquam paruum malum non eſt timendum, quod infligitur corpori comparatione illius, quo anima torquetur. 255. 6.
Chriſtus contriſtatus animæ pœnam ſuſtinuit, vt maiorem oſtenderet patiendi ardorem. 256. 7.
Vt corpore, ita & anima pati voluit vſque ad mortem. 256. 8.
Beata Virgo regina martyrum fuit, quia in anima paſſa eſt. 256. 9.
Eius anxietates tenebræ appellatæ. 265. 9.

Animæ Lymbi.

Chriſtus in eas pius. Vide Chriſtus.
Eas Chriſtus in tota vita dilexit. 44. 1.
Pro eis mortem acceptauit. 42. 2.
Conſolationem in paſſione Chriſti acceperunt. 48. 5.
Chriſti reſurrectionem expectabant vt ab inferis educerentur. 54. 9.

Eas Chriſtus paſſione ſua illuminauit. 49. 7.

Animæ Purgatorij.

Sancti pro eis exorant. Vide Sancti.
Eccleſiæ Preces pro ipſis. 1. 2.
Eccleſiæ oratio pro animabus Purgatorij. ibid.
Nouiſſimum quadrantem ſoluunt in pœnis. 2. 3.
Poſt multos dies viſitantur. 2. 4.
Recordatur eorum operum Deus. 2. 5.
Clamant ad Deum de carcere. 2. 6.
Per Purgatorium pertingunt ad Patriam. 3. 7.
Ad Promiſſionis Patriã ex Aegypto Purg. trãſeunt. 3. 8
Igne peccata eis dimittuntur. 3. 9.
Deſcendunt ad ignem aſcenſuræ ad Cœlum. 3. 10.
Peccata ſanabilia commiſerunt. 3. 11.
Purgatæ ad Elyſia Paradiſi perueniunt. 4. 12.
Purgatæ ſunt clariores. 4. 13.
Ignæ luſtratæ petunt ſedes inter aſtra. 4. 13.
Baptizantur igne. 4. 14. & ſeq.
Per ignem tranſeunt, & aquam. 4. 15.
Per vada horrenda tranſeunt ad Cœlum. 4. 16.
Per flammas tranſeunt, vt igne purgentur. ibid.
Quadrantur, & dolantur in Purgatorio. 5. 17.
Cadunt ſuper eas carbones pœnaliter Purgatorij. 5. 18.
Ab inferis à Deo reductæ. 5. 1.
Animarum Purgatorij verba ad viuentes. 15. 1.
Impios in eas tortoribus Deus tradit. 30. 10.
Trinitatis pietatem implorant. 33. 15.
Per Ionam figuratæ. ibid.
Altera die poſt Pentecoſtem pro animabus Purgatorij monachi ſacrificabant. 39. 2.
Suffragia, quæ fiunt pro ipſis Sp. Sanctus diſpoſuit. 38. 1.
Vix cõceptus Chriſtus pro eis mortem acceptauit. 42. 2.
Eas Chriſtus in tota vita dilexit. 44. 1.
Vt eas liberaret, ſpinis fuit Chriſtus coronatus. 48. 4.
Fuerunt omnes e dulcedine miſericordiæ Chriſti liberatæ, cum ad Lymbum deſcendit. 52. 11.
Diebus dominicis à ſupplicijs feriantur. 54. 10.
De illis Maria ſæpè cum Chriſto loquebatur. 58. 5.
In die Aſſumptionis multas Maria liberauit. 58. 6.
Eorum memoriam Maria ſuadet. 59. 13.
Educuntur per Angelos ad Cœlum. 60. 1.
Eas Angeli conſolantur. 61. 6. & ſeq.
Non Purgantur Angelorum miniſterio. 62. 12.
Cur officium de ipſis fiat poſt feſtum omnium Sanctorum. 66. 1.
Pauperes ſunt, & congregantur ad eleemoſynam petendam. 66 2.
Per Ioſeph ſignificantur. 67. 7.
Sanctorum precibus à pœnis citò liberantur. 69. 17.
Eccleſiæ cogitatio eſt pro eis exorans. 74. 1.
Speciali cultu eis Eccleſia ſuffragatur. 75. 4.
Vt eas liberet Eccleſia congregatur. 75. 7r
Cum gemitu pro eis orat. 76. 10.
Inuocant habitatores Eccleſiæ, vt à Purgatorio eripiantur. 76. 13.
Pertinet ad Eccleſiam militantem ſuffragijs eas adiuuare. 76. 14.
Lege naturali tenetur homo eas adiuuare. 77. 1.
Ad eas trànſire debemus per compaſſionem, quibus iuncti fuimus per humanitatem. 81. 16.
Tanquã ſibi debitã noſtrã implorant miſericordiã. 82. 1
Ab amicis miſericordiam ſibi debitam poſtulant. ibid.
Eleemoſynà pro ipſis ex debito eſt eroganda. 82. 2.
Amicorũ auxilia tanquã ſibi iure debita implorãt. 93. 1.
Tempore neceſſitatis, quam patiuntur in Purgatorio, veri probantur amici. 93. 2.
Qui amici mortui non miſeretur, amicus eius non videtur. 93. 3.
Charitas penetrare facit preces ad eas ſubleuandas. 101. 12.
Plenitudo charitatis ad eas ſe extendit. 102. 14.
Lege charitatis tenemur eas adiuuare. 102. 16.
Charitas nos impellit, vt eis ſuffragia impendamus. 103. 21.
Chriſtianiſſimi appellantur, qui eas adiuuant. 104. 4.
Vt Chriſtiani ſuam fidem teſtentur, eas liberare tenentur. 105. 7.
Dæmones ſuffragia poſtulauerũt pro ipſis. 110. 7. & ſeq.
Suffragia pro animabus Purgatorij, etiam offerentibus proſunt. 120. 1.
Orando pro ipſis vtilitatem viui accipiunt. 120. 3.
Mittebantur à Deo ad D. Thomã de Aquino. 136. 23.
Nobilius eſt eis ſuffragari, quàm miniſtrare Regibus. 209. 17.
Maxima miſericordia ſubleuantur. 219. 19.
Magna eorũ peruerſitas, qui eas eripere nõ ſtudẽt. 228. 1
Hæretici, quia eis negant ſuffragia, tyranni ſunt omnium crudeliſſimi. 235. 13.
Emittunt clamores, quia magni eas torquent dolores. 248. 1.
A Dæmonibus torquentur. 249. 1.
Multæ eas replent miſeriæ. 249. 3.
Ad facinoroſas pertinet poteſtates eas mulctare. 250. 2.
Ad Purgatorium ab Angelis ducuntur, vbi à Dæmonibus torquentur. 250. 3.
Quærũtur, quòd torqueãtur ac ſi eſſent damnatę. 252. 12
De hoc dolẽt, quòd dolores inferni eas circũdẽt. 252. 13
Auctores qui negant eas à Dæmonibus torqueri, non negant tamen eorum viſione cruciari. 252. 1.
Moleſtia, quam patiuntur videntes dæmones eſſet ſufficiens ad magnum eorum cruciatum. 252. 2.
Viſione dæmonum horrore concutiuntur. 252. 3.
Earum miſeriæ augentur ex hoſtium infernalium irriſione. 253. 4.
Has irriſiones figurabant, quibus Aegyptij illudebant Iſraëlitis. 253. 5.
Pęna carũ omnes alias excedit, quia animã affligit. 254. 1
Ab igne potiſſimum dicuntur cruciari, quia eius pœna eſt grauior cæteris. 259. 4.
Per calorem ignis, & frigus aquæ tranſeunt ad refrigerium. 263. 11.
Spes Beatitudinis eas affligit. 270. 1.
In eis gratia militat ad pœnam. 271. 7.
Dei gratia præditæ ſunt ac iuſtæ, & ideo noſtra ſuffragia eis debentur. 272. 1.
Vinctæ ſunt quia nullã habẽt merẽdi facultatẽ. 275. 3.
Requieſcunt à laboribus, quia ſuis laboribus nihil merentur. 275. 4.
Cum nihil poſſint mereri in maxima ſunt mendicitate, vnde maiori debent adiuuari pietate. 276. 6.
Eò copioſior debet eſſe noſtra pietas, quò maior eſt earum mendicitas. 276. .7

Miſeria, qua mereri non poſſunt diuinam ergà eas excitat miſericordiam. 276. 8.

Miſericordiam, quam recipiunt viuorum rependunt, nec poſſunt eſſe ingratæ. 277. 1.

Ad gloriam translatæ ſollicitè orant pro his, qui eis ſuffragia impenderunt. 277. 2.

Quia captiuæ ſuis meritis non poſſunt ſe iuuare debemus pro eis præces offerre. 277. 10.

Defectu facultatis merẽdi earũ pena protẽditur. 217. 12

Clamant ad Deum contra eos, qui ſibi pietatem non impendunt. 280. 1.

Mercedẽ poſtulãt à Deo eis, qui ſibi ſuffragãtur. 280. 13.

Contra eos clamant, qui ſibi ſuffragia denegant. 281. 5.

Horribilibus vocibus eos terrent. 281. 6.

Maiori feſtinatione pro eis orãdũ, quã pro cęteris. 348. 1

Celeriter sũt à pœnis noſtris ſuffragijs ſuſcitãdæ. 348. 2.

Citò ſunt adiuuandæ, quia acerbè affliguntur. 348. 3.

Anniuerſarium contingens die ſolemni non ſequenti, ſed præcedenti die celebrabatur, vt citius animæ Purgatorij adiuuarentur. 348. 4.

Præcipuè ad heredes ſuas dirigunt preces. 402. 2.

Suffragiorum alis aſcendunt ad Cœlum 418. 5.

Eleemoſynæ ſuffragium à nobis expoſcunt. 431. 1.

Aquę benedictę aſperſione, refrigeriũ experiũtur. 446. 2

Animalia.

Gloriam ſibi comparant dum miſericordiam, quam poſſunt mortuis impendunt. 166. 13.

Ex locis ſubterraneis fętorem contrahunt, & horrorem. 257. 8.

Mortuis derelictis eo modo, quo poſſunt pietatem impendunt. 308. 11.

Anna.

In morte ſororis pectus ſibi percuſſit. 400. 5.

Annibal.

Romana mãſuetudine hoſtes honorauit defũctos. 193. 12

Marcellum hoſtem honorificè cremauit, & ad filium remiſit. 309. 6.

Sociorum corpora terræ iubet mandari. 405. 7.

Ingentem gloriam retulit ex hoſtium ſepultura. 459. 42

Anniuerſarium.

Memoria anniuerſaria filiæ Iephte celebrata. 21. 12.

Contingens die ſolenni non ſequenti, ſed præcedenti die celebrabatur, vt citius defunctorum animæ à pœnis eriperentur. 348. 4.

Annua ſuffragia exhibita mortuis, & quare. 447. 1.

Iſraëlitę filię Iephte annuo luctu pietatem exhibuerunt. 447. 2.

Anniuerſario dolore Chriſti mors celebrata. 447. 3.

Anniuerſaria depoſitio Abb. ſolẽniter celebrata. 447. 4

Gentiles annuis ſacrificij mortuis parentantes. 448. 5.

Annua feria ſuper mortuorũ ſepulchra collocata. 448. 6

Munera quotãnis in defunctorũ honorẽ oblata. 448. 7.

Antichriſtus.

Qui ab Antichriſto torquebuntur cæteros martyres ſuperabũt, quia perſonaliter cũ Satana pugnabũt. 251. 8

Antigonus.

Filium in mortuum impium ſceptro percuſſit, & barbarum vocauit. 173. 4.

Eumenem, quem interfecit, honorauit. 313. 13.

Pyrrhum, qui ſe expugnauerat, filio ſepeliendum tradidit. 315. 7.

Ne author cædis Cleopatræ crederetur, ei defunctæ pietatem impendit. 458. 35.

Antilochus.

Ingenti luctu Patroclum plorauit defunctum. 381. 6.

Antiochus.

Stultè cogitabat mortuis pietatem denegans. 153. 1.

Fratris obitum plorauit. 297. 16.

Phrahartes eum mortuum à reliquis deſertum ſumma pietate honorauit. 308. 10.

Antiqui.

Mortuos inducebãt à viatorib⁹ pietatẽ poſtulãtes. 407. 11

In funeribus muſicam adhibebant, quæ excitaret ad deuotionem. 430. 6.

In luctu antiqui accingebantur cilicio. 437. 3.

In flammis rogi ſanguinem antiqui fundebant. 438. 6.

Antiſtes.

Aethiopes magna pietate antiſtiti parentantes. 305. 7.

Herbipolenſis Antiſtes ingenti exequiarum pompa funeratur. 306. 8.

Antoninus Pius.

Sanctè cadauer ſepeliuit Adriani. 226. 12.

Multis ornamẽtis Alexãdri ſepulchrũ decorauit. 382. 5.

Omnes certatim eum inter Deos retulerunt. 461. 70.

Antonius.

Interfici iuſſit eum, qui paludamento Brutum ſpoliauerat defunctum. 178. 8.

Ergà cadauer Archelai pius habitus fortiſſimus. 211. 14

Plures Reges eius cadauer petierunt. 384. 17.

Apes.

Exequias comitantes, & funera ducentes. 112. 10.

Apoſtoli.

Nõ ſuſcitauerũt mortuos niſi poſt paſſion. Chriſti. 49. 8

Citius quàm prophetæ mortuos ſuſcitabant. 69. 1.

Apoſtolica humanitate Petrus Tabithã ſuſcitauit. 69. 2.

Apoſtolicus feruor ſuſcitationi vacat mortuorum. 70. 3

Apoſtolorũ fuit curare viuos, & ſuſcitare mortuos 70. 4.

Apoſtoli Sali comparantur, quia viuis proſunt, & mortuis. 70. 5.

Apoſtolicum eſt defunctis pietatem exhibere. 70. 6.

Apoſtolorum corda lætificabantur, cum mortuis pietas exhibebatur. 70. 7.

Apoſtoli exequias Mariæ defunctæ celebrarunt. 71. 8.

Stephani mortui funus curauerunt 71. 9.

Defunctorum commemorationem in ſacrificijs inſtituerunt. 71. 10.

Hanc memoriã vſq; ad mundi finẽ conſeruabunt. 71. 11

Magdalena Apoſtolorum Apoſtola. 72. 6.

Præ cæteris ad Chriſti monumentum cucurrerunt, qui præ cæteris eum amauerunt. 101. 9.

Propter eorum vtilitatem gauiſus eſt Chriſtus in morte Lazari. 121. 5.

Lazarus eorum amicus erat. ibid.

Dum Chriſtum lugebant mortuum, conſolationem à Magdalena receperunt. 134. 10.

Citò Chriſtũ plorãtes cõſolationes obtinuerũt. 134. 11.

Suſcitatione mortuorũ fidẽ confirmabãt. 137. 2. & ſeq.

Lazari reſurrectione fides eſt roborata Apoſtolor. 137. 4

Eos contra Magdalenam indignatos tanquam irrationabiliter iratos Chriſtus redarguit. 148. 16.

Pietas erga defũctos Apoſtolis Magdal. prætulit. 201. 6

Qui mori timuerunt pro Chriſto viuo, morti ſe obiece-

runt

runt pro eo mortuo. 245. 6.

Nedū ſe ipſis,ſed etiā ſuis reb⁹ mortuos ſuſcitabāt.454.12

Aqua.

Aquam è latere Chriſtus effudit, vt Purgatorij flammas extingueret. 50. 13.

Luctus ei tributus in funeribus Orphæi,& Druſi. 117.10

Aqua cadauera lota mortuorum. 117. 11.

Cur aqua adhiberetur calida. ibid.

Aquis obrui Beatiſſimum apud Hyperboreos ſepulturæ genus. 118. 12.

Cadauerum humorem receptum,vt reſurgant, aqua reſtituet. 118. 13.

Aquæ comparatæ pœnæ Purgatorij propter multiplicitatem. 249. 4.

Aqua Benedicta.

Aquæ benedictæ aſperſio prodeſt mortuis. 446. 1.

Animæ Purgatorij hac aſperſione refrigerium experiuntur. 446. 2.

Hoc refrigerium explicauit anima Sacerdotis defuncti. 447. 3.

Tereſia aquæ benedictæ aſperſione diabolum eiecit ſe turbantem, ne preces pro defunctis effūderet.447.4.

In Cœmiterijs pro aſperſione aquæ benedictæ vas appoſitum. 447. 5.

Aquâ benedictâ à fidelibus viuis pœnæ delentur, quas debent mortui. 447. 6.

Aquila.

Chriſtum repræſentat. 51. 7.

In rogū Virginis à qua educata fuerat ſe iniecit. 111. 3.

Aquilas fingebant gentiles, ad Cœlos animas euehere mortuorum. 111. 4.

Cadauer S. Stanislai quatuor Aquilæ defenderūt. 111. 5

Gloriam ſibi comparauit dum ſe piam erga defunctam exhibuit. 166. 13.

Arathes.

Eius ſepulchrum,vt templum cultum. 91. 13.

Aratus.

Sicyonij calamitoſum duxerunt eum intra ſuam vrbem non ſepelire defunctum. 188. 10.

Arca Noë.

Eccleſiam ſignificabat triumphantem. 2c4. 6.

Arch. morus.

Mauſoleum accelerante manu ei erectum. 353. 29.

Archelaus.

Antonius erga cadauer eius pius habitus fortiſs. 211.14.

Inſignis eius pietas in Heredem defunctum. 302. 13.

Euripidem tragicum defunctum plorauit. 384. 17.

Archiſynagogus.

Male feciſſet, ſi poſt aliquod tempus filiæ reſurrectionem non publicaſſet. 20. 5.

Diſtulit Chriſtus eius filiam ſanare, vt poſſet reſuſcitare. 24. 9.

Archiſynagogi filia à Chriſto in virtute Trinitatis excitata. 31. 5.

Archiſynagogi puella voce à Chriſto ſuſcitata. 45. 6.

Ad eius petitionem ſtatim Chriſtus ad ſuam defunctam perrexit. 45. 9.

Credidit quod Chriſtus corporali tactu poſſet filiam ſuſcitare defunctam. 46. 12.

Eius puella tactu ſuſcitata. 46. 13.

Eius filiam plorantes expulit, non quia flebant ſed quia irridebant. 56. 6.

Anima filiæ Archiſynagogi ab inferis Angelo duce erepta. 60. 4.

Corde fideli vitam filiæ mortuæ poſtulauit. 99. 11.

Fides,qua pro filia defuncta orauit, eius meritum adauxit. 123. 5.

Orans pro filia defuncta,prouocauit diuinam miſericordiam. 127. 7.

Conſolatus eſt Chriſtus eos, qui eius filiæ mortuæ impendebant pietatem. 134. 7.

Eum Chriſtus eſt conſolatus mortuā filiā lugentē.134.8.

Eius fidem Chriſtus roborauit,dum ad ſuſcitandam illius filiam perrexit. 138. 10.

Chriſtū adorauit,quia eū in mortuos pium vidit. 161. 5

Vt Chriſtus attolleret ſua miracula noluit eius filiam curare viuam,ſed ſuſcitare mortuam. 196. 9.

Inde dictus quia Synagogæ, & ijs qui ad eam conueniebant præerat. 201. 9.

Superbiam deſerens humilitatem coluit, cùm pro filia mortua rogauit. 237. 1.

Ab afflictione coactus humiliter pro filia defuncta Chriſtum rogauit. 242. 12.

Eius filia Chriſto ſuſcitanti ſe gratam oſtendit. 278. 6.

Permiſit Chriſtus cùm eius filiam ſuſcitauit,eius reſurrectioni parentes adeſſe puellæ,quia hi de eius vita magis ſolliciti eſſe debebant. 293. 11.

Lachrymæ illius præcibus vnitæ vitam filiæ obtinuerunt. 341. 3.

Sine mora eius filiam Chriſtus ſuſcitauit. 349. 6.

Aſſidua oratione vitam filiæ impetrauit. 356. 12.

Eius familia in mortuam eius filiam pia. 374. 4.

Vna cum matre reſurrectionem filiæ impetrauit. 378. 2.

Quia veluti prçlatus erat,orauit pro filiâ defūctâ. 388. 9

Afflictio eū coëgit pietatē exhibere filię defūctæ. 410. 6

Argentum.

In funeribus adhibitum. 331. 14.

Aſael.

Ioab eum defunctum noctu ad ſepulchrum paternum extulit. 295. 6.

Dum milites compatiebantur ei defuncto, prælium omittebant. 333. 4.

Citò ad proprium ſepulchrum elatus. 350. 11.

Ioab cum ſuis militibus tota nocte ambulauit,vt eum in proprio ſepulchro humaret. 360. 4.

Ioab eiuſq; milites die,ac nocte pietatē præſtātes. 363. 4

Milites eum defunctum planxerunt. 401. 5.

Viatores eum luxerunt defunctum. 405. 1.

Asbeſtus.

Ex lino Aſbeſtino fiebant tunicæ regū mortuorum. 8. 13

Aſinus.

Vt cadauer portaret ad ſepulchrum expectauit. 113. 15.

Aſperſio.

Aquæ benedictæ aſperſio prodeſt mortuis. 446. 1.

Animæ Purgatorij hac aſperſione refrigerium experiuntur. 446. 2.

Athamas.

Filium quem interfecit poſt mortem luxit. 312. 9.

Athenienſes.

Mortuos laudantes ab inuidiæ labe [illegible] oſtendebant alienos. 237. 6.

Magna eis ſepulturæ cura fuit. 323. 12.

INDEX

Diligenter pugnantium pro patria cadauera ſepeliebant, 326. 14.

Auaritia.

Ioſeph ab auaritia ſe alienum declarauit, cum Chriſti cadauer ſepeliuit. 238. 10.

Aurum contempſit, Pilato illud donans, vt Chriſtum ſepelire poſſet. 238. 11.

Libitinarij quæſtum contempſerunt, cum mortuis pietatem exhibuerunt. 238. 12.

Aues.

Circa cadauera volitantes, & mortuorum exequias celebrantes. 111. 2.

Lacerātes cadauera mortuorū sūt abominabiles. 174. 10

Ab inferorum fœtore necatæ. 266. 4.

D. Auguſtinus.

Et ſuis, & aliorum ſuffragijs mortuos parentes adiuuare ſatagebat. 287. 11.

Religioſis precibus matris animam Deo commendabat. 291. 9

Senatus certatim progreſſus eſt in honoranda eius memoria, 327. 1.

Agrippam defunctum honorauit. 382. 5.

Aulici.

Iacob voluit à filio aulico ſibi defuncto pietatem impendi. 399. 1.

Ioſeph per aulicos facultatem obtinuit transferrendi paternum cadauer. 399. 2.

Aulici vna cū eo aſcenderūt ad patriū ſepulchrū. 399. 3

Hethæorum curia vxori Abrahæ ſepulchrum conceſſit. 400. 4.

Ioſeph Arimathæus, qui Chriſtum ſepeliuit curialis fuit. 400. 5.

Apud Sinas curiales quatuor in annum parentant Regibus, ac Reginis defunctis. 400. 6.

Aula Sūmi Pont. Virginis Claræ funeri interfuit. 400. 7

Beata Aurea.

Diligēter eius corpus à B. Honno tumulatum. 326. 13.

Aurora.

Lucem diei dicitur extuliſſe, cum Teucri, & Latini mortuos ſepelierunt. 197. 15.

Aurum.

In funeribus Stragula aurea. 331. 15.

Clamis ex auro intexta, ibid.

Corona aurea, ibid.

Aedes auratę. ibid.

Clypeus, & ſtatua ex auro. ibid.

Ornamenta aurea. ibid.

In funeribus adhibitum. ibid.

Auſonius.

Carminibus in defunctorum laudē pietatē coluit. 213. 8.

Matertere, quæ ſe materno dilexerat affectu miſerationem ſe debere profeſſus eſt. 291. 10.

Fratri mortuo piè parentauit. 297. 17.

Baptiſmus.

Baptiſmus ignis. 4. 14.

Dicitur de Purgatorio. ibid.

In Paradiſi Veſtibulo eſt Baptiſmus. 4. 15.

Barbari.

In mortuos pij. 107. 9.

Pro tuendis ſepulchris ad prælium, quòd detrectauerant parati. 108. 10.

Hoſtilem animum deponunt, cum agitur de pietate mortuis impendenda. 108. 11.

Facinora contra mortuos apud Barbaros locum non habent. 108. 12.

Eorum pietas in mortuos noſtram condemnat impietatem. 108. 13.

In Alexandrum defunctum magis hoſtes Barbari pij fuerunt, quam ciues Macedones. 108. 14.

Varij ritus Barb. pietatem in mortuos teſtantēs 108. 15.

Circuitus ſepulchrorū à Barbaris originē traxit. 109. 16.

Horrent flagitia in defunctos. 457. 27.

D. Bartholomeus.

Pietate in defūctos Trinitatis myſteriū firmabat. 137. 3.

D. Baſilius.

Pietate, qua eum plorauit delictorum veniam mulier obtinuit. 132. 6.

In eius funere pietas certatim exhibita. 328. 11.

Baſſianus.

Getā fratrem, quem interfecerat, ſæpè plorauit. 462. 68.

Beatitudo.

Antequam Chriſtus ad cœlos aſcenderet, ad inferos deſcendit, vt animas adiuuaret mortuorum. 203. 1.

Petrum, & Iacobum, & Ioannem voluit eſſe præſentes puellæ reſurrectioni, quia gloriæ radio erant in Thabor fruituri. 203. 2.

Viris Iabes Galaad nunciauit Dauid æternam Beatitudinem, cum pietatem defunctis exhibuerunt. 203. 3

Iacob poſteris terram promiſſionis pollicitus eſt, cum ſui corporis defuncti eis curam mandauit. 204. 4.

Pij tantùm ergà mortuos ad arcam aſcendunt Eccleſię triumphantis. 204. 5.

Idem eſſe videtur aſſiſtere in ſepulchro, & manere in cœlo. 204. 6.

Angeli pluribus allocuti ſunt mulieres circa ſepulchrum commorantes, tanquam ſuas conciues. 204. 7.

Ioſeph Arimathæus propter pietatem Chriſto mortuo exhibitam, beatus appellatur 205. 8.

Beatum quoque Dauid eum in ſpiritu appellauit. 205. 9

Lugentes defunctos beati appellati. 205. 10.

Oraculum Prophanum beatam patriam dixit, dummodo pietatem exhiberet Hectori defuncto. 205. 11.

Nigrum indumentum pro defunctis ſomniatum ſalutem apud Prophanos protendit. 205. 12.

Alethius Beatitudinem ſibi comparauit dum eam ſuffragijs defunctæ vxori procurauit. 206. 13.

Religioſus, qui quotidiè recitabat officium defunctorū trāſlatus inuictis dæmonibus ad beatitudinē. 206. 14

Incompoſſibilis eſt cum pœna damni. 247. 2.

Beda.

Inſcriptio eius ſepulchri ab Angelis effecta. 65. 11.

Beneficia.

Beneficijs mortuorū debentur ſuffragia viuorum. 88. 1.

Beneuolentia.

Vt Beneuolum ſibi redderet populum Saul defuncto Dauid pietatem impendit. 170. 1.

Amici fuerunt virorum Iabes, qui nunciauerunt Dauid ea quæ illi geſſerant pro mortuo Saul, vt eum ad beneuolentiam circà ipſos inclinarent. 170. 2

Viri Iabes mortuos humantes Dauidis beneuolentiam meruerunt. 171. 3.

Dauid populi beneuolentiam aquiſiuit, cum Abner

mortuo

Digitized by Google

mortuo iuſta perſoluit. 171. 4.
Theodoſius pietate in Athanaricum mortuum Viſigothorum animos ſibi conciliauit. 171. 5.
Dio pietate, qua ſepeliuit Heraclidem mortuum, ciues placauit. 171. 6.
Ringo Rex Sueonum exequias celebrans Haraldo odium hoſtium ad gratiam deflexit. 171. 7.
Aeneas permittens defunctis militibus honorem ſepulturæ inimicorum beneuolentiam captauit. 171. 8.
Abraham petentem pro vxore mortua ſepulturam, eam adeo Hethæi dilexerunt, vt ei negare non potuerint ea, quæ optabat. 171. 9.
Propter eamdem beneuolentiam eum Dominum appellauerunt. 172. 10.
Tobias multorum animos ſepultura mortuorum ſibi deuinxit. 172. 11.
Pietate in mortuos populi Romani ſibi fauorem Cæſar conciliauit. 152. 12.
Phariſæi, & Scribæ monumenta ædificabant mortuorum, vt vulgi beneuolentiam captarent. 172. 13.
Alexander ſimulans pietatem erga mortuum Antiochũ populorum beneuolentiam ſibi conciliauit. 172. 14.

Beſſiæ.

Sepulchris inimorãtes pietatẽ exercere dicũtur. 215. 19.
Erg. defunctos piæ. 457. 18.

Bethſabee.

Per multos dies maritum plorauit defunctum. 356. 9.

Blæſilla.

In funere eius nobilium ordo præibat. 207. 5.

D. Bonifacius.

Vt pœnitentiã ageret, mortuorũ corpora ſepeliuit. 129. 7

Booz.

Laudatur quia gratiam ſeruat mortuis. 156. 4.
Ruth in mortuos piam omni honore dignam exiſtimauit. 162. 9.
Quia propinquo defuncto pietatem impendit inter Patriarchas eſt enumeratus. 198. 4.
Se excuſauit, quod non ſtatim contrahens cum Ruth nomen ſuſcitaret defuncti. 235. 2.
Se oſtendit verum amicum amicitiam ſeruans cum defuncto. 298. 6.
Studuit memoriam ſeruare propinqui defuncti. 320. 7.
Apud Senatum pœnas impietatis in defunctum à propinquo exegit. 394. 2.

Braccius.

Pius in Sfortiam defunctum. 310. 11.

Britanni.

Suo duci magnificum ædificauerunt ſepulcrum. 220. 5.

Brutus.

Interfectus, qui eũ defũctũ paludamẽto ſpoliauit. 178. 8.
Milites eius cadauer efferẽtes fortiſſimi appellãti. 211. 13

Burdegalenſes.

Coacti Præfectum regium quem interfecerant honorifice humare. 242. 16.

Cadauer.

Cadauera nõ ſepelire eſt cõtra pietatẽ naturalẽ. 77. 3.
Cadauera à propinquis elata. 283. 4.
Cadauera efferebantur diurno tempore. 359. 9.
Cadauera die, ac nocte ſeruata, & plorãta. 364. 9.
Idem mos ſeruandi nocte, ac die cadauera. 364. 10.
Militum cæſorum cadauera mane cremata. 365. 5.
Mane cadauera elata. 365. 6.
Interdum ſepeliebantur in foro. 377. 10.
Iuuenes cadauera ferebant mortuorum. 381. 6.
Nefas erat pontificibus mortuorum cadauera viſa non ſepelire. 287. 2.
Principes ea ſequentes. 386. 9.
Principes ea extulentes. 388. 10.
Leuitæ efferebant, & ſepeliebant cadauera mortuorum. 390. 10.
Auguſti cadauer ex ſenatus conſulto triumphali pompâ elatum. 394 4.
Romani Senatores interdum ſuis humeris ea extulctũt 395. 6.
Ea etiam quandoque ſepelierunt. ibid.
Ioſeph Medicos habebat, qui mortuorum cadauera condirent. 396. 2.
Senes, qui auctoritatem habebant in Aegypto, cadauer Patriarchæ Iacob ſunt comitati. ibid.
Propter cadauer Amaſę milites pręliũ omittebãt. 401. 6
Virgines ſuis humeris cadauera efferre ſolebant. 411. 3
Quidam fame vrgente mortuorum cadauera comederunt. 459. 43.
Buzyges eos eſt execratus, qui humana cadauera contempſerunt. 459. 45.

Cæcitas.

Tobiæ diſplicebat cæcitas, quia non poterat pietatem impendere defunctis. 410. 5.

Cæſar.

Laudauit pietatem Pompeio mortuo à Codro exhibitam. 160. 23.
Pietate in mortuos populi Romani fauorem ſibi conciliauit. 172. 12.
Pompeium hoſtẽ ſibi affinẽ mortuũ honorauit. 283. 11.
Eius pietas in hoſtem defunctum. 310. 7.
Filiam mortuam omnium primus epulo populari honorauit. 382. 5.
Vxorem funebri laudatione commendauit. 413. 5.

Cæſarius Diaconus.

Sanctorum virginum, ac martyrum Flauiæ Domitillæ, Theodorę, & Euproſinę cadauera humauit. 390. 10.

Cain.

Non ſtatim poſt fratris cædem interijt ne decederet ei adhuc inimicus. 15. 3.
Ei ſuaſit Deus dilectionem fratris defuncti. 15. 4.
Clamor mortui Abel aduertus Cain. 281. 3.
Hoc clamore Dei vltionem contra crudelem fratrem petebat. 281. 4.

Calamitas.

Sicyonij calamitoſum duxerunt aratum intra ſuam vrbem non ſepelire defunctum. 188. 10.
Apud Thraces ingentem calamitatem ducebant vxores non mactari ad tumulum mariti. 188. 11.

Caleb.

Super ſepulchra patrum orauit. 425. 6.

Caligula.

Capitali pœna eos plectebat, qui ſigna mœroris in funere ſororis non exhibebant. 178. 9.

Caluaria.

In ea cadauera ſepeliebantur mortuorum. 44. 9.

Cambyſes.

Per inſaniam vetuſta ſepulchra recludit. 155. 12.

INDEX

Cananea.

Magnam Chriſto miſeriam commemorauit dùm filiam ſuam à Demonio vexatam dixit. 250. 6.

Canis.

Fidelem ſe canis oſtendit, cum ſuum Dominum mortuũ non dereliquit. 99. 13.
Solus canis, qui mortuo Dario aſtitit, fidelis appellatur. 99. 13.
Canum fidelitas in defunctos. 113. 16.
Canes, qui in funeribus Dominorum voluntariam ſibi mortem conſciuerunt. 339. 14.
Canes inediâ mortui. 435. 8.

Cantus.

Cantus pro mortuis. 63. 5.
In exequijs Ioſiæ vtriuſque ſexus homines cecinerunt. 379. 6.
In funeribus Imperatorum vtriuſque ſexus homines lugubria canebant. 379. 7.
Milites cantu pietatem exhibuerunt defunctis. 401. 7.

Carbones.

Carbones Purgatorij adhibentur cum deſunt deſolatorij. 5. 18.

Carcer.

Dicitur de Purgatorio. 2. 3. & ſeq.

Carmen.

Carmen in exequijs mortuorũ miſerabile dictũ. 127 11
Antonius Carminibus in defunctorum laudem pietatem coluit. 213. 8.

Carnifex.

Impij cõtra defũctos sũt carnificibus crudeliores. 233. 3

D. Catharina.

Ab Angelis ſepulta. 65. 10.

Cato.

Vticẽſes magnificè honorauerũt Catonẽ mortuũ. 220. 8
Diligentia in eius funere 335. 13.

Celeritas.

Maiori feſtinatione pro animabus Purgatorij orandum eſt, quàm pro cęteris. 348. 1.
Amici noſtri in Purgatorio celeriter ſunt à nobis noſtris ſuffragijs ſuſcitandi. 348. 2.
Citò animæ Purgatorij ſunt adiuuandæ, quia acerbe affliguntur. 348. 3.
Anniuerſarium contingens die ſolenni non ſequenti, ſed præcedenti die celebrabatur, vt citò defunctorum animæ à pœnis eriperentur. 348. 4.
Chriſtus accelerauit ſuam paſſionem, vt citò defunctis pietatem exhiberet. 349. 5.
Sine mora filiam Archyſinagogi ſuſcitauit. 349. 6.
Vt adoleſcentem Naim defunctum vidit, illicò eum ſuſcitauit. 349. 7.
Vt celerem iniungeret Iacob filio ſuo cadaueris tranſlationem, iuramentum ab eo exegit. 349. 8.
Citò Dauid Saul mortuo pietatem impendit. 349. 9.
Eadem celeritate Iabenſes ei ſepulchralia obſequia exhibuerunt. 350. 10.
Aſael defunctus celeriter ad proprium ſepulchrum elatus. 350. 11.
Sunamitis velociter cucurrit, vt filium adiuuaret defunctum. 350. 12.
Noluit Sunamitis, ne moraretur itineris cauſam reddere marito. 350. 13.
Vt citò ad Eliſæum veniret iuſſit puero, vt properaret. 350. 14.
Precæpit Eliſæus Giezi, vt lumbos accingeret, vt velocius iret ad ſuſcitandum defunctum. 350. 15.
Eamdẽ ob cauſã iuſſit ei, vt neminẽ ſalutaret. 351. 16.
Martha Chriſto celeriter occurrit, vt eum pro fratris reſurrectione oraret. 351. 17.
Pari celeritate ad Chriſti monumentum Magdalena cucurrit. 351. 18.
Mulieres contra Chriſti ſepulchrum ſederunt, vt eius cadaueri citius pietatem exhibere poſſent. 351. 19.
Statim tranſacto Sabbato ad monumentum cucurrerunt. 351. 20.
Propter hanc celeritatem primæ Chriſtum videre meruerunt. 351. 21.
Ioſeph, & Nicodemus citò ſepulturæ officium Chriſto exhibuerunt. 352. 22.
Vt citius Magdalena Chriſti ſepulturã honoraret alabaſtrũ, in quo ſeruabatur vnguentũ cõfregit 352. 23.
Ad mortuam Tabitham, vt eam ſuſcitaret Petrus feſtinauit. 352. 24.
Mulier citatis greſſibus ad Eccleſiam S. Maioli properans, vt filio defuncto vitam impetraret. 352. 25.
Priamus, Achilles, Troiani, & Agamenon celeres in exhibenda pietate defunctis. 352. 25.
Aeneas, eiuſque milites celeriter mortuis pietatem exhibentes. 353. 27.
Honores ſepulchrales à Turba accelerati. 353. 28.
Mauſoleũ accelerãte manu erectũ Archemoro. 353. 29
Olympias ad Regis exequias feſtinauit. 353. 30.
Mos antiquorum parandi celeriter funebria mortuis, antequam morerentur. 353. 31.
Mare celeriter martyrum cadauera littori reddens. 354. 32.

Centurio.

Ciuis Romanus erat. 193. 14.
Vnde dicebatur, quod centũ militibus præerat. 202. 10.
Pietatem exhibuit mortuo Chriſto. ibid.

Certamen.

Certamina in defunctorum honorem edita. 328. 10.
Mortuorũ memoria certaminibus honorabatur. 420. 11

Charitas.

Nunquam excidit, quia defunctorum ſuffragia non omittit. 99. 1.
Tam in mortuos debet abundare quã in viuos. 100. 2.
Charitatiue ſe habuerunt in maritos mortuos Nurus Noëmi. 100. 3.
Ignita charitate Ioſeph Patrem oſculatus eſt defunctum. 100. 4.
Charitatis feruorem adeptus Ioſeph Arimathęus Chriſtum ſepeliuit. 100. 5.
Charitatis feruorem mulieres oſtenderunt pietate in Chriſtum mortuum. 100. 6.
Mulieres maiores in charitate, maiores fuerunt in pietate Chriſto exhibita. 101. 8.
Renuens nomen fratris defuncti ſuſcitare à paterna charitate deuiabat. 101. 10.
Hoſtes mortuos Dauid plorauit, quia charitatis viſceribus affluit. 101. 11.
Inferno charitas comparatur, quia facit vt animę mortuorum ab inferis eripiantur. 101. 12.

Vt ſuam

Vt ſuam charitatem Chriſtus oſtenderet ad Inferos deſcendit. 102. 13.
In lege gratiæ frequentiora ſunt ſuffragia pro mortuis, quia aduenit plenitudo charitatis. 102. 14.
Naturali charitate pietatem exhibere tenemur conſanguineis defunctis. 102. 15.
Lege charitatis tenemur diligere defunctos. 102. 16.
Lachrymæ pro mortuis sũt ſtipẽdia charitatis. 102. 17.
Lachrymæ in funeribus vxorum à maritis fuſæ à charitate procedunt. 102. 18.
Qui ſimulat ergà mortuos pietatem, habere videtur charitatem. 103. 19.
Qui non exercet ergà mortuos pietatem, conuincitur non habere charitatem. 103 20.
Charitas nos impellit, vt animabus Purgatorij ſuffragia impendamus. 103. 21.
Dauid pietate defuncto Abner exhibitâ ſuam oſtendit charitatem 456. 23.
Magdalena ſuam oſtendit charitatem, cùm poſt Chriſti mortem Dominum ſuum eum appellat 456 24.
Ex nonnullis prophanis colligitur connexio charitatis, & pietatis ergà defunctos. 456. 25.
Propinquus Ruth, qui noluit pietatem eshibere defuncto eius marito, charitate præditus non fuit. 456. 26.

Charites.

Defunctum maritum diligenter colebat. 326. 16.
In funere mariti inedia mortua. 435. 8.

Chriſtiani.

Tunc ſuam fidem manifeſtant cum ſuam in mortuos pietatem oſtendunt. 103. 1.
Chriſtiani membrorum Chriſti munere funguntur, cum pietatem exercent in mortuos. 103. 3.
Chriſtianiſſimi ſunt, qui mortuis pietatem impendunt. 104. 4.
Chriſtiani, homines à quibus fuerunt decepti, ſepelierunt 104. 5.
Mortuos intrà vrbes ſepeliunt, vt frequentibus ſuffragijs eos adiuuent. 104. 6.
Vt ſuam fidem teſtentur, animas à Purgatorio liberare tenentur. 105. 7.
Chriſtianæ fidei eſt teſtimonium officium pietatis mortuis impenſum. 105. 8.
Pulchra monumenta mortuorum pietati debẽtur Chriſtianorum. 105. 9.
In Chriſtianæ fidei ſuſpicionem veniunt, qui mortuorum ſuffragia negligunt. 105. 10.
Abeſſe debet à Chriſtianis auaritia, & crudelitas in mortuos. 105. 11.
Chriſtianos luctus decet in exequijs defunctorũ. 106. 12.
Mortuos ſepelientes viui martyres appellati. 199. 10.
Miſericordię martyrium ex ea pietate conſequebantur. 199. 11.
Martyrum corpora honorificè ſepeliebant. 227. 10.
Cum lachrymis triginta dierum ſacrificium pro defunctis offerunt. 344. 16.
Dum pro Purgatorij animabus preceps effundunt, exaudiuntur. 418. 6.
Suis orationibus refrigerium, & gloriam impetrant animabus Purgatorij 419. 8.
Semper conſueuerunt pro defunctis Pſalmos recitare. 445. 1.
Viui aqua benedicta delent pœnas quas debent mortui. 447. 6.

Chriſtus.

Se Deum oſtendit cum defunctum ſuſcitauit. 7. 7.
In ſuſcitatione Lazari ſe verum oſtendit Deum. 8. 12.
Diuinè ſe operari profitetur cum in fauorem operatur mortuorum. 9. 1.
Chriſto non ſunt fracta crura, quia erat mortuus. 11. 3.
Peregrinis ſepulchrum prouidit. 13. 13.
Mortuos, vt eis pietatem impenderet viſitauit. 14. 14.
Permiſit Lazarum mori, vt ad ſuam gloriam eum ſuſcitaret. 19. 2.
Nullo alio ſigno ita manifeſtauit gloriam ſuam, vt ſuſcitatione Lazari. 20. 3.
In reſurrectione Lazari etiam ab inuitis laudatur. 21. 11.
A Iudæis potius ſaluatus eſt mortuus, quàm viuus. 23 5.
Etiam poſt mortem eum Iudæi ſunt perſecuti. ibid.
Eius ſepulchrum glorioſum. ibid.
Chriſto viuo mortuum Deus permiſit contempſibilem, & mortuo ſepulturam parauit honorabilem. 23. 6.
Lazarum non curauit viuũ, vt ſuſcitaret mortuum. 24. 7.
Gauiſus eſt ſe non viſitaſſe illum, vt poſt mortem ei pietatem eshiberet. 24. 8.
Archiſinagogi filiam potius ſuſcitare voluit mortuam, quàm ſanare viuam. 24. 9.
Viuenti puero non niſi rogatus, mortuo vero adoleſcenti, etiam non vocatus occurrit. 24. 10.
Viui ſuſtentationem non mortui parentis prohibuit humationem. 24. 11.
Prætium ſui ſanguinis magis in mortuos voluit effundi, quàm in viuos. 25. 12.
Mulieribus ante omnes in mercedem pietatis eorum occurrit. 26. 5.
Bino Chriſti occurſu mulieres, quæ ierant ad ſepulchrum remuneratæ. 26. 6.
Eaſdem perſeuerantes iuxta ſepulchrum nuncias fecit Apoſtolorum. 26. 7.
Mulieres tantum aſpicit ad caluarium pergens, quæ venerant vt ſe mortuum plorarent. 26 8.
Petro in monumentum introeunti apparuit. 27. 10.
Ioſephum Arimathæum viſitans de carcere liberauit. 27. 11.
Reſuſcitauit filiam Archiſynagogi in virtute Trinitatis. 31. 5.
Trinitatis virtute ſuum corpus ſuſcitauit, & noſtra ſurrectura indicauit. 32. 6.
In virtute Trinitatis reparauit à morte defunctos. 32. 7.
Chriſto iubente Tartarus mortuos reddidit. 32. 9.
Æqualem potentiam cum Patre ſe habere propter viuificationem mortuorum. 34. 2.
Eius anima ab æterno Patre corpori vnita. 34. 3.
Signum Ionæ petijt, quod ſuam præfigurabat reſurrectionem. 35. 4.
Patrem orat, vt reſurrectionis ſignum ſecum faciat. ibid.
Inuitat ſãctos ad laudes Patris pro pietate in defunctos. 35. 5.
Præfiguratus per Ioſeph in carcerem. 35. 8.
Antequam orationem funderet exauditus. 36. 10.
Ab inferis reuertenti angelica miniſteria à Patre mittuntur. 36. 9.

In

In Chriſti reſurrectione angelica miniſteria. ibid.

Pietate in mortuos ſe Dei filium oſtendebat. 37. 7. & ſeq.

Eum miſit Spiritus Sanctus ad inferos, vt animabus captiuis indulgentiam prædicaret. 40 8.

Sua prædeſtinatione mortuis pietatem impendit, 41. 1.

Vix conceptus pro animabus defunctorum mortem acceptauit. 42. 2.

Vt mori poſſet pro mortuis noſtram induit mortalitatẽ. 42. 3.

Ignem purgatorium Incatnationis myſterio animabus purgatis remouit. 42.4.

Iacob in fratrem mortuum pium ad genealogiam aggregauit. 42. 5.

Elias Chriſtum incarnandum præſignans mortuum excitauit. 43. 6.

Eliſęus tunc mortuum ſuſcitauit cum Chriſti Symbolum apparuit. 43. 7.

In Eliſęo, puero incumbente figuratus, mortuum ad vitam reuocauit. 43. 8.

Eliſæus ſepultus Chriſtum præfigurans, mortuum ſuſcitauit. 43. 9.

Antequam veniret profuit crucifixis defunctis. 43. 10.

Animas lymbi & Purgatorij in tota vita dilexit. 44. 1.

Vix natus oblationem pro mortuis fieri curauit. 44. 2.

Terram atterens mortuis pietatem exhibuit. 44. 3.

Loquens mortuos defendit. 44. 4.

Defuncto Naim ſermone vitam largitur. 45. 5.

Archiſynagogi puellam voce ſuſcitauit. 45. 6.

Lazarum clamans ad vitam reuocauit. 45. 7.

In mortuorum cauſis ſe aduocatum oſtendit. 45. 8.

Eius audientis pietas in defunctos. 45. 9.

Eiuſdem aſpicientis clementia in mortuos 45. 10.

Chriſtus plorans in defunctos pius. 46. 11.

Chriſti tangentis pietas in mortuos. 46. 12.

Chriſti tactu ad vitam reuocantur defuncti. 46. 13.

Chriſti ſuam virtutem exercentis pietate ſuſcitantur defuncti. 46. 14.

Ad hoc venit vt ſua virtute mortui reſurgerent. 47. 15.

Chriſti mortui prætium in mortuorum confectur ſepulchrum 47. 1.

Chriſtus ligatus mortuorum animas ſoluit. 47. 2.

Chriſtum pro mortuis compræhendi & ligari faces teſtantur. 48. 3.

Vt purgatorij animas liberet ſpinis coronatur. 48. 3.

Paſſione ita defunctorum animabus conſolationem attulit. 48 5.

Optabat diabolus eum de cruce deſcendere ne per eius paſſionem mortui redimerentur. 48. 6.

Sua paſſione ab inferorum tenebris ad gloriæ lumen defunctos euexit. 49. 7.

Eius paſſionis beneficio ad vitam ſunt reuocati defuncti. 49. 8.

Ibi voluit pati, vbi cadauera iacebant mortuorum. 49. 9.

Paſſus eſt in caluariæ loco, vt Adam ibi ſepultus cælum adiret. 49. 10.

Cum puluere defuncti Adæ ſuum patiens commiſcuit ſanguinem. 49. 11.

Chriſti patientis cruore aſperſus, flammas purgatorij latro vitauit. 49. 12.

Aquam è latere, vt Purgatorij flammas extingueret emiſit. 50. 13.

Moriens clamauit, vt mortuos excitaret. 50. 14.

Chriſtus patiens flos eſt ad cuius odorem reuiuiſcunt mortui. 50. 15.

Poſt mortem non ſtatim reſurrexit, vt mortuis remedia conferret. 50. 1.

Ad lymbum deſcendit, vt animas ibi captiuas inde criperet. 50. 2.

Chriſtus mortuus mortuorum liberator. 50. 3.

Defunctos in lymbo vinctos in fortitudine ſua eduxit. 51. 4.

Magis quam ſuam diuinitatem ſuam oſtendere voluit in mortuos pietatem. 51. 5.

Plenam miſericordiam oſtendit, cum mortuis apud inferos dimiſſionem prædicauit. 51. 6.

Prædam inſtar Aquilæ ad inferus deſcendens diripuit. 51. 7.

Alter Ioſeph ſecum in inferorum carcere concluſos liberauit. 52. 8.

Tranſiens per inferorum Egyptum ſanguinis ſui fide ſignatos liberauit. 52. 9.

In omni terra fleuit, quia nedum in terra viuorum ſed etiam fleuit in terra mortuorum. 52. 10.

Omnes Purgatorij Animas ex dulcedine ſuę miſericordię liberauit. 52. 11.

Omnes mortuos in ſe ſperantes deſcendens ad lymbum illuminauit. 52. 12.

Omnia traxit cum neminem ex electis apud inferos reliquit 52. 13.

Reſurgens non tantum ſuam ſed etiam aliorum mortuorum reſurrectionem prouocauit. 53. 1.

Reſurrectionem ſe vocat, quia reſurrectionis mortuorum cauſa fuit tanquam à cauſa ad effectum, a Chriſti reſurrectione ad reſurrectionem mortuorum arguitur. 53. 3.

A Chriſti reſurrectione vitam habuerunt defuncti. 53. 4.

Chriſtus reſurgens primogenitus dicitur mortuorum. 54. 5.

Defunctorum doloribus ſolutis reſurrexit. 54. 6.

Reſurrectio Chriſti Paſcha dicitur, quia in ea tranſierũt ab inferis ad ſuperos mortui. 54. 7.

Acceleratam petijt reſurrectionem, vt defunctorum accelararet liberationem. 54. 8.

Vt ab inferis educerentur expectabant defuncti Chriſti reſurrectionem. 54 9.

Diebus dominicis reſurrectioni ſacris à ſupplicijs ſeruãtur animæ defunctorum. 54. 10.

Poſt reſurrectionem cæli obſtacula mouit. 54. 11.

Gauiſus eſt Chriſtus in Lazari morte, quia eum ſuſcitare debebat. 55. 1.

Lachrymę, quas in Lazari morte fudit non triſtitię, ſed letitiæ lachrymæ fuerunt. 55. 2.

Lachrymatus eſt, quia non omnes ſuſcitaturus erat defunctos. 55. 3.

Dilatio Reſurrectionis Lazari non Chriſto, ſed matthææ tribuenda. 55. 4.

Prohibuit Viduę Naim fletus, quia ſuſcitaturus erat eius defunctum. 55. 5.

Eiecit plorantes defunctam Archiſynagogi non quia

ſie-

Digitized by Google

flebant ſed quia irridebant. 56.6.
Tres tantum mortuos Chriſtus legitur ſuſcitaſſe, quia pro tribus tantum exoratus fuit. 56.7.
Alios ſuſcitauit, quorum reſurrectionem Euangeliſtæ myſterij gratia tacuerunt. 56.8.
A ſepulchris diſceſſum non iuſſit, cum ſepulchris Phariſeos comparauit. 56.9.
Suffragia diſcipulo prohibuit Patri exhibenda, quia nō in Purgatorio torquebatur, ſed in inferno 57.10.
Non exequias Paternas, ſed prophanos ritus ei prohibuit. 57.11.
Chriſti natiuitas defunctis ab Angelis annunciata. 61.8.
Abraham apud inferos Angelis annuntiantibus Chriſti diem vidit. 61.9.
In eius exequijs angeli cecinerunt. 63.5.
Tanquam prophetam magnæ Sanctitatis eſt laudatus, cum mortuum ſuſcitauit. 68.12.
Viſitat Magdalenam propter pietatem in defunctos. 72.2.
Bis ei apparuit. 72.3.
Vitam Lazaro impertiuit Magdalenæ precibus exoratus. 73.7.
Omnes qui adfuerunt eius ſepulturæ finem aſſecuti ſunt feliciſſimum. 73.10.
Chriſti paſſio fuit contra legem naturæ, quia eum vulnerauerunt defunctum. 77.2.
Lazarum fleuit prò parte humanitatis, & ſuſcitauit per potentiam diuinitatis. 79.1.
Eum ſepeliuit Ioſeph Arimathęus, quia iuſtus erat. 85.3.
In alieno humatur ſepulchro, vt ſibi homines gratitudinem expenderent. 92.17.
Mulieres quæ à Chriſto acceperant maiora beneficia maiorem diligentiam circa eius ſepulchrum adhibuerunt 92.18.
Mulieres, vt eum vngerent perrexerunt, & propè ſepulchrum perſeuerauerunt, quia vehementer eum diligebant. 95.13 & ſeq.
Ex Chriſti lachrymis, quibus fleuit Lazarum mortuum collegerunt Iudæi amorem, quo cum dilexerat viuum. 96.17.
Eum mortuum Ioſeph, & Nicodemus honorauerunt, vt ſuum declararent amorem. 96.20.
Veram fidelitatem Ioſeph oſtendit cum Chriſtum defunctum ſepeliuit. 98.7.
Ei defuncto pietatem exhibuerunt mulieres, quia fideles erant. 98.8.
Charitatis feruorem adeptus eſt Ioſeph ſepeliuit. 100.5.
Eum ſepelientes multam dilectionem oſtenderunt Ioſeph, & Nicodemus. 100.6.
Pietate in eum mortuum charitatis feruorem mulieres oſtenderunt. 100.7. & ſeq.
Ad eius monumentum Apoſtoli prę cęteris cucurrerunt, qui præ cæteris amauerunt. 101.9.
Vt ſuam charitatem oſtenderet ad Inferos deſcendit. 102.13.
Ioſeph, & Nicodemus ex more Iudæorum eum ſepelierunt. 107.5.
Pietate in mortuum Chriſtum meruerunt mulieres eum videre ſibi occurentem. 124.12.
Chriſtum ſepeliens magni meriti fuit Ioſeph Arimathæus, 124.10.
Actus, quos in ſuſcitatione Lazari elicuit, meritorij erāt & virtuoſi. 124.14.
Ad Martham, & Magdalenam lugentes mortuum conſolator acceſſit. 133.2.
Viduæ filium mortuum ploranti pręſtitit conſolationem 134.6
Conſolatus eſt eos, qui pietatem impendebant filiæ Archiſynagogi defunctæ. 134.7.
Mulieres ad monumentum pergentes conſolatorijs verbis eſt allocutus. 134.9.
Archiſynagogum eſt conſolatus lugentem mortuam filiam. 134.9.
Dum eum Apoſtoli lugebant mortuum, conſolationes acceperunt à Magdalena. 134.10.
Vt Magdalenam conſolaretur eius vnctionem commendauit. 135.15.
Eandem ob rationem illius memoriam in orbe vniuerſo prædixit celebrandam. 135.16.
Excuſatur, quod nonniſi poſt quatriduum vitam reddiderit Lazaro. 236.5.
Gauiſus eſt Chriſtus de Lazari morte, quia præuidit eius reſurrectione fidē eſſe roborādam Apoſtolorū. 137.4.
Marthæ fidem fratris reſurrectione roborauit. 138.5.
Fidem ſuorum miraculorum pietatē in defunctos confirmauit. 138.8.
Mortuos ſuſcitabat, vt fidē faceret reſurrectionis. 138.9.
Fidem Archiſynagogi roborauit, dum ad ſuſcitandam eius filiam perrexit. 138.10.
Cum Lazarum ſuſcitauit, malignitatem Iudæorum confudit 139.2.
Nihil contra eum dicere potuerunt, cum Lazarum ſuſcitauit. 139.3.
Pietate in mortuos malignis verecundiam intulit. 139.4.
Oratione pro defuncto effuſa ora compreſſit detractorum. 139.5.
Lapidem à monumento iuſſit amoueri, vt detractiones malignorum vitaret. 140.6.
Vt Iudæorum linguas compeſceret adoleſcenti Naim vitam reſtituit. 140.7.
Phariſęorum ora obturauit, cum filiam Archiſynagogi ſuſcitauit. 140,8.
Paſſus eſt ſe irrideri, vt ſuſcitans mortuam malignos cōfunderet. 140.9.
Eadem ratione permiſit à nuntijs poteſtatem negari, quam habebat ſuſcitandi mortuos. 140.10.
Propter rationabilem cauſam Lazarum plorauit, & in eius morte gauiſus eſt. 147.7. & ſeq.
Rationabiliter à Chriſto mortuo milites crurifragium remouerunt. 147.10.
Diſcipulos contra Magdalenam indignatos, tanquam irrationabiliter iratos redarguit. 148.16.
Irrationabiliter contra eum quod mortuos ſuſcitabat iraſcebantur Iudæi. 149.17.
Irrationabile ſpectaculum fuit eum mortuū pendere in cruce inſepultum. 149.18.
Propter pietatem, qua ſuſcitauit Lazarum à Iudæis commendatus. 158.16.
Quia Iudæorum laudes contempſit iuſſit parentibus puellæ mortuæ, ne reſurrectionis miraculum diuulgarent. 159.17.
Ab eiſdem propter reſurrectionem adoleſcentis Naim lau-

Digitized by Google

laudatus. 159. 18.
Tunc præcipuè laudatus eſt cum deſcendit ad inferos, vt mortuos liberaret. 159. 19.
Ad inferos deſcendens ab omnibus eſt honoratus. 160. 2.
Turba eum honorauit, cum Lazarum ſuſcitauit mortuũ. 161. 3.
Honorificè illum recepit propter idem ſignum. 161. 4.
Archiſynagogus eum honorauit, quia in mortuos pium vidit. 161. 5.
Vt ſe honoris non eſſe cupidum oſtenderet, præcepit, vt reſurrectionis miraculũ ſilentio ſupprimeretur. 162. 8.
Turbæ illum ſuſcitantem mortuum Naim reuerenter timuerunt. 162. 10.
Suſcitando Lazarum glorificatus eſt. 164. 1.
Diligebat eos, qui ſibi cauſam prębebant exercendi pietatem in mortuos, tanquam vaſa gloriæ ſuæ. 165. 2.
Vt eius gloriam reſultantem ex reſurrectione mortui impedirent, Iudæi Lazarum interficere cogitauerunt. 165. 3.
Lazarum ægrotum non ſanauit, vt eum magis glorioſè ſuſcitaret defunctum. 165. 4.
Iuſſit parentibus puellæ defunctæ, vt tacerent, ne gloriæ cupidus videretur. 165. 5.
Iudas infamiæ notam contraxit, dum ſepulturæ Chriſti honorem impedire voluit. 168. 10.
Propter amorem quo diligebat Lazari ſorores, eum ad vitam reuocauit. 183. 9.
Tunc Thomas ſe Chriſtum diligere oſtendit, cum pro Lazari ſuſcitatione mori non timuit. 183. 10.
Reſurrectionem puellæ voluit eſſe occultam, vt inuidiam vitaret Iudæorum. 194. 3.
Eandem ob rationem iuſſit parentibus puellæ, vt eam non diuulgarent. 184. 4.
Chriſti glorię ex reſurrectione Lazari ortę inuidentes Phariſęi, eum interficere cogitauerunt. 185. 6.
Vt attolleret ſua miracula noluit Archiſynagogi filiam curare viuam, ſed ſuſcitare mortuam. 196. 9.
Altior eius poteſtas apparuit, cum ad mortuorum auxilium per pietatem declinauit. 196. 10.
Magdalenam ſuæ ſepulturæ honorem exhibentem ad ſumma laudum præconia clauauit. 196. 11.
Vt eum vidit mortuum ſuſcitantem, magnum populus Prophetam appellauit. 199. 7.
Turbæ cum eum viderunt in mortuos pium, eum Ioanni prætulerunt. 200. 1.
Prophetam magnum eum dixerunt, quia magis quàm cæteri ſanctitate præfulgebat. 200. 2.
Eum Lazarum ſuſcitantem Prophetis omnibus prętulerunt. 200. 3.
Antequam ad cælum aſcenderet ad inferos deſcendit, vt animas adiuuaret mortuorum. 203. 1.
Petrum, & Iacobum, & Ioannem voluit eſſe præſentes reſurrectioni puellæ, quia gloriæ radio erant in Tabor fruituri. 203. 2.
In reſurrectione Lazari fremens diuinam fortitudinem oſtendit. 211. 11. & ſeq.
Tunc affectum pietatis oſtendit, cum pro Lazaro lachrymas effudit. 21[illegible]
Quia fons pietatis erat, pias lachrymas in morte Lazari effudit. 212. 4.
Apparuit magnus in miſericordia, cùm defunctum ad vitam reuocauit. 216. 6.
Mortuos ſuſcitaturus maiora ſe dixit effecturum. 218. 6.
Magnificentius Lazarum ſuſcitauit mortuum, quàm curaſſet ægrotum. 220. 10.
Magdalenam commendauit, & commendari præcepit ob eius religionem. 222. 4.
Prophetam ſanctitatis magnæ eum cenſuerunt, cùm vitam largitus eſt adoleſcentulo Naim. 225. 9.
Sancta vnctione Magdalena eum perfudit ad ſepulturam eius honorandam. 225. 10.
Eius paſſio amarior fuit, quia Iudas, qui diabolus erat, eum tradidit. 251. 9.
Permiſit Demones porcos ſuffocare, vt ſæuitiam dæmonis in homines oſtenderet. 251. 7.
Se à Deo Derelictum clamauit, quia pęnis afflictus fuit, quibus inimici Dei mulctabantur. 251. 11.
Contriſtatus animæ pœnam ſuſtinuit, vt maiorem oſtẽderet patiendi ardorem. 256. 7.
Vt corpore ita, & anima pati voluit vſque ad mortem. 256. 8.
Maiorl pœna in itinere ad locum Caluariæ, quam in cæteris paſſus eſt, quia locus erat fœtidus. 267. 10.
Eius oculi valde paſſi ſunt, cum amicos vidit ſecum in ſua paſſione cruciatos. 269. 8.
Hic dolor omnes alias Chriſti pœnas ſuperauit. 269. 9.
Ratione huius doloris matrem ſuam Ioanni commendauit. 269. 10.
Propter eius innocentiam Pilatus ei conceſſit ſepulturam. 274. 2.
Apparuit primo Mariæ Magdalenæ, vt ſe illi gratum exhiberet pro pietate, quam *ſibi mortuo* impenderat. 279. 8.
Phariſęos increpauit, quia Patrum defunctorum crimina accuſabant. 288. 7.
Cum Archiſynagogi filiam ſuſcitauit, permiſit eius reſurrectioni parentes adeſſe puellę, quia hi de vita eius magis ſollicit eſſe debebant. 293. 11.
Dixit Lazarum eſſe amicum, vt oſtenderet neceſſarium iter, quo eum reuocaturus erat ad vitam. 299. 7.
Prætium ſui ſanguinis impendi voluit in ſepulturam peregrinorum, quia hi proprio ſepulchro carebant. 307. 1.
Iudam reprehendit, quod ſibi quem tradebat ſepulchrales honores non permitteret. 311. 3.
Monumenta certauerunt, vt eius cadauer ſuſciperent. 328. 13.
Facta eſt tertia die eius reſurrectio propter virtutem Trinitatis. 32. 6.
Quia Magdalena eum dilexit ſuis precibus fratri vitam obtinuit. 339. 3.
Ad honorandam eius ſepulturam iuſta, non peccatrix acceſſit. 339 4.
Ioſeph qui eum ſepeliuit iuſtus fuit. 340. 5.
Impij Chriſtum viuum interfecerunt, & iuſti mortuum ſepelierunt. 340. 6.
Reprehendit Phariſęos, quia in peccatis monumenta ædificabant prophetarum. 340. 8.
Lachrymas turbæ tumultuanti prohibuit, quia ſine precibus fuſæ inutiles erant puellæ defunctæ. 341. 2.
Lachrymas cum ſuffragijs pro mortuis effuſas exemplo ſuo commendauit. 342. 6.

Vo-

Digitized by Google

Voluit plures Iudæos ad Lazari ſepulchrum conuenire. 345.7.
Accelerauit ſuam paſſionem, vt cito defunctis pietatem exhiberet. 339.5.
Sine mora filiam Archiſynagogi ſuſcitauit. 349.6.
Vt adoleſcentem Naim defunctum vidit, ſtatim eum ad vitam reuocauit. 349.7.
In Lazari reſurrectione obſequia multiplicauit pietatis. 357.16.
Nocturnam mulierum pietatem magno præmio affecit. 361.8.
Veſpere ſepultus. 365.8.
Familiæ Iudæorum in eius exequijs plorantes. 375.6.
Adoleſcentulum Naim in foro cito ſuſcitauit. 377.7.
Viri, ac fœminæ Chriſtum mortuum lugentes 379.4.
Cum Lazarum ſuſcitauit, Rex eſt appellatus. 383.14.& ſeq.
Leuitæ in Chriſti funere lugentes. 390.8.
Iudæ ſuaſit, vt ſepulchrales honores ei cōcederet. 416.4.
Eius ſanguis in altari oblatus animas expiat Purgatorij. 423.6.
Adoleſcentem Naim ſuo corpore Chriſtus ſuſcitauit. 423.9.
Idem cum Archiſynagogi filiâ præſtitit. 423.10.
Chriſtus lilium eſt mortuos recreans. 424.12.
Oratione vitam Lazaro impetrauit. 427.16.
Interogauit Lazari ſorores, vt ſe pro ſuſcitatione illius orarent. 427.17.
Omnes mortuos, pro quibus exoratus fuit, ſuſcitauit. 427.18.
Archiſynagogi preces pro filiâ defunctâ rogantis exaudiuit. 428.5.
Manum eius tetigit, vt ſatisfaceret deſiderio patris. 428.6.
Latronem exaudiuit, quia pro ſe defuncto orauit. 429.8.
Triduanâ peregrinatione mortuos excitauit. 442.4.
Indulgentiam plenariam Chriſtus deſcendens ad inferos animabus Purgatorij conceſſit 445.3.
Indulgētia plenaria vinctos Purgatorij liberauit. 445.5.
Indulgentia dictus eſt, cùm defuncto Lazaro pietatem exhibuit. 445.7.
Eius mors anniuerſario dolore celebrata. 447.4.
Vt fidem Archiſynagogi pro defunctâ filiâ augeret, mulierem ſanauit ſanguinis fluxu laborantem. 450.8.
Fidem ab eo exegit. 450.9.
Quia fidem habuit cum eo ſtatim perrexit, & reſurrectionis miraculo eum adeſſe voluit. 451.10.
Eiecit turbam, quia deridebat, & non credebat. 451.11.
Magdalenæ vnctionem comendauit, quia magna fide facta fuit. 451.13.
Statim Chriſtus Archiſynagogum eſt ſecutus, vt pietatem defunctæ impendens, Dei opus exerceret. 453.2.
Poſt eius reſurrectionem ſanctorum corpora ſurrexerunt. 454.11.
Chriſtum magnum in ſapientiâ turbæ prædicauerunt, cùm eum in adoleſcentem defunctum pium cognouerunt. 458.38.
Ob impietatem in Chriſtum defunctum Iudæi indignationem Pilati contraxerunt. 459.44.
Quia Lazarum reſuſcitauit eum Magdalena vnguento perfudit. 459.46.
Magnificè Chriſtus fuit à Ioſeph, & Nicodemo ſepultus. 460.51.
Diſcipulum ante ſepulturam patris vocauit, quia propinqui erant, qui eum ſepelirent. 461.62.

Cilicium.

Iacob cilicio filio ſuo, quem defunctum credidit, pietatem impendit. 437.1.
Reſpha mortuos cuſtodiens cilicium ſibi ſubſtrauit. 437.2.
In luctu antiqui accingebantur cilicio. 437.3.
Sinæ in funeribus mortuorum cilicio induuntur. 437.4.
Euſebius cilicio D. Hieronymi vitam defuncto impertiuit. 438.5.

Cimon.

Theſei oſſa Aquila monſtrante reperit. 17.14.
Maximam laudem ſibi aquiſiuit, dum proprijs vinculis Patri mortuo ſepulturam emit. 159.21.
Patris cadauer ſuis vinculis redimens ad præcipuas dignitates à Græcis eſt euectus. 176 9.
Theſei cadauer magno ſtudio extulit. 321.9.

Cineres.

Cineres defunctorum à propinquis collecti, & vino loti. 284.5.

Ciuitas.

Ciuitas Hethæorum ab operibus vacauit, vt exequijs Saræ vacaret. 372.1.
Tota ciuitas Hebron cōuenit ad exequias Abner. 372.2.
Ciuitas vrbis Galaad Saul defuncto pietatem impendit. 372.3.
Omnes ciuitates Iſraelitarum Samuelem plorauerunt defunctum. 372.4.
In ciuitate Rama defuncti innocentes plorati. 372.5.
Propheta ſenex viri Dei cadauer ad ciuitatem tranſtulit, vt celebritate illum honorarēt exequiarum. 373.6
In funere Paulæ Paleſtinarum ciuitatum turba conuenit. 373.7.
Magnam Conſtantio mortuo ciuitas Imperatoria pietatem exhibuit. 373.8.
Imperatoribus defunctis munera ſuprema cunctæ ciuitates afferebant. 373.9.
Ciuitas Ieroſolyma pia in Ionam defunctum. 373.10.
Ciuitas in Hectorem mortuum pia. 373.11.
Plurimarum Vrbium pietas in funeribus. 373.12.

D. Clara.

Aula ſummi Pontificis eius funeri interfuit. 400.7.

Claudius.

Appij Claudij filius petijt, vt iuxta leges Romanorum Patrem ſibi liceret laudare defunctum. 192.3.
Maiorem habuit rationem luctûs pro mortuo, quam lætitiæ ex adepto principatu. 387.14.

Cleanthus.

Afflante vento ſepultus. 117.9.

D. Clemens.

Retro ceſſit mare, vt eius cadauer à fidelibus adoraretur. 118.14.

Cleopatra.

A Cæſare regaliter apud Antonium ſepulta. 384.17.

Clerici.

Nimis execrabile clericorum facinus in mortuos. 174.9.
Pœnæ quibus puniebantur, cum ſepulchra violabant. 177.2.

Cle-

Digitized by Google

Clerici Regulares.

Clerici Regulares toto anni tempore defunctis pietatem exhibent. 391. 1.
Debent pietatem mortuis, quia Clerici ſunt. 391. 2.
Eam quoque debent, vt Regulares. 391 3.
Mores pij pro defunctis apud Clericos Regulares. 391. 4.
Ratione Crucis, quæ eſt eorum inſigne debent mortuis pietatem. 392. 5.
B. Andreas Auellinus ergà defunctos pius. 392. 6.
Mortuus quoque dilexit pietatem erga defunctos. 392. 7
Pauli quarti pietas in mortuos. 392. 8.
Ieremias Iſachinus pius ergà defunctos. 392. 9.
Chriſtofori de Refrigerijs miſeratio ergà defunctos. 392. 10.
Matthæi Bencij pietas ergà mortuos. 392. 10.
Scriptores, & Concionatores huius pietatis. 392. 11.

Cnemon.

Inimicę Thisbes cadauer humauit. 223. 14.

Coactio.

Cogi poſſunt viui ad ſepulturam mortuorum. 240. 1.
Si aliquis Abraham prohibuiſſet, quin in ſuo ſepulchro ſepeliret vxorem, eum ad id concedendum Hethæi coegiſſent. 240. 2.
Abraham precibus coegit Ephron, vt ſibi venderet pro ſepultura defunctæ coniugis agrum. 240. 3.
Iacob, vt ſibi defuncto pietatem impenderet coegit Ioſeph iuramento. 240. 4.
Hebræos Deus coegit ſepelire morti adiudicatos. 240. 5
Vxor defuncti cogebatur nubere cum eius fratre, vt illi nomen ſuſcitaret. 241. 6.
Cogebantur mulieres viduitatem ſeruare, donec frater defuncti aptus fieret nuptijs, eique pietatem exhiberet. 241. 7.
Thamar ab amore, quo maritum proſequebatur, coacta eſt eius nomen ſuſcitare. 241. 8.
A ſocero coacta ſeruare temperantiam, vt nomen ſuſcitaret mortuo marito. 241. 9.
Hebræi coacti comendare Moyſen mortuum. 241. 10.
Dauid coegit Ioab plangere Abner mortuum. 242. 11.
Archiſynagogus ab afflictione coactus, humiliter pro filia defuncta Chriſtum rogauit. 242. 12.
Petrus ab amore coactus ter ad Chriſti monumentum cucurrit. 242. 13.
Populus coegit Pompeium in campo martio vxorem ſepelire. 242. 14.
Mulieres Meſſeniæ coactæ à lacedemonijs funeribus intereſſe mortuorum. 242. 15.
Burdegalenſes coacti pręfectum regium, quem interfecerant honorificè humare. 242. 16.
Sinæ coguntur triennio parẽtes mortuos lugere. 242. 17.
Milites coacti Pallantis funus curauerunt. 242. 18.
Creon cogendus Bello ad mortuorum ſepulturam. 243. 19.
Codrus Pompeij cadauer ſepelire à pietate coactus. 243. 20.

Codrus.

Securus fit veniæ cum Pompeium ſepelit defunctum. 132. 7.
Laudata pietas ab eo Pompeio mortuo exhibita. 160. 23
Reprehenditur, quòd ex pietate mortuo Pompeio impenſa premium non expectet, ſed pęnã timeat. 177. 10.
Omnium laudibus euectus cum Pompeium humauit. 197. 14.
Religiosè lapidi nomen Pompeij inſcripſit ne ſepulchrũ eius violaretur. 223. 11.
Tenuitatem funeris excuſat, quo ſepultura bonorat Pompeium. 136. 8.
Pompeij cadauer ſepelire a pietate coactus. 243. 20.

Cœlum.

Cœli obſtacula poſt reſurrectionem remota. 54. 11.
Aquas cohibuit, ne pompam turbaret exequiarũ. 115. 1.
Idem videtur eſſe aſſiſtere ſepulchro, & manere in cœlo. 204. 6.

Cæmeteria.

Chriſtoforus de Refrigerijs Clericus Regularis fere ſemper in Cœmeterio pro mortuis preces effundebat. 393. 10.
Matthæus etiam Bencius Clericus Regularis noctũ in Cœmeterio orare, flagelliſque ſe cedere pro defunctis conſueuerat. 393. 11.
In ipſis Pſalmi canebantur. 446 2.
In Cœmeterijs pro aſperſione aquæ benedictę vas appoſitum. 447. 5.

Cœnaculum.

Cenacula erant in ſuperiori parte domus. 195. 8.
Diſtinctio inter cęnaculum, & cęnationem. ibid.

Columba.

Noluit columba cadauera calcare mortuorum. 112. 11.
Rediit ad arcam, quia cadaueribus paſſi noluit. 204. 5.

Combuſtio.

Vide Ignis, & funus.
Cadauerum combuſtio laudata. 153. 17.
Reges defuncti comburebantur. 300. 2. & ſeq.
Vnguenta, & ornamenta pretioſa in exequijs Regum cremabantur. 300. 3.
Sedeciæ regi combuſtionem poſt mortem in exequijs predixit Ieremias. 300. 4.

Comedia.

Serui in honorem mortuorum comœdias, & tragœdias recitabant. 408. 8.

Concilia.

Conciliorum pœnę contra impios in mortuos ſtatutæ. 177. 2.

Congregatio.

Pro mortuis magis Deus acceptat orationes communes, quàm ſingulares. 344. 1.
Martha, vt fratri defuncto pietatem à Chriſto impetraret, cum ſororis precibus ſuas vniuit. 344. 2.
Hoc egit poſt quàm reſurrectionis eius aliquam ſpem habuit. 345. 3.
Mulieres congregatæ, vt filias lugerent mortuas. 345. 4.
Paleſtinarum vrbium turba congregata, vt Paulam defunctam lugeret. 345. 5.
Vt Ioſue defunctum plorarent omnes Iſraëlite vnà conuenerunt. 345. 6.
Voluit Chriſtus plures Iudæos ad Lazari ſepulchrum conuenire. 345. 7.
Non ſolus Dauid, ſed vnà cum viris, qui ſecum erãt, Saul & defunctos Iſraël plorauit. 346. 8.
Compulit Ioab plorare Abner, vt communibus lachrymis lugeretur. 346. 9.
Maiorem luctum Dauid cum filijs quàm ſolus pro defuncto

functo Amnon edidit. 346.10.
Ad Apoſtolos Magdalena à ſepulchro cucurrit, vt in pietate Chriſto exhibenda eos haberet conſortes. 346.11.
Ioſeph Arimathæus non ſolus, ſed vnà cum Nicodemo Chriſtum ſepeliuit. 347.12.
Malus Propheta virum Dei non ſolus, ſed vnà cum filijs humauit. 347.13.
Tibicines in antiquorum funeribus adhibebantur, vt multitudo prouocaretur ad luctum. 347.14.
Reſpha non ſola, ſed vna cum alijs cadauera cuſtodiuit filiorum mortuorum. 347.15.
Multorum lachrymę vnitę adoleſcenti Naim vitam impetrauerunt. 347.16.
Angeli vnà conuenientes communem pietatem exhibēt defunctis. 347.17.
Gentiles vnà conuenientes, vt defunctis pietatem impenderent. 348.18.

Coniuges.

Abraham vxori defunctæ pietatem impendit. 413.1.
Idem egit Iacob cum Rachele. 413.2.
Iacob in viâ vxoris funus curauit. 413.3.
Moriens Iacob vxori mortuæ nomen excitauit 413.4.
Vxores à maritis funebri laudatione commendatæ. 413.5.
Mariti honoris gratia ſuper ſepulchra vxorum ſpargebant flores. 413.6.
